

FONSECA

IN

METAPHYS.

ARISTOT.

TOME

2

Gräfl. Schaesberg'sche
Bibliothek
Philosophie
B.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

COMMENTARIORVM

# PETRI FONSECAE

## LVSITANI DOCTORIS THEOLOGI,

SOCIETATIS IESV,

In Libros Metaphysicorum Aristotelis Stagiritæ.

## TOMVS SECVNDVS.

CONTINET HIC TOMVS
quinti libri explicationem.

05822
Bibliotheca
facult. Philosophiae
Prov. Cast. Orient. S.I.
BIBLIOTHECA Valkenb.
Comprado a
en sep. 1956
COLLEGII EXAET.
Comprado a Valkenb.
en sep. 1956.

LVGDVNI,
EX OFFICINA IVNTARVM.

M. D. XCIII.
CVM PRIVILEGIO.

Universidad de Deusto
Biblioteca

# PHILIPPO HISPANIARVM REGI CATHOLICO.

PRIMAM huius nostræ commentationis partem, Rex potentissime, Sebastiano Regi sororis tuæ filio, iustis de caussis ac pænè necessarijs, ante decem annos dicaui. Sed vix ad eius manus volumen illud peruenerat: cum Romæ, vbi tum degebam, renunciatum est, illi cum tota pænè Regni nobilitate luctuosam illam & infelicem Africanam expeditionem interitum attulisse. Quam expeditionem ille susceperat non eorum, quos parentum loco habebat, hoc est, tuo & Henrici patrui maturo consilio, quod propter iuuenilem ardorem, & fallacem ac periculosam, in illa præsertim ætate, gloriæ cupiditatem suspectum habebat: non salutari familiarum hortatu, à quibus fuerat diligentissimè institutus & educatus, quos tam à se remouerat atque ablegauerat: sed arte & industria eorum, quibus incautus se penitus addixerat, quòd blandiendo spem eius alerent gerendi res maximas, quique magnitudinem & celsitudinem animi, quæ certè fuit in eo singularis, intempestiuè extolebant, vt eius gratiam aucu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

parentur. Sed quoniam æterna Dei prouidentia constitutum erat, vt Regnum hoc in tanto luctu & mœrore positum, te Regem maximum, & parentem amantissimum, post momentaneam illam, vt ita dicam, Henrici Regis successionem nanscisceretur, subiecta tibi tunc primum vniuersa Hispania, quod post Rodericum Regem, sub quo amissa est, nulli Regum contigit: seruatum quoque ego mihi existimaui, vt hæc altera pars mearum lucubrationum in primam Philosophiam, quas præcipuè in bonarum litterarum huius Regni cultum incrementúmque comceperam te tantum patronum fautorémque suo sibi iure vendicaret. Nec sanè indignum est magnis Regibus bonarum artium patrocinium, huius præsertim, quæ princeps & regina est humanarum omnium: cum earum studium adeo eorum maiestatem & amplitudinem non dedeceat, vt mirificè potius augeat atque illustret.

Nam vt Ptolomæos Aegypti, & Græciæ Alexandros, externósque alios Reges & Imperatores omittam: certè duos Alphonsos Castellæ & Aragoniæ Reges multo clariores fecit sapientiæ studium, quàm pleróque alios multarum magnarúmque rerum gestarum gloria. Quorum hic tanto amore tenebatur cognitionis & scientiæ, vt affirmaret, se Regno priuari malle, quàm sapientiæ studium deserere. Alter verò eam rerum cognitionem proprio labore assequutus est, vt vltra inerrantium stellarum orbem (quem Philosophorum omnis antiquitas supremum existimauit) noui superiorísque orbis mortalibus cognitionem attulerit. Sed hæc linquamus ijs Regibus, qui se pænè totos litteris consecrarunt, quòd eos minus solicitaret angustior suorum Regnorum administratio. Te vero, cui cum tota Hispania, magníque alijs prouincijs Europæ, nouorum quasi orbium gubernatio à Deo credita est, plus multo commendat cum summa prudentia & rerum maximarum cognitione, omnium bonarum literarum non fauor tantum, sed vsus etiam maximus: cum ad omnia difficilia examinanda constituendáque litteratissimos homines, & in re quaque sapientes adhibeas. Ac certus sum, Rex non potentia tantùm & Regnorum amplitudine, sed etiam sapientia & rerum cognitione maxime, pari humanitate susceptorum te nostrum hoc de prima Philosophia munusculum, quod noueris parua non ex rebus, sed ex offerentis animo æstimare. Illud vnum quod in omnes nostri instituti homimine: summi erit beneficij, Maiestati tuæ in mentem reuoco, vt quemadmodum Lusitaniæ sceptra diuino nutu suscepisti: sic inter curas & cogitationes tuas hanc tibi non in postremis, quasi propriam obueniisse intelligas, vt Societatem nostram, quæ superiorum Regum paterna cura affectúque adoleuit, foueas, conserues, ac promoueas. Si enim te piæ sanctæque memoriæ Ioannes III. Rex optimus, auunculus tuus ac socer carissimus, cuius laudes nulla vnquam obscurabit obliuio, è sublimi illo splendissimóque cælorum loco, quem virtutum factis præclarissimis (vt par est credere) commeritus est, alloqueretur: non dubito, quin interea, de quibus tanti hæredis felicitati gratularetur, id Maiestati tuæ vel maximè commendaret, vt hanc familiam, quam ipse vix natam primus in Hispaniam adduxit, auctámque primum in Lusitania, deinde cum tam multi orbis partibus communicauit, eodem amore ac beneuolentia prosequaris, & (quod est præcipuum) in ea quæ propria eius instituti sunt, ab aduersariorum oppugnatione defendas. Idem se optare significarent Sebastianus & Henricus, qui velut hæreditario iure se eius fautores protectóresque non obscu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

*ris rerum argumentis significarunt. Denique id Societas ipsa nostra, quæ vel in extremis Imperij tui oris, Deo salutique animarum haud ignauiter militat, non exoptat modo, sed etiam sperat. Quod superest, Deus Opt. Max. multos in annos Maiestatem tuam nobis, tuisque omnibus & Ecclesiæ vniuersæ seruet incolumem.*

* *
*

*Petrus Fonseca.*

PHILOSOPHIAE STVDIOSO.

DVO sunt lector optime, de quibus mihi neque iniuria succēsere possis. Vnū, quod vltra decennium distitulerim huius voluminis editionem, cum in primo tibi fidē dedissem, me reliqua quam primum in lucem emissurum. Alterum, quod cū æquè pollicitus essem me Deo propitio, non modo perfecturum totam primæ Philosophiæ explicationem, sed etiam ea ad finem perducta, breuiter & succinctè (vt optabatur) conscripturum totum, vt vocant, Philosophiæ cursum: planè iam profiteri videar, me tamdiu dilata prima parte prioris promissi, mihi ipsi facultatem eripuisse non modo implendi posterius, sed etiā prioris absoluendi. Verum si ea, quibus ex eo tēpore distractus sum, quorū alia ex aliis sunt consequuta, æquo iudicio æstimes, non dubito, quin me culpa omni non præstitæ fidei sis liberaturus. At ego cum non tam optem crimine omni in te carere, quàm rationem aliquam inire, qua tibi hac in re, meus adhuc, qualiscumque labor, desudet: illud in votis retinendum existimaui, vt edita nunc secunda hac parte mearum lucubrationum in libros primæ Philosophiæ, nec minore, quàm primam (vt reor) cura confectam: reliquum huius operis cuius bonam partem aliquot ante annos Romæ scripsi, si non omnino eadem diligentia persequi possum, certè quantum tempus otiúmque permittet, ad exitum perducam. Illud verò alterū de cursu Philosophico conscribendo, quod iamdudum video per me perfici non posse:

Universidad de Deusto
Biblioteca

se: aliorum opera compensatum iri speramus. Porro vt facilior esset vsus nostræ huius commentationis in toto progressu cursus Philosophici, attexendum curauimus, indici alphabetico huius voluminis proprio, alterum indicem vtrique volumini communem: in quo, seruato ordine eorum quæ Philosophiæ auditoribus explicari solent, indicantur ea, quæ nos de eisdem rebus in hoc opere disputamus. Fecimus item adiungi tertium ad vsum Theologorum, sequuti eximium ordinem partium summæ Theologicæ D. Thomæ Theologorum principis, vt Theologiæ studiosi expeditius ea inueniant, quæ nos sæpè in his libris de Theologicis rebus necessariò commentamur: quos indices in gratiam vtriusque scholæ in reliqua parte operis, Deo fautore, adiungi curabimus.

*Vale.*

SVMMA

## *SVMMA CAPITA EORVM QVAE in hoc volumine tractantur.*


CAP. PRIMO.

PRincipium septem modis dici, ex quibus generalis principij ratio colligitur.
Quæst. 1. Quænam sit ratio omnium principiorum communis.
Sect. 1. Tres principiorum definitiones non omnino generales.
2 Generalis principiorum definitio.
3 Obiecta contra definitionem traditam.
4 Solutio obiectorum
Quæst. 2. Quo pacto definitio principiorum in Physicis tradita, intelligenda sit.
Sect. 1. Explicatio definitionis.
2 Dilutio eorum, quæ contra propositam definitionem obiici possunt.
3 Quarumdam dubitationum solutio.
Quæst. 3. Num principium sit prius eo, cuius est principium.
Sect. 1. Argumenta pro vtraque parte.
2 Quid de principio in diuinis in hac quæstione sentiendum.
3 Omne principium esse prius eo, cuius est principium.
4 Solutio eorum, quæ pro negatiua parte proposita sunt.
Quæst. 4. Num rectè Aristoteles principiorum genera tradiderit.
Sect. 1. Argumenta pro vtraque parte.
2 Rectè ab Aristotele tradita esse principiorum genera
3 Dilutio eorum quæ pro vtraque parte obiecta sunt.
Quæst. 5. Nũ principiũ sit analogũ, & qua ratiõe.
Sect. 1. Principium analogum esse, vtcumque sumatur.
2 Quo pacto sit analogum.
Quæst. 6. Vtrum principiũ prius dicatur de Deo respectu diuinarum personarũ, quàm creaturarum.
Sect. 1. Quo pacto prius dicatur respectu diuinarum personarum.
2 Dilutio quorumdam obiectorum.
Quæst. 7. Num principium latius pateat, quàm causa.
Sect. 1. Quod latius pateat.
2 Dilutio quorumdam obiectorum.

CAP. II.

DE variis caussarum generibus, quæ ad quatuor vulgata reuocantur.
Quæst. 1. Quænam sit ratio caussandi materiæ.
Sect. 1. Quotuplex sit materia, & quo pacto ad materiam primam cætera materiæ significata reuocentur.
2 Refutatio quarumdam opinionum de ratione caussandi materiæ primæ.
Vera quæstionis explicatio. 3
Diluuntur argum. aliarum opinionum. 4
Quæ sit ratio caussandi formæ. Quæst 2.
Quot modis dicatur forma. Sect. 1.
Responsio ad quæstiones. 2
Num materia in suo esse pendeat à forma, & vicissim forma à materia. Quæst. 3.
De triplici sensu quęstionis, & quadruplici formarum. Sect. 1.
De dependentia materiæ à formis substantialibus, & vicissim formarũ substantialium à materia. 2
De depẽdẽtia materiæ, & cuiusuis subiecti à formis accidẽtalibus, & vicissim formarũ accidentaliũ à subiectis. 3
Quid sit formam educi de potentia materiæ. Quæst. 4.
Quid alij sentiant. Sect. 1.
Vera sententia. 2
Num formæ accidentales, motus violenti, & relationes de potentia materiæ educantur. 3
Quænam sit ratio caussandi efficientis caussæ. Quæst. 5.
Quot modis dicatur caussa efficiens. Sect. 1.
Quàm multæ videantur rationes caussandi efficientis caussæ. 2
Actionem esse generalem rationẽ caussandi caussæ efficientis, & quo pacto id intelligendum. 3
Num accidentalis forma attingat productionem substantiæ. Quæst. 6.
Quidnam sit in vno quoque agente principium agendi. Sect. 1.
Primæ opinionis refutatio. 2
Secundæ sententiæ refutatio, & tertiæ confirmatio. 3
Solutio argumentorum. 1. opinionis. 4
Solutio argumentorum. 2. opinionis. 5
Num accidẽs sit principale principium productiuum accidentis, an instrumentale tantum. 6
Solutio cuiusdam ambiguitatis. 7
Num res aliæ infra Deum aliquid agãt. Quæst. 7.
Opinio eorum, qui omnem efficiẽtiam adimunt caussis particularibus. Sect. 1.
Res alias præter Deum verè agere. 2
Solutio argumentorum aduersæ partis. 3
Res omnes creatas agendi vim habere. 4
Num res creatæ tantam agendi vim habeant, vt etiam creare possint. Quæst. 8.
Opinio Auicennæ, rationésque pro affirmatiua quæstionis parte. Sect. 1.
Creaturã nõ posse creare principaliter. 2
Neque vt instrumentum quoque creaturam creare posse. 3

Universidad de Deusto
Biblioteca

# SVM. CAP. HVIVS VOLVM.


4 Solutio argumẽtorũ affirmatiuæ partis.
Quæst.9. Num res creatę agant, aut agere possint, non concurrente immediatè ad actionem primo agente.
Sect.1. Opinio durandi, & argumenta pro negatiua quæstionis parte.
2 Deum immediatè agere cum omni agente creato.
3 Deum agere cum creatura eadem numero actione, & solutio argumentorum Durandi.
4 Quot modis agentia dicãtur immediatè agere, & solutio tertij argumenti.
5 Solutio quarti argumenti sequentiúmque auctoritatum.
Quæst.10. Quænã sit ratio causſandi finalis causſę.
Sect.1. Quot modis dicatur finis.
2 De effectu finalis causſæ.
3 Impugnantur quorumdam sententiæ de ratione causſandi finalis causſæ.
4 Vera ratio causſandi causſæ finalis.
5 Dilutio quorumdam contra approbatam sententiam.
Quæst.11. Num finis sit causſa secundum esse intentionale, quod vocant, an verò secundum esse reale.
Sect.1. Argumẽta pro priori parte quæstionis.
2 Argumenta pro parte posteriori.
3 Approbatio vtriusque partis, magis tamen posterioris.
4 Solutio argumentorum, quæ pro priori parte quæstionis proposita sunt.
Quæst.12. Num omnes causſæ secundæ, cuiuscumque sint generis, Deo essentialiter subordinatæ sint.
Sect.1. Negatiuæ partis confirmatio.
2 Conclusio partis affirmatiuæ.
3 Alia pro eadem conclusione.
4 Sit ne Deus prima causſa in omnibus causſarum generibus.
5 Omnes causſas essentialiter subordinatas, immediatè concurrere ad eumdem effectum & quo pacto.
6 Solutio argumentorũ partis negatiuæ.
Quæst.13. Num rationes causſandi, quas vocant causſalitates, sint entia absoluta, distincta à causſis & effectis.
Sect.1. Argumenta pro parte affirmatiua.
2 Approbatio negatiuæ partis.
3 Quæ sit natura rationum causſandi.
4 Dilutio eorum, quæ contra occurrunt, & quæ initio proposita sunt.
Quæst.14. Num eiusdẽ effectus plures causſæ dari possint, non coniunctim, sed diuisim.
Sect.1. Quo pacto hæc quæstio ab Aristotele explicetur, & in præsentia tractãda sit.
2 Argumenta pro parte affirmatiua quæstionis.
3 Conclusio partis negatiuę & impugnatio cuiusdam probationis.
Vera conclusionis probatio. 4
Solutio argumentorũ affirmatiuæ partis. 5
Num eiusdem effectus plures causſæ coniunctim esse possint. Quæst.15.
Argumenta partis affirmatiuæ. Sect.1.
Approbatio negatiuæ partis. 2
Solutio argumentorum oppositæ sententiæ. 3
Quid de cæteris causſarum generibus dicendum sit. 4
Num causſæ sibi mutuo sint causſæ. Quæst.16.
Argumenta negatiuæ partis. Sect.1.
Quid respõderi ad quæstionem soleat. 2
Vera quæstionis explicatio 3
Dilutio argumentorũ partis negatiuæ. 4
Num idem cõtrariorũ causſa esse possit. Quæst.17.
Quæ in hac re difficultatem faciant. Sect.1.
Explicatio quæstionis. 2
Solutio argumentorũ pro vtraque parte propositorum. 3
Num causſa & effectus simul sint. Quæst.18.
Argumenta contra Aristotelem. Sect.1.
De comparatione causſarum & effectorum inter se secundum naturam. 2
De comparatione eorumdem secũdum tempus. 3
Solutio argumentorum. 4


## CAP. III.


Definitiones elementi, & huius nominis significata ad communium rationem reuocatur.
Num vulgata elementa in tradita elementi definitione comprehẽdantur. Quæst.1.
Non videri comprehendi. Sect.1.
Quo pacto comprehendantur. 2
Obiectorum solutio. 3
Comprehendantur ne materia & forma in tradita elementi definitione. Quæst.2.
De materia quid sentiendum. Sect.1.
De forma Physica quid sentiendum. 2
Quid de forma Metaphysica. 3
De quo elementorum genere primo dicatur elementum. 4


## CAP. IIII.


Natura nomen quinque modis proprie vsurpari: vno translatitie, & omnes ad vnum primum reuocari.
Quodnam sit primum ac præcipuum naturæ significatum. Quæst.1.
Argumenta pro vtraque parte. Sect.1.
Quàm variè naturæ nomen vsurpetur, & quo pacto in hac quæstione sumẽdum. 2
Naturam apud Physicum primo dici de forma, apud Metaphysicũ de essentia. 3
Solutio argumentorum. 4
Vtrũ natura rectè ab Aristotele in Physicis definita sit. Quæst.2.
Non videri rectè definitam. Sect.1.
Quid re vera definiatur in tradita definitione, & qua ratione sumatur. 2
Explicatio verborum, quę loco generis ponuntur. 3
Explicatio sequentium particularium. 4
Solutio primi argumenti. 5
Vera & germana solutio. 6
Solutio argumentorũ aduersæ partis. 7
Solutio sequentiũ argumentorum principalium. 8
Queſt.3. Num ea quæ differunt, continuata esse possint.
Sect.1. Quæ occurrant pro affirmatiua parte.
Vera quæstionis explicatio. 2
Solutio eorũ, quę initio proposita sunt. 3
Quæst. 4 Num ea quę continuata non sunt, eamdem formam habere possint.
Sect.1. Argumenta pro vtraque parte.
Approbatio negatiuæ partis. 2
Supernaturali potentia formam eandem numero diuersas numero materias informare posse. 3
Quædam obiectiones contra propositam sententiam. 4
Dilutio propositarum obiectionum. 5
Respõsio ad argumẽta initio proposita. 6


## CAP. V.


Necessarium quatuor modis dici, & ad quartũ tres priores reuocari.
Queſ.1. Vtrum præter Deum aliquid sit necessarium simpliciter.
Sect.1 Nullam rem præter Deum esse necessariam simpliciter.
2 Opinio quorumdam de rerum connexionibns.
3 Plurimas rerum connexiones esse simpliciter necessarias.
4 Solutio primi argumenti oppositæ sententiæ, & explicatio sempiternitatis connexionum per se.
5 Solutio reliquorum argumentorum.
Queſt. 2. Vtrum ea, quæ sunt simpliciter necessaria, causſam habeant.
Sect.1. Determinatio quæstionis.
2 Obiecta contra ea, quæ dicta sunt, eorúmque solutio.


## CAP. VI.


Distinctio vnius & multorum, quæ illi opponuntur.
Quæst.1 Num accidentia sint principium indiuiduationis.
Sect.1. Reiectio opinionis Nominalium, & explicatio quæstionis.
2 Refutatur proposita opinio, & concluditur negatiua pars quæstionis
3 Solutio argumentorum partis oppositę.
Quæst. 2. Nũ existentia, aut id, quod rem efficit, sit principium indiuiduationis.
Existentiam non esse indiuiduationis principium. Sect. 1.
Neque id, quod rem efficit, esse principiũ ĩdiuiduatiois, vt de eo hic agitur. 2
Num res omnes sint ex se indiuiduæ. Quæst. 3.
Opinio eorum, qui dicunt, res omnes esse ex se indiuiduas Sect.1.
Impugnatio propositæ sententiæ. 2
Solutio argumentorum. 3
Num materia signata sit principium indiuiduationis. Quæst.4.
Opinio D. Thomæ & Aristotelis. Sect.1.
Materiam, vt est quantitate affecta, non esse principium indiuiduationis. 2
Nec materiũ cũ potentia ad certã quantitatẽ, esse indiuiduationis principiũ. 3
Qua ratione materia signata dici possit principium indiuiduationis. 4
Quodnam sit verum & commune indiuiduationis principium. Quæst.5.
Vera sententia de principio indiuiduationis. Sect.1.
Obiecta contra confirmatã sententiam. 2
Solutio eorum quæ contra assertã conclusionem proposita sunt. 3
Solutio argumentorum, quæ superiori quæstione pro materia signata proposita sunt, qua ex parte nõ rectè concludunt. 4
Quot & quæ sint distinctionum genera apud Philosophos. Quæst. 6.
De distinctione reali. Sect.1
De distinctione ex natura rei. 2
De distinctione rationis. 3
Quo sensu vetus diuisio distinctionis in realem & rationis vsurpari possit. Quæst.7.
Refutatur quidam vsus propositæ diuisionis. Sect.1.
Reiicitur oppositus quidã aliorũ vsus. 2
Exponitur & approbatur verus antiquorum vsus. 3
An ex qualibet distinctione nascatur multitudo. 4


## CAP. VII.


Diuisio entis in per accidens, & per se, & vtriusque in quædam quasi membra.
Num ad primum Philosophum pertineat agere de prædicamentis. Queſt. 1.
Quod ad solum Dialecticum id videatur spectare. Sect.1.
Quid sit prædicamentum. 2
Prædicamẽtorum tractationem nec ad nullam scientiam spectare, nec ad solum Metaphysicum, aut ad omnes simul scientias. 3
Prædicamentorum tractationem, & ad primum Philosophum, & ad Dialecti cum 4

cum præcipuè tamen ad primum Philosophum spectare.
5 Obiecta quædam.
6 Obiectorum solutio.
Quæst. 2. Sintne prædicamenta decem, non plura, nec pauciora.
Sect. 1. Plura videri, quàm decem.
2 Videri pauciora.
3 Non plura esse nec pauciora quã decẽ.
4 Solutio argumentorum, quibus suadebatur plura esse prædicamenta.
5 Solutio eorum, quibus contendebatur, pauciora esse quàm decem.
Quæst. 3. Qua ratione prædicamenta inter se distinguantur.
Sect. 1. Tres quædam sententiæ de Prædicamentorum distinctione.
2 Vera explicatio quæstionis.
3 Solutio argumentorum, quibus tres oppositæ sententiæ innitunur.
Quæst. 4 Num sola entia habent per se locum in Prædicamentis.
Sect. 1 Explicatio quæstionis.
2 Quæ reiiciantur à Prædicamentis per hanc primam conditionem.
Quæ. 5. Num sola entia per se ponantur per se in Prædicamentis.
Sect. 1 Quod non sola videantur poni.
2 Vera explicatio quæstionis, & solutio argumentorum.
3 De significatione nominis concreti.
4 De nominibus artefactorum.
5 Quo pacto accidentium concreta ponantur in prædicamentis, quo item arte facta.
Quæst. 6. An sola entia realia habeant per se locum in prædicamentis.
Sect. 1. Vera sententia in hac quæstione, opposita impugnata.
2 Refutatio primæ opinionis de distinctione entis realis & rationis.
3 Secundæ opinionis impugnatio.
4 Tertiæ opinionis refutatio.
5 Quid re vera sit ens reale & rationis, prima item & secunda intentio.
Quæst. 7. Num sola entia finita & completa admittantur per se in prædicamenta.
Sect. 1. Quod sola finita.
2 Quod sola completa.
Quæst. 8 Num sola vniuoca & incomplexa per se ponantur in prædicamentis.
Sect. 1. Quod non sola videantur poni.
2 Vera explicatio quæstionis.
3 Solutio argumentorum.
Quæst. 9. Num cætera omnia reducantur ad ea, quæ per se ponuntur in prædicamentis, & quo pacto id fiat.
Sect. 1. Deo excepto, cætera omnia reuocari.
2 Quo pacto cætera omnia ad prædicamenta reuocentur.

CAP. VIII.

SVbstantiam quatuor modis dici, & omnes ad duos præcipuos reuocari. 1
Num Deus Opt. Max. ponatur in prædicamentis. Quæst. 1.
Quorumdam haud vera sententia. Sect. 1.
Vera aliorum sententia. 2
Diluuntur argumenta prioris sententiæ. 3
Num differẽtiæ substantiarũ pertineãt per se ad aliquod prædicamentum. Quæst. 2.
Differentias substantiarum non pertinere ad prædicamentum qualitatis. Sect. 1.
Differentias substantiarum nec directo poni in prædicamento substãtię, neque esse verè medias inter substantias & qualitates. 2
Vera explicatio quæstionis, & solutio argumentorũ pro partibus oppositis. 3
Num materia, forma, & partes integrãtes, præsertim dissimilares ponantur per se in prædicamento substantiæ. Quæst. 3.
Opinio eorum, qui affirmatiuam partem quęstionis approbant. Sect. 1.
Vera quęstionis explicatio. 2
Diluuntur argumenta prioris sententię 3
Num eæ substantiæ separatę, quas Angelos dicimus, & corpora itẽ cęlestia ponãtur per se in hoc prędicamento. Quæst. 4.
Quot sint in hac quęstione sentẽtiæ, & quęnam earum sit approbanda. Sect. 1.
Num corruptibile & incorruptibile necessario sint diuersa genera. 2
An substantiæ corporeę & incorporeæ detur aliqua natura communis. 3
Fieri ne possit vt aliquid sit genus logicè, quod non sit etiam physicè. 4
Num suppositum idem sit quod prima substantia. Sect. 1
Quid sit substantia prima ac secunda. Quæst. 5.
Num idem sit suppositum, quod natura. 2
Quid sit natura & quid suppositum. 3
Quid sit hypostasis & subsistentia. 4
De numero subsistentiarum in diuinis. 5
Primæ ac secundę opinionis argumẽta. 6
Tertiæ sententię confirmatio. 7
Solutio argumentorum primę & secundę opinionis, luculentiórque veræ sententiæ explicatio. 8
Quid inter sit inter existẽtiã & subsistẽtiam, & quorum illę sint actus, solutióque cęterorum argumentorum. 9
Non idem esse suppositum & primam substantiam nisi in creaturis. 10
Quidnam sit illud, quod suppositum addit naturæ. Quæst. 6.
Refutatio primæ opinionis de distinctione suppositi à natura. Sect. 1.
Refutatio secundę. 2
Refu-



3 Refutatio tertiæ sententiæ.
4 Quarta sententia & quatenus ea probandã sit.
5 Solutio eorum, quæ contra approbatam sententiam obiiciuntur.
Quæst. 7. Sitne Christus dominus prima substantia prædicamentalis.
Sect. 1. Argumenta pro parte negatiua.
2 Reiicitur quorumdam opinio.
3 Impugnatio opinionis quorumdam Nominalium.
4 Solutio argumentorum impugnatę opinionis.
5 Explicatio quæstionis & solutio argumentorum negatiuæ partis.
6 Quid dicendum de propositionibus, in quibus homo prædicatur de Deo purè accepto.

CAP. NONO.

DE variis generibus eiusdem, & diuersis

CAP. DECIMO.

DIstinctio oppositorum, & expositio eorum, quæ dicuntur diuersa specie.
Quæst. 1. Num plura accidentia eiusdem speciei in eodem subiecto esse possint.
Sect. 1. Quæstionis ambiguitas.
2 Variæ sententiæ in hac quæstione.
3 Vera quæstionis explicatio.
4 Respõsio ad argumẽta initio proposita.

CAP. VNDECIMO.

De modis priorum & posteriorum.

CAP. DVODECIMO.

EXplicatio potentiarum & impotentiarum, potentium & impotentium, possibilium & impossibilium.

CAP. DECIMOTERTIO.

DEfinitio quantitatis, & illius in species diuisio.
Quæst. 1. Quænam sit prima ac formalis ratio quantitatis.
Sect. 1 Refutatio sententiæ eorum, qui formalem rationẽ quantitatis in eo ponũt, quod sit mensura substantiæ.
2 Refutatio sentẽtiæ dicentiũ rationem formalem quantitatis in diuisibilitate consistere.
3 Vera explicatio quæstionis.
4 Obiecta quædam contra approbatam sententiam.
Quæst. 2. Quonam pacto quantitas distinguatur à rebus quantis.
Sect. 1. Opinio Nominaliũ de identitate quantitatis cum rebus quantis.
2 Vera sententia de distinctione quãtitatis à rebus quantis.
3 Solutio argumentorum, quibus vtuntur Nominales.
Quæst. 3. Quidnam sit vnitas numeralis. De quo genere vnitatis numeralis, & de quo numero hic differatur. Sect. 1.
Sententia quorumdam de vnitate numerali. 2
Quid senserit D. Thomas in hac quæstione, quidque re vera sentiendũ sit. 3
Vtrum numerus sit vera quantitatis species. Quæst. 4.
De quo numero differendum hoc loco. Sect. 1.
Non videri numerum esse verã quantitatis speciem. 2
Quibus rationibus probetur, numerum esse veram quantitatis speciem. 3
Vera propositæ quæstionis explicatio. 4
Quo pacto argumenta pro affirmatiuã parte quæstionis vim non habeant. 5
Num oratio sit vera species quatitatis. Quæst. 5.
Videri speciem quantitatis veram. Sect. 1.
Non esse veram speciem. 2
Solutio argumẽtorũ affirmatiuæ partis. 3
An lineæ & superficies sint veræ species quantitatis. Quæst. 6.
Nõvideri species verè ac propriè dictas. Sect 1.
Duæ opiniones de linea & superficie. 2
Aliæ duæ opiniones. 3
Explicatio quæstionis. 4
Primæ difficultatis explicatio. 5
Enodatio secundæ difficultatis. 6
Tertiæ difficultatis explicatio 7
Dilutio eorum, quæ initio quæstionis proposita sunt. 8
Sit ne locus vera species quantitatis. Quæst. 7.
Locum pro spatio nõ esse veram quantitatis speciem. Sect. 1.
Nec locum Aristotelicum esse speciem quantitatis 2
Sit ne motus vera quantitatis species. Quæst. 8.
Argumenta pro parte negatiua. Sect. 1.
Quattuor modis posse modum spectari. 2
Quo pacto motus pertineat ad prædicamentum quantitatis, & qua ratione continuitas motus se habeat ad motum. 3
Solutio argumentorum. 4
Quo pacto motus vt motus est, definiatur apud Aristotelem. Quæst. 9.
Quid nomine motus intelligendum sit apud Aristotelem, cum ait, motum esse actum imperfectia, vt in potẽtia est. Sect. 1.
Explicatur definitio motus. 2
Obiecta contra definitionem. 3
Dilutio obiectorum. 4
Examinantur obiter duæ rationes Aristotelis, & soluitur quintum argumentum. 5
Num tẽpus sit vera species quantitatis. Quæst 10.
Quod tempus non videatur vera species quantitatis. Sect. 1.
Quatenus tempus sit vera species quantitatis. 2

Universidad de Deusto
Biblioteca




3 Solutio eorum, quæ pro parte negatiua propoſita ſunt.
Quæſt. 11. Sit ne idem numero tempus in rebus, quæ menſurantur tempore, aut diuerſum.
1 Quid hac in re ſatis ſit dicere.
2 Quid in hac re ſimpliciter dicendũ eſſet.
Quæſt. 12. Qua ratione tempus differat ab æuo & æternitate.
Sect. 1. Sententiæ quorumdam refutatio.
2 Vera explicatio quæſtionis.
3 Num eſſe ſubſtantiarũ corruptibilium menſuretur tempore.
4 Refutatio contrariæ ſententiæ.
5 Num omnes durationes rerũ ad Prædicamentum quantitatis pertineant.
Quæſt. 13. Sit ne quantitatis maximè proprium, æquale & inæquale dici.
Sect. 1. Argumenta pro parte negatiua.
2 Explicatio quæſtionis.
3 Diluuntur argumenta initio propoſita.
4 De pondere.

CAP. XIIII.

Tradit quatuor qualitatum genera, & omnia ad duo quaſi capita reuocat.

Quæſt. 1. Recte ne, an ſecus diſtributa ſit qualitas ab Ariſtotele in prædicamentis.
Sect. 1. Argumenta pro vtraque parte.
2 Reiicitur quorumdam ſententia.
3 Approbatio diuiſionis Ariſtotelicæ, priorque eius explicatio.
4 Alia ratio diuiſionis Ariſtotelicæ.
5 Conferuntur inter ſe duæ propoſitæ diuidendi rationes.
Quæſt. 2. Vtrum habitus, & diſpoſitio, & cæteræ trium membrorum complicationes differant ſpecie, nec ne.
Sect. 1. De habitu & diſpoſitione.
2 Impugnatio, & defenſio ſententiæ D. Thomæ.
3 De cæteris tribus complicationibus.

CAP. XV.

Diſtinctio relatorum, quæ per ſe, & quæ per accidens referuntur.

Quæſt. 1. Num dentur relationes reales.
Sect. 1. Argumenta partis negatiuæ.
2 Approbatio affirmatiuæ partis.
3 De Relatione, Relatiuo, Correlatiuo, Extremo, Fundamento, Ratione fundandi, ac Termino.
4 De relatiuis ſecundum dici & ſecundum eſſe, deque tranſcendentibus & non tranſcendentibus.
5 De relatiuis realibus, & rationis, itemq; de mutuis & non mutuis.
6 Quænam relata ex his ad prædicamentum Ad aliquid per ſe ſpectent.
7 Documenta ad internoſcendas relationes reales, à relationibus rationis.

Solutio argumẽtorum partis negatiuæ. 8
Quo pacto relatio realis diſtinguatur à fundamento. Quæſt. 1
Variæ opiniones. Sect. 1.
Impugnatio primæ ſententiæ. 2
Impugnatio ſecundæ. 3
Impugnatio tertiæ & quartæ. 4
Refutatio quintæ, & approbatio ſextæ. 5
De generatione relationum. 6
De ipſo eſſe relatiuorum. 7
Sint ne relationes perfectiones aliquæ rerum. Quæſt. 2
Sententiæ ac rationes pro vtraque parte. Sect. 1.
Vera explicatio quæſtionis. 2
Solutio tertiæ rationis pro quinta opinione de diſtinctione relationis à fundamento, ſuperiori quæſtione propoſitæ. 3
Terminẽtur ne relationes terminis abſolutis, an relatiuis. Quæſt. 3
Opinio Scoti. Sect. 1.
Opinio quorumdam Thomiſtarum. 2
Sententia Caietani. 3
Vera quæſtionis explicatio. 4
Solutio primi argumenti pro opinione Scoti. 5
Dilutio quarumdam obiectionum contra datam ſolutionem. 6
Solutio reliquorum trium argumentorum Scoti. 7
Num idem relatiuum vna numero relatione, an plurib. ad plura referatur. Quæſt. 4
Variæ ſententiæ in hac quæſtione, & impugnatio duarum priorum. Sect. 1.
Examen tertiæ opinionis & approbatio poſterioris membri. 2
Solutio eorum quæ pro iis qui priorem partem huius ſententiæ amplectuntur, propoſita ſunt. 3
Detur ne in hoc prædicamento genus ſummum. Quæſt. 5
Rationes pro vtraque parte. Sect. 1.
De genere abſtracto huius prædicamenti déque eius diuiſione. 2
Refutantur quattuor ſententiæ de genere concreto. 3
Approbatur & declaratur quinta ſententia. 4
Obiiciuntur & diluuntur nonnulla contra hanc ſententiam. 5
Diluuntur argumenta initio propoſita. 6
Quo pacto ſex vltima Prædicamenta à ſuperioribus diſtinguantur. Quæſt. 6
Non eſſe abſoluta ſimul cũ reſpectibus. Sect. 1.
Non eſſe relationes extrinſecus aduenientes, neque aliud relationũ genus. 2
Eſſe formas extrinſecus denominãtes. 3
Obiecta contra approbatam ſentẽtiam. 4
Obiectorum ſolutio. 5
Num actio tranſiens ſit in agente. Quæſt. 7


Senten




Sect. 1. Sententia quorundam.
2 Vera ſententia.
3 Solutio argumentorum.
4 Detur ne in Deo potentia executiua, quæ ratione à diuina voluntate diſtinguatur.
Quæſt. 9. Vtrum prædicamentum Vbi, omnibus rebus attribuatur.
Sect. 1. Argumenta pro vtraque parte.
2 Quædam de ratione exiſtendi in loco.
3 Concluſio partis affirmatiuæ, & variæ circa eam ſententiæ.
4 Prima aſſertio.
5 Quattuor aliæ aſſertiones.
6 Occurritur quibuſdam obiectionibus.
7 Reſpõſio ad argumẽta initio propoſita.
Quæſt. 10. Num prædicamentum Quando rebus omnibus conueniat, quemadmodum & prædicamentum Vbi.
Sect. 1. Argumenta pro vtraque parte.
2 Reſponſio ad quæſtionem.
3 Solutio eorum, quæ initio quæſtionis propoſita ſunt.

CAP. DECIMOSEXTO.

Tribus modis aliquid dici poſſe per fectum.

CAP. XVII.

Ex termini ſignificata, vnum generale, quinque ſpecialia.

CAP. XVIII.

Verborum [ſecundum quod] quattuor ſignificationes.

CAP. XIX.

Quid, & quotuplex ſit diſpoſitio.

CAP. XX.

Tribus modis habitum vſurpari.

CAP. XXI.

Paſſionis quattuor eſſe ſignificata.

CAP. XXII.

Quot modis dicatur priuatio.

CAP. XXIII.

De quattuor habendi modis.

CAP. XXIIII.

Quot modis aliqd ſit, vel fiat ex aliquo.

CAP. XXV.

De quattuor partium generibus.

CAP. XXVI.

De ſignificationibus totius.

CAP. XXVII.

Quæ cõditiones requirãtur vt aliqd dicatur mutilũ ſiue diminutum.

CAP. XXVIII.

De quattuor generis ſignificationibus.

Quæſt. 1. Quo pacto vniuerſalia tractãda ſint hoc loco.
Sect. 1. Quot modis apud Philoſophos vniuerſale dicatur.
2 Triplex conſideratio, & acceptio verorũ vniuerſalium: & quænam earum hoc loco præcipuè ſpectetur.
Res an ſola nomina ſint vniuerſalia. Quæſt 2.
Nominalium opinio. Sect. 1.
Refutatio propoſitæ opinionis & oppoſitæ confirmatio. 2
Solutio argumentorum partis oppoſitę. Quæſt. 3.
Quę vnitas ſit rerũ vniuerſaliũ propria. 3
Quæ in hac re difficultatem ingerant. Sect. 1.
Quid in hac re dicendum. 2
Obiecta quædam. 3
Solutio eorum, quæ obiecta ſunt. 4
Quænam aptitudo eſſendi in pluribus faciat rem vniuerſalem. Quæſt. 4.
Cuiuſmodi ſit actus eſſendi in pluribus rerum vniuerſalium proprius. Sect. 1.
Quidnam ſit aptitudo eſſendi in pluribus per modum identitatis. 2
Opinio de duplici aptitudine eſſendi in pluribus. 3
Nullam naturam communem habere in ſuis particularibus aptitudinem ſiue proximam, ſiue remotam, vt ſit in pluribus. 4
Euertuntur fundamenta, & diluuntur argumenta partis aduerſæ. 5
Num res fiant vniuerſales operatione aliqua intellectus. Quæſt. 5.
Argumenta pro vtraque parte. Sect. 1.
Primæ opinionis refutatio. 2
Refutatio ſecundæ opinionis & approbatio tertiæ. 3
Solutio eorum, quæ initio pro vtraque parte propoſita ſunt, quatenus veræ ſententiæ aduerſantur. 4
An res ſola intellectus operatione fiant vniuerſales. Quæſt. 6.
Quid & quotuplex ſit abſtractio, & quo abſtractionis genere vniuerſalia à ſuis particularibus abſtrahantur. Sect. 1.
Num viribus ſenſitiuis vniuerſalia abſtrahi poſſint. 2
Omnes ne interiores ſenſus, an vnus tantũ intellectui proximè miniſtret. Quæſt 7.
Argumenta pro vtraque parte.
Expenduntur opiniones Auicennæ & Auenrois. Sect. 1.
Examinatur Galeni ſententia.
Vera ſenſuum internorum diſtinctio. 2
Diluuntur argumenta initio propoſita, magiſque explicatur res, de qua erat quæſtio.
Quonã pacto intellectus vtatur phãtaſia ad vniuerſales naturas abſtrahẽdas. Quæſt. 8.
Refutatio quorumdam opinionis. Sect. 1.
Aliorum opinionis impugnatio. 2
Veræ ſententiæ explicatio. 3
Quorum obiectorum ſpecies ab intellectu agente abſtrahantur. 4


De

Universidad de Deusto
Biblioteca

SVM. CAP. HVIVS VOLVM.

5 De concursu phantasmatum nonnulla.
Quæst.9. Quo pacto respondendum ad eas quæstiones, quæ à Porphyrio in Isagoge prætermissæ sunt.
Sect.1. Solutio primæ.
2 Secundæ ac tertiæ solutio.
3 Cuiusdam argumenti ac dubitationis solutio.
Quæst.10. Qua ratione vniuersalia dicantur relatiua, comparatione suorum particularium.
Sect.1. Scholasticorum variæ opiniones.
2 Quid hac in re sentiant veteres Aristotelis interpretes.
3 Quid re vera sentiendum.
4 Diluuntur quædam obiecta.
Quæst.11. An diuisio vniuersalis in quinque eius vulgatas species adæquata sit.
Sect.1. Diuisionem videri inadæquatam.
2 Esse tamen re vera adæquatam.
3 Solutio argumentorum, quæ contra proposita sunt.
Quæst.12. Sit ne vniuersale verum genus comparatione quinque vulgatarum eius specierum.
Sect.1. Oppositæ vt videntur sententiæ.
2 Quid sentiendum in hac quæstione.
3 Diuisio quarumdam obiectionum.
Quæst.13. Num abstracta substantiarũ sit genera.
Sect.1. Explanatio quæstionis.
2 Negatiuæ partis defensores.
3 Affirmatiuæ partis assertores.
4 Vera quæstionis explicatio.
5 Respõsio ad argumẽta negatiuæ partis.
Quæst.14. An genus & species primo ad seinuicem referantur.
Sect.1: Argumenta pro negatiua parte.
2 Refutatio duarũ quarũdam opinionũ.
3 Approbatio tertiæ opinionis.
4 Solutio eorũ, quę initio proposita sunt.
Quæst.15. Num genus perinde in vna specie, atq; species in vno indiuiduo conseruari possit.
Sect.1. Multorum opinio.
2 Quid grauiores Auctores sentiant.
3 Quid in hac re sentiendum.
Quæst. 16. Num indiuidua eiusdem speciei infimę natura sua sint æquè perfecta.
Sect.1. Opinio Caietani & aliorum.
2 Vera sententia.
3 Solutio argumentorum aduersæ partis.
4 Quo pacto respondendum sit ad argumenta D. Thomæ & aliorum, quæ in superiori quæstione adducta sunt.
Dentur ne differentiæ simplices, quæ cum infimis speciebus recurrant. Quæst.
Partis negatiuę Auctores & fundamẽta. Sect.1.
Approbatio affirmatiuæ partis. 2
Dilutio argumentorũ partis oppositæ. 3
Sint ne differentiæ ratione aliquæ genera aut species. Quæst.
Argumenta, quibus videantur genera aut species. Sect.1.
Non esse re vera genera aut species. 2
Solutio argumentorum partis aduersæ. 3
Qua maximè in re Propria & Accidentia inter se distinguantur. Quæst.
Dubitandi rationes. Sect.1.
Varia vsurpatio nominum proprij, & accidentis. 2
Quo pacto proprium & accidens, vt quædã vniuersalia sunt, definiantur. 3
Verum discrimen inter proprium & accidens, & solutio argumentorum. 4 Quæst.
Quænam sint propriorum & accidentium quinti prædicabilis subiecta.
Quædam propriorum & accidentium distinctiones, & in quo sensu quæstio tractanda sit. Sect.1,
Quæstionis explicatio, & solutio argumenti, cuius causa proposita est 2
Sit ne primum subiectũ cuiusque proprij vnicum. 3
Num omnia propria generum sint etiã genera, & propria specierum infimarum species infimæ. 4
Num propria quarti prædicabilis possint sub se continere accidẽtia quinti prædicabilis. 5
Num accidentia quinti prædicabilis, vt conueniant subiectis, indigeant sua & subiectorum existentia. 6

CAP. XXIX.

QVot modis dicatur falsum, in rebus significatis, in oratione, in homine.

CAP. XXX.

EXponit quot modis dicatur accidens, duasque eius significationes tradit.

FINIS.



# COMMENTARII
## PETRI FONSECÆ
SOCIETATIS
IESV.

*In quintum librum Metaphysicorum Aristotelis.*

## Proœmium.

*Cap. 1. 2. & 3.* TRaditis primum in superiori libro iis, quæ ad huius scientiæ constitutionem spectant, eius inquam subiecto, subiecti partibus, affectionibus, & communissimis pronunciatis, deinde impugnatis diligenter, & accuratè iis Philosophis, qui huiusmodi pronunciata negabant, quod eis sublatis non tantum Philosophico more disputare, sed ne communi quidem sermone vti quisquam possit, aggreditur Aristoteles hoc loco ad tractationem reliquorum trium, subiecti scilicet, eiusque partium, & affectionum. Sed quoniam ens, quod subiectum huius scientiæ constitutum est, eiusque principia, communiores partes, & affectiones multiplicia sunt, ac proinde ante omnia distinguenda, minusque præcipua significata (vbi id commodè fieri potest) ad præcipuum in vnoquoque genere reuocanda, totum hunc li-

*De quibus actum sit libro 4.*

*A cap. 4.*

*Quæ sint hoc lib. explicanda.*

A brum

Universidad de Deusto
Biblioteca



brum in ea re ponit Aristoteles, quod ipse cap. secundo eiusdem libri in ente, & vno facere vtcunque cœperat, & in affectionibus entis se facturum pollicitus fuerat. Ita fit, vt liber hic non modo sit velut appendix superioris, sed etiam quasi vestibulum sequentis. Tradendus est enim proximo libro modus, quo propriè in hac scientia de ente, eiusque partibus, & affectionibus disputari debet, ne primus Philosophus, vt qui censetur generalis artifex, omnes omnino communes naturas, & omnem Philosophandi modum ad se pertinere existimet, qui modus tradi non potest, nisi prius communia vsque eò distinguantur, dum constare possit, quæ iam particularium scientiarum propria iudicari debeant, quæ omnium communia, primique Philosophi peculiaria. *Text. 2. & 4*

*Ordo huius libri ad præcedentem, & sequentem.*

*Non Placet Auen-Rois opinio.*

Ex his patet, non esse præcipuum Aristotelis institutum, in hoc libro agere de distinctione analogorum nominum, vt Auen-Roes existimat, cum Aristoteles hoc loco, atque adeo toto opere non ad nomina, sed ad res præcipuè attendat. Patet etiam non admodum rectè dici ab Alexandro, propositum Aristotelis esse agere de iis principiis, quibus doctrinæ omnes, vt communibus vtentes, proposita sua demonstrant. Nam etsi multa communia principia hinc desumi possunt, non est tamen Aristotelis institutum, tradere hoc loco communia principia, sed communium analogorum distinctionem. *Neque Alexandri.*

*Ordo eorum quæ in hoc libro traduntur.*

Quanquam verò Aristoteles non valde curat in hoc libro, quæ quo loco explicentur, eum tamen ordinem videtur vbique obseruare (quod Diuus Thomas



Thomas annotauit) vt primo loco de distinctione principiorum, atque causarum entis differat.[a] Secundo de distinctione entis, eiusque partium. [a] *Capite 6.*

[b] Tertio de distinctione affectionum, siue passionum entis. [b] *Capite 8.*

Qua in re dubium non est, quin naturę ordinem secutus fuerit. Quam autem latè pateat huius libri vtilitas, abundè experietur quicunque illum diligenter, & considerate perlegerit. *Vtilitas libri.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



## CAPITIS PRIMI EXPLANATIO.

*In prima libri parte de quibus agatur.*

PRINCIPIVM a *partim*. In hac prima libri parte, quæ quinque primis capitibus continetur, agit Aristoteles de Principio, Causa, Elemento, Natura, & Necessario: quorū tria prima ita se habent, vt principium latius pateat, quàm causa, & causa, quàm elementum. Ex quare intelligitur, Aristotelem in iis etiam explicandis naturæ simul, & exquisitæ doctrinæ ordinem secutum fuisse. Id autem in his capitibus, & reliquo deinceps libro obseruandum est, vt, cùm aliquid explicatur, eius quoque oppositum, si quod habet, explicatum censeatur. Nam qui tenet quid, & quotuplex sit principium, is nullo negotio intelliget quid, & quot modis dicatur principiatum, siue quod habet principiū: eodémq; modo res habet in cæteris. Docet igitur primum Aristoteles in hoc capite, principium dici septē modis, qui ad quinque reduci possunt, vt patebit inferius: deinde colligit ex omnibus generalem quandam principij rationem. Cur autē nō reuocet minus principales modos ad vnū præcipuum, quod libro superiori docuit faciendum esse in explicatione analogorum, causa est, quia huiusmodi reductio non fit necessario, nisi in analogis secūdum attributionem, principium autem ad ea principiorum genera, quæ hic expressè traduntur, non est analogū secundum attributionem, sed solum secundum proportionem, quemadmodum nec causa, nec alia pleraque in hoc libro explicanda. Quanquam in multis etiam analogis huius generis tradit Aristoteles aliquod principale significatū, vt patebit in progressu.

*Documētum de oppositorū explicatione.*

*Septem modis dicitur. Principium.*

*De reductione analogorum.*

*Principium primo modo sumptum.*

PRINCIPIVM primo modo dicitur id rei, vnde motus incipit, quale est signum illud longitudinis, seu vitæ, ex quo quis moueri incipit. Dixit autem potius (*id rei*) quàm (*ea pars rei*) quia magnitudinis non datur prima pars simpliciter, cum ante quamcunque detur alia prior, vt demonstratum habes 6. Phys. cap. 2. & tamen datur aliquid indiuisibile, quod sit primùm simpliciter, vt primus pūctus, prima linea, quocunque modo ea dentur. *Text. 11.*

*Quæ reuocētur ad principium primo modo sumptū*

AD HANC principij significationem reuocanda sunt principia motus, & temporis, quia ratio principij secum affert ordinem prioris respectu eius, quod principium habet, ordo autem prioris, & posterioris in motu, sequitur ordinem prioris, & posterioris in magnitudine, super quam fit motus: & ordo prioris, & posterioris in tempore, sequitur ordinem prioris, & posterioris in motu, cum tempus sit numerus motus: quæ omnia habes 4. Phys. cap. 11.[a] & hoc ipso lib. 5. cap. 13.[b] Merito autem cœpit Aristoteles ab hac principij significatione, quia sensu est omnium notissima, & vetustissima: quæ enim nobis sunt notiora sensu, ea primum nominata sunt.

[a] *Text. 99.*
[b] *Text. 18.*

*Notandum.*

ADVERTE tamen, principium magnitudinis non simpliciter esse sensu notissimū, sed quatenus ex eo incipit motus. Prius enim, & posterius, & si ex magnitudine, supra quam fit motus, deriuantur ad motum, prius tamen cognita, & nominata sunt in motu, quàm in magnitudine. De qua re inferius. *Quæst. 4. sect. 3. & 4. & 5. sect. 2.*

b *Hinc quidem hoc.* Id est, hinc incipientibus, hoc, vnde motū inchoant, principium est, incipientibus autem illinc, atque huc proficiscentibus, alterum est principium, licet eadem sit via, illud inquam, vnde motum ordiūtur. Itaq; in hoc principij

## ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΤΩΝ μετὰ τὰ φυσικὰ τὸ Α'.

### ΚΕΦ. Α'.

Ἀρχὴ,[a] λέγεται, ἐθεν * ἄνῆις τ πράγματ☉ κινηθείη πρῶτον: οἷον τ μήκους, καὶ ὁδ, ἡ δ μὲν ἀπὸ ἀρχὴ, ὅθ γνωτίας δὲ, ἑτέρα. ἡ c δὲ, ὁθεν ἂν κάλλισ ἕκασ γνοῖ: οἷον καὶ μαθήσεως ὅτι ἀπὸ τ πρώτ, καὶ τ πραγμάτ☉ ἀρχῆς ἐνίοτε ἀρξέον, ἀλλ' ὅθεν ῥᾷς' ἂν μάθοι. καὶ δὲ, ὅθεν πρῶτον

* *Alias.* ἄνῃ.

*Cap. 2. tex. 4*

*Reiicitur quorundam sententia.*

SVNT tamen qui cùm Aristoteles ait (*ex aduerso autem alterum*) existiment illum nomine Alterius non significasse alterum principij exemplum, sed finem, eo quod finis principio opponatur. Verum id dici non potest. Nam verbo *alterum* ϕ Græcè est ἕτερον, planè innuitur principium, ϕ est ἀρχή, nec potest significari finis, qui neutrius generis vocabulo το τέλ☉ dicitur.

*Obiectio.*

*Dilutio.*

*Alex. Alensis. D. Thom. & alij quidā*

ALII referunt eadem illa verba ad secūdam principij significationē, vt si ita legas *Ex aduerso autem alterum est, vnde vnumquodque optimè fiet* sed obstant omnino Græci Codices, qui post verba ἕτερον, ἐναντίωσις nouam periodum inchoant hoc pacto: ἡ δὲ ὅθεν, &c. obstat item secunda principij vsurpatio, quæ non est aduersa, siue contraria primæ. Est enim sæpè commodissimum à principio magnitudinis motum inchoare: id autem, vnde commodissimè motum incipimus, ad secundum principij genus pertinet, vt è vestigio patebit.

*Bessario & Perionius.*

*Primò*

*Principium secundo modo*

c *Partim id, vnum quodque.* Secundo modo principium dicitur id, vnde si quis ordiatur susceptum negotium optimè succedit. Quod non solum in motu, & aliis externis actionibus cernere est (interdum enim commodius conficitur cursus, si motus inchoetur ex hac parte stadij, quàm ex illa, quod idem in bello, in venatione, & cæteris tum artificiosis motibus, tum etiam artis expertibus perspicuum est) sed multo etiam magis in interioribus, quales sunt ij, quibus disciplinæ comparantur. Neque enim in disciplinis tam habetur ratio inchoandi ex iis, quæ suaptè natura sunt principia rerum, de quibus agitur, quàm vnde illæ optimè percipiantur, cuiusmodi ferè sunt ea, quæ & maximè perspicua sunt in vnaquaque arte, & ad cætera capienda quàm maximè cōferunt. Ita fit, vt in Mathematicis scientiis eadem sint principia rerū, & disciplinæ, quòd sint non modo prima suapte natura, sed nobis etiam omnium notissima. In Philosophia vero siue naturali, siue diuina, quia principia rerum sunt valde abdita, & cognitu difficillia, ab iis potius exordium sumitur, quæ ex parte rerum sunt postrema, & sensibus familiaria. Aduerte autem principium quidem motus, & cuiusuis actionis simpliciter acceptum, reuocari ad primum modum, at commodum principium, ad secundum. Ad hunc modum pertineret illud Platonici Athenienſis. Rectum principium nunquam satis à quoquam laudatum fuisse, nisi Plato id ad tertium, aut quintum retulisset. *6. de Legib.*

*Principia disciplinarum diuersa.*

*Quæ reducā tur ad principium secūdo modo.*

d *Partim id, vnde primo.* Tertio modo principium dicitur id, ex quo aliquid primo fit, ita, vt insit, hoc est, ita, vt sit pars, ex qua constet. Cum autem fieri primo ex aliqua parte, nihil aliud sit, quam fieri ex illa, vt prima parte, siue quæ

*Principium tertio modo.*





principij genere, id, quod est principium, sæpe fit finis, & quod est finis, principium: quod tamen in motu, & tempore non accidit, licet eorū principia ad hōc principij genus reuocentur. Quod si contra ea, quæ dicta sunt obiicias, ex his effici, vt principium magnitudinis ad principium motus reuocetur, quia pro ratione motus hinc, vel illinc proficiscentis varietur principium magnitudinis, occurrendum est, variari quidem magnitudinis principium respectu eorū. qui viæ magnitudinem, longitudinémve percurrunt, non autem simpliciter. Siue enim hinc proficiscaris, siue illinc, semper vtrumque extremum viæ est & principium, & finis magnitudinis viæ. Itaque variatur principium viæ formaliter acceptæ, quæ habet ordinem ad motum, non autem principium magnitudinis, vt magnitudo est, quod semper in vtroque extremo suapte natura cernitur.

## ARISTOTELIS META. PHYSICORVM.

## LIBER QVINTVS.

### CAPVT I.

*Principium a partim dicitur id rei, vnde quis primum mouetur: vt longitudinis, & viæ, hinc* b *quidem hoc principium est: ex aduerso autem, alterum. Partim* c *id vnde vnūquodq; optimè fieri potest: quo pacto & disciplina nō à primo, ipsoq; rei principio interdū inchoāda est, sed vnde facillimè quis discat. Partim* d *id, vnde*

a *Partim.* In hac prima libri parte, quæ quinque primis capitibus continetur, agit Aristoteles de Principio, Causa, Elemento, Natura, & Necessario: quorū tria prima ita se habent, vt principium latius pateat, quàm causa, & causa, quàm elementum. Ex quare intelligitur, Aristotelem in iis etiam explicandis naturæ simul, & exquisitæ doctrinæ ordinem secutum fuisse. Id autem in his capitibus, & reliquo deinceps libro obseruandum est, vt, cùm aliquid explicatur, eius quoque oppositum, si quod habet, explicatum censeatur. Nam qui tenet quid, & quotuplex sit principium, is nullo negotio intelliget quid, & quot modis dicatur principiatum, siue quod habet principiū: eodémq; modo res habet in cæteris. Docet igitur primum Aristoteles in hoc capite, principium dici septē modis, qui ad quinque reduci possunt, vt patebit inferius: deinde colligit ex omnibus generalem quandam principij rationem. Cur autē nō reuocet minus principales modos ad vnū præcipuum, quod libro superiori docuit faciendum esse in explicatione analogorum, causa est, quia huiusmodi reductio non fit necessario, nisi in analogis secūdum attributionem, principium autem ad ea principiorum genera, quæ hic expressè traduntur, non est analogū secundum attributionem, sed solum secundum proportionem, quemadmodum nec causa, nec alia pleraque in hoc libro explicanda. Quanquam in multis etiam analogis huius generis tradit Aristoteles aliquod principale significatū, vt patebit in progressu.

PRINCIPIVM primo modo dicitur id rei, vnde motus incipit, quale est signum illud longitudinis, seu vitæ, ex quo quis moueri incipit. Dixit autem potius (*id rei*) quàm (*ea pars rei*) quia magnitudinis non datur prima pars simpliciter, cum ante quamcunque detur alia prior, vt demonstratum habes 6. Phys. cap. 2. & tamen datur aliquid indiuisibile, quod sit primùm simpliciter, vt primus pūctus, prima linea, quocunque modo ea dentur.

AD HANC principij significationem reuocanda sunt principia motus, & temporis, quia ratio principij secum affert ordinem prioris respectu eius, quod principium habet, ordo autem prioris, & posterioris in motu, sequitur ordinem prioris, & posterioris in magnitudine, super quam fit motus: & ordo prioris, & posterioris in tempore, sequitur ordinem prioris, & posterioris in motu, cum tempus sit numerus motus: quæ omnia habes 4. Phys. cap. 11.[a] & hoc ipso lib. 5. cap. 13.[b] Merito autem cœpit Aristoteles ab hac principij significatione, quia sensu est omnium notissima, & vetustissima: quæ enim nobis sunt notiora sensu, ea primum nominata sunt.

[a] *Text. 99.*
[b] *Text. 18.*

ADVERTE tamen, principium magnitudinis non simpliciter esse sensu notissimū, sed quatenus ex eo incipit motus. Prius enim, & posterius, & si ex magnitudine, supra quam fit motus, deriuantur ad motum, prius tamen cognita, & nominata sunt in motu, quàm in magnitudine. De qua re inferius. *Quæst. 4. sect. 3. & 4. & 5. sect. 2.*

b *Hinc quidem hoc.* Id est, hinc incipientibus, hoc, vnde motū inchoant, principium est, incipientibus autem illinc, atque huc proficiscentibus, alterum est principium, licet eadem sit via, illud inquam, vnde motum ordiūtur. Itaq; in hoc principij genus reuocentur. Quod si contra ea, quæ dicta sunt obiicias, ex his effici, vt principium magnitudinis ad principium motus reuocetur, quia pro ratione motus hinc, vel illinc proficiscentis varietur principium magnitudinis, occurrendum est, variari quidem magnitudinis principium respectu eorū. qui viæ magnitudinem, longitudinémve percurrunt, non autem simpliciter. Siue enim hinc proficiscaris, siue illinc, semper vtrumque extremum viæ est & principium, & finis magnitudinis viæ. Itaque variatur principium viæ formaliter acceptæ, quæ habet ordinem ad motum, non autem principium magnitudinis, vt magnitudo est, quod semper in vtroque extremo suapte natura cernitur.

*Obiectio.*

*Dilutio.*

*Alex. Alensis. D. Thom. & alij quidā*

*Reiicitur quorundam sententia.*

SVNT tamen qui cùm Aristoteles ait (*ex aduerso autem alterum*) existiment illum nomine Alterius non significasse alterum principij exemplum, sed finem, eo quod finis principio opponatur. Verum id dici non potest. Nam verbo *alterum* ϕ Græcè est ἕτερον, planè innuitur principium, ϕ est ἀρχή, nec potest significari finis, qui neutrius generis vocabulo το τέλ☉ dicitur.

*Bessario & Perionius.*

ALII referunt eadem illa verba ad secūdam principij significationē, vt si ita legas *Ex aduerso autem alterum est, vnde vnumquodque optimè fiet* sed obstant omnino Græci Codices, qui post verba ἕτερον, ἐναντίωσις nouam periodum inchoant hoc pacto: ἡ δὲ ὅθεν, &c. obstat item secunda principij vsurpatio, quæ non est aduersa, siue contraria primæ. Est enim sæpè commodissimum à principio magnitudinis motum inchoare: id autem, vnde commodissimè motum incipimus, ad secundum principij genus pertinet, vt è vestigio patebit.

*Primò*

*Principium secundo modo*

c *Partim id, vnum quodque.* Secundo modo principium dicitur id, vnde si quis ordiatur susceptum negotium optimè succedit. Quod non solum in motu, & aliis externis actionibus cernere est (interdum enim commodius conficitur cursus, si motus inchoetur ex hac parte stadij, quàm ex illa, quod idem in bello, in venatione, & cæteris tum artificiosis motibus, tum etiam artis expertibus perspicuum est) sed multo etiam magis in interioribus, quales sunt ij, quibus disciplinæ comparantur. Neque enim in disciplinis tam habetur ratio inchoandi ex iis, quæ suaptè natura sunt principia rerum, de quibus agitur, quàm vnde illæ optimè percipiantur, cuiusmodi ferè sunt ea, quæ & maximè perspicua sunt in vnaquaque arte, & ad cætera capienda quàm maximè cōferunt. Ita fit, vt in Mathematicis scientiis eadem sint principia rerū, & disciplinæ, quòd sint non modo prima suapte natura, sed nobis etiam omnium notissima. In Philosophia vero siue naturali, siue diuina, quia principia rerum sunt valde abdita, & cognitu difficillia, ab iis potius exordium sumitur, quæ ex parte rerum sunt postrema, & sensibus familiaria. Aduerte autem principium quidem motus, & cuiusuis actionis simpliciter acceptum, reuocari ad primum modum, at commodum principium, ad secundum. Ad hunc modum pertineret illud Platonici Athenienſis. Rectum principium nunquam satis à quoquam laudatum fuisse, nisi Plato id ad tertium, aut quintum retulisset. *6. de Legib.*

*Principia disciplinarum diuersa.*

*Quæ reducā tur ad principium secūdo modo.*

d *Partim id, vnde primo.* Tertio modo principium dicitur id, ex quo aliquid primo fit, ita, vt insit, hoc est, ita, vt sit pars, ex qua constet. Cum autem fieri primo ex aliqua parte, nihil aliud sit, quam fieri ex illa, vt prima parte, siue quæ

*Principium tertio modo.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Principium in animali primum viuat.*

ante cæteras existat, satis patet in genere partium integrantium, nec manus, nec pedes dici hoc pacto principia humani corporis, sed vel cor, vt est Aristotelis [a] sententia, vel cerebrum, vt veteres aliqui fortasse Medici existimarunt: vel iecur, vt Hippocrates, & Galenus sentiunt, quod fuse sic esse, probat Valesius [b] in medicis controuersiis, vel in auibus, oculi, quos Lactantius scribit primum efformari argumento ex ouis ruptis desumpto, vel aliquid aliud, quod quisquã in animali primum produci putet. Cæterum in genere partium essentialiũ sola materia erit hoc modo principium, quia ante formam existat. Ad hoc genus pertinet illud Ciceronis de Finibus. *Omnium rerum principia parua esse, sed suis progressionibus vsa augeri.*

*Principium quarto modo.*

e *Partim, vnde aliquid.* Quarto modo principium dicitur id, vnde primo, cum ipsum pars rei non sit, res dicitur fieri, seu (vt generalius hoc principij genus sumatur) naturaliter mouetur, & omnino mutatur. Huiusmodi sunt omnes caussæ, quæ naturali actione efficientes sunt, quo pacto se habent parentes respectu prolis (nam & mater aliquid efficit in prole) & conuicium respectu pugnæ, quę naturaliter impellit animum ad vindictam.

*Vterque parens vim habet efficientẽ in prole.*

*Principium quinto modo.*

f *Partim id cuius.* Quinto modo principiũ [d] dicitur id, quod voluntate, ac imperio aliquid mouet, cuiusmodi sunt principatus rerum publicarum, & potentatus, quæ Dynastiæ vocantur. Itémque Reges, ac Tyranni, quos Aristoteles nominibus Regnorum & Tyrannidum significat.

*Sexto modo.*

g *Artes etiam.* Sexto modo principia dicuntur artes, quæ ad aliquid efficiendum spectant, eæ potissimum, quæ architectonicæ, quasi principales appellantur, quòd aliis suo modo imperent, & ad suos fines aliarum operibus formam præscribant, quo pacto se habet ars equestris, ad eam, quæ fræna conficit. Cùm igitur artes non verè moueant, sed solùm formam præscribant rebus efficiendis, vt Alexander hoc loco annotauit, satis patet, hoc genus principiorum à duobus superioribus distingui.

*Artes an verè moueant.*

*Septimo modo.*

h *Præterea vnde res primum cognosci potest.* Septimo modo principium dicitur id vnde res primum cognoscitur. Hoc pacto suppositiones, hoc est pronunciata, quæ in demonstrationibus conficiendis ponuntur esse vera, nec per alia demõstrantur, principia demonstrationis dicuntur. Huc spectat illud Trimegisti in Cratere, *Principium complectamur: hoc enim cognito vniuersa facillime percurremus:* & illud Aristotelis: *principium magnum momentum afferre ad ea, quæ sequũtur, eoq; posito facilè coaptari reliqua.* Ex principiis autem simplicibus ad hoc genus præcipuè pertinet forma rei, quandoquidem vnaquæque res per propriam formam cognoscitur. In hoc etiam genere ponit Aristoteles ad finem capitis aliqua ex parte caussam finalem.

*Trimegisti sententia.*

HABES hoc pacto septem ab Aristotele tradita principiorum genera, principium magnitudinis, id, vnde actio commode inchoatur, partem primò existẽtem, efficiens naturaliter, efficiens electione, efficiens arte, ac denique principium

[a] *Aristot. 2. de Generatione animalium capit. 4. Idem post Auicennam D. Thomas de potentia. q. 3. articul. 18. ad 10. lege eundem 2. secundæ. q. 22. artic. 2.*
[b] *Lib. 2. c. 6.*
[c] *In lib. de opificio.*



pium cognoscendi. Et quoniam quattum, quintum, & sextum pertinẽt ad caussam efficientem, iccirco diximus initio capitis posse omnia ad quinque reuocari.

*Reductio septem modorũ ad quinque.*

*Obiectio inferius solvenda.*

i *Totidem autem modis, & caussæ dicuntur.* Id quod hoc loco dicitur, pugnare videtur cum eo, quod initio diximus. Principium latius patére, quàm caussam, sed & probatio non minus inepta videtur esse, quàm si ita argumenteris: Omnes equi sunt animalia, igitur tot sunt equi, quot animalia. Verum hic nodus inferius explicabitur.

q. 7. sect. 2.

k *Omnibus igitur.* Colligit septem tradita principiorũ genera in communem quandam principij rationem, quæ ita habet. Principium est primũ, vnde aliquid est, aut fit, aut cognoscitur. Qua definitione comprænduntur omnia omnino principia, etiã si forsitã ad tradita septem genera non reuocentur, vt inferius patebit.

*Quæ prima animalis pars.*

*Definitio generalis principiorum.*

***primò aliquid fit, ita, vt insit; veluti nauigij carina, & domus fundamentum: sic animalium alij cor, alij cerebrum, alij quiduis tale esse existimant. Partim e id, vnde aliquid primò fit, ita, vt nõ insit, & vnde primum motus, mutatioq; inchoari apta est, vt ex patre, ac matre soboles, & pugna ex conuicio. Partim f id, cuius electione mouentur ea, quæ mouentur, & mutantur, quæ mutantur; cuiusmodi sunt in ciuitatibus principatus, dynastiæ, regna, & tyrannides. Artes g etiam principia dicuntur & earum potissimum architectonicæ. Præterea h vnde res primum cognosci potest, id quoq; principium rei dicitur: veluti demõstrationum suppositiones. Totidem i autem modis, & caussæ dicuntur; Omnes enim caussæ principia sunt.***

***Omnibus k igitur principiis commune est primum esse, vnde aliquid aut est, aut fit, aut cognoscitur. Horum l autem alia insunt, alia externa sunt. Quocirca m & natura principium est, & elementum, & mens, & electio, & substantia, & id, cuius gratia: multorũ enim, & cognitionis, & motus principium est bonum ipsum ac malum.***

*Quæst.*

l *Horum autem alia.* Insunt, vt materia, & forma: externa sunt, vt efficiens, & finis.

m *Quocirca & natura principium est.* Ostẽdit secundum traditam principij definitionem, multa esse principia, quæ non ita facilè videri possint in prædictis septem principiorũ generibus comprehendi. Quo loco mentis nomine significat Aristoteles intellectum practicum, quem vocabulo τῆς διανοίας intelligit. Nomine autem substantiæ, significat formam substantialem. Sensus denique periodi est: Quocirca & natura, & elementum, & cætera principia sunt.

*Mens quid hoc loco. Substantia hoc loco quid.*

## QVÆNAM SIT RATIO OMNIVM PRINCIPIORVM COMMVNIS.

### QVÆSTIO I.

*Tres principiorum definitiones non omnino generales.*

### SECTIO PRIMA.

*Principij explicationem ad Metaphysicum pertinere.*

PRINCIPII explicationem, distinctionémque ad primũ Philosophum pertinere duobus potissimum argumentis constat. Vno, quia in communi principij ratione nulla omnino materia includitur, quod ex hac ipsa quæstione facilè colliges. Altero, quia principium, vt inferius intelliges, latius

pater

Universidad de Deusto
Biblioteca



patet quam cauſſa,quæ tamen adeò communem, ac vniuerſalem rationem ſibi vendicat,vt eius tractatio ad alium inferiorem Philoſophum pertinere nequeat, quod fusè ad primum librum oſtendimus. *Cap. 7. q. 1. ſect. 2.*

*Prima definitio principij.*

QVID igitur principium ſit,his verbis tradit Ariſtoteles in libro Poëticæ: *Principium eſt,quod ipſum quidem poſt aliud neceſſariò non eſt, poſt illud autem aliud natum eſt eſſe,aut fieri.* Dicitur *neceſſariò non eſſe poſt aliud* (ſubaudi,quatenus principium eſt:poteſt enim alia ratione eſſe poſt aliud)vt excludantur medium,& finis,ſiue extremum, quorum illud neceſſario eſt poſt principium, hoc autem poſt principium, & medium. Et quia ad rationem principij non ſatis eſt, quod non præcedatur ab alio,ſed neceſſe etiam eſt,vt aliquo modo referatur ad aliquid,cuius ſit principium;iccirco additur, *poſt illud autem aliud natum eſt eſſe.* Non dicitur porrò,*aliud eſt*, ſed *aliud natum eſt eſſe*, quia poſito ptincipio,non neceſſe eſt conſequi id,quod eſt poſt principium; quo pacto iactis fundamentis, non neceſſe eſt erigi parietes, tametſi ita fieri natura comparatum eſt. Vnde patet compræhendi in hac definitione non ſolum ea,quæ ſunt actu principia, ſed etiam quæ potentia. Denique dicitur *eſſe aut fieri*, vt non tantum compræhendantur principia rerum ipſarum,ſed etiam earum effectionis, ſi forſitan ſub effectionem cadant. *Cap. 7.*

*Cui principio conueniat tradita definitio.*

VERVM hæc principij ratio de ſolo principio rei quantæ, ſiue extenſæ traditur ab Ariſtotele,cuiuſmodi eſt in numero vnitas, in linea punctus,aut prima eius pars aliquota, in die aurora, in oratione exordium,atque in calore,& quauis alia qualitate latitudinem gradualem hahente, primus gradus. Cum enim eo loco dixiſſet duplex eſſe totum,vnum, quod magnitudinem non habet:alterũ, quod habet;non ad totum magnitudinis expers;ſed ad illud, quod præditum eſt magnitudine,id eſt,extenſione quacunque, ſiue propria, ſiue impropria, quæ intenſiuam compræhendit (ſic enim accipiendum eſt eo loco magnitudinis vocabulum)principium à ſe definitum retulit; vt tota definitio ſic habeat; *Principium eſt id,quod in toto aliquo quomodocunque extenſo,neceſſario non eſt poſt aliud, &c.*

*Totum duplex.*

*Secunda definitio principij.*

ALIAM principij definitionem tradit Ariſtoteles, quinto lib. de animalium generatione,cum ait. *Hoc eſt enim principiũ eſſe, vt ipſum quidem cauſſa ſit multorum,ſed ipſius nulla ſit ſuperior cauſſa.* Sed & hæc particularis eſt,non prorſus generalis,& omnium communis: explicat enim principia ea, quæ non tantum principia ſunt, ſed cauſſæ etiam, atque adeò cauſſæ primæ:quãquam non ſolas primas ſimpliciter,ſed primas etiam in hoc,vel illo genere complectitur; quo pacto cor in genere earum partium materialium, ex quibus integratur animal, principium animalis dicitur eo loco. At principium quatenus principium eſt,latius patere,quàm cauſſam, poſitum à nobis iam eſt, & inferius oſtendendum. *Cap. 7.*

*Cur cauſſa prima plures effectus habere debeat.*

CVR autem Ariſtoteles dixerit,principium hoc pacto ſumptum, eſſe cauſſam multorum,ea ratio reddi poteſt,quia nulla cauſſa prima etiam in certo genere(ſi propriè dicatur prima) vnum tantùm effectum habet,imo nec duos quidem ſolos, ſed vt minimum tres. Nam cum



cùm nulla res propriè dicatur prima reſpectu alterius tantum (ſic enim potius dicitur prior, quàm prima)ſed reſpectu duarum, vt minimum, quarum altera ſit media,altera extrema,perſpicuum quoque eſt,cauſſam nunquam propriè dici primã,niſi reſpectu mediæ, & extremæ cauſſæ. Habebit igitur iſto modo cauſſa prima,vt minimũ,tres effectus, vnus,erit cauſſa ipſa media,alter, cauſſa extrema (vtramque enim vocat Ariſtoteles effecta primæ cauſſæ, quatenus ambæ ab ea pendent in cauſſando) tertius verò ipſe effectus extremus cauſſæ, ad quem prima quoque,& ſecunda concurrunt.

*Tertia definitio.*

*Cap. 5. tex. 42.*

EST & alia principij definitio,quam vſurpat Ariſtoteles in libro primo Phyſicorum,cùm principiorum contrarietatem aſtruit: *Principia*,inquit:*nec ex ſe ſe mutuo,neque ex alio, & ex ipſis omnia eſſe oportet.* Tradi autem his verbis definitionem omnium principiorum cõmunem,ex eo colligi videtur,quia ſuperius libro eodem oſtenſurus Ariſtoteles,quot,& qualia principia ſint, non de his, aut illis principiis, ſed de principiis abſolutè diſputationem videtur inſtituere: *Neceſſe*

*Cap 2. tex 6.*

*eſt*, inquit: *aut vnum principium eſſe,aut plura,& ſi vnum, aut mobile,aut immobile, ſi plura,aut finita,aut infinita.&c.* qua principiorum tractatione nulla videtur eſſe poſſe, quæ latius pateat.

*Quibus conueniat.*

SED nec definitio hæc cõgruit omnibus principiis,nec Ariſtoteles de principiis vniuersè, ſed de principiis rerum naturalium diſputat in eo opere, quemadmodum in ipſo proœmio ſe facturũ apertè propoſuerat. Quin neque in omnia principia rerum naturalium conuenit hęc principiorum explicatio,cùm nec principiis exemplaribus nec efficientibus, nec verò finalibus,quæ intẽtionis principia dicuntur,attribui poſſit. Neq; enim ex exẽplaribus,aut efficientibus aut finalibus principiis(ſi propriè loquendum eſt) fiunt res naturales, ſed exemplarium imitatione, ab efficientibus,& propter fines. Nec verò Ariſtoteles primo illo libro, omnia rerum naturalium principia tradidit, ſed ſola eſſentialia generationis earum, quorum vnum priuatio eſt,alterum materia,tertium,ac vltimum forma. Efficiens enim,& finis,& ſi principia ſunt generationis; quemadmodum & rei genitæ, non ſunt tamen eſſentialia; quippe cum ad generationis eſſentiam percipiendam ſatis ſit ſubiectum antè priuatum certa forma, & poſtea eadem informatum intelligere. Nihil enim efficientem cauſſam, aut finalem,aut verò exemplarem curat qui nudam generationis notionem concipit. Vnde fit, vt veteres illi qui res ſuapte ſponte, ac omnino fortuito gigni credebant, nihil minus generationis naturam conciperent, quàm ſi ab efficiente aliquo, & alicuius finis gratia, atque exemplarium imitatione ea fieri exiſtimarent.

*Principia tantum generationis eſſentialia tradita 1 Phyſicorum.*

*Generalis principiorum definitio.*

## SECTIO II.

*Quarta definitionis approbatio.*

QVARTAM principiorum definitionem,quæ latius patet quàm ſuperiores, atque adeo latiſſimè omnium, quæ afferri poſſunt tradit Ariſtoteles hoc ipſo capite,ac merito quidem cùm hoc loco de principiis cõmuniſſime diſſerat. Ea verò eſt, Prin-

Universidad de Deusto
Biblioteca



tur *quæ neque ex se se neque ex aliis, sed omnia ex ipsis sunt*, verbũ: *quæ*, non tantum complecti entia, sed etiam non entia. Priuatio enim, quæ principium est rerum naturalium, non numeratur in entibus, sed in non entibus proinde nihil est, quod hoc verbo reiici possit. Deinde particulam, *ex*, sumendam esse propriè, hoc est, quatenus significat habitudinem, vel termini à quo, vel partis constituentis. Neque enim audiendi sunt, qui volunt, in duobus prioribus locis sumendam esse quatenus significat solam habitudinem partis constituentis, in tertia autem, qua ratione significat habitudinem, & partis constituentis, & termini à quo: præsertim cùm non sit opus tam pancis verbis varia eiusdem verbi significatione vti. Iam verbum *omnia*, accipiendum esse pro solis entibus naturalibus, quorum principiis inuestigandis prisci Philosophi se rerum omnium per se subsistentium principia quærere existimabant. Denique cùm dicitur: *ex ipsis sint*, hoc est, fiunt, aut constant, intelligendam esse in, verbo, *fiunt*, propriam effectionem, quæ distinguitur à creatione, & cuiusuis formæ productione, seu (quod idem est) quatenus significat effectionem, qua res fit ex aliqua sui parte præexistente. Hanc enim volunt Philosophi esse propriè dictam effectionem.

*Reprehenditur quidam*

*Quæ reiiciãtur per singulas particulas.*

Cvm ergo dicitur: *quæ neque ex se se*, reiiciuntur quatuor vulgata elementa, & quæuis alia composita, si ex se se dicto modo fiant, aut constent. Cum verò additur: *neque ex aliis*, reiiciuntur cœlestia corpora, quæ etsi ex se se nec fiunt nec constant, ex aliis tamen constituta sunt formis videlicet propriis, ac materiis. Eadémque ratione excluduntur quælibet alia composita reali compositione constituta, si ex se se nec fiant, nec constent: vt homo Grammaticus, & superficies alba: constant enim ex aliis. Non reiiciuntur tamen hæc particula species, aut indiuidua, quatenus illæ ex generibus, & differentiis specificis, hæc verò ex speciebus & differentiis indiuiduantibus constituta sunt: siquidem nec genus, nec differentia specifica aliud est à specie, nec species, aut differentia indiuiduans aliud ab indiuiduo, sed vna eadémque res. Vnde fit, vt non reiiciantur per hanc particulam, materiæ, & formæ speciales, aut indiuiduæ, vt quidam Græci volunt, credentes non comprehendi in hac definitione speciales, aut indiuiduales materias, formasvè, sed tantum generales, eo quòd inferiores, ex superioribus constent. Quamquam eorum opinio ea quoque ratione non placet, quia vt à definitione animalis nullum animal excludi debet, ita nullum principium naturale etiam indiuiduale à definitione principiorum naturalium. Cùm denique additur: *& omnia ex ipsis sunt*, hoc est, vnumquodque ex suis (quo etiam pacto cum bonum dicitur esse id, quod omnia appetunt, sensus est, bonum cuiusque esse id, quod vnaquæque res appetit) reiiciuntur primum caussæ externæ, finales, efficientes, & exemplares, quatenus eiusmodi sunt quòd ex iis, nihil propriè fiat aut constet, vt in superiori quæstione diximus: tametsi quæ ex aliis sunt compositæ, absolutè reiectæ sint per superiores particulas. Deinde reiiciuntur absolutè

*Reprehenduntur Græci quidam*

*Simplicius & ab eo citatus Ammonius.*



lutè ea omnia simplicia siue entia, siue non entia, ex quibus nullum ens naturale, aut fit, aut reali compositione constituitur, veluti Deus. intelligẽtiæ, & accidẽtia omnia. Ita fit, vt solũ materia, forma substãtialis, & priuatio substantialis formæ hac definitione explicentur.

*Formam substantialẽ non esse per se terminũ à quo.*

Qvod si quis quærat, num ex formis sola ea, quæ introducitur fit principium generationis, an etiam ea, quæ expellitur (nam & hæc est terminus, à quo generatio proficiscitur) respondendum est, eam solam quæ introducitur, esse principium per se. Quæ enim expellitur non per se se, sed per accidens principium generationis censeri debet, tum quia alia atque alia esse potest, vt patet in generatione elementorum (æquè enim potest aër generari ex aqua, atque ex igne) tum etiam quia si forma introducatur in materiam sine forma existentem, quod diuina potestate fieri posse non dubitamus, vera erit generatio. Ita fit, vt sola forma, quæ introducitur, eiusque priuatio & materia sint per se principia generationis. Vt enim res quæ generãda est, cohæreat, necessaria est materia, & forma: vt autem fiat ex materia præcedenti, necessaria omnino est priuatio formæ introducendæ, siue illa conficienda sit naturali virtute, siue supernaturali. Quocirca primi parentes, qui facti sunt ex materia præcedenti, non minus geniti sunt, quàm ipsorum liberi: tametsi non dicuntur nati, quia non sunt geniti more viuentium. Quod si Adamus in ipso mundi initio eodem modo, quo cœli, & elementa productus esset, non modo non diceretur natus, verum nec genitus, sed creatus, quia in eius productione non præcessisset materia priuata. Cur autem forma substantialis non sit per se terminus à quo generationis, & tamen forma accidentalis sit per se terminus à quo motus, cum ad caput 13. de motu disputabimus, explicandum erit.

*Primi parentes geniti non autem nati dicuntur.*

*Dilutio eorum quæ contra propositam definitionem obiici possunt.*

## Sectio II.

*Prior obiectio contra definitionem principii.*

Sed contra propositam definitionem sic obiici solet: Aut in ea explicantur principia omnium rerum naturalium, aut saltem generabilium, & corruptibilium, at qui non omnium, quia in corporibus cœlestibus non est priuatio formæ substantialis, quemadmodum nec corruptio: neque item generabilium, & corruptibilium, quia res generabilis, & corruptibilis, vt talis est, non potest generari per se: non est igitur rectè tradita definitio. Posterior assumptionis pars ex eo probatur, quia, vt Aristoteles docet primo Phys. cap. 8. ea non generantur per se, quorum rationes ante existunt in re, quæ corrumpitur: perspicuum est autem in omni re, quæ corrumpitur, existere rationẽ rei generabilis, & corruptibilis. Quod idem accidit in plerisq; speciebus rei generabilis, & corruptibilis. Nam cum in generatione hominis ex eo fœtu, qui viuit vita plantæ, fit embryo, non fit per se viuens, quia ratio viuentis cõuenit primo illi fœtui: cum autem ex embryone fit homo, non fit per se animal, quia embryo est animal: idemque cernere est in transmutatione multorum vermium in volucres:

Text. 76.

in

Universidad de Deusto
Biblioteca



aut inconueniens, siue ab ipso appetente, aut respuente, siue ab eo, qui auctor est naturæ appetentis, aut repudiantis. Hinc enim fit, vt cum quid apprehenditur vt conueniens, & si ipsum in se conueniens non sit, satis tamen habeat, vt appetatur, quia sic apprehenditur.

AD illud autem de causis, nihil refert, quod nõ omnes sint primæ, & tamen omnes sint principia. Nam cum principiũ dicitur esse primum quid, non est intelligendum, dici primum in genere principij (nam præter quàm quod inepta esset definitio, omnia principia essent prima principia, quod falsum est) sed primum quid, vt verba ipsa sonant, hoc est, quod à certo quodam non præceditur, etiam si ab alio præcedatur, quo pacto non solum prima vnitas erit principium, quia à nulla præceditur vnitate, sed etiam decima respectu cõsequentium, quia nulla consequentium est prior illa. Ita fit, vt, licet causſæ omnes sint principia, ac proinde prima quædam, non tamen ex definitione colligi possit, omnes causſas esse primas.

*Quo pacto vnæ personæ diuinæ sit prima respectu alterius.*

QVOD denique additur de personis Diuinis, nullam vim habet. Nam quod dicimus omne principium esse primum quid, de primitate negatiua intelligendum est, vt interpretati sumus: quo pacto nihil est incommodi, si vna persona sit prima respectu alterius, hoc est, ab ea non præcedatur. Num autem ex ea primitate colligatur primitas positiua, ac proinde prioritas (de qua re quæstio est apud Theologos) id quoniam si omnino negetur, periculum est, ne tradita definitio euertatur, maiorísque est operæ, quàm vt paucis explicari possit, alia disputatione discutiendum est.

*Solutio secunda.*

AD secundam obiectionem, negandum est, conuenire compositio naturali definitionem principij traditam, neque enim ei simpliciter & absolutè conuenit prima particula, quæ in argumentatione prætermittitur, cùm non sit primum quid, sed ex prioribus constet. Quod si sermo sit de iis, quæ ad artem spectant, quemadmodum in illis naturale compositum est primum quid (neque enim fit ab arte, sed supponitur tanquam propria materia cuiuscunque artificiosæ formæ) ita & principium ex quo res artificiosè conficiuntur.

*Quæstione 3.*

*Oppositа vt sibi inuicem sint principia.*

QVOD verò ad oppositа attinet, cùm quatuor sint eorum genera, nihil est absurdi, si dicamus ex contradictoriè quidem, & priuatiuè oppositis, affirmatiuum esse principium negatiui, quia & natura, & cognitione semper est prius illo: in contrariis autem alterutrum esse posse alterius principium, quia cum vtrumque dicat perfectionem: & semper alterum sit altero perfectius, potest imperfectius à priori cognosci per id, quod perfectius est, & vicissim perfectius à posteriori per imperfectius. Quamquam & in his omnibus tribus generibus alterutrum oppositorum potest esse tempore alterius principium, cùm alterutrum ex altero fieri possit. At in Relatiuè oppositis, quæ & tempore, & natura, & cognitione simul sunt, neutrum potest esse alterius principium. Vnde fit, vt merito dicatur apud philosophos non alterum per alterum, sed alterum cum altero cognosci. De qua re. ca. 15. huius libri sermo erit. Deniq; non est absonum dicere, creaturas esse apud nos principia cognoscendi creatorem. Illud foret impium, asserere

*Relatiuе opposita vt cognoscatur.*



ferere absolute, creaturas esse creatoris principia, quod dicere nõ cogimur. Neq; enim principia cognitionis absolutè dicũtur principia rei cognitæ, sed cognitionis illius, seu, quod idem est, rei cognitæ, vt cognitę. Nam nec principia effectionis rei, dicuntur necessariò principia rei effectæ, vt patet in priuatione. Itaq; sola principia vnde aliquid est, fateri simpliciter, & absolutè cogimur esse illius principia.

*Principia cognitionis non sunt absolutè principia.*

AD tertiam obiectionem dicito, primum negatiuè sumptum, latius patere, quàm principium, vt dictum est superius, proinde non redundare sequentes particulas. Deinde non esse proprietatem principij, quæ videlicet cum principio recurrat: neque item absurdum esse si proprietas cõmunioris alicuius pro genere ponatur in definitionibus minus communium, quo pacto apud Porphyrium in Isagoge, cũ genus, species, & differentia definiuntur, loco vniuersalis quod censetur eorum genus, ponitur Prædicabile, siue quod prædicatur de pluribus, quod est illius proprietas. Postremò satis quidem esse potuisse si adderetur *vnde aliquid est*, vt explicatio nominis, aut etiam rei significatæ confusissima descriptio traderetur: non quia eadẽ sint principia ipsius rei, quæ sunt eius effectionis, & cognitionis, vt ex supradictis patet sed quia esse latissimè sumptum, ipsum quoque fieri, & cognosci complectitur, quo pacto Theologi accipiunt esse in ea, quæ ab illis traditur principij definitione. At si aliqua tradenda erat definitio principij, quæ modo aliquo distincta esset, necesse fuit aliquot generales essendi modos in definiendo adhibere: quod sapienter fecit Aristoteles, qui progressus à perfectioribus, primum meminit esse realis completi, & perfecti, quod significauit verbo: *est*, deinde esse realis inchoati, quod significauit verbo *fit*, postremo esse obiectiui siue cogniti, quod significauit verbo: *cognoscitur*. Itaque verbo *est*, complexus est omne esse quod per se ponitur in prædicamentis: verbo *fit*, esse illud reductiuum, quod nomine generationis, siue substantialis, siue accidentalis significatur, atque ad ea prædicamenta reducitur in quibus ponuntur res, quæ gignũtur: verbo autem *cognoscitur*, omne esse, quod res habet in intellectu. Ita patet definitionem principij, quam Aristoteles hoc loco tradidit, seu potius innuit, esse omnium principiorum communem.

*Definitio principij confusissima.*

*Principij aliquo modo distincta definitio.*

## QVO PACTO DEFINITIO PRINCIPIORUM in Physicis tradita intelligenda sit.

## QVÆSTIO II.

*Explicatio definitionis.*

### SECTIO I.

*1. Phys. c. 5. text. 42.*

VERVM quia definitio in primo Physicorum libro tradita, percelebris est, non erit abs re si ad eam explicandam digrediamur.

*Etiam nouens principium. esse*

ANIMADVERTENDVM igitur, cùm principia dicũtur

Universidad de Deusto
Biblioteca



cipium esse: *primum id, vnde aliquid aut est, aut fit aut cognoscitur.* Dicitur *primum*, hoc est, quod vel simpliciter, vel à certo aliquo non præceditur: quia si ab aliquo præcedatur, ea ratione, qua præceditur, non erit principium, quo pacto sextus filius non dicitur principium totius prolis, & si dici possit principium secundi quinarij. Adduntur cęteræ particulæ, non solum quia non videntur explicari hoc loco principia in potẽtia, cuiusmodi est primogenitus, ante quàm alij nascantur, sed sola ea quæ actu sunt principia, seu (quod idem est) actu referuntur ad ea, quorum sunt principia, sed etiam (quæ præcipua est ratio) quia non satis est ad plenam rationem principij etiam in potentia, si non præcedatur simpliciter à certo aliquo, nisi accedat ordo ad aliquid, cuius sit principium. Particula *vnde*, fusissimè sumenda est: nempe vt complectitur post quod, A quo, Ex quo, Per quod, Imitatione cuius, Propter quod, & si qua est alia eius significatio. Verbũ, *aliquid*, (quod etsi non est in Græco, subauditur tamen necessario) sumendum & ipsum est quàm latissimè vt entia, & non entia comprehendat. Namque vt non ens principium esse potest; vt patet in priuatione, ita & principiatum, veluti inane spatium, quod extra cœlum est, vt inferius patebit, incipit enim vbi cœlum desinit.

*Principia in potentia, hic non continentur.*

*Tria rerum genera.*

IAM tres illæ particulæ, *aut est, aut fit, aut cognoscitur*, vel additæ sunt ad explicanda tria genera eorum, quæ principium habere possunt, entium, inquam, realium permanentium, entium realium successiuorum, & eorũ, quæ habent solum esse cognitum: vel ad explicanda tria genera principiorum. Nam, vt principia non entium mittamus, dantur principia essendi rerũ, quæ non sunt principia earũ effectionis vt materia, & forma cœli. Contráq; dantur effectionis, quæ non etiã sunt essendi, vt priuatio formæ hominis. Sunt & alia, quæ neq; essendi neq; effectionis, sed cognitionis principia sunt, quo pacto motus, & operationes rerũ naturaliũ supponũtur in Philosophia naturali, vt principia, motus quidẽ, quia per illum cognita est materia: operationes, quia per eas cognitæ sunt formæ: atq; adeo per vtraq; res ipsæ naturales. Et quanquã omnia principia essẽdi, & effectionis possint esse cognoscendi, accuratè nimirum, & à priori philosophantibus, actu tamen nõ ita res se habet in omnibus, cùm plerisq; ignota sint ea, ex quibus res fiunt, ac constant. Itaq; cùm duplex sit esse rerum, vt vnũ reale alterum obiectiuum, quod dicitur esse cognitum, ipsúmq; esse reale (quod solum propriè fit) duobus item modis sumi possit; vel vt iam perfectum, vel vt in fieri, liquet omnium principiorum generalem, atque adæquatam explicationem tradi, cùm principium dicitur id: *vnde aliquid aut est, aut fit, aut cognoscitur.*

*Tria genera principiorũ.*

*Duplex rerum esse.*

*Obiecta contra definitionem traditam.*

SECTIO III.

*Prima obiectio contra definitionem principij.*

SED cõtra hæc sic obiici potest. Primũ non omnibus principiis cõuenire propositam definitionẽ. Nam vt dantur principia ipsius esse rei eiúsq; effectionis, & cognitionis, ità dãtur operationis, & appetitionis, quæ tamẽ principia in definitione



finitione tradita non explicantur. Omnes item causſæ sunt principia, quod nemo non fatetur: at non omnibus causſis videtur cõuenire tradita definitio. Nã cum principiũ in ea dicatur primum, omnes causſæ essent primæ, quod dici nullo modo potest. Ad hæc, Pater in diuinis est principium filij, & vterq; Spiritus sancti: cum interim nulla diuina hypostasis dici posse videatur prima respectu alterius, iam enim alia esset prior, alia posterior, quod Theologi negant.

*Secunda.*

DEINDE, nec solis. Etenim compositum artificiale ex naturali conficitur, nec tamen naturale compositũ est principium, sed principiatum. Oppositа quoque per sua oppositа cognoscuntur, vt calidũ, per frigidum, pater per filium, tenebræ per lumen, non entia per entia: quis autem aut frigidum calidi, aut filium patris, aut lumen tenebrarum, aut entia non entium principia esse dixerit? Quin etiam creator rerum omnium Deus per creaturas cognoscitur, impium est autem creaturas sui creatoris principia dicere.

*Tertia.*

POSTREMO, vtcunque his omnibus respondeatur certè definitionem videri redundantem. Nam vel satis erat dicere, principium esse id: *quod primum est*, cum nihil primum reperiri possit, quod quatenus primum est, principium non sit, vel ea particula prætermissa dicere principiũ esse id: *vnde aliquid aut est, aut fit, aut cognoscitur*, præsertim cùm primũ esse non videatur pertinere ad essentiã principij, sed esse quædam eius proprietas, quæ loco generis poni non debet.

HIS adiunge, si necesse erat aliquid apponere, satis fuisse addere *vnde aliquid est*, non solum, quia vnde vnumquodq́; est, inde etiam fit, & cognoscitur, sed etiã quia fieri, & cognosci, sunt quidã peculiares essendi modi, quos cõplectitur verbum *est*, latissimè sumptũ, quo pacto accipi potuit in hac definitione, immo etiam debuit. Quod cũ acutius nostri Theologi perspicerẽt, breuissimè principiũ definierũt: *id, vnde aliquid est*, vel: *id, vnde aliquid*, abiecto etiam verbo, *est*, ne quis illud absolutè positum, ad præcipuum essendi modum astringeret.

*Quid principium apud Theologos.*

*Solutio obiectorum.*

SECTIO IIII.

*Solutio 1 prim obiectionis.*

VERVM ad primam obiectionẽ, quod quidẽ attinet ad principia operationis, respõdendum est, primũ quidem principia essendi esse etiam operandi: vnde enim res habet, vt sit, inde habet, vt operetur, Atque hinc habemus, non esse prętermissa principia operandi prima, cuiusmodi sunt materia, & forma in cõpositis, & ipsa simplex essentia, in simplicibus. Deinde addendũ operationes etiã fieri, latè sumpto fiẽdi (vt sic dicã) vocabulo. Vnde illud habemus non esse etiam prætermissa principia operandi proxima, qualia sunt potentiæ omnes, quæ rebus accidunt, siue actiuæ illæ sint, siue passiuæ.

*Operationes vt dicantur fieri.*

QVOD vero attinet ad principia appetitionis (passiuã autem intellige) dicendum: non alia esse appetitionis, quàm quæ cognitionis. Nihil enim appetitur, aut reiicitur, nisi apprehensum vt conueniẽs, aut

*Principia appetitionis & cognitionis.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



in generatione vnius metalli ex alio metallo, in qua metallū nō generatur per se in generatione vnius elemēti ex alio: & vnius mixti ex alio, cùm neq; in illa per se generetur elemētum, neq; in hac mixtum.

*Solutio quorundam.*

Hvic argumento respondent ferè omnes, sola principia rerū generabilium, & corruptibilium secundum speciales generabilium, & corruptibilium rationes comprehendi in hac definitione, idque rectè colligi proposito argumento. Nec putant incommodum sola hæc explicari, quod institutum Aristotelis sit tradere eo libro sola principia generabilium, & corruptibilium per se. Quin etiam aiunt id Aristotelem significasse cùm cap. 7. eius lib. ita concluſit: *Quot igitur sint principia rerum naturalium, quibus generatio conuenit & quo nam modo sint tot, satis iam explciauimus,* Dicunt enim intelligendum id esse, de iis, quibus per se competit generatio. *Text. 68.*

*Vera Solutio Auctoris*

Dicendvm est tamen, non esse definitionem restringendam ad sola principia eorum, quæ gignuntur, & intereunt. Et multo minus ad principia eorum, quæ gignuntur, & intereunt per se, tum quia in definitione non dicitur *& ex ipsis omnia fiunt*, vt male quidam vertūt, sed *ex ipsis omnia sunt*, vt plane colligitur ex contextu Græco, tum etiam quia perabsurdum est, non fieri in eo libro mentionem principiorum per se, rei generabilis, & corruptibilis in communi, veluti eius generis, quod generabilia omnia, & corruptibilia adæquatè complectitur, præsertim cùm Aristoteles in proœmio pollicitus fuerit se in eo opere à communioribus ad minus communia descensurum. Certum est enim, non fieri in eo libro mentionem eorum principiorum, si in proposita definitione non comprehenduntur. Itaque dicimus omnium rerum naturalium principia explicari in ea definitione, quatenus earum, siue generationis, siue constitutionis principia sunt, vt exposuimus, atque adeò rei naturalis in communi, imo euidentius in ea comprehendi constitutionis principia, quàm generationis, vt patet ex verbo: *sunt*, quod magis compositionem, quàm effectionem significat: itémque ex eo, quod omnium rerum naturalium tradi possunt principia constitutionis per se, non, item generationis per se, vt est perspicuum ex dictis. Vnde nihil refert, quod in corporibus cœlestibus non sit priuatio formæ substantialis, quemadmodum nec generatio, cum satis sit, si in eis sit constitutio ex materia, & forma. Neque item obest, quod corpus generabile, & corruptibile non gignuntur per se, satis est enim quod sit constitutum per se quod idem dicendum de re naturali in communi. Nec denique ad rem est, quod Aristoteles cap. 7. cùm tradidisset principiorum numerum, concluserit se rerum generabilium principia tradidisse. Neque enim dicimis illo in loco tradidisse principia cœlestium corporum sed in tradendis principiis generabilium, vsum fuisse definitione principiorum, quæ principiis quoque ingenerabilium, atque adeo omnium rerum naturalium in commune conueniat. *Text 68.*

*Principia cœlestium corporum comprehensa in definitione.*

*Secunda obiectio contra definitionem principij.*

Altera obiectio se offert hunc in modum. Definitiones, quæ vitio carēt, si in plurali numero tradantur, rectè accōmodari possunt numero singulari, mutatis tantum verbis ex vno numero in alterum, vt



si cœli bene definiuntur, corpora, quæ suaptè natura voluūtur circa terram: rectè definietur cœlum, corpus, quod suapte natura circa terram voluitur, at ex proposita definitione principiorum vitiosè colligitur hoc pacto principij definitio, non est igitur rectè tradita. Assumptio ex eo patet, quia si dicas principium esse, id, quod neque ex se se, neque ex alio, sed ex ipso aliquid est planè mutatur sensus, & ineptè ponitur illud: *neque ex se se*, si verò explicato, ac retento vero sensu dicas, Principium esse id, quòd neque ex alio principio, neque ex alio, quod non sit principium, sed ex ipso aliquid est, iam definitum ponetur in definitione, quod in definiendo vitium est maximum.

*Solutio.*

Ad hanc obiectionem dicendum est definitiones, quæ in plurali numero traduntur, aliquando tradi distributiuè tantùm, vt proposita illa cœlorum descriptio: aliquando non distributiuè tantùm, sed collectiuè etiam, vt si dicas, coniuges esse eos, qui inter se generationis causſa, indissolubili societate coniuncti sunt: hic enim cernitur collectio simul cum distributione, quatenus nomen coniugum sumitur pro quibuslibet duobus matrimonio coniunctis. Priores quidem definitiones nullo omisso verbo, sed sola numeri mutatione, possunt accommodari numero singulari, vt apertissimum est, at posteriores non possunt, nisi mutentur ea, quæ ad collectionem pertinent. Vnde quemadmodum non dices, coniugem esse eum, qui inter se generationis causſa, indissolubili socitate coniunctus est, Ita nec dices, principium esse id: *quod neque ex se se, &c.* sed retento vero sensu, & abiecta particula collectionem significante, quemadmodum coiūx definiendus est esse is, qui cum alio generationis causſa indissolubili societate coniunctus est, Ita Principium esse id, quod non ex alio, sed ex ipso aliquid est. Quo pacto nec ineptè aliquid in definitione ponitur, nec definitum in definitione sui adhibetur, & sensus retinetur integer. Itaq; definitio ab Aristotele tradita sic exponenda est, Principia, quæ ad cuiusuis rei naturalis siue constitutionem, siue etiam generationem conueniunt, ea sunt, quæ neque ex se se, neque ex aliis, sed ex ipsis illa per se constat, aut etiam gignitur.

*Duo genera definitionum*

*Aristotelica definitionis explicatio.*

*Tertia obiectio.*

Tertia obiectio. Nulla res naturalis constat ex priuatione, vt est luce clarius, nulla item fit ex priuatione, aut igitur priuatio non est principium, aut definitio proposita non est rectè tradita.

*Priuatio quo modo sit principium.*

Nvllam verò rem naturalem fieri ex priuatione, ex eo probatur quia priuatio neq; efficitur pars rei, quæ gignitur, vt perspicuum est: neque est terminus à quo eius generationis. Homo enim exempli causſa, non fit ex priuatione formæ hominis, vt ex termino à quo, sed ex non homine, seu, vt clarius dicam, ex priuato forma hominis. Debet enim terminus à quo esse contrarius termino ad quem, siue rei quæ fit, priuatio autem formæ hominis non est contraria homini, sed non homo, seu priuatum hominis.

*Solutio.*

Ad hanc obiectionem respondendum est, rem, quæ generatur, & ex priuatione suæ formæ, & ex re priuata, vt priuata est, fieri per se tanquam ex termino à quo: sed tamen ex priuatione tanquam ex ter-

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Tertium.* igitur aliqua principia non sunt priora suis principiatis, sed planè nulla. *Vt habes in prædica. c. de iis, quæ sunt ad aliquid.*

QVOD vero opposita pars magis sit probanda, his rationibus concluditur.

*Primum pro affirmatiua.* PRIMVM, quia quandocumque aliquid est primùm negatiuè, si detur aliquid aliud, cuius respectu sit primum, iam erit primum positiuè respectu illius, ac proinde priùs illo, quemadmodum primogenitus, qui ante secundum filium est primus negatiuè, nato secundo filio, incipit esse primus positiuè, ac proinde prior illo: at ex ipsa definitione patet omne principium ita esse primum negatiuè, vt sit primum respectu eius, cuius est principium. Ideò enim dicitur esse id vnde aliquid est, aut fit, aut cognoscitur.

*Secundum.* DEINDE, quia id omne quod supponitur ab alio, est prius illo: at omne principium supponitur ab eo cuius est principium, alioquin, non magis illud huius, quàm hoc illius principium esset.

*Tertium.* TERTIÒ quia vbicumque datur ordo, datur prioritas vnius respectu alterius: imò etiam nihil aliud est, duo quælibet esse ordinata inter se quàm vnum esse prius altero; at inter principium, & id cuius est principium, necessario datur ordo, vt omnes, & Philosophi, & Theologi fatentur: neque id cuius datur principium, est prius suo principio, vt aperte constat.

### *Quid de principio in diuinis in hac quæstione sentiendum.*

### SECTIO II.

*Quæ in re sit difficultas.* QVOD in hac quæstione negotium exhibet illud est solum, quod pro parte negatiua ex decretis Orthodoxæ fidei de Diuinis personis obiecimus. Nam cætera quæ pro eadem parte addita sunt, mera sunt sophismata, quæ aut præteriri, aut obiter dilui possent. Quare si hoc vnum explicauerimus, vno (vt sic dicam) verbo quæstioni satisfactum erit.

*Opinio Diui Tho.* AC quidem Diuus Thomas existimat, in diuinis personam producentem non esse priorem ex parte rei persona producta: nostro tamen intelligendi modo priorem esse. Atque in prima parte quæstione 42. articulo tertio, ea ratione probat personam producentem non esse ex parte rei priorem producta, quia nec ex parte naturæ communis prior est, cùm eadem omnino sit in persona producente, ac producta: nec ex parte relationum, quibus personæ distinguntur, cùm persona producens, & producta, (vt correlatiuæ sunt) & natura simul sint, & cognitione, in quæst. verò 40. eiusdem partis, articulo quarto, ex eo probat personam producentem esse priorem nostro intelligendi modo, quia persona producens præintelligitur productioni actiuæ, ac proinde personæ productæ. Neque ista, inquit Caietanus, in locum posterius citatum pugnant inter se. Dicere personam producentem, & productam esse simul cognitione, siue intellectu, & simul asserere personam producentem esse priorem pro-

*1. p. q. 40. a. 4. & q. 33. artic. 3. & 33. art. 1. tertium & Sent. d. 9. 2. art. 1.*



producta nostra intelligendi modo. Sunt enim simul cognitione ex parte rei, siue, vt ipse loquitur, ex meritis rerum: producens autem prior producta, ex parte nostra. Nam etsi natura correlatiuorum non permittit, vt alterum sine altero perfectè intelligatur, tamen quatenus in diuinis relatio procedentis, & productio actiua idem sunt, vt Theologi ostendunt, eatenus apud nos, qui more nostro, ideſt, imperfectè diuina intelligimus: prius concipimus personam producentem quàm productionem actiuam, quæ ab ea quasi egreditur: licet alia ratione productio actiua sit fundamentum ipsius relationis, qua persona producens constituitur, De qua re Theologi fusius.

*Scotus in 1. Sen. d. 12 q. 2. & d. 28. q. 3. & in 2. d. 1. q. 1. & in Quodlibeto 4.* SCOTVS verò 1. Sen. dist. 28. q. 3. quē suo modo sequuntur Greg. in eundem librum d. 9. q. 1. & Gabriel ibidem q. 3. oppositum omnino docet. Ait enim personam producentem esse priorem ex parte rei persona producta: cognitione autem nullo pacto esse priorem, ac proinde nec modo intelligendi nostro. Quod autē sit prior ex parte rei, ex eo probat, quia etsi non est prior natura, est tamen prior origine, quatenus persona producta ab ea accipit esse. Quod verò nullo modo sit prior cognitione, ex eo concludit, quia vnum correlatiuum quatenus tale est, nullo modo potest sine altero intelligi, ac proinde nec ante alterum: persona verò producens nullo modo intelligi potest nisi conceptu relatiuo, cum in diuinis nihil aliud sit, quàm essentia, & ralatio. *Opinio Scoti.*

AT Durandus in 1. Sent. d. 9. q. 2. & d. 20. q. 2. Et D. Thomæ, & Scoto altera ex parte contradicit. Contendit enim personam producentem, neque ex parte rei, nec modo intelligendi nostro esse priorem producta: ex parte quidem rei propter rationem D. Thomæ: ex modo autem intelligendi propter rationem Scoti. *Opinio Durandi prioribus contraria*

NOBIS tamen vtrunque asserendum videtur: Personā producentem, & ex parte rei, & modo intelligendi nostro esse modo aliquo priorem producta. Ex parte quidem rei: tum quia persona producens est prior origine, vt rectè probat Scotus, cuius rationi, & sententiæ hac ex parte nec ratio, nec sententia D. Thomæ quicquā repugnant, tum etiam, quia est prior naturalis enumerationis ordine: quod miror quo pacto nec Scotus, nec D. Tho. nec quisquam alius animaduertit: aut si animaduertit, non adiunxit: præsertim cùm Aristoteles inter genera priorum tum hoc libro [a] cap. 11. tum in [b] Prædicamentis huius generis priorum meminerit, vt mox patebit. Modo autem intelligendi nostro: quia etsi persona producens non potest concipi sine relatione, potest tamen concipi more nostro ante productionem actiuam conceptu non relatiuo, sed absoluto, more inquam, concipiendi, quo concipimus producentia nostratia, quæ re vera absoluta sunt. Id autem tunc fit, cùm apprehendimus relationem producentis, non quatenus terminatur ad personam productam, sed quatenus dat esse communicabile, siue hypostaticum, siquidem hypostasis commune quippiam est hypostasibus absolutis, & relatiuis, At is conceptus imperfectus est, & contra quem nihil facit ratio Scoti de conceptu, & intelligentia relatiui quatenus relatiuum est. *Vera sententia.*

a *Text. 16.*
b *Cap. de modis. prioris.*

SED

Universidad de Deusto
Biblioteca



ens, & non ens, aut prima in genere contrariorum: si prima entia, primúmve ens, & non ens, rectè quidem concluditur: sed & petitur quod probandum erat (æquè enim dubitabatur essentne prima entia, primúmve ens, & non ens, atque an essent principia) & superuacaneum relinquitur, quærere aliam probationem secundæ conclusionis, quæ iam eodem argumento probata manet. Si enim prima contraria sunt prima entia, primúmve ens, & non ens, fieri non potest, vt vel sint ex aliis, vel ex sese, essent enim ex prioribus, ac proinde non essent prima. Si verò nomine primorum intelliguntur prima in genere contrariorum, & rectè quidem sumitur, quod erat per se notum, & probatio est optima. Si enim contraria essent ex aliis, sanè ex prioribus contrariis facta essent (contraria enim, quæ ex aliis sunt, ex aliis contrariis facta sint necesse est) vnde fieret, vt essent prima contraria, & non prima contraria. Verum hoc etiam modò redundaret probatio secundæ conclusionis. Si enim certum est, prima contraria, quia contraria sunt, non fieri ex aliis, multò certiùs est, non fieri ex sese, quia sunt prima contraria. Ita ineptissimè progressus videtur Aristoteles in duabus prioribus conclusionibus probandis.

*Posterior dubitatio.*

ALTERA dubitatio se offert contra probationem tertiæ conclusionis. Nam si ex eo rectè probatum erat prima contraria non fieri ex sese, quia essent contraria; cur statim sumitur ad tertiam conclusionem confirmandam. Quicquid fit, ex suo contrario fieri? pugnare videntur hæ probationes apertissimè.

*Solutio prioris.*

ATTAMEN si teneas quæ diximus, nullo negotio vtramque dubitationem dissolues. Patet enim ad priorem dicendum esse: In probatione quidem primæ propositionis, nomine primorum: non esse intelligenda prima simpliciter, vt rectè probatum est, sed prima in genere contrariorum, seu (quod idem est) prima contraria. Verùm ex hoc non efficitur superuacaneam, aut ineptam esse probationem secundæ. Nam etsi secunda ipso orationis contextu secunda est: intelligentia tamen non secunda, sed prima esse debet, quemadmodum ex prima quoque definitionis parte desumpta est, non ex secunda. Quæ cum ita sint, omnia cohærent optimè.

*Solutio posterioris.*

AD posteriorem dubitationem dicendum, id quod Aristoteles ait, prima contraria non esse ex sese, quia sunt contraria, rectissimè dici sumpto in probatione contrariorum nomine pro iis, quæ per se primo sunt contraria, nihilq; includunt, quo suo contrario non aduersentur. Cùm enim duobus modis vnum fiat ex alio præcedente, ac modo aliquo remanente in eo quod fit (excludendus enim est is modus, quo vnum fit ex alio prorsus pereunte, quia non propriè ex illo; sed post illud fieri, seu potius illi succedere intelligitur, vt Isthmij ludi, Olympicis) vno, vt ex eo quod perficitur, velut statua ex ligno, & vir ex puero: altero, vt ex eo, quod dissoluitur, nec remanet in eo, quod fit, nisi ratione materiæ, quo pacto aër fit ex aqua, & homo ex non homine, vt habes secundo huius operis libro cap. 2. fieri non potest, vt ea, quæ per se primo contrariantur, ex sese mutuo fiant: repugnantia enim eorum totalis in causa est, ne alterum, siue totum, siue ex parte

*Text. 7.*



parte ingredi possit alterius compositionem. Quod verò subdit omnia, quæ fiunt, ea ratione fieri ex primis contrariis, quia quicquid fit, ex suo contrario fit: æquè etiam rectè dicitur sumpto in probatione contrariorum vocabulo pro iis, quæ secundaria ratione contraria sunt. Hæc enim cum sint composita ex iis quæ primo contrariantur, vt materia si ipsa ex sese fiunt, ex illis quoque fiant, necesse est, etsi haud modo eodem: ex illis enim fiunt, vt ex principiis, ex terminis à quibus partialibus, non autem vt ex suis, sed suarum forrum contrariis, ex sese autem vt ex principiatis & ex terminis totalibus, suisque propriis contrariis. Ita nulla est repugnantia in probationibus secundæ, ac tertiæ conclusionis. Quæ omnia non mediocri adiumento erunt ad caput illud obscurius fortasse quàm plerisque videatur, planius intelligendum.

*Quo pacto contraria ex sese fiant.*

---

# NVM PRINCIPIVM SIT PRIVS EO CVIVS EST PRINCIPIVM.

## QVÆSTIO III.

*Argumenta pro vtraque parte.*

### SECTIO I.

QVÆSTIONEM hanc, cuius explicationem, in tractanda prima polliciti sumus, difficilem reddunt ea quæ se pro vtraque parte offerunt. Nam quod non omne omne principium sit prius eo cuius est principium, his argumentis videtur planè ostendi.

*Primum pro parte negatiua.*

PRIMVM, quia in diuinis Pater est principium Filij, & vterque Spiritus sancti, vt definitum est in sacra Oecumenica Florentina Synodo: & ratio ipsa planè idem ostendit, cum filius à patre, & spiritus ab vtroque verè, ac naturaliter procedat: at omnes diuinæ personæ, sunt per omnia coæternæ, & coæquales: ex quo fit, vt nulla earum possit esse prior altera. Vnde est illud Athanasij in Symbolo: & *in hac Trinitate nihil prius, aut posterius, nihil maius, aut minus, &c.*

*In literis sanctæ vnitatis.*

*Secundum.*

DEINDE, quia si in principiis numerantur, non solum ea, vnde res sunt aut fiunt, sed etiam vnde cognoscuntur: sanè, cum multa cognoscantur à posteriora, multa principia quatenus principia sunt, erunt posteriora iis, quorum sunt principia, tantum abest, vt sint priora.

TERTIÒ, quia certum est principium, & principiatum, esse correlatiua: correlatiuorum autem neutrum est prius altero, non solum

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Terminus à quo vt dicatur contrarius termino ad quem*

mino à quo partiali, ex re autem priuata tanquam ex termino à quo totale: In definitione autem particulam, ex, non esse sumendam, vt significat habitudinem termini à quo totalis, sed partialis. Nam nec terminus à quo totalis, quēadmodum nec totalis terminus ad quem, est principium, sed principiatum. Nec verò id, quod dici solet terminum à quo esse contrarium termino ad quem, intelligendum est de termino partiali cum totali cōparato, sed de totali cum totali, & partiali cum partiali, vt de homine cum non homine, & de forma hominis cum priuatione formæ hominis, tametsi hoc interest; quod termini totales non sunt contrarij per se primo, sed per partiales, qui per se primo sunt contrarij. Forma enim, & priuatio formę sunt contraria se totis, potestque alterum, totum alterum expellere ab eodem subiecto: at habens formam, & priuatum forma non sunt contraria se totis, nec potest alterum, totum alterum à subiecto vllo expellere, cum ipsa non sint in subiecto, sed subiectum includant.

*Varia contrariorum genera*

Sed vt hanc contrariorum distinctionē planius intelligas, aduerte, contrariorum, quædam esse positiuè opposita, vt sunt calor, & frigus, calidum, & frigidum, forma hominis, & forma embryonis, ipse homo atq; embryo: quædam priuatiuè, vt calor, & priuatio caloris, calidum & calore priuatum, forma hominis & priuatio humanæ formæ, ipséque homo, & non homo, non negatiuè tamen, sed priuatiuè sumptus, sumimus enim hoc loco contraria pro iis omnibus, quorum alterum fit ex altero, aut illi post effectionē alicuius alterius rei succedit idque siue per se siue per accidens. Rursus, contrariorum, quædam esse per se, quædam per accidens. Contraria per se sunt ea, quorum vtrúmque, vel ratione sui totius, vel ratione suæ partis, contrarium est alteri. Ratione sui totius, vt ex oppositis positiuè calor, & frigus ex priuatiuè autem forma hominis, & priuatio formæ hominis. Atque hæc sunt per se primo contraria.

Ratione autem suæ partis, vt ex positiuè oppositis calidum, & frigidum: ex oppositis autem priuatiuè homo, & non homo priuatiuè sumptus: sumimus enim hæc quatenus sunt composita ex subiecto & forma, vel ex subiecto, & priuatione formæ: Suntq; ista non per se primo cōtraria, sed per se secūdario siue ratione suarū partiū. Cōtraria per accidēs sunt ea, quæ nec ratione sui, nec suarum partiū, contraria sunt, sed vel vtrumq; vel alterum per aliquid sibi adiunctum, vt ignis, & aqua ratione caloris, & frigoris, itémq; forma hominis, & embryonis, ipséque homo, & embryo ratione priuationis alterius.

*Prima contraria & primo contraria*

Adverte autem non omnino eadem esse per se primo contraria atque prima contraria. Quamquam enim omnia prima contraria, quæ re vera sunt formæ substantiales, & earum priuationes (quicquid veteres dixerunt) sunt per se primo contraria, siue se totis contraria, vt exposuimus: non omnia tamen per se primo contraria sunt prima contraria, vt patet in calore, & frigore, & in his, eorúmque priuationibus, ac similibus. Quamuis enim eorum aliqua dici possunt prima in certo genere, vt in genere sensibilium qualitatum, aut in certo aliquo prædicamento iuxta illud, quod sæpè vsurpat Aristoteles. *1. Phys c. 6. text. 50. & 56. lege. eundem 10. Met cap. 7 text. 15.*



les, In vno quoque genere est vna prima contrarietas, formæ scilicet, ac priuationis: sola tamen forma substantialis, & eius priuatio sunt prima contraria simpliiter.

*Quodnam contrarium fiat per se ex suo cōtrario.*

Quæ cum ita sint, nullum contrarium est, quod fiat per se ex suo contrario, nisi ambo sint per se contraria, idque secundario, & priuatiue. Contraria enim per accidens non fiunt per se ex suis contrariis, vt est luce clarius, siue ea positiue, siue priuatiuè opponantur. Contraria verò per se primò, cùm simplicia sint, nec propriè fiant, ex suis contrariis fieri non possunt, siue ea positiuo nomine opponantur, siue priuatiuo. Demum contraria per se, quæ secundariò contraria sunt, si positiue opponantur, non possunt esse per se termini generationis, siue substantialis illa sit, siue accidentalis, cùm generatio quæuis sit mutatio ex non esse ad esse: tametsi possunt esse termini motus, qui semper clauditur terminis positiuis.

*Text 43.*

*Occurritur obiectioni.*

Neque obest quod 1. Phys. cap. 5. inter exempla eorum, quæ per se fiunt ex suis contrariis, affertur mutatio, qua album fit ex nigro, aut medio colore affecto. Non enim Aristoteles, id simpliciter affirmat, sed cùm dixisset, album fieri per se ex non albo, ne quis putaret album ex quouis non albo fieri posse, vt ex Chimera, aut linea, aut substantia separata, subdit non album illud debere esse contrario aliquo colore, aut medio affectum, vt in eo sit aptitudo ad albedinem, qua est priuatum.

*Quarundam dubitationum solutio.*

## Sectio III.

*Quæ ca. 5. 1. Physic. occurrunt Referuntur obscurius loco ex Physicis.*

Ex his facilè dissolues duas non contemnendas dubitationes, quæ à multis tractantur ad cap. 5. primi Physic. vix autem ab vllo satis explicantur.

*Text. 41.*

Dixerat Aristoteles eo loco, principia esse, quæ neque ex sese, neq; ex aliis, & ex ipsis omnia essent, hoc est constarent, aut fierent, quo pacto essendi verbum interpretati sumus. Tum, vt probaret prima contraria esse principia, hac ratione progressus est. Primum probauit non esse ex aliis, quia sunt prima. Si enim essent ex aliis, essent vtique ex prioribus, ac proinde non essent prima: at sunt prima, non igitur ex aliis. Deinde probauit non esse ex sese, quia sunt contraria: contraria enim ita sibi mutuo repugnant, vt vnum ex altero esse non possit. Tertiò probauit, omnia ex ipsis esse, omnia inquam quæ primò ac simpliciter fiunt. Probatio verò est quia sunt prima contraria. Cum enim quicquid fit, ex suo contrario fiat: contraria verò secunda, sint posteriora primis: necessario sequitur, omnia, quæ fiunt primò, ac simpliciter, ex primis contrariis fieri. Ita concludit Aristoteles prima contraria esse principia. Ex qua probatione prior hæc dubitatio oritur. Aut in prima conclusione confirmanda, nomine primorum intelliguntur prima entia, primúmve

*Prior dubitatio.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Cur D.Th. in Diuinis non posuerit prioritatem originis.*

SED vt redeamus ad duplicem illã prioritatem ex parte rei, quam ponimus in persona producente, quod quidẽ attinet ad prioritatem originis, animaduertendum est, Aristotelẽ putasse omne producens esse diuersæ numero naturæ à producto, atque iccirco in omni producente posuisse prioritatem naturæ: Id quod in causa fuit, vt D. Thomas, ea obseruantia, qua semper in illum fuit, non ausus sit addere nouum genus prioritatis producentium, vt producentia sunt, sed satis se ostensurum putauerit, personam producentem in diuinis, non esse ex parte rei priorem producta: si probaret non esse priorem natura. At Scotus, vt liberior in sua sententia adhibenda, cùm considerasset in communicatione Diuinæ naturæ dari re vera, & à parte rei aliquam prioritatem communicantis, siue producentis, quæ non sit prioritatis naturæ, non est veritus prioritatem originis inducere, non quidem contra sententiam D. Thomæ, qui huic prioritati, vt à Scoto explicatur, nihil repugnat, sed præter eius aliorumque antiquiorum consuetudinem huiusmodi prioritatem non nominandi, nec tractandi, & forsitan nec animaduertendi.

*Cur Aristoteles priora ordine, cæteris priorum generibus adinnexerit.*

QVOD verò attinet, ad prioritatem ordinis, illud notandum: & si omnia priora dici possunt priora ordine (alia enim sunt priora ordine loci, alia temporis, &c.) iccircò tamen Aristotelem & in hoc libro, & in prædicamentis, priora ordine aliis generibus priorum addidisse, quia accepit priora ordine, vt complectuntur ea, in quibus nullus alius ordo attenditur, quàm enumerationis, primi videlicet, secundi, tertij, &c. Enumerationis, inquam, passiuæ, seu potius enumerabilitatis: vbi enim datur primum, secundum, &c. semper præcedens est, prius respectu consequentis. Cum autem enumeratio duobus modis accidat (vel enim pro libito, hinc, aut illinc incipimus, vt si in enumerandis alicuius liberis, à natu minimo ad maximum progrediamur: vel iuxta aliquem ordinem in rebus inuentum, vt si illos eosdem, ordinem tẽporis sequuti, enumerare incipiamus à natu maximo) duplex quoque erit genus priorum ordine, alter numerabilitatis naturalis (eius nempe quæ congruit ordini inuento in rebus ipsis) alter arbitrariæ. Vtrumque autem ordinem tenere possumus in enumerandis iis, quæ à parte rei ordinata sunt arbitrarium, si solum velimus colligere numerum ordinatorum, nihil enim refert ad eam rem, vndecúnque incipiamus: naturalem autem, si sequi velimus aliquem alium specialem ordinem, qui in rebus cernatur, & in quo ipse enumerationis ordo fundetur, siue hic sit proprietas illius, siue non sit: satis est enim, quod alia sit eius ratio. Hoc autem idem accidere potest in inumerandis Diuinis personis. Si enim nihil aliud, quàm ternarium earum numerũ velis colligere, nihil intererit à qua persona incipias. At si sequi instituas naturalem ordinem originis, qui in eis à parte rei cernitur, fas non erit aliter, quàm Patrem primam personam dicere, Filium secundam, tertiam Spiritum sanctum. Sed operæpretium est occurrere argumento Maximini Ariani, quod Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus in vita Cerealis Episcopi Africani Castellanensis narrat Cereali hunc in modum obiecis-

*Cap. 11*

*Duplex enumerandi modus*

*Occurritur argumento Maximini Ariani.*



obiecisse. Pater in diuinis priùs nominatur, quàm filius: igitur filius est inæqualis patri. Nam etsi Cerealis arbitraria vtens enumerationis ratione, piè, sanè, atque ad verba Maximino respondit (occurrit enim, nonnunquam etiam filium ante patrem nominari, vt apud Paulum ad Galatas cum ait (sed *per Iesum Christum & Deum Patrem*) tamen quia Maximinus re vera loquebatur de enumeratione secundùm ordinem originis, qui certus est, & inuerti non potest, aliter necesse est respondeamus. Itaque dicimus, ex prioritate quidem naturæ, semper colligi posse inæqualitatem, quia quandocumque generans est priùs natura genito, semper genitum (initio saltem) est imperfectius generante. At ex prioritate Originis non semper id effici, quia fieri potest, vt generans eandem numero naturam genito communicet, quod cum in diuina generatione propter infinitam diuinæ naturæ perfectionem accidat, non sequitur in diuinis genitum esse inæqualem generanti.

*Paul. ad Galat. cap. 1.*

ILLVD tamen aduerte & si in diuinis concedimus vnam personam esse origine priorem altera, non esse tamen admittendum, esse simpliciter & absolutè priorem altera, ne aut tempore, aut natura prior esse intelligatur. Quo etiam pacto superiùs diximus, quæ sunt principia cognitionis rei, non continuò esse simpliciter & absolutè principia rei cognitæ, sed eius cognitionis, seu quod idem est, rei cognitæ, vt cognitæ. Atque hac de causa veteres Theologi, & (quod credere par est.) D. etiam Thomas simpliciter & absolutè negarunt, patrem esse filio priorem, & vtrumque spiritu sancto. Non negassent tamen esse priorem origine.

*Quomodo in diuinis prioritas esse dicenda sit.*

*Q. 1. sect. 4.*

ITA patet vtramque personam producentem in diuinis esse modo aliquo priorem producta, non tantùm nostro intelligendi modo, sed etiam ex parte rei: non natura tamen (tum quia formaliter, & vt ita loquar, intrinsecus correlatiuæ sunt, ac proinde simul natura, tum etiam quia semper priùs & posteriùs natura differunt perfectione) sed origine, naturali ísque enumeratio nis ordine.

*Conclusio de prioritate inter diuinas personas.*

*Omne principium esse priùs eo cuius est principium.*

SECTIO II.

HIS ita constitutis, non dubium relinquitur, quin ad quæstionem respondendum sit omne principium esse priùs eo, cuius est principium. Id enim primum patet inductione, si quidem omne principium, aut est priùs loco, aut tempore, aut natura, aut cognitione, &c. Nam & diuinarum personarum principia quæ videbantur priora non esse re vera priora sunt iis modis qui sunt à nobis explicati. Deinde iis rationibus quæ in 1. sectione pro affirmatiua parte proposita sunt, adeò vt non sit opus aliam adiungere.

*Conclusio quæstionis an omne primũ sit prius principiato.*

ILLVD tamen pro secunda ratione intelligenda animaduertendum est aliud esse supponere aliquid, aliud pẽdere ab aliquo. Supponit enim res genita priuationem suæ formę præcedentem in materia nec tamen ab eiusmodi priuatione pendet, quod idem in quibusdam aliis principiis cernere licet, itaque omne principium dici potest subponi ab eo, cuius est principium, cum sit ab illo vel post illud, &c. non

*Supponere aliquid non idem esse, atque pendere ab illo.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



omnè tamen ab eo pendere. Quod idem magis patet in diuinis, quã humanis, cùm diuinæ personæ per se ipsæ sint independentes. Quod si supponi ab aliquo pressius sumatur pro eo, quod est supponi vt causſam, tum falsum est illud, quod assumitur, omne principium supponi ab eo, cuius est principium, vt patet in eisdem exemplis, & priuatione respectu rei genitæ, & diuinarum personarum producẽtium respectu productarum. Nec probatio quicquam valet, quia ordo ipse efficit, vt hoc potius illius, quàm illud huius principium sit.

*Opinio affirmantium non vbicumque detur ordo, dari prioritatem.*

TERTIA quoque ratio, quia non ab omnibus probatur, explicanda est necessario. Negant enim D. Tho. sectatores, itémque Durãdus in locis citatis, vbicumque datur ordo, dari prioritatem. Quod duobus potissimum argumentis confirmant.

*Caietan. in 1 p. q. 42. art. 3*

VNVM desumunt ex Diuinis personis, quod ex dictis solutum relinquitur. Vt enim illis concedimus dari ordinem inter diuinas personas (alioqui daretur confusio) imò etiam fatemur cum Augustino lib. 3. contra Maximinum cap. 14. dari ordinem naturæ, hoc est, non arbitrarium, sed repertum in rebus, vel si malis interpretari, fœcunditati naturæ diuinæ conuenientem, quem D. Tho. 1. par. q. 42. artic. 3. vocat ordinem originis, ita addimus, dari prioritatem, tum originis, tum naturalis enumerationis.

ALTERVM desumunt ex diuinis attributis, hunc in modum. In diuinis attributis datur ordo à parte rei, alioqui inter intellectum, & voluntatem diuinam, ac proinde inter processiones diuinarum personarum, quarum secunda procedit per intellectum, tertia per voluntatem, non daretur ordo: atqui inter attributa diuina non datur à parte rei prioritas vnius respectu alterius, cum omnia sint ipsa simplicissima Dei essentia, non igitur vbicumque datur ordo, datur prioritas.

*Quo pacto in diuinis tributis detur ordo.*

Sed & hoc argumentum facilè dissoluitur: non datur enim in diuinis attributis à parte rei vllus ordo formaliter, sed virtute tantum. Nam cum omnis ordo supponat distinctionem ordinatorum (eiusdem enim ad se ipsum nullus est ordo) diuina autem attributa, vt iidem fatentur, cum non sint formaliter distincta à parte rei, sed virtute, hoc est, ita se habeãt in suis effectis, aut quasi effectis, ac si essent distincta efficitur, vt nec sint à parte rei ordinata formaliter, sed solum virtute. Ex eo enim quod personæ diuinæ à parte rei ordinatè procedunt per intellectum, & voluntatem diuinam, colligimus intellectum, & voluntatem diuinam ita se habere à parte rei, ac si essent formaliter ordinata. Exemplum sumi potest in Sole, in quo vis calefactiua, & exsiccatiua non sunt ordinatæ formaliter à parte rei, quemadmodũ nec distinctæ, quippe cùm sit vna tantum qualitas, lux, inquam, ipsa: & tamen negandum non est, eas à parte rei esse virtute, seu vt dici solet, virtualiter ordinatas, ac distinctas, quòd ita se habeant in calefaciendo, & exsiccando, ac si vis calefactiua esset alia ab exsiccatiua, eamq; ordine naturæ præcederet. Videmus enim solem ordine quodã prius calefacere, deinde exsiccare. Cum igitur in diuinis attributis non detur ordo formaliter à parte rei, sed virtute tantum, nihil mirum est, si non detur prioritas formaliter, sed solum virtute.

*Similitudo.*





*1 par. q. 28. art. 1.*

ADDVNT nonnulli tertium hoc argumentum ex D. Thoma. Quę ad inuicem referuntur ad inuicem ordinata sunt, duo quælibet correlatiua æqualis comparationis inuicem referuntur, vt duo similia inter se: igitur inuicem ordinata sunt, at in correlatiuis æqualis comparationis neutrum est priùs altero, vt luce clariùs: non dubium igitur, quin detur ordo sine priori, & posteriori. Verum & hoc argumentum nihil conficit. Primum, quia si D. Tho. in hac controuersia, aliter atque nos sentit, non est quod eius auctoritatem nobis obiiciant. Deinde quia cum ait quæcunque inuicem referuntur inuicem ordinata esse, loquitur de ipsis extremis quæ denominantur relatiua, sensuſq; eius verborum est, extrema quæ mutua reali relatione referuntur esse cognata inter se, aut communicatione alicuius formæ communis: vt duo similia, aut mutua ad se inuicem propensione, vt agentia & patientia creata. Vnde non sequitur dari ordinem vllum inter correlatiua æqualis comparationis.

*Exponitur locus D. Thomæ.*

DICENDVM est igitur verã esse maiorem illam propositionem, vbicumque datur ordo, dari prioritatem aliquam vnius respectu alterius: imò verò si propriè loquamur, nihil esse aliud duo quælibet esse ordinata inter sese (quod rectè in argumentatione addebatur) quòd vnum esse priùs altero, siue loco, siue tempore, siue natura, &c. hoc enim & communis loquendi modus approbat, & ratio ostendit. Nam & in iis quæ peculiari ratione ordinata dicuntur: in primo (inquam) secundo, tertio, &c. nihil aliud est, ea ordinata esse inter sese, quàm primum esse priùs respectu secundi, & secundum respectu tertij, & sic deinceps. Quo fit, vt nihil sit, cur tertia argumentatio in nostram assertionem non congruat.

*Semper inter ordinata dari vnum prius altero.*

SED contra id quod paulò ante dictum, & probatum est, omnem ordinem supponere distinctionem, sic obiici potest. In motu, & tempore, imò & in omni quantitate continua datur ordo à parte rei, & tamen non datur distinctio: non rectè igitur dictum est, omnem ordinem supponere distinctionem ordinatorum. Ad hanc obiectionem dicendum: dari quidem in qualibet quantitate continua à parte rei ordinem realem, quemadmodum & distinctionem realem partis, à parte (neque enim vna pars est alia) attamen non dari ordinem formalem: quemadmodum nec datur distinctio formalis, quæ nunquam cernitur, nisi vbi est actualis multitudo, siue rerum, siue quidditatum distinctarum.

*An ordo supponat distinctionem.*

HÆC vt luculentiùs teneas, aduerte distinctionẽ quã ordo supponit multiplicem esse. Aut enim est realis & formalis simul, vt inter quodlibet producens, & productum, siue hoc creatum sit, siue increatum: aut realis, sed non formalis, vt inter partes eiusdem quantitatis continuæ: aut formalis, sed non realis, vt inter genus & differentias: aliósque gradus Metaphysicos, vt vocant: aut nec realis nec formalis sed virtualis virtute ipsius rei, vt inter attributa diuina, & inter multa etiam creata: aut denique nec realis, nec formalis, sed virtualis virtute intellectus, vt inter concretum commune, & abstractum commune, veluti inter humanitatem communem, & hominem communem,

*Quotuplex distinctio.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Octuplex ordo.*

munem, quæ noſtra tantum conſideratione diſtinguuntur. Quare cũ ordo talis ſit, qualis, & diſtinctio, quam ſupponit: is quidem, qui in prima diſtinctione fundatur, & realis, & formalis eſt, qui in ſecunda realis, ſed non formalis, qui in tertia, formalis, ſed non realis, qui in quarta, nec realis, nec formalis, ſed virtualis virtute rei, qui denique in quinta, nec realis, nec formalis, ſed virtualis virtute intellectus, qui ordo ratio ratiocinantis appellatur.

*Non vbicumque datur diſtinctio dari ordinem.*

ADVERTE tamen etſi vbicumque datur ordo, datur diſtinctio: non tamen vbicumque datur diſtinctio, dari ordinem. Multa enim diſtincta ſunt, quæ non ſunt ordinata inter ſeſe, ſed confuſa, vt patet in turba hominum tumultuaria, & in duobus quibuſlibet correlatiuis æqualis comparationis, ſiue eiuſdem appellationis, vt in duobus æqualibus, aut ſimilibus, ſaltem ſi perfectè æqualia, aut ſimilia ſint. Vnde perſpicuũ eſt, latius patere diſtinctionem, quàm ordinem. Atque hoc pacto perſpicua relinquitur affirmatiua pars propoſitæ quæſtionis.

*Solutio eorum quæ pro negatiua parte propoſita ſunt.*

SECTIO IIII.

*Explicatio verborũ ſymboli.*

PRIMVM verò argumentum eorum, quæ pro negatiua parte propoſita ſunt, hoc pacto diſſoluendum. Coæternitatem, & coæqualitatem diuinarum perſonarum, & ſi ſunt ſatis, vt nulla ſit tempore, aut natura prior alia: non efficere tamen, quo minùs alia poſſit eſſe prior alia, aut origine, aut ordine. Nec verò Athanaſium locutum eſſe in eo loco, niſi de prioritate temporis, vt patet ex verbis ſequentibus. Cum enim dixiſſet: *& in hac Trinitate nihil prius, aut poſterius, nihil maius, aut minus*, mox ſubiecit: *ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales*, vbi opponit verbũ: *coæternæ*; verbis: *prius aut poſterius*, & verbum: *coæquales*, verbis: *maius, aut minus*, hoc eſt perfectius, aut minus perfectum. *In ſymbolo fidei.*

*Quid ſit cognoſci à priori & poſteriori.*

AD ſecundum dicendum, etſi in definitione principij comprehẽduntur principia cognitionis, quibus multa à poſteriori cognoſcimus: non tamen inde effici vllum eiuſmodi principium, quatenus tale principium eſt eſſe poſterius eo cuius eſt principium. Eſt enim ſemper prius cognitione aliqua, ſiue ſenſitiua, ſiue intellectiua, ſiue imperfecta, ſiue perfecta. Quod autem dici ſolet, hoc, vel illud à poſteriori cognoſci, non ita accipiendum eſt, quaſi dicatur à poſteriori ſecundum cognitionem quamcumque, ſed ſecundum cognitionem accuratam, vt ſi cauſas cognoſcamus per effecta: quo etiam modo tùm aliquid dicitur cognoſci à priori, cum cognoſcitur per id, quod eſt prius, ſecundum accuratam, & perfectam cognitionem. Non dixi *ſecundum naturam*, vt ea complecterer, in quibus non datur priùs & poſteriùs natura, cùm interim ſæpe dicantur cognoſci à priori, ſæpè à poſteriori: quo pacto dicimus Dei immobilitatem per æternitatem à poſteriori cognoſci, æternitatem verò per immobilitatem à priori: item eius ſcientiam & voluntatem, per prouidentiam poſteriori, hãc verò per illas à priori.

*Principiũ & principiatum quot modis ſumi poſſint.*

AD tertium dicendum, tribus modis poſſe accipi principium, & principiatum, quemadmodum de cauſſa in 1. lib. diximus. Vno pro eo, quod *Cap. 7. q. 2. ſect. 3.*



eo, quod denominatur principium, nullo modo collato cum effectu, vt pro materia, quatenus materia eſt: altero pro principio, quatenus formaliter refertur ad principiatum, vt pro materia, quatenus certo modo refertur ad compoſitum: tertio (qui modus eſt medius) pro eo, quod denominatur principium, quatenus ex eo, aut ab eo, alióue modo, eſt principiatum, vt pro materia, quatenus ex ea eſt compoſitum. Atque hæc eſt propria conſideratio principij, quatenus principium eſt: & hoc modo ſumendum eſt principium in definitione principij, quemadmodum & cauſa in definitione cauſæ. Hoc igitur modo, omne principium eſt prius principato, ſiue eo, cuius eſt principiũ: non quod prioritas ipſa ad rationem principij pertineat, ſed quod eã ſequatur, vt dictum eſt. Num autem hæc duo, principiatum, & id, cuius eſt principium re vera idem ſint inferiùs patebit.

ET quoniam hactenus quid eſſet principium, & vtrum prius eſſet eo, cuius eſt principium, explicauimus, ſequitur, vt diſquiramus, num rectè Ariſtoteles principiorum genera tradiderit.

---

# NVM RECTE ARISTOTELES PRINCIPIORVM GENERA TRADIDERIT.

## QVÆSTIO IIII.

*Argumenta pro vtraque parte.*

SECTIO I.

ARISTOTELES quidem, ſeptem (aut ſi mauis) quinque principiorũ genera tradidit hoc capite: principium magnitudinis, à quo motus incipit, à quo actio bene incipit: Pars rei, quæ prima exiſtit, efficiens natura, aut electione, aut arte: & id vnde res cognoſcitur. Verùm quòd multa principiorum genera prætermiſerit his argumentis oſtenditur.

*Quod multa prætermiſiſſe videatur principiorum genera.*

1. PRIMVM, quia non meminit principij motus quod eſt quies, nec principij temporis, quod eſt inſtans: imò nec principij generationis, quod celebre eſt ad modum priuationis, inquam, formę introducẽdę.

DEINDE, quia vt poſuit principium, à quo actio bene incipit, ita ponere debuit à quo male: vnde illud Euripidis, de malo principio malus finis erit.

3. TERTIO, quia etſi meminit materialis, ac efficientis principij, neglexiſſe tamen videtur formale, exemplare, ac demum finale, quæ in principiis numeranda eſſe nemo negauerit.

4. QVARTO, quia cùm principium efficiens minus latè pateat, quàm principium producens, quemadmodum & effectio, quàm productio: ſanè loco efficientis principij, ponendum fuit principium producens, vt principium creans, & diuinarum perſonarum principia comprehenderentur. Neque enim dubium videtur multis, quin

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Probabile Aristotelis fuisse cognitam creationem.*

Aristoteles creationem admittat. Saltem ab æterno: etsi autem productiones diuinarum personarum non agnoscit, quando tamen illas re vera dari nil repugnat, tam amplè de principio producente agere oportuit, vt ne earum quidem principia excluderentur.

5 QVINTÒ quia immemor fortasse fui qualitates eas quas secundo libro de Generatione cap. 2. elementorum principia esse docuerat, nullo in genere istorum complexus est, vt inductione patet. *Tex. 7. & 1*

6 SEXTÒ, (quod mirari magis quisq; possit) quia principia huius scientiæ propria, & ea quidem, quæ rerũ essentias constituunt, prorsus non attigit: genera, inquam, summa & differentias: tum etiam numeri principium, apud Mathematicos & Philosophos vsurpatissimum.

7 POSTREMÒ quia cum principiorum quædam, intrinseca sint, quædam extrinseca, vt ipse quoque scribit hoc loco: non omnia tamen intrinseca, aut extrinseca percurrit: vt hac quoque ratione inconstantię notandus videatur. Ita fit vt angustissima principiorum diuisione vsus sit Aristoteles, vbi quàm amplissima vti debuit. *Textu 1.*

*Quod plura fecisse videatur quàm deduxit.*

QVOD autem è contrariò plura fecerit principiorũ genera quàm debuerat. Ex eo probari potest, quia ipse idem dixerat 1. Phys. cap. 6. oportere principia semper manere, hoc est esse æterna, quod ex Platone confirmat [a] Simplicius in 1. & 8. Phys. Si hoc enim verum est, solus Deus verè principium dici debuit, quando solus ipse re vera æternus est. Vnde & Christus Dominus apud Ioan. in Apocal. vt aliquid de se diceret, quod esset Dei proprium. *Ego*, inquit, *sum α, & ω, principium & finis.* [b] Hinc Stoici qui ita mundi generationem admittunt, vt materiam æternam faciant, duo tantùm principia esse dicunt Deum & materiam. Eandem sententiam de principio sequuti [c] Manichæi duo principia posuerunt, bonorum omnium efficiens vnum, malorum alterum, vt omnes, & qui rectè senserunt, & qui à veritatis tramite deuiarunt, in hoc communi conceptu consenserint: principium id solùm dici posse, quod æternum sit: addè & à quo cætera pendeant. Vnde illud apud Ciceronem in [d] Tusculanis quæstionibus pro Stoicis dictum: *Principij origo nulla est, nam ex principio oriuntur omnia, ipsum autem nulla ex re alia nasci potest.* *Textu 50.*

*Stoicorũ de principiis placitum.*

a *Com. 32. Com. 60.*

*Apocal. 22.*

b *Laër. in Zenone Citti.*

c *Aug. lib. 8. de Ciui. Dei c. 22. & lib. vnico de hæres. ad Quod vult Deum vide Epiph. lib. 2. contra Hæres. & alios.*

d *Lib. 1.*

*Rectè ab Aristotele tradita esse principiorum genera.*

SECTIO II.

*Institutum Aristotelis.*

SI tamen Arist. institutũ considerabimus, haud difficile erit intelligere, rectè ab eo traditã esse principiorũ distinctionẽ. QVOCIRCA illud animaduertendum est, ea communium verborum significata explicanda fuisse ab Aristotele in hoc lib. quæ in communi, aut certè non admodum priuato Philosophorum sermone versarentur: alioqui non videretur ille in hoc tractatu vsurpare significationes quæ iam essent, sed nouas instituere. Ita non mirùm est si quædam sint abstrusiores, & reconditiores apud Philosophos quæ in hoc libro non planè exponantur. Quamquam ea dexteritate persecutus est Aristoteles vulgata communiũ nominum significata, vt cæteri ad ea facilè reuocari, aut certè ex iis non difficile intelligi possint.

Hoc



*Prior ratio colligendi septem genera principiorum*

HOC quasi iacto fundamento, septem principiorum genera, quæ Arist. ætate in communi Philosophorum vsu erant, hunc in modum colligi possunt. Philosophorum vulgus etsi principia omnium rerum quærebat, re tamen vera quia non nouerat, nisi quæ magnitudinem haberent, solius magnitudinis, & rerum habentium magnitudinem principia inuestigabat. Cùm autem principium, medium, & finis in magnitudine ex motu cognita sint: motus autem duobus modis inchoetur, vno vndecumque: altero, vnde optimè, siue commodissimè inchoari potest: duplex quoque sit, necesse est, magnitudinis principium: alterum, vnde quomodocumque motus incipit: alterum vnde quam commodissimè incipit. Nam qui male rem incipit, sæpe nihil agere, vulgo dici solet. Ita duo iam habentur principiorum genera. Deinde rerum magnitudinem habentium, duo rursus principiorum genera esse possunt: alterũ esse realis earum, quod interna principia, & externa complectitur, alterum esse cogniti: vnde cũ ex iis, quæ sunt interna, sola materia Philosophorum vulgo esset cognita (nã præter materiam nihil aliud, nisi accidentia in rebus magnitudinem habentibus esse putabant) finis verò, qui vnum ex principiis externis est, ab efficiente, quod re vera est alterum, eorum sententia non distingueretur vt 1. lib. diximus: diuiso efficiente in efficiens natura, efficiens electione, & efficiens arte, quæcumq; accedunt principiorum genera ad duo iã dicta: principium materiale, efficiens natura, efficiens electione, & efficiens arte, & principium cognitionis. Ita fiunt septem principiorum genera (aut si mauis) quinque non diuiso efficiente.

*Ca. 6. tex. 10.*

*Efficiens triplex.*

*Posterior colligendi ratio.*

EADEM principiorum genera colligi possunt ex ipsa definitione principij tradita. Nam cùm principiũ dicatur id, vnde aliquid est, aut fit, aut cognoscitur: sanè principia essendi, si non eadem sint effectionis, ex mente quidem vulgarium philosophorum sola erũt principia magnitudinis: magnitudo enim cum apud eos non distinguatur à materia, quam factam esse minimè volunt: non principia effectionis, eorum sententia, sed solius rei ipsius habere potest: quæ duo esse perinde atque in superiori diuisione intelliguntur. Quare si duo alia genera principiorum effectionis aliarum rerum adiungas, nempe materiam ipsam, ac efficiens, quod triplex est, ac demum principium cognitionis adhibeas, totidem principiorum genera concludes.

*Alia non recta colligendi ratio.*

SVNT porrò, qui ratione ordinis hæc eadem principiorum genera colligere nitantur: sed cùm impedita satis vtuntur ratiocinatione, tùm verò parùm secura. Ordo enim etsi cernitur in omnibus principiis respectu eorum, quorum sunt principia, latius tamen patet, quã vt ex illius diuisione adæquata principiorum diuisio colligi possit. Nam & inter Neronem, & Antichristum datur ordo temporis: & inter vnitates eiusdem numeri datur ordo enumerationis. Nec tamen aut Nero est principium Antichristi, nec prior vnitas binarij principium posterioris, licet principium sit totius binarij. Ita patet Aristotelem aptè principiorum genera tradidisse.

*Basil. diuisio.*

*Hexa. Homilia 1.*

HANC eandem diuisionem secutus est magnus Basil. in enarrandis operibus sex dierum: nisi quod primum, & secũdum genus propter

Universidad de Deusto
Biblioteca



ter affinitatem non distinxit, & efficientia omnia vna efficientis notione explicauit, principiúmque cognitionis ad principium intentionis, quem finem dicimus (quia satis illi erat ea significatio) cõtraxit.

*Simplicij diuisio.*

SIMPLICIVS tamen 1. Phys. com. 12. & 5. libro eiusdem operis com. 29. vt minùs artificiosè, ita fusiùs quàm necesse fuit, principia distinxit: nempe in principia, positione, ordine, specie, affectione, tempore, generatione, numero. Item hæc ipsa in ea quæ vel natura, vel ad nos principia sunt. Hæc enim omnia, & quæcumque alia inueniri possunt ad ea quæ ab Aristotele tradita sunt, aut etiam ad generaliora tria quæ in definitione principij attinguntur, facilè reuocari possunt.

*Dilutio eorum quæ pro vtraque parte obiecta sunt.*

SECTIO III.

QVÆ autem pro vtraque parte obiecta sunt, hunc in modum dilui possunt.

*Ad primum.*

AD primum eorum, quibus concludebatur Aristotelem pauciora numerasse, quàm re vera essent, dicendum: Aristotelem non solùm non prætermisisse principium motus, sed ex illo etiam designasse principium magnitudinis. Neque enim aliud principium magnitudinis tradit hoc loco, quàm vel vnde motus incipit, vel vnde commodè incipit: quid autem est aliud, motum incipere quàm principium habere? Hoc enim peculiare est in primis tribus modis ab Aristotele traditis, vt principium, non tantum principium, sed peculiari ratione initium appelletur. Vt apud Albertum nonnulli volunt. Vnde minùs placet quod Diuus Thomas ait. In primo quidem modo ex principio magnitudinis designari principium motus, contra verò in secundo, ex principio motus, principium magnitudinis. Vtrobique enim designatur principium magnitudinis ex principio motus, vt ex contextu patet, & meritò quidẽ. Semper enim in motu est certum principium, & à medio ac fine suaptè natura distinctum: at in magnitudine nullum datur principium, quod ex natura rei non æquè sit finis atque principium. Cum autem tempus sit mensura motus, perspicuum est, principio motus tradito insinuatum quoque fuisse principium temporis.

*Initium de quibus principijs dicatur*

*Hoc c. lect.*

*Occurritur obiectioni.*

SI quis autem obiiciat: Priùs & posteriùs in motu sumi ex priori ac posteriori in magnitudine, vt Aristoteles tradit 4. Phys. cap. 11. occurrendum est, priùs & posteriùs eo loco sumi materialiter pro ipsa nimirùm extensione ac diuisibilitate, non pro ordine partium extensionis, quod ipse Aristoteles videtur exponere capite 13. huius libri cum ait motum esse quantum, & diuisibilem, quia magnitudo supra quam fit, est quanta & diuisibilis, & tempus similiter quia motus. Vel dicito sic intelligendum esse Aristotelem 4. Physic. quasi dicat ordinem certum partium motus nasci ex ordine arbitrario partium magnitudinis, supra quam fit, quia hic est necessarius ad illum, & natura illum præcedit.

*Arist. 4. Ph. cap. 11.*

*De principio generationis inchoatiuo.*

QVOD verò attinet ad principiũ illud generationis quod dicitur terminus à quo, si generatio quidem sumatur pro alteratione præcedenti introductionem formæ substantialis, principium generationis idem erit, atque alterationis: at principium alterationis, sicut & augmentationis reuocandũ est ad principium motus localis, cuius hic apertè fit mentio. Ita quies, seu potiùs vltimo quieuisse sub termino à quo positiuo, & ipse terminus à quo positiuus, sub quo quiescit mobile, principia sunt motus, & generationis dispositiuè. Si verò generatio sumatur pro ipsa formæ substantialis momẽtanea introductione, tum principium à quo illius erit priuatio substantialis formæ, nec reuocabitur ad primum, aut secundum genus principij, sed ad tertium, hoc est, ad principium materiale, quia res, quæ generatur, non intelligitur fieri ex alia materia, quàm ex ea, quæ priuata erat forma introducenda: tametsi constet, ac genita esse intelligatur ex materia iam informata.



*Duplex generationis vsurpatio.*

*Ad secundũ.*

AD secundum, vt respondeamus, repetere oportet id, quod paulò ante dictum est, incommodum, & ineptum principium non censeri principium. Vnde vulgatum illud prouerbium, tam sæpe à Platone, & Aristotele vsurpatum: principium esse dimidium rei faciendæ, aut etiam (quod interdum scribunt) plusquàm dimidium, rectè interpretatus est, qui dixit: *Dimidium facti, qui bene cœpit, habet*: quod is, qui malè cœpit, haud cœpisse meritò dici soleat.

*Sessio 2. Plato in Dialogo 6. de legib. Aristot. 2 Elenc. c. 8. & 1 de cœlo, c. 5 text. 31. 1. Eth. c. 7.*

*Explicatio prouerbij.*

*Ad tertium. Principium formale, exẽplare, ac finale.*

AD tertium dici potest Aristotelem innuisse formale principium cùm tradidit materiale: vel potiùs planè comprehendisse formam in extremo genere, omnia enim per suam formam cognoscuntur, nec quomodocumque, sed à priori: quod idem dicendum de causa exemplari & finali. Sed quoniam hæc tria nõ solum cognitionis, sed etiam essentiæ ac effectionis principia sunt, meritò ille traditis septem dictis generibus principiorum, communem omnium definitionẽ subiecit, vt ea tradenda suppleret non solùm quodcumque aliud genus prætermisisset, sed etiam quãcumq; aliam communem principiandi rationem non explicasset, quod quidem ex ipso contextu apertè colligitur. Alij reducunt tria hæc causarum genera ad principium efficiens, quod omne efficiens, & alicuius finis gratia, & aliquo proposito exemplari (si modo agat per intellectum) & alicuius formæ introducendæ causa agat. Verum hæc reuocatio minus aptatur iis, quæ ad finem capitis dicuntur.

*Ad quartum. Quam apte definitio principij tradita sit.*

AD quartum dicendum, etsi Aristoteles in tradendis principiorum generibus non comprehendit producens in commune; comprehendisse tamen illud in ipsa principij definitione. Nam & principium creans est principium vnde, siue à quo aliquid fit, effectione latè accepta, quo pacto creatio est effectio. Et tam hoc, quàm vtrumque principium diuinarum personarum est principium à quo aliquid est, vt mira in hac etiam re fuerit Aristotelis industria, qui tam amplè principij rationem tradidit, vt ne hoc quidem ineffabile ab ea excludatur. Quod Caietanus in Commentariis 1. partis annotauit.

*1 par. q 33. artic. 1.*

*Ad quintum. Qualitates cur principia dicantur.*

AD quintum dicendum, Aristotelem duabus de causis appellasse qualitates elementorum principia: vna, quod eas acceperit loco formarum substantialium, quæ nos latent: altera, quia sunt instru-

mẽtaria agendi principia, quæ ad principia agentia reuocari debent.

*Ad sextum. Summa genera, & differentiæ, vbi comprehensa.*

AD sextum dicito, genera summa, & differentias omnes, etiam indiuiduales (quæ omnia sunt simpliciter simplicia, vt Scot. loquitur) esse quidem principia metaphysica, & prætermissa in generibus principiorum enumerandis tanquã abstrusiora, & quæ minùs caperet philosophorũ vulgus: at non esse prætermissa in definitione principiorũ communi, cùm ex iis aliquid sit, ac cognoscatur, tametsi ex eis nihil fiat, quasi alteri ante existenti alterum adiungatur. Neque enim re ipsa differunt genus, & differentia, vt alteri existenti alterum aduenire possit. Quod verò attinet ad vnitatem, cum ea sit principium numeri, vt materia, ad tertium genus principiorum reuocatur. 1. Sent dist. 9. 3. & 2. Sent d. 3. q. 1

*Vnitas, quomodo sit principium.*

AD septimum quid respondendũ sit, ex dictis patet. Iam enim diximus cur Arist. non omnia principiorũ genera apertè sit prosecutus.

*Quo pacto solus Deus principium est.*

QVOD verò contra obiiciebatur, Aristotelem plura feciſſe principia quàm debuerit, hunc in modum diluendum. Si sermo quidem esset de eo, quod maximè propriè dicendum est principium, & ad quod cætera omnia reuocantur: ita solum Deum re vera principij rationem cadere, quemadmodum & rationem entis, tametsi apud huius ac illius erroris de mundi origine authorem, sequatur, duo esse principia, siue Deum & materiam siue principium bonorum, & malorum. Quamquam locus ille Aristotelis in quo ait principia semper manere oportere, aliter intelligi potest, aut potiùs debet, quàm vt quicquid principium est, sempiternum esse doceatur. Est enim potiùs eius loci sensus: in omni generatione dari aliqua principia, indefinitè

*Vera explicatio.*

tamen, non hæc necessario, aut illa. Quam loci explicationem ipse idẽ Simplicius magis approbat 1. Phys. com. 50. Ita patet non concludi, Aristotelem plura quàm debuit, principia feciſſe.

SED quia fortasse non deerit, qui neget, principium esse analogum aut eius analogia admissa, dubitet de qua re illud primùm dicatur, quod si de Deo, qua demùm ratione id intelligendum sit, idcircò quid de tota hac re sit sentiendum, paucis exponamus.

## NVM PRINCIPIVM SIT ANALOGVM, ET QVA RATIONE.

## QVÆSTIO V.

*Principium analogum esse, vtcumque sumatur.*

### SECTIO I.

*Principium pro re qua principium dicitur.*

ACCIDIT principium quidem sumatur pro re ipsa, quæ principium dicitur, non dubiũ est, quin analogum sit, & de Deo primũ dicatur. Ens enim analogum est, & in omni genere entis datur principium aliquod: atque in toto genere entis Deus primum quiddã est. Accedit quod Arist. 12. li. huius operis differens de principiis rerum sensibiliũ, quatenus res quædam sunt, aut in rebus (quod addiderim propter priuationẽ) probat ea analogicè conuenire, propterea quod sunt principia rerum sensibilium diuersorum *Cap 4. text. 21. & cap 5 text. 29.*



sorum generum, quæ analogicè conueniunt, ergo cum ens analogũ sit, & primum de Deo dicatur: erit sane principium in commune analogum. Deniq; id confirmari ex eo potest, quia principium nõ solum dicitur entium, sed etiam non entium, vt spatij extra cœlum, in quo nullum est corpus, temporis etiam illius quod antecessit omnem motum, imo verò rem omnẽ creatam, in quo grauissimi Theologi infinita fingunt principia imaginaria, seu potius imaginatione fingunt infinita principia: sicque interpretantur[a] illud Ioannis: *In principio erat verbum*, quasi dixerit, Quodcúmq; principium imaginatione designes, in eo iam erat verbum. Non enim magnum quid diceret Ioannes, si in principio eius temporis quod motu primi mobilis efficitur verbum Dei iam extitisse affirmaret, cum plerique[b] doctores Catholici sentiant angelos quoque ante corpora cœlestia fuisse conditos. quod si non entium quoque datur principium, atque adeo suo modo intrinsecum, erit profecto principij analogia multo amplior, eiusque caput idem cum eo, quod in analogia entis traditur.

[a] D. Chryſoſ. 2. & 3 hom in Ioan. Theophil. Cyril. Beda. Caiet. & alij in Euan. Ioã

*Expositio verborum Ioannis in principio.*

[b] Vt Greg. Naz. in ſer. de natali Domini. Damaſc lib 2. fid orthod. c 3. Caſſ. col 8. c 7 Baſil hom 1 in Hexa. Hieron in c. 1 epiſto. ad Titũ, de Græcorum ſententia (qui fere omnes ita putant) Hilari 12. de Trin Ambr. præfa. in Pſal & li 1. hexa ca 5

*Principium vt refertur ad id cuius est principium.*

QVOD si principium sumatur prout refertur ad id cuius est principium, non est quoq; difficile idem ostendere. Est enim relatio principij in quibusdam realis, vt in patre respectu filij, siue humanum intelligas, siue diuinum, nec modo in quauis caussa efficiente comparatione sui effectus in actu, sed etiam in materia, & forma respectu compositi, in quibusdam vero rationis, vt in priuatione, & principiis non entium, imo & in Deo respectu creaturarum, & in caussa finali, quæ principium intentionis est respectu eorum, quæ ad finem destinantur. Neque enim in Patre alia est relatio patris, alia principij sed relatio Patris est specialis quædam principij relatio, eodemq; modo dicendum de relatione cuiuslibet caussæ. Atque hoc etiam pacto principium primo dicitur de Deo, cùm in eo significet relationẽ per se subsistentem, quæ in nulla re creata dari potest. Quin etiam in diuinis analogum esse principium ea ratione constat, quia tribus diuinis personis nihil reale vniuocum esse potest quod in eis diuisum sit, iam enim per aliquam entitatem realem contraheretur essétque in Deo cõpositio realitatum, quod fieri nullo modo potest. Satis autem est probasse principium non esse vniuocum, vt analogum esse intelligatur: constat enim non esse casu æquiuocum, quod idem in sequentibus animaduertendum est. Sed cum hæ duæ principij considerationes ad hunc locum attineant, sit obiter hoc pacto de principij analogia disputatum.

*Principium analogum in diuinis.*

*Principium vt est formaliter principium*

DENIQVE si principium sumatur quatenus principiũ est, quo pacto eius analogiã quærimus, nempe quatenus *est id vnde aliquid est, &c.* seu quatenus ab eo aliquid procedit, vt nonnulli principiũ definiunt, sumpto quã latissimè procedendi verbo, dicendũ est: esse item re vera hoc pacto analogũ. Primo quidẽ, quia modus procedendi à principio, quo modo principiandi respõdet, vniuocus non est. Nam procedere ab aliquo dependenter, qui modus est procedendi à principiis quæ causſando principiant, & procedere independenter, quo pacto secunda persona diuina procedit à prima, & tertia ab vtraque, vniuocè

D. Tho. 1. p. q. 33. art. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca



vniuocè nõ conueniunt. Deinde quia principia,quæ cauſſando principiant, non conueniunt in communi vlla cauſſandi ratione, vt omnes philoſophi aſſerunt: minus igitur conuenient principia generaliter ſumpta in ratione principiandi. Tertio quia quædam principiãt intrinſecus,alia extrinſecus, alia vt actus , alia vt potentia,alia ſecundum intentionem,alia ſecundum executionẽ: quibus modis nihil eſt commune vniuocum. Poſtremo , quia multiplicitas ipſorum verborum definitionis abunde declarat principij anologiam.Nam & particula: *primum*, primitatem, temporis, loci,naturæ, originis, ordinis, & huiuſmodi alias ſignificat , quibus nihil eſt commune vniuocum, & particula : *vnde* , exponi non poteſt , niſi variis & diſcrepantibus admodum procedendi rationibus, quæ ſunt,poſt quod, Ex quo, per quod,A quo, &c. Vt ſuprà dictum eſt, quæ vniuocè non conueniunt. Ita pater, principium , quatenus principium eſt , analogum eſſe. Id quod Ariſtoteles cùm aliis locis, tum verò 2. libr.de Gener. animalium cap.2.de rebus naturalibus aſſerit:*In rebus* (inquit) *quæ fiunt,plura habentur principia,nec omnia modo eodem.*

*Multiplicitas definitionis principij*

*Quæſt.1. ſect.2.*

*Ariſt libr. de Generat. animalium ca.*

*Quo pacto ſit analogum.*

SECTIO II.

*Principium eſſe analogũ proportione.*

QVOD ſi petas, quo genere analogiæ principium ſit analogum,dicendum eſt:perſpicuũ quidem eſſe conuenire illi analogiam proportionis,quandoquidẽ vt hoc principiatũ ſto modo procedit ab hoc principio,ita quodammodo illud ab illo,&c.

*An ſit analogum attributione.*

VERVM de analogia attributionis dubiũ eſt. Quadã enim ex parte videtur affirmatio vera,quia omnia principiorum genera referuntur ad Deũ,tamquam ad primũ illud, vnde nõ modo habẽt vt ſint,ſed etiam vt principia ſint. Altera ex parte videtur vera negatio. Nã etſi vnum genus principij poteſt pẽdere ab alio in ratione eſſendi, veluti materia à forma , tamen in ratione principiandi nullũ genus pendet ab alio:neq; enim materia ſuum cauſſandi modũ habet à modo cauſſandi formæ, ac proinde nec principiandi , etſi illo indigeat ad cauſſandum,& principiandum: eodémq; modo neque forma ab efficiente aut efficiens à fine , & vice verſa : atque ita in cæteris.

*Non eſſe vniuerſe analogum attributione.*

DICENDVM igitur , Principium in toto ſuo ambitu non eſſe re vera analogum attributione. Nam etſi omnia genera principiorum referũtur ad Deum tamquam ad id,à quo habent non ſolũ ſuam rationem eſſendi , ſed etiam principiandi : tamen non referuntur ad illum conſideratum ſub eadem principiandi ratione : ſed omnes fines tamquam ad primum finem,omnia efficientia tamquam ad primum efficiens: & ita ſuo modo cætera:At Deus,vt eſt primum principium vno modo , non refertur ad ſe,vt eſt primum principium alio modo: veluti quatenus eſt primum efficiens non refertur ad ſe, quatenus eſt primus finis. Vnde patet , etſi datur res vna , ad quam referatur omnis ratio principiandi: non dari tamen rationem vnam ad quam omnis principiandi ratio referatur:quod tamen erat neceſſe vt principium diceretur analogũ attributione. Quare etſi poteſt dici ana-

*Quo tamen pacto dici poſſit.*



analogum attributione ſecundum rem propter vnum primum ſecũdum rem,ad quod referuntur omnia:non tamẽ analogũ attributione ſecundum rationẽ,quod eſt eſſe ſimpliciter analogũ attributione.

*De quo genere principiorum primo dicatur principium. Conciliatio Liberti cum Auen-Rois.*

SED quærat aliquis, de quonam genere principiorum primo dicatur principium? Nam Auen-Rois in hoc caput exiſtimat dici primũ de principio finali, quod eſt intentione primum : Albertus verò ait dici primum de principio magnitudinis,ſupra quam fit motus.

QVAMVIS autem Iandunus, & alij recentiores facilè vtramque conciliant,quod Auen-Roes loquutus ſit de principio ſecundum rei naturam: Albertus autem ſecundum impoſitionem vocabuli:aliquid tamen addendum eſt, vt vtriuſque ſententia ſit vera. Itaque dicendum:cauſſæ finali,non ſimpliciter,ſed inter ea,quæ non ſolum principia ſunt, ſed etiam cauſſæ.conuenire primo principij rationem,eſt enim cauſſa finalis primum ac præcipuum cauſſarum genus. Verum ante omnes cauſſandi rationes eſſe rationem principij perfectiſſimè producẽtis,quæ primæ,ac ſecũndæ perſonæ in diuinis conuenit. Dicendum quoque nec principium magnitudinis ſimpliciter fuiſſe primo appellatum principium. Nihil enim ita eſt principium magnitudinis, vt finis etiam eſſe non poſſit, ſi ex parte oppoſita incipias : ſed appellatum primo fuiſſe principium , quatenus ab eo incipit motus, vndecunque illud inchoetur.

## VTRVM PRINCIPIVM PRIVS DICATVR DE DEO RESPECTV DIVINARVM PERSONARVM QVAM CREATVRARVM.

## QVÆSTIO VI.

*Quo pacto principium prius dicatur reſpectu diuinarum perſonarum.*

SECTIO I.

*Pars negans probatur.*

SED quæſtio eſt: Num principium prius conueniat Deo reſpectu diuinarũ perſonarum,quàm creaturarum? Quod enim non prius ei conueniat reſpectu diuinarum perſonarum , ex his probatur.

*Prima Ratio.*

PRIMVM, quia eſſe productiuum diuinæ perſonæ non dicit perfectionem, aut ſaltẽ non addit eſſentiæ quicquam perfectionis,quam tamen dicit,& quidem infinitam, eſſe totale productiuum creaturæ.

*Secunda Ratio.*

DEINDE, quia eſſe productiuum creaturæ eſt commune omnibus perſonis, eſſe autem productiuum perſonæ diuinæ eſt propriũ quibuſdam: At communia priora ſunt propriis,etiam in diuinis, virtute ſaltem,& noſtro intelligendi modo.

*Tertia Ratio.*

TERTIO, quia Deus non dicitur principium diuinæ perſonæ,niſi per potentiam productiuam:at potentia dicitur de Deo propriè reſpectu creaturarum , impropriè verò reſpectu diuinæ perſonæ: id

Universidad de Deusto
Biblioteca



quod duabus rationibus patet. Prior est, quia potentia quatenus potentia dicitur respectu alius, quatenus aliud est, vt patet ex hoc ipso libro cap. 12. vna autem persona diuina non est simpliciter aliud ab alia, licet sit aliud suppositum. Posterior: quia potentia diuina respectu creaturarum, cum sit omnipotentia, comprehendit omnem potentiam proprie dictam, alioqui iam non esset omnipotentia nec tamen comprehendit potentiam productiuam diuinæ personæ: iam enim tertia persona in diuinis non esset omnipotens, quia nullam producit: imò nec secunda, quia non producit primam. Atque hanc sententiam probat Durandus in 1. Sent. d. 29. q. 1. *Text. 17.*

*Pars affirmans suadetur*

QVOD vero prius illi conueniat respectu diuinarum personarum ex eo primum ostenditur, quia esse principium diuinæ personæ dicitur de Deo ab æterno, creaturæ autē ex tempore. Deinde, quia principium diuinæ personæ dicitur de Deo naturaliter, creaturæ autem liberè. Loquor autem de principio actu, siue principiante, non de principio potentia, siue principiatiuo. Tertio, quia esse id, vnde aliquid procedit, perfectius dicitur de eo, vnde illud perfectius procedit: perfectius autem procedit vna persona diuina ab alia, quam quæuis creatura à Creatore, cum illa procedat in vnitate eiusdem naturæ singularis, hæc in sola vnitate analogica, atque adeo infinitæ distantiæ. Vnde est illud Pauli loquentis de æterno Patre: *Ex quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur.* Significat enim his verbis productionem filii à Patre esse perfectissimam principiandi rationem, & cui primo principiandi ratio conueniat. *ad Ephes.*

*Approbatio, & explicatio posteriorís sententiæ,*

HANC posteriorem sententiam amplectuntur nonnulli D. Tho. sectatores, nobísque magis placet dummodo contrahatur ad illud tantum principiandi genus, quod est per productionem, quod tamen explicationis gratia dictum sit. Nam cum hoc modo tantum conueniat Deo esse principium respectu diuinarum personarū (subaudi autem & principium ordinis earum; cum hoc principii genus sequantur cætera principiorum genera vt ex supradictis intelliges) in hoc solo potest fieri proposita comparatio. Nulla enim diuina persona potest loco, aut tempore, aut natura, aut cognitione, præcedere eam, quam producit. Vnde fit, vt nec detur finis, nec exemplar in productionibus diuinarum personarum, ac multo minus, aut materia, aut efficiens, siue ex nihilo, siue ex aliquo, vt subiecto: præcedunt enim productiones illæ omnem rationem caussandi, & quæcunque alio modo principiandi, quam per productionem siue originem. Nam de fine ac exēplari, de quibus dubiū aliquod esse posset, ex eo res probatur, quia semper finis vt Durandus recte argumētatur, importat præeminentiam bonitatis, non semper quidem respectu intendentis finem, sed eius quo finis acquiritur: quæ præeminentia non datur in diuinis respectu diuinarum productionum. Exemplar verò non est necessarium ad productionem rei, nisi vbi producens debet producere aliquid certæ, ac circumscriptæ essentiæ, cuiusmodi non est persona diuina. Quocirca neque vnquam Patres productionis diuinarum personarum exemplar vllum posuerunt, sed tantum creaturarum. Ita fit: vt *D Thom. Sent. d. 29. 1. ar. 2. & p. q. 83. ar. 3. & q. 4. art. 6. Cæt. in eadem ratione cum prima partis. Capr. 1. Sent. d. 29. Idem net Albert. Mag. in 1. 29 art. 2. card. ibid. 2. Argent. eadem q. 7. & alii. Loco citato*

*Num diuinarum processionum detur finis aut exemplar.*



fit, vt quæstio de solo principio productiuo intelligi possit, quod iam rectè ostensum est priùs conuenire Deo respectu diuinarum personarum, quàm creaturarū: cum interim alia omnia principiorum genera, non dicantur de Deo, nisi respectu creaturarum, vt patet ex eorum proprietatibus, vt ex prioritate loci, tēporis, naturæ, & perfectionis.

*D. Tho. 1. di. 29 q. 1. arti. 2. & Capr. ibidem. q. 1.*

*Producere an dicat perfectionem.*

AD primum ergo partis oppositæ argumentum dicendum est, etsi esse productiuum creaturæ dicit perfectionem: tamen ipsum producere creaturam, quod est esse actu principium, nihil perfectionis dicere, quod ad diuinam essentiam pertineat. Productio enim creaturæ in ipsa creatura est. Productio autem diuinæ personæ dicit quidem perfectionem essentiæ; verum non aliam à perfectione personæ productæ.

*Ad secundum. Communia an priora prius.*

AD secundum mutato verbo productiui in producentis, dicēdum est. communia quæ non necessariò conueniunt, sed contingenter, aut liberè, non esse priora propriis necessario conuenientibus: quo pacto non est priùs hominem moueri, quàm esse rationis participem, aut disciplinæ capacem: at producere creaturam, & si commune est omnibus personis, esse tamen non necessarium, sed liberum.

*Ad tertium. Potentia productiua proprie dicta. Aristotelis definitio potentiæ non valet in mysterio Trinitatis.*

AD tertium dicendum, potentiam productiuam non solum propriè, sed etiam propriissimè dici de potentia productiua diuinæ personæ: quod patet ex actu producendi perfectissimo, qui ei respondet in diuinis. Prior autem probatio minoris facilè refellitur. Aristoteles enim, quia non putauit dari posse adcò perfectam productionem, vt productum esset eiusdem numero naturæ cum producente, definiuit potentiam actiuam per respectum ad aliud: quo fit vt definitio ab eo tradita non sit vsurpanda in hac materia, præsertim cum ne omnem quidem potentiam actiuam creaturæ in ea complexus sit, sed eam solam quæ supponit subiectiuū in quod agat. Posteriori verò probationi hunc in modum occurrendum: omnipotentiam non complecti omne genus potentiæ, etiam propriè dictæ, quia non complectitur potentiam passiuam: sed complecti omnem ac solam potentiam productiuam alicuius essentiæ, quæ sola potentia est essentialis diuinæ naturæ: ita tamen vt nomine productiuæ intelligas etiam oppositam destructiuam, vt ita loquar.

*Omnipotētia quæ potētias complectatur*

### *Dilutio quorumdam obiectorum.*

*Prior obiectio cum suo quarto.*

SECTIO II.

VERVM coatra assertam conclusionem sic obiici potest. Si principium producens primo diceretur de principio producente diuinam personam, & de cæteris attributione ad ipsum, esset haud dubie tale principiū producens causa cęterorum principiorum producentium (id enim quod est primum in vnoquoque genere, est causa cæterorum, vt Arist. docet consentientibus omnibus Philosophis) at hoc fieri nequit, tū quia omnis causalitas Dei respectu creaturæ est communis omnibus personis diuinis, quibus tamen non est commune producere diuinam personam: tum etiam, quia Deus, quatenus producit creaturam, non potest habere causam, tum denique quia cum in diuinis sint plura principia producentia

Universidad de Deusto
Biblioteca



centia respectu diuinarum personarum, & alterum prius origine altero, alterum esset causa alterius, quod fieri nequit: Ergo princip um producens non potest primò dici de principio producente diuinam personam.

*Posterior obiectio.*

POTEST etiam hunc in modum obiici. Si in Deo non esset personarum distinctio, vt Philosophi putarunt: esset Deus primum principium productiuum, vt refertur ad creaturas: at personalia in diuinis nihil impediunt communia, ergo nihil obstat personarum distinctio, quominus principium productiuum primò dicatur de Deo comparatione creaturarum.

*Solut. prioris.*

HÆC tamen nihil obstant. Namq; ad priorem obiectionem negata propositione dicendum est, pronunciatum illud: *quod est primum in vnoquoque genere, esse causam cæterorum*, in iis tantum esse intelligendum, quæ distinguuntur secũdum essentiam, quo pacto causa vniuerse ab effectu distinguitur: at hoc modo diutnæ personæ, neque inter sese, neque à communi essentia distinguuntur.

FATEOR, D. Thomam sæpè, & alios pleroſque Theologos affirmare productionem diuinarum personarum esse exemplar, & habere causalitatem in productione creaturarum, verùm impropriè id dicitur, tum quia ratio causandi causæ exemplaris in productione creaturarum debet esse communis toti Trinitati, tum quia debet esse finita, & limitata: quemadmodum & ipsa creaturarũ productio. Sensus ergo eius pronunciati est: productionem diuinarum personarum cùm sit infinite perfecta, esse quodammodo exemplarem causam productionis creaturarum: quia etsi illam creaturæ in producendo imitantur, deficiunt tamen infinitè ab eius producendi ratione.

*D Tho. 1. 29 q. 42 & 1 p. 45 art. 6*

*Productio diuinarum personarum vt sit exemplar.*

*Posteriori.*

AD posteriorem obiectionem dicendum: si in Deo non esset personarum distinctio, fore, vt deesset in vniuerso perfecta omnino productio: nempe rei nullo modo dissimilis producenti: quæ enim Deus producit extra se infinitè deficiunt à diuinæ naturæ similitudine, quæ autẽ creaturæ producunt, non possunt esse similiora producentibus, quàm secundum infimam speciẽ, aut etiam secundum intensionẽ vel extensionem formæ specificæ producentis. Nam secundum gradum individualem, nullum productum creatum potest esse eiusdẽ omninò rationis cum producente. Concessa igitur priori propositione, ad posteriorem dicendum est: personalem distinctionem nõ impedire ea, quæ re vera communi essentiæ conueniunt, sed impedire (si ita dici potest) id, quod essentiæ conueniret, si nõ esset in personis distinctis.

*Principiorum productiuorũ ordo.*

ITAQVE principium productiuum primo dicitur de Patre in diuinis, qui est principium non de principio, vt loquuntur Theologi, deinde de Filio, qui est principium de principio: quia, quod cum Patre simul sit principium spiritus sancti, id habet à Patre, quemadmodum & essentiam. Tertio loco dicitur de Deo respectu creaturarum, quas ex nihilo facit: quia perfectius producuntur, quàm quæ ex materia suppositа. Quarto de Deo respectu creaturarum, quas producit ex materia simul cum causis secundis. Quinto de creaturis producentibus respectu earum, quas producunt, siue illas æquiuocè producãt, quæ

*Ita magist. Sent. in 29 dist. lib. 4 dist. c. 30. & communiter logi.*

*Productio æquiuoca & vniuoca qua ex parte sint perfectiores.*



quæ productio perfectior est ratione causalitatis, minorisue dependentiæ producentis: siue vniuoce, quæ productio est perfectior ex parte similitudinis producti cum producente.

## *NVM PRINCIPIVM LATIVS pateat, quam causa.*

## QVÆSTIO VII.

### *Quod latius pateat.*

### SECTIO I.

EST autem, ex iis, quæ dicta sunt liquido constat principium latius patere quàm causam: quia tamen id hoc loco per se tractari solet, paucis colligenda sunt discrimina inter causam & principium, vt ex iis maior principij amplitudo euidentias appareat: tum respondendum ad nonnulla, quę pro reciprocatione causæ cum principio afferri possunt. Principium & causa hoc primum differunt inter sese, quod omnis vera causa est ens, quemadmodum & omne id, quod est verè causatum: non omne autem principium est ens, quemadmodum neque omne principiatum, vt patet in priuatione, & in spatio extra Cœlum.

*Discrimina principij, & causæ.*

DIFFERVNT deinde, quod semper causa est aliud ab effectu, hoc est, essentiæ diuersæ numero, principium autem nõ necessariò est diuersæ numero essentię ab eo, cuius est principium, potest enim esse vel eiusdem numero essentiæ, vt in diuinis personis: vel saltem non diuersæ, vt in iis principiis, quæ non habent rationem entis.

DIFFERVNT tertio, quod ab omni causa habet aliquod esse id cuius est causa: non item ab omni principio, id cuius est principium: quod item patet in priuatione formæ, & in generatione ipsa cuius priuatio est principium: priuatio enim, vt nullum esse habet, ita nullum dare potest.

DIFFERVNT quarto, quòd ab omni causa pendet modo aliquo in suo esse, id cuius est causa (quod plus est, quàm habere esse ab illo) non item ab omni principio id cuius est principium, quod in superioribus exemplis cerni potest.

POSTREMO differunt (mittamus enim alia, si quæ sunt discrimina) quod omnis causa est prior natura suo effectu: non item omne principium eo, cuius est principium: quod etiam patet in personis diuinis producente, & producta, in priuatione formæ, ac generatione: & aliis plerisq;. Non proposuimus hoc discrimen eo pacto, quo à nonnullis proponi solet. Vt nimirum causa omnis dicatur prior suo effectu, non item omne principium eo, cuius est principium, quamuis semper inter vtrumque sit ordo, quia nunquam datur ordo sine prioritate, cùm potius nihil aliud sit, duo quælibet esse ordinata inter se, quàm vnum esse prius, alterum posterius aliquo prioritatis

*Reuocatur modus quorundam discrimẽ hoc proponentium.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



modo, vt ex ſupradictis patet. Ita perſpicuum eſt, principium latius patere, quàm cauſſam, quæ eſt, D. Tho. Alexandri, Alberti, Commentatoris, imo & omniũ communis ſententia hoc loco, & aliis pleriſq;. *Quæſtio 3 ſect. 3. D. Thom. 2. q. 33. art. 2. Auen. r. c. 4*

*Dilutio quorundam obiectorum.*

SECTIO II.

*Prima obiectio.* SED præſto eſt quod quis obiiciat. Ariſtoteles enim 4. lib. huius operis cap. 2. ſcribit, Ens, & vnum mutuo ſe ſequi vt principium, & cauſſam: ergo eius ſententia non latius patet principium, quàm cauſſa. *Text. 3.*

HVIC obiectioni ſunt qui reſpondeant principium & cauſſam reciprocari in creaturis: quod tamen nec videtur eſſe de mente Ariſtotelis nec verum eſt, cùm & punctus ſit principium lineæ, & priuatio principium mutationis: nec ſint earum cauſſæ. Non deſunt etiam, qui occurrant, vtendum eſſe eo loco regula illa tradita in libris priorum, Exempla non proponi, quaſi ita res habeat, ſed vt id, de quo agitur, intelligatur: Vnde eſt illud apud Dialecticos, *exemplorum non requiritur veritas*. Sed cùm nõ neceſſe ſit, vt hac in re ad id præſidij confugiamus, aliter reſpondendum eſt. *Argen. 1. d. 29.* *Primo libro Priorum c. 39.* *Solutio.*

ITAQVE dicendum, quemadmodum & loco citato ſcripſimus, cauſſam in exemplo illo ſumi populariter, non philoſophicè, quod ſæpe fit apud Ariſtotelem, præſertim extra eum locum, in quo de re ex inſtituto agit. Sumitur enim quatenus complectitur ea, quæ requiruntur, licet non ſint veræ cauſſæ: quo pacto occaſio, conditiones ſine quibus non, & alia pleraque vulgò dicuntur cauſſæ. Hoc autem modo ne ipſa quidem priuatio formæ introducendæ à nomine cauſſæ interdum excluditur, vt apud eundẽ 12. lib. huius operis c. 2. Imo verò & apud Græcos prima perſona in diuinis cauſſa dicitur ſecundæ, & vtraque cauſſa tertiæ, vt apud Damaſcenum lib. 1. Orthodoxæ fidei, c. 8. & 11. à quo tamen vſu Latini abhorrent, vt D. Tho. docet. 1. p. q. 33. art. 1. Quod diſcrimen Græcæ, ac Latinæ Eccleſiæ expoſuit Florentina Synodus in literis ſanctæ vnionis. *Id quod*, inquit, *ſancti Doctores, & patres dicunt, ex patre per filium procedere ſpiritum ſanctum, ad hanc intelligentiam tendit, vt per hoc ſignificent, filium quoq; eſſe, ſecundum Græcos quidem cauſſam, ſecundum Latinos verò principium ſubſiſtentiæ ſpiritus ſancti, ſicut & Patrem.* Quanquam verò Auguſtinus videri poteſt Græcorum in hac re loquendi conſuetudinem vſurpaſſe in lib. 73. quæſtionum cum ait, Deum ſuæ ſempiternæ ſapientiæ cauſſam eſſe ſempiternam, quaſi dixerit ſempiternum eſſe principium productiuum, non eſt tamen neceſſe. Nam & in 7. de Trinitate. Sic loquitur, de Patre. *Quod eſt cauſſa illi vt ſit, eſt cauſſa vt ſapiens ſit*, vbi nomen cauſſæ pro ratione ſumit, non pro principio producente, quod Græci veram cauſſam appellant, niſi loquatur negatiuè, vt ſit ſenſus, Quemadmodum non habet cauſſam vt ſit, ita neque vt ſapiens ſit: quale eſt illud Hieronymi ad cap. 3. Epiſt. ad Epheſios, *ſui origo eſt, ſuæq; cauſſa ſubſiſtentiæ*: loquitur autem de Deo abſolutè. Liberius nomine authoris pro principij producentis vtuntur Latini, vt Hilarius in 4. de Trinitate, cum ait, Patrem *4. lib. cap. 3. & lib. 1. cap. 7. q. 1. ſect. 3.* *Text. 12.* *Seſſ. vltima.* *Quæſtio. 13. vt habetur tom. 4. Cap. 1.*

*Cauſſa populari acceptione quid ſignificet.* *Cauſſa Græcis Theologis quàm latè pateat.* *Authoris nomen in diuinis, vſurpandum potius quàm principij.*



*Vide etiam eundem Hilarium lib. 2. de Trinit. & lib. 12.* trem in diuinis authorem eſſe filij: quod etſi negat D. Tho. in 1. Sen. d. 29. q. 1. art. 1. vſurpari poſſe in filio reſpectu ſpiritus ſancti: propterea quod authoris nomen ſignificare videatur principium non de principio: ipſe tamen Hilarius in vtraque perſona nomine authoris vtitur 2. lib. eiuſdem operis, cum ait, à Patre & filio authoribus confitendum eſſe ſpiritum ſanctum.

AT obiiciat aliquis Ariſt. in hoc ipſo loco, in quo de principiis ex inſtituto agit, planè aſſerere ſub finem capitis tot modis dici cauſſam, quot principium ergo non dubium eſſe, quin ſentiat æquè latè patere cauſſam, atque principium. Si enim putaret latius patere principium, non minus falsò diceret, tot modis dici cauſſam quot principium, quàm ſi affirmaret, tot eſſe homines quot animalia. *Secunda obiectio.*

AD hanc obiectionem ſunt, qui eodem modo reſpondendum velint: latè nimirum accipi nomen cauſſæ. Verum hæc reſponſio non ſolum ex eo abſurda eſt, quod vbi de principio, & cauſſa diſtinctè agitur, non debet cauſſa cum principio confundi: ſed etiam ex eo vel maximè, quod non efficit, quo minus probatio Ariſtotelis ſit ineptiſſima. Nam etſi demus cauſſam latè hoc loco accipi: quis tamen ferat hanc conſequentiã: omnes cauſſæ ſunt principia: igitur tot modis dicũtur cauſſæ, quot principia? perinde enim hoc eſt ac ſi probares, tot eſſe homines, quot animalia: quia omnes homines ſunt animalia.

DICENDVM igitur, illud, *tot modis dici cauſſas, quot principia*, negatiuè intelligendum eſt, quaſi dictum ſit, non pluribus modis: quo pacto perſpicuum eſt nihil eſſe vitij in probatione. Vel reſpondendũ (tametſi eodem redit) cum dicitur, *omnes enim cauſſæ principia ſunt*, non reddi rationem præcedentis pronũciati: ſed exponi, quo pacto intelligendum ſit, quaſi dicat Ariſt. Quippe omnes cauſſæ principia ſunt. *Solutio.*

TERTIO ſic obiici poteſt, principium & principiatum ſunt correlatiua: at principiatum æquè latè patet atque cauſſatum (propterea enim dici ſolet, nullam perſonam diuinam eſſe principiatam, ne intelligatur cauſſata) igitur æquè latè patet cauſſa, atque principium. *Tertia obiectio.*

AD hanc obiectionem dicendum, etſi Græci non verentur admittere in diuinis perſonam productã eſſe principiatam, vt D. Tho. refert. 1. p. q. 33. artic. 1. quod more ſuo concedant eſſe cauſſatam: Latinos tamen, quia negant eſſe cauſſatam, meritò negare principiatam eſſe, ac proinde maiorem propoſitionem, quicquid de minore dicendum ſit, non quòd nomen principiati non poſſet accipi vt correlatiuum principij: ſed quia ſonat cauſſatum aliquid, quod in diuinis non admittimus. Itaque & ſi quis contendat principiatum nil aliud ſignificare, quàm quod habet principium, quemadmodum cauſſatum, id quod habet cauſſam: tamen quia non ſolum abſtinendum eſt à verbis, quæ efficiunt orationem falſam, ſed etiam ab iis, quæ falſam efficere videntur, præſertim in diuinis: negandum eſt ſimpliciter, principium, & principiatũ eſſe correlatiua, niſi in rebus creatis. Quare ſimpliciter dicendum eſt, proprium principij correlatiuum, non eſſe principiatum, ſed id cuius eſt principium: quo pacto hactenus locuti ſumus. Ita nihil conficit obiectio. *Solutio.* *Principiatum non eſt correlatiuũ principij.* *A quibus verbis abſtinendum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



## CAPITIS SECVNDI EXPLANATIO.

*Quot modis causſæ dicantur.*

AVSSA [a] *autem vno modo.* Exponit quot modis dicantur cauſſe: primúmque varia cauſſarum genera percurrit: deinde reuocat omnia ad quattuor vulgata: poſtremo agit de modis cauſſarum. Cur autem Ariſtoteles in hac cauſſarum explicatione nihil adiungendum putauit iis, quæ ſecundo Phyſicorũ de cauſſis dixerat: ſed potius ea ipſa, quæ ſcripſerat cap. 3. eius libri, in hunc locum tranſtulit, hæc potiſſimum ratio fuit: quia cùm in rebus naturalibus, quàm in Mathematicis, & Metaphyſicis manifeſtius reperiantur omnia cauſſarum genera, facile ex hac cauſſarum naturalium explicatione omnium cauſſarum in commune cognitio colligi poteſt. De qua re primo libro huius operis ſatis diſſeruimus. *Cap. 3. tex. 27.*

*Cap. 7. q. 1. Sect. 2.*

*Materia cauſſarum infima & intima.*

DESCRIBIT igitur primum Ariſtoteles materiam, quia eſt omnium cauſſarum infima. Addi poteſt ea ratio Alberti, quia eſt omniũ intima: vt Ariſtoteles procedat hoc loco à cauſſis magis intrinſecis, ad minus intrinſecas. Nulla enim materia, inquit, poteſt eſſe extriuſeca effectui, cum tamen aliqua forma illi extrinſeca ſit nempe exemplaris. De cęteris res perſpicua eſt.

*Hoc loco.*

ΚΕΦ. Β'.

*Text. 2.*

Αἴτιον [a] δὲ λέγεται, ἓν μὲν ἔξ οὗ, ἐξ [b] οὗ γίνεταί τι ἐνυπάρχοντος: οἷον ὁ χαλκὸς τῆ ἀνδριάντος, καὶ ὁ ἄργυρος τῆ φιάλης, καὶ [c] τὰ τούτων γένη. ἄλλον [d] δὲ, τὸ εἶδος καὶ τὸ παράδειγμα. τοῦτο [e] δ' ἐστὶν ὁ λόγος τοῦ τί ἦν εἶναι, καὶ τὰ τούτων γένη: οἷον τοῦ διὰ πασῶν. τὰ [f] δύο

*Quæ à definitione materiæ reiiciantur.*

[b] *Id ex quo inſito.* Cum dicitur *id ex quo aliquid fit*, reiicitur primum finis, quia eſt vltimus in executione, & propter quem res fit, non ex quo fit: Reiicitur deinde efficiens, quia effectus non propriè fit ex efficiente, ſed ab efficiente: tametſi impropriè nonnunquam ex efficiente fieri dicitur, ſumpto, *Ex*, pro *Ab*: aut certè ratione partis, quo pacto dicimus filium eſſe ex parentibus genitum, quia ex parte deciſa ex parentibus: Tũ reiicitur exemplar, quia res, quæ fit, non fit ex exemplari, ſed ad exemplar. Item forma intrinſeca, quia id ex quo aliquid fieri dicitur, ſi propriè loquendum eſt, eiuſmodi eſſe debet, vt non fit id, quod rem abſoluit, & perficit, ſed quod præcedit abſolutionem, ſi non tempore (quod eſt in omni propriè dicta effectione ſubſtantiæ neceſſarium) certè ratione, & natura. Itaque propriè dicere poſſumus rem naturalem conſtare ex huiuſmodi forma, non item fieri ex illa. Cum autem dicitur *inſito* reiici ſolent priuatio & contrarium, quia hæc, & ſi præcedunt abſolutionem, perfectionémque rei, vt effectus dici poſſit ex eis fieri, non tamen manent in compoſitione rei factæ, tametſi contrarium reiici potuit per verbũ *fit*, quo ſignificatur effectio per ſe: Neque enim res naturalis dicitur fieri per ſe ex contrario, ſed ex priuatione, & materia: ex hac quidem, vt parte, ex illa, vt termino à quo incipit effectio.

*Alexandri expoſitio reiicitur.*

CREDIT Alexander per hanc eandem particulam reiiciendum eſſe efficiẽs, vt hac ratione per præcedentem reiici non poſſit, quòd principium efficiens dictũ ſit in capite ſuperiori, eſſe id, *ex quo aliquid fit, ita vt non inſit.* Sed cum Ariſtoteles non dixerit eo loco *ex quo aliquid fit* ſed *vnde aliquid fit* quod latius patet, & efficiẽti optimè congruit: non eſt cur Alexandri ſententiam admittamus. cõſule vtroque loco Græcum contextum. Ex his patet non rectè exponi à Simplicio definitionem hanc ad ſecundum Phyſicorum, cum ait ex aliquo fieri idem eſſe hoc loco, atque fieri ex re mutationem ſubeunte, ſeu, quod idem eſt, ex ſubiecto mutato: ſi enim hoc pacto intelligenda eſſent verba poſita, ſuperuacaneum eſſet addere verbum *inſito* ad excludendam priuationem, aut etiam, ſi placet, contrarium. Eſt enim perſpicuum, rem, quæ fit, non fieri ex his mutationem ſubeuntibus. *Cap. 3. comment. 22.*

*Simplicius refellitur.*

*An cœli materia: & materia ſecunda in hac definitione contineantur.*

SI quis autem roget, num in definitione hac comprehendatur materia Cœli? dicendum eſt non comprehendi: quia verbum *fit* in hac definitione ſumitur ab Ariſtotele, pro fieri per tranſmutationem, quemadmodum in ea, quæ traditur extremo



*Text. 82.* extremo capite primi Phyſ. quo ge nere effectionis Cœlum fieri nequit. Si tamen verbo *fit* intelligas quamlibet affectionem, etiam impropriè dictam, comprehenderis vtique: verum præter inſtitutum Ariſtotelis.

SI PETAS. Num comprehendatur materia ſecunda: reſpondendum eſt, ſi nihil quidem addatur, re vera comprehendi. Quod ſi adiungas verbum *primo* quod ex definitione principij tertio modo ſumpti tradita capite ſuperiori repeti poteſt, ſola prima comprehendetur: Nec tamen præter rem erunt exempla æris, & argenti, quia verbum *vt* non erit ſumendum hoc loco quemadmodum nec in aliis pleriſque ſumitur, quatenus ſignificat proprietatem, ſed quatenus ſimilitudinem.

*Ita D. Tho. in hunc locum lect. 2. & Alex. Aphrod. com. 3.*

[c] *Horumque genera.* Genera æris, & argenti, non ſunt aqua, aut terra, aut quiduis aliud, in quod hæc (etiam de ſententia veterum naturalium) reſoluantur, quo pacto quidam exponunt Ariſtotelem, ſed metallum minerale, miſtum, & cætera ſuperiora. Additum eſt autem hoc ab Ariſtotele, vt ſignificaretur diſcrimen materiæ propinquæ, ac remotæ, quod merito eriam mox facit informis. Nam quorum propriæ, ac per ſe cauſſæ ſunt ſpecies, eorum etiam ſunt propriæ, ac per ſe cauſſæ illarum genera, tametſi remotè. *Quæ ſunt æris genera.*

## CAPVT II.

*Text. 2.*

AVSSA [a] *autem vno modo dicitur, id ex quo* [b] *inſito aliquid fit, vt æs ſtatuæ, & argentum phyalæ, horumque* [c] *genera.* [d] *Alio forma, & exemplar. Hæc* [e] *autem eſt ratio quiditatis horum genera: veluti eius concentus, qui διὰ πασῶν dicitur, duo* [f] *ad*

[d] *Alio modo forma.* Explicat formalẽ cauſſam, quam duobus nominibus formæ, & exẽplaris appellat. Nũ autem vtroque vocabulo idem ſignificare velit, quæſtio eſt. Græci authores volunt vtroque ſignificari formam inhærentem, quam explicationis cauſſa Alexander hoc loco ait, vocari exemplar, quia ab agente expetatur. Verum non eſt ratio hæc cauſſæ exemplaris, ſed finalis. Idem ſecundo Phyſicorum teſte [a] Simplicio docet, ideò formam appellari exemplar, quia agens efficit ſimile ſibi ſecundum formam, qua agit, vt quaſi imitatione illius agat, atque eadem videtur eſſe ſententia Themiſtij, & Philoponi eodem loco: Simplicius adiungit, iccirco fortaſſe formam naturalem appellari exemplar, quia eſt exemplar quoddam artis hoc eſt artificioſæ formæ: hinc enim dicimus artem naturam imitari. *Cauſſæ forma lis explicatio.*

*Alexan. Aphrod. hoc loco, & alij.*

[a] *Comm. 23.*

SED cum exemplar habeat veram, & per ſe, ſibique peculiarem cauſſandi rationem, nec tantum reſpectu effectorum artis, ſed etiam naturæ (omnia enim opera naturæ ab arte diuina pendent) non eſt cur ſuſpicemur, Ariſtotelem obiter inemniſſe hoc loco exẽplaris: neque illud inter cauſſas numerare voluiſſe. Quare cum ratio cauſſandi quæ exemplaris propria eſt, non pertineat ad rationẽ materialis cauſſæ, vt eſt perſpicuum, nec verò ad efficientis vt Scotus credit, noſque verum non eſſe oſtendimus ad caput ſeptimum primi [b] libri, nec denique ad rationem finalis, quod patet ex iis, quæ ad eum locum explicata ſunt: potius dicendum eſt cum D. Thoma hoc [c] loco, nomine formæ ſignificari formam intrinſecam, ſiue inhærentem rei quæ fit, & cuius acceſſione, res abſoluitur, nomine autem exemplaris formam extrinſecam, cuius imitatione agens operatur. Idem quod D. Tho. ſentit Alenſis hoc loco ex Boëtio In libro de Trinitate. Cuius eam quoque ſententiam refert. Formam internam, quia minus principalis eſt, magis appellandam imaginem, quàm formam. Aduerte tamen, non eſſe nouum quod Alenſis affert artem in exemplum formæ exemplaris: ſæpe enim exemplar apud veteres vocatur ars, quod ſit obiectum artis. *Exemplar ad quam cauſſam ſpectet.*

*Scotus 1. d. 36. q. vnica §. contra iſta.*

[b] *Quæſt. 1. ſect. 5.*

[c] *Lect. 2. Libr. 1. de Trin. cap. 3.*

*Qua ratione exemplar dicitur ars.*

[e] *Hæc autem eſt ratio quiditatis horum genera.* Quaſi dicat, hæc autem cauſſa, ſiue hoc cauſſæ genus, quod eſt forma in commune, internámque, & externam complectitur, eſt ratio quiditatis. Dicitur autem interna forma ratio quiditatis, quia quiditatem rei eiuſque definitionem abſoluit, & ab aliis diſtinguit. Externa autem, quia eſt quaſi typus quidam illius, vnde & prototypa, principaliſque ratio appellatur, ex quibus facile erit cætera omnia à ratione cauſſarum formalium excludere. *Cur forma appelletur ratio quiditatis.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



duo [f] ad vnum, ac omnino numerus. Et [g] partes, quæ in ratione insunt. Præterea [h] id, vnde primum mutationis, aut quietis principium existit: quo pacto est caussa is, [i] qui consilium dedit, & pater filij, & vno nomine id, quod efficit eius, quod efficitur, & quod mutandi vim habet, eius, quod mutatur. Insuper [k] vt finis. Hæc verò est, id cuius gratia, quo pacto valetudo est caussa deambulationis. Cur enim deambulat? dicimus, vt valeat: quo pacto cum diximus, caussam nos reddidisse arbitramur. Et quæcunque [l] mouent aliò inter sinem fiunt, vt inter sanitatem attenuatio, aut purgatio, aut medicamenta, aut instrumenta: Hæc enim omnia finis sunt gratia: differunt autem inter se, quod alia, vt instrumenta sunt, alia vt opera. Caussæ [m] igitur tot ferè modis dicuntur.

Ac cum [n] caussæ multis dicantur modis, illud euenit, vt multæ sint non per accidens caussæ rei eiusdē: vt statuæ, & ars statuaria, & æs non per aliud quicquam, sed quatenus statua est: tametsi non eodē modo, sed alterum vt materia, alterū vt vnde existit motus. Illud [o] i-

[f] *Dūo ad vnum.* Hoc est, dupla proportio: continet enim vox inferior duplum superioris octo quasi gradibus ab ea distantis. Eodem pacto cum dicitur *ac omnino numerus* intellige numeralem proportionem: neque enim forma concentus est numerus ipse, sed proportio numeralis.

[g] *Et partes quæ in ratione.* Intellige partes, quæ insunt in ratione obiectiua, seu (quod idem est) in obiecto definitionis, neque omnes tamen, sed genus & differentiam, quæ in recto & intrinsecus de re dicuntur, ne partes integrantes, aut materiam ipsam complectaris: Verum hæ partes non per se sed reductiuè ponuntur in hoc genere caussæ, vt post dicetur.

*Caussa efficiens quid sit.*

[h] *Præterea id vnde.* Exponit quid sit caussa efficiens, quo loco potius est vsus nomine mutationis, quàm motus, vt generationem, & corruptionem complecteretur. Addit autem *aut quietis*, quod D. Tho. rectè interpretatur *aut etiam quietis* quia eorum, quæ mutationi subsunt, quædam, Aristotelis sententia, perpetuo mouentur, neque vt quiescant, sed in eo quod mouentur perfectionem suam positam habēt, vt Sol, Luna, &c. Quædam interdum mouentur, interdum quiescunt, & ideo mouentur, vt quiescant; veluti elementa: mouentur enim, vt locum assequantur, quo adepto moueri desinūt. Hoc autē modo quies veram, realem & per se caussam efficiētem habet, quemadmodum & motus; imo etiam verius quàm motus, qui ad talem quietem ordinatur. Neque enim hoc loco sumenda est quies vt mera priuatio motus, sed pro adeptione formæ, quæ per motum acquiritur. Quod si genera omnia agentium complecti vis, loco *mutationis* pone *actionis*.

*Quies per adeptionem formæ.*

τὰ [f] δύο πρὸς ἓν, καὶ ὅλως ὁ ἀριθμός. καὶ [g] τὰ μέρη τὰ ἐν τῷ λόγῳ. ἔτι, [h] ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς μεταβολῆς ἡ πρώτη, ἢ τῆς ἠρεμήσεως: οἷον [i] ὁ βουλεύσας αἴτιος, καὶ ὁ πατὴρ τοῦ τέκνου, καὶ ὅλως τὸ ποιοῦν τοῦ ποιουμένου καὶ τὸ μεταβλητικὸν τοῦ μεταβάλλοντος. ἔτι [k] ὡς τὸ τέλος, τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ οὗ ἕνεκα, οἷον τοῦ περιπατεῖν ἡ ὑγεία. διὰ τί γὰρ περιπατεῖ; φαμέν, ἵνα ὑγιαίνῃ, καὶ εἰπόντες οὕτως, οἰόμεθα ἀποδεδωκέναι τὸ αἴτιον. καὶ [l] ὅσα δὴ κινήσαντος ἄλλα μεταξύ, γένηται τοῦ τέλους, οἷον ἡ ὑγιείας, ἢ ἰσχνασία, ἢ κάθαρσις, ἢ τὰ φάρμακα, ἢ τὰ ὄργανα. πάντα γὰρ ταῦτα τοῦ τέλους ἕνεκά ἐστι: διαφέρει δὲ ἀλλήλων ὡς ὄντα, τὰ μὲν ὡς ὄργανα, τὰ δὲ ὡς ἔργα. τὰ [m] μὲν οὖν αἴτια σχεδὸν τοσαυταχῶς λέγεται.

*Hoc loco 2.*

Καὶ [n] συμβαίνει δὲ, πολλαχῶς λεγομένων τῶν αἰτίων, καὶ πολλὰ τοῦ αὐτοῦ αἴτια εἶναι κατὰ συμβεβηκός: οἷον τοῦ ἀνδριαντοποιοῦ, καὶ ἡ ἀνδριαντοποιικὴ, καὶ ὁ χαλκὸς δὲ καθ' ἕτερόν τι ἀλλ' ἢ ἀνδριάς, ἀλλ' ὁ τόνδε τὸν ἄνδρα, ἀλλὰ τὸ μὲν ὡς ὕλη, τὸ δ' ὡς ὅθεν ἡ κίνησις καὶ [o] ἀλ-

*Efficientium genera quatuor.*

[i] *Vt is, qui consilium:* Quatuor efficientium genera innuit Aristoteles his exemplis proponendis: Primum eorum, quæ agunt per intellectum: Alterum eorum quę solius naturæ impulsu: Tertium eorum, quæ rem non existentem efficiunt: Quartum eorum, quæ mouent existentem, aut in ea aliquid agunt. Tametsi priora duo quasi specialia sub duobus posterioribus comprehenduntur.

*Caussæ finalis desinitio.*

[k] *Insuper vt finis.* Externum caussæ genus adhibet, quod finem dicimus. Est autem id cuius gratia aliquid fit, veluti sanitas, cuius comparandæ, aut conseruandæ gratia deambulamus. Et quoniam omnis caussa principium est, finis autem non videtur esse principium, sed opponi principio (vnde nec apud veteres naturales inter principia numerabatur, vt est in primo libro dictum, nec capite superiore inter septem illa principiorum genera connumeratus est) probat Aristoteles finem.



*Cap. 6. text. 10.*

nem esse caussam, quia reddatur ad quæstionem, qua quæritur, cur, siue ob quam caussam aliquid fiat: Vnde efficitur, vt non modo sit principium à quo aliquid pendeat, sed etiam primum in intentione, vt appellari soler.

*Finis est principium à quo & ad quem,*

*Media vt diantur fines.*

[l] *Et quæcunque alio.* Docet ea etiam posse appellari fines præcedentium, quæ fiunt inter finem, id est, inter ipsum agens, & finem: quo pacto attenuatio est finis purgationis, purgatio medicamentorum, & medicamenta instrumentorum, quibus conficiuntur, aut porriguntur, &c. Nam cum hæc omnia sint, ac fiant gratia sanitatis, & ordinem habeant inter se propinquioris, & remotioris respectu illius, quæcunque propinquiora illi fuerint, erunt fines præcedentium. Atque hoc modo supplenda est probatio, ne alioqui videatur præter rem. Aduerte autem merito sic intelligendum esse Aristotelem quasi dicat *quæcunque inter ipsum & finem sunt* non autem *quæcunque inter ipsum & finem interiecta sunt*, in quam sententiam Perionius hunc locum vertit: quia non omnia, quæ reperiuntur inter agens & finem, sunt etiam fines: siquidem nec intentio finis nec mediorum electio dicuntur fines, & tamen omnia, quæ inter agens, & finem verè ac propriè fiunt, fines appellari possunt.

*Argyr. Betsar. & vetus trāslatio habent (fiunt.)*

Quicquid enim fit, est verè, ac propriè finis, saltem eius actionis per quam fit.

[m] *Caussa igitur.* Ait *tot ferè modis*, non quia plura caussarum genera esse suspicetur: sed quia cum inter caussas allatas retulisset non solum principales, sed etiam nōnullas, vt dicam reductitias, cuiusmodi fines sunt ea omnia, quę propriè inter agens & finem fiunt, vt proximè dictum est: non omnes tamē hactenus enumerauit. Omisit enim in explicatione caussæ efficientis instrumenta, & in aliis quibusdam generibus alias, de quibus paulo inferius mentionem faciet. Alexander tamen putat dictum esse *ferè tot* propter caussas per accidens, de quibus adhuc non est facta mentio. Diuus Thomas credit dictum id esse propter modos caussarum, qui extrema parte capitis explicabuntur: aut quia caussarum genera hactenus explicata, non eadem ratione in omnibus inueniuntur.

*Hoc loco cōmentar. 4.*

*Hoc loco lect. 2.*

*Text. 12.*

*Quæ ex causarum multitudine oriantur.*

[n] *Ac cum caussæ.* Tradit tria quædam, quæ eueniunt ex caussarum multiplici natura: Quorum primum est, multas interdum esse eiusdem rei caussas, non modo accidens (id enim luce clarius erat, cum plurima, imo etiam infinita vnicuique caussæ, imo etiam vnicuique rei accidant, vt habes 4. cap. libri quarti) sed etiam per se. Ac de fine quidem, & efficiente res perspicua est: omnis enim effectus vtranque sibi necessariò vendicat: qui si sit vt forma per se subsistens, & completa, his tantum duabus contentus erit, si verò forma informans, aut materia, habebit vtique tres, forma quidem, finalem, efficientem, & suo modo materialem: materia verò finalem, efficientem, & suo modo formalem. Quod si fuerit compositum ex materia, & forma, iam habebit omnes quatuor. Verum illud aduerte, nullum effectum esse, qui plures caussas habeat eiusdem generis, modo illæ sint totales, & eiusdem ordinis. Nam de particularibus, diuersorum ordinum, non dubia res est. De qua re separatim agetur luculentius.

*Idem effectus quo pacto plures caussas habeat.*

*Quæst. 14. huius cap.*

[o] *Illud*

*Causſæ sibi inuicē causſæ.*

ο *Illud item.* Alterum eſt, cauſſas diuerſorum generum inter ſe comparatas poſſe viciſſim alias aliarum eſſe cauſſas, vt exercitationem corporis, bonæ habitudinis, & hanc viciſſim illius. Quod exemplum ad cauſſam efficientem, & finalem ſpectat. Idem ſuo modo euenit in materia, & forma, ſi inter ſe conferantur, quod tamen in eodem cauſſarum genere accidere non poteſt. Verum & hæc ſeorſim tractanda ſunt. *Quæſt. huius cap.*

*Idem contrariorum cauſſa eſſe poteſt.*

ρ *Idem quoque, &c.* Tertium eſt, idem contrariorum cauſſam eſſe poſſe, quo pacto Gubernator nauis, qui præſentia ſua illius ſalutis cauſſa eſt, euerſionis cauſſa erit, ſi abſit modo tamen adeſſe teneatur, poſſitque præſentia ſua, & induſtria nauē ſeruare. Habet tamen & hoc pronunciatū nonnihil difficultatis, propter quam inferius diſcutiēdū eſt. σ *Quæſt. huius cap.*

*Ad quatuor cauſſarū genera referuntur omnia.*

ϙ *Omnes autē.* Reuocat omnia, quæ in cauſſas retulerat, ad quatuor vulgata cauſſarum genera, quæ merito hoc loco appellat modos apertiſſimos, quod ſupponantur à cæteris modis omnibus, de quibus inferius erit ſermo: vnde & eſſentiales modi appellari poſſunt, & paulo inferius diſtinguuntur à cæteris, tanquam ſpecies à modis ſpecierum. Itaque omnes cauſſæ in his quatuor generibus ponuntur, ſiue per ſe, ac propriè, ſiue impropriè, ac reductitiè.

*Literæ in materia ſunt idē quæ res naturales, & elementa, partes integrantes, & ſumptiones.*

ρ *Nam, &c.* In genere materiali cauſſæ ponuntur litteræ reſpectu ſyllabarum, quia vocales quodammodo informant conſonantes, cum eis ſonum tribuant: cōſonantes enim ſine vocalibus ſibilare quidē, aut ſtridere poſſunt, ſonare autem nō poſſunt. Res item naturales reſpectu eorum, quæ arte conficiuntur, quia ſunt materia, ſubiectaue, in quæ forma per artē introducitur. Elementa verò reſpectu miſtorum corporum, quia virtute manent ſub eorum formis. Partes integrantes, ſiue continuę quantitati, ſiue diſcretæ ſint, reſpectu totius integri, quia totum integrum ex iis componitur, & in eas reſoluitur, tametſi ſæpiſſime abſque earum totius ue alteratione. Denique ſuppoſitiones, ſiue ſumptiones reſpectu concluſionis, quia concluſio conſtat ex maiori, & minori extremo copulatis per formam rei. Nā cum maius enim, & minus extremum, ex maiori & minori ſumptione deſumuntur. Quod ſi vis probandi ſumptionum ſpectetur ad cauſſam potius efficientem, quàm materialem pertinebunt

*D. Thom. hic lect. 3.*

*Quæ pertineant ad formam.*

ſ *Horum, &c.* Quia in propoſitis exemplis nō tantum cernitur materia, ſed etiā ſuo modo forma, non alia exempla formarum à iiciēda putauit Ariſtoteles. Itaque vocat formam quiditatem, eique triplicem quaſi ſpeciem ſubiicit, totum, cōpoſitionem,



poſitionem, & peculiari ratione dictam formam. Totum appellat id, quod ex partibus integrantibus conſtat non copulatis tamen, ſed ordine diſpoſitis, quo pacto exercitus, & reſpublica dicuntur tota quædam, retento communi nomine totius quaſi proprio propter imperfectionem eorum totalitatis, vtiturque nomine totius pro totalitatis, ſiue integritatis, vt rectè Alexander aliique authores volunt. Compoſitionem vocat totalitatem eius, quod conſtat partibus integrantibus, non modò ordine diſpoſitis, ſed copulatis etiam inter ſe ob quā formam dicimus domum non ſolum eſſe totum quippiam, ſed etiam compoſitum quoddam. Formam peculiari ratione dictam nominat, tum eam, quæ propriè dicitur forma, vt animam: tum etiam ſpeciem, naturamue quamlibet vniuerſalem quæ Plat. ſententia (vt Ariſt. ait) ponebatur ſeparata à rebus ſenſibilib. *Aphrod. hoc loco.*

a 2. *Phy. cō ment. 3.*

*Illud* o *it ē, vt cauſſæ ſibi ſint: veluti labor bonæ habitudinis, & hæc laboris: non tamē modo eodē, ſed alterū vt finis, alterū vt motus principiū. Idē* p *quoq; interdū contrariorū cauſſa eſt. Quod enim cū adeſt, huius rei eſt cauſſa, id, ſi abſit, cotrarij cauſſa eſſe interdū querimur, vt gubernatoris abſentiā euerſionis nauis: cuius præſentia cauſſa erat ſalutis. Verum vtraq;, & præſentia, & priuatio cauſſæ ſunt, vt mouentes. Omnes* q *aūt cauſſæ, quæ nunc expoſitæ ſunt, in quattuor modos incidūt apertiſſimos. Nā & elemēta ſyllabarū, & materia eorū, quæ opificio cōſtāt & ignis, terra, cæteraq; huiuſmodi omnia corporū, & partes totius, & ſuppoſitiones cōcluſionis, cauſſæ ſunt, vt id, ex quo. Horū aūt quædam ſunt vt ſubiectū, veluti partes: alia, vt quiditas: totum inquā, & cōpoſitio, & forma. Semē* r *verò Medicus, & qui cōſiliū dedit, ac omnino efficiens, omnia cauſſæ ſunt, vnde principiū eſt motus, aut ſtatus. Cætera* u *aūt vt finis, bonūq; aliorū. Id. n. cuius gratia, optimū finiſq; cæterorū eſſe vult. Interſit aūt nihil, bonūne illud dicatur, an* φ *bonū apparet. Ac cauſſæ quidē toi ſunt ſpecie. Modi* x *aūt ceſſarum numero quidem multi ſunt: verum, & hi, ſi in capita redigantur, pauciores erunt. Multis enim modis cauſſæ dicūtur: & earum ipſarum, quæ ſunt ſpeciei eiuſdem, alia, quam alia prioris, & poſterioris rationē habet: quo pacto bonæ valetudinis cauſſæ ſunt Medicus, atq; artifex & eius cōcentus, qui διὰ πασῶν dicitur, duplum, ac numerus: ſeptē*q; *ea, quæ cōtinēt cuiuſq; ſingularis. Præterea*

*Efficientium tria genera.*

t *Semen.* Exiſtimat Simplicius innuere Ariſto. viciſſim cauſſę in his exēplis tria efficientiū genera. Vnum eorū, quæ per ſe ipſa non attingunt effectū, cuiuſmodi eſt is, qui conſilium dat. Alterum eorum, quæ per ſe ipſa operando faciunt, cuiuſmodi eſt artifex. Tertium eorum quę non principalia agentia, ſed media inter agens, & materiā, quo pacto ſemē efficiens, quatenus vim agendi habet inſtrumentariam, tametſi ad materiam pertinere poteſt quatenus ſui mutatione ſubit formam geniti. Forſitan quoque nomine ſeminis ſignificare voluit agentia per naturā: Medici autē agentia per artem: ac demum eius, qui conſilium dedit, agentia ea, quæ nec natura, nec arte, ſed conſilio agunt: vel ſeminis vocabulo cauſſas inſtrumētarias: Medici, ea agentia principalia, quæ ad vnum determinata ſunt: eius autē, qui dedit conſiliū, ea, quæ nō ſunt ad vnū determinata.

*Quæ ad ſinē pertineant.*

u *Cætera.* Sanitatē: & media ad ſanitatē cōparādam de quibus ſupra mentionē fecerat (quatenus tamē ad ſanitas quidē ſimpliciter, media verò ad ſanitatē quodam modo, ſiue ſecundum quid in finibus ponantur. Illud tamen addit, ſemper finem eſſe bonū quid, imo etiā optimū comparatione eorū, quæ in finē diriguntur, quatenus referuntur ad illū obtinendum: eſſe autem bonum, inquit, atq; optimū ſi nō re ipſa certè ſpecie tenus. Nihil enim per ſe agit niſi alicuius veri boni, aut apparentis gratia: tametſi plurimi ſint, qui per accidens alicuius mali cauſſa agant quatenus ei, quod bonum eſſe putant, malū eſſe accidit. Atque huiuſmodi bonitas eſt fundamentum rationis cauſſandi huius cauſſæ, vt inferius patebit.

*Finis bonum ſemper & optimum.*

*Omnis actio per ſe tendit in bonum.*

x *Modi autem.* Agit de modis cauſſarum accidentariis, quos diſtinguit ab eſſentialibus,

*Cauſſæ accidentariæ.*

sentialibus, tanquam à speciebus caussarum: Species enim, aut quasi species caussarum, de quibus hactenus disseruit, sumuntur ex diuersis rationibus caussandi, in quibus caussarum, quatenus caussæ sunt, essentia continetur: modi autem accidentarij, de quibus nunc sermo instituitur, sumuntur ex diuersis quibusdam habitudinibus caussarum ad caussata, vt ait D. Tho. quæ quidem multæ, ac variæ sunt in quolibet caussarum genere, sed tamen ad pauca quædam capita rediguntur ab Arist. vt inferius patebit. Diuidit ergo primũ caussas in eas, quarũ aliæ priorũ, aliæ posteriorum rationem habent, qui ordo non solũ cernitur inter caussas diuersorũ generũ (habet enim finis rationem primæ caussæ, efficiens, secundæ, forma tertiæ, materia extremę) sed etiã eiusdem generis. Quod tamen cùm duobus modis intelligi possit, vno in diuersis numero caussis quo pacto respectu hominis geniti: Sol est prior caussa, homo autem generans posterior: altero, in vna & eadem numero secundum ordinem vniuersalis, & particularis, quo pacto artifex habet rationẽ prioris caussæ, respectu statuæ, statuarius autem posterioris. De solo posteriori modo loquitur Aristoteles. Quo pacto caussæ non tam dicuntur priores, & posteriores, quam habentes rationem priorum, & posteriorum, cum re vera non sint plures caussæ, sed vna & eadem concepta quodam modo vt plures. Atque hanc ob rem non dixit Aristoteles πρότερον, καὶ ὕστερον ἄλλο ἄλλ̃, id est, aliam alia priorem, & posteriorem, sed πρότερος καὶ ὑστ̃ ὡς ἄλλο ἄλλ̃: hoc est, aliam alia prius & posterius: quod nos interpretati sumus prioris rationem, & posterioris habentem.

*Hoc loco 1. & 3.*

*1. Caussarum diuisio.*

*Ita D. Tho. hoc loco.*

*2. Caussarum distributio.*

y *Præterea.*] Alteram diuisionem caussarum addit in caussas per se & per accidẽs, subdiuidẽs simul caussas per accidens in vniuersales & particulares. Itémque in remotas & propinquas. Caussæ per se, quas paulò inferius ꝓpriè caussas appellat, sunt illæ, quæ secũdum naturas proprias, & non secundum aliquid ꝙ eis accidat caussæ sunt, quo pacto statuarius caussa est statuæ. Caussæ per accidẽs, quas vocat accidentia, sunt aut ea, quæ accidunt caussis per se aut ipsæ caussæ per se respectu eorum, quæ accidunt suis per se effectibus. Priori modo Polycletus est caussa statuę, si accidat statuario vt sit Polycletus. Posteriori statuarius est caussa candidi, si accidat statuæ quam per se efficit, vt sit candida.

ἔτι γὰρ ὡς τὸ συμβεβηκὸς καὶ τὰ τούτων γένη: οἷον, ἀνδριάντῳ, ἄλλως Πολύκλειτος, καὶ ἄλλως ἀνδριαντοποιὸς, ὅτι συμβέβηκε τῷ ἀνδριαντοποιῷ, Πολυκλείτῳ εἶναι καὶ τὰ περιέχοντα δὲ τὸ συμβεβηκὸς οἷον ἄνθρωπος ἄπιος ἀνδριάντι, ἢ ὅλως ζῷον, ὅτι ὁ Πολύκλειτος ἄνθρωπος, ὁ δ' ἄνθρωπος, ζῷον, ἔστι δὲ ἢ τῶν συμβεβηκότων, ἄλλο ἄλλῳ πορρώτερον, καὶ ἐγγύτερον: οἷον, εἰ ὁ λευκὸς, καὶ ὁ μουσικὸς ἄπιος λέγοιτο τ̃ ἀνδριάντι, ἀλλ' μὴ μόνον Πολύκλειτος ἢ ἄνθρωπος. παρὰ z πάντα δὲ καὶ τὰ οἰκείως λεγόμενα, καὶ τὰ κατὰ συμβεβηκὸς τὰ μὴ ὡς ὁλωσιάμενα λέγεται, τὰ δ' ὡς ἐνεργοῦντα: οἷον τ̃ οἰκοδομεῖν, οἰκοδόμῳ ἢ οἰκοδομῶν οἰκοδόμῳ. ὁμοίως aa δὲ λεχθήσεται καὶ ἐφ' ὧν τὰ αἴτια, τοῖς εἰρημένοις: οἷον τῷδε τ̃ ἀνδριάντι, ἢ ἀνδριάντι, ἢ ὅλως εἰκόνι: ἢ χαλκῷ τ̃ δὲ, ἢ χαλκῷ, ἢ ὅλως ὕλῃ: καὶ ἐπὶ τῶν συμβεβηκότων ὡσαύτως. ἔτι bb δὲ συμπλεκόμενα ταῦτα τοῖς εἰρημένοις λεχθήσεται: οἷον, ὁ Πολύκλειτος, ὅδε ἀνδριαντοποιὸς ἀλλὰ Πολύκλειτος ἀνδριαντοποιός.

*Præterea y vt accidens, & horum genera: exempli caussa, statuæ aliter caussa est Polycletus, aliter statuarius, quod accidat statuario, vt Polycletus sit. Ea etiam, quæ accidens continent: quo pacto homo caussa est statuæ, aut etiam omnino animal, quia Polycletus homo est, & homo animal. Est autem accidentium aliud aliũ remotius, & propinquius: vt si albus, & musicus caussa statuæ dicantur, non autem solus Polycletus, aut homo. Præter z omnes autem & quæ propriè dicuntur, & quæ per accidens, aliæ vt potentes dicuntur, aliæ vt in actu, quo pacto ædificandi caussa ædificator est, aut ædificator ædificans. Aeque aa aũt atq; in iis, quæ exposita sunt, dicetur in iis quorũ sunt caussæ, vt in hac statua, aut statua, aut omnino imagine: vel in hoc ære, aut ære, aut omnino materia: atque in accidentibus similiter. Præterea bb & hæc, & illa coniuncta dicentur, veluti, non Polycletus, nec statuarius, sed Polycletus statuarius.*

Porrò



tis statuariæ efficiunt statuam.

*Cur homo dicatur caussa per accidens statuæ.*

Si quis autem quærat hoc loco cur homo dicatur caussa per accidens statuæ, cum non videatur accidere statuario, sed dici de eo per se (hæc enim videtur esse propositio per se, *statuarius est homo*, cum sit necessaria) respõdendum est, hominem non dici per se de statuario, neque hanc esse necessariam simpliciter, *statuarius est homo*, quia connexio extremorum est simpliciter contingens, licet fit necessaria ex hypothesi, nempe posita existentia subiecti, vt Dialectici volũt ad priorem librum prioris Analyticæ, vbi de conuersione propositionũ agitur.

*Hæc non est necessaria, statuarius est homo, nisi ex hypothesi.*

Aт obiiciat aliquis, non semper genera caussarum per accidens esse caussas per accidens: nam artifex est genus Musici, qui est caussa per accidens statuæ, Et tamen artifex non est caussa per accidens statuæ, cum sit per se caussa omnis artificiosi operis. Sed respondendum genera caussarum per accidens si conferantur cum effectis specialibus, esse caussas remotas, ac proinde ex caussis specialibus, quas sub se continent iudicandum esse, sintne per se, an per accidẽs. Quare si artifex conferatur cum statua, quemadmodum est per se caussa illius rationẽ statuarij, siue quatenus per differentiam statuarij contractus est ad eam speciem: ita est caussa per accidens eiusdem ratione Musici, seu quatenus est effectus speciali Musici differentia.

Illvd etiam aduerte Aristotelem non expresse nominasse hoc loco caussas per se, sed ex oppositis caussis per accidens exemplóq; statuarij intelligendas esse voluisse.

Demvm aduerte restitutum etiam à nobis ex physicis illud τὸ τόπον pro ἀλλὰ τόπον, quod hic habent pleraque exemplaria: & illud ἀλλ' πολυκλεῖτος, &c. & ἀλλ' πολυκλεῖτος &c. ꝙ corruptè habent omnia: & ex veteri manuscripto Cardinalis Syrleti verbum πορρώτερον. pro πρότερον.

z *Præter omnes.*] Adiungit tertiam diuisionem caussarum in caussas secundum actum, & secundum potentiam. Caussæ secundum actum, dicuntur quæ actu caussant: vt ædificator ædificans: secundum potentiam verò non quę vim caussandi habere possunt, quo pacto is, qui nondum ædificãdi arte præditus est vteũq; dici potest caussa effectiua domus: sed quę vim caussandi iam habent, si actu non caussent, quo pacto ille idem comparata iam ædificandi arte, dicitur caussa domus, si nullam ædificet.

*3. Caussarum diuisio.*

aa *Aeque autem.*] Quibus modis diuiduntur caussæ, eisdem docet posse affecta diuidi, & omnino ea, quotum illæ sunt caussæ, etsi fortasse nõ sint illarum effecta: vt effecta statuarij in statuam particularem, & vniuersalem, siue absolutè sumptam, & in imaginem, quæ latius patet. & subiecta figuræ in æs particulare & vniuersale, & omnino in materiam, quæ patet latissimè. Quod idem fieri potest in effectibus per accidens.

*Effecta tot modis, quot caussæ diuiduntur.*

Hoc etiam loco restituimus ex Physicis illud, ἢ ἀνδριάντι pro ἢ ἀνδριάντ̃ & ἢ χαλκῷ, pro ἢ χαλκ̃, quod idem fecit Budæus in correctionibus sui exemplaris ad marginem, propria manu scriptis.

bb *Præterea & hæc.*] Tradit Aristoteles quartam diuisionem, in caussas coniunctim.

*4. Caussarum diuisio.*



Universidad de Deusto Biblioteca
Facultades Filosóficas Provinciae Cast. Orientalis

ctim sumptas,& diuisim,seu seorsim ac per se.Non loquitur autem de quomodocumque coniunctis, quæ modis plurimis copulari possunt, sed de complicatione caussarum per se, cum caussis per accidens, quo pacto caussæ coniunctæ sunt totum hoc,Polycletus statuarius,seorsim verò acceptæ,statuarius per se,& Polycletus per se.Atque etiam hoc loco vult Aristoteles ex coniunctis oppositum modum earum,quæ seorsim sumũtur colligẽdum esse, nisi quod oppositis exemplis oppositum etiã modum declarat.

Αλλ' ὁμως cc ἁπαν|ά γε τα|ῦ|τά ἐστι τὸ μὴ πλῆθος ἐξ,λεγόμενα δ' διχῶς,ἢ γὰρ ὡς τὸ καθ' ἕκαστον, ἢ ὡς τὸ γένος ἀυ|τ|ό,ἢ ὡς τὸ συμβεβηκὸς, ἢ ὡς τὸ γένος τὸ συμβεβηκότος,ἢ ὡς συμπλεκόμενα τα|ῦ|τα,ἢ ἁπλῶς λεγόμενα:ἔτι ὡς ἐνεργεῖ|ῶ|ν ἢ κατὰ δύναμιν, διαφέρει δὲ τοσοῦτον ὅτι τὰ μὲν ἐνεργοῦ|ν|τα,ἢ τὰ καθ' ἕκαστον ἅμα ἔστι, ἢ ὄντ' ἐστὶν,ἀυ|τ|ατεπὴ ὧν αἴτια:οἷον, ὅδε ὁ ἰατρεύων ὧδε δὲ ὑγιαζομένῳ:ἢ ὅδε ὁ οἰκοδόμος, ὧδε δὲ οἰκοδομουμένῳ: τὰ δὲ κατὰ δύναμιν,ὄντ' ἀεὶ:φθείρε|τ|αι δ' ὅτ' ἐχ ἅμα ἡ οὐσία, καὶ ὁ οἰκοδόμος,

*Omnes caussarum modi ad duodecim capita reuocantur.*

cc *Porro hæc.* ] Etsi ex quatuor diuisionib.propositis octo mẽbra colliguntur quæ inuicem complicata duo de triginta conficiunt(vt ex vulgata comparationum regula perspicuum est) placuit tamen Aristoteli omissa diuisione tertia, sex præcipua membra ex reliquis tribus diuisionib. accipere:tum eorũ quodlibet per membra tertiæ, hoc est per actum & potentiam ducere: vt omnia essent duodecim. Atque hæc sunt capita illa

# QVÆNAM SIT RATIO CAVSSANDI MATERIAE.

## QVÆSTIO I.

***Quotuplex sit materia, Et quo pacto ad materiam primam cætera materiæ significata reuocentur.***

### SECTIO I.

*Qua ratione hic de caussis disputetur.*

HIC alter locus est,in quo Aristoteles de caussis vniuersè agit. Primò enim libro genera ipsarum caussarum inuestigauit,nunc singularum naturam explicat.Quare & nos cùm priori loco de inuẽtione materiæ primæ,& formæ substantialis,quę Philosophis præcipuum exhibuit negotium,disputauerimus: de iis primum disseremus hoc capite quæ ad caussandi rationem cuiusque generis spectãt quod in ea sita sit ipsa caussarum quatenus caussę sunt,natura & essentia.tũ agemus de quibusdam quasi proprietatib. caussarum,quæ ex ipsa multiplici caussarum ratione nascuntur. Nam quæ de cõmunicatione,ac diuisione caussæ hoc loco desiderari possunt,loco illo priori explicata sunt.Cum autem nobis, vt Aristotelicum ordinem sequamur primum agendum sit de ratione caussandi materiæ,operæpretium erit antè exponere, quot modis potissimum materia dicatur. *cap.3.* *cap.7.*

*Materiaquot modis dicatur.*

DVPLEX est materia: prima vna:altera secunda. Materia prima est subiectum formæ substantialis, definitúrq; ab Aristotele 1. Phys. cap.9.[a] *Primum vniuscuiusque subiectum, ex quo aliquid fit eo pacto vt non per accidens insit.* Non complectitur tamen ea definitio materiam primam Cœli,nisi loco verbi,*fit*, subiicias verbum, *Constat*, Dicitur autem *Vide Auer. in paraphr. Metap. 12. 1. cap. quid grum*



illa pauca,in quæ superius dictum est posse caussarum modos reuocari. Cur autem potissimum per actum,& potentiam reliqua duxerit,ea forsitan ratio fuit, quia vt ex caussa colligitur effectus,quæcunque tandem illa sit, plurimum interest in actu ne an in potentia sumatur id quod ipse mox docet: Caussæ enim in actu, hoc est, q̃ caussarum munere funguntur,simul sunt& nõ sunt cum effectis in actu, q̃ ipse in efficientib. exẽplo Medici actu exercẽtis artem declarat. At caussæ in potentia, siue quę nõ funguntur caussæ munere,non necessario simul sunt & non sunt cum effectu, veluti ædificator cum ædificio. Nam & sæpè accidit,vt ædificator intereat saluo ædificio & contra ædificatore incolumi nonnũquam perit ædificium,vt alterum ex altero non necessario colligatur. Hinc est quod cum scibile sit caussa scientiæ,nil mirum sit si quadraturæ circuli,quæ scibilis potentia est scientia non habeatur.Addit autem,& *singulares*, quia caussare,quemadmodum & caussari primò conueni singularibus,vt libro a primo diximus.Verum & hoc pronunciatum caussas in actu, & effecta in actu simul esse, seorsim b expendendum est.

*Porro cc hæc omnia numero quidem sex sunt, bifariam autem dicuntur. Aut enim vt res singularis, aut vt genus eius, aut vt accidens, aut vt accidentis genus,aut vt coniuncta hæc, aut vt simpliciter dicta vsurpantur:& insuper vt actu aut potentia.Hoc autem interest,quod quæ in actu sunt,& singulares, simul ipsæ sunt,& nõ sunt cum iis, quorum sunt caussæ,vt hic,qui ædificat,cum hoc,quod ædificatur. Quæ verò potentia dicuntur, non semper:neque enim domus ædificatórque simul intereunt.*

a Cap.1.q.3.
b Quæst.17. & vltim.huius cap.

a *Text. 82.*

*Scot.in 4. Sẽ. dist.11. qu. 3. Auicen.1.lib. suffic.c.2. & alij.*

tem prima materia: tum quia forma substantialis, cui subiicitur est prima forma comparatione accidentariæ ( tametsi hanc rationem non probabunt, qui falsò eximant composita etiam substantialia posse subiici formis substantialibus) tum præcipuè quia est primum subiectum, hoc est, non compositum ex alio priori subiecto, vt patet ex definitione tradita.

*Materia cœli qua ratione sit in definitione materiæ*

*Quid sit materia secũda.*

MATERIA secunda est compositum substantiale quatenus est subiectum formæ accidentalis,Dicitur autem secunda, non quia est subiectum formæ accidentalis (isto enim modo Angelus, & animæ rationis participes,quia multis accidentibus subsunt, nomine etiam materiæ secundæ appellarentur,quod non est in vsu) sed quia est secundum subiectum:ex primo inquam subiecto compositum. Quanquam interdum sumitur materia secunda pro ipsa materia prima, quatenus dispositionibus quibusdam accidentalibus affecta est, vt pro humano corpore,quod est subiectum animæ.

*Auicenna 1. lib.suæ suffic. cap.2. Ioãnes de Gandauo lib. 2. Metaph.q.1. & alij nonnulli.*

*Alia ratio materiæ secũd.*

ILLVD tamen animaduerte sæpe etiam materiam secundam pro composito substantiali sumptam, dici subiectum formæ substantialis, vt cum elemnta dicuntur subesse formæ misti, & mistum ipsum subesse animæ.Verum id aut dicitur ex sententia eorum, qui putant totum compositum substantiale posse subiici perfectiori formæ substantiali,quod non probamus(nam ne illud quidem concedimus in eadem ipsa materia prima dari posse ordine quodam plures formas substantiales,vt alij volunt)aut non est intelligendum formaliter,sed virtute.Neq; enim putamus elemẽta manere formaliter in misto,aut mistum inanimatũ in re animata,siue vt subiectũ vltimæ formæ, siue alio modo;sed virtute duntaxat,& efficacia,quod accidit in aliis pleri-

*Elementa nõ manent formaliter in misto.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



risq; rebus,ex quibus aliæ gignũtur. Atq; in hoc sensu dictũ est à nobis c.2.secũdi libri,plures materias secundas in eadẽ re cõcedi posse. *Quæst. 1 ma.sect.&*

*Quædam alia materiæ diuisio.*

DIVIDI etiam solet materia in materiam ex qua,in qua,& circa quam. Verum hæc diuisio,si de materia propriè dicta intelligatur, non tam diuidit materias, quàm officia earum distinguit: quemadmodum diuisio illa differentiarum apud Porphyrum in diuisiuas, & constitutiuas potius distinguit cuiusque differẽtiæ officia, quàm differentias ipsas inter se se:quandoquidem eadem materia, vt ordine generationis rem exponamus, tria hæc obit munera, vt circa eam agens operetur, vt in ea insit forma,& vt ex ea constet compositum. *In Isag. cap.de Differentia.*

*Ad materiã primam quæ reuocentur.*

CVM igitur duplex dicatur materia,cùm prima,tum secunda, atque prima sit præcipua in hoc genere caussæ,& quæ simpliciter materiæ nomine appellatur:ad eam merito reuocantur cætera omnia ad quę materiæ nomẽ extenditur,quatenus materiæ rationẽ participãt. Ita fit,vt ad eam primum reuocetur materia secũda, deinde quoduis aliud subiectum respectu accidentis, cui subest:tum genera respectu differentiarũ,quibus quodammodo informantur,vt habes apud Porphirium [a] in Isagoge. Ad hæc:partes integrantes respectu totius integri,vt Aristo.hoc [b] loco docet. Est enim totum integrum quasi forma,& perfectio partium,ex quibus constat, vt hoc etiam loco traditur. Reuocat item Aristoteles ad materiam definitum respectu partium definitionis,hoc est,generis & differentiæ,propterea quod res, quæ definitur,ex suo genere & differentia formaliter habet,vt sit huius vel illius essentiæ:Reuocari quoque possunt ad materiam indiuidua comparatione speciei, quia sunt infinita:at species, quia vnit omnia in eandem naturã,ad formam pertinet. Ea etiam reuocãtur ad materiam,quæ exemplaris imitatione fiunt,si cum exemplari conferantur:est enim exemplar,externa forma, quam illa imitantur. Reuocatur demũ patiens cum agente collatum, & omnino quæuis res comparatione eius potentiæ,vel habitus, qui circa illam operatur, siue agendo,siue cognoscendo, siue appetendo, aut refutando. Quo pacto dicimus ligna esse materiam ignis:lutum figuli, commutationes iustitiæ:res naturales Physicæ:supernaturales Metaphysicæ:bona opera lætitiæ:mala pœnitentiæ. Quanquam id, circa quod potentia versatur qua ratione actionem transeuntem accipit, nihil differt à materia prima, aut secunda, aut quouis alio subiecto accidentium, quę primum ad materiam reuocauimus. [a] *Cap.de Differentia.* [b] *Text.3.*

*Refutatio quarundam opinionum de ratione caussandi materiæ primæ.*

SECTIO II.

*Quid sit ratio caussandi, seu Caussalitas.*

POsitis ita expositis,cùm ratio caussandi, quã recentiores caussalitatem appellant,nihil sit aliud, quàm id, quo caussa actu,ac formaliter caussat (quo pacto ratio caussandi agentis nõ est vis,qua agere potest,sed dici solet actio ipsa, qua actu & formaliter agit,& à qua formaliter denominatur agens) non leuis est controuersia inter Philosophos de caussalitate materiæ primæ,de huius enim materię caussandi ratione potissimum agendũ est.

*Prima opinio* SVNT qui velint rationem caussandi materię nihil esse aliud,quã *In hanc inq.* materiam



*nat Ochã. 2. sent. quæst.3.* materiam esse partem potentialem compositi. Primum, quia materia dicitur caussa intrinseca, esse autem caussam intrinsecam distinctam à forma,nihil est aliud,quàm esse partem potentialem compositi:Deinde,quia effectus materiæ est compositum, quemadmodum & efficientis:neque enim forma fit,sed compositum vt lib.7.cap.8. [a] docet Aristoteles:at materia non aliter est caussa compositi,quàm vt pars potentialis. Postremo, quia materia eius rei est caussa, cuius est principium,non est autem principium formæ: cum principia nõ sint ex se se: neque aliter potest esse principium compositi, nisi vt pars potentialis,& vt ita dicam fundamentalis in compositione. Ita videtur effici hanc solam caussandi rationem tribuendam esse materiæ, quod sit pars potentialis compositi. *de ratione caussandi materiæ primæ. 1. argum. 2.*

[a] *Text. 26. & 27.*

*1.Phys.ca. 5. tex.42.*

*Nonnulli recentiores.*

HÆC tamen sententia non placet aliis. Dicunt enim, non vnam sed duas necessario ponendas esse rationes caussandi materiæ: alterã respectu compositi,quæ iam dicta est,& generaliter conuenit materiæ:alteram respectu formarum, non omnium tamen, sed tantũ earum,quæ educuntur è potentia materiæ: id quod hac ratione confirmant:Quia non solum composita,sed etiam huiusmodi formæ pendent ex materia tanquam ex caussa. Quænam verò sit hæc posterior caussandi,ratio si roges,dicunt,esse nihil aliud,quàm conseruare formam,non effectiuè tamen,sed materialiter. Vnde fit,vt materia iure negetur esse caussa animæ rationis participis, cùm hæc sine materia propriam existentiam naturaliter retinere possit. *Secunda opinio.* *Ratio.*

*Tex. 2. & 2. Phys.tex.30.* SED neque huiusmodi sententia rem prorsus attingit. Nam cum caussæ sibi inuicem sint caussæ:vt hoc c.affirmat Aristot. idq; omnes non solum de agente,& fine qui per actionem fit:sed etiam de materia & forma dictum intelligant:necesse est,vt quemadmodum forma aliquo modo est caussa materiæ, sic etiam materia aliquo modo sit caussa formæ. Quare si formæ,quæ non educuntur de potentia materiæ,sunt aliquo modo caussæ materiæ (sunt autẽ reuera,cùm illi dent aliquod esse) necesse est, vt materia quoq; aliquo modo sit caussa illarum. Ita fit vt nulla sit ratio,cur ita presse sumẽda sit caussalitas materiæ,vt non aliquo modo extendatur ad animam rationis participẽ, & ad cæteras formas,quæ non educuntur è potentia materiæ. *Impugnatio.*

*Vera quæstionis explicatio.*

SECTIO III.

*Assertio præcipua.*

DICENDVM est igitur vnam generalem caussandi rationẽ in materia non solùm assignari posse, sed etiam debere, eámq; nihil esse aliud,quàm sustinere formam, quatenus exercet officium formæ (seu quod idem est) quoad informationem. Hæc assertio ex eo in primis probari potest; quia ratio caussandi nihil est aliud, quàm id per quod caussa actu ac formaliter caussat:nemo autem dixerit, materiã actu, ac formaliter caussare per solam suam essentiam absolutè, quippe quæ si existeret sine forma (quod fieri posse lib.8.patebit)nihil caussaret. Non etiã dicitur formaliter caussare per relationem caussæ:cum relatio caussæ in ratione caussandi fundetur. Cum igitur nihil relinquatur,quod ratio caussandi esse *Prima ratio.* *Secũda ratio.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



di esse possit, nisi sustentatio formæ quo ad informandi officium (hoc enim pacto omnis forma pendet à materia) efficitur, vt hæc ipsa dicenda sit ratio caussandi materiæ. Præterea, cum materia sit potentia quædam: ex ordine ad actum vendicare sibi debebit rationem caussandi, quemadmodum cæteræ potentiæ: cùm illa igitur sit potentia passiua, in eo consistere debet eius caussandi ratio, quod eius actus pendeat ab illa vt sustinente (neque enim aliter actus potest pendere à potentia passiua, vt passiua est) atqui non omnis actus materiæ, quẽ formam appellamus, pẽdet à materia, vt à qua sustineatur quoad existentiam, vt patet in forma humana: & tamen omnis forma pendet ab ea quo ad informationem: igitur hoc ipsum est, in quo eius caussandi ratio consistit.

*Tertia.* POTEST quoque ex eo confirmari assertio, quia materia & forma mutuo se respiciunt vt docet Aristoteles 2. Phys. c. 2. atque adeo prius natura, quam respiciant compositum: quandoquidem compositum ex vtriusque coniunctione resultat: quare si materia, & forma sunt sibi inuicem caussę, vt dictum est: certè rationes caussandi earum prius spectandæ sunt inter ipsas, quam respectu compositi: at ratio caussandi, quæ hoc pacto sumi potest ex parte materiæ nulla est alia, quàm sustinere formam quo ad informationem: igitur hæc est communissima eius caussandi ratio. *Text. 26.*

*Quarta.* POTEST demum assertio confirmari ex definitione materiæ superius citata, in qua illud ante omnia de materia asseritur, quod sit primum subiectum: hoc enim satis declarat rationem caussandi materiæ primæ in eo consistere, quod sit primum subiectum. Quid autem quæso est aliud esse primum subiectum, quam esse quoddã quasi sustentaculum primæ formæ, hoc est substantialis, quatenus forma est? hinc enim fit, vt ex illa fiat, ac constet compositum substantiale, quod deinceps in definitione explicatur. *Sectio 1.*

*Obiectio.* QVOD si quis contra hanc assertionem obiiciat, si ratio caussandi materiæ consistit in sustinenda forma quoad informationem, hoc absurdum plane sequi: materiam non minus esse caussam formæ hominis, quàm leonis: quandoquidem omnes formæ in hac re sunt pares: neganda est consequentia. Quamquam enim omnes formæ in eo

*Dilutio.* sunt pares, quod pendent à subiecto quoad informationem, in hoc tamen est discrimen, quod omnes, quæ educuntur è potentia materiæ, pendent à subiecto, non modo quoad informationem, sed etiam quoad esse: quæ autem non educuntur, partim pendent quoad esse, vt quæ naturaliter existere non possunt extra subiectum: veluti forma cœli, & accidentia supernaturalia: partim non pendent: veluti forma humana, de qua re paulò inferius disputandum est.

*Distinctio pro animæ nostræ immortalitate.*

*Diluuntur argumenta aliarum opinionum.* SECTIO IIII.

*Solutio primi argumẽti primæ opinionis.* HINC nullo negotio dissolui possunt argumenta oppositarum opinionum: ac primum quidem illud, quo prima confirmabatur. Dicimus enim materiam per vnam, & eãdem rationẽ caussandi, & sustinere formam quoad informandi officium, & esse partem internam compositi, verũ eo ordine, vt prius natura sustineat formam, quàm



quàm sit pars compositi, quod ex vtriusque coniunctione resultat. Itaque quemadmodum agens per vnam, & eandem actionem prius natura agit in materiam, quàm ex materia compositum, ita materia per vnicam subiectionem prius natura sustinet formam, quoad officium informandi, quàm cum ea constituat compositum.

*Solutio secundæ.* AD secundam dicendum est effectum principalem materiæ esse compositum, quemadmodum & efficientis: quandoquidem ad constitutionem compositi vtriusque caussandi ratio dirigitur. Cæterum proximum, & immediatum effectum esse ipsam informationem, ad quam non solum forma, sed etiam materia concurrit, vt vera ac propria caussa in suo genere. Quod si quis obiiciat, solum compositum *Obiectio.* propriè fieri (id enim est, quod Aristoteles docet in loco citato) igitur materiam non propriè dici causam informationis, sed soliùs cõpositi: atque adeò rationem caussandi materiæ comparatione solius compositi sumendam esse. Occurrendum est negatione prioris con- *Dilutio.* sequentiæ. Nam si ea probanda esset, non rectè dicerent omnes philosophi, materiam esse veram ac propriam caussam generationis, siquidem nec generatio propriè fit sed compositum. Non rectè quoque iidem dicerent finem esse veram & propriam caussam actionis, cùm actio non propriè fiat. Quamquam igitur informatio non propriè fiat, non continuò tamen negandum est materiam esse veram, & propriam illius causam. Latius enim patet causare, quàm efficere, vt sæpe caussandi verbum propriè vsurpari possit, vbi non proprie vsurpatur efficiendi.

*Tertiæ solutio.* AD tertiam dicimus, materiã esse in vniuersum causam, & principium formę, quoad informationem, deinde compositi: Argumentum verò illud nullam vim habere. Hæc duo sunt principia, ergo nullo modo pendent ex se inuicem. Quod enim ex definitione principiorum obiicitur nihil facit ad rem: forma enim, & materia nec fiunt nec constant ex se inuicem: quo pacto principia negantur fieri ex se inuicem vt patet ex iis, quæ ad primum caput diximus.

*Solutio argumenti secundæ opinionis.* AD argumentum verò secundæ opinionis dicendum, non solum formas, quæ è potentia materiæ educuntur: sed etiam eas quæ non educuntur, pendere ex materia quoad informandi munus. Quare hanc esse generalem rationem caussandi materiæ. Nec verò hinc effici materiam esse absolutè caussam omnis formæ substantialis, sed quoad informationem.

*Obiectio.* QVOD si quis obiiciat, qui fieri possit; vt aliquid pendeat à materia quæ ex se nullum habet esse. Dicendum est materiam non carere omni esse: habet enim proprium esse tum essentiæ, tum existentiæ puræ potentiæ debitum, à quo omnes formæ quoad informationem & quædam earum cum omnibus compositis quoad esse pendere possunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca



## QVAE SIT RATIO CAVSSANDI formæ.

## QVÆSTIO II.

*Quot modis dicatur forma.*

### SECTIO I.

EX iis,quæ de ratione cauſandi materiæ dicta ſunt facilè quiuis intelligat, quæ ſit ratio cauſſandi formæ. Verùm vt luculentiùs id explicetur,exponẽdum eſt priùs, quot modis potiſſimum dicatur forma eo excepto,quo nomen formæ pro ſpecie, pulchritudinéve vſurpatur.

FORMA ſiue actus,ſiue perfectio (idem enim hæc omnia ſignificant) duplex eſt,vna exemplaris,altera informans. *Dignitas exẽplaris formæ.* Exemplaris eſt, quæ ſui participata ſimilitudine dat eſſe: informans, quæ per realem ſui coniunctionem cum ſubiecto. Ac licet Plato, teſte Alberto ad 2.Phyſic.ſolam exemplarem propriè formam eſſe dixit: quod informantem ſiue receptam imaginem potiùs quàm formam appellandam exiſtimauerit: nobis tamen reiecta Exemplari in librum ſeptimum,de ſola informante & recepta cum Ariſtotele hoc loco diſſerendum eſt. *Tract.2*

*Formæ informantis diuiſio.* FORMA informans bifariam diuiditur in ſubſtantialem & accidentalem. Subſtantialis eſt,qua ſubſtantiæ habent eſſe ſimpliciter, vt forma, qua leo eſt leo, & equus equus. Accidentalis qua habent eſſe ſecundum quid,& adiectitium vt figura equi & leonis.

*Quæ ad ſubſtantialem formam reducantur.* AD ſubſtantialem formam reuocantur non tantum accidentales, ſed multo etiam verius ſuo modo differentiæ omnes, quibus eſſentia rerum completur: itemq; totum integrum reſpectu partium integrantium: partes definitionis reſpectu definiti,hoc eſt,genus & differentia reſpectu ſpeciei, & ſpecies ipſa reſpectu indiuiduorum, quæ exhibetur. Proinde ſola ratio cauſſandi formæ ſubſtantialis explicanda eſt hoc loco, ex qua ad reliqua genera formarum informantium (ſeruata tamẽ proportione) deriuandæ ſunt propriæ cauſſandi rationes: quemadmodum & rationes cauſſandi materiæ primæ ad reliqua genera materiæ.

*De qua forma agendũ.*

*Reſponſio ad quæſtionem.*

### SECTIO II.

*Prior aſſertio.* ILLVD igitur certum ſit,non eſſe rationem cauſſandi formæ in eo poſitam, vt ſit pars actualis compoſiti: forma enim, vt diximus, priùs natura materiam informat, quàm compoſitum reſultet. Vnde patet nec ponendas eſſe in forma duas generales ac primas,cauſſandi rationes: vnam informandi ſiue actuandi materiam: alteram conſtituendi compoſitum vt partem actualem,cùm ex actuatione naſcatur compoſitio.

ERIT



*Aſſertio præcipua* ERIT ergo ratio cauſſandi formæ in eo ſita,vt per ſe ipſam actuet materiam, hoc eſt, per realem ſui coniunctionem cum materia illi communicet aliquam perfectionem,atque adeo ipſius propriam: dixi: *per ſe ipſam,realem ve ſui coniunctionem*,vt excluderem formam exemplarem de cuius ratione cauſſandi non agimus hoc loco. Nam etſi principalis forma eſt,non tamen actuat per ſe ipſam,realique ſui cõiunctione cum rebus informatis, ſed per participatas ſui ſimilitudines. Addidi: *perfectionem propriam ipſius formæ*, vt excluderem cauſſam efficientem immediatam,quæ etſi reali coniunctione ſui cum patiente aut effectu aliquam perfectionem illi communicat: non tamen illi communicat ſuam ipſius perfectionem: cum perficiat per induitam à ſe perfectionem,non per ſe ipſam formaliter.

SED contra propoſitam aſſertionem ſic licet obiicere. Ex formis accidentalibus colligunt Philoſophi à poſteriori & quadam participationis ſimilitudine quid de ſubſtantialibus ſentiendum ſit: at formas accidentales actuare ſubiecta nihil eſt aliud, quàm compoſita accidentalia conſtituere (idem enim eſt candorem, exempli cauſa actuare Cygnum,atque cum Cygno conſtituere Cygnum candidum) ergo ſi actiuatio materiæ eſt ratio cauſſandi formæ ſubſtantialis, negandum non erat propriam, & peculiarem eius cauſſandi rationem eſſe conſtitutionem compoſiti per modum perficientis, quam particulam ſubaudire oportebat.

*Dilutio.* AD hanc obiectionem dicendum: etſi formæ accidentales cum ſubſtantialibus in pleriſque conueniunt: tamen quoad cauſſandi rationẽ attinet non eſſe parem rationem in vtriſq;. Nam ex formis accidentalibus cum ſubiecto coniunctis non reſultat vlla vera eſſentia quæ ſit ex vtroq; compoſita, & ſub vno aliquo vero genere collocetur: ſed compoſitum ex vtroque,ratione accidentis ponitur ſub genere aliquo accidentium, ratione autem ſubiecti, ſub genere ſubſtantiæ nihilque aliud eſt compoſitum accidẽtale,quam accidens,& ſubiectum inter ſe coniuncta. At ex formis ſubſtantialibus, & materia reſultat vera eſſentia rei naturalis,quæ ponitur ſub genere ſubſtantiæ corporeæ in prædicamento ſubſtantiæ: vnde neceſſe eſt fateri aliud eſſe compoſitum ſubſtantiale, aliud materiam & formam copulatas inter ſeſe: quandoquidem compoſitum ſubſtantiale eſt tertium quid verè,ac per ſe confectum ex vtráque,& ordine naturæ poſterius coniunctione vtriuſque, vt patebit ad finem libri ſeptimi. Quamquam igitur in formis accidẽtalibus idem ſit informare ſiue actuare materiam,& conſtituere compoſitum: tamen in ſubſtantialibus non idem eſt: ſed actuatio præcedit natura compoſitionem. Item fit vt merito dictum ſit primam cauſſandi rationem,quæ formæ tribuitur,ſe actuare materiam: tum quia hæc ſola conuenit formis omnibus, tum etiam quia primo conuenit ſubſtantialibus, de quibus hoc loco propriè diſſeritur.

*Diſcrimen formarũ ſubſtatialium ab accidentalib. in cauſſando.*

*Totum phyſicum diſtinguit à partibus vnitis.*

*Secunda obiectio.* OBIICIAT quoque aliquis,non rectè dictum eſſe formam vna & eadem ratione cauſſandi actuare materiam, & conſtituere compoſitum etſi prius natura actuat, quàm componat: Nam cum forma

Universidad de Deusto
Biblioteca



alia ratione reſpiciat materiam,vt actuans, alia compoſitum,vt conſtituens, neceſſe videtur fateri, aliam rationem cauſſandi eſſe actuationem materiæ, aliam compoſiti conſtitutionem.

Sectione.3. VERVM ad hoc dicendum: rationem cauſſandi non eſſe relationem (vt ſuperiore quæſtione dictum eſt) ſed fundamentum relationis: vnum autem, & idem poſſe eſſe fundamentum diuerſarum relationum,quemadmodum eadem calefactio eſt fundamentum ſiue ratio fundandi relationem calefacientis, & calefacti. Actuatio igitur materiæ qua etiam cauſſatur compoſitum, eſt vera,& propria atque adeo vnica ratio cauſſandi formæ: tametſi ordine quodam duos effectus habeat in ſubſtantialibus: alterum materiam informatam eſſe alterum confectum & abſolutum eſſe compoſitum. *Dilutio.*

VERVM quia dubitabit aliquis,vtrum materia non ſolum quoad informationem, ſed etiam quoad eſſe pendeat à forma, & viciſſim forma à materia, id è veſtigio diſquiramus: Hoc enim ſi verum eſt, alia quoque ratio cauſſandi in vtraq; ponenda fuiſſe videbitur, quæ præcedat eam,quæ dicta eſt. Nam vt eſſe materiæ, & formæ præcedit natura coniunctionem ipſam inter ſe:ita ratio cauſſandi mutua inter ipſas quoad eſſe (ſi datur) debet natura præcedere mutuam harum cauſſandi rationem quoad informationem ſiue actuationem. *Occaſio quæſtionis ſequentis.*

## NVM MATERIA IN SVO ESSE PENDEAT A FORMA, ET VICISSIM FORMA A MATERIA.

## QVÆSTIO IIII.

*De triplici ſenſu quæſtionis, & quadruplici formarum genere.*

### SECTIO I.

SI eſſe formæ,ac materiæ ſumatur pro eſſe aptitudinali vt vocatur, id eſt,pro eſſe eſſentiæ abſtrahentis ab eſſe exiſtentiæ,perſpicuum eſt materiam pendere in ſuo eſſe à forma,& viciſſim formam à materia: quandoquidem materia eſt eſſentialiter propenſa ad formam, & forma ad materiam, ita vt quoad huiuſmodi eſſe in diuerſo genere cauſſæ mutuo ſe reſpiciant eſſentiali reſpectu quem tranſcendentem appellant:materia quidem formam vt cauſſam ſuam formalē aptitudinalē: forma verò materiam vt cauſſam ſuam materialē ſubiectiuā aptitudinalem tamen,non actualem. Atq; hinc fit vt neceſſario altera viciſſim per alterā definiatur. Verùm hæc dependentia nihil eſt ad rē: Agimus enim hoc loco non de aptitudinali ratione cauſſandi, ſed de actuali,cui reſpondet actualis dependentia non aptitudinalis. *Quoad materia forma ex ſe in ſuo eſſe deant.*

a *D.Tho.1.p. q. 66.art.1. & de potentia.q. 4.ar.1. Caiet. de ente & eſſentia c. 5.Fer.3.contra gent.c. 4. Capr. in 2.d. 13.q. 1. Dur. 2.d.12.q.2. Arg.eād.d.q. 1.*

SVMPTO igitur eſſe pro eſſe actuali; quod etiam exiſtentia dicitur, animaduertendum eſt duplicem eſſe ſententiam de eſſe ſiue exiſtentia materiæ & formæ,Sunt enim a qui velint,materiā ex ſe ſe nullam *Duplex ſententia de actuali exiſtentia*



lam habere exiſtentiam ſed exiſtere per ſolam exiſtentiam formæ. Alij dicunt a materiam habere propriam, & peculiarem exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia formæ, quorum ſententiam magis approbandam eſſe ad librum octauum oſtendemus.

a *Scot.in.2. d.12.q.2. Greg. Arim. ead.d.q.2. ar.3. Gabriel ibid.q.1. Ioann.Maior ead.diſtin. Ocham in 2.q.7.*

*Expoſitio quæſtionis.*

CVM ergo quæritur,num materia in ſuo eſſe pendeat à forma, & viciſſim forma à materia, ſenſus eſt: Num materia in ſuo eſſe actuali diſtincto ab actuali eſſe formæ pendeat à forma, tanquam à vera cauſa talis eſſe, & viciſſim forma in ſuo actuali eſſe pendeat à materia,ſiue in fieri tantum, ſiue in conſeruari tantum, ſiue in fieri ſimul & conſeruari:omnia enim hæc expendere oportebit. Dixi autem tanquam à vera cauſſa talis eſſe, quia dubitari etiam poſſet, num actuale eſſe materiæ pendeat à forma,& actuale eſſe formæ pendeat à materia, non tanquam à vera cauſa, ſed tamquam à quodam concomitante,quo pacto res quæ gignuntur & intereunt pendent à loco,& tempore. Verùm hæc quæſtio nihil eſſet ad rem:agimus enim de veris cauſis. Intelligenda quoque eſt quæſtio ſpectato naturali rerum curſu. Nam nec dubium putamus, quin ſupernaturali Dei virtute materia poſſit exiſtere ſine forma. Neque vllus Catholicus Philoſophus ambigit,quin formæ abſolutè omnes diuina poteſtate ſine ſubiecto cohærere in rerum natura poſſint,vt credimus euenire in accidentibus ſacræ Euchariſtiæ.

*Quatuor gen.ra formarum informantium.*

VERVM vt propoſita dubitatio dilucidius tractetur, animaduertendum eſt, quatuor intelligi poſſe genera formarum realiter informantium. Aliæ ſunt ſubſtantiales ſeparabiles, hoc eſt, quæ per ſe ipſas cohærere in rerum natura poſſunt:cuius generis ſolam nouimus animam rationis participem. Alię ſubſtantiales inſeparabiles, quæq; per ſe ipſas in rerum natura cohærere nequeunt,ſiue incorruptibiliū rerum ſint formæ, vt cœleſtium corporum: ſiue incorruptibilium rerum ſint formæ, vt cœleſtium corporum: ſiue incorruptibilium vt equi,& leonis:Aliæ ſunt accidētales naturales,vt calor igni, & intellectus Angelo:ſumimus enim naturales non tantū pro accidentib. quæ naturaliter cōueniunt rebus materialibus,ſed etiam pro iis,quæ immaterialibus. Aliæ ſunt accidentales ſupernaturales, quæ nulli rei ſiue materiali, ſiue immateriali naturaliter conuenire poſſunt, cuiuſmodi eſt gratum eſſe Deo,& clara diuinæ naturæ contemplatio.

*De dependentia materiæ à formis ſubſtantialibus, & viciſſim formarum ſubſtantialium à materia.*

### SECTIO II.

*Materiā naturaliter pendere à formis ſubſtantialibus.*

*Ratio notanda.*

HIS ita explicatis dicendum eſt, materiam naturaliter pendere in ſuo eſſe actuali à formis ſubſtātialibus,& in fieri, & in conſeruari, ſiue conferatur cum iis,quæ ſeparari poſſunt ſiue cū iis,quæ ſeparari nequeūt. Cuius rei hæc eſt generalis ratio:quia ea,quæ per ſe ſe naturaliter exiſtere non poſſunt neceſſario indigent aliquo cuius vi & quaſi adminiculo exiſtant:materia vero cum ſit pura potentia & ideo per ſe ſe nullam operationē habere valeat,non poteſt per ſe exiſtere:eſſet enim otioſa, quod ne accidat, tota natura refugit. Cum igitur omnis operatio materialis ſit à for-

Universidad de Deusto
Biblioteca



ma informante, necessario efficitur, nullam materiã aut fieri, aut conseruari posse sine forma, nisi Deus peculiarem cõcursum formæ suppleat in ea caussanda, & conseruanda. Ita perspicuum est omnem materiam naturaliter pendere à forma, & in fieri, & conseruari.

*Obiectio.*

QVOD si quis obiiciat, vt materia operetur, ac proinde otiosa non sit satis esse si qualitatem aliquã accidentalem habeat, qua operari possit, ergo non colligi hac ratione materiam in suo esse pendere à forma substantiali.

*Solutio.*

Respondendum est, ipsam quoq; accidentalem qualitatẽ naturaliter pẽdere in sua operatione, ac proinde in suo esse à forma substantiali, vt inferius patebit, quare satis esse concludere materiam pendere in suo esse à forma, vt ostensum sit pendere à forma substantiali.

*Discrimen materiæ corruptibilium à materia incorruptibilium.*

Hoc tamen est discrimen inter materiã corruptibilium & incorruptibilium, quod materia incorruptibilium vtroq; modo pendet ab vna, & eadem numero forma, cum semper conseruetur ab ea sub qua creata est: materia vero corruptibilium etsi in fieri ab vna tantum numero pendet (neque enim creatur sub diuersis) tamen in conseruari non pendet ab vna numero, sed à toto genere: siquidem conseruatur adminiculo earum omnium, quæ in ipsa aliæ aliis succedunt.

*An miraculũ sit creare materiam sine forma.*

Quocirca miraculosa esset existentia materiæ sine forma, non solum quia euenisset præter naturalem cursum existentiæ rerum, quo pacto miraculosi erant panes, ac pisces, quibus Christus dominus quinque hominum millia satiauit (potuissent enim alioqui fieri naturaliter, & multa eorum fragmẽta naturaliter diu conseruata sunt) Sed etiam quia materia nec fieri, nec conseruari posset, nisi supplente Deo concursum formæ in caussando, vel conseruando eius actuale esse. Nec verò absurdum est, vnam, & eandem materiam cõseruari à multis formis quarum aliæ aliis succedant: nam illud idem esse materiæ, quod suo modo caussatum est à forma prima, non minus conseruari potest à multis formis ordine succedentibus, quàm idem effectus generantis à multis conseruantibus in genere causæ efficientis quorum alia aliis succedant. Atque hæc de dependentia materiæ à formis substantialibus.

*Aliam esse rationem de formis atque de materia quoad conseruationem.*

DE ipsis autem formis alia ratio est: nã etsi omnes inseparabiles pendẽt à materia & in fieri & conseruari, neque vllo modo fieri possunt, aut conseruari sine materia, nisi supplente Deo concursum materiæ in sustinendo earum esse (in eo enim positam esse diximus rationem inseparabilium, vt inseparabiles sunt, vt naturaliter sine subiecto non existant) haud tamen repugnat separabilibus conseruari naturaliter sine materia.

*An separabiles pendeãt in fieri à materia.*

Sed num forma hominis, & si quæ aliæ separabiles à Deo produci possunt, pendeant à materia in fieri, quæstio est. Quod enim pendeant ea ratione suaderi potest, quia miraculum esset, si Deus crearet formam humanam sine materia. Quod autem non pendeant, ex eo probatur, quia cum huiusmodi formæ sint operatiuæ sine materia, ab illa nequaquam pendent in suo esse, quare neque in suo fieri, præsertim cùm fiant per creationem, ac proinde totum suum esse à creatore perfectè accipiant.

*Responsio.*

DICENDVM igitur, has formas quodãmodo quidem pendere in fieri



fieri à materia, simpliciter autem non pendere. Nam in informando pendent, in ipso autem suo esse non pendent. Ac miraculum quidem esset spectato ordine vniuersi, & propensione huiusmodi formarum ad materiam, si eas Deus sine materia produceret. Verùm si earum esse spectetur, nihil id mirandum foret. Nam cùm materia ad earum esse concurrere non possit, non opus esset, vt Deus in earum productione concursum materiæ suppleret.

*Prima obiectio.*

SVNT tamen quæ aliquis contra hæc obiiciat. Vnum est, qua ratione fieri possit, vt materia quoad suum esse pendeat à forma in fieri, & tamen à Deo creata sit? Videtur enim fieri non posse vt ad caussandum esse rei, quæ creatur, aliquid aliud concurrat præter Deum. Quod idem obiici potest non modo de formis cœlestium corporum, sed etiam elementorum, quæ & ipsæ initio mundi creatæ sunt. Quo enim pacto creatæ sunt à Deo si earum esse à materia quoque caussatum est.

*Solutio.*

SED ad hoc dicẽdum, nihil esse incommodi si ad esse rerum, quæ creantur: aliquid aliud concurrat præter Deum, modo non concurrat in genere caussæ efficientis: cùm creaturæ ne instrumentaliter quidem (vt inferiùs patebit) ex nihilo producere aliquid possint. Nam & partes rerum, quæ initio creabantur, in ipso creationis momento concurrebant ad esse totius in genere causæ materialis, & homo sexto die formandus, iam tunc concurrebat ad idem esse in genere caussæ finalis. Quare nihil est absurdi, si & materiæ & formæ rerum simplicium creatæ sint à Deo in ipso mundi initio, & tamen materia concurrerit ad esse formarum, & formæ adesse materiæ.

*Secunda obiectio.*

ALTERVM est. Qua ratione Deus supplere possit concursum materiæ in caussando, aut conseruando esse formæ, & concursum formæ in caussando, aut conseruando esse materiæ, cùm Theologi omnes asserant, atque adeò ostẽdere videantur fieri non posse, vt Deus subeat vicem caussæ materialis, aut formæ informantis propter imperfectionem caussalitatis earum.

*Durã. in 4. d. 45. q. 1. Vide Capr. in 3. d. 5. q. 2.*

*Solutio ex duplici officio materiæ, ac formæ in caussando.*

VERVM & hoc dubium haud difficile dissoluetur, si animaduertatur in ratione caussandi materiæ duo reperiri, licet non respectu cuiusuis formæ, vnum quod sustineat esse formæ in informando, & (quod hinc sequitur) concurrat cum ea in constituendo composito: alterum, quod sustineat esse formæ simpliciter & absolutè. Similiter autem in ratione caussandi cuiuslibet formæ duo cerni: vnum, quod informet materiam, & ex consequenti cum ea constituat compositum: alterum quod concurrat ad aliquod esse actuale materiæ simpliciter, & absolutè sumptum.

*Quo pacto Deus supplere nequeat vicem materiæ, ac formæ in caussando.*

Quod ergo dicunt Theologi Deum nec vicem caussæ materialis, nec formæ informãtis subire posse, intelligendum est, quoad priora officia materiæ & formæ, in quibus suprà[a] diximus positas esse generales earum caussandi rationes, non quoad posteriora, quæ non cernuntur in materia respectu cuiuslibet formæ, neque in qualibet forma (vt accidentales quoque complectamur) respectu materiæ. Nam etsi priora officia imperfectionem important: posteriora tamen nihil imperfectionis afferunt. Vnde

[a] Quæst. 1. & 2.

perspicuum

Universidad de Deusto
Biblioteca



perſpicuum relinquitur id, quod dici ſolet, effecta materiæ,& formę non poſſe præſtari à Deo ſine materia & forma, intelligendum eſſe quoad informationem,& (quæ ex ea ſequitur) compoſitionem, non quoad eſſe materiæ, aut formæ ſimpliciter, & abſolutè ſumptum. Num autem Deus concurſum materiæ, ac formæ ſupplere poſſit in ſolo genere cauſæ efficientis, an verò in ipſo genere cauſæ materialis & formalis inferiùs patebit.

*Tertia obiectio.*

TERTIVM eſt,cùm cauſæ conſeruantes ad agentes meritò reduci ſoleant (conſeruatio enim non videtur fieri, niſi agendo aliquid, aut remouendo contraria) nullam videri rationem,cur materia, quæ nullius eſt actiuitatis, formam conſeruare poſſit, imò etiam cur forma,vt forma eſt,dici poſſit cauſa conſeruans:cum quatenus eius cauſandi ratio diſtinguitur ab efficientis,efficiendi cauſſalitatem habere nequeat.

*Solutio.*

AD hoc reſpondebis:etſi conſeruandi verbum vſitatius tribuitur cauſſis efficientibus: non poſſe tamen non attribui cæteris cauſſis; cũ efficiens ſine cæteris, à quibus eſſe rei pendet, eam conſeruare nequeat.Itaque & efficiens conſeruat efficienter,& forma formaliter,& materia materialiter,imò & finis finaliter,quod vltimum apertiùs intelliges in actionibus humanis,quarum bonitas non conſeruatur,niſi concurrente bono fine, eo enim mutato in malum, continuo perit bonitas operis.

### *De dependentia materiæ,& cuiuſuis ſubiecti à formis accidentalibus,& viciſſim formarum accidentalium à ſubiectis.*

### SECTIO III.

*Quo pacto ſubiectum pendeat à formis accidentalibus.*

QVOD verò attinet ad dependentiam materiæ, & cuiuſuis ſubiecti à formis accidentalibus,& viciſſim formarũ accidentalium à ſubiectis,dicendum eſt,nullum ſubiectũ pendere in ſuo eſſe à ſua forma accidentali, tanquam à cauſa ſimpliciter:ſiue talis forma ſit naturalis,ſiue ſupernaturalis.Ratio huius rei eſt:Quia ſubiectum cùm ſit ſubſtantia, etiam ſecundum ſuum eſſe actuale præcedit eſſe accidentis, ſi non tempore (quod propter accidentia propria & communia quædam congenita dictum ſit) certé natura. Dixi autem:*tanquam à cauſſa ſimpliciter*,quia & ſi accidentia ſunt cauſſæ formales.ac proinde dantes aliquod eſſe ſubiecti,& conſeruantes item magna ex parte proprium, & ſubſtantiale eſſe ſubiectorum, non dant tamen illis eſſe ſimpliciter, nec conſeruant eorum eſſe à priori ſimpliciter,ſed à poſteriori:quo etiam pacto locus naturalis conſeruat locatum, & alia pleraque, quæ ſimpliciter cauſſæ ipſius rei dici non poſſunt.

*Dependẽtia formarum accidentalium à ſubiectis.*

CONTRA verò dicendum eſt de dependentia formarũ accidentalium à ſubiectis.Nã cùm omnes naturaliter,& à priori pendeant in ſuo eſſe à ſubiectis,ſiue ipſæ ſint naturales,ſiue ſupernaturales,neceſſario efficitur,vt earum eſſe:& in fieri,& in conſeruari cauſetur à ſubiectis. Nec mirum id videri debet in ſupernaturalibus, quandoquidem,vt illa ſuaptè natura ſunt accidentia, ita à communi accidentium



tium conditione libera eſſe non poſſunt. Quare miraculum eſſet,ſi Deus eam qualitatem,qua hominem ſibi gratum facit,aut ſui amantem, aut ſe videntem,ſine ſubiecto produceret, aut conſeruaret,quia oporteret vt ipſe cauſſalitatem ſubiecti ſuppleret.

EX his colligitur ſolutio eius dubitationis, quæ ad calcem ſuperioris quæſtionis tacta eſt,cur definitum ſit à nobis rationes cauſſandi materiæ ac formæ nõ eſſe poſitas in eo, quod materia cauſet eſſe actuale formæ,& forma materiæ,ſed in eo quod materia ſuſtineat eſſe formæ quoad informationem, ſiue actuationem, & forma per ſe ipſam actuet materiam. Id enim ea ratione factum eſt, quia etſi eſſe actuale materiæ ordine naturæ præcedit eius cauſſalitatem, vt obiiciebatur,& ſimiliter eſſe formæ cauſſalitatem formæ,non tamen materia cauſſat eſſe actuale ſimpliciter cuiuſlibet formæ ſuæ:nec quælibet forma: quo pacto forma complectitur accidentales, cauſſat tale eſſe actuale materiæ ſiue ſubiecti, etiam in conſeruando à priori & tanquam vera illius cauſſa.

ITAQVE vt generalem rationẽ cauſſandi materiæ reſpectu omnium formarum, & formarum reſpectu cuiuſlibet materiæ traderemus, eas cauſſandi rationes aſſignauimus. Alioqui rectè dixeris, rationes cauſſandi materiæ,ac formæ ſubſtantialis conſiſtere in cauſſando eſſe ſimpliciter:formæ quidem, in cauſſando eſſe materiæ in vniuerſum, materiæ verò, non in cauſſando eſſe cuiuſlibet formæ, ſed tantum inſeparabilis,ſiue quæ ſine materia cohærere nõ poteſt.Cauſſalitates enim,quoad informationem,& ſubiectionem,quæ vniuersè in his duobus cauſſarum generibus traditæ ſunt, minoris ſunt momenti, quàm vt magnopere reprehendendus eſſet, qui eas prætermitteret: ſed iam operæpretium eſt, vt quid ſit formam educi de potentia materiæ,paucis exponamus.

*Solutio dubitationis in præcedenti quæſtione.*

## *QVID SIT FORMAM EDVCI DE potentia materiæ.*

## QVÆSTIO IIII.

### *Quid alij ſentiant.*

### SECTIO I.

*Vt refert Ariſt.1.Phyſ.c. 4.text.33. & alibi ſæpiſſimè.*

HÆC loquendi formula à Peripateticis vſurpari ſolet contra ſententiam Anaxagoræ: qui omnes formas actu latitare in materia, & in eius quaſi gremio contineri exiſtimauit, præter eam, à qua res denominatur. Nullam enim ſubſtantialem eſſe actu in materia meritò aſſerunt, præter eam, quæ vel à primo agente in materia creata eſt, vel è potentia materiæ educta nec dum expulſa.

*A quib. hæc loquendi forma emanarit.*

ACtota huius rei difficultas in eo poſita eſt,vt diſtinguamus eductionem formarum de potentia materiæ à productione earum, quæ in materia creantur, & ab infuſione (ſic vocant Theologi) dono-

*In quo poſita ſit quæſtionis difficultas.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



rum quorumdam ſupernaturalium, vt gratiæ & virtutum, quas nominant Theologicas. Conſtans enim eſt apud omnes cùm Theologos, tum Philoſophos diſtinctio, vt quæ formæ educuntur de potentia materiæ, nec dicantur creari, nec diuinitus infundi.

*1. Conſectarium.* Ex hoc quaſi fundamento illud in primis colligi poteſt, educere formam de potentia materiæ ſiue ſubiecti (ſic enim ſumendum eſt nomen materiæ, vt generaliter ad dubitationem propoſitam reſpondeamus) non ita latè ſumendum eſſe, vt nihil ſit aliud, quàm efficere, vt forma ſit actu in ſubiecto habente potentiam ad illam. Iam enim nomine eductionis de potentia materiæ complecteremur omnem inductionem formarum in ſubiecta, & earum inquam, quæ in materia creantur, & earum, quæ ſiue actione naturali, ſiue diuina infuſione & quaſi inſpiratione in ſubiecta introducuntur, vt eſt luce clarius.

*2. Conſectarium.* Illvd deinde efficitur, non ita etiam anguſtè definiendũ, vt idem ſit, quod efficere, vt forma incipiat eſſe in ſubiecto per trãſmutationem, niſi hoc intelligatur de ſolis formis ſubſtantialibus, vt inferiùs docebimus. Nemo enim dubitat lumen educi de potentia aëris, & ſpecies ſenſibiles à coloratis corporibus de potentia medij ſine trãſmutatione ſubiectorum, quod hæ formæ non habeant contrarium expellendum è ſubiectis, quo pacto in eodem illo momento temporis, quo Sol productus eſt, eductum fuit lumen à Sole de potentia aëris ſine vlla tranſmutatione ſubiecti, ſed ſolum per ſimplicem eius inductionem in ſubiectum.

Vnde illud quoq; ſequitur, neque idem eſſe educere formas de potentia ſubiectorum, atque efficere: vt quę ſola potentia prius tempore erant in ſubiectis, poſtea incipiãt eſſe actu, ſiue id per tranſmutationem accidat, ſiue quouis alio modo. Hoc enim pacto nulla forma poſſet educi in inſtanti de potentia ſubiecti, quod falſum eſſe ex dictis patet, tametſi ſubſtantialibus formis hanc explicationem eductionis de potentia materiæ conuenire poſſe mox patebit.

*Quod probabilius dicatur eductio formæ de potentia materiæ.* Qvi ergo melius hac de re loquuntur, ita quæſtionẽ explicant, vt dicant educi formã de potentia materiæ, ſiue ſubiecti, nihil eſſe aliud quàm formam fieri dependenter à ſubiecto, ſiue ea fiat cum tranſmutatione ſubiecti, ſiue alio modo. Et rectè quidem hoc pacto excluditur productio animæ rationalis in corpore, quod ea non pendeat ab illo, etiamſi cum illius tranſmutatione fiat, ſiue producatur. Sed infuſio donorum ſupernaturalium, & creatio formarum corporum cœleſtium, & elementorum (quas initio mundi creatas eſſe cum ipſis non eſt quod quiſquam dubitet) aut non omninò, aut non perſpicuè excluduntur. Nam & ſupernaturalia dona, cùm accidentia ſint à ſubiectis, in quæ infunduntur, natura ſua dependent, & formæ omnes materiales à materia in ſuo eſſe naturaliter ſuſtinentur. Non eſſe autem dubitandum creatas eſſe formas cœleſtium corporum, & eorum omnium, quæ in primo totius temporis momento creatas eſſe fides Orthodoxa prædicat, hiſce argumentis conſtat.

*Formas cælorum creatas eſſe non de potentia materiæ eductas.*

Primvm, quia creatio eſt totius entis ex nihilo productio, totius, inquam, id eſt, quoad omnes partes, ſi partes habet: ſunt igitur formæ



formæ illorum creatæ.

Deinde quia ſi creatæ non ſunt, ſed de potentia materiæ eductæ, ergo tota ipſa ſunt verè genita, non quidem per tranſmutationem temporariam, ſed per generationem momentaneam ex materia creata, & formis de eius potentia eductis, in quo poſita eſt tota ratio generationis momentaneæ: At cœlos, & cætera omnia entia naturalia, quæ in primo inſtanti à Deo ſunt producta, verè genita eſſe, & non potius creata negant omnes Theologi.

Tertiò quia ſi eiuſmodi formæ propterea non dicantur creatæ, quia acceperunt eſſe dependens à materia, nec materia etiam dicenda erit creata, atque adeò neque ipſa tota compoſita, quibus primò dicitur conuenire creatio, nam & materia in ſuo eſſe dependet à forma, & totum à ſuis partibus. Cùm igitur nemo neget materiam, & tota ipſa eſſe creata: neceſſario concedendum eſt prædictas etiam formas eſſe verè ac propriè creatas.

*Reſponſio.* Qvod ſi quis reſpondeat propterea materiam corporum ſimplicium fuiſſe creatam, eorum autẽ formas non item creatas, ſed de potentia materiæ eductas, quia materia non habet eſſe dependens à forma, tamquam à cauſa materiali, ſed formali, formæ autem habuerunt eſſe dependens à materia tanquam à cauſa materiali: is ſanè eo- *Impugnatio.*
dem modo negabit, tota ipſa fuiſſe creata. Totum enim dependet in ſuo eſſe à ſuis partibus (ſaltem à materia) tanquam à cauſa materiali. Si reſpondens addiderit, non eſſe parem rationem, eò quòd materia etſi eſt cauſa materialis, & formæ ab ea pendentis, & compoſiti ab ea conſtituti: tamen eſt materialis cauſa ſubiectiua reſpectu formæ, & non conſtitutiua: reſpectu autem compoſiti non eſt ſubiectiua, ſed conſtitutiua: id iam ridiculum erit, ac puetile. Si enim dependentia totius à materia non eſt minor, ſed potiùs maior quàm dependentia formæ, cur ea tollit rationem creationis in forma, & non in toto compoſito?

*Vera ſententia.*

## Sectio II.

Ergo aliter intelligendũ eſt, ſeu potius aliter explicandum id quod dici ſolet, educi formas de potentia materiæ nihil eſſe aliud, quã eas fieri dependenter à materia, ſubiectóve. Sic enim accipiendum eſt, quaſi eæ formæ dicantur educi de potentia ſubiecti, quæ fiunt dependenter à ſubiecto habente potentiam omnino naturalem ad illas, & tempore aut natura præexiſtente. Sic enim exponendum eſſe quod dicitur, ex eo conſtat: quia omnes volunt, eductionem formarum de potentia materiæ eſſe omnino naturalem: eductio autem eius, quod non erat actu ſecundum *Quid ſit eductio formæ de potentia materiæ.*
iquem ordinem vel temporis, vel naturæ, ſemper fieri intelligitur al aliquo, quod vel tempore, vel natura præextiterit.

Hac ergo ratione planè reiicitur infuſio donorũ ſupernaturalium quod eorum ſubiecta non habeant potentiam omninò naturalem ad illa. Nam etſi habent naturalem ad ea ſuſtinenda: non habent tamen naturalem ad recipienda: nempe ab agente aliquo naturali, à quop o tentia ſimpliciter naturalis dicitur, ſed hac ex parte ſimplici-

ter,& absolute dicuntur habere potentiam obedientialem ad illa.

*Quot modis dicatur potentia naturalis subiectorum marum.*

QVOCIRCA diligenter animaduertendum est, quædam subiecta habere potentiam naturalem ad formas recipiendas, non item sustinendas, vt corpora humana ad animas rationis participes : alia ad sustinendas naturalem, sed non naturalem ad recipiendas,vt animam rationalem ad supernaturalia dona gratiæ, & gloriæ : alia demum naturalem & ad recipiendas, & ad sustinendas, vt materiam corporum simplicium,imo & omnium rerum naturalium (excepto homine) ad suas formas substantiales. Nam & materia corporum cœlestium habet potentiam ad recipiendas formas cœlestes à Deo tamquam à caussa naturaliter efficiente, vt mox patebit, subiecta ergo primi generis habent potentiam simpliciter naturalem ad suas formas,sed non omni ex parte naturalem: secundi, nec omni ex parte,nec simpliciter naturalem: tertij demum & simpliciter & omni ex parte naturalem : atque horum formæ duntaxat dicuntur educi posse de potentia subiectorum licet creari quoque valeant vtformæ simplicium corporum in ipso mundi initio.

*Qua ratione formæ cælestium corporũ de potentia materiæ educi potuissent.*

EXCLVDITVR etiam hoc pacto productio formarum cœlestium corporum, & elementorum, quæ in ipso mundi indiuisibili initio creata sunt : nempe quia eorum materia nec tempore ac natura præextitit formis. Neque enim credendum est Deum in eo momento creasse solam materiam, simulque illam perfectè disposuisse ad diuersas formas : tum ex vi dispositionum naturaliter resultasse in illo eodem momento formas substantiales, & ex vtrisque ipsa composita (qua sola ratione materia naturali generationis ordine formis præextitisset) siquidem huiusmodi productionis ratio nec congruit cum perfecta, & Creatore digna rerum productione, nec cum Theologorum de mundi exordio sententia: sed ipsa tota composita simul cum suis partibus ex nihilo producta sunt, propriasque existentias à Deo creante acceperunt. Quod si ordo aliquis naturæ inter existentiam compositorum, & eorum partium in ea productione spectandus est:non existentia partium traxit, vt ita dicam existentiam compositorum in illa productione, sed potius existentia compositorum, quæ primo producta sunt existentiam partium.

*Omnes formas quæ educuntur de potentia materiæ educi per transmutationes.*

EX his licet colligere, si de sola eductione formarum substantialium agatur, dicendum esse, omnes de facto (vt dici solet) educi per transmutationem materiæ,vt docet D. Tho. in 1. p. q. 90. art. 2. interprete Caietano in eundem locum, sempérque materiam in earum eductione tempore præcessisse ac præcedere,quicquid idem in opusculo 42. (si tamen eius est) iunior senserit. Congruit autem ex hac re ipsa loquendi forma. Nihil enim aliud dicere videmur, cum formam eductam esse de potentia materiæ asserimus, quàm id factum esse,vt ea,quæ prius,non erat actu in materia,sed potentia duntaxat,sit actu in illa:esse autem, & non esse actu in materia,nemo intelligere solet in eodem instanti.

FATEOR tamen si de extraordinariis eductionihus sit sermo, posse



posse diuina virtute formam educi non in tempore, se in momento tẽporis,vt si Deus crearet materiam solam cum perfectis dispositionibus ad ignem, non dubium esset, quin forma ignis in eodem instanti naturaliter resultaret, idque vi eius actionis, qua Deus non prius tempore, sed prius natura materiam creatam disponeret, quæ est vera actio, id est, supponens subiectum. Quod idem initio mundi accidisset,si Deus, vti diximus, solam materiam cœlorum, & elementorũ cum perfectis dispositionibus ad formas eorũ produxisset.

*Quo pacto educi possint in instanti.*

SVNT qui idem euenturum existiment, si Deus prope ignem nudam materiam crearet. Dicunt enim eam, quia nihil resisteret, propterea quod nullas haberet qualitates contrarias dispositionibus ignis fore, vt in ipso creationis momento formam ignis corriperet. Non est tamen eorum sententia probanda, quia nullum agens naturale introducit formam suæ similem nisi in materiam dispositam,determinatámq, ad eiusmodi formam: aut disponit materiam nisi quæ habeat aliquam formam substantialem: cum dispositio materiæ fiat per accidentia, quæ cùm sint actus secundi, naturaliter supponunt actum primum, qui est forma substantialis:quemadmodum pleríque actus secundi supponunt alios secundos sine quibus nõ introducuntur naturaliter,vt colores quantitatem,& lumen perspicuitatem.Non igitur ignis in proximam materiam, quæ nuda omnino crearetur, formam ignis naturaliter introduceret, vt hi volunt. Nam etsi nihil esset,quod in materia introductioni formæ resisteret, deesset tamen dispositio,qua materia ad talem formam determinaretur,& alia item forma substantialis,qua materia indiget, vt accidentarias acciperet. Posset tamen ignis non naturaliter, sed instrumentaria Dei virtute non solum dispositiones ignis in eo momento introducere,sed etiam sine dispositionibus,nudam quoque formam substantialem inducere, quibus modis non dubium esset, quin forma ignis in momento temporis de potentia materiæ educeretur.

*Agentia naturalia non posse agere in nudam materiam.*

### *Num formæ artificiales,motus violenti,& relationes de potentia materiæ educantur.*

#### SECTIO III.

QVÆRAT aliquis hoc loco,num formæ artificiales, & relationes,motusq; violenti de potentia materiæ educãtur? Rationes verò dubitandi sunt:quia materia,resq; materiales non habent potentiam naturalem ad formas artificiales, & motus violentos: ad hos quidem : quia non essent violenti, si horum subiecta haberent ad eos propẽsionem naturalem:ad illas autem: quia cùm omni naturali potentiæ passiuè respondeat aliqua naturalis actiua,vt Aristoteles tradit tertio libro de Anima,si ars non est forma naturalis actiua, sed facultatem naturæ excedit, quo pacto subiectum formæ artificialis potest ad illam habere potentiam naturalem passiuam? Relationes verò, quia cum sæpenumero sine vlla effectione attingente propria earum subiecta esse incipiant: non re-

Universidad de Deusto
Biblioteca



cte aut non propriè videntur ſpectato eorum genere, de potẽtia materiæ ſubiectíque eductæ dici poſſe.

AD hanc dubitationem, quod quidem attinet ad formas artificiales, dicendum, potentiam naturalem paſſiuam ſumi à nobis hoc loco vt diſtinguitur ab ea, quæ per ſolam potentiam ſupernaturalem actiuam poteſt reduci ad actũ: eiuſmodi non eſt potẽtia ad formas artificiales, quæ non diuina tantum virtute, ſed humana etiam introducuntur. Itaque educuntur, & hæ de potentia naturali materiæ rerúmque naturalium.

QVOD verò attinet ad motus violentos: ſi res naturales, quæ vi mouentur, non haberent propenſionem naturalem ad motum violentum (qui vtrum in ſolo genere localium ſimpliciter dari poſſit ad caput 4. expendendum eſt) habent tamen ad illum potentiam naturalem, quia per cauſas naturales, id eſt, non ſupernaturales effici poteſt: quare non dubium eſt quin & hi ſuo modo educantur de potentia materiæ.

DENIQVE illud de relationibus rectè concluſum eſt, eas non propriè educi de potentia ſubiectorum: Nam etſi aliquando incipiũt eſſe actu per actionem attingentem earum ſubiecta, quia tamen ſæpe eſſe incipiũt per actionem in remotiſſima, interdum etiam ſine vlla propriè dicta actione, ac proinde ex genere ſuo non ſunt ex iis formis, ad quas per ſe fit motus, aut actio, vt Ariſtoteles docet 5. Phyſ. libro, nihil eſt incommodi ſi non dicitur propriè educi de potentia ſubiectorum. Atque hæc obiter de eductione formarum de potentia materiæ dicta ſint.

## *QVAENAM SIT RATIO CAVSſandi efficientis cauſſæ.*

## QVÆSTIO V.

### *Quot modis dicatur cauſſa efficiens.*

### SECTIO I.

*Diuiſio cauſſæ efficientis.*

EFFICIENS cauſſa duplex eſt, principalis, & inſtrumentalis. Principalis eſt cui propriè ac ſimpliciter attribuitur actio. Inſtrumentalis, qua principalis ad agẽdum vtitur. Rurſus principalis duplex eſt: vna verè efficiens: altera efficiens moraliter tantum, ſiue (vt ita dicam) imputatiue. Aliæ diuiſiones, quæ tradi ſolent, vt in vniuocam & æquiuocam: mediatam & immediatam: totalem, & partialem, aliis locis commodiùs explicabuntur.

*Definitiones cauſarum efficientium.*

CAVSSA verè efficiens eſt, quæ verè attingit effectum vt faber, vt ſecuris. Efficiens moraliter cum à verè efficiente diſtinguitur (ſæpe enim eſt verè efficiens) dicitur ea, quæ etſi non verè attingit effectum tamen huiuſmodi eſt, vt ei merito imputetur laus operis, aut culpa: cuiuſmodi eſt is, qui conſilium dat qui præcipit, qui non prohibet, cùm debet, ac poteſt. Nam etſi obiectum quod directè, vel indirectè proponitur, ab eo qui præcipit, vel conſilium dat, verè ac efficienter moueat voluntatem exequentis, opus ipſe tamen præcipiens, aut qui conſilium dat non verè mouet efficienter, niſi per accidens: quemadmodum qui ignem ligno applicat, tametſi moraliter verè ac per ſe cenſetur mouere, cum ei laus vel culpa operis tribuatur. Principalis

*Hoc c. text. 2.* ac vere efficiẽs ſimul definitur ab Ariſtotele, eſſe id vnde eſt primum mutationis principium, quæ definitio genera omnia principalium & verè effiicientium complectitur, neque eas ſolum, quæ per motum agunt, ſi loco verbi (*mutationis*) adhibeas verbum *Actionis*. Poteſt autẽ huiuſmodi cauſſa efficiens diuidi in efficientem, & mouentem: vt quaſi peculiari nomine dicatur efficiens, quatenus comparatur cum effectu, mouens autem, quatenus comparatur cum materia ſubiectóue, ex quo aliquid efficit. Quam diuiſionem Ariſtoteles tradit hoc loco, cum ſcribit: *Atque omnino quod efficit, eius quod efficitur, & quod mutat, eius quod mutatur.* Verum hæc diuiſio potius diſtinguit earundem cauſſarum officia, quam cauſas ipſas, vt diximus de materia

*Q. 1. ſect. 1.* ex qua, in qua, & circa quàm: Omnis enim cauſſa quæ mouet, ſeu mutat ſubiectum efficit cõpoſitum aliquod ex ſubiecto, & forma quam in illud inducit: quamquam non omnis cauſſa, qua, quę aliquid efficit etiam mouet efficiendo, vt patet in creatione, quæ etſi non propria, tamen vera effectio eſt.

*Alia diuiſio.*

AD cauſſam verò efficientem principalem videtur Ariſtoteles primum reuocare inſtrumenta, quibus efficiens verè aliquid efficit: cuiuſmodi eſt ſemen, quod in exemplum affert. Pater enim per ſemen quaſi inſtrumentum agit in materiam animalis generandi, quam mater ſuppeditat. Reuocat deinde cauſſas morales, quæ quatenus tales ſunt, non verè rem efficiunt, ſed ea tantum ratione efficientes dicuntur, quod illis tribuatur effectio, cuiuſmodi cauſſæ, ſunt Medici in præcipiendo, & ij qui ius dicunt in conſulendo.

*Quæ ad principale efficiẽs reuocentur. 1. Argumentum.*

QVIRVS explicatis videndum eſt, ſint ne plures rationes cauſſandi efficientium generales, an vero detur vna communis omnium efficientium.

### *Quàm multæ videantur rationes cauſſandi, efficientis cauſſæ.*

### SECTIO II.

AC primum quod alia ſit ratio cauſſandi qua efficiens agit, ſiue efficit aliquid, alia qua agit in aliquid, ex eo videtur perſpicuum quia ignis verbi gratia agit in ignẽ ſeu potius efficit ſibi ſimilẽ, & tamen non agit in ignẽ ſibi ſimilẽ: contraq; agit in lignum nec tamen agit ſeu efficit lignum. Accedit quod agens refertur diuerſis ſpecie relationibus ad id quod agit & ad id in quod agit, ſiquidem ad alterum refertur vt efficiens ad effectum, ad alterum vt mouens ad motum, vel mutans ad mutatum, quæ relationes ſpecie diuerſæ neceſſario videntur innuere diuerſas ſpecie agendi rationes in quibus illæ fundentur.

DEINDE aliam eſſe rationem agendi, qua agens educit formã è potẽtia materiæ, aliam verò, qua illam inducit in materiam, hinc intelligi

Universidad de Deusto
Biblioteca



telligi potest: quia anima rationis particeps non educitur de potentia materiæ, sed solùm inducitur in materiam, quod idem dicendum est de accidentibus supernaturalibus: at formæ aliarum rerum, quæ gignuntur,& intereunt,non solũ inducuntur in materiam, sed etiam
4. ab eius potentia educuntur. Adde quod alia est species relationis, qua agens refertur ad formam, quam educit de potentia materiæ: alia qua refertur ad eam quam solum inducit, quæ quidem relationes in diuersis specie rationibus agendi videntur necessariò fundari.
5. POSTREMÒ aliam esse rationem agendi, qua aliquid fit ex aliquo:aliam,qua fit ex nihilo,ex eo patet:quia hæc indiget virtute infiuita in agente,illa non item.

*Actionem esse generalem rationem caussandi causæ efficientis, & quo pacto id intelligendum.*

## SECTIO III.

*Generalis totius quæstionis explicatio.*

SI quis tamen animum aduertat vel ex his colliget,actionẽ esse generalem rationem caussandi causæ efficientis;siquidem omne agens per actionem dicitur formaliter agere: siue spectetur quatenus agit aliquid:siue quatenus agit in aliquid, siue quatenus educit formam è potentia materiæ subiectiue cuiuscumque, siue quatenus formam inducit: siue quatenus rem efficit ex nihilo:siue quatenus ex aliquo.

*Probatur hæc sententia.*

POTEST quoque idem ex aliis argumentis confirmari. Primum quia actione posita mox intelligitur causa agere:ea verò sublata nullo modo id intelligi potest,etiam si cætera omnia apponantur. Deinde quia relatio agentis in actione fundatur, vt hoc ipso lib. cap.14. docebit Aristoteles. Postremò quia per actionem distinguitur hoc genus causæ à cæteris,vt perspicuum est.
1.
2.
3.

*Examinatur accuratiùs & impugnatur.*

ATQVE his & aliis argumentis dici solet generalem rationem caussandi efficientis caussæ esse omnium rationum caussandi notissimam. Verùm si quis hæc premat; ac diligentiùs discutiat fortitan assensum reuocabit. Sunt enim multa,quæ obstare videantur.

*1. Ratio contra propositã sententiam.*

VNVM est, quod actiones siue transeuntes siue immanentes cùm verè pendeant ab agentibus. sunt verè effecta agentium: at ratio caussandi cuiusque caussæ, cùm antecedat naturæ ordine omnẽ eius effectum,non potest esse illius effectus. Nec refert quòd actiones nõ dicuntur propriè fieri. Neque enim quærimus hoc loco quid propriè dicatur fieri: sed quid propriè pendeat ab agente,vt à causa quadam à cæteris distincta, etiamsi non propriè fiat. Nam formæ, quæ educuntur è potentia materiæ non dicuntur propriè fieri: & tamen verè comparantur cum naturalibus efficientibus, vt effecta cum suis causis.

*2 Ratio.*

ALTERVM est,quod actio propriè dicta non differt à re,quę fit, nisi vt imperfectum quippiã à perfecto in eadem specie: veluti calor in fieri à calore in facto esse:res autem vt adhuc imperfecta est, & in fieri,non est ratio agendi sui,sed est effectus imperfectus siue in fieri.

TERTIVM



*3. Ratio.*

TERTIVM est,quod actio non potest esse ratio caussandi respectu creantis:cùm creatio non sit actio,si propriè loquendum est. Neque enim creatio supponit subiectum, quod tamen commune est omni actioni propriè dictæ.

*4. proponitur & refellitur.*

SVNT etiam qui obiiciant, remota actione adhuc rem dici posse causam efficientem,vt patrem genito iam diu filio,numquam autem sine ratione agendi,vel fingi posse efficientem causam.

VERVM hæc obiectio non est ad rem,vt enim hoc loco non agimus de iis,quæ dicuntur causæ,quia possunt aliquid efficere: aut omnino caussare,ita nec de iis loquimur, quæ aliquid in præterito tempore fecerunt, aut quouis alio modo caussarunt, sed de iis quæ sunt actu causæ,hoc est,à quibus effectus actu pendet.

*Vera quæstionis explicatio.*

Ex superioribus ergo tribus rationibus planè efficitur,aut actionem non rectè dici rationem caussandi caussæ agentis, vt Heruæus, Paulus Soncinas, & alij recentiores Thomistæ concludunt: aut quia communis loquẽdi modus non facilè reiiciendus est, cùm actio dicitur ratio agendi: actionis nomen non accipi pro operatione agentis quæ subiectum supponat. Quocirca cùm actio dicitur ratio caussandi,crediderim actionis nomen accipiẽdum esse pro influxu, quo aliquid è potentia ad actum perducitur, siue id propriè fiat, siue impropriè. Hoc enim influxu distinguitur causa efficiens à cæteris causis, cum eo posito primum ponatur agens in actu:sublato autem,primum tollatur. Atque hic influxus videtur planè significari,cum agẽs definitur esse id, vnde primum oritur mutatio. Neque enim dicitur vnde primum oritur effectus, sed mutatio: vt vel hinc colligas non ipsam mutationem; sed influxum, siue originẽ mutationis esse agendi rationem iis agentibus, quæ agunt per motum, mutationémve, proinde influxum agentis esse eius generalem ac propriam caussandi rationem. Quid autem sit huiusmodi influxus & vtrúmne in agente, an in patiente existat, postea dicemus. De hac enim re quemadmodum de natura, & existentia cæterarum rationum caussandi, paulò post à nobis instituenda est disputatio.

*Influxus causæ efficientis.*

*Agens quid sit.*

*Her.quodlib. 2.quæst 1. & quod.4. q.8. Soncinas 5. Metaph.q.4.*

*Solvuntur argumenta initio posita.*

AD id autem quod superiùs concludebatur aliam esse rationem agendi qua agens efficit aliquid, aliam qua agit in aliquid: itémque aliam,qua educit formam è potentia materiæ:aliam, qua illam inducit in materiam: ac demum aliam qua res fit ex aliquo: aliam, qua fit ex nihilo: respondendum est, solas duas extremas necessario esse diuersas. Nam quod primæ duæ non necessario sint diuersæ, ex eo patet, quia agere seu efficere aliquid, & agere in aliquid sæpe coniunguntur,vt in omnibus mutationibus naturalibus: vbi autem illa coniuncta sunt,ambo fiunt per eandem agendi rationem. Etenim quo influxu ignis agit in lignum,eodem prorsus efficit ignem ex ligno:nisi quod eiusmodi influxus prius naturę ordine terminatur ad actionem receptam in ligno, quàm ad compositum, quod ex actione resultat. Dico autem,vbi illa coniunguntur:quia si res fiat ex nihilo, sanè influxus, quo illa fiet, non erit simul & actio in aliquid & actio seu effectio alicuius, sed solum alicuius effectio. Vnde patet quid ad prio-

Universidad de Deusto
Biblioteca



rem rationem reſpondendum ſit.

AD poſteriorem, dicendum, & ſi alia ſpecie ſit relatio agentis ad id quod fit, alia ad id quod patitur, tamen vtramq; fundari poſſe in eadem actione, Quod item non neceſſe ſit duas ſequentes eſſe diuerſas, eodem penè modo probari poteſt. Sæpe enim iunguntur eductio formæ è materia, & inductio eiuſdem in materiam, vt in omnibus mutationibus naturalibus, excepta generatione hominis, vbi autem eductio & inductio iunguntur ambo per eandē agendi rationē fiunt: Quo enim influxu ignis educit formā ex materia ligni, eodem illam inducit in eandem. Vbi verò non iunguntur vt in generatione hominis, perſpicuum eſt influxum agentis non eſſe ſimul eductionem formæ & inductionem, ſed inductionem tantum. Solutio autem earum rationum, quæ contra afferebantur, ex dictis patet.

*Vltimum argumentum ſect. 2. rectè probat.*

QVOD denique duæ extremæ neceſſario ſint diuerſæ, recte ex eo probatum erat, quia agere ex nihilo hoc eſt, nulla re ſuppoſita ex qua vt ex cauſſa materiali ſeu ſubiectiua res fiant, neceſſarto indiget virtute infinita, agere autem ex aliquo vt ex materiali cauſſa, non item, vt inferius patebit. Atque ratio agendi ex aliquo in multas ac varias agendi rationes ſiue actiones deduci ſolet, vt in actionem immanentem & tranſeuntem, deinde tranſiens in momentaneam, & temporariam: rurſus tēporaria, quę, & motus dicitur, in diuerſas ſpecies motus, non quatenus pro forma fluente ſumitur, quia ſic habet rationē motus, ſed quatenus pro fluxu ſed potius influxu formæ, quo pacto eſt actio.

*Diuiſio rationis agendi ex aliquo.*

## NVM ACCIDEENTALIS FORMA ATTINGAT PRODVCTIONEM SVBSTANTIÆ.

## QVÆSTIO VI.

### *Quid nam ſit in vuoquoque agente principium agendi.*

### SECTIO I.

*Materiā non eſſe principiū agendi.*

EXPLICATA ratione cauſſandi agentis cauſſæ, exponēdum videtur quodnam ſit principium, quo & agens agit & quatenus eius principij vis pertineat. Qua in re illud perfacile eſt intelligere, non eſſe id muneris materiæ tribuendum. Nam cum in diuerſis ſpecie rebus ſit eadem materia, nec tamen eadem vis agendi (neque enim quoduis à quouis fieri videmus, ſed aliud ab hoc, aliud ab illo) ſequitur principium quo agens agit non eſſe materiam. Atque hæc ratio valet in rebus, quæ gignuntur, & intereunt. Quod ſi in his materia non eſt agendi principium, cur fuerit in ſempiternis corporibus? Accedit quod materia in vtriſque eſt pura potentia, ac proinde eius naturæ, vt nullum actum includat: quod autem neque actus eſt, neque actum includit, cuiuſnam actiuitatis eſſe poſſit? Actiuitas enim omnis ab actu eſt, & dicitur: neque ab ipſo actu exiſtentiæ, ſed ab eo



eo quod actu exiſtit: ſiquidem actus exiſtentiæ tribuit quidem rei vt exiſtat, vt autem habeat hanc, vel illam agendi, aut patiendi vim, non tribuit ſed ſupponit. Ita patet formam eſſe principium quo agens agit.

*Formam eſſe agendi principium concluditur.*

VERVM non omnes formæ ſunt agendi principia, Nam quantitas cum ſit primum accidens abſolutum materiæ, ſeque ex parte illius teneat, vt aiunt philoſophi, & perinde ad cætera ſit indifferens, vt eſt materia ad omnes formas, nullam quoque actiuitatem habet, niſi ratione figuræ, quæ eſt qualitas, qua facile, aut difficile penetrat. Relationes quoq; vt nullius actionis ſunt termini, ſed quædam quaſi eorum appendices, nec tantum in ipſis terminorum ſubiectis reſultent, ſed ſæpè in aliis quàm remotiſſimis, ſic etiam nullius ſunt actionis principia. Ita fit, vt principia quibus agentia agunt, vel ſint formæ ſubſtantiales: vel qualitates: vel vtráque: & cum de actiuitate accidentiū agitur, de ſola qualitatū actiuitate diſputatio intelligi debeat.

*Quantitas actiua non eſt. Neq; relatio.*

*Eſt tamē forma ſubſtantialis, & qualitas.*

SED quoniā haud difficile perceptu videtur eſſe, num formæ ſubſtantiales ſint principia productiua ſubſtantiarum, & accidētales accidentium, de ſolis accidentalibus quæſitum eſt, num attingant productionem ſubſtantiæ: hoc eſt, num principia ſint, quibus ſubſtantia producatur: hoc enim difficultate non caret. Ex cuius rei explicatione illud etiam perſpicuum fiet, Num aliquam agendi vim habeant formæ ſubſtantiales, & quæ tandem illa ſit.

### *Primæ opinionis refutatio.*

### SECTIO II.

*Ad hanc videtur accedere. Maior 4. d. 12. q. 3.*

*1. Sententia proponitur.*

SVNT igitur hac in re tres philoſophorum ſententiæ, ſi tamē omnes ſunt dignæ homine philoſopho. Prima eſt quorundam recentiorum, qui tantam vim tribuunt accidentibus, vt dicant ea, non virtute ſubſtantiæ, ſed propria, & peculiari attingere productionē ſubſtantiæ. Horū argumenta hæc ſunt.

*Probatur. 1.*

VNVM, quia experientia cernimus ignem ſæpè generari non à forma ignis qui nullus tunc adeſt, ſed à ſolo calore genito per refractionem luminis, aut attritionem duorum corporum, vel à calore exiſtente in ferro ignito, quod re vera nondum habet formam ignis.

2.

ALTERVM, quia ſubſtantia producitur per actionem, actio autem non eſt niſi inter contraria, quæ nulla ſunt niſi accidentia, ſubſtantia enim non eſt contraria ſubſtantiæ niſi per accidens.

3.

TERTIVM addi poteſt hunc in modū: accidentia ſeiuncta à ſubſtantia producunt ſubſtantiam, vt patet in accidentibus calicis conſecrati, quæ infuſam aquæ guttulam poſſunt in vinum conuertere: igitur, per ſe ipſa ac virtute propria producunt ſubſtantiam non virtute vini, quod iam non eſt. Nec recurras ad quantitatem, quæ ibi ſupplet locum ſubſtantiæ, in qua erat: tum quia non ſupplet locum ſubſtantiæ niſi in iis ſuſtinendis: tum etiam quia ſi eſſent ſine quantitate (quod etiam diuina virtute fieri poſſet) idem efficerent.

*Confirmatio ex Ariſt.*

CONFIRMANT iidem authores ſuam ſententiam ex Ariſtotele cum in libro de Senſu, & in ſenſibili capite de Sapore, vbi ait ignem

Universidad de Deusto
Biblioteca



non agere, vt ignis est: sed vt calidus est: tu m etiam in li. 1. de Generatione ca. 7. vbi ex eo probat simile non agere in simile sed contrarium in contrarium: quia actio non est nisi inter contraria. Addunt quoque Auen-Roem qui 7. lib. huius operis com. 31. & libr. 12. com. 18. ait idem esse agens disponens materiam, & inducens formam: at vel sensu notum est accidens esse, id quod materiam disponit. Item neque elementa, neque vllas substantiales formas esse actiuas, nisi propter qualitates: & semen quod non est actu animatum, facere actu animatum per calorem naturalem quem habet.

*Proposita sententia refellitur primo.*

SED hæc sententia facile refellitur ratione illa philosophis communi: Quicquid est in effectu præexistit in causa efficiente, æquè perfectè quidem, si sit vniuoca, perfectius autem si æquiuoca: nihil enim dat, quod non habet aut formaliter aut eminenter, vt dici solet, hoc est excellentius: at accidens si cum substantia conferatur, præsertim cum forma, quæ introducitur, aut cum composito quod generatur, longè minus perfectum est: non ergo producitur substantia virtute accidentis. Nec respondent rectè. Accidens in ratione quidem entis esse ignobilius substantia, at in ratione productiui esse nobilius, aut æquè nobile: satis enim nobis est, si ostendatur esse ignobilius in ratione entis, vt non esse principale productiuũ substantiæ concludatur: alioqui non liceret colligere nobilitatem entitatiuam caussarum efficientium ex entitatiua nobilitate effectorũ, nec perfectionẽ Dei ex perfectione creaturarum: posset enim Deus (vt Scotus argumentatur) esse perfectissima caussa efficiens, simulq; ens omnium imperfectissimum, quo nihil alienius à ratione dici potest: præsertim cùm virtus actiua rerum sequatur earum entitatem, & planè cernamus quo perfectior est entitas cuiusque rei in suo genere, eo altiorem, maioremque esse eius virtutem, vnde res calidiores magis calefaciunt, & doctiores homines plura perfectiúsque docere possunt, atque ita in cæteris.

*Defensio minus apta refutatur.*

*In. 4. Sent. 12. q. 3.*

*Virtus actiua rerum sequitur earũ entitatem.*

2. PRÆTEREA: si formæ substantiales non essent productiuæ aliarum substantialium, cum ad productionem accidentalium satis sint accidentales, vt volunt, nullam actiuitatem haberent substantiales formæ: vnde fieret, vt res naturales non essent per se actiuæ, & per se generatiuæ sibi similium, sed per accidens: neque enim agunt per materiam, vt dictum est, nec secundum materiam sibi similia generant: concedent igitur res naturales per se quidem posse pati, hoc est ratione materiæ, per se autem agere nequaquam: vt satius eis videri possit res naturales ex materia: & solis accidentibus conficere.

3. AD hæc, accidentia habent esse suum à substantiis, ergo & agendi vim, quæ eorum entitatem sequitur, non sunt igitur prima actiua, sed ipsæ formæ substantiales, nõ modo si accidentia spectentur quatenus inseruiunt formis substantialibus suo modo producendis, sed etiam accidentialibus: de qua re paulo post explicatius.

POSTREMO: actiones sunt singularium subsistentium, non modo tanquam eorum in quibus recipiuntur, sed etiam tamquã eorum à quibus effectiuè proficiscuntur, vt patet ex iis, quæ ad caput primũ primi



*Quæst. 5.* primi libri diximus: singularia autẽ substantia sunt substantiæ: proficiscuntur ergo actiones effectiuæ à substantiis, at non ratione materiæ, quæ nullo modo actiua, sed receptiua est: igitur ratione formæ: est igitur forma substantialis principium, quo res naturales agunt.

*Text. 71.* ACCEDIT aperta Aristotelis sententia, qui 2. lib. Physicorum. c. 7. formas substantiales in tribus generibus caussarum ponit, formalium efficientium, & finalium: formalium quatenus dant esse materię atque composito: finalium, quatenus earum introductio intenditur ab agentibus: efficientium verò quatenus sunt principia, à quibus primum oritur actio, non quidem vt ab iis, quæ primò agunt, sed vt ab iis quibus primò agitur. Atque hæc de prima opinione dicta sint: huius argumenta commodius exposita tertia sententia dissoluentur. *Vltimo ex Arist.*

*Secundæ sententiæ refutatio, & tertiæ confirmatio.*

## SECTIO III.

*Accedit Dur. 1. Sen. d. 2. q. 2. & alij.*

ALTERIVS sententiæ, quæ omnino superiori opponitur author est Scotus in. 1. Sen. d. 37. Et 2. d. 17. multo autem fusius in 4. d. 12. q. 3. quem sequitur Ochamus in. 2 q. 23. & alij nõ nulli. Ea verò est, accidentia nec virtute propria, nec formarum substantialium attingere productionem substantiæ. Quod non virtute propria, ex eo constat: quia nihil minus nobile potest virtute propria producere aliquid nobilius, vt dictum est contra superiorem opinionem, Quod autem nec virtute formarum substantialium, tum ex eo probant, quia existimant id fieri non posse: tum etiam ex eo, quia ad substantiarum productionem satis est pro principio formali effectiuo, & immediato ipsa forma substantialis caussæ agentis. *Opinio Scoti proponitur.* *Cõfirmatur.*

*In. 4 Sen. d. 12. q. 3.* QVOD autem id fieri non possit virtute formarum substantialiũ sic probat Scotus: Cum ais accidens virtute substantialis formæ esse productiuum substantiæ: aut virtutis nomine intelligis aliquid relatiuum, aut absolutum: non relatiuum: quia nullius est actiuitatis: igitur absolutum: at quodcumq; dixeris semper erit ignobilius substantia producenda: igitur fieri non potest, vt accidens virtute substantialis formæ attingat productionem substantiæ.

*Ocham. in 2. q. 23.* QVOD verò ad id satis sit ipsa forma substantialis sic probant alij: aut per te forma substantialis nõ est immediatè productiua substantiæ propter perfectionem suam, aut propter imperfectionem: non propter perfectionem: quia Deus cùm sit perfectissimus, est immediatè productiuus substantiæ: non propter imperfectionem: quia accidẽtia etsi sunt imperfectiora, sunt tamen immediatè productiua sibi similium, est igitur forma substantialis immediatè productiua substantiæ, quo fit, vt non sit productiua per accidentia, tanquam per instrumenta, quod argumentum desumptum est ex Scoto 2. Sent. d. 16.

PRÆTEREA: si forma substantialis nõ esset productiua substantiæ nisi per accidentia, non daretur in substantiis generatio vniuoca, siquidẽ vniuocatio generationis cerni debet inter formã, qua gene-

Universidad de Deusto
Biblioteca



rans generat, & eam, qua genitũ conficitur: at negare generationem vniuocam, est pugnare cum omnium sententia, & experientia ipsa, ergo & docere substantiam, per accidentia generare substantiam.

POSTREMÒ, forma substantialis cuiusuis rei, est principium immediatè productiuum illius passionum saltem primæ, imò & accidentis sensibilis postquam à proprio subiecto expulsum est, vt cum aqua se reducit ad pristinum, & natiuum frigus: est igitur productiua forma dissimilis, cur igitur non etiam formæ sibi similis in alieno subiecto cum id accidentibus contingat?

*Vera sententia exponitur.* TERTIA igitur sententia, quæ & media est inter vtramque & communis ferè eorum omnium, qui cautis secundis veram efficientiam tribuunt, ita & a nobis amplectenda hac assertione continetur. *Assertio duas habẽs partes.* Accidentia non attingere productionem substantiæ virtute propria, sed virtute formarum substantialium. Quæ sententia est apud Diuum Tho. in 1. par. q. 77. art. 1. & 3. p. q. 77. art. 3. & aliis locis compluribus. *Prior pars vnde probetur.* Ac prior quidem pars infirmatione primæ sententiæ confirmata relinquitur, tametsi solutione etiam argumentorum quibus secunda opinio confirmata est probari potest. Posterior autem pars hunc in modum ostenditur.

*Pars posterior conclusionis ostenditur.* PRIMVM, quia si formæ substantiales essent proxima & immediata principia productiua substantiæ, & huius productio non attingeretur ab accidentibus: sanè cum agens proximum eiusq; forma debeant esse simul, siue non distare ab eo quod patitur, vt est Aristotelis, communisq; philosophorũ sententia, nec forma Solis esset principium, quo Sol producit mineralia, & alia plurima, quorũ generatio Soli tribuitur, nec homo generaret hominem; aut vllum aliud viuens, quod per semen generare dicitur, reuera sibi simile produceret. nam & forma Solis ab his inferioribus longissimè distat, & viuens quod per semen dicitur generare, non necessario existit cum aliquid ex semine illius generatur, tantum abest, vt eius forma necessario simul sit cum eo quod generatur. Atque hæc ratio ita vrget Scotum, vt non aliter ei satisfaciat, nisi negandis duobus cõmunibus principiis & fundamentis Philosophiæ: Alterum est omnia agentia proxima esse simul cum patientibus: Alterum viuentia, quę per semẽ generant, generare sibi similia. Vnde in eas angustias cogitur, vt huiusmodi viuentia à solo Deo generari asserat. A virtute enim quæ in semine est generari nequeunt, cum sit minus perfecta, quàm formæ eorum quæ generantur; nec recurri possit ad formas cœlestiũ corporũ, quia imperfectiores sunt omnibus formis viuentium: Imo etiam adiungit dispositiones vltimas ad introductionem formarum perfectorũ viuentiũ non fieri virtute seminis, quia huiusmodi virtus imperfectior est formis membrorum, quæ sunt vltimæ dispositiones ad formam totius viuentis: atque ita existimat membrorum formas à cœlo introduci non ab ipsis viuentibus per virtutem in semine impressam. Quo fit, vt perfecta viuentia minorẽ actiuitatem habeant in generatione sibi similium, quàm imperfecta, quod etiam ipsum in iis, quorum formæ educuntur è potentia materię, non leue incommodũ est.

DEINDE

Eã sequ. Cai. 1. p. 77. art. 3. in 4. Sent. 12. q. 2. 4. contra cap. 66. etiam 1. quodl. 3.

1. Phys. ca. 5. tex. 47. & 5. Phys. c. 2. tex. 10. & 4. de generatione anim. cap. 3. & alibi. 7. lib. Met. 2. text.



DEINDE quia res naturales non generant sibi similia nisi per motum, motus autem intrinsecè terminatur ad accidens: vnde fit, vt producant substantias per accidentia & non immediatè per suas formas. 2. Ratio.

QVOD si quis dicat in generatione cuiusque rei naturalis esse duplicem actionem: alteram, quæ fit in tempore, & præcedit ipsam productionem formæ substantialis, atque hanc esse motum, & proficisci à forma accidentali: alteram quæ fit in instanti, & est ipsa productio substantialis formæ, atque hanc non esse motum, sed momentaneam actionem, mutationémque, & fieri immediatè à forma substantiali. Occurrendum est productionem formæ substantialis, quæ non fit à solo Deo (quod dixerim propter creationem formæ rationalis) non esse actionem, aut mutationem, sed terminum actionis & mutationis, quæ fit ab agente naturali: omnes enim formæ substantiales, quæ per motum educuntur è potentia materiæ resultant in materia in fine motus virtute instrumentali ipsius motus, seu potiùs eorum accidentium, quæ introducuntur per motum cum primum illa ad certum, & præscriptum terminum perueniunt: actio autem agentis per motum mutationémve non est vlla alia, quàm ipse motus, aut mutatio. Verùm de his ad caput decimumtertium, vbi de motu & mutatione plura dicenda sunt. *An sit duplex actio in generatione rei naturalis.*

TERTIÒ, quia actiones corruptiuæ, hoc est, quibus ita aliquid gignitur, vt aliquid etiam corrumpatur (quod dictum sit ad distinctionem perfectiuarum, cuiusmodi est illuminatio, visio, & similes) sunt inter contraria, vt Aristoteles sæpe docet: at eæ quibus agentia naturalia sibi similia siue in genere, siue in specie generant: sunt corruptiuæ eorum, ex quibus ea generant: sunt igitur inter contraria, ac proinde inter accidentia, quibus ad generandum vtuntur ipsæ nimirum eædem quibus materiam disponunt, neque alias vnquam norunt veteres Peripatetici, aut aliæ sunt necessariæ, cum eæ sint satis, vt in dissoluendis quoque argumentis patebit. 3. Ratio contra Scotum.

POSTREMÒ, quia nulla substantia est actiua nisi per aliquam potentiam actiuam: potentiæ verò actiuæ in creaturis sunt qualitates accidentariæ, quod vel ex eo patet: quia quælibet vna numero substantia actiua habet plures potentias actiuas, vt inductione patet, cum interim vna numero substantia non sit plures substantiæ. Si ergo omnis substantia creata & actiua (excludamus enim materiam) per qualitatem accidentariam agit, quicquid agit, necessario dicendum est non modo nullam formam substantialem informantem, sed nullam quoque per se subsistentem, si creata sit, attingere per se ipsam & immediatè productionem substantiæ, imò nec cuiusquã accidentis, sed per qualitates accidentarias omnia efficere. Atque hæc est causa cur tam multæ qualitates actiuæ reperiantur in vnaquaque re, quod alioqui superuacaneum foret, si substantia ipsa per se ipsam omnia posset efficere. Sed quod attinet ad actiones animæ rationalis & substantiarum separatarum fusius hoc ipsum ostendendum est ad librum duodecimum. 4. Ratio. *Cur tã multæ qualitates actiuæ in quaque re inueniantur.*

*Solutio*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Solutio argumentorum primæ opinionis.*

## SECTIO IIII.

*Soluitur 1. argu. 1. opinionis.*

PRIMVM igitur primæ opinionis argumentum hoc pacto diluendum est, calorem ipsum ex se, etiamsi non sit ab igne productus, sed vel per refractionem luminis, vel per attritionem genitus, esse generatiuum ignis; non principaliter tamen, sed instrumentaliter virtute formæ substantialis rei producentis lumen, aut atterentis. Res enim, quæ producit lumen aut ignis est, aut igne nobilior. Quæ autem atterit, vt quidem cernimus, mista est, in qua virtute continetur ignis.

*Secundum soluitur.*

AD secundum, concedimus substantiam, quæ generatur non produci per aliam actionem nisi per motum, qui intrinsecè terminatur ad accidens: sed addimus, quia illud accidens est instrumentum substantiæ, ideò ex illo resultare substantiam.

*Tertiũ eiusdem dissoluitur.*

TERTIVM hoc pacto dissolues: accidentia, quæ in sacramento Eucharistiæ sine subiecta substantia existunt, esse generatiua substantiæ virtute eius substantiæ, quæ conuersa est in corpus, aut sanguinem Domini, etsi iam illa non existat. *Ita D. Tho. 3.p.q.77.art. 3. & alij.*

*Ad loca Aristotelis adducta pro prima opinione.*

AD ea verò, quæ ex Aristotele afferuntur dicendum: eius sententiam in priori loco esse, ignem non agere vt ignis est: hoc est, sola propria forma substantiali, vt principio agendi (quod Scotus credidit accidere in ipsa productione substantialis formæ ignis) sed vt calidus est, id est, per formam caloris, à quo proximè, & vt ab instrumento exit actio ignis, ita vt per eam actionem non solum calefaciat sed etiam ignem generet. Quod obiter notabis contra eos qui negant putasse Aristotelem formas substantiales elementorum esse distinctas à primis quatuor qualitatibus. Quod autem adducitur ex posteriori loco, non contra nos est, qui non ponimus in generatione actionem aliam diuersam à motu, sed contra Scotum, qui aliam commentus est in fine motus.

*Notãda Aristotelis explicatio.*

*Ad dicta Auen-Rois.*

QVÆ autem ex Auen-Roe proponuntur, & si non tantam hac ætate auctoritatem habent, quòd sint eius auctoris, quantam in superiori habuerunt, tamen non solùm nostræ communique sententiæ nihil repugnant: sed eam planè, ac perspicuè confirmant.

*Solutio argumentorum secundæ opinionis.*

## SECTIO V.

*Argumẽtum Scoti soluitur.*

QVOD verò attinet ad ea, quæ pro secunda opinione proposita sunt: argumentum quidem Scoti hoc pacto diluendum. Cum accidens dicitur virtute substantiæ producere substantiam, nomine *virtutis* nihil diuersum ab ipso accidente intelligendum esse, quia illud (*virtute*) non est sumendum trãsitiuè sed intransitiuè, quasi dicas, vt est virtus substantiæ, etiam vt instrumentum illius. Quare nec per aliud accidens siue respectiuum siue absolutum est productiuum substantiæ, sed per seipsum, tametsi minus principaliter & instrumentaliter. *Lege Caiet. p.q.77.art.3.*

AD



*Ochani argumentum diluitur.*

AD primum sequentium dicendum est: formam substantialẽ propter mediam quãdam perfectionem quam habet inter formas accidentales, & primam formam, quæ est actus purus, duo sibi vendicare: vnum, vt sit principale principium productiuum substantiæ qua ratione superat conditionem formæ accidentalis: alterũ vt non sit proximum & immediatum: qua ratione deficit à conditione diuinæ naturæ, quæ & principalissimum, & proximũ principium productiuum est cuiuscumq; effectus. Principalissimum: quia nõ est productiuum virtute alterius: proximum quia nullo instrumento, aut quasi instrumento ad agendum indiget. Itaque esse simul principale principium productiuum, ac proximum, est summæ perfectionis: esse proximum sed non principale est infimæ: at esse principale, sed non proximum est mediæ cuiusdam. Quare forma substantialis nec quia perfecta est absolutè, nec quia imperfecta, vendicat sibi eam conditionem vt non sit immediatè productiua substãtiæ, sed quia medio modo perfecta.

*Formã substantialẽ duo sibi vẽdicare.*

*Comparatione cuiusq; formæ dicatur generatio vniuoca.*

AD secundum dicendum, generationem substantiæ non dici vniuocam, aut æquiuocam comparatione formæ geniti cum forma proxima, quæ instrumentum est generantis: sed cum ea, quæ in generante prima & principalis est.

*A quo subiecto efficiatur passio.*

AD tertium dicendum: passionem propriam non effici à subiecto, sed ab eo agente, à quo subiectũ efficitur, tametsi secundariò & consecutiuè. Agens enim per eandem actionem, qua dat formam, dat (quod dici solet) consequentia ad formam. Id quod non ea ratione credendum est accidere, quia fieri non possit, vt res vlla in eo instanti in quo verè ac propriè efficitur à suo generante, possit aliam actione alia verè ac propriè efficere (quod alicui fortasse videatur) Sol enim in eo momento quo creatus est à Deo, produxit lumen in aëre vera quadam alia, & propria effectione, & luminis radius in eo instanti, quo producitur in aëre, producit in oculo speciem actione distincta ab ea, qua est productus: sed quia propria passio, non solum ea, quæ non differt essentialiter à subiecto, vt passio trianguli, sed etiam ea, quæ habet essentiam ab illo diuersam, vt intellectus à forma intellectuali necessaria consecutione sequitur proprium subiectum. Hinc enim fit, vt qua actione ponitur subiectum in rerum natura, eadem cõsecutiuè ponatur eius propria passio, siue talis actio sit creatio: siue propria effectio supponens subiectum, in quo fiat: siue momentanea vt productio luminis, quod passio visibilitatis consequitur: siue temporaria, quam motũ appellamus, quæ semper quidem terminatur intrinsecè ad aliquod accidens, extrinsecè autem in generatione substantiæ ad substantiam genitam, eiúsque proprietates. Quod si substantia ipsa generari potest per eã actionem, quæ intrinsecus terminatur ad accidens, cur propria passio non fiat eadem ipsa actione qua efficitur subiectum quod naturali sequela consequitur? Quod autem obiicitur de reductione aquæ ad pristinũ seu natiuum frigus, eodem modo diluitur: est enim frigus quædam aquæ proprietas, tametsi minus propriè dicta, eò quòd sit ex genere earum, quæ remitti aut impediri possunt, vt etiam est calor, & esse supremo in loco respectu

*Res in instãti quo fit, agere potest.*

*Quare eadẽ actione ponatur subiectũ eiusq; passio.*

*Aqua vt se reducat ad frigus.*

ctu ignis,& siccitas,atque esse in loco infimo respectu terræ. Itaque sublato calefaciente & conseruante calorem in aqua productũ, mox illa recuperat natiuum frigus non aliqua actione,quæ ab aqua proficiscatur, sed naturali quadam resultatione ex natura subiecti tametsi illa resultatio fit in tempore propter admistionem contrarij, quod paulatim expellitur.

*Obiicitur cõtra prædicta. 1.*

Quod si obiicias,illa resultatio fit in tempore,ergo est verus motus, ergo vera actio: fit igitur propria passio à subiecto per veram actionem.Respondendum est primum quidem per accidens euenire, vt ea resultatio fiat in tempore,nam in eo instanti quo primum aqua genita est resultauit in ea frigus, non in tempore,nec per verum motum,actionémve distinctam ab ea,qua genita est aqua,sed per naturalem concomitantiam,siue consequentiam. Deinde,etsi est vera actio,eam tamen non proficisci ab aqua,vt ab agente,sed à generante aquam,id quod de motu etiam locali elementorum alibi diximus,& forsan libro nono huius operis repetendum est.

*Actio tribuẽda generanti.*

*Ad 8. lib. Phys.*

*Obiicitur 2.*

Si quis iterum obiiciat,motum & terminum esse idem re, subiectum autem & passiones eas, quæ sunt entia realia non esse idem re, ergo non posse acquiri per vnum & eundem motum.Respondendum est,id quod dici solet motum & terminum esse idem re, intelligi debere de primo termino,non de consecutiuo.

*Motum & terminũ esse idem re, quo modo accipiendum.*

Ita patet formam substantialem non esse principium immediatè productiuum siue substantiæ siue accidentis,vera nimium & propria actione, sed formam accidentalem. Vtrum verò accidens sit principale principium productiuum accidentis, an verò instrumentale nunc expendendum est.

*Epilogus dictorum.*

*Num accidens sit principale principium productiuum accidentis, an instrumentale tantum.*

## Sectio VI.

*Argumenta pro vtraque parte.*

Accidens non esse principale principium productiuum sed instrumentale,quadam ex parte ex eo videtur,quia negari non potest, quin sit essentialiter subordinatum substãtiæ in agendo, ac proinde ab ea accipiat virtutem ad agendum,quod videtur proprium instrumentalis causæ.Alia verò ex parte, si accidens, quo aliud accidens producitur, sit eiusdem speciei cum illo, vt calor cum calore, aut etiam nobilioris naturæ, vt lumen respectu siccitatis,nulla videtur ratio cur dicatur instrumentale principium, neque enim talis effectus excedit virtutem talis causæ, vt ad eam tanquam ad instrumentalem, & non potiùs tanquam ad principalem referatur.

*Assertio quæstioni respondens.*

Ad hanc dubitationem dicendum est:nunquam accidens,si propriè loquamur, esse principium principale productiuum accidentis, sed semper instrumentale, tametsi respectu alicuius actionis aliquo modo principale dici possit.

Prior pars assertionis huius non satis confirmatur ratione illa pro



pro priori parte dubitationis proposita: Quia,inquã,omne accidens est essentialiter subordinatum substantiæ in agendo, & ab ea accipit virtutem ad agendum. Neque enim id proprium est instrumentalis causæ, cum omnes causæ secundæ à prima, cui essentialiter subordinatæ sunt, virtutem ad agendum accipiant, & inferiores etiam à secundis superioribus, & tamen harum pleræque dicantur principales vt homo in generando homine, & Sol in gignendis mineralibus.

*Vera confirmatio prioris partis.*

Quod igitur ea pars sit vera. Ex eo primum constat: quia vt res se habent in essendo, ita etiam in agendo, quod est commune Philophorum proloquium,accidẽtia verò non habent esse per se, quare nec sunt actiua per se, ac proinde nec principalia productiua rei cuiusquam siue substantiæ, siue accidentis, sed semper instrumentalia. Deinde quia hoc est discrimen inter causam principalem & instrumentalem, quod semper instrumentalis accipit virtutem ab aliqua eiusdem ordinis in agendo,& cum ea facit vnam quasi totalem causam: veluti securis, quæ accipit virtutem faciendi scamnũ à fabro, & cum eo facit vnam suo modo talem causam proximam, & immediatam effectui, ac causa principalis etsi accipere potest virtutem agendi ab alio superioris ordinis,vt homo & à Deo,& à Sole in generando homine, nunquam tamen virtutem accipit ab alia eiusdem ordinis. Nam etsi homo & semen vnam quodammodo totalem causam proximam embrionis conficiunt, homo tamen non accipit virtutem agendi à semine, quo in generando vtitur, sed potiùs semen ab homine. Cum igitur accidentia omnia accipiant agendi virtutem ab aliqua substantia eiusdem ordinis in agendo, vt calor ignis ab igne, & lux Solis à Sole,perspicuum est nullum eorum esse causam principalem,sed omnia esse instrumentalia.

*Commune philosophorũ proloquium.*

*Discrimen inter causam principalem & instrumentalem.*

*Accidẽs omne pendere à substantia in agendo.*

Quod autem omne accidens ab aliqua substantia eiusdem ordinis in agendo virtutem agendi accipiat, seu, quod idem est, agat virtute illius, aut si mauis, pendeat ab illa à priori in agendo (nam à posteriori potest causa principalis pendere ab instrumento, & sine illo non agere) facilè ex eo ostẽditur, quia omnis actio proficiscitur primo, & per se ab aliquo supposito,siue re per se subsistente,vt ex primo libro perspicuũ est. Vnde si proficiscitur ab accidente id esse non potest nisi secundario, & virtute illius. Hinc est, quod operationes animæ non proficiscũtur primò à potentiis, sed ab ipsa anima cuius vi potentiæ operantur, vt patet ex illa animæ definitione: *Anima est id, quo primo viuimus, sentimus, & intelligimus.* Hinc etiam prouenit vt motus nec passiuè, nec actiuè referatur primo ad aliquam potentiam naturalem,sed ad ipsam naturã tanquam ad primum principium motus, & quietis, vt ax definitione naturæ manifestum est. Hinc demum fit, vt Philosophi omnes attribuant substantiis generantibus non solum ipsarum formarum substantialium introductionem, sed etiam eorum accidentium, quibus materia ad introductionem substantialium disponitur, vt habes ex illo communi eorum pronunciato: *idem esse agens introducens formam, & disponens materiam.* Cum igitur introductio formæ substantialis necessario referatur ad

*Definitio animæ.*

*Commune philosophorũ pronunciatũ.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



formam ſubſtantialem generantis, ad eandem quoq; neceſſario referenda eſt introductio formarum accidentalium, quibus fit diſpoſitio ad ſubſtantiales, ac proinde accidentales nullam eiuſmodi diſpoſitionem efficiunt niſi virtute ſubſtantialium.

*Posterior assertionis pars explicatur, & deinde probatur.*

*Lege D. Tho. & Caiet. 1. p. q. 45. art. 3. & 3. p. q. 7. art. 1. & q. 13. art. 2. & q. 19. art. 1. & q. 62. art. 1. & 4. & q. 7. art. 3.*

VT autem posterior assertionis pars melius intelligatur, & probetur animaduertendum est ex D. Thom. & clarius ex Caietano omne instrumẽtum habere duplicem actionem rationémve actionis, quicquid Scotus velit vnam propriam & alteram partipatam à principali agente: Verbi causſa securis ex vi formæ, figuræve, ac materiæ propriæ, quæ pondus & duritiem habere debet, habet, vt secare possit, adeo vt etiam si certo modo cadat deorsum, neq; vllo pacto moueatur à fabro, lignum secet: at quatenus hoc vel illo modo mouetur à fabro, habet vt faciat scamnum. Atramentum etiam ex vi naturæ suæ papyrum atram reddit quomodocúnque in eam cadat: characteres autem non depingit, nisi quatenus papyro artificiose à scriptore applicatur. Eodemq; modo calor ex propria natura habet quod calefaciat, ita vt etiam si haberet existentiam per se neq; operaretur virtute alicuius ſubſtantiæ, adhuc calefaceret: at quatenus anima sensitiua illo vtitur ad nutritionem generat carnem. Quamquam ergo instrumentum ratione posterioris actionis modive agendi nunquam potest dici principale principium actiuum: vt est luce clarius, tamen respectu prioris interdum principale proprie, interdum quodammodo, & non simpliciter principale dici potest. Proprie quidem si sit res per se subsistens vt securis, atramentũ & cætera huiusmodi, quæ vulgari vsu instrumenta dicuntur, aut forma ſubſtantialis rei per se subsistentis. Habent enim hæc omnia operationem aliquam propriam, & minime participatam aut communicatam ab artifice, ipsa quidem per se subsistentia tanquam, ea quæ principaliter agunt: formæ verò eorum ſubſtantiales tanquam ea, quibus principaliter agunt: quodammodo autem, & non simpliciter principale, si nec sit res per se subsistens, nec forma ſubſtantialis rei per se subsistentis, cuiusmodi sunt accidentia omnia. Hæc enim neque ipsa per se cuiusquam effectus sunt principaliter productiua, siue vt quæ producunt, siue vt quibus alia per se producunt, vt patet ex priori parte assertionis: tametsi extenso principalis productiui nomine, vt ait Caietanus principalia dici possunt, quod ex propria natura & virtute sua sint productiua, licet dependenter ab alio productiuo eiusdẽ ordinis cum quo vnum quasi totale productiuum cõficiunt. Intellige autem nomine formæ ſubſtantialis, ipsam quoque naturam ſubſtantialem vt distinguitur à supposito, ne excludatur humanitas Christi à principali productiuo vt quo humanarum Christi actionum. Quamquam enim non principaliter agit vt quod agit, tamen principaliter vt quo. Ita non solum explicata est posterior assertionis pars, sed probata.

*Instrumenti actio duplex.*

*Qua ratione instrumentum dici possit principale principium actiuum.*

*Humanitas Christi quomodo principium actionũ.*

*Additio Caietani improbatur.*

ADDIT Caietanus accidentia respectu earum operationem: quæ non excedunt propriam eorum virtutem, quemadmodum non propriè dicuntur principalia productiua, ita nec propriè dici instrumenta



menta, siue instrumentalia vt calor animalis in calefaciendo cibo, quod nobis non placet, nisi instrumentum propriè dictum id solum appellet, quod non mouet nisi motum, cuiusmodi sunt instrumenta vulgo sic dicta. Neque enim accidentia indigent, vt moueantur, aganturve, vt ipsa moueãt, siue agant. Verùm de modo agendi instrumentorum, explicatius adhuc agendum est inferius.

*Solutio cuiusdam ambiguitatis.*

SECTIO IIV.

*Quomodo accidens sit in agẽdo subordinatum substantiæ.*

SED quæritur. Num accidens ita pendeat in agendo à forma ſubſtantiali, vt sit ei essentialiter in agendo subordinatum: & nũ pendeat in agendo à forma ſubſtãtiali eius rei, cui inhæret, an alterius? si enim pendet, à forma eius rei cui inhæret, illud incõmodum apertissimè sequitur: aliquando formam aquæ esse principium calefactiuum, nempe cùm aqua calida aliquid calefacit: si verò à forma alterius particularis rei: ea fortasse erit ſubſtantialis forma rei à qua accidens productũ est, vt calor aquæ à forma ignis qui aquam calefecit (neq; enim alia succurrit forma ſubſtãtialis alterius rei, à qua accidens in agendo pendere possit tamquam à principio effectiuo particuliari) at forma rei particularis, quæ accidens produxit, sæpe non existit, cum accidens agit, vt patet in forma ignis, qui aquam calefecit: non est igitur omne accidens essentialiter ſubordinãtum in agendo alicui formæ ſubſtantiali. Quod si ita est, quo pacto igitur pendet in agendo à forma ſubſtantiali: Aequè enim dicere posses filium pẽdere in generando à patre suo, ac proinde esse illi essentialiter ſubordinatum, quod tamen ad secundum librum merito negatum est.

*Cap. 2. q. 1. sect. 2.*

*Soluitur proposita difficultas.*

HVIC ambiguitati quæ non mediocris est in hac materia, hoc pacto satisfaciendum est: omne accidens pendere in agendo à forma ſubſtantiali rei, in qua est, si sit illi naturale, aut à forma ſubſtantiali eius à qua productũ est, si sit aduersum naturæ ſubiecti: sed tamẽ eam essentialem ſubordinationem non esse propriam in iis accidentibus, quæ sunt aduersa naturæ suorum ſubiectorum: idque illa ipsa ratione quæ proposita est: quia fieri potest, vt formæ ſubſtantiales, quibus ſubordinata dicuntur, non existant, cum agunt: Sunt igitur ſubordinata more instrumentorum separatorum veluti seminis & globi tormentarij à Bombarda proiecti, quæ & si suo modo sunt essentialiter ſubordinata formis ſubſtantialibus harum rerum, à quibus prodierũt: non est tamẽ propria ea ſubordinatio, vt est in instrumentis coniunctis, veluti in calamo respectu scribentis, in dolabra respectu fabri, quorum nec alterum scribere, nec alterum dolare potest nisi actu concurrente prncipali agente.

*Suboritur ex dictis & difficultas alia. Soluitur.*

SED, quid si Deus producat nouum calorem extra ſubiectũ (iam enim suprà concessimus posse eiusmodi calorẽ calefacere) num quid etiam tum calor in agendo erit ſubordinatus alicui formæ ſubſtantiali? Non erit quidem, sed soli Deo: verum non solum vt primo a-

Universidad de Deusto
Biblioteca



genti in suo ordine, sed etiam vt supplenti actiuitatem eius formæ substantialis, à qua naturaliter est producibilis: putamus enim omne accidens: quod per causas secundas produci potest habere naturalem ordinem ad certam numero substantiam creabilem, à qua fit naturaliter producibile, quemadmodum & ad certam numero, in qua sit naturaliter susceptibile. Quod verum esse patebit ex ea quæstione, num idem effectus numero à pluribus causis prouenire possit? Itaque in eo euentu Deus supplebit per se ipsum, & actuitatem certæ numero formæ substantialis, & vim sustentatiuam certi numero subiecti: in sacra autem Eucharistia, etsi supplet vim sustentatiuam certi numero subiecti, panis inquam, aut vini, in quo sacra illa accidentia existebant: non supplet tamen actiuitatem certæ numero formæ substantialis, quia adhuc ad actionem illorum accidẽtium suo modo concurrit forma panis, aut vini præcedentis, tamquam ad actionem instrumenti separati, quod tamen ante consecrationem coniunctum erat, Quocirca etsi Durandus nobiscum ait accidentia panis, & vini, ante consecrationem agere virtute formarum substantialium panis, & vini, posséque vt earum instrumenta attingere productionem substantiæ: non rectè tamen id negat post consecrationem: sibi persuadens necesse esse, vt tum Deus ad actionem sacrorum accidentium non tantum suppleat vim sustentatiuam subiectorum præcedentium, sed etiam actiuitatem formarum substantialium, quibus illa constabant. Atque hæc de vi agendi accidentium, formarumque substantialium dicta sint. *In 4. d. 12. q. 2.*

*Accidens singulare ad quã substantiam habeat ordinem.*

*Deus in Eucharistia non supplet actiuitatem certæ numero formæ. Durandi opinio improbatur.*

SED quoniam sunt qui causis secundis efficientibus partim omnem vim agendi adimant, partim tantam attribuant, quantam solo primo efficienti fas est tribuere: æquum est, vt eorum opiniones proxima disputatione refutemus.

---

## NVM RES ALIAE INFRA *Deum aliquid agant.*

## QVÆSTIO VII.

*Opinio Eorum qui omnem efficientiam adimunt causis particularibus.*

### SECTIO I.

*1. Opinio proponitur.*

NON defuerunt, qui rebus aliis infra Deum omnem agendi vim negandam esse putauerint: solumq; Deum aliquid agere crediderint: cætera enim etsi videantur agere, non agere tamen reuera, sed Deum ad horum præsentiam: argumenta pro hac opinione hæc sunt fermè.

*1. Argumentum pro hac parte.*

VNVM, quia aut Deus concurrit in agendo cum creatura, aut minimè: si non concurrit, igitur creatura in agendo est prima causa, quod



quod dicendum non est: si concurrit, aut totum ipse facit, aut partim ipse, partim creatura: si partim creatura, igitur ea ex parte erit creatura prima agendo, relabemurque in idem incommodum: si totum ipse facit: nihil reliquũ est, quod à creatura fiat: nisi forte quis ita insaniat, vt dicat Deum, & creaturam simul concurrere ad totum effectum vt causas duas insufficienies per se se, & integrantes vnam sufficientem, quo pacto duo homines sæpe mouent lapidem, quem neuter per se mouere posset.

ALTERVM, quia si creatura aliquid ageret, crearet vtique. Nam actio, aut aliquod subiectum supponit, aut nullum: si nullum: plane est creatio: si aliquod: ergo est productiua solius formæ: iam enim subiectum ponitur productum: at forma non producitur ex subiecto tamquam parte sua, neque ex parte sua quæ prius fuerit in subiecto, quàm ipsa in subiecto sit: ergo actio, qua incipit esse in subiecto, est creatio: quod idem dicendum est de parte formæ, quæ parti prius existenti additur, vt de secundo gradu caloris, qui additur primo, totum enim per creationem fieri necesse est. Nec obstat quod fiat in subiecto: nam & gratia creatur in subiecto, & anima rationalis in materia. Quare si creare nulli creaturæ conuenit, propriumque Dei est esse creatorem nulla creatura quicquam agit, sed solus Deus ad creaturæ præsentiam. *2. Argumentum.*

TERTIVM, quia Deus agit immediatè in omnibus rebus, vt Theologi fatentur: quo fit vt non agat mediante creatura quasi instrumento: quicquid enim medio instrumento agit, immediate agit, at creatura non potest agere nisi vt instrumentum primæ causæ, cum in omnibus pendeat ab ea: non potest igitur quicquam agere. *3. Argumentum.*

POSTREMVM, quia quod hæc res dicatur efficiens huius effectus, & illa illius, ex mera voluntate Dei profectum est: si enim statuisset, vt aqua calefaceret, & ignis refrigeraret, iam dicere possemus aquam esse causam efficientem caloris, & ignem frigoris. Cum igitur eadem res non possit ex natura sua esse productiua contrariorum effectuum, necesse est dicere omnẽ effectum produci à solo Deo, ad præsentiam tamen huius vel illius rei in naturalibus iuxta id quod ipse statuit.

*Quorum auctorum hæc fuerit opinio.*

HANC opinionem dixerit fortasse aliquis fuisse antiquissimi Trismegisti, qui in Dialogo de *Cõmuni*, scribit Deum circa omnia simul, atque omnia, actum esse omnium, & potestatem: & in eo, quem de *Regeneratione & silentii impositione* inscripsit, Deum actum esse omnium potestatum, & potestatem omnium actuum. Quibus verbis ne immerito videretur negare rebus creatis ipsum agendi actum si eis concederet potestatem, ipsam quoque potestatem negauit. Idem videtur sentire Philo Alexandrinus, qui libro 2. sacræ legis allegoriarum planè ait, vnicam esse causam efficientem nempe Deum, & in libr. de Cherubim, & flammeo gladio sic scribit. Proprium est Deo facere, creaturæ autem pati. Certe huius sententiæ meminerunt Auẽrois 9. Metaph. com. 7. & lib. 12. com. 18. Albertus 2. libr. Phys. tract. 2. ca. 3. D. Tho. 1. p. q. 105. art. 5. & li. 2. Sent. d. 1. q. 1. art. 4.

lib.3.contra gentes cap.69. & aliis locis. In quam ex recentioribus post Petrum Aliacensem valdè inclinat Gabriel in 4.Sent.d.2.q.1.& 3.ait enim, posse quidem res creatas dici causas efficientes sine quibus non, quod de lege ordinaria Deus statuerit non agere in rebus naturalibus, nisi ad earum præsentiam: at dici causas verè efficientes non posse. Deinde nihil minùs efficere Deum cum producit effectum cum causa secunda, quàm si se solo: imò verò plus efficere quàm si se solo produceret. Namque igne præsente non modò solus Deus facit ignem, sed etiam efficit vt ignis dicto modo sit causa ignis. Denique hanc sententiam non solum non videri veritati eduersam, sed etiam diuinæ potentiæ & scripturæ sacræ consentaneam, vt apud Paulum ad Corinth.3.cum de se, & aliis scribit: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis*, & 1.ad Corinth.cap.12. cum de Deo ait: *Qui operatur omnia in omnibus.*

*Petrus de Aliaco in 4.q.1.*

*Res alias præter Deum verè agere.*

## SECTIO II.

*Refellitur præcedens opinio.*

SED adeò absurda est hæc opinio, vt meritò eam D. Tho. alioqui in reprehendēdo modestissimus, stultam appellet. Primum enim negat sensum. Quid enim clarius, & euidentius, quàm quòd ignis calefaciat, aqua refrigeret, Sol illuminet, lapis percutiat, & similia?

*In 2.Sen.d.1. q.1.artic.4.*

*Tollit enim è medio rerum creatarū virtutes.*

DEINDE negat rerum creatarum virtutes, quas Philosophi ex earum actionibus se colligere putant: neque enim aliter colligi possunt. Quod si virtus huius rei naturalis, verbi gratia ignis, nihil est aliud, quàm quòd Deus statuerit ad eius præsentiam calefacere, non magis per hanc virtutem, & alias consequentes cognosceretur natura ignis, quàm per alias quasuis. Æquè enim posset Deus ad præsentiam ignis frigefacere, humectare, ac gignere aquam, quod planè admittunt aduersæ partis authores asserentes. Si Deus statuat me loquente pluuiam se daturū: fore vt ita propria ego sim causa efficiens pluuiæ, vt ignis est efficiens caloris. Ita nulla relinquetur ratio philosophandi in rebus naturalibus, hoc est naturas earum indagandi.

*Tollit veram philosophandi rationem.*

*Tollit distinctionē actionum.*

TVM etiam tollit de medio distinctionem inter vitales operationes, & non vitales, si quidem vitales ea ratione distinguuntur à non vitalibus, quod vitales sunt à principio intrinseco actiuo, non vitales autem ab extrinseco. Quare non magis ambularent, aut saltarent homines, pugnarentve, quàm lignei homunculi artificiosè deambulantes, saltantes & pugnantes, nec minùs propriè manducassent corpora assumpta ab iis Angelis, quos Abrahamus hospitio excepit, quàm veri homines.

*Adimit, resistentiā, rerū naturalium.*

*Genes.18.*

*Animæ rationalis productionem æquè attribuat necesse est homini, atque formæ ignis ig- uē generanti.*

COGITVR quoque nullam admittere resistentiam in rebus: nisi eius authores velint Deum sibi ipsi resistere: nulla enim resistentia vel esse vel intelligi potest, nisi respectu rei contra agentis. Itaque non Taurus resisteret Leoni, sed Deus agens in Tauro resisteret sibi agenti in Leone, quo nihil stultius. Æquè etiam necesse est concedat, hominem esse causam efficientem animæ rationalis, atque ignis est causa



causa formæ ignis. Ita enim illa efficitur à Deo ad præsentiam hominis vt hæc ad præsentiam ignis.

*Eadē opinio, liberum arbitriū euertit, & meritum, pœnam, &c.*

DEMVM, vertit funditus omnem rationalis creaturæ libertatem, cùm ex ea sequatur, creatutam rationalem non agere, sed agi: quo etiam nihil indignius humana natura ab homine dici potest. Ita tollitur de medio meritum omne, omnis culpa, omnis iusta laus, ac reprehensio, quæ non debentur nisi benè, aut malè agentibus: quódque horrent aures, fit Deus auctor peccati, quod nescio quo pacto non aduertunt Catholici, qui opinionem hanc verisimilem faciunt. Atque hoc genus hominum meritò iudicat Aristoteles magis indigere aut pœna, aut sensu quàm rationibus. Nam si contra hos verberibus ageretur, crede equidem tum demum ab eis obtineretur, vt vel à verberante homine non modo propriè agi, sed seuerè etiam agi faterentur. Quod si actionem rationalis creaturæ excipiant, nihil est cur cęteris rebus vim agendi negent. Nam rationes eæ, quibus suam opinionem confirmant (si vllam vim habent) æquè valent in creaturam rationalem vt eas expendenti patet.

*1.Top.cap.9.*

PRÆTEREA res creatæ sunt veræ causæ materiales, formales, & finales, cur igitur non efficientes etiam: præsertim cùm non minùs appareat eas agere, quàm aliis modis caussare? Neque enim id accidere potest, quia si agant, oporteat Deum cū eis concurrere in agendo, quod illi fieri non posse probant: in caussando autem materialiter, formaliter, & finaliter: non sit necessarius diuinus concursus. Non minus enim pendet materia, forma, & finis particularis in caussando à concursu Dei caussantis, quàm efficiens particulare, si datur, à Deo efficiente, quod inferiùs ostendemus.

POSTREMÒ, aut Deus dare potuit creaturis vim agendi, aut minimè: Si potuit, ergo temerè negatur dedisse, præsertim cùm magnificentiùs sit, & diuina bonitate dignius feciſſe res, quæ alias etiam suo modo (verè tamen) efficerent: Si non potuit, ergo repugnantia est aliqua, siue implicatio contradictionis in re ipsa, cùm ex parte diuinæ potentiæ nihil sit repugnantiæ, at nullam afferunt, quæ vera sit, vt patebit in dissoluendis eorum argumentis: habent igitur creaturæ vim agendi, & vt agere videntur, ita & verè agunt.

*Solutio argumentorum aduersæ partis.*

## SECTIO III.

*Socratis lepida respōdendi forma.*

*Vt 6. Physic. cap.9.a.text. 75.8.Phys.*

HORSITAN dicat aliquis non opus esse argumentorum aduersæ partis solutione, quod vel actione aliqua ad sensum facta eludenda videantur, qua respondendi forma vsus est Socrates, vt Zenonis Eleatæ motum non esse concludentis rationi occurreret. Verum etsi Socrates lepidè: quia tamen Aristot. non semel eidem rationi, vtpote acutæ, serio respondendum censuit, nec nobis certè negligenda sunt horum argumenta, quod difficultate non careant.

*Soluitur primum argum. par. aduersæ.*

AD primū igitur dicendum est, totum id quod facit creatura, fieri etiam à Deo, sed tamen non esse superuacaneā creaturam in agen-

do, quia modo alio concurrit Deus ad actionem creaturæ, alio creatura ipsa: Deus vt independens, creatura vt dependens. Potest hoc vt cumque perspici in operationibus artis humanæ. Nam totum id, quod facit securis, facit faber cum securi, veluti totum sedile: attamen non est superuacanea securis: ille vt agens principale, hæc vt instrumentum, tametsi substantiæ creatæ non concurrunt ad effectum proprium, vt pura Dei instrumenta, quo pacto concurrit securis cum fabro.

*Soluitur secundum.*

AD secundum, nec formam cum primum inducit in subiectum, nec partem formæ, quæ superadditur, fieri ex subiecto, vt ex parte sua aut ex parte sua priùs existente in subiecto: verumtamen non ideò ereari, nisi huiusmodi sit, vt possit suapte natura per se existere, cuiusmodi est anima rationalis. Nam cæteræ, & si nec fiunt ex subiecto vt ex parte sua, nec ex parte sua prius existente in subiecto, fiunt tamen dependenter à subiecto etiam ipsæ qualitates supernaturales, quæ natura sua per se existere non possunt. Quocirca nec propriè fiunt, quod compositorum est proprium, nec propriè creantur, vt anima rationalis.

*Soluitur tertium.*

AD tertium dicito, in iis actionibus, ad quas creatura simul cum Deo concurrit, vt in generatione ignis ab igne, & si Deus agit immediatè immediatione virtutis, hoc est, non virtute alterius: non agere tamen ea ex parte immediatè immediatione suppositi, vt loquuntur Theologi, cum in iis vtatur creatura quodammodo, vt instrumento medio: at in aliis actionibus, ad quas nulla creatura vtitur: vtraque immediatione agere & virtutis, & suppositi. Dixi: (*Ea ex parte*) quia alioqui in omnibus actionibus, agit Deus vtraque immediatione virtutis quidem: quia non virtute alterius: suppositi autem: quia est indistans à qualibet re propter aliquam actionem, quam exercet in omnibus rebus, nulla ad eam concurrente creatura: in rebus quidem iis, quæ fiunt concursu agentium naturalium conseruando materiam, in aliis autem conseruando totam harum substantiam, vt in cœlestibus corporibus & substantiis materiæ expertibus.

*Deus quomodo agat immediatè.*

*Deus est indistans ab omni re.*

*Soluitur quartum.*

AD quartum dicendum est, non esse profectũ ex mera Dei voluntate, vt hæc res esset naturaliter efficiens huius, & illa illius: veluti ignis caloris, & aqua frigoris, sed ex ipsa rerum natura: & si supernaturaliter sæpè Deus vtatur creaturis, vt instrumentis ad actiones, quę superant earum vires naturales, vt aqua ad sustinendum supra se hominem ambulãtem, & luto ad restituendã cæco videndi facultatem. Quocirca & si Deus statuisset, vt perpetuò ignis refrigeraret, & aqua calefaceret: nihilo tamen minus supernaturalis esset eorum actio, quàm si nunc semel, aut iterum id fieri velit. Quamquam enim si perpetuò id fieret non esset miraculum, esset tamen supra naturam agentium, vel potiùs, & si non esset miraculũ habita ratione consuetudinis vt sic dicam: esset tamen miraculum spectata ipsa agentium natura.

*Actio supernaturalis quo pacto miraculum dici, vel non dici debeat.*

*Ioan. 21.*

*Ioan. 9.*

*Exponuntur auctores pro hac parte citati.*

*Sententia Trismegisti notanda.*

QVÆ autem ex Trismegisto, & Philone afferuntur, facilè exponũtur ex aliis eorundem authorum locis, in quibus planè affirmant, ita Deum agere in rebus, vt ipsæ etiam res creatæ agant. Trismegistus enim in



enim in Dialogo nono planè ait Mundum esse diuinæ voluntatis organum factum, vt à Deo semina accipiens vniuersa, omnia producat. Et Philo in libro de *Congressu, quærendæ eruditionis gratia*, scribit, Deũ huic in infimo generi mortali permisisse seminare, atque gignere. Cum igitur Trismegistus ait Deum esse omnium rerum actum & potestatem, nihil aliud significat, quàm nullam creaturam vel actu agere vel posse agere sine peculiari, & immediato Dei concursu. Vnde in Dialogo, qui *Clauis* inscribitur: sic ait: *Neque enim otiosus est Deus, nam otiosa forent omnia.* Cùm autem Philo scribit Deum vnicam esse caussam efficientem. & proprium esse Deo facere, cereaturæ autem pati, sensus est, solum Deum agere independenter, & Deum ita agere vt pati nullo modo possit: creaturam verò non agere tantum, sed & pati posse: vel actionem creaturæ, etsi actio est, tamen collatam cum actione diuina, passionem potius, quàm actionem censeri posse. Ait enim in libro proximè citato, Patrem, & Matrem cum Deo collatos non gignere, sed instrumenta gignendi esse. Quibus verbis ea de causa parentes non gignere affirmat, quia sunt veluti instrumenta Dei gignentis, quæ cum virtute alterius agant, magis patiuntur, hoc est accipiunt, quam agant, id est, conferant.

*Alia eiusdem sententia.*

*Metaph. 9. com. 9.*

ATQVE vt mittamus eos quos Auen-Rois, & alij post eum in hac sententia planè fuisse referunt (eos enim ille non sine caussa cerebrũ debilitatum habuisse scribit) certe recentiores Scholastici, quibus ea placuit, pietatis cuiusdam prætextu hallucinati sunt. Nam cum nefas esse putarent sacramentis nouæ legis minorẽ efficiendi vim tribuere in animam, quam res naturales habeãt in corpora, in eam cogitationẽ venerunt, vt probabile putarẽt, res naturales nõ vere agere, sed Deum ex quadam quasi lege ad earum præsentiã, eodémq: modo se rem habere in cęterarum creaturarum actione. Hoc enim pacto rem belle confectam existimabant, siquidem id certum haud rectè putabant non alia ratione dici posse sacramenta agere nisi, quia Christus Dominus in sacramẽtorum institutione decreuerit se ad eorum præsentiam ea effecturum in anima, quæ nos sacramentorum effecta dicimus. Ita dum minimum, hoc est, incõsideratè pij esse volunt, in has ineptias incidunt. Quasi verò hæc cohærere non possint, & res naturales, & sacramenta nouæ legis esse verè efficientia, sed tamen illas naturaliter, hæc supra naturæ vires non ex lege tantum, sed ex vsu & applicatione peculiari diuinæ virtutis.

*Qua specie decepti recentiores.*

*Sacramenta nouæ legis vt agant.*

NEC minus ineptum est illud, tantundem atque amplius agere Deũ cum rem effecit cum caussa secunda, atq; cum eam solus efficit: plus enim re vera efficit, cum solus efficit, quandoquidẽ supplet causæ secundæ efficientiam, tametsi per accidens plus efficiat, cùm ad eam efficiendam vtitur causa secunda, quatenus eam conseruat, & cum ea concurrit, quæ duo non faceret si solus rem efficeret:

*Posita sententia, sacæ Scripturæ repugnat.*

NON est deinde verum magnificari magis hac sententia diuinã potẽtiam: maius enim est posse facere res quæ, & ipsæ in alias veram efficientiam habere possint, quàm eas tantum, quæ ineptæ omnino sint ad agendum. Denique tantum abest vt sacræ Scripturæ magis

Universidad de Deusto
Biblioteca



consentanea sit opinio hæc, vt vel maximè illi repugnet: Disertis enim verbis scriptum sæpè est in libris Sacris non solum creaturas agere, sed etiam vim agendi habere naturalem, diuinàque potestate nonnunquam impediri, vt Sapientiæ 16. cum de igne dicitur: *Ignis etiam suæ virtutis oblitus est.* Alia etiam hominibus tribuitur vis agendi supra naturam, veluti ad opera fidei & gratiæ, de quibus intelligitur locus ille à Gabriele adductus: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis*: mox enim subditur: *sed sufficientia nostra ex Deo est*: quasi dicat vis, ea opera agendi à Deo nobis supra naturam datur: *qui idoneos*, inquit, *ministros nos fecit noui testamenti non litera sed spiritu.* Itaque locus ille & actionem tribuit hominibus in verbo, *Cogitare*: & quod maius est & ab omni calumnia defendit, vim agendi in verbo, *Sufficientia*.

*Loca sacræ Scripturæ explicantur.*

*Sap.16.*

*2.Ad Cor.3.*

QVOD autè capite 12. de Deo ait: *Qui operatur omnia in omnibus*, & illud quod in persona Iustorum scriptum est: *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine*: & si omnibus creaturarum actionibus suo modo accommodari possunt (de solis enim operibus gratiæ directè intelliguntur) in eum tamen sensum accipi debent, vt significent nullum opus esse quod Deo non sit præcipue tribuendum. Alioqui quo pacto dicuntur opera nostra, quæ nos ipsi non facimus? Quo circa cùm dicitur: *Omnia opera nostra*: significatur concursus noster: cùm vero additur: *Operatus es in nobis Domine*: significatur & concursus Dei, & dependentia concursus nostri à diuino concursu. Sed de hac controuersia, Quo pacto Deus cum particularibus agentibus concurrat, proxima quæstione differemus.

*Esaiæ.26.*

*Res omnes creatas agendi vim habere.*

## SECTIO IIII.

*An res corporeæ vim habeant agẽdi.*

NVNC illud expendamus: Num res omnes creatæ agendi vim habeant: sunt enim qui solas incorporeas agere velint, corporeis autem patiendi quidẽ potestatem tribuant, agẽdi autem nequaquam. Cuius opinionis auctor dicitur Auicebron in libro Fontis vitæ, siue vt alij referunt de *Formis vitæ*. Eius præcipua fundamenta hæc sunt. Corpus non agit in spiritum: quia omne agens est præstantius patiente, vt omnes asserunt cum Aristotele 3. de Anima cap. 5. Vt autem agat in corpus tria impediunt: Vnum quantitas ipsa quę etsi passiua est, actiua tamen nequaquam. Alterum situs, siue locus diuersus: siquidem agens & patiens debent esse simul, duo autem corpora locum eundem occupare nequeunt. Tertium nimia distantia naturæ ac perfectionis corporum à Deo ob quam caussam agendi vim participare nequeunt, sed patiendi tantum. Id quod ex D. Augustino confirmari potest: ait enim *Deum esse mouens non motum, alias substantias spirituales esse mouentia mota: at corpora esse mota, sed non mouentia.* Sentiunt igitur huius opinionis sectatores, actionem qua corpora à corporibus moueri videntur non proficisci à corporibus, sed à virtute quadam spirituali creata, per corpora omnia penetrante: verbi caussa, aquam non calefieri ab igne, sed ab eiusmodi virtute, quæ cùm aquam penetret ad præsentiam ignis, illam

*Fundamenta Auicebronis.*

*Vt refert D. Thom.3.contra Gentil. cap.69.*

*Text.19.*

*Lib. 8. de Genesi ad litteram cap. 20. & lib. 5. de Ciuitate Dei cap.9.*



illam igni assimilat. Itáque malunt actionem corporibus negare, quàm (quod alioqui necessarium existimant) cum veteribus illis sentire, qui apud Aristotelem priori libro de Generatione asserunt corpora ea ratione agere in alia, quatenus alia se in alia insinuant per poros meatúsve, quibus omne corpus vsquequaque peruium esse volunt.

*Ca.8.tex.58.*

SED horum sententia primum quidem eisdem penè incommodis quibus superior euertitur: negat enim actionem rebus naturalibus quæ omnes corporeæ sunt, dum eis negat vires naturales ad agẽdum. Deinde eo absurdior est, superiori, quod ponit substantiam aliam spiritualem omnia penetrantem præter Deum. Si enim illa non semper est in omnibus corporibus, sed ex aliis in alia migrat, nõ omnia corpora pati poterunt eodem tempore: si verò semper est in omnibus, neque vnquam mutari potest, Deus vtique est, aut certè aliqua anima mundi, quam ponere ridiculum esse alibi patebit.

*Refellitur explicata sententia.*

*Absurdior superiori ostenditur.*

QVARE ad primum impedimentum, quod afferunt ne corpus possit agere, dicendum: quantitatem ipsam actiuam non esse, sed tamen non impedire actionem rei in qua est, nisi velis reflexam: fatemur enim cum auctore libri de causis, Nullum corpus esse ad se cõuersorium nisi obiectu alterius corporis, sed quidquid solitariè in se ipsum reflectitur, incorporeum esse: vt cum anima rationis particeps se ipsam intelligit: at non negamus corporibus actionem directam quam in alia corpora exercere optimè possunt.

*Soluuntur eius fundamenta.*

*Nullum corpus est ad se conuersiuum nisi obiectu alterius.*

AD secundum: non esse necesse vt agens corporeum in eodem loco sit cum eo quod patitur, sed vt simul sit, id est, contiguum, si modo agens non per aliud agat, vt faber per instrumentum: in eóque vehementer errasse veteres illos, qui corpora omnia ex inani & plend constare arbitrabantur, quod crederent non posse aliud agere in aliud nisi sese in illud insinuaret, velut aqua in cinerem: est enim id contra experientiam in solidis corporibus: non modo quia videmus illa non se insinuare in ea quæ patiuntur, sed etiam quia vt plurimum nihil substantiæ ab eis quasi effluit, vt in patientia se insinuare possint, tametsi interdum id acccidit, vt in rebus odoratis.

*Actio directa & reflexa.*

*Error veterum circa actionem.*

AD tertium, corpora non maximè omnium rerum creatarũ distare à Deo natura, & perfectione: plus enim distat materia prima, quæ vt nullum actum habet intrinsecum, ita nullam actiuitatem habere potest. Diuum autem Augustinum non sic esse intelligendum, quasi velit vnum corpus non mouere aliud corpus, siue non agere in aliud corpus: erat enim oppositum luce clarius, sed ita ac si diceret, totum genus corporum, non agere in aliquid quod non sit corpus, aut ad genus corporum pertineat: quemadmodum agitur à substantiis quæ non sunt corpora, sed generis cuiusdam superioris naturæ.

*Plus distat materia à Deo quam corpora. D. Aug. exponitur.*

SED quoniam ex hac quæstione constat res omnes creatas ac per se subsistentes agere, videndum iam est, Num tantam vim agendi habeant, vt etiam creare possint.

NVM

Universidad de Deusto
Biblioteca



# NVM RES CREATAE TANTAM AGENDI VIM HABEANT VT ETIAM CREARE POSSINT.

## QVÆSTIO VIII.

*Opinio Auicennæ, rationesque pro affirmatiua quæstionis parte.*

### SECTIO I.

AVICENNÆ opinio fuit Deum intelligendo essentiam suam, quæ omnino simplex est, naturaliter siue quadam naturæ necessitate creasse primam intelligentiam infra se: hanc autem intelligendo Deum, eodem pacto creasse aliam inferiorem intelligentiam: intelligendo autem se ipsam quatenus actus quidam est & perfectio, creasse formâ primi mobilis, quam censet esse animam, quemadmodum & cæteras formas orbium cœlestium, intelligendo autem se quatenus habet esse acceptum ab alio ac proinde aliquid potentialitatis creasse corpus siue materiam primi mobilis: intelligentiam verò secundam intelligendo hanc, creasse tertiam: intelligẽdo autem se ipsam creasse formam & materiam secũdi mobilis, quo pacto dictum est primâ creasse formâ & materiâ primi: atque ita rem processisse deinceps vsque ad intelligentiam motricem orbis Lunæ, quam vult creasse aliam quandam huius inferioris mundi siue elementaris gubernatricem: atque hanc creasse materiam generabilium & corruptibilium, datricémque esse omniũ formarum substãtialium: res enim naturales (etiam orbes cœlestes) cum agant per motum, nihil aliud agere posse quam disponere materiam, vt intelligentia illa vltima formam substantialem introducat. Meminerunt huius sententiæ D. Thom. prima p. q. 45. ar. 5. & clarius 2. contra Gen. cap. 21. Auen-Rois 12. Metaphys. com 18. & Alb. 2. Phys. tract. 2. ca. 3. & aliis locis, estque apud Auicennam 1. Sufficientiæ, cap. 10. tract. 9. suæ Metaphysicæ, cap. quarto.

*Libr. 1. suæ fuf. ca. 10. & tract. 9. suæ Metap. ca. 4.*

*Meminerunt etiam Scot. in 4. d. 1. q. 2. Alb. 2. Sent. d. 1. artic. 7. Capr. ibid. q. 3. lege etiam Damascenũ lib. 2. fidei orthod. c. 3.*

*Fundamenta Auicennæ.*

QVÆ autem Auicennam in hanc sententiam adduxerint, quod quidem attinet ad creationem (nam de eo quod putauit formas substantiales à sola intelligentia posse introduci, post disputabimus) hæc fortasse fuerint:

*Primum.*

PRIMVM, quod creaturæ immateriales, perfectiores sint materialibus: cum ergo materiales suo modo faciant sibi similes, non esse id negandum immaterialibus: At immateriales non posse aliter fieri quàm per creationẽ: posse igitur creaturas immateriales creare alias immateriales. Quod si immateriales creaturæ alias immateriales creare possunt: potiori vtique ratione posse creare materiales, quæ inferioris multóque minus perfectæ naturæ sunt.

*Secundum.*

DEINDE, quod agentis virtutem ex ratione rei faciendæ metiri oporteat, cum igitur omnis creatura non solum immaterialis, sed etiam materialis finitã habeat naturæ perfectionem, alioqui creatura non



non esset: ergo virtutem eius producendæ non repugnare creaturæ: neque enim virtus finita repugnat naturæ finitæ, sed sola infinita. Hæc inducere potuerunt Auicennam, vt creationem nõ esse creaturę impossibilem crediderit. Mittimus enim partem illam eius opinionis qua putauit hæc omnia facta esse naturæ necessitate, ac proinde à Deo non potuisse immediatè creari nisi vnũm quid, de qua re lib. 12. huius operis disputandum est.

*Argumenta alia addũtur pro eadẽ parte quæstionis.*

ADDI possunt argumenta alia ex iis, quæ tradũtur in sacra Theologia, vt tertium desumatur ex vi sacramentorum nouæ legis hoc pacto. Gratia & alia supernaturalia dona, ad quæ producenda ne tota quidem vis naturæ sufficit, creantur à Deo sacramentorum ministerio (nec enim educuntur de potentia animæ) possunt igitur Sacramenta, ac proinde creaturæ vt instrumenta creare. Quod si contendas dona illa non creari, quod in subiecto inhæreant, saltem hoc non negabis, posse à Deo produci sine subiecto: quod si Deus per sacramenta faciat, iam sacramenta Dei creantis instrumenta erunt.

*Ab humanitate Christi argumentum.*

QVARTVM ac postremum sit: Humanitas Christi quæ Deitatis coniunctum instrumentũ est, potest ministrare Deo in creatione, veluti in productione formæ humanæ aut Angeli (neque enim minoris potestatis videtur esse transubstantiatio, quæ fit in Sacræ Eucharistiæ ineffabili sacramento, quàm creatio) potest ergo creatura creare vt ministra, præsertim cùm transubstantiatio illa mirabilis quæ maius quippiam videtur esse, nõ modo Christi humanitati tribuenda sit, vt Deitatis instrumento coniuncto, sed & Sacerdotibus qui sunt non coniuncta siue vnita diuinæ eius operationis instrumenta.

*Creaturam non posse creare principaliter.*

### SECTIO II.

*Pars vera quæstionis explicatur.*

*D. Tho. 1. p. q. 45. art. 5. & 2. contra gen. cap. 21. & 2. Sent. di. 1. q. 1. articulo 3. Ægid. quodl. 5. q. 1. Scot. in 4. d. 1. Henr. de Gandauo quodl. 4. q. vl. Rich. in 2. dis. 1. quæsito 4. Alb. in 2. dis. 1. ar. 7. Capr. in 2. d. 1. q. 3. Gabriel. ibidem q. 4. Sententiam Magistri defendit Dur. in 2. d. 1. q. 4.*

DICENDVM est tamen nullam creaturam creare posse siue principaliter siue vt instrumentum, quæ est cõmunis Theologorum sententia, excepto fermè vno Sententiarum Magistro 4. Sent. dist. 5. qui putat, posse Deum communicare creaturæ vt creet, non tamen vt principaler agens, sed vt ministra.

*Creatura vt agens principale creare nequit. Probatur 1.*

QVOD enim principaliter creare nequeat (in quo etiam ipse Auicenna, teste D. Thoma consentit, etsi alij aliter de eo sentiunt) ex eo primum patet, quia cum dare esse sit vniuersalissimus effectus, dare esse per se primò efficienter, erit proprius effectus primæ causæ efficientis: oportet enim vniuersaliores effectus in causas vniuersaliores reducere: ac proinde vniuersalissimum, quatenus per se primò fit, soli primæ causæ efficienti tribuere: quare cùm esse nunquam detur per se primò ab efficiente, nisi in creatione (siquidem in omni alia effectione semper aliquod esse rei efficiendæ præcedit completionem siue absolutionem illius) sequitur nullam creaturam per se primò creare posse, ac proinde principaliter. Quam rationem à D. Thoma propositam, ingeniosè contra Scotum defendit Caietanus.

*Secunda.*

DEINDE quia si creatura creare posset vt causa principalis haeretb

beret virtutem infinitam simpliciter, ac proinde essentiam infinitè perfectã: at hoc repugnat creaturæ. Qua etiam ratione vtitur D. Tho. in solutionibus argumentorum eiusdem loci. Prior sequela quæ sola probatione indiget & in qua tota est difficultas, probatur & penè demonstratur ex virtute seu perfectione agentiũ hoc pacto. Quanto id ex quo aliquid fit est elongatius ab actu: tanto in agente requirit maiorem perfectionem, vt vno, aut certis numero actibus & certa durationeex ipso illud fiat: quo pacto maiorem perfectionem caloris requirit in calefaciente lignum viride, vt perfectè exsiccetur vnius horæ spatio, quàm semisiccum: atqui id ex quo res creatur, ita est elongatum ab actu, vt superet omnem aliam elongationem quæcumq; excogitari potest: requirit igitur in creante saltem principali virtutem infinitam simpliciter. Dixi vno aut certis numero actibus & certa durationeː quia pluribus actibus aut longiori tempore potest interdum agens causſare actum æquè perfectum ei, qui ab æquè perfecto agente, aut etiam perfectiori paucioribus actibus, & breuiori tempore causſatur, quo pacto aër tepidus æquè siccare potest viride lignum multis mensibus atque calidus mense vno. Dixi quoque, *infinitam simpliciter*: quia infinitum in toto entis genere non in hoc aut illo tantùm: id enim poscit ratio productionis ex nihilo. Atque hoc modo potest maior propositio huius argumentationis inductione ostendi. Minor autẽ ex eo probatur, quia res quæ creatur fit ex nihilo, nihilum autem ita est elongatum ab actu ad quem creatio terminatur, vt superet omnem aliam elongationem ab actu quæcunque excogitari potest. Nihil enim aliud est elongatum ab actu aliquo nisi creatura, cùm solus actus purus, qui est creator aut formaliter, aut eminenter complectatur omnem actum: at inter quamlibet creaturam & actum ad quem perduci potest, est aliqua proportio, quæ tamen nulla est inter nihil & actum quicumque ille sit, & quantumcumque remotus à perfectione actus puri, siue actus increati: nulla enim datur proportio inter nihil, & aliquid, vt perspicuum est: consequentia verò similis est ei qua vtitur Aristoteles 4. Phys. c. 8. vt probet nihil graue aut leue posse moueri naturaliter in vacuo. Hæc enim est vis totius demonstrationis. Quanto medium plenum est rarius, tãto naturalis motus rei grauis, aut leuis in eo est celerior, at vacuum excedit omnem raritatem medij pleni, quæcumq; demum excogitari possit: ergo talis motus in eo factus erit infinitæ celeritatis; ac proinde fiet in non tempore: & (quod hinc sequitur) non erit motus. Non potest igitur graue aut leue, vt tale est, moueri in vacuo si detur: quo pacto intelligenda est cõclusio Aristotelis, vt perspicuum est, non de quouis motu, vt deambulantis in domo vacua, &c. Ita patet nullam creaturam posse creare vt agens principale.

*1. p. q. 44. artic. 3. 2. loco proximè citato.*

*Virtutem infinitam requiri ad creandum.*

*Inter nihil & actũ nulla est proportio.*

*Exponitur Aristotelis demonstratio.*

*Obiicitur cõtra posteriorem rationẽ.*

SED contra posteriorem rationem huius conclusionis sic aliquis obiiciat. Quod quædam videamus indigere maiori virtute agentis, vt ex iis aliquid fiat, propterea accidit quod habent aliquid magis repugnans actui introducendo ab agente, vt lignum viride quod in exemplum allatum est, quia habet plus humoris resistentis siccitati introducendæ, quàm quod semi siccum est: at in nihilo nulla est resistentia, igiturnon est, cur indigeat infinita virture, vt ex eo aliquid fiat.



VERVM ad hanc obiectionem dicendum, quod aliqua indigeant perfectiori virtute agentis, non solum prouenire ex resistẽtia patientis, sed ex alijs etiam causſis quas omnes nomine elongationis ab actu comprehendimus. Nam quod puer expers omnino Mathematicæ indiget perfectiori magistro, & eleuatiori intellectu, qui internus magister est, vt certis numero actibus assequatur scientiam conclusionum, quam vt assequatur cognitionem principiorum, ex quibus illæ demonstrantur, non ex eoprouenit quòd maiorem repugnantiam habeat ad actualem notitiam conclusionum, quàm, principiorum, sed ex ordine ipso discendi, quo prius saltem natura debet intelligere principia, quàm conclusiones: hinc enim fit vt perfectiori magistro & eleuatiori intellectu opus habeat, vt viginti actibus assequatur scientiam certi numeri conclusionum, quàm eorum principiorum tantum, ex quibus illæ demonstrari possint: minus enim virtutis requiritur ad explicanda & intelligenda viginti actibus principia ipsa in se, quàm ad intellígendas in illis conclusiones quæ ex eis deducuntur: angelicum enim propè est videre in ipsis principiis conclusiones, & eleuatissimi ac capacissimi intellectus, quod tamen quibusdam magis minúsve accidere, non dubium est. Nihil ergo refert, quod in nihilo nulla sit resistentia, nedum infinita, vt infinita virtute ad aliquid ex eo efficiendum opus sit, sed satis est, quod sit infinitè elongatum ab omni actu, immò & ab omni potentia, cum superet omnem datam elongationem quæcumque in rebus excogitari potest. Nec pluribus argumentis pro hac conclusione opus est, cum de ea nemo laboret.

*Soluitur argumentum.*

*Cuius intellectus sit in principiis cõclusiones videre.*

*Neque vt instrumentum quoque creaturam creare posse.*

## SECTIO III.

QVOD autem creatura nec vt instrumentum creare possit ea ratione probatur: quia instrumentum non assumitur ad quicquam efficiendum nisi aliquam veram & propriè dictam operationem in ipsa effectione habeat, aut virtute propria qualem habet securis in effectione scamni propter pondus iuncta duritie & acumine, & calor item animalis in generanda carne (calefaciendo enim id facit) aut solum virtute principalis agentis, qualem habuit lutum, quo Christus Dominus cæco à natiuitatem facultatem videndi dedit, & habent sacramenta nouæ legis in infusione gratiæ: quo pacto aut exponi aut suppleri debet propositio illa, qua in re hac vtitur D. Thomas in loco citato vt vera sit *omne instrumentum agere debere dispositiuè ad actionem principalis agentis*, dispositiuè enim videtur accepisse pro eo quod est vera actione, sed ministeriali: atqui nulla creatura potest habere veram operationem

*Instrumenta aut virtute propria, aut solum virtute principalis agentis quo modo agant.*

*Ioannis 9.*

*Diui Thomæ dictum exponitur.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



in creatione rei cuiusquam: non potest igitur vt instrumentum creare. Propositio ex eo probatur, quia alioqui frustra res assumeretur vt instrumentum: neque enim iam agens principale ea vteretur vt cooperatiua sibi, sed solum fortasse vt signo quodam suæ operationis.

*Creatio non supponit subiectum, sed producit.*

Assumptionem verò ex eo probant nonnulli, quia omnis operatio creaturæ supponit subiectum: res autem creanda non fit ex subiecto. Sed apertissimè sumant id quod probandum erat. Constat enim inter omnes, operationem quæ est creatio, non supponere subiectum, sed producere: vnde illud negant aduersarij omnem operationē creaturę supponere subiectum. Quod si vrgeant non minus pendere operationem creaturæ à subiecto, quàm ab efficiente, forma & fine: at non posse non supponere efficiens, formam & finem, à quibus vel secundum executionem, vel secundum intentionem proficiscatur, ergo nec subiectum in quo recipiatur: eadem ratione negabitur maior ab aduersariis, siquidem creatio à quocumque proficiscatur non indiget Subiecto: cùm sit productio rei per se existentis.

*Probatur, creaturæ veram operationem dari non posse in creatione.*

Probanda est igitur assumptio primum ex infinitate virtutis: quo argumento vsi sumus ad probādum non posse creaturam creare principaliter: æquè enim valet ad hoc atque ad illud concludendum, seu virtus sumatur per modū habitus, vt in calore ad calefaciēdum, seu per modum vsus seu ministerij, vt in sacramentis nouæ Legis ad infusionem gratiæ & aliorum donorum supernaturalium. Probatio autem est huiusmodi. Etiam in agente instrumentali illud est verum maiorem requiri virtutem, vt aliquid efficiat ex remotiori potentia quàm ex minus remota: instrumentum enim siue per modum habitus virtutem instrumentalem habeat, siue per modum ministerij perfectius agit concurrendo cum agente principali in reducenda ad actum remotiori potentia quàm minus remota, vt apertum est: at iam est probatum id ex quo res creatur (vt pote nihil) remotius esse ab actu, quantumcunque remota potentia aut esse aut fingi potest: habet igitur creatura, si aliquid ex nihilo instrumentaliter producit virtutem efficiendi, quæ superet omnem aliam virtutem inducit virtutem efficiendi, quæ superet omnem aliam virtutem instrumentalem quæcunque dari potest ac proinde infinitam, idque non potentia tantum, sed actu, quod impossibile esse præcipui Theologi cum Aristotele sentiunt, & alibi ostendendum est.

*Dari actu virtutē creatam infinitam est impoßbile.*

*Virtus producendi ex nihilo, quid primo respiciat.*

Deinde ex amplitudine virtutis, agentis aliquid ex nihilo hunc in modum. Virtus producendi aliquid ex nihilo terminatur primo ad creabile, quatenus creabile est: potest igitur creare omne creabile: quare si creatura quocunque modo haberet virtutem producendi aliquid ex nihilo: posset haud dubie se ipsam creare, quod fieri nequit. Qua ratione vsi sunt plerique Patrum, iique grauissimi contra Arrium, asserentem Verbum diuinum, quod creaturam esse, asserebat, ministrasse Deo in creatione mundi. Si enim, vt aiebant fuisset instrumentum faciendi res ex nihilo cum & ipsum ex nihilo factum dicas: potuit igitur se ipsum ex nihilo facere.

*Argumentū Patrū contra Arrium.*

*Obiicitur cōtra positam rationem.*

Sed obiiciat aliquis consequentiam hanc planè vitiosam esse Patrésque piè magis quàm aptè ea vsos fuisse. Datur enim in simili, conclu-



cludendi forma antecedens verum & consequens falsum. Nam virtus principaliter creandi quæ in Deo est, terminatur primo ad ens quatenus ens, vt Theologi volunt, Deus autem & si ens est, non potest tamen se ipsum creare. Item potentia generandi quæ in homine est, terminatur primo ad hominem quatenus homo est: & tamen is qui generat, homo cùm sit, non potest se ipsum generare.

Ad hæc, et si consequentia esset apta, id tamē verum nō est quod in ea sumitur: nempe virtutē producēdi aliquid ex nihilo, terminari primo ad creabile quatenus creabile est. Nam etsi rectè dicitur de potentia productiua principali, & (si quis velit) de ea etiam instrumentali quam quis fingat propriam instrumento, & quæ in eo existat per modum habitus (erunt enim fortasse qui hac in re sint liberaliores) tamen de instrumentali per modum puri ministerij, ea ratione falsum apparet, quia cùm huiusmodi vis instrumentalis non sit propriè virtus, sed vsus virtutis quæ in principali agente est, nec quilibet etiam, sed limitatus per assumptum instrumentum: non mirum est si non terminetur primo ad creabile quatenus creabile est, sed ad creabile per illud. *Secundo.*

Pro solutione prioris obiectionis illud primum animaduertendum est, cùm potentia producendi aliquid ex nihilo siue creandi terminari nequeat ad id quod creabile non est (creatiuum enim & creabile correlatiua sunt & simul se ponunt ac tollunt, vt est luce clarius) necessariò concedendum esse primum & adæquatum terminum potentiæ creandi esse creabile seu creaturam. Verum quia in omni re creabili includitur ens quod commune est creabili & increabili, quódque vt participatur, in creautra creabile etiam est: propeterea sæpè à Theologis ac Philosophis dici, creationem esse productionem qua per se primo producitur ens vt ens est: non quòd terminetur ad illud adæquatè, sed quia illud est primum ratione quod in creatura per creationem incipit esse: prius enim ratione datur per creationem, vt res sit, quàm vt talis sit: quia in creatione nullum eius esse supponitur, & superiora sunt ratione priora generationis ordine, quod non accidit in generatione. Nam cum in ea semper aliquid rei generandæ supponatur, ac proinde res generanda aliquo modo iam sit antequam generetur, id quod per se primo illi aduenit per generationem, non est esse, sed esse tale, vt esse hominis aut lapidis. *Notandum.*

Deinde animaduertendum, cum creatio dicitur *productio entis vt ens est, seu quatenus ens*, non esse particulam *quatenus*, sumendam reduplicatiuè quasi ens quia ens sit, creetur, hoc est quia ex ipsa natura siue ratione entis habeat quod sit creabile (id enim planè falsum esset, vt ex quo sequeretur, Deum esse creabilem) sed specificatiuè, seu declaratiuè, vt intelligatur id quod per se primo incipit esse in re quæ creatur, esse ipsum rei esse, non esse, huius tantum, aut illius generis naturæve specialis. *Quomodo accipiendum sit creationē entis, vt ens est.*

Quare ad obiectionē, negandum est cōsequentiam de qua est controuersia, vitiosam esse, Patrésve non rectè ea vsos fuisse. Nam *Spiritur primum contra rationem Patrum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



quod ab eis sumitur,virtutem principaliter creandi quæ in Deo est terminari primo ad ens,vt est,negandum est, si particula *(primo)* sumatur pro ( adæquatè ) & particula (*vt*) reduplicatiuè , quo tamen pacto sumebatur in argumentatione quæ impugnatur: Eodem modo respondendum est ad exemplum de potentia generandi hominem:nam etsi eiusmodi potentia, vt eam Plato in homine separato finxisse dicitur, terminaretur adæquatè ad hominē generabilem, & homo generabilis, quia talis est, ab illo gigneretur,re tamen vera nec daretur in homine vllo existente in rerum natura potentia generandi quæ terminetur adæquatè ad hominem generabilem,nec homo generabilis,quia talis est, ab vllo homine generatur:& si omnes generabiles etiam secundum communem naturam hominis gignantur, immo prius natura & consideratione nostra quàm secundum naturas ipsorū particulares:si enim homo, quia homo est adæquatè ab homine aliquo gigneretur,tunc demum sequeretur,hominem in quo talis potentia esset, seipsum generare posse,quia nullus datur qui generabilis non sit. Ita quod D. Tho. in loco citato colligit. Vnde & alibi rectè ait causas vniuocas quodammodo non esse causas,sed instrumenta superiorum causarum.Nec sanè alia ratione, nisi quia earum effecta non caussantur ab eis vniuersè quatenus eandem communem naturam participant , sed vt possunt ex hac aut illa materia fieri.

*Platonis figmentum.*

*Soluitur secundum contra eandem.*

Ad posteriorem obiectionem dicendum est:virtutem producēdi aliquid ex nihilo quocunque modo ponatur , dummodo ex hoc addatur quo ipsa euertatur , terminari adæquatè ad creabile: quia creabile est, ac proinde posse in omne creabile,Nā ex eo ipso quod admittitur posse aliquid facere ex nulla potentia; conceditur ei tanta vis agendi, vt quatenus sic agit, à nullo subiecto in quod agat, limitetur:quod si eo pacto à nullo subiecto limitatur, ergo non ex nilo facit quicquid factibile est. Hac ratione sapienter vtitur D.Tho. & grauissimi quique Scholastici ad probandum Angelos non posse sibi similes producere: si enim possent (vt argumentantur) cùm id non præstarent producendo ex aliquo , à quo eorum vis agendi limitaretur, sed ex nihilo possent vtique quemlibet Angelum producere,ac proinde quilibet seipsum. Nec iam hic habet locum distinctio illa de virtute producendi ex nihilo, in eam quæ propria virtus ac potentia dicitur , & per modum habitus inest : & in eam quæ est vsus quidam seu ministerium, quasi hæc consequentia sit apta,sumpta potentia priori modo,non posteriori: dum enim concedis virtutem , vtrouis modò ea sumatur, posse aliquid ex nulla potentia, iam ea ex parte admittere cogeris posse in omne creabile: quod si alia ex parte colligas non posse in omne creabile , nempe quia instrumentum creandi seipsum creare non potest , quemadmodum nulla omnino res seipsam producere , rectè id quidem facies,sed memento ex duobus imcompossibilibus opposita colligi: nunc autem ita res habet,vt etsi virtus faciendi aliquid ex nihilo, ipsa per se sit possibilis , vt præcipui etiā philosophi docent & fides orthodoxa tradit,

*Cur Angeli nequeunt producere sibi simile.*

*Ex duobus incompossibilibus opposita colligi.*

& virtus



& virtus ea instrumentalis quæ vsus seu ministerium potius appellari debent,ipsa quoque per se sit possibilis,vt de virtute sacramentorum præcipui Theologi asserunt, rationes tamen vtriusque simul sunt incompossibiles. Itaque iam potentiæ creandi adiungis aliquit incompossibile , nempe quod sit ( vt ita dicam ) ministerialis quod fieri noullo modo potest.Vnde non mirum est,si ex ea coniunctione oppositā sequantur. Patet igitur propositas obiectiones vim nullam habere.

*Al ia ratio a principaliter assertionem de improbandam.*

Addvnt nonnulli & hanc aliam rationem pro eadē conclusione, sumpta virtute creandi pro virtute existente in creatura per modū habitus: hoc pacto.Si creatura seu principaliter seu instrumētaliter creare posset,æque facilè esset virtuti creatæ producere aliquid ex nihilo, atq; ex aliquo:hoc autem esset absurdissimū,ergo & illud: sequela probatur. Demus virtutem A, finitam producere aliquid ex aliquo:B verò finitam per te producere aliquid ex nihilò:certè cum quælibet duæ virtutes finitæ habeant proportionem inter se quoad facilitatem , aliqua facilitatis proportio erit inter datas virtutes:sit igitur illa huiusmodi,vt virtus quæ ex aliquo producit triplo faciliùs rem conficiat , quàm quæ producit ex nihilo : At inter virtutes producentes aliquid ex aliquo potest dari aliqua , quæ sub tripla facilitate producat suum effectum ex aliquo: æque igitur facilè produceet talis virtus suum effectum , atque ea quę posita erat producere aliquid ex nihilo.

*Qualibet duæ virtutes finitæ proportionem habēt inter se.*

*Vltima ratio pro eadem conclusione quæ vniuersè institutum colligit.*

Denique addi potest ratio hæc, quæ vniuersé rem conficit.Si Deus per creaturā creare posset:nullam actionē haberet ita sibi propriam , vt eam creaturæ communicare non posset. Nā quædam sunt actiones quas Deus non nisi per creaturas exercere potest, vt videre, ambulare,& cætera opera vitalia finita,quę necessario procedere debent effectiuè à principio intrinseco viuentis creati:alioqui iam non essent vitales. Aliæ sunt quas Deus,& per creaturas,& se solo facere potest,vt calefacere,illuminare,& similes: atque in his duobus generibus actionum comprehenduntur omnes , quot quot per creaturas effici possunt,siue virtute illis data per modum qualitatis permanentis siue per modum vsus ac ministerij.Nisi ergo ita solus Deus crearet,vt ei nulla creatura in eo opere ministrare posset nullum omnino opus ita esset proprium Deo, vt creaturæ non posset communicari: quod sanè indignum est diuina excellentia:si quidem in rebus etiam creatis quædam sunt opera perfectiorum, quę ne diuina quidem virtute possunt inferioribus communicari etiam instrumentaliter, vt lapidi aspectus, & bestiæ intelligentia.

*Duo actionū genera vitales semper à principio intrinseco.*

*Aliæ à solo Deo & per creaturas.*

*Vide in eandē Damasc. llb. 2.fid. orthod. cap.3.*

Est igitur ita proprium Deo creare , vt nulla creatura etiam vt instrumentum id facere possit. Quo pacto intelligendus est D. August.9. libro in Genesim ad litteram capite. 15. Cum ait *nullam creaturam posse creare quippiam seu magnum, seu paruum.* Itémque *creare vllam creaturam tam nullus,* inquit , *potest angelus, quàm nec se ipsum.* Nam de creatione instrumentali id intellexerant priores omnes Patres qui Arrianam hæresim ante impugnarant , cùm verisimillimum sit,

*Creare solius Dei est. Epilogus D. Aug. exponitur*

Universidad de Deusto
Biblioteca



ne in Ethnici quidem vllius philosophi mentem vnquam venisse, creatum aliquid posse principaliter creare. supereſt igitur, vt ea quę pro altera quæstionis parte proposita sunt diluamus.

*Solutio argumentorum affirmatiuæ partis.*

## SECTIO IIII.

*Soluitur primum argumentum pro opinione Auicennæ ad ductum.*

AD primum dicendum, germanam rationem propter quam creaturæ spirituales non possunt facere alias sibi similes eam esse, quia facerent eas ex nihilo, quod est potentiæ infinitæ, vt ex dictis patet: vnde nihil refert quod corporales etsi inferioris perfectionis ac virtutis sint sibi tamen similes faciant: Cum enim materia constent, possunt vtique ex aliqua sui parte existente fieri.

*Soluitur secundum pro eadem.*

AD secundum, non ex sola ratione facti, sed ex modo etiam faciendi metiri oportere virtutem agentis: quamuis autem omnis res creata finitæ naturæ ac perfectionis sit, nec ea ex parte exigat in producente virtutem infinitam: tamen si debeat ex nihilo produci, necessario dandam esse in producente infinitam virtutem siue producens principale sit, siue (quod fieri nequit) instrumemtale, vt dictum est.

*Tertium ex Theologia deductum solui tur.*

AD tertium rectè occurrebatur dona illa supernaturalia non creari, non quidem ratione illa quia non educantur de potentia subiecti (quamuis enim non educantur de potentia naturali, ac proinde simpliciter & absolutè dici non soleant eduici de potentia subiectorum educuntur tamen de potentia obedientiali) sed quia nec producuntur sine subiecto, nec sunt ex genere eorum quæ possunt naturaliter existere sine subiecto: vnde & in fieri & cõseruari à subiecto pendẽt: ac proinde ex eo (Saltem natura præexistente) fiunt: vnde efficitur vt in iis producendis sacramenta diuinæ virtuti cooperari possint.

*Accidẽtia spiritualia creẽtur nec ne, cũ in subiecto, vel extra à Deo producantur.*

Quod si Deus ea efficiat sine subiecto (quod nihil repugnat) non desunt qui dicant etiam tum fore, vt sacramentorum ministerio fieri possint, supplente nimirum Deo causalitatem subiecti: non quidẽ in genere causæ materialis quod imperfectionem dicat, sed in genere causæ efficientis, quod nullam importat imperfectionem quo pacto nunc eam in eis conseruandis suppleri volunt. Ita dicunt fore tunc, vt Deus cõcurrat cum sacramentis, & tanquam causa efficiens vniuersalis, vt modo concurrit, & tanquam particularis, quæ noua efficientia suppleat materialem causalitatem subiecti. Quod quidem si verum est, nemo dubitauerit sacramenta creare posse partialiter cum Deo concurrendo, quemadmodum Sol partialiter crearet lumẽ si Deus in eo instanti, quo lumen à Sole producitur annihilaret aërem, in quo producendum esset, & suppleret eius causalitatem materialem non quidem per nouam causalitatem materialem (quod putant fieri non posse) sed per nouam efficientem qua non concurreret si lumen in aëre produceretur.

*Quid nonnulli sentiant de accidentibus productis extra subiectum.*

*Improbatur eorum explicatio.*

VERVM hæc non dicuntur rectè. Primum quia causalitas vnius generis non potest suppleri per causalitatem alterius generis, quia sunt



sunt disparatæ, nec fieri potest, vt effectus proprius vnius attribuatur alteri, vt inferius patebit.

*Quo pacto Deus supplet causarum secundarum causalitatem.*

DEINDE, quia Deus non potest supplere vllam causalitatem causæ secundæ, quatenus eius causalitas dicit imperfectionem, alioqui posset efficere, vt aliquid esset informatum sine forma informante, aut informaret sine subiecto, aut esset factum motúmve per contactum sine agente corporali. Oportet igitur in causalitate materiali aliquam rationem quærere, quæ non dicat imperfectionem, vt à Deo suppleri possit: Ea verò erit, quatenus materia concurrit ad effectum formæ: causat enim reuera esse omnium formarum, quæ non possunt per se existere naturaliter. Cum igitur hæc causalitas non egrediatur limites causalitatis materialis: non est cur Deus eam supplere nõ possit in ipso genere causalitatis materialis Idẽque proportione seruata dicendum erit si Deus suppleat causalitatem formæ in conseruanda materia sine forma, aut etiam producenda: & cum supplet causalitatem efficientium naturalium efficiendo sine causis naturalibus aliquid factibile per causas naturales: supplet enim causalitatem cuiusque non in disparato genere, sed in proprio illius generis causæ: sublata tamen imperfectione.

*Quid ad exẽplum Solis ut argumẽto ad ductum dici debeat.*

ADDE, exemplum Solis qui cum Deo partialiter creare posse lumen fingitur, præterquam quod sumit, quod probandum erat, non esse ad rem: Sol enim si ad creationem luminis cum Deo concurreret, non concurreret illo eodem actionis genere quo foret productus lumen in aëre, immo ne Deus quidem illa eadem actione concurreret, qua foret cum illo lumen in aëre producturus (vtraque enim actio foret naturalis & supponens subiectum, immo vna & eadem, vt patebit ex quæstione proxima) sed vterque alia quadam toto genere diuersa: immò nec actione quidem propriè, sed simplici quadam emanatione, quo pacto creatio est actio. Nihil est igitur ad rem afferre actionem Solis ad creationem luminis, & optare tantum vt Deus in instanti quo lumen naturaliter producendum sit, annihilet aërem & suppleat eius causalitatem sustinendo lumen quocunque velint causalitatis genere: nisi fortè eis placeat Deum supplere causalitatem materialem aëris, non solum quatenus aër lumen sustinet in suo esse, sed etiam quatenus recipit, quod & fieri non potest: iam ea productio non esset creatio, sed effectio ex supposito subiecto.

*Sacramenta nequeũt concurrere ad productionẽ gratiæ extra subiectum.*

POTIVS ergo dicendum est ad posteriorem partem tertij argumenti posse quidem Deum qualitates illas supernaturales producere extra subiectum: verum si id faciat, nullo pacto ad id posse sacramenta concurrere.

*Soluitur quartum de humanitate Christi.*

AD quartum negandum est, quod sumit, nempe humanitatẽ Christi (seu malint animam Christi quæ potest per se existere) posse creare instrumentaliter, quantumcunque diuinitati coniuncta sit: tametsi non dubitem fore ex recentioribus Theologis plus æquo liberales diuinæ potentiæ assertores, qui id admittendum censeant. Quod enim obiiciunt ex cõuersione illa mirabili, quæ fit in sacra Eucharistia,

*Animã Christi non posse esse instrumẽtũ creationis.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



stia, nihil concludit. Nam etsi omnia quæ fieri possunt æquè sunt Deo facilia: si tamen effectus ipse spectetur, maius est quiddam ex nihilo aliquid facere, quàm quod iam est in aliud conuertere: quod familiare argumentum etat Patribus, vt Ambros. lib. 4. de Sacramentis, cap. 4. & aliis ad probandam transsubstantiationem. Sic enim argumentabantur: Potest Deus creare quod non est ergo potiori ratione aliquid existens in aliud existens conuertere. Ita patet. nullam creaturam etiam instrumentaliter creare posse: cuius oppositum probabilius putauit Sententiarum Magister vt suprà diximus, ea ratione defensus à Durando in eundem locum quæst. 4. quatenus ostendere sibi videtur, argumenta omnia quibus probari solet creaturam nullo modo creare posse, nihil concludere. Num autem creaturæ tantam vim habeant, aut habere possint, vt non indigeant immediato concursu primi efficientis ad agendum, id nunc discutiendum.

*Epilogus quæstionis.*

## NVM RES CREATAE AGANT AVT AGERE POSSINT NON CONCVRRENTE IMMEDIATE AD ACTIONEM primo agente.

## QVÆSTIO IX.

*Opinio Durandi & argumenta pro negatiua quæstionis parte.*

### SECTIO I.

*In 2. Sent. d. 1. q. 5.*

*Argumenta pro Durandi opinione.*

DVRANDVS etsi superiori quæstione videtur vacillare, in hac tamen ingenuè tuetur affirmatiuam partem his duobus argumentis.

*Prior minoris pars ostenditur.*

SI primum agens immediatè ageret cum creatura agente: aut eadem numero actione ageret, aut diuersa: at non potest eadem, nec diuersa, ergo nulla potest. Maior patet. Prior pars minoris probatur. Primum, quia actio creaturæ cum non excedat eius virtutem, potest ab ea sola proficisci, modò creatura eiusque virtus à primo agente conseruetur: quo fit vt superuacanea sit actio Dei si creatura adsit. Deinde quia vna numero actio non potest immediatè prouenire à pluribus agentibus, nisi vel imperfectè proueniat à singulis, vt tractus quo multi simul nauem trahunt, à singulis trahentibus, & lumen quod à multis lucernis simul producitur, ab earum singulis: vel certè in omnibus agentibus simul concurrentibus sit eadem numero virtus, à qua proficiscatur actio, vt in tribus personis diuinis eadem virtus creandi: tametsi Durandus vtitur exemplo virtutis spiratiuæ, quæ eadem est numero in patre & filio. Cum igitur actio creaturæ perfectè proueniat, aut prouenire possit à creatura, vt productio ignis ab vno numero igne (neq; enim excedit virtutem creaturæ) & omnis actio primi agentis perfectè ab illo proueniat, nec verò eadem numero virtus agendi aut fit aut esse possit



possit in primo & secundo agente: fieri non potest vt Deus & creatura simul perfectè agant aut agere possint eadem actione numero. *2. pars minoris probatur.*

Quod autem nec diuersa (quæ erat posterior pars minoris) ex eo probatur, quia aut vna prius quàm altera attingeret effectum, aut simul: non priùs quidem: quia nihil fieret per alteram, (neque enim dici potest vnam partem formæ introductæ esse à Deo, alteram à creatura, cum de hoc sit quæstio.) Numquid creatura aliquid agere posit ad quod primum agens non immediatè concurrat? Nec verò simul, tum quia altera superuacanea esset cùm altera sufficiat, tum etiam quia vbi terminus actionis est vnus, non possunt actiones esse diuersæ: cùm actiones sint idem re cum suis terminis: ergo id fieri non potest diuersis actionibus.

*Secundum argumentum pro Durãdo.*

PRÆTEREA ordo agentium respondet ordini finium: at vnius rei non possunt esse duo fines immediati & perfecti: ergo nec duo agentia, nisi fortè supplerent vicem vnius agentis perfecti, quo pacto dari possunt duo fines immediati. Ita concludit, ea quæ fiunt à primo agente mediantibus secundis agentibus, non fieri immediatè ab illo, quemadmodum hoc ipsum verbum (*mediantibus*) significat.

*Tertium argumentum.*

HINC tertium hoc argumentum desumi potest. Primum agens agit plurima mediantibus secundis agentibus: at non potest agere iis mediantibus secundum præsentiam, quasi ipsum non sit immediatè præsens, sed ea tantum quibus mediantibns agit (est enim Deus vbique præsens) igitur ea ratione dicitur agere mediantibus secundis, quia agit mediante eorum actione, hoc est, quia Deus non agit cum iis, sed ea earúmque agendi virtutem conseruat: ita vt nihil aliud sit agere Deum mediatè, quàm actionem creaturarum propter dependentiam earum à Deo, & quoad essentias, & quoad virtutes operatiuas illius attribui.

*Quartũ argumentum.*

QVARTVM argnmentum pro hac quæstionis parte hoc esse potest. Aut concursus immediatus primi agentis cum secundis est necessarius, vt compleat eorum virtutem (quia nimirum virtus creaturæ non sit per se ad agendum sufficiens) aut vt ea ad agendũ moueat: aut vt ea determinet ad certam actionem (neq; enim alia ratio videtur esse posse eiusmodi concursus) at non est necessarius vt compleat virtutem secundorum agentium: quia hæc per virtutes proprias sunt in actu primo (& quod hinc sequitur) per se sufficientia ad agendum: neque item vt ea ad agendum moueat, siquidem in naturalibus causæ secundæ superiores mouent & quasi excitant inferiores ad agendum, quo pacto Sol exoriens mouet quædam animalia ad quærendum cibum, alia verò ad quærenda latibula: & Luna cùm eleuatur in nostro hemisphærio mouet mare vt fluat ad nos, cùm deprimitur, mouet vt defluat: in voluntariis autem, ipsum agens liberum sese mouet ad agendum: alioqui si à primo agente moueretur, non liberè sed necessario ageret more agentium naturalium: nec deniq; vt ea determinet ad certam actionem: quippe cùm naturalia suaptè natura determinata sint ad hunc vel illam actionem, saltem pro ratione patientium quibus applicantur: quo pacto calor indurat lutum & liquefacit cera: tabulam

*Sol & Luna quo moueãt.*

ram, libera autem seipsa determinant: alioqui aut nulla actio esset peccatum, aut Deus esset peccati caussa, non est igitur vllo modo necessarius immediatus concursus primi agentis cum secundis.

*Arist. in lib. de Mundo vltrà mediũ libri, vbi plura in eandem sententiam.*

In hac sententia videtur esse Aristoteles, qui in libro de Mundo ad Alexandrum ità inquit. Sed tamen quatenus diuinum numen ad omnia transire aptum est, & nostra æquè succedent: quæ autem supra nos continentur pro ratione propinquitatis aut longinquitatis illius maiorem aut minorem capiunt vtilitatem. Itaque rectius est iudicare, quod etiam conueniens & Deo maximè decorum intelligitur, in cœlo virtutem esse constitutam, & plurimùm remotis, vt vno verbo rem absoluam, & omnibus in vniuersum salutem afferre, quàm penetrare, & eo frequenter accedere, vbi nec honestè, nec liberaliter ipsa per se conficeret quæ apud nos essent. Hæc Aristoteles. Itaque eius sententia, minimè decet Dei maiestatem, vt ipse per se descendat ad quaslibet etiam vilissimarum creaturarum actiones, & quasi socium se earum in agendo præbeat & adiutorem: præsertim cum adiutoris officium Firmianus Lactantius Deo minimè conuenire asserat.

*Arist. pro eadem sententia.*

*Lactantius.*

*Philo.*

Quinetiam Philo Alexandrinus adeo alienum videtur credere à conditione primi agentis quod concurrat cum inferioribus agentibus, vt dicat solum Deum nec mouere, nec moueri: quibus verbis solam creationem & conseruationem rerum primo agenti tribuere videtur vt propriam eius actionem quæ motus dici non potest, vt cætera quæ suppositio esse rerum fiunt in mundo, per causarum secundarum actionem administrari existimet.

*Deum immediatè agere cum omni agente creato.*

## Sectio II.

*Refellitur opinio Durandi ex multis sacræ Scripturæ locis.*

Est tamen Durandi opinio aut erronea, aut errori proxima, & philosophiæ principiis si quis rectè attendat, haud consentanea. Quod enim Deus immediatè concurrat ad omnem creaturæ operationem, ex multis locis diuinæ Scripturæ colligi potest. Primum ex illo loco Iob 10. *Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu.* Quod enim manibus plasmatur ex luto, aliáve materia, immediatè fit ab artifice, quo etiam pertinet illud Iere. 6. *Sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu meæ domus Israel.* Deinde ex illo Psal. 138. *Si ascendero in cœlum tu illic es, si descendero in infernum ades, si sumpsero pennas meas diluculo & habitauero in extremis maris: etenim illuc manus tua,* hoc est, virtus immediata, *deducet me,* id est, concurret ad meum motum & quasi volatum, & *tenebit me dextera tua,* hoc est, meum esse conseruabit. Itaque significat Propheta Deum non minus concurrere immediatione virtutis suæ ad nostras operationes, quàm ad nostrum esse conseruationémque. Tum ex illo Act. 17. vbi Paulus ostendens Athenienſibus Deum non longè esse ab vnoquoque nostrum, id est, non distare ab vllo homine: eadémque ratione neque ab alia creatura vlla, subdit: *In eo enim* (id est, per eum immediatè) *viuimus, mouemur & sumus*: nihil enim concluderet

*Ita D. Th. 1. p. q. 105. art. 5. & 3. cont. gen. cap. 70. Cauet. 1. p. q. citata. Capr. in 2. d. 1. q. 2. Fer. 3. contra gent. cap. 70. Lege etiam Plotinum lib. 8. Enn. 6. cap. 18. & libro 5. eiusdem Enn. cap. 7.*



concluderet si loqueretur de operatione mediata. Nam multa fiunt in rebus per causas remotas & distinctas admodum, vt per Solem in visceribus terræ. Accedit & illud quod idem Paulus 1. ad Corin. 12. de Deo ait: *Qui operatur omnia in omnibus,* & illud Isaiæ 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine,* qui duo loci etsi non omnino probant immediatam Dei operationem, probant tamen Deum non modo ad esse rerum, vt ait Durandus, sed ad operationem quoq; earum concurrere: quibus alios similes reperias in Scripturis sacris prope infinitos.

*Danielis 3.*

Sed & ex aliis quibusdam idem deduci potest, ea ratione, quod quædam narrent à Deo facta, quæ nisi Deus cum creaturis concurreret non modo adesse, sed etiam ad operationem, fieri nullo modo possent: quale est, quod apud Danielem ignis in fornace Babylonis non læsit pueros. Cur enim non læsit conseruato igne, nisi quod Deus subtraxit concursum vel suum, vel alterius causæ igne superioris, ad actionem ignis? Quod si alia causa igne superior cum igne naturaliter concurrit in agendo, qua non concurrente non comburit ignis: cur non multo magis Deus, immo etiam maximè? Hinc est quod res creatæ præter naturalem cursum, sæpe vehementius, sæpe lenius operantur, vt diuinæ prouidentiæ obsequantur. Vnde est illud Sapientiæ 16. *Creatura enim tibi factori deseruiens exardescit in tormentum aduersus iniustos, & lenior fit ad benefaciendum pro his qui in te confidunt.*

Patres quoque vnanimi consensu ad eandem sententiam accedunt. Lege Augu. in 4. super Genesim ad literam, cap. 12. & lib. 9. cap. 15. & lib. 3. de Trinit. cap. 3. & 4. Gregor. Mag. lib. 6, Moral. cap. 8. Gregor. Nysse. lib. 8. suæ philosophiæ, cum de diuina prouidentia disputat cap. 6. & Clement. Alexandrinum libro Stromatum 6. vltra medium, quod longum esset persequi in cæteris. Quocirca Diuus Thomas in Ioannis ca. 5. vbi explicat verba illa Christi: *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor,* docet excludi per illa opinionem quorundam dicentium, Deum mediantibus causis secundis res producere. Quod, inquit, est contra illud Esaiæ 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Atque hæc nobis in præsentia sint satis, vt opinionem Durandi erroneam esse vel asseramus, vel non inficiemur. Quod si quis roget quibus rationibus sententia Durandi refutari, & opposita veritas confirmari possit (hoc enim proprium est huius loci) hęc primum occurrit. Omnis actio quæ impossibilis non est, nec solum non importat vllam imperfectionem, sed summam potiùs perfectionem primi agentis, & perfectam dependentiam secundorum à primo tribuenda est primo agenti; at immedtatus Dei concursus cum creaturis agentibus nõ est impossibilis, vt patebit ex solutione argumentorum partis oppositæ, nec solum non importat vllam imperfectionem primi agentis, sed potius eminentissimam perfectionem, creaturis autem agentibus maiorem dependentiam ab illo, quàm si ab eo solum penderent in essendo: est igitur tribuenda primo agenti. Atque hæc ratio ex ipsa perfecta dependendi ratione sumitur.

*Rationibus Durandi sententia refutatur, & veritas ostenditur.*

*Prima ratio ex perfecta dependentiæ ratione petita.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Secunda ex conseruatione rerum deducta.*

ALTERA desumi potest ex conseruatione rerum hoc pacto. Effecta creaturarum immediatè conseruantur à Deo, non tantum illo externo conseruandi modo, quo locus naturalis, & alia quæ extrinsecus fouent conseruare solent, sed omnino intrinsecus, ita vt esse horum immediatè pendeat à Deo (alioqui non posset Deus conseruatis cæteris conseruantibus ea annihilare per subtractionem sui immediati concursus qui nullus esset) at agentia quæ hoc modo concurrunt ad conseruationem, concurrunt etiam ad productionem: concurrit igitur Deus immediatè ad producenda omnia effecta creaturarum, ac proinde ad omnes earum actiones. Assumptio ex eo probatur, quia quæ effectiuè conseruantur per intimam dependentiam sui à conseruantibus, vt species coloris à colore obiecto, & radius luminis à corpore lucido, & (quod verisimile est) à cœlo, ea quæ apud nos gignuntur (quicquid sit de ea quæstione, num pendeant à motu cœli) ab eisdem quoque producuntur.

*Tertiæ ex essentiali subordinatione.*

TERTIA se offert ex ipsa ratione essentialis subordinationis: vna enim causa non dicitur alteri essentialiter subordinata, quia pendeat ab illa in esendo, sed quia in causando, vt patet ex iis quæ ad librum secundum dicta sunt, non igitur satis est si superior inferiorem conseruet (potest enim conseruare nihil agentem) sed vt simul cum ea causet eundem effectum, atque adeò in eodem genere causæ, vt eodem loco est explicatum quarè cum omne agens creatum, sit essentialiter subordinatum primo agenti Deo, necessario efficitur Deum immediatè agere cum omni agente creato.

*Cap. 2. q. 1. sect. 2.*

*Cur vna causa alteri dicatur essentialiter subordinata.*

*Quarta ex ratione causæ instrumentalis.*

QVARTA ex ratione causæ instrumentalis hoc pacto. Causa instrumentalis quocumque modo ea sumatur, non ideò dicitur instrumentaliter agere, quia moueat (tametsi & hoc verum est in vulgatis instrumentis artificum, veluti in securi respectu fabri) sed quia simul cum agente principali & dependenter ab illo concurrit ad eandem actionem (hoc enim pacto calor est instrumentum ignis calefacientis, & cætera actiua accidentia suorum subiectorum agentium, at omne agens creatum est instrumentum primi agentis late sumpto instrumenti nomine, vt omnes fatentur) igitur omne agens creatum ideò dicitur agere, quia simul cum Deo & dependenter ab illo concurrit ad eundem effectum, hoc est, ad suum quod fieri nequit, nisi Deo immediatè concurrente, vt patet ex iis, quæ in superiori argumento assumpta sunt.

*Vt omne agens creatum dici debeat instrumentum primæ causæ.*

*Aristotelis pronunciatū expenditur.*

*Vt 7. Physic. t. & 8. ca. 5.*

QVO loco memoriæ mandandum est pronuntiatū illud quo Aristoteles non rarò vtitur, quódque Peripatetici sæpe vsurpant. Agentia essentialiter subordinata non mouere nisi mota, siue non agere, nisi acta, metaphorice in plerisque intelligendum esse, translatione sumpta ab instrumentis artificum, ac si dicant, agentia essentialiter subordinata non agere, nisi more horū instrumentorum, quę nonnisi mota mouent, non tamen quatenus mota mouent, sed quatenus cum agente principali motum siue actionem illius exequuntur, quod est dependenter ad eundem motum concurrere. Dico autem dependenter, quia etsi quædam agentia principalia indigent instrumentalibus aliisve



aliisve essentialiter subordinatis ad agendum, ac proinde ab eis aliqua ratione in agendo pendent, veluti Citharœdus à cithara in pulsando, & Sol ab homine in generando homine: simpliciter tamen principale agens non pendet ab instrumentali aut alia ratione subordinato, sed hæc ab illo. Neque enim repugnat agenti principali ex suo genere supplere vim instrumentalis causæ, aliáve ratione subordinati agentis: quo pacto sæpe ipse cæmentarius supplet vim instrumentorum, veluti vectis ad mouendum lapidem, & Deus supplere potest efficientiam omnium secundarum causarum, quæ secum imperfectionem non afferat, aut certè ex ratione sua non dicat ordinem ad creaturam agentem, vt videre, tristari, & ambulare: & tamen nullum instrumentum causáve aliter subordinata essentialiter potest ea agere sine principali, quę agit vt illius ministra, quòd certè inde prouenit, quod actio principalis est causa actionis subordinatæ, non vice versa. Quod si ita est, meritò de sola instrumentali causa, & quauis alia ratione essentialiter subordinata dictum est, agere eam dependenter à principali agente. Quo fit, vt non rectè quidam philosophentur, cum dicunt quemadmodum creaturæ in agendo pendent à Deo agente, ita Deum in agendo cum creaturis, pendere à creaturarum actione. Non enim vt Deus supplere potest efficientiam creaturarum, ita creaturæ efficientiam Dei. Neque item cum inferunt, Deum & creaturas concurrere effectiuè ad eundem effectum, vt causas partiales. Duę enim causę partiales ita affectæ sunt inter se, vt & simul constituant vnam totalem, & neutra pendeat ab altera in agendo, sed effectus ab vtraque: at Deus & creatura quatenus ad eundem effectum concurrunt nec constituunt vnam totalem causam, sed sunt duæ totales (quæque nimirum in suo ordine, vt dici solet de omnibus essentialiter subordinatis) nec ita sunt affecta inter seſe, vt neutrum ab alio pendeat in agendo.

*Actio principalis, causa est actionis subordinatæ, non vice versa.*

*Deus in agendo non pendet à creaturis.*

*Deus & creatura causæ tales vt sint.*

*Vide Plotinū Ennead. 2. lib. 4. cap. 1.*

QVINTA desumi potest ex dependentia creaturæ hoc modo. Si creaturæ agerent non concurrente Deo ad actionem ipsam, agerent independenter, at non minus incommodum est illas agere independenter, quàm independenter esse, quo pacto quidam Ethnici Philosophi materiam esse putauerunt (vtrumque enim est conditio primi agentis) agunt igitur concurrente Deo, non solum ad conseruationem rei agentis & virtutis agendi: sed ad actionem quoque ipsam, ergo & immediatè concurrente. Idem valet argumentum illud quo quidam vti solent: virtus creata non solum pendet à Deo, vt qualitas est, sed etiam vt virtus est: at virtutem pendere à Deo vt virtus est, nihil est aliud quàm pendere in agendo: concurrit gitur Deus cum virtute creata, non solum quia illam conseruat, sed etiam quia cum illa immediatè agit.

*Quinta ratio ex dependentia creaturæ.*

*Sexta ratio ex determinatione secundorum agentiū. Causæ secundæ vt determinentur à prima.*

SEXTA ratio sumenda est ex determinatione secundorum agentiū à primo hunc in modum: Nullū agens creatum est determinatum ad certum numero effectum, tum quia omnia sunt indifferentia ad plura effecta eiusdem speciei aut generis, tum etiam quia nō intendunt hoc vel illud indiuiduum, sed indifferēter aliquod indiuiduum

huius vel illius ſpeciei aut generis: at determinatio hæc non poteſt fieri à ſubiecto, neque item tempore aut loco, quia omnia hæc ſunt indifferentia non ſolum ad omnia indiuidua vnius ſpeciei, ſed etiam plurium: nec fieri poteſt ab his omnibus ſimul, quia multa communia non poſſunt facere aliquid ita proprium vni vt alteri conuenire non poſſit, vt eſt introductione perſpicuum: oportet igitur vt à Deo immediatè fiat, quod inferius luculentius oſtendetur.

*Trimegiſti, Ariſtotelis, Philonis, & Procli teſtimoniis, eadem veritas confirmatur.*

ACCEDIT antiquiſſimi Trimegiſti ſententia, qui in Dialogo eo qui Crater inſcribitur, diſertis verbis ait Deum vbique præſentem, ſemper agere omnia, ac voluntate ſua cuncta conſtituere. Item diuinam eſſentiam facere ſingula etiam in quauis mundi particula. Item ſi quid quis cogitat, id omne Deum agere. Ariſtot. item 2. lib. huius operis planè docet omnia agentia ſecundaria ita eſſe eſſentialiter ſubordinata primo agenti, vt primum agens in eorum actione magis agat, quàm ipſa. Philo etiam in libro: Quod mundus ſit incorruptibilis, ex Boëtho Stoicorum, vt ait valentiſſimo, aſſerit Deum omnibus mundi partibus aſſiſtere cooperãdo, Proclus, ſiue quis alius libri de cauſis auctor fuit, in prima propoſitione affirmat, primam cauſam magis influere in effectum ſecundæ, quàm ipſam ſecundam. Item proportione 16. virtutem diuinam eſſe virtutum omnium virtutem: quia (vt Romanus Ægidius Quodlib. 5. q. 1. interpretatur) applicat propoſitione 16. virtutem ad operationem: quæ applicatio nulla alia intelligi poteſt, quàm concurſus primæ cuuſæ ad ipſam actionem: idq; à priori ſimpliciter, niſi applicatio ſumatur pro determinatione ad certum numero effectum, quàm à ſolo etiam primo agente, fieri poſſe diximus: nam alioqui cauſæ ſecundæ, vel ab aliis ſecundis ſi naturales ſint, vel à ſe ipſis ſi ſint liberæ, poſſunt ad agendum applicari, veluti per appropinquationem ad materiam, in qua aliquid agendum eſt, aut per electionem & imperium agentis liberi: patet igitur primum agens immediatè agere cum omni agente creato. Quo autem pacto hæc immediatio intelligenda ſit, ex ſolutione argumentorum patebit: ex quibus etiam concluſio ipſa magis perſpicua fiet.

*Cap. 2. text. 6. & ſeq.*

### *Deum agere cum creatura eadem numero actione, & ſoluto argumentorum Durandi.*

## SECTIO III.

*Ferrarienſis reſponſio ad primum Durandi.*

SVNT igitur qui ad primum Durandi reſpondeant, Deum agere cum agentibus creatis alia quadam actione, qua nimirum illa ad agendum mouet, quo pacto faber mouet ſecurim ad ſcindendum: quapropter actionem illam Dei eſſe intentionalem, id eſt, non eſſe in agẽte creato, niſi quandiu agit, & per modum tranſitus, ſiue vſus cuiuſdam, quemadmodum & motus quo ſecuris à fabro mouetur.

*Fer. 3. contra gent. cap. 70.*

*Improbatur.*

VERVM hæc actio diuina nec datur in omnibus creaturis agentibus, nec in quibus datur ſatis eſt, vt Deus ratione illius dicatur cõcurrere ad ipſam creaturæ actionem. Nam etſi Deus per ſeipſum poteſt mouere creaturam etiam corporalem ad aliquid agendum, quo pacto quidam Philoſophi volunt illum ſine miniſterio alterius mouere primum mobile, & ſæpe re vera mouet intellectum & voluntatem, aliquid in eis imprimendo; tamen eo motu non mouet Deus omnia. Neque enim Deus ſic mouet ignem, vt comburat, ſi iam proximus eſt materiæ combuſtibili; nec lapidem vt deſcendat deorſum ſi iam ſubtractum eſt impedimentum; imò nec ſi Deus impedimentum ſubtrahat, dicetur lapidem mouere vt deſcendat, niſi per accidens; ſed mouere ſeu amouere impedimentum, vt lapis moueatur. Quin etiam ſi Deus omnem creaturam ad agendum moueret, ne id quidem ſatis eſſet, vt cum illa diceretur immediatè agere. Diuerſa enim eſt actio qua creatura mouetur, & qua mouet.

*Auerro. 12. Metaph. com 44. & 48. ita quibuſdã videtur ſenſiſſe.*

ITAQVE ſi Deus omnem creaturam ad agendum moueret, dici poſſet Deum agere, quandocunque creatura agit, & agere in omni creatura agente: at dici non poſſet cum ipſa creatura agere, niſi per accidens, ne dum cum illa immediatè agere; quod tamen ex dictis neceſſe eſt confiteri.

*Vera argumẽti ſolutio. Deus eadẽ numero actione cum creatura agit.*

DICENDVM eſt igitur Deum agere cum creatura eadem numero actione, qua creatura agit, quo pacto faber præterquam quod mouet ſecurim ad ſecandum (quæ eſt applicatio inſtrumẽti ad opus) agit etiam cum ſecuri illa eadem numero actione, qua agit ſecuris, nempe ipſa ſectione. Quicquid enim ſit de ratione, qua Durandus probat non poſſe Deum agere cum creatura actione diuerſa numero, certè neutra earum, quibus probat non poſſe agere eadem numero, quicquam habet momenti. Non prior, quia etſi actio creaturæ non excedit virtutem creaturæ agentis ſuppoſito concurſu primi agentis, excedit tamen virtutem ſolius creaturæ, quo pacto etſi generatio huius hominis non excedit virtutem eius à quo generatur, excedit tamen virtutem illius ſine concurſu cœleſtium corporum. Non poſterior: quia etſi eadem actio numero non poteſt prouenire à pluribus perfectè agentibus eiuſdem ordinis, vt idem tractus nauis à pluribus perfectè trahentibus, poteſt tamen proficiſci à pluribus perfectè agentibus eſſentialiter ſubordinatis ab vnoquoque; ſcilicet, perfectè agente in ſuo ordine, vt generatio hominis ab homine ac Sole.

*Secundũ Durandi ſoluitur. Plures fines ſubordinati, quo pacto cõcurrant ad eandem actionem.*

AD ſecundum Durandi dicendum eſt, quẽadmodum plura agentia eſſentialiter ſubordinata immediatè concurrunt ad eandem actionem, ita concurrere plures fines eſſentialiter ſubordinatos ad motionem eiuſdem agentis. Nam quemadmodum hæc immediatio in agentibus non eſt immediatio ipſorum agentium, ſed virtutis agendi, vt mox patebit, ita in finibus eſſentialiter ſubordinatis erit immediatio, non rei quæ vt finis appetitur, ſed appetibilitatis, ita vt duo fines eſſentialiter ſubordinati immediatè moueant metaphorico motu cauſam agentem, quemadmodum duo agentia eſſentialiter ſubordinata reali motu immediatè mouent materiam.

Quot

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Quot modis agentia dicantur immediatè agere, & solutio tertij argumenti.*

SECTIO IIII.

*Diuisio agentium immediatorum explicatur.*

AD tertium argumentũ negatiuæ partis, quod ex Durando desumebatur, vt respondeamus, explicanda est vsurpata illa distinctio agentium immediatorum in ea quæ agunt immediatione suppositi, & in ea quæ immediatione virtutis.

*Quæ dicantur agere immediatione suppositi.*

EA dicuntur agere immediatione suppositi, quæ nullius suppositi ministerio, aut quasi ministerio agunt: hoc pacto est Deus immediatum agens in creatione cuiusque rei, & conseruatione earum, quę aliter quàm per creationem produci nequeunt: vt in conseruatione substantiarum separatarum, animæ rationalis, cœlorum, & materiæ primæ: eodémque modo agit ignis in generatione ignis, & alia agentia particularia, quæ non agunt per instrumentum propriè dictum, vt faber per securim: aliud enim suppositum est faber, aliud securis cuius interuentu faber operatur. In quo loquendi modo sumendum est latè nomen suppositi pro omni re singulari per se existente, etiam si reuera suppositum non sit, ne excludatur anima rationalis, aut natura diuina, vt communis est tribus personis diuinis: quo pacto idem nomen accipi solet à Theologis cum dicunt omnem actionem esse suppositorum, vt primo libro diximus. Dixi (quæ nullius suppositi ministerio) non autem *quæ nullius rei ministerio*, quia ignis & alia omnia quæ semper agunt ministerio qualitatum à se realiter distinctarum: agunt nihilominus immediatè immediatione suppositi. Addidi: *vel quasi ministerio*, quia causæ essentialiter subordinatæ, non semper habent (si propriè loquendum est) rationem ministrantium iis, quibus sunt subordinatæ, vt homo, vel equus, soli in generandis sibi similibus. *Cap. 1. q. 5. sect. 2.*

*Quæ dicantur agere immediatione virtutis. Primus modus.*

IMMEDIATIONE autem virtutis duobus modis dicuntur agentia immediatè agere: quod non segniter animaduertendũ est propter variam hac de re Theologorum loquendi consuetudinem. Vnus est, si agãt virtute non accepta ab eo cum quo agunt: quo pacto Deus in omni actione, & cuiuscumque agentis comparatione dicitur agere immediatè immediatione virtutis, quia à nullo agente accipit virtutem agendi: in genere autem corporalium agentium, primum mobile dicitur mouere immediatè immediatione virtutis, quia à nullo agente corporeo accipit virtutem agendi: quamuis simpliciter & cum Deo collatum non agat immediatè immediatione virtutis, cum à Deo virtutem agendi accipiat. Sic Prouinciarum præpositi agunt immediatè si conferantur cum prouincialibus, à quibus potestatem non accipiunt: non autem absolute & respectu regis à quo præpositi constituti sunt. Atque hoc pacto omnis causa superior inter essentialiter & subordinatas agit immediate respectu inferiorum causarum: & omnis infima siue simpliciter sumatur, siue respectu aliarum agit mediate, vt ignis ignem, & equus equum. Et hic quidem vnus est modus agendi immediate immediatione virtutis.

ALTER



*Secundus modus.*

ALTER modus est, si ab eorum virtute, quomodocunque eis illa conueniat, immediatè proficiscatur actio, quo pacto ignis immediatè calefacit. Et quia omnia agentia essentialiter subordinata agunt cum infimo agente, ad ipsámque eius operationem concurrunt: necesse est fateri omnia isto modo agere immediatione virtutis: quo pacto color obiectus agit immediatè in oculum, etiam si mediatè agat mediatione suppositi, nempe corporis diaphani interiecti: & Sol immediatè generat murem, etiam si illum gignat ministerio aëris calidi interiecti: & faber facit scamnum, etiam si illud faciat ministerio securis interiectæ: omnia enim hæc immediatè attingunt actionem vltimi agentis sine suppositis suis, certè virtutibus actiuis, à quibus vltimi agentis actio immediatè proficiscitur, quem ad modum, & à virtute ipsius vltimi agentis.

*Non omnia quæ agunt immediatione Virtutis, præsentia immediata suis effectis esse.*

EX his perspicuum, est non omnia ea quæ agunt immediatè immediatione virtutis esse, necessario immediatè præsentia suis effectis: vtrouis modo hic immediatio capiatur, vt patet in Sole & fabro, & aliis agentibus corporeis. Vnde hac ex parte non colligitur immediata Dei præsentia in rebus, quod agat in omnes immediatione virtutis. Num autẽ immediata agentium præsentia colligatur ex immediata eorum actione immediatione suppositi, ac proinde immediata Dei præsentia in rebus omnibus ex eo rectè concludatur, quod in omnibus, & in quauis cuiúsque particula aliquid agat immediatione suppositi, quæstio non parua est inter D. Thomam affirmantem, & Scotum negantem. Nobis verò non modo placet magis sententia D. Thomæ, sed Scoti etiam parum consentanea videtur diuinis Scripturis, quæ apertius probant immediatam Dei præsentiam ex immediata eius actione (vt patet ex locis quos superius attulimus) quàm vt sine aliqua inscitiæ nota (ne quid dicam grauius) ea consequentia negari posse videatur. Verum quia disputatio ea & longior est quàm vt nunc obiter expediri possit, & nihil facit ad rem præsentem, in alium locum differenda est. *D. Thom. 1. d. q. 8. art. 1. Scotus in 1. d. 37. quæst. vnica.*

*Vnde colligatur Dei immediata præsentia in rebus omnibus. Sententia D. Thomæ eligitur.*

*Soluitur tertium argumentum.*

ADtertium igitur dicendum est Deum non ideo dici plurima agere mediantibus secundis ægentibus, quia non sit immediatè præsens omnibus suis effectis: neque item quia illa efficiat mediante causarum secundarum actione tantum, quasi ipsa per se non agat cum causis secundis: sed quia secum illas assumit ad ea efficienda, quæ ipse solus posset efficere: vt opus calefaciendi, aut refrigerandi, aut alia etiam quæ sine causis secundis agi non possunt, vt opus videndi, & cætera vitalia: tametsi & ipse & causæ assumptæ immediate agant vtraquè in suo ordine, & suo peculiari agendi modo.

*Solutio quarti argumenti, Sequentiúmque authoritatum.*

SECTIO V.

*Quot sint causæ necessitatis diuini concursus.*

QVOD verò attinet ad quartum argumẽtum, disquirendum est num ex tribus causis necessitatis diuini concursus, quæ in eo refutabantur, aliæ præter tertiam, ex qua nos sextam rationem fecimus, approbari debeat.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*An ad complendam virtutem agentium secundorum necessarius sit diuinus cõcursus.*

FVERINT fortasse quibus placeat prima illa de concursu primi agentis cum secundis ad complendam secundorum virtutem, & efficiendum vt sint in actu primo actiua, quo pacto lumen videtur facere, vt colores sint in actu primo visibiles, seu motiui aspectus, qui sine lumine non sunt nisi potentia visibiles, vt tradit Aristoteles. *Lib.2. de anima, cap.7. & 3.lib.c.5.*

VERVM qui causam hanc probauerint, nec verum assument, nec satisfacient argumento. Nam & intellectus per speciem intelligibilem est in actu primo ad intelligendum, & res grauis per grauitatem ad descendendum, vt cum Aristotele 3. de Anima, & 8. Physicorum omnes fatentur: quo fit vt nec ista, nec proinde alia similia indigeant concursu Dei, vt eorum virtutes ex parte ipsarum ad agendum compleantur, quod est esse in actu primo actiua. Vt autem obiter de exemplo allato moneam, etsi id quod dictum est de coloribus forte arridebit iis, qui credunt colores indigere lumine non modo ex parte medij, sed etiam ex parte ipsorum: apud nos tamen, qui putamus illud esse necessarium ex parte solius medij, nihil habet momenti. Nam etsi medium præcise illuminatum esset, nihilque luminis colori adueniret (quod diuina virtute nihil repugnat fieri & forsitan naturaliter accidere potest) adhuc color moueret aspectum per species quas in medio illuminato produceret. Quod si nunc ita fit communiter, vt color illuminatus agat & in medium & in potentiam, ac proinde color simul cum lumine: id sanè ex accidente euenit propter coniunctionem luminis cum colore: qui etiam sine lumine in se recepto hoc est in Superficie in qua ipse est ageret. Quocirca duæ videntur nunc species generari in oculo ex colore obiecto: vna coloris qui ex se suóque modo lucem participat, atque hac cernitur color ipse, altera luminis à corpore lucido in ipso colore reflexi, qua lumen reflexum percipitur. *Cap.5. & 6. Cap.4. text. 32.*

*Lumen esse necessarium ex parte solius medij.*

*Explicatur Aristotelis sententia de luminis necessitate.*

SED quid ad Aristotelem, qui asserit colores ante concursum luminis esse potentia visibiles? videtur enim sentire his verbis colores indigere ex parte sui lumine externo, vt sint in actu primo visibiles: eodémque modo res materiales intelligibiles indigere lumine interno intellectus agentis vt sint in actu primo intelligibiles. Ad hoc dicimus colores ante concursum luminis non esse in actu primo visibiles, id est, potentes vt videantur: quippè cum ad id indigeant speciebus, & in medio & in potentia, quo pacto intelligendus est Aristoteles: sed esse in actu primo visibiles, siue potentes, vt moueant medium, & potentiam videndi, producendo in vtroque species, quibus videri possint: quo etiam pacto, etsi res intelligibiles non sunt in actu primo, vt intelligantur nisi per species intelligibiles (tunc enim intellectus est in actu primo vt eas intelligat) tamen iam tum dicendæ sunt esse in actu primo vt per ipsarum phantasmata cum intellectu agente agant ad producendas in intellectu possibili species intelligibiles quibus intelligantur. Ex quibus patet, responsionem hanc verum non assumere. *3.de anim. cap.5 text. 18.*

QVOD verò ne si assumeret quidem argumento satis faceret, ex eo constat: quia etsi nulla creatura esset in actu primo ad agendum nisi



nisi complente Deo eius agendi virtutem: adhuc tamen remaneret quæstio eadem, cur necessarius præterea esset concursus diuinus ad agendum cum creatura, completa eius virtute actiua. Quod si dicas nihil aliud esse compleri eius virtutem actiuam, quàm Deum in agendo cum illa concurrere: iam per te nihil different esse in actu primo & secundo: cum tamen dixeris vt creatura operetur, id est, sit in actu secundo necessarium esse Dei concursum, vt eius virtus compleatur in actu primo.

*Anideo diuinus concursus sit necessarius, vt causſam secundam moueat ad agẽdum.*

ALII forsitan probauerint causſam illam secundam de concursu primi agentis cum secundis, vt illas ad agendum moueat. Nam omne agens secundum est instrumentum primi agentis, instrumenta autem non mouent nisi mota. Primum quoque agens perinde se habere videtur ad secundã vt voluntas se habet ad eas potentias, quæ eius obedientiæ subsunt, quas constat à voluntate moueri, vt aliquid agant.

SED neque huiusmodi sententia admittenda est. Primum, quia non omnia agentia secunda sunt propriè instrumenta primi, cum plurima effecta tribuantur secundis vt principalibus, vluti animal genitum animali generanti. Deinde quia non necesse est, vt omnia instrumenta moueantur à principali agente vt ipsa agant: quo pacto calor ignis, ita est ignis instrumentum, vt ab eo non moueatur ad agendum.

*Agentia libera quo pacto à prima causſa moueantur.*

POSTREMO, quia vt demus agentia naturalia moueri omnia à primo ad agendum: certè quæ libera sunt dominium habent suorum actuum supposito etiam generali concursu primi agentis: & licet ad bonum moueri ab eo possunt, immo, & necessitari (licet non cogi) ad malum tamen non solum non cogi, nec necessitari possunt, sed ne moueri quidem, quod & naturalis ratio ex diuina bonitate desumpta, & Sacræ literæ nos docent. Ita patet nec primam, nec secundam causſam ex tribus refutatis in argumento approbandam esse.

*Respondetur ad quartum argumentum principale*

QVARE ad impugnationem tertiæ, quam nos in sexta ratione conclusionis assumpsimus, dicendum est, rectè quidem probari non esse necessarium concursum primi agentis vt secunda agentia determinet ad certam speciem effectus, non tamen, vt ea determinet ad certum individuum.

*Quo pacto diuinus concursus ad determinationẽ effectus requiratur Aegidij Romani sententia.*

NON desunt tamen viri grauissimi qui totam hãc causſam de necessitate diuini concursus ad determinationem effectus reiicere videantur. Ægidius enim Romanus in libro de ente & essentia q.4. propter id quod communissimum est in omni actione, non propter eius determinationem putat necessarium primi agentis concursum. Nam cum in omni effectu duo reperiãtur, esse, & tale esse: seu esse, & distinctio ab alio esse (neque enim fieri quicquam potest, quod omnem essendi rationem includat) ens autem creatum, quia habet esse limitatum non possit dare esse absolutè ac simpliciter, sed tale esse: relinquitur necessariam esse actionem primi agentis, vt det cuilibet effectui esse simpliciter & absolutè, quod includitur in tali esse, non vt determinet effectum ad tale esse, quod facit creatura. Itaque con-

Universidad de Deusto
Biblioteca



cludit totum effectum creaturæ, esse & à creatura, & à Deo. sed non totaliter ab vtroque: nam quatenus habet esse, est à Deo, quatenus vero tale esse, est à creatura: Vnde videtur perspicuum (Ægidij sententia) determinationem actionis, quemadmodum & effectus, secundo agenti tribuendam esse, non primo: confirmatúrque opinio hæc ex Dionysio capite 4. de diuinis nominibus, vbi ait Deum vniformiter operari omnia, diuersitatem autem effectorum esse à causis secundis, quemadmodum Sol vniformiter illuminat: quod autem alia aliter illuminet, à diuersitate subiectorum quæ lumen recipiunt, prouenire. Deinde ex Aristotele 2. Physicorum, cap. 3. & hoc ipso loco, in quo versamur, cum ait effectus particulares reducendos esse ad causas particulares, & vniuersales ad vniuersales: siquidem tale esse, effectus est particularis: esse autē vniuersalis: proinde hunc ad Deum referendum esse, illum ad creaturas agentes.

*D. Dionysij pronuntiatum.*

*Text. 38. Text. 3.*

*Examinatur Durandi ratio.*

VIDEBITVR autē pro nobis, & contra hanc opinionem esse Durandus in 2. sent. d. 1. q. 5. qui hac ratione illam impugnat, quod ex ea duo maxima absurda sequantur. Vnum est, Deum nihil agere posse sine caussa secunda, immo etiam nihil omnino agere posse: quicquid enim fit, habet esse & limitatum esse, caussa autem secunda quæ dat esse limitatum, habet etiam ipsa limitatum esse. Vnde fit, vt si limitatio prouenit à caussa secunda, nihil Deus agere possit sine caussa secunda, ac proinde nihil agere. Alterum est Deum non agere liberè, sed necessitate naturæ, quemadmodum Sol, qui in exemplum assumitur: agere enim vniformiter ex parte sui est agere naturaliter, & non liberè. Et licet non respondeat ad Dionysij authoritatem, sed ex his recijciendam innuat: tamen Aristotelis locum sic interpretatur, vt dicat non esse intelligendum de reductione effectorum ad causas vniuersales & particulares in caussando, qualis est Deus & creatura, sed in prædicando, qualia sunt genera, species & indiuidua creaturarum caussantium: vt sensus sit, eandem caussam efficientem creatam vt est particularis facere effectum particularem vt talis est, vt vniuersalis verò vniuersalem: verbi caussa ignem particularem, facere hunc alium ignem vt particularem ignem: vt ignem verò facere illum, vt ignem, & ita sursum versus, vt elementum, vt corpus vt substantiam, ac denique vt ens.

*Neque D. Thomam, neque Ægidium propositæ sententiæ repugnare,*

SED non est cur nobis Durandum hac in re contra egregium doctorem Ægidium patronum quæramus, præsertim in aliis plerisque tum verò in hac opinione sectatorem Magistri sui D. Thomę, qui idem penè scribit in quæstione prima de potentia Dei art. 4. Cohærent enim hæc mirificè cum extrema ratione nostra si rectè intelligātur. Nā quod necessarius sit Dei concursus, vt res fiant quatenus entia sunt (nullam enim caussam secundam per se primo facere posse ens, vt ens est, & inductiuè & ratione apertissima ex vniuersalitate caussarum ducta perspicuum est) non tollit quominus sit necessarius ad singularem, & omnino vltimam effectorum determinationem, quæ necessitas, nostra illa vltima ratione probata est. Dico autē, omnino vltimam, quia determinatio non tantum specifica, sed etiam indiui-

*Ad tertium. Vide etiam de poten. q. 3 art. 7.*



indiuidualis vaga à caussis secundis prouenire potest: nihil enim fità quocunque tandem fiat, nisi vt talis naturæ, & vt singulare. Verum cur singulare fit hoc designatum, & non aliud numero, soli primo agenti tribuendum est per se primo quemadmodum & cur sit ens. Determinatio autem, quam Aegidius & D. Thomas tribuunt secundis agentibus, de specifica & indiuiduali vaga intelligenda est, non de indiuiduali determinata, quod Durandus non animaduertit. Et quia genera, & differentiæ tam specificæ, quàm indiuiduales, sunt idem re cum effectis quæ constituunt, rectè ait Aegidius effectum qui fit per caussam secundam, esse totum à prima, & totum à secūda, sumpto tamen nomine totius, vt significat aliquid constans genere & differentia, non vt significat compositum ex materia & forma, hoc enim pacto, etsi totus est à primo agente, non est tamen totus, ideſt, quoad omnes partes à secundo. Est & alius modus, quo totus effectus sit à primo, & totus à secundo, nempè si effectus secundi agētis consideretur quoad solam formā quæ introducitur. Vtrauis autem ratione Aegidius intelligat totum esse à primo, & totum à secundo, probè adiungit non esse totaliter, id est omnibus modis ab vtroque: cum à Deo sit, vt ens, & vt hoc ens, quale alterum produci non potest, idque independenter: à creatura autem, vt limitatum ens; tale tamen, quale alterum produci potest, dependentérque.

*Quo pacto idem effectus sit totus à prima & totus à caussa secunda.*

IMPVGNATIONI verò à Durando extructæ facilè est occurrere. Neque enim Aegidius vnquam dixit, limitationem effectus necessario prouenire à caussa secunda, cum apertè id neget in iis quæ creantur: sed ab alio quàm à primo agente prouenire non posse vt aliquid sit verum ens absolutè ac simpliciter: cū interim effectus ad quem concurrere potest caussa secunda, ab ea etiam possit habere limitationem, si Deus ad illum efficiendum caussa secunda vti velit. Vnde patet absurdè admodum collegisse Durandum, sequi ex Aegidij opinione, Deum nihil posse agere sine caussa secunda, & quod inde sequitur nihil omnino posse agere. Non intellexit quoque Durandus Aegidium (nisi se intelligere dissimulauit) cum ille ex Dionysio ait, Deū vniformiter ac more Solis cum caussis secūdis agere Neque enim Dionysius vsus est similitudine Solis quoad naturalitatem, vt sic dicam, actionis (ex ea enim non dubium est quin sequeretur Deum agere necessitate naturæ) sed quo ad vniformitatem agendi, vt ipse disertis verbis describit: at vniformitas agendi æquè cohærere potest cum actione libera atque cum naturali. Potest enim agens liberum agere vniformiter, quemadmodum & difformiter, & vt ei placuerit, potissimum verò Deus, qui summè liber est. Vel potius dicito vniformitatis nomine intelligi à Dionysio indifferentiam diuinæ potestatis ad omnem effectum, quemadmodū virtus Solis indifferens est ad omnem illuminationis modum pro ratione eorum, quæ lumen recipiunt, quæ vniformitas non arguit in Deo necessitatem agendi. Demum nec rectè Durandus Aristotelem intelligit, qui etsi posuit exempla in caussis & effectis vniuersalibus in prædicando: non excluſit tamen à suo pronunciato reductionem effectorūm ad

*Durandi impugnatio conuellitur.*

*Nō intellexit Aegidium.*

*Neque Aristotelem rectè inter pretatur.*

causſas vniuerſales & particulares in cauſſando, vt in eius loci explicatione diximus. Non igitur opus eſt nobis tam infirmo Durādi patrocinio ad refutandam Ægidij, ſeu potius D. Thomæ ſententiam, Nam & optime cohæret cum iis, quæ in extrema ratione concluſionis continentur & (quod obiter addimus) vt cumque videtur continere vim omnium præcedentium argumentorum, quod nunc explicare ſuperuacaneum ducimus.

*Error Ariſtotelis.*

AD id autem quod ex libro de mundo ad Alexandrum attulimus, dicendum, Ariſtotelem in eo hallucinatum fuiſſe quemadmodum in aliis quibuſdam, quod putauit Deum in his inferioribus nihil agere immediatè immediatione ſuppoſiti, propterea quod indignum exiſtimauit Dei maieſtate eſſe in his inferioribus ſecundum ſubſtātiam ſuam, non tamen inde ſequitur illum negaſſe concurrer Deum ad omnem actionem immediatè immediatione virtutis.

*Lactantij dictum quo ſenſu error non ſit.*

QVOD verò Firmianus negat Deum eſſe creaturarum in agendo adiutorem, etſi in eius erroribus numerare ſolet: in eo tamen ſenſu error non eſt, ſi ſumat adiutorem pro eo, qui confert quidem ad actionem, ſed tamen ſimpliciter neceſſarius non eſt, quo pacto is qui cum altero trahit lapidem quem ſolus alter trahere poſſet, illum iuuare dicitur.

*Explicatur Philo.*

DENIQVE neque illud Philonis, quod Deus nihil moueat, noſtrę cōcluſioni repugnat. loquitur enim de motu per contactum quo pacto mouent res naturales: alioqui plurimis in locis fatetur, Deum, & mouere, & efficienter concurrere cum rebus omnibus. Adde, Philonem non ſimpliciter dicere Deum nihil mouere, ſed ſolum Deum nec mouere, nec moueri, quod ita accipi poteſt, quaſi dicat propriā eſſe Dei actionē eam qua nec moueatur ipſe, nec moueat quicquam ea verò eſt (vt conſtat) illa, qua res ex nihilo efficit, quæ ſententia pro ſuperioris quæſtionis concluſione facit. Atque hæc de ratione cauſſandi efficientium dicta ſint: nunc de cauſſalitate finium agēdum.

## QVAENAM SIT RATIO CAVSSANDI finalis cauſſæ.

## QVÆSTIO X.

*Quot modis dicatur finis.*

### SECTIO I.

*Quotuplex ſit finis*

FINIS vt Ariſtoteles docet 2. de anima cap. 4. duplex eſt, alter Cuius, alter Cui. Finis Cuius dicitur id cuius conſequendi cauſſa aliquid fit, ſiue id ſit res aliqua, quæ per actionem fiat, veluti domus, cuius ædificandæ gratia artifex operatur, ſiue actio immanens, per quam nihil aliud fiat veluti contemplatio, ſiue vſus, aut fruitio rei, vt habitatio domus, aut voluptas, quæ ex contemplatione percipitur, cum quis propter voluptatem contemplatur. Finis Cui, dicitur id in cuius gratiam aliquid fit, quo pacto is qui ægrotat eſt finis curationis, & vt Ariſto- *Text. 37.*



Ariſtoteles ait 2. Phyſicorum cap. 2. Omnia quæ arte fiunt ſunt gratia noſtri. vtrique autem congruit ratio illa finis paſſim ab Ariſtotele vſurpata: gratia cuius aliquid fit. Nam medicus exempli cauſſa, & gratia ſanitatis, & gratia ægroti adhibet curationem. *Text. 37.*

*Quid ſit Finis.*

INTER hos autem fines hoc intereſt, quod finis Cuius ſemper dirigitur in aliquem finem Cui, finis autem Cui ex ratione ſua non neceſſario dirigitur in alium finem, Verbi cauſſa Sanitas, quæ eſt finis Cuius dirigitur in ægrotum, cum in gratiam illius de ea acquirenda agatur: at ipſe ægrotus forſitan ſe non dirigit in alium ſuperiorem finem, cum fortaſſe priuato amore ſe propter ſe diligat. Itaque amor prioris finis eſt amor concupiſcentiæ: is autem quo poſterior diligitur, eſt amor amicitiæ, aut quaſi amicitiæ ad quem ſemper dirigitur amor concupiſcentiæ. Dico, *Aut quaſi amicitiæ*, tum quia amicitia non eſt propriè ad ſe ſed ad alterum: tum etiam quia ſola agentia libera agunt amore amicitiæ, cætera verò naturæ impetu ducuntur, vt aliquid obtineant, ſiue, cauſſa alterius rei, ſiue ſui, veluti cum hirundo conſtituit nidum cauſſa prolis, & terra petit infimum locum cauſſa ſui.

*Diſcrimen inter finem Cuius & Cui.*

*Amor amicitiæ & concupiſcentiæ vt accommodet ad fines.*

*Quæſitum circa finem Cuius, in vtraque partē diſputatur.*

SED quærat aliquis num finis Cuius ſit finis ſimpliciter? videtur enim non eſſe, tum quia habet rationē medij, cum ſemper dirigatur in finem Cui, tum etiam quia ſi ille numeretur in finibus ſimpliciter non erit cur inſtrumenta excludantur à genere efficientium ſimpliciter. Vt enim finis Cuius expetitur propter finem Cui, ita inſtrumentum agit vi agentis principalis. E contrario tamen ſiquis fidem iis, quæ ab Ariſtotele dicuntur adhibeat, potius finis Cuius quàm Cui videbitur dicendus finis ſimpliciter. Nam cum Ariſtoteles de fine loquitur, penè ſemper de priori genere intelligitur, vt cum ait [a] *formam introducendam, eſſe finem intentum ab agente.* Item *cauſſas* [b] *eſſe ſibi inuicem cauſſas.* Vbi aſſerit *finem eſſe alia ratione effectum agentis.* Item, *etſi finis ſit primus in intentione tamen, eſſe vltimum in executione.* Hæc enim omnia planè intelliguntur de fine Cuius, vt pote cuius adipiſcendi cauſſa agens operatur. Quin etiam 2. Phyſicorum cap. 2. apertè videtur aſſerere *finem Cui non eſſe finem ſimpliciter:* Nam cum ait omnia quæ arte fiunt eſſe gratia noſtri, mox ſubdit: *ſumus enim & nos quodammodo finis*, quaſi non audeat finem Cui, appellare finem ſimpliciter. [a] 2. Phyſ. t. 7. text. 71. [b] 2. Phyſ. ca. 3. & hoc loco. *Text. 24.*

*Vera dubitationis explicatio*

HVIC dubitationi, etſi ſunt, qui ſolum finem Cui, dicāt eſſe propriè finem, in quibus eſt Okamus in 2. Sent. librum: alij verò quos ille impugnat, contra videantur credere ſolum finem Cuius eſſe proprie appellandum finem, tamen dicendum eſt vtrumque genus in finibus ſimpliciter numerari poſſe, cum vterque illorū dicatur, id gratia cuius agens operatur, vt patet ex dictis. Nec refert quod ſemper finis Cuius dirigitur in finem Cui, eique ſubordinatur: iſto enim modo cauſſæ efficientes ſubordinatæ ſuperioribus non eſſent ſimpliciter cauſſæ, vt homo & Sol. Nec verò eadem ratio eſt de inſtrumētis cur non ſint cauſſæ efficientes ſimpliciter, atque de finibus quorum adipiſcendorum cauſſa agentia operantur. Actiones enim attribuuntur

tur simpliciter huiusmodi finis velut iis, propter quos exercentur, non autem instrumentis, quasi ea quæ instrumentis fiunt, ab instrumentis propriè fieri dicantur, cum potius dicantur per instrumenta fieri. Quocirca non placet Henrici sententia qui in Quolibetis putat finem Cuius quem vocat finem sub fine, esse instrumentum finis Cui, quem principalem appellat: idque quia sæpè finis Cuius, est minus præstans, quàm effectus. Nihil enim hoc refert. Nam & in fine Cui id potest accidere, vt in incarnatione filij Dei propter genus humanum. Et quanquam Aristoteles sæpè de fine prioris generis loquatur, non idcirco tamen negandum est finem posterioris generis esse apud illum propriè ac simpliciter finem, præsertim cum non raro eius mentionem faciat. Quod autem ait esse nos quodammodo fines omnium, quæ arte fiunt, ita accipi debet, vt verbum, *Quodammodo*, propriam rationem finis non imminuat, sed alium modum finis afferat, quasi dictum sit: sumus enim & nos fines eorum quæ arte fiunt, sed alio quodam modo. Dixerat enim paulò ante id quod generationis extremum est, finem esse, quod planè intelligitur de fine Cuius.

*Quod lib. 2. quæst. 1.*

*Ex penitur Aristotelis locus.*

PRÆTEREA si imminuendi caussa verbo illo vsus esset, non statim simpliciter & sine adiectione subiecisset duos esse fines à se in Philosophia traditos, hoc est, in quibusdam libris de Philosophia inscriptis, qui non extant: iis enim verbis finem Cuius, & finem Cui significauit, quos postea in secundo libro de anima loco superius citato bis apertè retulit. Alia expositio citati loci esse potest, vt appellet Aristoteles quodammodo fines, non omnes homines, sed eos tantum qui vtuntur iis rebus, quæ ab aliis artificiosè fiunt, eo quòd artifices non simpliciter, sed quodammodo propter alios opera artis conficiant, simpliciter enim propter se, lucrúmque inde percipiendum operantur. Itaque non solum finis Cui, sed etiam Cuius, propriè & simpliciter finis appellari possit.

*Ca. 4. text.*

*Alia eiusdem loci explicatio.*

AD caussam finalem reuocantur media, quæ in finem rediguntur, si modo sint eiusmodi, vt nulla ratione propter se expetantur, vt est potio amara scissio venæ & id genus alia. Quæ enim propter ista fiunt non simpliciter eorum gratia fiunt, sed gratia ailorum finium ad quos ista diriguntur. Quod si media eiusmodi sint, vt etiam propter se expetantur, veluti exercitatio corporis moderata, aut cibus suauis: non erit cur reuocentur ad fines, cùm ipsa etiam absolutè, ac simpliciter fines sint. Quamquam si omnia media, ad quæ alia diriguntur ea ratione sumantur qua propter alia expetuntur: non video cur omnia numerari possiint in finibus secundum quid, & qui reductitiè ad hoc genus caussæ pertineat. Dixi *ad quæ alia diriguntur*, quia medium, ante quod non præmittitur aliud medium nulla ratione finis appellari debet. Atque hæc de finium generibus dicta sint: Sed quoniam ratio caussandi caussæ finalis haud facilè percipitur disquirendum est prius, quænam sint eius effecta: ex his enim minori negotio ipsa caussandi ratio colligetur.

*Quæ ad Finem reuocentur.*

De



*De effectis finalis causæ.*

## SECTIO II.

EFFECTA causæ finalis ex ipsa definitione finis cognosci possunt. Nam cum finis id sit, cuius gratia cætera fiunt: perspicuum est ea quæ fiunt alicuius gratia, esse effecta causæ finalis.

*Effecta finis ex finis definitione colliguntur.*

VERVM dubitatio non mediocris est, quænam intelligantur nomine eorum quæ fiunt alicuius gratia: ea ne sola quæ propriè fiunt, vt domus, aut nauis: an ipsæ etiam actiones quæ non propriè fiunt. Ac sunt qui velint eas tantum actiones, quibus aliquid fit, effecta esse finalis causæ: quod eæ tantum sint media ad finem; media autem & effecta finalis causæ idem videantur esse.

*Quæ nõ sint ea quæ finis gratia fiunt.*

NON placet tamen hæc sententia, tum quia etsi demus effecta causæ finalis & media ad finem idem esse: tamen non solum actiones, sed etiam res quæ per actiones fiunt sunt media ad finem: vt domus ad habitandum, nauis ad nauigandum, & equus ad iter faciendum: tum etiam quia alienum est à ratione, vt nomine eorum quæ fiunt alicuius gratia, ea sola intelligantur quæ impropriè fiunt. Quocirca rectè ait Arist. hoc ipso capite ex mediis quæ ad consecutionem finis adhibentur, alia esse opera, hoc est, actiones: alia verò instrumenta. Illud tamen vtcumque pro hac sententia dici potest, nunquam res quæ propriè fiunt esse actu media ad finem, nisi cũ actu fiunt, aut conseruantur alicuius finis gratia, aut agens illis vtitur in ordine ad illũ.

*Improbatur quorundam sententia.*

MAIOR est dubitatio, num eæ tantum actiones quibus aliquid fit an etiam illæ, quibus intenditur, aut eligitur sint effecta finalis causæ: verbi gratia, vtrum non solum nauigatio quæ diuitiarum causa suscipitur, sed ipsa etiam intentio seu propositum diuitias accumulandi, aut nauigationis electio sint effecta desideratarum diuitiarum, & ab illis pendeant tanquam à causa finali. Videtur communis sententia solas priores in effectibus finium numerare. Primum quia sola media videntur dici effecta finalis causæ actu caussantis: intentio verò & electio rei non sunt media ad consecutionem finis: siquidem omne medium consistit in executione, intentio autem & electio antecedunt omnem executionem. Deinde, quia saltem intentio finis non videtur fieri gratia ipsius finis. Nam cum fieri alicuius gratia nihil aliud sit, quàm fieri alicuius amore: si omnis intẽtio fieret gratia finis intenti, daretur progressus infinitus in effectibus finium: siquidem omnis intentio finium esset effectus alterius intentionis, cum omnis amor finis videatur esse illius intentio.

*Maius dubiũ mouetur circa actiones ad finem tendentes.*

SED dicendum est, omnes actiones quæ fiunt alicuius gratia esse effecta causæ finalis, siue per eas aliquid vtcumque fiat, siue intendatur aut eligatur tantum, modò sint veræ causatæ: quod addiderim propter intentiones & electiones diuinas, quæ vt causam non habẽt à qua pendeant: ita effecta finalis causæ dici nequeunt. Probatur autem hæc assertio, quia cum finis intendatur gratia sui, media verò eligantur finis gratia: etsi nec intentio finis nec electio mediorum propriè fiant, nec per eas adhuc fiat id, quod intenditur aut eligitur:

*Etiam intentiones & electiones esse gratia finis probatur.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Philosophorũ communis sententia.*

necesse tamen est eo pacto quo fiunt, alicuius gratia fieri, ac proinde esse effecta causæ finalis. Et hæc credenda est Philosophorum communis sententia.

Quod autem priori loco contra obiectum est, facilè diluetur, si dicas non omnem effectum causæ finalis esse medium ad finem, si propriè de medio loquamur, id enim propriè medium dicimus, quod propter finem eligitur: at non solum id quod eligitur propter finem, sed ipsa etiam mediorum electio quæ antecedit media, atque adeò ipsa finis intentio quæ suaptè natura prior est mediorum electione, pendent ex fine vt causa.

*Nõ dari progressum infinitum in intentionibus.*

*Omnes virtutem amamus: sed non omnes intendimus.*

Quod verò obiectum est posteriori loco, negatione consequentiæ dissoluitur. Nam etsi fieri alicuius gratia, nihil aliud sit quàm fieri alicuius amore: non tamen inde sequitur dari progressum infinitum in intentionibus. Intentio enim finis ita procedit à voluntate allecta amore finis, vt non procedat ab ea allecta & quasi tracta intentione alia eiusdem finis, sed solum amore illius. Neque enim omnis amor rei est intentio illius consequendæ: siquidem omnes amamus virtutem (quæ etiam in hoste diligitur) nec tamen omnes virtutem intendimus, hoc est, assequi studemus. Itaque intendimus finem amore finis, ipse tamen amor quo allecti illum intendimus, non est intentio seu propositum illius consequendi, sed amor tantum illius, causatus à re quæ est finis in genere causæ efficientis: quod idem dicendum est de desiderio, tametsi effectio talis amoris & desiderij, aliquem etiam finem habet pro causa: sed is finis vt eiusmodi est, non est finis amantis & desiderantis à quo nihil adhuc intenditur, sed rei amatæ, & desideratæ propter quem illa amorem aut desiderium in amante, aut desiderante efficit. Quo pacto Venerea voluptas concepta efficit suaptè natura cupiditatem in homine continente propter finem propagandi genus humanum, qui tamen finis nihil mouet continentem, vt propter illum aliquid agat.

*Obiectio aduersus superiorem sententiam.*

*Soluitur.*

*Quies in fine obtento qua ratione sit eius effectus.*

At obiiciat aliquis, satietatem siue quietem appetitus in obtento fine esse effectum finalis causę, nec tamen in prædictis effectibus numerari: ergo non rectè explicata esse effecta finalis causæ. Sed occurrendum est satietatem siue quietem appetitus in obtento fine eodem pacto posse numerari in effectibus finalis causæ, quo numeratur in effectibus efficientis. Nam quemadmodum satietas & quies appetitus in sanitate acquisita, non ideò dicitur effectus medicinæ, quia causa efficiens tum aliquid agat cum iam appetitus satiatus est, sed quia cum agebat, tantum introducebat quietis, quantum sanitatis ita non ideò dicitur effectus causæ finalis, quia cum appetitus iam satiatus est sanitate, adhuc aliquid propter finem fiat: sed quia cum aliquid propter finem fiebat gratia satietatis & quietis in fine, quantum fiebat propter ipsum finem. Atque hæc de effectibus finalis causæ.

Impu-



*Impugnantur quorundam sententiæ de ratione causandi causæ finalis.*

## SECTIO III.

*Quodlibet. 1. q. 8. & quodlib. 2. q. 1.*

*Opinio Herueis de finis causalitate.*

Quod ergo attinet ad ipsam causandi rationẽ, missis duabus quibusdam opinionibus, quas vt nullius momenti, nullo etiam negotio impugnat Herueus: hanc credit ipse veram finis causalitatem. Quod finis sit in causa, vt media habeant quandam bonitatem & amabilitatem. Verbi causa, quod sanitas intenta sit finis curationis, nihil aliud esse quàm quod sanitas sit in causa, vt medicamenta sint bona & amabilia, quatenus ad illã conducunt, etiamsi alioqui acerba sint & insuauia. Hæc tamen sententia non placet. Primùm quia angustè sumit rationem causandi finalis causæ. Neque enim illam extendit ad intentionem finis, aut electionem mediorum, sed solum ad ipsa media. Deinde quia non agit de causa finali comparatione mediorum actu, sed potentia duntaxat: esse enim amabile propter aliud, non est esse medium actu, sed potentia. Imo vero neque omne id, quod actu amatur propter aliud, est actu medium respectu illius, nisi accedat propositum agendi aut vtendi vno propter alterum, vt ex dictis patet. Alij dicunt rationem causandi finis in eo consistere, quod finis sit in causa, vt media adhibeantur propter illum. Sed neque huiusmodi sententia probanda est, quia non extendit rationem causandi finis, nisi ad media, cum tamen necessario extendenda sit ad priora effecta, vt dictum est.

*Reiicitur & impugnatur. Primo. Secundo.*

*Aliorum opinio.*

*Improbatur.*

*Quidam recentiores.*

*Tertia sententia.*

Alii ne idem incommodum admittant, duplicem existimant ponendam esse rationem causandi huius causæ: vnam respectu agentis, alteram respectu mediorum. Priorem volunt in eo cõsistere quod moueat causam agentem, vt agat seu adhibeat media illius gratia. Posteriorem vero, in eo quod sit in causa, vt media actu adhibeatur eius gratia. Verùm neque ij prorsus attingunt. Quamquam enim hoc pacto vis finalis causæ extendatur ad omnia effecta finis, tamen vbi datur prior causandi ratio, superuacaneum est addere posteriorẽ. Nam vt agens aliquid agat, seu adhibeat media gratia finis intenti, non est opus alia ratione causandi, præter eam qua ipsum permotum est à fine: siquidem eadem ratione causandi & agens mouetur à fine vt velit adhibere media illius gratia, & media ipsa illius gratia adhibentur: nisi quod prius saltem natura agens mouetur à fine, quàm media ab illo adhibeantur. Non secus dictum est suprà, eandem esse rationem causandi materiæ, qua sustinet formam, & qua constituit cõpositum, tametsi priùs natura formam sustineat, quàm compositum cõstituat.

*Non prorsus rem attingit.*

*Q. 1 & 2.*

*Quarta sententia.*

Sunt etiam qui hanc duplicem rationẽ causandi finis ponendam existiment: vnam quod moueat efficientem ad agendum gratia illius consequendi, alteram quod satiet siue quieret illius appetitum, cum primum acquisitus est. Cæterùm neque huiusmodi sententia probari debet. Nam tum primum cessat ratio causandi finis, cùm cessat ratio causandi efficientis propter finem: acquisito autem fine cessat ratio causandi efficientis, vt rectè Aristoteles docet primo de Gene-

*Refellitur.*

*Quies in fine & consummatio actionis eiusdem finis.*

ratione cap.7. ergo & ratio causandi finis. Vnde sequitur satietatem illam & quietem efficientis causæ, nihil aliud esse quàm quòd iam non desideret finem, cum illum possideat, neque ampliùs quicquam agat illius consequendi gratia. Quo fit, vt merito Caietanus in enarratione primæ 2. D. Tho. cum duplicem hanc rationem causandi finalis causæ posuisset, paulò pòst ita se corrigat, aut potius explicet, vt egregiè doceat rationem causandi quàm finis exercet cũ primum obtinetur, potiùs esse consummationem propriè rationis causandi, seu finalizandi, vt ait quam ipsum causandi exercitium: quemadmodum ratio causandi quæ efficiendi tribuitur, cum primum effectus existit non tam est actio, quàm actionis consummatio. Quod si agẽs acquisito fine elicit actum gaudij de illo acquisito: tum certè vt noua existit actio, ita & noua intentio finis, propter quẽ illa exercebitur. *Text.55.* *Q.1.art.1.*

*Vera ratio causandi causæ finalis.*

SECTIO IIII.

*Exponitur Diui Thomæ, Scotiq; sententia.*

MVLTI magniq; nominis auctores, in quibus sunt Diuus Thomas, Scotus, Auicenna, aliiq; eiusdem classis, in eo videntur rationem causandi finalis causæ constituere, quod motu metaphorico, siue translatitio moueat efficientem causam, vt sui obtinendi gratia aliquid agat: quod & colligere ex Arist. videntur, qui priori de Generatione lib. cap.7. tradit valetudinem bonam quæ finis est curationis, impropriè mouere medicum ad curationem adhibendam. Dicunt autem eum motum esse motum allicientis, qui est veluti tractus quidam iuxta illud Poëtæ: *Trahit sua quemque voluptas*, hoc est, res de qua quisque voluptatem se percepturum sperat. Quod enim finis, vt finis est non propriè moueat efficientem causam, ex eo primum patet, quia verus motus est vera actio, finis autem vt finis est non habet rationem agentis, cum sit causa toto genere ab agente diuersa. Deinde ex eo, quia etsi pleræq; res sunt fines, veram efficiẽtiam habere possunt, quo pacto Deus qui est supremus finis noster verè nos mouet, cum in nos sui videndi & fruendi desiderium infundit, & pabulum quod brutæ animantes appetunt; verè ac propriè per odorem, aut aspectum eorum appetitum excitare potest: non sunt tamen fines, quia eiusmodi efficientiam habeant, quippe quæ etsi nullam haberent, tamen allicerent efficientem causam, & eam quodammodo traherent ad agendum sui consequendi gratia: quo pacto locus infimus trahit lapidem è summo, nihil in eum imprimendo, & pleræque res fictitiæ quæ per se nullam efficiendi vim habent, multos ad agendum permouent ipsarum obtinendarum causa. *D.Thom.1.2. q.1.arti.1. De poten.q.3.ar. 1. Scot.1.d.1. ad finem. Auicen. lib. suæ Metaph. tract.3.cap. Arist.1. de Gener.cap.7.* *Motio duplex. Metaphorica & realis.*

*Respectu cuius ratio finis in causando accipiatur ab his authorib. Deus nõ trahitur à fine quo pacto intelligatur.*

VIDENTVR tamen hi auctores non de ratione causandi finalis causæ vniuersè loqui, sed tantum respectu efficientis creati. Nam si allicere & quodammodo trahere quamlibet causam efficientem, est verè causare, tractus ipse, quo quælibet earum hoc pacto à fine trahitur erit verè causatus. Ita actus diuinæ voluntatis, quo Deus sic trahitur ad agendum vel suę bonitatis gratia, vel etiam salutis humanæ causa, alicuiúsve alterius finis creati, causam habebit, à qua verè dependeat



dependeat, quod dici nullo modo potest. Quod enim Patres sæpe aiunt, prædestinationem diuinam etsi non ex parte hominum, tamen ex parte Dei causam finalem habuisse: impropria locutio est, pro eo ac si dicerent, habuisse nostro intelligendi more rationem aliquam, quam à priori Philosophi appellant, ipsam videlicet voluntatem diuinam quæ in his potius quàm in illis suæ bonitatis munificentiam manifestare voluit.

*Ex definitione finis ipsa eius ratio causandi exponitur.*

NON est igitur nobis longiùs ab ipsa finalis causæ definitione discedendum, vt eius causandi rationem quæramus: quod etiam in aliarum causarum generibus fecimus. Itaque dicimus nullam esse aliam rationem causandi finalis causæ, quàm esse id cuius gratia aliquid fit, siue id quod fit sit verè medium ad illud obtinendum, siue electio alicuius medij intentióve agendi propter illud. Hæc enim ratio ad omnia finalis causæ effecta diffunditur, eorumq; omnium dependentiam ab ipso fine declarat. Neque hoc pacto incurrimus in illud incommodum, vt aliquid in Deo causatum admittere videamur. Nam cum intentio seu propositum diuinum agendi hoc propter illud, & ipsa etiam diuina mediorum electio non verè fiant, sed sint ipsa increata Dei voluntas: non cogimur ea dicere effecta esse finalis causæ, dependentiamq; habere aliquam à finibus propter quos Deus agit: quod tamen fateri coguntur qui rationem causandi finis in motione quantumuis impropria & translatitia agentis constituunt. Etsi enim dicunt eam motionem esse translatitiam, volunt tamen esse veram, ac propriam causandi rationem: hanc enim in huiusmodi quæstione disputanda inuenire ac tradere enituntur. Quocirca cum finis dicitur, *id cuius gratia cætera fiunt*, verbum *cætera*, accipiendum est non solùm vt significat media, sed etiam eorum electionem intentionemq; seu propositum agendi si modo electio & intentio vere fiant, hoc est, veram & realem dependentiam ab agente aliquo habeant. *Deus vt agat propter finẽ.*

*Cur, seu propter quod titulus finis quid ostẽdat.*

HOC quod ex definitione finalis causæ collegimus, ex ipso etiam Cur, seu propter quid (quem titulum propriè soli finali causæ tribuimus) intelligi potest. Nil enim aliud his verbis quærimus, nisi qua ratione aliquid agatur. Tum denique ex eo idem probatur, quia hoc primum posito quod aliquid alicuius gratia agatur, ponitur causa finalis: eodemq; sublato primum tollitur. Agimus enim de fine qui actu causat, non qui potentia tantum: quo pacto Deus omni æternitate finis fuit creandarum rerum. Nam etsi non potentia tantum, sed etiam actu ab æterno proposuit ac intendit quicquid in tempore facit ac facturus est: non fuit tamen ab æterno causa finalis, quia ipsum diuinum agendi propositum causam non habuit. Itaque tum primum cœpit esse actu finalis causa, cum aliquid cœpit alicuius gratia facere.

*Finis actus & finis potẽtia.*

*Dilutio quorundam contra approbatam sententiam.*

SECTIO III.

*Primũ argumentum contra superiorẽ sententiam.*

SED contra hanc sententiam duo occurrunt argumenta. Primum sic obiici potest. Nihil actu causat, nisi actu sit: alioqui inter causam realem, & effectum non esset relatio realis: at sanitas, cum Medicus aut ægrotus aliquid eius

Universidad de Deusto
Biblioteca



gratia facit, nondum est actu, igitur non in eo est posita eius ratio causandi, quod eius gratia aliquid fiat. Neque illud est ad rem, quod nonnulli respondent, etsi finis ille, qui dicitur Cuius, nondum existit cum actu causat (semper enim huiusmodi finis acquiritur per actionem) tamen finem Cui, semper existere cum causat: quandoquidem etsi sanitas nondum existit cum mouet ægrotum vt venam scindat, tamen ipse ægrotus, qui sibi sanitatem intendit, iam tum existit. Vnde cum omnis finis, Cuius: dirigatur in aliquem finem Cui, vt ex supradictis patet adhuc omne agens alicuius finis actu existentis gratia operabitur. Noo est inquam ad rem hæc responsio, quia si quicquam momenti haberet, saltem finis Cuius, non esset causa realis, quia non actu causat dum actu existit. Accedit quod neque omnis finis Cui, existit cum eius gratia aliquid fit. Multi enim ad agendum mouentur amore liberorum, quos nondum habent, vt eis parent diuitias & honores quo spectat illud Statij: *Serunt arbores, quæ alteri sæculo prosint.*

*Sect. 10.*

*Relatum à Cic. in Dialogo de senectu.*

*Secundum argumentum.*

DEINDE sic licet argumentari, finis dicitur capite superiore esse id, cuius gratia cætera sunt aut fiunt, non igitur in eo tantum posita est ratio causandi causæ finalis, quod sit ratio, vt eius gratiâ res aliqua fiat, sed in eo etiam, vt aliquam vim habeat in eam quæ iam facta est: Exemplum sumi potest in finibus instrumentorum, quibus opifices vtuntur. Etenim opus dolandi, quod est finis dolabræ, non solum est id cuius gratia fiat dolabra, sed etiam id, cuius gratia dolabra existit postquam est facta, quod idem de cæteris instrumentis dicendum est: nihil enim minus instrumenta essent propter finem, si non fierent, sed ex se essent, quàm quia fiunt propter finem. Confirmaturq; ex eo argumentum, quia demonstrationes quæ fiunt de rebus naturalibus, procedere possunt per omnes causas nõ solum quoad fieri, sed etiam quoad esse: alioqui de cœlo non possent ex Aristot. sententia fieri demonstrationes per omnia causarum genera, quod is credere videatur cœlestia corpora non esse facta, cum tamen facilius inueniatur finis in rebus cœlestibus, vbi nulla est temeritas, quàm in his inferioribus, quæ magna ex parte casui & fortunæ subiecta sunt, quod ipse eodem libro docet.

*Exemplum ab instrumẽtis opificum.*

*Confirmatio argumenti.*

*2. de Cælo 1. à textu vsque ad 21.*

*Soluitur primum.*

VERVM ad priorem obiectionem, negandum est nihil actu causare, nisi actu sit. Nam etsi id verum est in cæteris causis, (modo existentiam efficientis sæpe ab instrumentaria suppleri intelligas) tamen in causa finali non est verum. Ratio huius discriminis est, quia sola causa finalis causat vt res desiderata. Neque enim res desideratæ dum desideratur repugnat non esse: cum tamen repugnet sustinenti, informanti & influenti. Quare frustra conantur nonnulli ostendere finem simul esse cum actione qua acquiritur, ne videantur negare pronunciatum illud, causam non causare actu, nisi cum actu est. Itaque dicunt finem simul esse cum actione, si non positiuè & in eodem instanti, certè negatiuè vt aiunt, & immediatè, eò quod finis actionem immediatè sequatur. Sed nescio quo pacto non vident sæpe interrumpi actionem, neque ad finem intentum peruenire. Quin neque illud est verum inter omnem causam realem, & effectum realem dari relationem

*2. Phys. t. 42. & 46. & lib. de partib. anim. cap. 1.*

*Causa finalis etiam non existens causat.*

*Causam non causare actu, nisi cum actu est, quomodo intelligendũ.*



nem realem, nisi causa & effectus realis simul existant.

*Soluitur secundum.*

AD posteriorem dicendum, cum Aristotelseait finem esse id, cuius gratia cætera sunt aut fiunt, latè definiri causam finalem, vt comprehendatur non solum quæ actu exercet rationem causandi, sed etiam quæ iam exercuit, quomodo pater dicitur causa efficiens, non solum eius filij quem actu generat, sed etiam eius, qui iam natus & adultus est, citra quem nihil iam actu efficit. Hoc igitur modo finis dici potest id, cuius gratia cętera sunt aut fiunt, quia vel comparatur cum iis, cum quibus actu exercet suam causandi rationem, quæ quidem intelliguntur in verbo *fiunt*, vel cum iis, cum quibus iam exercuit, quæ significantur verbo *sunt*. Necesse est enim, vt ea quæ habent causam finalem actu fiant, aut iam ante facta sint illius gratia: quo fit, vt hæc duo inuicem repugnent, aliqua instrumenta esse suaptè natura propter finem, & nunquam esse facta propter finem, vnde illud etiam efficitur nihil posse esse ex se, & simul propter finem, siquidem esse ex se excludit causam efficientem, esse autem propter finem secum affert efficientem, siue quæ actu agat, siue quæ iam egerit. Quod vero attinet ad id, quod de cœlo adiectum est, apertè dicit Arist. lib. 12. huius operis cap. 7. cœlum & totam rerum naturam à primo mouente pendere, hoc est, conseruari, quod certè est efficientiam quandam exercere, atque hoc ipsum magno argumento est, illum putasse mundum esse vere productũ à Deo, tametsi ab æterno, vt eo loco ostendemus.

*Expositio notanda definitionis Aristot.*

*Ita Herv. Quodl. 2. q. 1*

*Text. 15.*

*Cælum an habuerit causam efficientem ex mente Aristot.*

## NVM FINIS SIT CAVSA SECVNDVM ESSE INTENTIONALE, QVOD VOCANT, an verò secundùm esse reale.

## QVÆSTIO XI.

### *Argumenta pro priori parte quæstionis.*

### SECTIO I.

*Quid sit intentionale esse, quid reale.*

HÆC quæstio cum superiori planè cohæret. Nam cum ex superiori constet rationem causandi causæ finalis in eo consistere, vt eius gratia aliquid fiat, res autem quæ est finalis causa duplex esse habeat, vnum in mente, quod obiectiuum & intentionale dicitur, alterũ reale, quod appllatur extra causas: mox sese offert ambiguitas, num illa secundum esse intentionale suo modo concurrat ad effectum, causamque efficientem moueat, cum moueri à fine potest, an verò secundum esse reale.

*Finem agere secundum esse intentionale probatur. Primo.*

QVOD igitur id faciat secundum esse intentionale, his argumẽtis videtur ostẽdi. Primum quia nihil mouet actu, nisi quatenus est actu: necesse est enim vt sit actu quicquid deducit alterum de potentia in actum) finis autem dum mouet efficientem causam non necessario est actu secundum esse reale, vt patet in sanitate dũ mouet medicum

Universidad de Deusto
Biblioteca



cum ad curationem adhibendam, & tamen neceeſſario eſt actu ſecundum eſſe intentionale: aut enim intenditur à proximo agente, aut ſaltem à primo à quo proximum dirigitur.

*Secundo.* DEINDE quia finis non mouet cauſam efficientem niſi quatenus eſt prior illa, atque adeò prima cauſarum: at finis non ſemper eſt prior efficiente ſecundum eſſe reale, cùm ſæpe ſit effectus illius, & tamen neceſſariò eſt prior ſecundum eſſe intentionale. Semper enim intentio finis præcedit ſaltem natura executionem agentis. Vnde eſt illud quod omnes ex lib.7.huius operis cap.7.eliciunt ac approbant, finem eſſe primum in intentione, & vltimum in executione.

*Tertio.* TERTIO quia finis non mouet cauſam efficientem niſi dum efficiens cauſa illius graria aliquid agit, vt ex definitione finis videtur conſtare: at poſtquam finis exiſtit ſecundum eſſe reale, nihil iam fit eius gratia: acquiſito enim fine ceſſat actio, vt Ariſtoteles docet 1. de Gener.cap.7. *Text.55.*

*Quarto.* POSTREMO quia multi ſunt fines quibus repugnat realis exiſtentia: vt ſi quis conetur commenſurare diametrum lateri: & tamen nulli repugnat eſſe intentionale. Quò pertinet illud quod Ariſt. hoc cap. ait de eo, quod eſt finis, interſit autem nihil, bonúmne id, an apparens bonum dicatur, vt nimirùm verè ſit finis, ac more ſuo cauſam efficientem ad agendum moueat. Atque hæc ſententia videtur eſſe D. Thomæ 1.2.q.1.art.1.ad primum, & Auicennæ 6.ſuę Metap. cap.5.eamq; planè amplectitur Paulus Soncinas, & alij plerique. *Auctores huius ſententiæ.* *Text.3.* *Soncin.hic lib.q.3.*

*Argumenta pro parte poſteriori.*

## SECTIO II.

*Alia ſententia. Finem agere ſecundum eſſe reale ſuadetur.* QVOD tamen potiùs dicendum ſit finalem cauſam concurrere ad effectum, & mouere efficientem creatam ſecundum eſſe reale, his argumentis concluditur. Primum, quia ſecundum illud eſſe mouet finis ſecundum quod appetitur nec deſideratur: at finis non appetitur nec deſideratur ſecundum eſſe intentionale, ſed ſecundum eſſe reale. Neque enim ſatiatur appetitus aut deſiderium agentis apprehenſo fine, ſed re ipſa obtento: cum potiùs ex apprehenſione finis (quod eſt eius eſſe intentionale) excitetur in agente deſiderium illius obtinendi ſecundum eſſe reale. *Primum argumentum.*

*Secundum argumentum.* SECVNDO, quia nihil aliud eſt finem mouere cauſam efficientem, quàm allicere illam ad agendum vt ſe conſequatur: finis autem non allicit cauſam efficientem vt ſe conſequatur ſecundum eſſe intentionale ſed reale: quandoquidem cum allicit, iam habetur ſecundum eſſe intentionale, nec deſinit allicere niſi cùm obtinetur ſecundum eſſe reale. Hoc argumentum etſi eandem vim habet cum ſuperiori, tamen perſpicuitatis gratia quaſi alterum adiectum eſt.

*Tertium argumentum.* TERTIO, quia ſecundum illud eſſe mouet finis cauſam efficientem ſecundum quod ſi non obtineatur, fruſtra agens gratia illius laboraſſe, aut omnino aliquid egiſſe dicitur, iuxta illud ſecundi Phyſ. cap.6. Tum aliquid fruſtra dicitur factum, cùm id non euenit, cuius gratia *Text.60.*



gratia fiebat: at agens non dicitur fruſtra egiſſe alicuius gratia, niſi cum illud non obtinuit ſecundum eſſe reale, vt inductione patet. *Quartum argumentum.*

POSTREMO, quia omnia quæ de fine dicuntur quatenus propriam cauſſandi rationem exercet, conueniunt illi ſecundū eſſe reale: vt quod ſit cuius gratia aliquid fit: quod ſit optimū quiddam comparatione eorum quæ gratia illius fiunt: quod ſit extremum in executione, & quo obtento ceſſet actio, immo etiam, quo prid ſi mum in intentione: id enim quod primo intenditur, eſt id quod vltimo obtinetur: quod ſanè non verè dicitur de fine, niſi ſecundum eſſe reale. Atque hanc ſententiam ſequitur Auen-rois lib.12.huius operis, vbi plane docet finem vt eſt in anima, eſſe cauſſam effectiuam deſiderij: at verò vt eſt extra, eſſe cauſſam illius finalem: quam diſtinctionem multi ſequuti ſunt, eámque ingeniosè explicat Caiet. in comment. primæ partis D. Tho. ad quæſtionem 80. *Comm.36.* *Artic.2.* *Auctores prohac parte.*

*Approbatio vtriuſque partis, magis tamen poſterioris.*

## SECTIO III.

*Vtà nonnullis prædictæ ſententiæ conciliantur.* ADEO firmis rationibus confirmata eſt vtraque pars propoſitæ quæſtionis, vt ambæ videantur in aliquo ſenſu amplectendæ.

QVO circa ſunt qui hoc pacto vtramque concilient. Finem duobus modis cauſare, ſuóque modo mouere: vno alliciendo efficientem cauſam ad agendum ſui gratia: altero ſatiando eius appetitum ac quietando: atque priori modo eſſe cauſam ſecundum eſſe intentionale, poſteriori autem ſecundum eſſe reale.

*Improbatur expoſitio.* VERVM hæc ſententia non placet. Nam cum primum finis ab agente obtentus eſt, tum primum ceſſat actio, potiorique ratione motio ea, qua efficiens à fine mouetur ad agendum. Accedit, quod ſecundum illud eſſe mouet cauſa finalis efficientem ad agendum, quo illius deſiderium ſatiat: quare ſi ſatiat ipſo eſſe reali, non dubiū eſt, quin illam moueat ad agendum ſecundum eſſe reale.

*Vera conciliatio vtriuſque partis.* POTIVS ergo conciliandæ ſunt partes huius quæſtionis diſtinctione verbi, *ſecundum*, vt eas conciliat Caietanus & alij nonnulli. Si enim ſumatur, vt ſignificat ſolam conditionem ſine qua finis nō mouet, neque omnino cauſſat, prior pars quæſtionis vera eſt. Neq; enim finis mouet cauſam efficientem ad agendum, niſi apprehendatur vel ab ea, vel ab alia ſuperiori à qua efficiens dirigatur, vti diximus. Nam quemadmodum cauſa efficiens indiget certa propinquitate ad veram actionem: ita finis indiget apprehenſione ſui ad metaphoricam illam, quam verè ſuo modo cauſat. Si verò ſumatur, vt ſignificat id, quo finis formaliter cauſat, efficientémque cauſam ad agendum allicit: non dubiū eſt, quin poſterior pars ſit vera: Id enim quo agens formaliter allicitur ad agendum, eſt ipſum eſſe reale rei, quam conſequi deſiderat. Hoc igitur modo conciliari poſſunt huiuſce quæſtionis partes, quæ alioqui pugnare videntur, quicquid ſenſerint auctores, qui hanc vel illam amplexi ſunt. Eadémque diſtinctio verbi, *ſecundum*, adhiberi poteſt vocibus, *Vt*, *Qua*, *Quatenus*, & ſimilibus. *Prima.2.q.1.art.1.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Posterior pars anteponitur.*

VERVM etsi vtraque pars quæstionis propriè ac simpliciter vera est iuxta duplicem sensum verbi, *secundum*, tamen posterior (si altera tantum in respondendo reddenda est) longè dignior videtur philosophica responsione: quandoquidem non explicat conditionem finis, sed id, quo finis formaliter caussat.

*Dubitatio circa modum causandi finis.*

SED quærat aliquis, quo pacto finis caussет secundum esse reale: vtrum secundum esse reale vt futurum est, an verò vt absolutè sumitur: nam secundū esse reale quatenus est præsens, non iam suo modo mouet ac causat, sed suum motum causandiq; rationem complet.

*Eadem distinctione qua superior quæstio dissoluitur.*

HAEC dubitatio eadē distinctione dissolui potest. Nam si de conditione finis agitur: futurum esse est conditio, sine qua non caussat, quemadmodum esse apprehensum: si verò de eo quo formaliter causat: esse reale absolutè sumptum, est id quo mouet. Nam etsi sanitas non mouet nisi vt futura, hoc est, nisi vt nondum est: id tamen, quo mouet non est ipsum futurum esse, sed ipsa sanitas absolutè accepta, cui accidit vt nondum sit. Interpretatus autem sum esse futurum pro eo, quod nondum est, quia vt finis moueat, nō est necesse vt

*Finis vt agat non est opus vt futurus omnino sit, sed vt non existat.*

absque dubio futurus sit, sedtantum vt nondum existat. Ampla enim messis fortè non futura mouet agricolam vt mandet terræ semina: & sanitas quam ægrotus sæpe non consequitur, mouet medicum ad curationem adhibendam. Atque id, quod de hac conditione finis est dictum, intelligendum est de fine Cuius: hic enim cum suo modo mouet, aut nondum existit re ipsa, veluti possessio pecuniarum: aut si existit, nondum tamen est re ipsa acquisitus, vt ipsæ pecuniæ. quæ etiam finis cupidi appellari possunt, Nam, quod attinet ad finem Cui, nihil prohibet quominus re ipsa existat cum mouet: immo verò multo sæpius accidit, vt iam existat, quàm vt futurus sit.

*An finis apprehensus effectiuè etiam concurrat.*

QVAERAT etiam aliquis num finis secundum esse intentionale, seu quatenus apprehensus, concurrat effectiuè ad motum, quem causat in agente: an verò in genere causæ finalis. Ad hanc dubitationem dicendum est, nihil aliud esse finem concurrere secundum esse intentionale ad talem motum, quàm concurrere per apprehensionem sui. Quod si apprehensio boni concurrit effectiuè cum voluntate ad eliciendum actum volendi: non dubium est quin finis,

*Affirmativa pars quo modo defendi possit.*

quatenus apprehensus concurrat effectiuè ad eiusmodi motum, vt Auenrois existimat, quem nos paulò antè citauimus. Hoc tamen intellige si agentis intentio verè causetur à fine, cuiusmodi non est intentio primi agētis. Si verò apprehensio boni non concurrit effectiuè cum voluntate ad eliciendum volendi actum, vt alij sentiunt: non: concurret vtique finis quatenus apprehēsus ad prædictum motum, sed erit eius apprehensio dispositio quædam ad illum. Vtcunque autem res habeat, nihil erit absurdi si apprehensio finis ea ratione dicatur concurrere in genere causæ finalis, quia ostendit finem, vt D. Thom. exponit. 1.p.q.82. art.4. Id enim non est caussaredirectè ac per se in genere causæ finalis sed reductitiè & per accidens quo etiam pacto is, qui dat consilium dici potest causare in genere caussæ finalis, quod finem rei agendæ proponat.

*Item negatiua.*

*Sectione superiori*

*Vt Ferrar. contra Gent. cap.44.*

Solutio



*Solutio argumentorum, quæ pro priori parte quæstionis proposita sunt.*

## SECTIO IIII.

RELIQVVM est igitur, vt dissoluamus argumenta, quæ pro priori parte quæstionis proposita sunt, qua ex parte videntur concludere esse intentionale, esse id quo formaliter causa finalis mouet. In qua sententia non est D. Tho. vt nonnulli putant, cum planè oppositum doceat 1. contra gen. cap. 75. Neque obest, quod in loco primæ 2. superius citato ait, *finem habere rationem caussæ, vt est primus in intentione.* qui locus multos Thomistarum fefellit: hæc enim verba non significant id, quo finis formaliter caussat, esse ipsum esse intentionale: sed esse id, quod primo intenditur, quod quidem est esse reale: Quo etiam fortasse modo intelligi possunt veterum multorum dicta, siquis ea ad verum sensum reuocare velit, quod nonnulli faciunt.

*D. Thomam in 1. sentētia non fuisse.*

AD primum igitur dicendum est hoc interesse inter mouens propriè & metaphoricè, seu inter verè efficiens & obiectiuè alliciens, quod nihil propriè mouere potest, nisi sit actu in rerum natura saltem per instrumentum aliquod, cuius interuentu agat. Vt autem metaphoricè moueat hoc satis est, quod sit actu apprehensum à creato agente: isto enim modo deducitur caussa agens è statu intendentis potentia, ad statum intendentis actu: verum ipsum esse reale, quod intenditur est ratio mouendi: conceptio autem illius est conditio sine qua non mouet.

*Soluitur primum argum. pro priori sententia.*

AD secundum dicendum est, semper finem secundum esse reale esse natura priorem proposito, & intentione eius efficientis in quo sui desiderium caussat, electionémque & sequentium actionum executionem. Cum autem obijcitur esse reale finis sæpè esse effectum efficientis, ac proinde finem secundum esse reale non esse priorem efficiente, sed posteriorem: neganda est consequentia. Potest enim esse tum prior, tum etiam posterior, in alio atque alio genere caussæ. Nam vt allicit agens, est prior illo in genere caussæ finalis: vt verò ab illo efficitur, est posterior in genere caussæ efficientis. Atque hac ratione tam sæpè Philosophi in ore habent finem esse primum in intentione, & vltimum in executione: vtrumque enim secundum esse reale intelligendum est. Namque id ipsum primo intendit agens, quod tandem actione consequitur.

*Vt Caiet. 1. 2. q. 1. art. 1. & Ochan 2. sent. q. 3.*

*Soluitur secundum.*

*Idem finis prior & posterior in diuerso genere.*

AD tertium dicendum, nihil aliud colligi, quàm quod finis Cuius non moueat secundum esse reale præsens, quod iam concessimus: potest tamen mouere secundum esse reale nondum existens, & absolute etiam sumptum, iuxta traditam distinctionem verbi, *secundum.*

*Solnitur tertium.*

AD postremum dicendum est, esse reale cum de fine agitur, latè accipiendum esse, pro esse quod aut reale sit, aut tale esse videatur: quemadmodum Aristot. ait sumendum esse, pro eo, quod aut verè bonum est aut bonum apparet. Hoc enim satis est, vt verè sit finis id est, vt eius gratia verè aliquid fiat, ipséque verè alliciat caussam efficientem ad agendum sui consequendi gratia.

*Quarta solutio.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Nomine esse realis quid in hac materia intelligendum*

ADVERTE tamen nomine esse realis veri aut apparentis, intelligendum esse in hac materia esse possibile obtineri, aut quod obtineri possit videatur, etiam si illud non sit verè reale, sed rationis, quale est concipi ab aliis, magni æstimari, & similia: aut etiam negatiuum, quale est miseriarum, vt ita dicam carentia, propter quam à plerisque mors eligitur: sumimus enim in tota hac quæstione reale pro eo, quod quomodocunque euenire, aut potest, aut videtur posse: quandoquidem id omne intendi potest ab agente.

*Possibile quàtenus hic capiendum.*

ILLVD etiam aduerte, possibile tam latè quoque intelligendũ hic esse, vt etiam pro eo accipi debeat, quod non videtur impossibile, multa enim intendimus de quibus dubitamus num re vera obtineri queant, vt si quis dubitet, num possibile sit circulum quadrare: & tamen conetur eius quadrationem inuenire.

*Obiectio.*

AT obijciet aliquis, ergo relabi nos iam in id quod minus probauimus, iam enim concedimus finem mouere secundum esse apprehensum & æstimatum possibile, quod est esse intentionale. Sed neganda est consequentia: si quis enim concipiat cõmensurationem diametri cum latere quadrati esse possibilem, ob idque eam conetur demonstrare, non eum mouebit tanquam causa finalis ipsa cõceptio talis commensurationis, vt possibilis, quemadmodum neque conceptio aliorum finium verè possibilium (iam enim eam conceptionem habet, vt propter eam habendam nihil agere necesse sit) sed ipsa commensuratio concepta, vt possibilis, quam nondum assecutus est. Quod idem in aliis exemplis quæcunque afferantur haud difficile intelliges. Denique aduerte esse possibile vt expositum à nobis est, non mouere vt finem, nisi, quatenus bonum est, siue conueniens rei cui intenditur, etiam si ipsa conuenientia non moueat vt id, quod intenditur, sed vt ratio sub qua intẽditur: de qua re ad cap. 2. lib. 4. fusius disputatum est.

*Solutio.*

*Finis nõ nisi sub ratione boni mouet.*

## NVM OMNES CAVSAE SECVNDAE *cuiuscunque sint generis, Deo essentialiter subordinatæ sint.*

## QVÆSTIO XII.

*Negatiuæ partis confirmatio*

### SECTIO I.

*Connexio huius quæstionis cum superioribus.*

EXPOSITA ratione cuiuscunque generis causarum, non erit absre disquerere, Num quemadmodum cum de efficientibus ageremus dictum est, omnes secundas esse essentialiter subordinatas Deo, ita & in cæteris generibus accidat. Nec enim res hæc caret difficultate, & ea quidem non mediocri: adeo vt ne de efficientibus quidem recte id conclusum videatur.

*Causam essi*

QVOD enim nec efficientes essentialiter subordinatæ sint Deo, ex eo non modo probatur, sed etiam conceditur à plerisque, quod alioqui nihil fieri à Deo posset sine causa secunda. In iis enim quæ sunt essentialiter subordinatæ, vt inferior à superiori in agendo pendet, ita & superior ab inferori, vt aiunt. Accedit quod in liberè agentibus, cum ea subordinata sunt, si culpa inferiori tribuitur in agendo, superiori quoque tribuenda est: at Deus & homo sunt agentia libera, & homini tribuitur culpa multorum operum, quæ Deo tribui non potest, igitur homo in iis operibus non est subordinatus Deo, tantum abest vt sit illi essentialiter subordinatus.

*cientem non subordinari Deo. Probatur. Primo Secundo.*

QVOD verò nec materiales, luce clarius videtur. Causæ enim quæ essentialiter subordinatæ sunt, ad idem genus causæ pertinent: at Deus materialis causa non solum non est, sed nec esse vllo modo potest: idque omnes cum Philosophi, tum Theologi asserunt. Adde si materia prima esset subordinata Deo, fore vt iam non esset prima causa eius generis, sed secunda, ac proinde materia secunda non prima: cum ergo illam dicamus primam, nullo pacto concedere debemus, esse Deo in caussando essentialiter subordinatam, ac proinde nec secundam: esset enim secunda subordinata per primam, quod nulla tunc esset. Quod autem nec formales essentialiter subordinentur Deo, ex eo constare videtur, quod formales duo complectũtur genera, exemplarium, scilicet, & informantium, quorum alterum alteri, cum diuersa sint genere essentialiter subordinata esse ne queunt: exemplares autem cùm sint ipse Deus, nec Deo, nec rei vlli infra Deum subordinari possunt. Si verò informantes (essentialiter subordinatæ sunt Deo, necessariò admittendum videtur, Deum esse formam informantem, ac proinde partem compositi: quod & per se absurdissimum est, & ab omnibus negatur. His adde, effectum formalem sufficienter prouenire à sola forma in genere causæ formalis, vt esse album à sola albedine, & esse equum à sola forma equi: quo enim pacto Deus concurrat ad eiusmodi effectum, præterquam efficienter, non videtur iutellectus capere.

*Neque materialem.*

*Neque formalem, siue exẽplarẽ accipias siue informãtem*

QVOD demum nec finales, ex eo probari potest, quia peccatum est actio quædam propter aliquid infra Deum, nec tamen dirigitur in Deum tanquam in finem, cum potius sit auersio à Deo. Adde cum duplex sit finis, alter cuius cõsequendi causa: alter in cuius gratiam aliquid fit (quos appellamus Cuius & Cui) eum qui malè agit nec eo pacto agere vt Deum promereatur, neque vt in eius gratiam aliquid faciat: ergo cum ille nihilominus agat propter aliquem finem, non erit is finis in caussando subordinatus Deo. Accedit quod agens liberum aliquando sibi proponit vt finem id, quod re vera impossibile est, quod autem est impossibile, nullo pacto videtur Deo subordinari, quemadmodum nec in Deo virtute contineri. alioqui iam esset possibile non impossibile.

*Neque finalem Primo. Secundo. Tertio.*

*Conclusio partis affirmatiuæ.*

### SECTIO II.

*Quæstionis pars affirmãs probatur. Primo à fini*

AD hanc quæstionem responderi solet, caussas omnes infra Deũ, si efficientes quidem sint aut finales, esse illi essentialiter subordinatas: at si sint materiales, aut formantes, non item. Cuius rei ea redditur

Universidad de Deusto
Biblioteca



*litudine efficientium.*

redditur ratio, quia cauſſæ eſſentialiter ſubordinatæ, vt ſæpius dictum eſt, debent eſſe eiuſdem generis in cauſando: etſi autem cauſſare in genere cauſſæ efficientis & finalis nihil imperfectionis importat: cauſari tamen in genere cauſæ materialis & formalis informantis, imperfecta genera cauſandi ſunt, & quæ Deo conuenire non poſſunt.

VIDETVR tamẽ vniuerſè dicendũ, omnes omnino cauſas creatas, eſſe Deo eſſentialiter ſubordinatas: tametſi hoc non tam aſſerendi gratia dictum volumus, quàm oſtendendi. quàm ſit rationi cõſentaneum, & excellentiam primæ cauſæ deceat, quamquam primo aſpectu contra pleriſque videatur. Nec ſanè crediderim vllum eſſe ſcriptorem ſiue ex Theologis, ſiue ex Philoſophis, qui in eo ſenſu in quo res hæc oſtendetur (qui ſolis in hac generali quæſtione proprius ac germanus cenſeri debet) concluſionem propoſitam, nõ eſſet admiſſurus & planè defenſurus, ſi apud eum quæſtio hæc exquiſitius tractaretur, & in cauſalitate cuiuſque cauſæ creatæ, ſic omne proprium creaturæ ad viuum, vt ita dicam, reſecaretur, vt planè perſpici poſſet, quid ei cum Deo cauſante commune ſit.

*Secunda à definitione cauſſæ.*

OMNES igitur cauſſas creatas cuiuſcunque generis ſint eſſe Deo eſſentialiter ſubordinatas, ex eo primum probatur, quia vnaquæque cauſa in ſuo genere dat eſſe, & omnis effectus (ſaltem cum fit) à propria cauſa ſuſcipit eſſe, quod autem nihil det eſſe, quocunque modo id fiat, non concurrente ad eum modum dandi eſſe ea cauſa, cui primo conuenit dare eſſe, apertius videtur, quã vt probatione indigeat.

DEINDE, quia cum ex ſuperius dictis conſtet, efficientes cauſſas eſſe eſſentialiter ſubordinatas Deo, idque etiam concedi ſoleat de finalibus, non eſt cur cæteræ ab ea ſubordinatione eximẽdæ ſint. Omnes enim æquè dependentes eſſe debent à prima cauſa ſimpliciter, nec maior eſt ratio cur in creatis efficiens & finis indigeant concurſu Dei ad cauſandum, quàm materia & forma informans.

*Tertia à dependentia cauſſarum à Deo.*

TERTIO, quia ſi qua res cauſaret aliquid, non concurrente Deo cum illa ad ipſum cauſandi actum, & ſi ipſa eſſet dependens in ſuo eſſe à Deo, non eſſet tamen ab eo in cauſando dependens: at nullo modo videtur dici poſſe aliquid præter Deum eſſe independens in cauſando. Ad hoc enim tanquam erroneam ſententiam vrgeri ſolet Durandus, quòd dicat, nulla ratione alia concurrere Deum cum ſecundis cauſſis efficientibus, niſi conſeruando earum eſſe.

*Quarta à remotione eorum quæ in materiali & formali obſtare videntur.*

QVARTO, quia ſi quid obſtaret quo minus Deus cõcurreret cum materia & forma informante in proprijs earum cauſandi generibus (propter hæc enim duo cauſarum genera præcipue propoſita eſt quæſtio) eſſet imperfectio cauſandi cauſæ meterialis & formalis informantis, quòd tota ratio cauſandi materiæ in recipiendo videatur conſiſtere, totáque cauſandi formæ informantis videatur poſita in informando ſiue actuando: at ex iis quæ ſuprà diſputata ſunt conſtat, materiam non ſolum cauſare recipiẽdo in ſe formas, quod imperfectionis eſt, ſed etiam ſuſtinendo materiales in ipſo earum eſſe quod nullam imperfectionem importat, conſtat item formas nõ ſolum



lum cauſare actuando materiam, quod imperfectum eſt, ſed etiam continendo eam in ipſo eius eſſe, quod nihil imperfectionis ſignificat: nihil igitur obſtat quominus Deus cum materia & forma concurrat in propriis earum cauſandi generibus.

*Obiectio.1.*

NON deſunt qui huic argumento reſpondeant, immo etiam obijciendo ſe opponant, dicẽtes: primum quidem etſi proprium eſt materiæ ſuſtinere materiales formas in ipſo earum eſſe, non tamẽ ſuſtinere illas niſi recipiendo, cum interim Deus nullam formam ſuſtinere recipiendo poſſit. Etſi proprium quoque eſt formarum informãtium continere materiam in ipſo eius eſſe, tamen non continere illam, niſi eandem actuando et informando per ſe ipſas, quod quidem Deus facere non poteſt: quare cum propter hos recipiendi & actuandi modos nihil peculiare reperiatur in cauſſalitatibus materiæ & formæ, cum dare eſſe ſit commune cæteris cauſſis, & ſimiliter cõueniat efficienti & fini, atque materiæ & formæ, nec alia ratione formæ quàm materiæ, vt volunt: non eſt igitur cur ex eo quod materia ſuſtinet formam in ſuo eſſe & forma materiã in ſuo eſſe continet, concludatur, Deum cum illis cõcurrere in proprijs earũ cauſſandi generibus, modiſve cauſandi.

*Obiectio.2.*

DEINDE ſi Deus concurrit cum materia ſuſtinendo formam, & cũ forma continendo materiã, per quid alteram ſuſtinet, ſi eam non recipit, per quid etiam alteram continet, ſi eam non actuat? per aliquam ne actionem? at hoc iam eſt incidere in cauſalitatem efficientis, materia autem & forma non poſſunt eſſentialiter ſubordinari Deo vt cauſſæ efficienti, cum omnes cauſæ eſſentialiter ſubordinatæ debeant eſſe eiuſdem generis in cauſando, vt ſupponitur.

*Solutio prioris*

SED hæc refelluntur facile. Nam ad prius illud manifeſtæ ſunt inſtantiæ. Cauſæ enim efficientes, quæ conſtant materia, non agunt niſi tangendo, & tamẽ Deus concurrit cũ illis in genere cauſæ efficiẽtis non tangendo: Omnes item ſecũdæ efficientes, ſiue materia conſtent, ſiue ſint matetiæ expertes, non agunt niſi dependẽter: & tamen Deus concurrit cum illis vt cauſa efficiens independenter. Potentiæ quoq; noſtræ apprehenſiuæ & appetitiuæ cum prodeũt efficienter in actus vitales, perficiuntur: tamen Deus ita cum illis concurrit efficienter, vt nõ perficiatur. quid igitur impedit quominus materia non cauſſet in ſuo cauſandi genere ipſum eſſe formarum materialiũ, niſi recipiendo: nec forma informans ſuo modo cauſſet ipſum eſſe materiæ, niſi informando, & tamen Deus concurrat cum illis in peculiaribus earum cauſandi generibus diſtinctis à rationibus cauſandi efficientis, & finis, nihil recipiendo aut informando.

QVOD ſi eos datæ reſponſionis pœniteat, atque ad argumentum à principio reſpondeant, in modo cauſſandi materiæ nihil aliud cerni niſi ipſam receptionem paſſiuam quam Deus exercere non poteſt, & in modo cauſandi formæ nihil aliud, quàm ipſam informationem actuationemue, quæ Deo conuenire nequit, & falſum aſſument, & minimè ſatisfacient. Nam in modo cauſandi materiæ, aliud eſt recep-

tio

ptio formæ, quam ipsa exercet cũ omnibus formis: aliud sustinentia, vt sic dicam ipsius esse formarum, quam non exercet cum forma humana. Similiter in modo causandi formæ, aliud est actuatio materiæ, quam exercent formæ omnes, etiam accidentales, aliud continentia ipsius esse materiæ, quam non præstant accidentales, nisi dispositiuè, & secundum quid. Quin etiã non videtur implicare contradictionẽ quod materia per diuinam potentiam assumatur ad sustinendum esse formæ distantis, quam non recipiat: & forma item ad continẽdam materiam distantem, quam minimè actuet: quemadmodum ignis assumi potest ad calefaciendum & comburendum lignum, quod nec per se, nec per medium corpus tangit. Denique, in Beatis diuina essentia habet rationem formæ intelligibilis, per quã illi habent esse diuini consortij altissimi ordinis, & in beatificam prodeunt cognitionem: & tamen Diuina essentia non informat intellectum Beatorum: aliud ergo cernitur in modo causandi materiæ, quàm receptio formæ: & aliud in modo causandi formæ, quàm actuatio materiæ siue subiecti.

*An implicet assumi materiam ad informandam formã distãtem.*

*Notã actionẽ in distans.*

QVAMQVAM, etsi nihil aliud cerneretur: adhuc tamen Deus concurreret ad eiusmodi receptionem & actuationem, non recipiendo, nec actuando: quemadmodum etsi in ratione causandi ignis nihil aliud esset quàm tactus: adhuc tamen Deus concurreret ad eiusmodi tactum non tangendo. Atque ad hoc referri potest generaliter illud, quod in libro de causis dicitur de efficiẽte: Causa prima, inquit, adiuuat secundam causam super operationem suã, quoniam omnem operationem, quam causa efficit secunda, efficit etiam causa prima: veruntamen efficit eam per modum sublimiorem. *Cap. 1.*

EX quibus patet, cum illi addunt in causalitatibus materiæ & formæ nihil peculiare reperiri præter ipsos recipiendi & actuandi modos, quia dare esse & commune sit cæteris causis, & similiter conueniat efficienti & fini: atque materiæ & formæ, nec alia ratione formæ quàm materiæ: & falsum assumere vt ex dictis patet, & vitiosa probatione vti: quod ex eo constat, quia non ita commune est omnibus causarum generibus dare esse, vt vnum eodem modo det esse, quo aliud. Nam remota etiam consideratione receptionis materiæ, & actuationis formæ, & propinquationis causæ efficiẽtis, & apprehensionis causæ finalis, & aliis huiusmodi causarum propriis conditionibus: alia sanè ratione concurrit materia ad esse effectus, alia forma, alia efficiens, alia finis: alioqui vnum tantum causæ genus sufficeret ad dandum esse effectui, nec inter ea quæ nos diuersa genera causarum facimus, esset specifica aut quasi specifica distinctio.

*Diuersus concurrendi modus in causis.*

AD posterius autem argumentum, cum quærunt per quid Deus formam sustineat, si eam non recipit: per quid etiam materiã contineat, si eam non actuat: dicimus, non per actionem vllam, sed per se ipsum quod quo pacto fiat, ex dicendis patebit.

*Per quid Deus formã sustineat & contineat materiam.*

*Alia ratio pro eadem conclusione.* SECTIO III.

POSTREMO pro eadem conclusione sic licet argumentari: Deus supplere potest causalitatem cuiusque causæ secundæ quoad effecta,

*Quinta ratio pro conclusione posita.*



effecta, quæ in diuina potentia supplente causalitatem, ratione sua nullam imperfectionem includunt: in omnibus autem causis reperiuntur huiusmodi effecta: potest igitur Deus esse causa omnibus causandi generibus, saltem quoad eiusmodi effecta: non est igitur cur quisque neget aliquam esse causam, quæ saltem quoad affecta huius generis non sit Deo essentialiter subordinata. Maior propositio ab omnibus admittitur, éstque adeò perspicua, spectata Dei omnipotentia, vt ab iis etiam Ethnicis Philosophis (quicunque sint) qui in diuina natura infinitam perfectionem agnouerunt concederetur. Minor autem in materialibus & formalibus causis, in quibus dubium esse posset, non solum ex dictis patet, sed etiam à Theologis necessariò concedenda est in sacrosancto Eucharistiæ mysterio. Aiũt enim Deum supplere vicem materiæ & formæ panis & vini ipsiúsque totius compositi vtriusque in sustinendis continendísque in suo esse eorum accidentibus, quæ quidem duo planè erant effecta materiæ, & formæ panis & vini, ipsorumque compositorum: at in his effectis imperfectionem nullam includi vel ex hoc ipso patet, quia alioqui non supplerentur à Deo. Diximus autẽ in conclusione, posse Deum saltem quoad huiusmodi effecta esse causam in omnibus causandi generibus, non autem quoad omnia, quia etsi quoad omnia vera est conclusio: tamen non quoad omnia infertur ex præmissis, sed quoad ea, quæ imperfectionem non includunt, in quibus magis perspicua res est, ita patet non esse cur omnes causæ secundæ cuiuscumque generis sint, non sint Deo essentialiter subordinatæ.

DICVNT nonnulli, vt huius vltimi argumenti vim effugiãt, non opus esse vt Deus suppleat causalitates materiæ & formæ in eiusdem earum causandi generibus, quod satis sit si eas suppleat in genere causæ efficientis: quo pacto volunt vtramque causalitatem de facto suppleri in accidentibus sacræ Eucharistiæ. Sed hoc falsum esse & impossibile, ex eo primum ostenditur, quia causalitas vnius generis causæ, nec formaliter, nec virtute continetur in causalitate alterius generis vt per eam suppleri possit. Nam etsi res vna sæpe multarum causarum rationem habet, quo pacto idem homo & finis est, & efficiens, & exemplar suæ prolis, & ex parte etiam materiam illi suppeditat, nunquam tamen causalitas vnius generis vim habet causalitatis alterius generis vt eam suppleat. Quod si dicas id accidere in creaturis, quia habent naturas limitatas, non autem in Deo, in quo causalitates omnium causarum eminenter continentur, in promptu est refutatio. Nam etsi Deus eminenter continet omnes causalitates, tamen vnum genus earum ne in Deo quidem habere potest rationem alterius: quo etiam pacto etsi Deus eminentia suæ naturæ est simul intelligentia & voluntas, nunquam tamen functio eius intelligentiæ est velle, aut eius voluntatis intelligere.

*Conclusio rationum.*

*Effugium vltimi argumenti.*

*Refellitur.*

*Causalitas vnius generis nõ suppletur à causa generis diuersi.*

*Ne diuino quidem concursu. Probatur 1.*

DEINDE quia causa quæ supplet vicem alterius causæ, aliquod munus & officium eius vt talis est habere debet, quo pacto Sol non nisi generando supplet vicem muris generantis: & aqua per fistulam surrepta, non nisi formaliter replendo locum, supplet vicem aëris,

*Secundo.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



qui fistulam replebat. Cum ergo Deus deficiente subiecto accidentium sacræ Eucharistiæ vicem illius suppleat vt concedunt, aliquam eius functionem, vt illud à cæteris causis conseruatiuis eorum distinguitur, habeat necesse est: in qua tamen imperfectio nulla includatur: at illorum subiectum quod defiit, quatenus à cæteris causarum generibus distinguebatur, nullam habebat efficientiam in illa, sed solam subiectionem & sustentationem, ergo Deus non potest per vllam efficientiam eius vicem supplere, sed per solam vim sustinendi, quæ nihil imperfectionis continet.

*Tertio.* TERTIO, quia cum sustineri sit proprius effectus materiæ (sumimus enim sustinendi verbum non vt significat modum vtcumque causandi esse aut conseruandi, sed pro eo modo causandi & conseruandi esse, quo causat & conseruat materia) sanè si accidentia sacræ Eucharistiæ, aliæve formæ non per se subsistentes, existant in rerum natura sine materia, non supplente Deo vicem illius in eis eodem causalitatis genere sustinendis, dabitur effectus in actu, sine causa in actu sibi respondente, quod fieri nequit.

*Quarto. Conseruare partes Physicas cœli, nihil aliud est quàm continenter creare.* QVARTO, quia conseruare efficienter seu materiam seu formam cœli, nihil est aliud, quàm continenter eam creare vt Theologi omnes fatentur: tametsi quidam volunt id fieri cum successione, alij permanenter: ergo si Deus nunc annihilaret alteram & nouo concursu efficiente vicem illius suppleret in altera conseruanda, iam concursus creatiuus adderetur concursui creatiuo, quod & superuacaneum esset, & qua ratione fieri possit intelligi nequit. *D. Tho. 1. p. q. 104. art. 1. ad 4. de potent. q. 5. art. 1. ad secundum. Sco. in 2. d. 1. q. 1. ad arg. pro 1. opinione. Gab. in 2. d. 1. q. 2. conc. 6. & Alij.*

POSTREMO, quia aut Deus præstare potest nouo concursu efficiente id quod materia præstabat concursu materiali, aut certè anti quo efficiente nihil addendo concursus efficientis: at nouo fieri nō potest, quia noua causalitas efficiens non potest dari sine nouo effectu causæ efficientis proprio, cuiusmodi non est sustentatio illa formæ, quam causabat materia: eodem autem illo antiquo nihil omnino fieri potest, nisi quod ante fiebat, siquidem vt Aristoteles, omnésque Philosophi tradunt, idem manens idem, idem facere aptum est: non potest igitur causalitas materiæ suppleri à Deo in genere causæ efficientis, nihilq; aliud est id asserere, quàm efficientiæ nomine appellare id, quod rationem efficientiæ habere non potest, totóque genere diuersum est à ratione efficientis.

*Responsio aliquorum.* MIRVM est quod nonnulli ad hoc respondent. Dicunt enim Deum non nouo concursu efficiente, sed eodem illo quo antea formam effectiuè conseruabat, posse vicem materiæ deficientis hac ratione supplere. Fingunt Deum quasi lege quadam statuisse se deficiente materia non conseruaturum formam materialem, tum verò si faciat supra eiusmodi legem, conseruando eam formam sine materia, miraculum id esse, quia fiat supra legem ordinariam: idque esse Deum in genere causæ efficientis causalitatem materiæ supplere.

*Refellitur.* SED illud ab eis petere licet, num eiusmodi forma sit natura sua pendens ab ea materia, an sola diuina illa lege: si natura sua, non est opus



opus eiusmodi lege, vt deficiat forma deficiente materia à qua pendebat: sin lege illa: sola ergo non habeat materia veram causalitatem in formam, vt opus sit eius causalitatem à Deo lege vlla suppleri, siue in genere causæ efficiantis, siue in aliquo alio. Ita nihil momenti habet quod hi ad huiusmodi legem pro supplemento causalitatis materiæ confugiunt, præsertim vt ostendant eam suppleri iu genere causæ efficientis.

*Quo pacto alij defendāt idem institutum & probent.* SVNT etiam qui hunc in modum probare contendani: quidquid Deus supplet, non in alio genere causæ, quàm affieientis supplere, quidquid Deus supplet in creaturis, per suam vtique potentiam supplet: id quod omnes confitemur cum dicimus, deficiente hac vel illa causa secunda. Deum per suam potentiam posse hoc vel illud munus & officium loco illius præstare: at in Deo nulla est potentia nisi actiua: passiua enim, quæ alterum genus est in quod potentia distinguitur, aliena est à Diuina natura: si ergo Deus deficiente materia aut forma supplet munus illius quæ deficit in conseruanda altera, aut aliquo alio eius effectu: non dubium est, quin per potentiam effectiuam illud suppleat, ac proinde non in genere causæ materialis aut formalis, sed efficientis.

*Respondetur argumento.* PRO solutione huius argumenti animaduertendum est, soli quidem potentiæ actiuæ ac passiuæ impositum esse à priscis philosophis nomen potentiæ, indéque retentam esse diuisionem potentiæ in actiuam & passiuam: adeò vt apud Aristotelem hæ tantùm propriè, cæteræ per translationem potentiæ dicantur.

*In omnibus causarum generibus dari potentiam & actum.* RE tamen vera dicēdum est, in omnibus causarum generibus dari potentiam & actū. Nam vt in igne concedimus potentiam calefaciendi, & actum calefaciendi: in ligno autem potentiam suscipiendi calorem, & ipsum suscipiendi actum: sic etiam in sanitate concedamus necesse est potentiam trahendi mouendique medicum ad curationem, & ipsum trahendi actum, eodémque modo in forma potentiam ad informandum, quàm nunc habent animæ separatæ, & ipsum informandi actum, quem habebunt post generalem corporum resurrectionem. Sed hoc est discrimen, quod potentiæ actiuæ & passiuæ possunt esse in creaturis qualitates distinctæ à rebus, quarum sunt potentiæ: quo pacto calor qui est vis & potentia ignis distinguitur ab igne, & materia quæ est potentia ligni ad suscipiendum calorem distinguitur à ligno, & sensus item ab animali cuius est actiua simul & passiua potentia, at potentię ad finalizandum (vt ita dicam) & informandum, non sunt entitates distinctæ à rebus, quarum sunt potentiæ, sed sunt modi quidam essendi potētiales eiusmodi rerum, aut res ipsę sub iis modis: quę vtique videtur fuisse causa cur in diuisione potentiarum non sint numeratę. Dixi porrò actiuas & passiuas posse esse entitates distinctas à rebus, quarum sunt potentię, non autem omnes esse distinctas entitates, quia actiuè etiam & passiuè nonnunquam sic accipi possunt, vt non sint distinctę entitates. Nam actiua potentia caloris ad calefaciendum, & passiua materię ad suscipiendum calorem, sensusque dormientis facultas ad vi-

*Discrimen potentiæ creatæ & creantis.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



giliam,non ſunt diſtinctæ entitates à calore ipſo, materia, & ſenſu: eodémque modò res habet in aliis pleriſque. Miſſa igitur potentia paſſiua,quæ in Diuina natura locum non habet (Deus enim non poteſt illa quæ poſſe eſt potentiæ paſſiuæ,vt D. Tho. & cæteri Theologi dicunt) ſolam actiuam,quæ rationem entitatis,quemadmodum in creaturis habere poteſt,meritò diſtinguunt Theologi à natura Diuina,diſtinctione nec reali,nec ex natura rei, ſed rationis,aut formalis virtuali vt vocant:quam actiuam potentiam alij in tres potentias diuinas diuidunt:in intellectum inquam,voluntatem,& potentiam executiuam,alij probabilius in duas tantum priores,quod potentia executiua in Deo non diſtinguatur à Diuina voluntate, quæ ita eſt efficax, vt non indigeat quemadmodum in nobis, potentia executiua à ſe diſtincta,qualis eſt comparatione voluntatis noſtræ potentia motiua, quam habemus in muſculis. At potentiæ, quas Deus ab æterno habuit,& vt omnia propter ipſum fierent,& vt formas omnes informantes in ſuo eſſe,ſiue cum cauſis ſecundis,ſiue per ſe ſolum ſuſtineret, & vt materias omnes, ſiue per cauſas etiam ſecundas, ſiue per ſe ipſe contineret ineſſe, hæ, inquam, potentiæ non habent rationem entitatum vlla ratione diſtinctarum à diuina natura, ſed ſunt ipſa diuina natura ſub modis illis potentialibus, ſeu (vt verbum abſit à calumnia) virtualibus ad trahendum ad ſe, ad ſuſtinendum, ad continendum: quod ipſum ex creaturis, vt alia diuina colligimus. Neque enim huiuſmodi potentiæ in rebus creatis rationem habent entitatum vllo modo diſtinctarum ab entitatibus rerum quarum ſunt potentiæ,quod apertius eſt quam vt hic probari ſit neceſſe.

*Deus quæ nō poſſit.*

*Potentia actiua diuina quomodo à natura diuina diſtinguatur.*

*Diuiſio eiuſdem potētia.*

*Secundo contra Gentes cap.25.*

*Soluitur argumentum.*

Quod verò obiicitur, quidquid Deus ſupplet in creaturis, per potētiam vtique effectiuam ſupplere,falſum eſt. Supplet enim Deus per ſe ipſum multarum finalium cauſarum ſecundarum defectum in iis hominibus qui ſpretis omnibus caducis bonis, totum affectum in vnico, ſummóque ac æterno bono quærendo conſtituunt. Supplet etiam vt diximus defectum ſuſtentantis cauſæ ſecundæ in ſuſtinendis accidentibus ſacræ Euchariſtiæ, ſuppleuiſſétq; defectum formalium cauſarum informantium in continenda materia in ſuo eſſe, ſi illam ſine forma vlla (vt eſt quorundam opinio) initio mundi creaſſet. Cum autem probatur,nullam eſſe in Deo potentiā,niſi actiuam, ſi ſermo quidem ſit de potētia,quæ ſit entitas,formaliter aut virtualiter diſtincta à re cuius eſt potentia, concedendum id eſt: atque eo modo loquuntur Theologi,cum in duo vel tria attributa diuinam potent am diſtinguunt,vt diximus: ſin autem potentiæ nomen ſumatur pro quacumque potentia,negandum eſt planè vt ex dictis conſtat.

*1.p.q.9.ar.2.*

*Obiectio ex D.Tho.*

Obiciat quoque nobis aliquis D.Thomam, cuius auctoritatem vbique ſuſpicimus. Videtur enim tradere in prima parte ſummæ Theologicæ,nullo alio modo res à Deo cōſeruari niſi per actionem. Quod ſi ita eſt, non poteſt igitur Deus ſupplere concurſum vllius cauſæ ſecundæ in conſeruando eius effectu,niſi in genere cauſæ efficientis.

Sed reſpondendum eſt, primum quidem verba D.Thomæ eo loco hęc



co hæc eſſe: *Non enim aliter eas ineſſe conſeruat, niſi ſemper, id eſt, continenter eis eſſe dando*,at dare eſſe, ad omnia cauſarum genera pertinet. Fallere tamen poteſt id quod ſubdit *vnde ſi ſuam actionem eis ſubtraheret,omnia in nihilum redigerentur*, videtur enim hinc colligi, illum in prioribus verbis intellexiſſe, nullo alio modo Deum dare eſſe, niſi per actionem: cum tamen id non rectè colligatur. Vt enim res in nihilum redigantur, ſatis eſt ſi Deus ſolum actiuum concurſum eis ſubtrahat,etiamſi aliis quoque modis in conſeruandis rebus, quemadmodum & in cauſandis, poſſit concurrere. Deinde inſtituum D. Thomæ eo loco non eſſe aliud, quàm oſtendere res omnes quemadmodum à voluntate diuina habent vt ſint, poſtquam non fuerunt: ita & ab ea habere poſſe vt non ſint poſtquam fuerunt: id quod probat,quia conſeruatio nihil eſt aliud, quàm quædam continuatio dationis,vt ita dicam eſſendi.Si ergo D.Thomas verbo *dandi eſſe*,intelligit effectiuam dandi rationem, vt obiectio ſupponit, & ex verbis ſequentibus colligi vtcumque poteſt:reſpondemus,illū verbo etiam *conſeruandi*, ſolam effectiuam conſeruationem intellexiſſe, quaſi dicat: *Non enim aliter eas ineſſe effectiuè conſeruat, quàm continuando ipſam effectiuam dandi rationem*: præſertim cum hoc pacto conſeruandi verbum reſpondeat verbo producendi quod præceſſerat.Cærerum cum hac veritate ſimul cohæret quod Deus in aliis, quoque cauſandi generibus, quàm efficientis cauſæ, eas res conſeruet, quibus per cauſas ſecundas aliorum generum dat eſſe.

*Secunda.*

*Sit ne Deus prima cauſa in omnibus cauſarum generibus.*

## Sectio IIII.

Ex iis quæ dicta ſunt patet, ſi quis quærat: Num Deus ſit prima cauſa in omnibus cauſarum generibus,recēſitis nominatim materialibus,& formalibus informātibus,exemplaribus & finalibus, negatiuè reſpondendum eſſe. Nam nec inter materiales,nec inter formales informantes numerari poteſt,cum non ſit pars vllius compoſiti. Atque in hoc ſenſu accipiendum eſt id, quod Philoſophi, & Theologi aſſerunt. Deum non eſſe primam cauſam,niſi in triplici genere:exemplaris, ſcilicet, efficientis & finalis:excluſis nimirùm à diuina natura rationibus cauſæ materialis, & formalis informantis. Quod ſi eadem quæſtio fiat, ſumptis quàm maximè generaliter ipſis cauſarum generibus, hoc eſt, vt primas omnino cauſandi rationes important, affirmatiuè reſpondendum eſt.Eſt enim Deus prima cauſa non ſolum in genere cauſæ exēplaris,efficiētis,& finalis:ſed etiam in aliis duobus quibuſdam generibus innominatis, in quibus ipſe concurrit cum materia, & formis informantibus ad eos modos dandi eſſe,qui ſunt materiæ,& eiuſmodi formis peculiares:quæ duo genera,ſuſtentantium, & continentiū, ſiue perficientium appellari vtcunque poſſunt:complectunturq; non ſolùm cauſas ſuſtentātes,& continentes imperfectè,hoc eſt,cum ſubiectione,

Universidad de Deusto
Biblioteca



iectione,aut informatione, quas proinde dicimus materiales & formales informantes, ſed etiam ſine vlla imperfectione: quo pacto ſolus Deus ſuſtinet formas informantes pendentes à ſubiecto,& continet materiam. Nec mirum eſt quod Ariſtot. hæc duo genera in tanta communitate non tradiderit,cum cauſas diuiſit:quippe cum nec cauſam efficientem in ea diſtributione generaliter explicauerit, ſed in ſolis efficientibus per motum, quod alibi annotauimus: vt vel hinc intelligas cum nobis liberam reliquiſſe inueſtigationem aliarũ magis generalium cauſandi rationum in materia, & formis informantibus:quemadmodum voluit vt ex cauſa efficiente per motum, ad efficientem ſine motu aſcenderemus. Suſpicari autem meritò quis poteſt Areopagitam Dionyſium in libro de Diuinis nominibus cum de pulchro & bono diſſerit, vt fuit ſtudioſiſſimus indagandi omnium cauſandi rationum in Deo, ſic tetigiſſe omnes, quas nunc commemorauimus, cum ſcribit: *In ipſo pulchro & bono,id eſt, Deo eſſe exemplare principium omne itemq; efficiens, formale & elementarium.* Neque enim neceſſe eſt,vt ſic eum intelligamus, quaſi virtute ſola hæc in Deo eſſe ſignificet,vt quidam interpretantur. Nam rationes principij exemplaris & efficientis planè in Deo ſunt formaliter. Ratio item formalis principij non eſt aliena à Diuina natura, ſi ſemota omni imperfectione intelligatur, vt re vera intelligi poteſt. Denique veriſimile eſt eum fuiſſe vſum nomine principij elementaris (quod formaliter, & propriè Deo non conuenit)pro fundamentalis. Quam principiandi,cauſandiq; rationem ipſe inferius Deo attribuit formaliter, cum de omnipotente & Antiquo dierum loquitur. Ait enim Deum eſſe omnipotentem ſeſſionem,ſiue ſedem,omnia tenentem, fundantem, & complectentem. Nec enim hoc referendum eſt, aut referri poteſt ad ſolam diuinam immenſitatem, qua Deus omnia, quaſi infinito quodam gremio complectitur, ſed etiam ad vim quandam, qua omnia ſuſtinet,quæ conſideratione,virtuteq; diſtincta eſt à vi effectiua. Nam quemadmodum ſedes & firmus quiſque locus, in quod aliquid reponitur,illud tenet,fundat,& ſuſtinet,etiamſi in eo nihil efficiat:ita ſuo modo Deum,præterquam quod cum omnibus efficientibus concurrit, etiam concurrere cum omnibus cauſis materialibus in fundandis,firmandis,& ſuſtentandis omnium rerum formis,quæ per ſeſe cohærere non poſſunt. Atque hoc ipſum eſt,quod idem auctor paulò ſuperiùs ait cum ſcribit: *Deum in ſe manentem, & ab eodem ſtatu ſuo non egredientem, omnia in omnibus fieri propter conſeruationem omnium.* Significat enim his verbis,Deum ſine vlla ſui varietate,aut mutatione,rebus omnibus,& earum officiis ſe attemperare, vt vnaquæque ab eo adiuta ſuum munus obire poſſit: alioqui fore vt nulla creatura in rerum natura conſiſteret. Denique idipſum confirmat Dionyſius ex diuina Scriptura cum de Deo ait:*Ex ipſo,per ipſum,in ipſo,& in ipſum eſſe omnia*,quaſi nulla generalis omnino principiandi, cauſandique ratio ſit,quæ Deo non conueniat.

*Cap.4.*

*Cap.10.*

*Cap.9.*

*Cap.4.*

*Omnes*



*Omnes cauſas eſſentialiter ſubordinatas,immediatè concurrere ad eundem effectum,& quo pacto.*

## SECTIO V.

VERVM antequam ad oppoſitæ partis argumenta reſpondeamus,operæpretium eſt diſquirere:Num ex cauſis eſſentialter ſubordinatis, non tantum vltima in quouis genere, ſed etiam omnes ſuperiores immediatè concurrant ad effectum vltimæ. In efficientibus enim iam ex dictis conſtat, omnes immediatè concurrere,non immediatione ſuppoſiti, ſed virtutis, vt ſuprà expoſitum eſt,cum tamen in cæteris non ſatis aperta ſit res. *Reſpondetur quæſtioni.*

NE tamen longius abeamus,idem de reliquis videtur aſſerẽdum. Eſt enim par ratio,niſi quod ſuppoſiti nomen, quod in efficientibus pro re per ſe exiſtente ſumitur, latius accipiendum eſt in cæteris generibus, nempe pro re ipſa,quæ eſt cauſa, etſi non ſit per ſe exiſtens. Nam vt omittamus cauſam finalem, certè nec materia, nec forma, præter rationalem, ſunt res per ſe exiſtentes. Virtutis quoque vocabulo, quo propriè efficientium facultas ſignificatur, intelligenda in hac aſſertione vis,ſiue efficacitas cuiuſlibet cauſæ. *Quo ſenſu verba aſſertionis capiẽda.*

ATQVE vt aſſertio inductione facilius pateat,dicimus Deum concurrere immediatione virtutis cum materia prima ad illud eſſe formæ ſubſtantialis,quod materia prima confert.cum materia verò prima,& ſecunda,ad illud eſſe formę accidẽtalis, quod immediatè confert materia ſecunda: ſiue nomine materiæ ſecundæ intelligas compoſitum ſubſtantiale, ſiue ipſam materiam primam prout habet formam ſubſtantialem. Similiter dicimus, Deum concurrere immediatione virtutis cum forma ſubſtantiali ad illud eſſe, quod forma ſubſtantialis dat materiæ primæ, cum forma verò ſubſtantiali & accidentali quod accidentalis forma immediatè dat materiæ ſecundæ. Denique Deum concurrere immediatione virtutis cum fine ſibi proximo adeſſe, quod talis finis ſuo cauſandi modo confert, cum eo autem & alio fine conſequente ad illud eſſe, quod immediatè confert ille conſequens, atque ita deinceps. Ratio verò huius aſſertionis eſt, quia alioqui non penderent poſteriores cauſæ in cauſando à prioribus eiuſdem generis, ac proinde noneſſent illi eſſentialiter ſubordinatæ. *Aſſertio inductione exponitur.*

OBIICIAT aliquis contra hanc concluſionẽ,hoc pacto:ſi Deus conſeruet materiam, & formam ſimul, & vt ita dicam penetratiuè, nihil cauſando cum materia in forma, aut cum forma in materia, id ſatis erit vt materia det ſuo modo eſſe formæ, & forma materiæ, igitur non eſt neceſſarius immediatus Dei concurſus cum materia ad eſſe formæ,nec cum forma ad eſſe materiæ. *Ratio aſſertionis. Obiectio.*

SED reſpondendum eſt, non ſatis ad id eſſe conſeruationem materiæ & formæ:ſimul etiam penetratiuè, niſi materia & forma vniantur vnione potentiæ & actus(ſaltẽ vt alter naturaliter det eſſe alteri) at cum illæ hoc pacto vniuntur,ſemper Deum concurrere: cum materia *Solutio.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



teria quidem in genere causæ sustinentis esse formæ, quæ causandi ratio distincta est à rationibus causandi, formali, efficiente, & finali, sustentatiuaq; appellari potest, vt toti generi accommodetur, cum forma autem in genere causæ continentis esse materiæ, quæ ratio causandi formalis est. Quod autem dicimus de concursu Dei cum materia prima, & forma substantiali ad earum effecta, intelligendum quoque est de eius concursu cum materia prima, & secunda, itemq; cum forma substantiali & accidentali ad effecta materiæ secundæ, & formæ accidentalis. Hoc vnum superest, vt ad argumenta initio proposita respondeamus.

*Solutio argumentorum partis negatiuæ.*

## SECTIO VI.

*Soluuntur argumenta proposita sectione prima.*

*1. Quæ contra subordinationē causarum efficientium.*

*2. Agentia libera vt subordinentur Deo.*

*Quid sit peccare.*

TANTI quidem quod attinet ad ea quæ contra subordinationem causarum efficientium proposita sunt, neganda est prioris argumenti consequentia: tum quia non omnes superiores pendent ab inferiorib. in agendo (quod dixerim propter Deum, quicquid de aliis causis dicendum sit:) tum etiam, quia quæ pendent, non pendent à priori, sed posteriori. Accedit quod vna causa non dicitur alteri essentialiter subordinata, quia sine illa causare non possit, sed aliæ plures ad id conditiones requiruntur. Ad alterum argumentum, concedimus totum id quod concluditur, nempe agentia libera non esse Deo in peccando essentialiter subordinata. Neque enim id nostram assertionē euertit, siquidem peccare non est agere, si formaliter loquamur: sed in agendo, aut non agendo à regula rectæ actionis deficere quod in primo agente nullo modo inueniri potest.

*Primo. Materiales causæ.*

*Deus quo pacto nomine causæ materialis appellandus.*

*Secundo.*

*Causæ formales.*

AD priorem verò earum obiectionum, quas contra subordinationem materialium causarum proposuimus, dicendum est, Deum & si non sit causa materialis, quia non potest subiici formæ, nec esse pars vllius rei, concurrere tamen cum omnibus causis materialibus in eodem causandi genere, quod est sustinere formam: id enim vel maximè ad Deum pertinet. Ad posteriorem dico, & si materia prima est subordinata Deo in eodem causandi genere: adhuc tamen illam rectè dici primam in genere causarum materialium, tametsi non sit prima in toto genere sustentantium formas.

*Exemplaria.*

IAM ad ea, quæ obiecta sunt contra subordinationem causarum formalium rectè quidem illud dicitur de ideis, & primariis exemplaribus, quod non sint Deo essentialiter subordinata: de cæteris verò, secundisve eodem modo, quo vt exemplaria causant: non dubium esse debet, quin essentialiter subordinata sint Deo, id est, primis exemplaribus: de qua re libro septimo in quo de ideis disputabimus, agendum est. Quod verò priori loco contra subordinationem formarum informantium subdebatur, eodem modo diluēdum est, quo id, quod obiiciebatur contra subordinationem materialium. Deus enim etsi non est forma informans: concurrit tamen cum omnibus formis informantibus,



formantibus in eodem genere causandi, quod est continere materiam, eámque perficere: id quod vel maximè Deo conuenit sine imperfectione vlla. Quod autem deinde obiicitur de sufficientia formarum ad sua affecta formalia: non secus dissoluendum est, atque id quod supra contra subordinationem efficientium opponebatur. Vt enim sufficientia caloris ad calefaciendum non excludit concursum Dei in genere causæ efficientis: ita nec sufficientia eiusdem ad calendum, vt sic dicam, albediníve ad albēdum, siue albicandum, excludit concursum illius in genere causæ formalis. Nec verò admodum difficile est capere quo pacto id fiat, si consideremus, Deū esse primam causam dandi esse quocumque modo illud detur.

*Secundo.*

*Causæ finales.*

*Quo pacto Deus ad actionem peccantis concurrat.*

QVOD demùm attinet ad ea, quibus finium subordinatio impugnabatur, dicendum in peccato duo spectari: alterum est actio ipsa, alterum priuatio eius rectitudinis quæ in actione esse debuit. Quemadmodum ergo Deus in genere causæ efficientis concurrit ad actionem, & non ad priuationem rectitudinis: ita in genere causæ finalis. Sed hoc est discrimē in actione libera, & naturali quoad ipsam actionis substantiam, quod in naturali, *omne agens secundum intendit Deum vt finem vltimum, tanquam directum ab eo vt primo efficiente*: at in libera, vnumquodque sibi constituit finem vltimum, qui in bonis actionibus est ipse Deus, saltem implicitè: in malis autem aliquid infra Deū quod reuera est, aut esse potest, aut certè videtur esse posse. Itaque in omni actione, vt actio est, Deus est finis vltimus ex intentione sua: in actionibus autem peccatoris, aliquid infra Deum, quod peccator ipse propter Deum non expetit. Nec est incommodum vnius & eiusdem actionis dari duos fines vltimos, si agens secundum non subordinetur primo in expetendo.

*Duplex actio.*

*Duplex finis.*

*Primo. Actio peccantis vt sit propter Deum.*

AD primum igitus dicendum, actionem quę peccatum est, non esse propter Deum ex intentione peccantis, sed tamen esse propter Deum ex intentione Dei ad illam concurrentis.

*Secundo.*

AD secundum dicito, Deum esse finem Cui ipsius actionis ex intentione Dei, quia omnia in gratiam sui facit, non ex intentione peccatoris, qui sibi alium suæ actionis finem vltimum constituit.

*Tertio.*

AD tertium, id quod impossibile est, si possibile videatur esse: ea ex parte, qua videtur esse possibile, aliquod esse habere, licet non simpliciter, sed secundum quid: & hac ratione subordinari primæ causæ essendi non solum efficienter eo modo quo efficitur (efficitur enim quodammodo in esse possibili, cum possibile esse apprehenditur) sed etiam finaliter.

CVM autem obiicitur, ergo impossibilia contineri in Deo virtute, ac proinde non esse impossibilia, nihil concluditur. Impossibilia enim eo modo continentur in Deo virtute, quo ab apprehensione errante fiunt: at fiunt non vt esse non possunt, sed vt possunt malè apprehendi.

Universidad de Deusto
Biblioteca



## *NVM RATIONES CAVSANDI, QVAS VOCANT CAVSALITATES SINT ENTIA absoluta, distincta à causis & effectis.*

## QVÆSTIO XIII.

*Pars affirmatiua quæ.*

SED quærat aliquis, quænam sit natura rationum causandi, de quibus hactenus disputatum est. Quod enim sint entia quædam absoluta distincta à causis & effectis: hisce argumentis ostendi videtur.

*Primum argumentum.*

PRIMO, quia relatio causæ ad effectum, fundatur in ratione causandi illius (idem est enim ratio causandi, & ratio fundandi relationem causæ,) id autem in quo fundatur relatio causæ ad affectum, necessariò videtur esse entitas absoluta distincta à re quã causat, & ab effectu qui causatur. Nam si dicatur esse alia relatio, cum omnis relatio egeat ratione fundandi: aut dabitur progressus infinitus in rationibus fundandi relationem causæ, quod fieri nequit, aut insistendum erit in aliqua, quæ sit entitas rei, quæ est effectus: siquidem entitas rei quæ est causa, sæpe est prior tempore quàm res ipsa causet: entitas item rei quæ est effectus, sæpe etiam permanet postquam effectus causatur: est igitur entitas absoluta distincta ab entitate causæ & effectus. Quod si quis neget primam propositionem, eò quòd putet rationem causandi non esse rationem fundandi relationem causæ, sed esse ipsam relationem, facilè id refutabitur. Nam ratio causandi est prior effectu, sumpto effectu secundum esse absolutum, relatio autem causæ est posterior. Est enim simul natura cum relatione effectus, quæ posterior est ipso esse absoluto effectus.

*Secundum.*

SECVNDO, quia cum dicimus terram considerari ab Astrologo quatenus est causa defectus Lunæ, non est sensus quod Astrologus consideret terram, vt terra est, nec item denominatur ab aliqua relatione: igitur sensus est, quod consideret terram, vt denominatur à quadam entitate absoluta, quæ causa defectum Lunæ, quæ entitas est ratio causandi eiusmodi effectum. Atque hoc argumentum potest accommodari omnibus causarum generibus.

*Tertium.*

TERTIO, quia quod in vno causarum genere cernitur, id ipsum, seruata causarum proportione licet in cætris colligere: in genere autem causæ efficientis, ratio causandi est entitas absoluta distincta à re quæ causat, & à re quæ causatur, actio inquam ipsa, siquidem res quæ efficit, per actionem efficit, & quæ efficitur, per actionem efficitur: est igitur & in cæteris causarum generibus ratio causandi entitas absoluta, distincta ab entitatibus absolutis rerum, quæ sunt causæ & effecta.

HIS, & aliis similibus argumentis non deerunt fortasse qui sibi persuadeant affirmatiuam huius quæstionis partem, quemadmodum in genere causæ efficientis videtur communiter approbari.

*Approbatio*



*Approbatio negatiuæ partis.*

## SECTIO II.

*Pars negatiua probatur. Primo. Efficientis causalitas nõ est accidens absolutum. Creatio an sit distincta à creatura.*

VERVM qui ita rem confectam putauerit, non rectè sentiet. Nam vt ordiamur à ratione causandi causæ efficientis, ex qua tertia magisq; apparens argumentatio ducta est: fieri non potest, vt ea sit actio: tum quia ipsa quoque actio pendet effectiuè ab agente, vt suprà ostensum est, tum etiam quia in re, quæ creatur (quę quidem verissimè causatur, nec aliter quàm effectiuè) non datur actio quæ sit entitas absoluta distincta ab effectu. Esset enim ea entitas aliquod accidens absolutum existens in re, quæ creatur: neque enim esse potest substantia distincta à Deo, & creatura: nec verò accidens, quod existat in creatore: at nullum accidens potest natura præcedere rem quæ creatur, quod tamen fieri oporteret, si esset ratio illam efficiendi: siquidem prior natura est ratio causandi, quàm res quæ causatur. Id quod etiam ex eo confirmatur, quia nemo siue Philosophorum, siue Theologorum scriptum reliquit esse in re, quæ creatur tale aliquod accidens, per quod Deus formaliter rem faciat ex nihilo. Tantum enim distinguunt in creatione rem quę creatur, à relatione actualis dependentiæ à Deo creante, quæ illam consequitur, Immo nec Scotus quidem, & Caiet. entitatum absolutarum studiosissimi scrutatores, aliam entitatem absolutam in re, quæ creatur inuenire potuerunt: tum denique quia ne in generatione quidem datur tale accidens, quod sit ratio efficiendi rem genitam, vt etiam D. Tho. & Commentator, aliiq; nonnulli graues auctores cõsideratè docuerunt. Cum enim generatio primo terminetur ad formam substantialem receptam in nuda materia, seu potiùs ad compositum substantiale quatenus præcedit natura omnia accidentia nempe quatenus ad prædicamentum substantię pertinet, fieri non potest, vt accidens vllum quod existat in eo quod generatur, sit ratio illud efficiendi.

*Non solũ in creatione, sed neque in generatione dari accidens quod sit causalitas.*

*Responsio aliquorum.*

RESPONDEAT fortasse aliquis creationem & generationem momentaneam (de hac enim sermo est) posse esse accidentia absoluta inhærentia rebus quæ creantur & generantur: quia etsi rectè probatum sit fore posteriora rebus in genere causæ materialis, quatenus accidentia sunt, cum omne accidens, quatenus accidens supponat subiectum: id tamen nihil impedire quominus sint priora in genere causæ efficientis, quatenus sunt actiones productiuæ rerum: quippe cum omnes huiusmodi actiones, quatenus huiusmodi sunt, subiectum non supponant, sed ponant.

*Refutatur.*

VERVM facilè responsio refutatur: implicat enim contradictionem. Nam si creatio & generatio sunt accidentia absoluta posita essentialiter sub genere actionis, quã responsio hæc facit genus quoddam absolutum, distinctum essentialiter à cæteris prædicamẽtis: cum prius natura illę sint accidentia & actiones, quàm actiones productiuæ, in quibus esse finguntur, (prius enim natura res est in genere, quã sit in aliqua eius specie) fieri nõ potest, vt etiam quatenus sunt actio-

Universidad de Deusto
Biblioteca



nes productiuæ considerentur sine subiectis,seu vt priores subiectis. Aut ergo creatio,& generatio non sunt accidentia absoluta distincta essentialiter à rebus aliorum prædicamentorum: aut si sunt, subiectum supponunt,idque priùs natura, quàm sint productiuæ rerum in quibus sunt,seu potiùs esse finguntur.Pugnant ergo ista inter se,quod quatenus actiones productiuæ, sint accidentia absoluta, & tamen vt tales actiones sunt,subiectum nõ supponant. Quod si quis pro generatione respondeat,nullam repugnantiam sequi,si saltem ea ponatur accidens absolutum,à rebus aliorum prędicamentorum distinctum, quia id in quo est vt subiecto,est distinctum ab eo quod producitur, seu à termino (est enim in materia,& terminatur ad totum compositum substantiale) idem in incommodum nihilominùs admittere cogetur: si enim generatio est accidens absolutum, à rebus aliorum prædicamentorum essentialiter distinctum:non poterit vtique inesse materiæ vt subiecto,nisi ratione alicuius formæ substantialis quam in eo supponat, quod D.Thomas ea ratione probat, quia actus secundus semper supponat primũ,noscq; alibi fusiùs verissimum esse ostendemus.Cum ergo non possit inesse materiæ ratione formæ rei corruptæ, necessariò illi inesse debet tatione formæ rei genitæ, ac proinde (saltem denominatiuè) inest rei genitæ: quò fit, vt quatenus actio productiua, supponat, & non supponat rem genitam, quæ pugnant apertissimè.

*Obiectio.* OBIICIAT quoque aliquis contra id qudd de creatione dictum est,hunc in modum. In re quæ creatur,præter ipsam rei substantiam, & relationem nouæ dependentiæ actualis cerni emanationem ipsam seu productionem passiuam, in qua relatio dependentiæ fundatur, non rectè igitur D.Tho.& alij Theologi distinguunt in re quæ creatur solam rei substantiam, & relationem dependentiæ, prætermissa emanatione ipsa,quæ est accidens absolutum.Quod similiter obiici potest contra id,quod dictum est de generatione.

*Solutio.* SED respondendum: Esse quidem in re, quæ creatur:aut generatur præter rei substantiam & relationem, emanationem ipsam seu passiuam productionem:eam tamen non esse accidens absolutum, vt probatum est,sed modum essendi quendam, qui inchoatiuus,quemadmodum conseruatio continuatiuus, vel vt sic dicam, permansiuus appellari potest. Ita patet rationem causandi causæ efficientis non esse accidens absolutum.

*Creatio, & generatio quos dicant essẽdi modos.*

*Permissio. Aliarumcausarum ratio, & discrimẽ.* PRÆTEREA etsi ratio causandi efficientis causæ esset accidens absolutum distinctum à causa & effectu, non liceret tamen idẽ colligere in cæteris, est enim valdè dispar ratio. Nam efficienti causæ non repugnat producere effectum per qualitatem distinctam à se: vt igni per calorem: quo fit vt ei non repugnet causare illum per actionem à se distinctam: at materię & formæ repugnat causare compositum per quicquam aliud,quàm per seipsas.Nihil ergo est aliud hac in re,ex efficiente causa ducere argumentum ad reliquas, quàm paucis inspectis, facilè de cæteris idem pronunciare: quod Arist.in quibusdam veteribus priori libro de Genera. meritò reprehendit. Ita infirmatum *Cap.2.text.7.*



matum est vltimum argumentum, quo proposita sententia maximè fidere potuisset.

*Materiæ & formæ causalitates non esse accidentia absoluta probatur. Primo.* PRÆTEREA vt de cæteris causandi rationibus loquamur,si rationes causandi materiæ,& formæ essent accidentia absoluta,non iungerentur inter se materia & forma immediatè ad constitutionem rei naturalis,sed quodam quasi vinculo,aut glutine,cuius vi fieret compositio: at hinc sequeretur compositum naturale non esse vnum per se,sed per accidens:non sunt igitur rationes causandi materiæ,& for-
*Text.26.* mæ accidentia absoluta. Atque huc spectat reprehensio illa qua Arist.
*Text.15.* tum 2.de anima,cap.2.tum etiam 8.lib.huius operis cap.6.inuehitur *Confirmatio ex Aristot.* in eos qui vinculum aliquod necessarium esse putabant, quo anima cum corpore colligaretur: quasi non esset satis ad vnionem in vnum per se compositum ipsa natura materiæ & formæ: quarum altera est potentia prima,siue pura potentia,altera verò primus actus, siue substantialis.Simile quid accidit in compositione Metaphysica, quæ fit ex genere & differentia,quasi ex materia & forma.Nam etsi genus & differentia sunt principia & causæ speciei: haud tamen ad illius constitutionem concurrunt per aliquid ipsis superadditum,sed immediatè per seipsas.Vnde fit vt tam sit essentialis hæc prædicatio: *Homo est compositus ex natura animalis & rationalis*,quàm hæc:*Homo est animal rationale*,modo compositionis nomine non intelligatur relatio partium componentium, sed coniunctio fundamentalis earum, in qua ratio causandi consistit.

*Secundo.* AD hæc,quemadmodum actio causatur effectiuè ab agente, cum ab illo propriè & per se pendeat:ita accidens absolutum, quod quis iuxta hanc commentationẽ faciat rationem causandi formæ,causabitur à forma,& quod finis,à fine: at accidens quod ponetur ratio causandi materiæ,non potest causari à materia, nisi vt à causa materiali, atque ita reliqua à forma & fine: ergo quemadmodum efficiens potest effectiuè causare aliquid sine actione media,ipsam nimirũ actionem: ita materia, forma, & finis possunt causare aliquid sine huiusmodi accidentibus, hæc inquam ipsa accidentia. Non erunt igitur huiusmodi accidentia primæ rationes causandi materiæ & formæ, & finis: quemadmodum superiùs concludebamus, actionem non esse primam,ac communem rationem causandi causæ efficientis.

*Tertio.* ACCEDIT commune argumentum non parui momenti in Philosophia, quod fictio hæc multas admodum entitates comminiscitur ad defendendas causandi rationes,quæ paucioribus quasi machinis defendi possunt. Nam præter accidentia absoluta iam dicta, alia quoque ponenda erunt ex parte effectus: vt in homine, vnum quo causetur à forma, alterum quo à materia, tertium quo ab efficiente proximo (vt de remotis taceam) & quartum denique quo à fine. Vt enim nomine causæ interdum significatur res,quæ denominatur causa,interdum relatio causæ,interdum ratio causandi,quę est fundamẽtum relationis causæ: ita de nomine effectus pari ratione dicendum est.Quare si causæ nomine tertio modo sumpto significatur accidens quoddam absolutum distinctum formaliter à causa, & effectu: idem

Universidad de Deusto
Biblioteca



de nomine effectus tertio modo sumpto dicere oportet. Quod si rationes causandi materiæ, formæ & finis dicantur existere in effectu, quemadmodum actio existit in eo quod fit, siue in eo quod accipit formam eius quod fit (erunt enim forsitan quibus id placeat) octo iam accidentia absoluta erunt in quolibet effectu: quatuor ex parte proximarum causarum, vt de remotis taceam, & totidem ex parte effectus.

*Nullo auctore causalitates omnium causarum esse distincta accidētia à causis & effectis.*

MITTO alia pleraque incommoda, quæ hanc commentationem consequuntur, quæ vel paululum attendenti, facilè se offerent. Illud vnum addiderim quod vt nullus est auctor, qui has rationes causandi neget, trinamque illam causæ & effectus significationem non approbet: ita nullus videtur esse qui eas dicat accidentia absoluta à causis & effectis distincta, paucis quibusdam exceptis, qui ei videntur asserere de ratione causandi causæ efficientis, non tamen cuiusuis, sed tantum efficientis actione transeunte.

*Quæ sit natura rationum causandi.*

SECTIO III.

QVOD si quis petat, quæ tandem sit natura rationum causandi, partim repetitis quibusdam, partim additis quatuor conclusionibus breuiter respondendum est.

*Prima conclusio.*

PRIMA, rationes causandi non esse ipsas causarum relationes quod hæ in illis fundentur.

*Secunda.*

SECVNDA. Neque esse omnino relationes vllas. Namque vt relationes efficiendi vim non habent, ita nec alio modo causandi, sed sunt veluti appendices quædam, quæ consequuntur entia, quatenus multa simul existunt, hoc vel illo modo inter se affecta.

*Tertia.*

TERTIA. Neque esse accidentia absoluta, siue existentia in causis siue in effectis. Nullus enim accidētis absoluti accessu possunt res quæ denominantur causę causari, & quæ denominantur effecta causari, alioqui procedendum esset in infinitum, quando talia accidentia necessario causari debent, atque adeò (quod consequens est) aliis accidentibus absolutis. Accedit illud peculiare in causis efficientibus: quod si oppositum huius conclusionis verum esset, & rationes causandi agentium ponantur in agentibus, cum ratio causandi tum solum conueniat causis cum actu causant, Deúsque non ex omni æternitate sed ex tempore sit actu causa rerum, aliquod accidens absolutum adueniret Deo ex tēpore, quod Theologi fieri non posse dicunt. Quocirca meritò Caiet. malè audit, quod in Comment. 1. par. ad quęstionem 25. doceat omnes actiones transeuntes esse entia absoluta existentia in causis agentibus, nec ab eo generali pronunciato diuinas actiones excipiendas existimet.

*Deo non adueniēt accidēs absolutum.*

*Artic. 1*

*Quarta. Rationes causandi esse ipsas causas actu concurrentes ad effecta.*

QVARTA. Rationes causandi esse res ipsas, quę denominantur causæ, non absolutè tamen, sed quatenus actu concurrunt ad sua effecta. Quemadmodum rationes causatorum, siue effectorum sunt ipsę res, quæ denominantur effecta, quatenus actu pendēt à causis. Vtimur autem in hac conclusione metaphorico cōcurrendi verbo, quia nullum



lum est proprium, quo causarum exercitium significetur. Quod igitur causandi rationes, sint ipsæ res, quæ denominantur causæ: ex eo patet quia nihil aliud supereſt, quod esse possint, nisi aut res quæ denominantur causæ, aut quæ denominantur effecta, aut vtraque simul: non possunt autē esse res quæ denominantur effecta, nec (quod hinc sequitur) vtræque simul, eò quòd res quæ denominantur effecta sunt posteriores natura ipsis rationibus causandi, & ab illis pendent, reliquum est igitur, vt sint ipsæ res quæ denominantur causæ. Quod verò non sint ipsæ res absolutè sumptæ. ea ratione constat, quia sæpe existunt cum nihil causant. Quod denique sint res ipsæ, quatenus concurrunt ad sua effecta, hac ratione colligitur: quia posito earum concursu, primum ponuntur causę in actu, id est, actu causantes, eóque sublato primum tolluntur.

*Dilutio eorum quæ contra occurrunt, & quæ initio proposita sunt.*

SECTIO IV.

*Prima impugnatio quartæ conclusionis.*

AT contra hęc, tria se offerunt argumenta. Primum est, si rationes causandi sunt ipsæ res quæ appellantur causæ, nec tamen absolutè acceptæ, sed quatenus cōcurrunt ad effecta, iterum redit eadem difficultas, quæ à principio negotium exhibebat. Quæri enim rursum potest: Num ipse concursus rerū, quæ appellātur causæ, addat aliquid rebus ipsis concurrentibus, an nihil. Nam si aliquid addit, aut illud erit relatio, aut accidens absolutum, quæ iam impugnata sunt, sin nihil: nullum erit discrimen inter res concurrentes, & ipsas absolutè sumptas, quas etiam probauimus nō esse eo pacto rationes causandi.

*Secunda.*

ALTERVM si concursus Dei est ipse Deus concurrens, cū Deus sit æternus & infinitus erit concursus illius æternus & infinitus, quod partim est falsum, partim impossibile.

*Tertia.*

TERTIVM si concursus rei quæ est causa finalis, nec tamen adhuc existit, esset ipsa res concurrens ad effectum, seu ad id quod fit propter finē, quemadmodum res ipsa non existit, ita neque eius concursus existeret: quod videtur dici non posse. Quo enim modo fieri potest, vt tum effectus causetur in rerum natura, cum in rerum natura non existit concursus ipse quo causatur.

*Solutio primæ obiectionis.*

HAVD difficile tamen hæc diluentur. Primum quidem si dicas, concursum causæ saltem ad immediatum effectum, nihil entitatis addere causæ concurrenti. Dico (saltem ad immediatum effectum) quia si quis ipsam actionem, quæ etiam ab agente causatur, velit appellare concursum causæ ad principalem effectum, qui quidem est id, quod fit per actionem, non dubium est quin concursus aliquid entitatis addat causæ. Est enim actio quidam actus ab agente prodiens. Verum si causa conferatur cum primo, & immediato effectu, quamquam minùs principali (quo pacto conferri debet, si prima, ac propria eius causandi ratio sumenda est) veluti agens cum actione ipsa, negandum est concursum addere causæ concurrenti entitatem vllam, vt patet ex dictis. Cum autem obiicitur, hinc effici vt null ū sit discrimen inter res concurrentes ad effectum, quatenus ad illum concurrunt, & ipsas absolutè sumptas, neganda est consequentia. Nam

*Quid sit actio.*

etsi

Universidad de Deusto
Biblioteca



etsi res, vt concurrunt ad affectum non plus habent entitatis in seipsis quàm si absolutè sumantur, tamen hoc amplius habent, quod ab illis actu pendeant effecta. Similis distinctio fieri potest inter res quę sunt effecta, quatenus pendent à suis causis, & quatenus absolutè sumuntur. Quamquam enim priori modo spectatæ non plus entitatis sibi vendicant, quàm posteriori: tamen hoc amplius habent, quod actu pendeant à suis causis, quod est distingui per modos quosdam habendi, & quodammodo etiam per extrinseca.

*Solutio secundæ obiectionis.*

*Implicat Deum cõcurrere intentione infinita effectus.*

*Tertio.*

Ad secundum neganda est consequentia. Nam concursus Dei, necessario dicit ordinem fundamentalem ad effectum: at Deus concurrens etsi est æternus, & infinitus in se, tamen nec de facto concurrit ab æterno ad vllum effectum (quidquid dicendum sit de eo, quod fieri potuit) nec potest infinitè concurrere intensiuè: de hac enim infinitate sermo erat.

Ad tertium dicendum est, vt concursus causæ finalis causet, satis esse ipse existat eo modo quo causa finalis existit. Cum ergo non sit necesse, vt causa finalis realiter existat, cum effectus realiter fit, sed satis sit si obiectiuè existat in agente propter finem (saltem in primo) non est etiam necesse vt concursus finalis causæ realiter existat, cum illa ad effectum realem concurrit: sed satis est, si existat obiectiuè. Hæc enim est peculiaris natura finalis causę eiúsque concursus, vt vel sola eorum obiectiua existentia sit satis ad causandum realem effectum: quod quidem causæ finals inter alia causarum genera excellentiam satis declarat.

*Soluuntur argumenta posita initio quæstionis sectione 2.*

Ad primum verò eorum quæ initio proposita sunt, dicendum est relationem causæ ad effectum non fundari in relatione aliqua, nec in entitate absoluta absolutè sumpta, sed vt concurrente ad effectum.

Ad secundum neganda est consequentia, quia datur alia ratio considerationis, qua terra spectari possit vt causa: nempe quatenus concurrit ad defectum Lunæ efficiendum.

Ad tertium dicendum, non actionem, sed concursum causæ efficientis etiam ad ipsam actionem esse rationem causandi illius: quamquam actio potest quodammodo dici ratio causandi respectu eorum, quæ per actionem fiunt: quippe cum causa efficiens per actionem, vt per formam quodammodo suam efficiat.

## *NVM EIVSDEM EFFECTVS PLVRES causæ dari possint, non coniunctim, sed diuisim.*

## QVÆSTIO XIIII.

*Quo pacto hæc quæstio ab Arist. explicetur, & in præsentia tractanda sit.*

### Sectio I.

Tactenvs de ipsis causarum rationibus diseruimus: nunc quædam excutiamus, quæ Aristoteles de comparatis inter se causis adiungenda putauit, quorum illud primum sit: Num eiusdem effectus plures causæ dari possint. Quæ quæstio



quæstio breuius quàm optaremus ab eo explicata, duplicem sensum habere potest. Vnus est, Num idem effectus possit habere plures causas diuersorum generum: alter, num plures eiusdem generis, vt plures efficientes, aut formales. Iuxta hos duos sensus explicatio quæstionis apud Arist. duabus conclusionibus continetur. Prior est, eiusdem effectus dari posse plures causas diuersorum generum. Posterior non posse dari plures eiusdem generis. Verum cum sit apertissimum dari plures eiusdem generis. sed diuersi ordinis, cuiusmodi sunt Deus, & Sol, & homo in generando homine: immo, & plures eiusdem generis, ac ordinis cuiusmodi sunt duo equi in trahendo curru: sententia omnium interpretum est, posteriorem cõclusionem Aristotelis intelligendam esse in causis eiusdem ordinis, & totalibus. Ac merito quidem. Nam causæ essentialiter subordinatæ non ita propriè dicuntur diuersæ, vt quæ sunt eiusdem ordinis. Quæ enim sunt eiusdem ordinis, non pendent ex se inuicem in causando, inferiores autem à superioribus maximé. Causæ autem partiales non tam causæ sunt, quàm concausæ, quod plures quasi vnam perfectam ac sufficiẽtem constituant. Quamquam verò Arist. hoc pacto quæstionem dissoluit: sunt tamen non leuia argumenta, quibus posterior conclusio quæ sola à nobis tractanda est, falsa esse iudicatur. Nam de priori nulla est difficultas.

*Sensus quæstionis duplex.*

*Prima Arist. conclusio.*

*Secunda conclusio eiusdẽ*

Vt igitur ea commodius, ac expeditius tractetur, animaduertendum est, duobus modis intelligi posse vnum effectum habere plures causas totales eiusdem generis, ac ordinis: vno diuisim, altero coniunctim. Diuisim, vt sit sensus: num effectus idem numero qui prouenire potest ab vna causa totali, possit etiam prouenire ab alia totali eiusdem generis, ac ordinis. Verbi causa: num idem numero ignis possit produci indifferenter ab hoc, vel illo igne, vel ex hac, aut illa materia. Coniunctim, vt sensus sit, fierine possit vt idem numero effectus simul prouenia à pluribus causis perfectis, ac totalibus eiusdem generis, ac ordinis: veluti, vt idem ignis numero producatur actu à duobus ignibus simul concurrentibus, quorum vterque per se, ac seorsim possit illum producere: aut ex duabus materiis, quarum vtraque per se satis esset ad illius constitutionem. Quoniam igitur vterque sensus proprias habet difficultates, vterque seorsim tractandus est: sed quoniam causa efficiens inter omnia causarum genera magis perspicua est: operæpretium erit, totam disputationem ad illam dirigere: sic enim quid de cæteris dicendum sit, planius ad calcem proximæ quæstionis concludemus.

*Explicatio secundæ assertionis.*

*Duplex eius sensus.*

*Argumenta pro parte affirmatiua quæstionis.*

### Sectio II.

Effectvm igitur vnius agentis totalis posse diuisum produci ab alio totali eiusdem generis, ac ordinis, his argumentis ostendi videtur.

Primvm, in specie Leonis est generalis vis ad producendum quemlibet leonem, vt patet: in quolibet autẽ leone generante est tota

virtus speciei:potest igitur quilibet leo quemlibet leonem generare.

SECVNDVM, Ad identitatem numeralē rei genitæ satis est identitas materiæ,& formæ:ex eo enim Catholica Fides docet quemlibet hominem fore eundem numero in generali resurrectione,quia virtute diuina iterum vnietur forma cuiúsque cum eiusdem materia: at materia ex qua ignis generat hunc ignem, potest eadem subiici actioni alterius ignis:ex qualibet autem matetia quęlibet forma educi potest, cum materia sit indifferens ad omnes formas:æquè igitur generari potest hic ignis ab hoc igne,atque à quouis alio.

TERTIVM, si hic numero ignis non posset produci nisi ab hoc igne daretur essentialis subordinatio vnius indiuidui respectu alterius eiusdem speciei: hoc autem non est admittendum: ergo nec illud. Assumptio ex eo patet, quia in indiuiduis eiusdem speciei potest dari progressus infinitus, in essentialiter autem subordinatis minimè,vt patet ex lib.2. *Cap.2.q.1. sect.3.*

QVARTVM, eadem numero res corrumpi potest indifferenter à diuersis numero agentibus: vt patet,ergo & generari: si quidem par ratio est in generatione atque in corruptione, præsertim cum corruptio vnius sit generatio alterius.

QVINTVM, quacumque ratione homo intereat, siue à iugulante, siue à milite in bello perimente, siue oppressus morbo, siue naufragio suffocatus, semper cadauer est idem numero:non dubium est igitur,quin idem effectus numero à diuersis caussis prouenire possit. *Lib.1.de Gen.tex.17.*

SEXTVM, idem effectus specie potest indifferenter produci à diuersis specie agentibus, vt mus à mure, & à sole; igitur idem numero poterit produci indifferenter à diuersis numero eiusdem speciei: est enim par ratio.

SEPTIMVM, motus locales diuersorum animalium sese mouentium loco,terminari possunt ad eundē numero terminum,cùm quoduis illorum indifferenter possit eundem occupare,potest igitur eadem numero existentia localis,ac proinde idem effectus numero à diuersis caussis efficientibus prouenire.

POSTREMVM, non difficilius est rem producere,quàm cōseruare: quin etiam sæpè conseruatio maiorem virtutem requirit in caussa efficiente, quàm productio, *siquidem plurimæ caussæ vniuocæ possunt producere res quas conseruare nequeunt*: at idem effectus potest à pluribus caussis indifferenter conseruari,ergo & produci. Assumptio probatur, quia calor aquæ productus, & conseruatus aliquandiu ab igne potest postea conseruari ab aëre calido:& species siue imago oculi, qua columnam cernimus postquam aliquandiu conseruatur à columna, à qua impressa est,planè videtur deinde conseruari posse ab alia,si Deus loco illius aliam simillimam substituat.Nam si secūda columna aliam speciem in oculo imprimat, poterit oculus discernere diuersitatem vtriusque columnæ,quod nemo dixerit.

*Hanc esse 9 ati sententiam*

ATQVE hanc quæstionis partem amplectitur Scotus secundo Sent.dist.20,quæst.2.quam probare videtur duobus argumentis.Vnò quia alioqui prædestinati qui nunc nascuntur ex reprobis parentibus, nequaquam



nequaquam futuri essent, si genus humanum in statu innocentiæ perstitisset,quandoquidem,in eo statu nemo esset ex reprobis parentibus progenitus.Cum ergo dicendum non sit,hos ipsos prædestinatos qui nunc sunt,non futuros,si natura humana à statu innocentiæ non excidisset,necessario videtur consequi,eosdem homines numero à diuersis progenitoribus generari posse. Altero quia si ignis A genuit certum ignem numero ex certa materia,non est cur ignis,B.si tantæ virtutis sit,quantæ est A, non generasset ex eadem materia eundem numero ignem,si in eodem instanti applicatus fuisset, alioqui iam non est tantæ virtutis,quantæ est A,vt supponitur. *Duo Scoti argumenta notanda.. Primum* *Secundum*

*Conclusio partis negatiuæ & impugnatio cuiusdam probationis.*

## SECTIO III.

*D.Thom. quod l.5. art. 8. Auerr. 7. Met. com. 41. Marsil. 1. de Gene. q.8. Capr.2 Sent. d.20.q. 1.Sotus.4. sent. d. 43. quæst. 1. art.3.*

DICENDVM est tamen nullum effectum eundum numero posse diuisim produci à pluribus numero agentibus totalibus,ac eiusdem ordinis:quæ conclusio est D.Thom.Auerr, Marsil.Capreoli,& ferè omnium.

SVNT autem qui illam hoc pacto probent, & quasi demonstrare putent. Non solum reddenda est caussa, cur hic effectus naturalis sit huius speciei potius quàm alterius,sed etiam, cur sit hoc indiuiduum potius quàm aliud:atqui nulla caussa rei huius reddi potest,nisi totum hoc,quia producitur ab hoc numero agente,& ex hac materia, & in hoc tempore,vel momento temporis, nō potest igitur idem numero effectus produci indifferenter à pluribus numero agentibus eiusdem ordinis. Maior videtur perspicua. Minorem ex eo probant, quia nec recurrendum est ad solam vnitatem numeralem materiæ,cum eadem numero sit indifferens ad infinitas formas: Neque item ad solam intentionem particularis agentis, cum particulare agens non intendat certum indiuiduum,sed effectum sibi similem secundum speciem, aut genus, vt dictum est. Nec verò tantum ad stellarum respectus, & habitudines inter se,seu potius ad influentias cœlestium corporum,quę ex certa astrorum dispositione ad inferiorem mundum pertingunt. Nam cum cœlestia corpora æquè indifferentia sint ad influentias, quas imprimere possunt in hæc inferiora, atque agentia particularia ad sua effecta: eadem est difficultas in eis quæ in agentibus particularibus,ac maior etiam cur hunc potius numero effectum, quàm alium producant eiusdem speciei. *Proponitur ratio quorundam.* *Cur hoc numero indiuiduum producatur.*

NEQVE etiam recurrendum est ad intentionem primi agentis, volentis vt producatur potius hoc indiuiduum quàm illud: siquidem Deus non concurrit cum agentibus naturalibus,nisi generali quodam influxu,vtpote indifferente ad omnia effecta, quæ à particularibus agentibus produci possunt, quo autem modo concurrit, eodē concurrere intendit.Nec deniq; recurrendum est ad solam vnitatem numeralem tēporis,vel momenti,in quo effectus producitur:cum tempus, & momentū idem indifferenter se habeāt ad quælibet alia effecta.Cum igitur nulla alia caussa reddi posse videatur,cur hic effectus naturalis sit potius,hoc indiuiduum,quàm aliud,nisi tota hæc aggregatio,quia

Universidad de Deusto
Biblioteca



producitur ab hoc numero agente, ex hac numero materia, & in hoc numero tempore, vel momento: efficitur vt nullus effectus idem numero à pluribus numero agentibus indifferenter produci possit, immo nec ab eodem numero agẽte ex diuersis materiis, nec ab eodẽ agente, & ex eadem materia in diuersis temporibus.

*Improbatur adducta ratio*

Verum ratio hæc vitio non caret: Namque vt admittamus maiorem propositionem (quanquam philosophi nihil de indiuiduis, vt indiuidua sunt, demonstrare solent, satis se facere arbitrati, si de naturis communibus differant) certè minor propositio non videtur vera. Tum quia alia causa reddi potest, cur effectus naturalis sit determinatè hoc indiuiduum, quàm quia producitur ab hoc numero agente, & ex hac materia, & in hoc tempore, vel momento, vt patebit: tum, etiam quia non rectè probatur. Nam etsi rectè ostenditur non esse recurrendum ad vnitatem numeralem materiæ, neque ad intentionem particularis agentis, neque ad occultas influentias cœlestium corporũ, neque ad vnitatẽ numeralem temporis, vel momenti (præsertim cum tempus, & momẽtum non sint causæ nec concausſæ rerum sed occasiones, & conditiones. sine quibus illæ non fiunt) certè non sine periculo proponitur, & probatur non esse recurrendum ad intentionem primi agentis ratione illa, quia Deus non concurrat cum agentibus naturalibus, nisi concursu indifferenti ad omnia effecta, quæ ab eis produci possunt. Nam etsi id vtcũque verum esse potest comparato concursu primi agentis cum effectis secundum speciẽ, non est tamen verum comparato cum effectis secundum numerum. Nam si primum agens indifferenter concurreret cum hoc agente particulari ad omnia effecta, quæ ab hoc produci possunt, cum hoc indifferens sit ad infinita, vt fatentur, non magis produceretur hoc, quàm illud, ac proinde aut omnia, aut nihil. Tolleretur quoque ratio diuinæ prouidentiæ ad determinata indiuidua pertinentis: non intenderet enim Deus certa, & determinata indiuidua, sed vage hoc, vel illud quemadmodum & inferiora agentia, cum quibus ponitur indifferenter concurrere.

*Primũ agens vt concurrat cum particularibus agẽtibus*

*An ex multis causſis indeterminatis aggregetur vna definita, & certa.*

Hoc etiam peccat proposita horum ratio quod ex multis, quorum quodlibet ponitur causa indifferens, & indeterminata huius determinati effectus, conficitur causa eius determinata: quæ præterquam quod in nullo causandi genere causa esse potest, vt inductione patet in omnibus causarum generibus, rem quoque continet quæ fieri non potest. Nam quemadmodum se habent multa vniuersalia ad vnum singulare, ita multæ causæ indifferentes ad vnum determinatum effectum: at ex multis vniuersalibus, etsi aliquid minus vniuersale fieri potest (minus enim vniuersale est album dulce, quàm album per se, & dulce per se, & sic in cæteris) tamen nihil potest fieri figulare, siue hoc numero, ergo ex multis causſis indifferentibus ad plura effecta non potest prouenire vllus effectus determinatus numero. Neque obiicias Porphyrium dicentem in Isagoge indiuiduum describi ex multis communibus, quorum tota aggregatio

*Capite de specie.*



aggregatio in nullo alio reperiri potest. Vulgaris enim est ea indiui dui ratio, nec reuera carens vitio. Quamuis enim aggregatio ea forsitan in nullo alio reperiatur, tamen nihil repugnat reperiri, vt capite sexto perspicuum erit.

*Porphyrij vulgaris descriptio indiuidui.*

Ervnt fortasse qui propositam rationem hunc in modũ defendant: materiam hanc numero, causſam efficientem hanc numero, & generalem, & particularem, tempúsque aut momentum hoc numero, etsi non efficiunt vnam determinatam causam, cur effectus sit hic numero: tamen omnia simul esse indicia determinatæ causſæ, quam dicent esse actionem hanc numero: quippe cum hæc actio numero nullius alterius effectus, quã huius numero causa esse potest.

Sed nihil momenti habebit defensio. Nam, vt mittamus actionẽ non esse propriè causam rei quæ fit, sed id quo illa fit, eadem quæstio est de hac numero actione, atque de hoc numero effectu, qui fit per actionem. Vt enim hæc materia, & cætera omnia non modo singula per se, sed etiam omnia simul sunt ex se indifferentia ad plura numero effecta: sic etiam ad plures numero actiones per quas fieri possunt.

*Impugnatur & reijcitur*

*Quomodo collectio particularium causarum se habeat ad hunc numero effectum*

Alia ratione dici potest, eam aggregationem esse indicium veræ, ac determinatæ causæ huius effectus, à qua prouenit, cur potius sit hic numero, quàm alius, nempe quia est indicium diuinæ voluntatis quæ ad hoc potius numero, indiuiduum in hac specie, quàm ad aliud indifferentiam causarum secundarum in qualibet durationis mensura determinauit. Vt enim Deus Opt. Max. ab æterno concepit omne futurum tempus, & omnia futura temporis momenta: ita etiam ab æterno decreuit, & quasi generali lege stauit qui effectus numero cuiusque causæ, in quo tempore, aut temporis momento producendus esset: alioqui nihil omnino produceretur in rebus creatis Quo sit vt eodem redeat, dicere hunc effectum causarum naturalium esse hunc numero potius, quàm illum, quia productus est ab hoc numero agente, & ex hac numero materia, & in hoc numero tempore: ac si quis dicat, quia diuina voluntas ad hunc numero effectum naturalem, in hoc numero, tempore, aut momento naturales eius causas determinauit. Quod idem dicendum est de effectibus causarum supernaturaliter efficientium.

*Quæ sit vera causa cur hic numero effectus prodatur.*

*Quo pacto ratio supra posita ad verum sensum accommodetur*

*Ad diuinam voluntatem vt sit recurrendũ in danda causa effectorum.*

Atqvb hoc modo potest horum ratio ad probationem cõclusionis vtcumque aptari, excepto eo, quod aiunt in probatione minoris, non esse etiam recurrendum ad intentionem primi agentis, quasi Deus non nisi indifferenter concurrat, ac concurrere intendat cum agentibus naturalibus. Quanquam alia ratione dicere possent non esse recurrendum ad intentionem primi agentis, ne videlicet naturalem sed voluntariam causam reddere, & (vt dici solet, cum alia ratione euadere non possumus) Ecclesiæ perfugium quærere videamur. Quanquam enim determinatio diuinæ voluntatis ad hoc potius indiuiduum, quàm ad aliud sub eadem specie, inter naturale causas re vera computari debet, quandoquidem ad solam primam causam spectat determinatio secundarum, non quidem ad specifica effecta (ad hoc enim ipsæ etiam causæ particulares determinatæ

Universidad de Deusto
Biblioteca



sunt natura sua) sed ad singularia, & determinata numero: tamen cum ea quæ apud nos voluntaria sunt non naturaliter fiant, abstinẽdum est naturalibus philosophis ab hac responsione, *effectus est hic numero potius quàm ille, quia Deus ita voluit*, præsertim cum hoc respondendi modo omnium rerum naturalium, ratio ab imperitis etiam reddi possit.

*Vera conclusionis probatio.*

SECTIO IIII.

*Primum argumentum.*

VERA igitur & germana conclusionis probatio, his rationibus continetur. Si effectus idem numero posset indifferenter produci à diuersis numero caussis efficientibus totalibus eiusdem ordinis, à nulla earum proueniret per se, hoc autem dicendum non est, ergo neque illud. Maior ex eo patet, quia quod æquè produci potest ab A, & à B, eiusdem ordinis, per accidens est quod producatur ab A, cum possit produci à B, & vice versa. Dico autem eiusdem ordinis, quia si non sint eiusdem ordinis, & alterum virtute contineatur in altero, non erit per accidens, vt quod producitur ab eo quod continetur, producatur ab eo quod continet: quo pacto si Deus, in quo cætera omnia agentia virtute continentur, ipse per se aliorum agentium effecta producat, non ideo dicendus erit causa eorum per accidens. Minor ex eo constat, quia cum omnis certus, & determinatus effectus habeat certum, & determinatum esse, necesse est vt à determinato agente proueniat, ac proinde ab aliquo efficiente per se. Caussæ enim per accidens sunt incertæ, & indeterminatæ.

*Obiectio.*

QVOD si quis obijciat efficiens particulare, vt hunc ignem, non habere natura sua determinatum effectum numero, cum possit multa numero effecta perse producere, ergo pari ratione neque effectum habere natura sua causam efficientem particularem, certam & determinatam numero, sed secundum speciem, negandum est parem esse rationem. Nam effectus natura sua pendet ex causa, non item causa, ex effectu.

*Solutio.*

PRAETEREA diuersorum agentiũ eiusdẽ ordinis, ac totalium

*Secundum.*

diuersę sunt actiones (excipimus enim eas quę subordinatè, aut vt partiales causæ agunt, quod eadem numero actione agant.) at diuersæ actiones desinũt in diuersos terminos, *cum motus, & terminus non differãt, nisi vt forma eadem numero quatenus acquiritur, & acquisita est*, vt patet ex 3. Phys. ergo diuersorum agentium eisudem ordinis, & totaliũ diuersi sunt termni actionum, ac proinde diuersa numero effecta. *Cap. 1. text. 4. 7. & 8.*

SED obijciat aliquis, hũc in modum: Si propteria diuersa numero agentia totalia eiusdem ordinis non possunt producere eumdem numero effectum, quia eorum actiones necessario sunt diuersæ, non

*Obiectio.*

poterit vtique Deus per vnum eorum producere eundem numero effectum, quem producit per alterum: atqui potest (neque enim cõtradictionem implicat) ergo non est reddita germana ratio, cur idem numero effectus produci non possit à diuersis numero agentibus totalibus eiusdem ordinis.

*Solutio.*

*Tria in actio.*

HVIC obiectioni sic occurrendum: In actione secundorũ efficientium tria spectari. Vnum est acquisitio ipsa, siue productio eius formæ,



mæ, quæ introducitur in subiectum, alterum quod sit à tali agente, tertium verò, quod à tali patiente recipiatur. Quamuis ergo fieri non possit, vt actio quatenus est à tali agente, non sit ab illo, & quatenus recipitur in tali patiente, non recipiatur in illo (vtrumque enim contradictionem implicat) tamen quatenus est acquisitio, seu productio illius numero formæ, quæ introducitur, posse ab alio prouenire, quia non dicit respectum nisi ad terminum productionis. Sed animaduertendum est, omnem productionem formæ naturaliter introducibilis, esse naturaliter coniunctam cum respectu ad certã numero causam secundam: at cum Deus absoluta potestate possit omnem vim efficientium, & sustinentium secundorum supplere, nõ dubium esse, quin possit eiusmodi productionem ab vtriusque respectu seiũgere: quare, & per aliud efficiens producere, & per aliud subiectũ sustinere. Ratio ergo proposita, etsi non concludit eumdẽ numero effectum, spectata absolutè Dei virtute, non posse produci à diuersis numero agentibus totalibus, & eiusdem ordinis, concludit tamen non posse naturiliter.

*nibus secundum crumẽtium notanda.*

*Quo pacto diuina virtute causa secunda producere possit alterius causæ effectum.*

*Tertium.*

HIS addi potest ratio paulo ante impugnata, si ita exponatur, vt non afferat veram causam, sed signum veræ causæ vt diximus: quo pacto exposita, non huic soli quæstioni aptatur, cum non tãtum probet eumdem effectum non posse diuisim à pluribus efficientibus prouenire (quod vnum querebatur) sed neque ab eodem in diuersis temporibus, temporumue momentis.

*Solutio argumentorum affirmatiuæ partu.*

SECTIO V.

*Soluuntur argumenta posita sect. 2.*

AD primum igitur affirmatiuæ partis argumentum dicendum est: si daretur equus secundum speciem separatus à singulis, vt à Platone ponebatur, isque posset generandi vim habere, vt ille putabat, fore vt posset naturaliter generare omnes equos: nunc autem cum natura equi nõ detur separata, nullibi dari naturam equi, in qua existat ea generalis facultas. Itaque vis naturalis generatiua quæ equo secundum speciem conuenit, non est vis generandi quemlibet equum, sed generandi equum absolutè. Quare, etsi tota virtus speciei in quouis indiuiduo cernatur non tamen inde efficitur, vt quilibet equus possit quemlibet generare.

*Quo pacto virtus gignẽdi in quouis indiuiduo cõtineatur*

AD secundum dicendum est, satis quidem esse ad identtiatem numeralem, si eadem sit numero materia, atque eadem numero forma sed tamen vt ex eadem materia educatur eadẽ numero forma non satis esse si materia subijciatur actioni cuiusque agentis, vt dictũ est. Quod eominus mirò videbitur, si consideretur non satis etiã esse, si subijciatur actioni eiusdem agentis extra tempus à diuina voluntate constitutum. Cum autem obijcitur, materiã huius ignis esse ex se siue naturaliter indifferentem ad quamcunque formam ignis, negandum id est quemadmodum & quẽcunque ignẽ esse ex se naturaliter indifferẽtem ad educendam ex illa quamlibet formam ignis. Nã etsi quælibet materia est indifferens natura sua ad infinitas formas ignis educibiles, à quolibet igne particulari, nulla tamen est natura sua indifferens ad

formam

*Forma pendens à materia naturaliter à certa dependet.*

formam educibilem ex alia materia, siquidem omnis forma quæ pendet ex materia, habet naturalem dependentiam à certa numero materia, Eodémque modo etsi quilibet ignis natura sua est indifferens ad educendas ex illa infinitas formas ignis: nullus tamen est natura sua indifferens ad educendã formam, quæ ab alio igne educi possit: quãdoquidem omnis forma habet naturalem dependentiam à certo efficiente particulari. Vnde collige, non maiorem esse indifferentiam naturalem singularis materiæ, quàm singularis agẽtis particularis. Nam vt singulare agens natura sua nullam respicit formam, quam aliud numero agens naturaliter possit educere: ita singularis materia nullam respicit naturaliter, quæ ex alia naturaliter educi possit. Quod dictum intellige de materia respectu formæ quoad primam eius introductionem: non quoad extensionem in alias, atq; alias particulas materiæ quæ adiungitur, quod fit in nutritione. Est enim perspicuum materiam nutrimenti recipere in nutritione formam viuentis, quæ iam ex alia materia educta erat, aut saltem in aliam inducta.

*In quibus causis nõ detur infinitio.*

Ad tertium dicendum est, essentialem subordinationem, vt 2. lib. vsurpata fuit, & in qua dictum est *infinitionem dari non posse*: non cerni, nisi in causis, quarum propinquior effectui, seu posterior non causſat, nisi cõcurrente priori. Non ita autem res habet in hoc igne generante, & in alio à quo genitus est, & in cæteris qui retro genuerunt præcedentes. Nullus enim eorum in generando opus habuit concursu eius, à quo genitus fuit, aut aliorum præcedẽtium. Quare nihil obstat nostræ conclusioni, si in eis potuit dari progressus infinitus. Quanquam ne hoc quidem fieri potuisse concesserim, vt lib. 12. ostendetur. *Cap. 2. q. 1. sec. 3.*

Ad quartum dicendum est, non esse parem rationem in generatione, atque in corruptione, nisi quis existimet (quod Capreol. post Gregorium rectè aduertit) parem esse rationem, vt species equi, aut alterius animalis perfecti generetur à diuersis specie agentibus, quia potest à diuersis specie corrumpi. Causſa verò cur non sit eadem ratio, hæc est: quia per generationem confertur esse rei, per corruptionem verò aufertur: plura autem requiruntur ad dandum esse, quàm ad auferendum. Quo fit vt eadem res numero possit indifferenter corrumpi à pluribus numero agẽtibus. & in diuersis temporum momentis, nec tamen generari possit naturaliter, nisi à certo, ac designato agente, & certo temporis momẽto. Cum autem obiicitur, *corruptionem vnius esse generationem alterius*, proinde parem esse rationem in eo quod generatur atque in eo quod corrumpitur: respondendum est, ideo corruptionem vnius dici generationem alterius, quia omnem corruptionem comitatur aliqua generatio, & omnem generationem aliqua corruptio. Veruntamen hinc non effici id, quod propositum erat. Nam etsi eadem numero res postquam existit, variis numero corruptionibus obnoxia est, & quamlibet eius corruptionem necessariò comitatur aliqua generatio, ipsa tamen, quæ tam multis modis interire potest, nisi vnico ortu generari non potuit. *1. d. 2. q. vnica.*

*Cur eadẽ res corrumpi indifferenter à pluribus, non item generari possit.*

*Quo modo corruptio, vnius sit alterius generatio.*

Ad quintum dicendum est, nõ admodum facilem esse quæstionem apud Philosophos de specie cadaueris, vtrum videlicet, quacumque ratione



ratione animal intereat semper generetur cadauer eiusdem speciei. Cuius negatiuam partem eo magis probauerim, quod fieri potest vt interitus proueniat per se ab humoribus diuersarũ specierum. Dico autem, *per se*, quia species cadaueris non variatur propter varietatem interimentium per accidens, cuiusmodi sunt, qui iugulat, qui suffocat, &c. Verùm hæc quæstio nihil est ad rem. Quidquid enim de ea censeatur, necesse est asserere, quandocumque animal occumbit, si in eo vna tantum est numero forma substantialis, vt supponimus: pro ratione diuersorum instantium diuersas numero introduci formas cadaueris: neque enim alia ratione generatur cadauer, quàm quæuis alia res. Nec certè sensibus credendum est, cùm aliud iudicant: non enim ad sensus pertinet iudicium de diuersitate substantiæ, sed ad rationem, præsertim vbi sensibilia accidentia sunt similia. *Quæstionem de specie cadaueris non ita esse facilem. Pars negans placet.* *Non est sensuum iudicium de diuersitate substantiæ consulendum.*

Ad sextum, siue par ratio sit, siue dispar: dicendum est tamen, nunquam eundem effectum specie produci à causis diuersis specie, nisi illæ sint diuersorum ordinum, cuiusmodi sunt mus, & Sol: aut ipse ab vna producatur per se, ab alia verò per accidẽs: quo pacto stomachus calefit, per se quidem à calore cibi, per accidens verò à frigore aëris circunstantiis. At in hac quæstione non est sermo de causis per accidens, cum luce clarius sit, eundem numero effectum posse habere plures numero, immo & infinitas, neque item de causis diuersorum ordinum, sed eiusdem quæ omnes sunt eiusdem speciei.

Obiiciat tamen aliquis hunc in modum. Cum Sol generat murem, necessariò aliquam causam particularem, ac per se concurrere, à qua mus proximè generetur, & eam causam esse eiusdem ordinis cum mure generante, adhuc igitur eundem effectum specie produci à diuersis specie efficientibus eiusdem ordinis. Huic obiectioni occurrendum est causam quæ proximè rem efficit, si modo sit ex principalibus, de quibus loquimur in hac quæstione, aut esse æquè præstantem effectu, aut etiam præstantiorem. At causam cuius interuentu Sol proximè generat murem, verbi gratia, aërem calidum, non esse ex principalibus, sed ex instrumentariis, cum sit inferior effectu: vnde fit, vt nec generatio muris, nec alterius viuentis tribuatur aëri, cum tamen omnes tribuantur Soli: de qua re alibi differendum. Est enim dubium non mediocre: num soli tribuenda sit generatio viuentium, cum Sol re vera non sit viuens. *Obiectio.* *Solutio.*

Ad septimum dicendum, etsi diuersa animalia eundem numero locum per motum, quo se mouent occupare possunt, siue in eodem tempore, siue in diuersis: tamen nihil inde colligi contra propositam conclusionem. Locus enim non est id quod fit per motum localem, sed existentia in loco: hæc autem nulla eadem numero à diuersis mobilibus obtineri potest. Siquidem vt existentia in loco fit eadem numero, necesse est vt non solum locus sit idem numero, sed etiam mobile. Quo fit, vt etiam si diuina potestate duo corpora ponantur simul in eodem loco, tamen eorum existentia in loco sit duplex ratione duorum corporum. Verùm, quia per motum localem nulla noua absoluta entitas acquiritur à loco distincta, vt inferius patebit, *Existentia in loco vt variatur numero.*

patebit, sed solum hoc efficitur, vt mobile sit in loco, in quo antea non erat, aut eius partes aliter se habeant ad partes loci, quam antea habebant (quod addiderim propter motum circularē) non dubium esse debet, quin idem numero terminus, siue eadem numero existentia in loco possit indifferenter causari à diuersis numero efficientibus, cum mobile est idem numero. Neque enim aliam numero existentiam in loco consecutus fuit Abacuc Propheta in lacu leonum, *Daniel.14.* quod eo fuerit ab Angelo asportatus, quàm habuisset si eodem momento temporis in eundem locum suis viribus peruenisset. Quod accidit in iis omnibus quæ ab alio solius motus localis interuentu fiunt. Nisi quis ita desipiat, vt dicat aceruum lapidum coactum à Socrate, aut sextarium aquæ collectum ex multis guttis à Platone, non futuros eosdem numero si ab Alcibiade colligerentur. Itaque cum diximus, eundem numero effectum non posse indifferenter prouenire ab alio, agente numero, in iis tantum effectis id intelligendum esse voluimus, quæ noua forma absoluta fieri solent.

*Limitatio conclusionis notanda.*

*Productio & cōseruatio in quibus æquè sint faciles, vel non sint.*

Ad postremum dicendum, æquè facilè quidem aut difficilè id quibusdam esse rem producere, atque conseruare: vt in iis, quæ non possunt fieri nisi per creationem, & in cæteris omnibus, in quibus productio & conseruatio re ipsa idem sunt, vt in productione rerum successiuarum. Deo enim cum habeat potentiam infinitam æquè facilè est creare formas subsistentes, atque conseruare: creaturæ autem æquè difficile, seu potiùs impossibile. Equo item æquè cursum conseruare, atque producere: vtrumque autem æquè difficilè: immò & impossibile conchilio. In aliis autem plerisque rebus, partim faciliùs esse producere, partim faciliùs conseruare. Homo enim generat hominem, quem conseruare nequit: contra verò indumenta, alimenta, &, alia pleraque conseruant eum, quem generare non possunt. Vtcumque igitur habeat propositio argumenti, distinguenda est assumptio. Si enim loquatur de conseruatione, quæ reipsa distinguitur à productione rei, qualis cernitur in priori confirmatione, concedenda vtique est, sed neganda consequentia. Si verò loquatur de conseruatione, quæ re ipsa non distinguitur à productione, neganda est planè. Ad huius autem sensus probationem, quæ ex solo posteriori exemplo duci potest, dicendum est, speciem columnæ obiectæ non posse conseruari ab alia columna, etiamsi Deus aliam simillimam loco illius substituat. Sublata enim priori, necessario tolletur species quam illa imprimebat, quemadmodum sublato Sole, necessario periret lumen diei. Quamquam verò sequens columna aliam imprimet speciē: non poterit tamen per illam oculus distinguere posteriorem à priori. Cuius rei hæc ratio redditur à quibusdam, quia si diuersitas illarū specierum satis esset vt oculus iudicaret posteriorem columnam esse diuersam à priori, satis quoque esset diuersitas earum, quas eadem columna interrupta visione producit, vt oculis identidem apertis ac clausis. Hæc tamen ratio nihil est ad rem, quia species ab obiecto eodem numero diuersis tēporibus productæ semper repræsentat idem obiectum numero: ita eæ quę producuntur à diuersis, etiam si nulla sit visionis

*Cur diuersitas specierum non sufficiat ad obiecta distinguenda.*

*Ratio improbabilis.*





visionis interruptio, non repræsentat idem numero. Germana igitur ratio est, quia sensus non percipit distinctionem obiectorum, nisi vbi aliqua est dissimilitudo aut distinctio sensibilis: vt si distinguantur colore, aut intensione coloris, aut magnitudine, aut certè loco cum simul cernuntur. Distinctio enim quæ fit per solas differentias individuales, abstrusior est, quàm vt sensuum iudicio percipi possit.

*Germana ratio.*

Denique ad priorem rationem qua Scotus vtitur, dicendum est multos esse nunc prædestinatos, qui non essent futuri si status innocentiæ nec à primis parentibus, nec à tota posteritate amitteretur. Non ea quidem ratione, quia nunc multi prædestinati nascuntur ex parentibus reprobis, quod obiicit Scotus, (siquidem parentes qui nunc reprobi sunt, forent prædestinati) sed quia nunc multi prædestinati nascuntur ex adulterio, qui non nascerentur in statu innocentiæ, cum in illo statu nullus futurus esset vsus alieni coniugis. Nullum tamen est incommodum asserere, multos ex iis, qui nunc prædestinati sunt non fuisse tunc nascituros, quia Deus non prædestinauit homines nisi præsciens lapsum humanæ naturæ, quam si casuram non præsciisset, alia ratione illos prædestinasset, vt D. Tho. Quodlib. 5. q. 8. rectè animaduertit. Scotus tamen id putat absurdum, quia existimat Deum (vt nostro intelligendi more loquamur) prædestinasse homines ante præscientiam lapsus generis humani. Ex quo fundamento in alia quoque absurda incidit, quæ videre licet apd illum in loco citato. Atque hæc quæ Theologi sunt propria, necessariò attingenda fuerunt, ne quis crederet propositam conclusionem repugnare doctrinæ fidei de certitudine prædestinationis.

*Prior Scoti ratio soluitur.*

*Qua ratione multi nunc prædestinati qui non essent futuri Adamo non peccante.*

*Quo pacto Deus homines prædestinauerit.*

*Vide Capr. in 2.d.20. cōcl. 3. & quæ contra obiiciuntur.*

*Scot. loco sup. citato.*

Ad posteriorem verò eiusdem authoris rationem, ex dictis patet negandum esse quod sumitur. Nam etsi ignis D, tantæ virtutis, quantæ est A, generare posset in eodem instanti similem effectum, non posset tamen eundem numero producere: neque enim id colligi potest ex æqualitate virtutis, sed ex identitate eius numerali, si eadem omnino existeret in vtroque igne. Atque hæc de sensu diuiso propositæ controuersiæ: nunc de Coniuncto disseramus.

*Posterior Scoti ratio diluitur.*

## *NVM EIVSDEM EFFECTVS PLVRES causæ coniunctim esse possint.*

## QVÆSTIO XV.

### *Argumenta partis affirmatiuæ.*

### SECTIO I.

Plures eiusdē generis totales eiusdem numero effectus esse posse, his argumentis ostendi videtur in efficientib.

*Argumen.*

Si Deus conseruet materiam huius ligni cum sola quantitate, detracta nimirum formæ substātiali, & omnibus qualitatibus, quæ illam comitabantur, adhibeatque circumquaque plures numero ignes, quorum quilibet per se possit ignem ex ea generare: ignes illi proculdubio agent in eiusmodi

Universidad de Deusto
Biblioteca



materiã,atque adeò in inſtanti:hoc autem dato,idem effectus numero producetur à pluribus agẽtibus totalibus eiuſdem generis,ac ordinis. Eſt igitur pars affirmatiua quæſtionis vera, ac quod ignes illi agent, perſpicuum eſt, cum ſint agentia ex neceſſitate naturæ, & habeãt materiam præſentem diſpoſitam,vt actionem ſuſcipiat.Si enim nullam haberet quantitatem,merito quis dicere poſſet non futuram actionem: ſiquidem qualitates quas ignes illi imprimere poſſunt, egent quantitate,cuius interuentu recipiantur: nunc autem cum materia ponatur conſeruari cum quantitate,nulla videtur eſſe ratio,cur actionem ſuſcipere non poſſit. Quod verò agent in inſtanti,ea ratione patet,quia ideo Sol illuminat aërem in inſtanti, quia in aëre nihil eſt, quod poſſit luminis productionem impedire aut retardare: quod idem tunc in materia accideret.

*Secundum.* PRÆTEREA ſi duo corpora luminoſa æqualia magnitudine, intenſione lucis,atque agendi vi,ſint æquè propinqua alicui diaphano, quod ab vtrolibet per ſe illuminari poſſit: iam quæritur num ambo illuminabunt eiuſmodi diaphanum, an alterum illorum tantum, an vero neutrum.Quod neutrum,aut vnum potius quàm alterum, nulla omnino ratione dicendum videtur,cum vtrumque per ſe æquè id facere poſſit: ambo igitur illud illuminabunt. Quare nihil prohibet, quominus idem numero effectus à duabus cauſis totalibus eiuſdem ordinis ſimul produci poſſit.

*Tertium.* AD hæc duo Angeli aut etiam homines poſſunt concurrere ad portandum eundem lapidem, quem ſinguli per ſe portare poſſunt: igitur fieri poteſt,vt idem numero effectus producatur à duobus efficientibus totalibus eiuſdem ordinis.

ATQVE hanc ſententiam amplectitur Adamus & alij quidam, quos Capreolus refert in tertium ſententiarum, in quam propendet etiam Gabriel eodem loco. *Adamus 1. ſent.d.1.dub. 4. vt refert Capr.3.ſen.d. 1.q.vnica.*

*Approbatio negatiuæ partis.* SECTIO II.

CONTRARIA tamen ſententia,quæ eſt D.Tho.tum hoc loco,tum 1.p.q.52.art.3. Scot.3.ſent.d.1.q.2.Themiſtij, Auer.Alber Caie.Cap.& penè omnium alicuius nominis philoſophorum,à nobis amplectẽda eſt,quæ facilè ex iis, quæ ſuperiori quæſt.dicta ſunt hunc in modum concluditur. Plures cauſæ efficientes totales eiuſdem ordinis non poſſunt producere diſiunctim eundem numero effectum, ergo nec coniunctim. Nam ſi poſſent coniunctim,nec tamen diſiunctim: iam non eſſent cauſæ totales ſed partiales, vt patet ex dictis. Ita fit,vt qui concluſionem ſuperioris quæſtionis concedit, hanc omnino concedere cogatur ne ſibi repugnet ſſerens eas cauſas eſſe totales, quas cogitur fateri non eſſe totales,ſed partiales,

*Probatur hæc ſententia ex concluſione quæſtionis ſuperioris.*

SCOTVS tamen quia credit eundem numero effectum poſſe, diuiſim produci à pluribus numero agentibus totalibus eiuſdem ordinis cogitur probare hanc concluſionem ex ſpeciali repugnãtia, quæ videtur conſequi ſi coniunctim ab illis producatur.etiamſi poſſit diuiſim.Sic autem fere argumentatur.Si idem numero effectus produceretur

*Alber.Mag. 2.Phy.tract. 2.c.6.& Themiſt.2.Phy.6. 3.Auer.7. Metaph.comment.31.Caiet.1.p.q.52. art.3.& 3.p. q.3.artic.6. Capr.2.Sent. d.2. q.vnica. & 3.ſent d.1. q.1.Soncı.hoc lib.quæſt.6. Ferra.3.cont. gent.cap.68. Scot. 2. ſent. diſt.20.q.2. In 3.d.1.q.2.*



ceretur ſimul ab A, & B cauſis totalibus: penderet vtique eſſentialiter & ab vtraque & à neutra:hoc autem apertam inuoluit repugnantiam. Quod autem ab vtraque penderet eſſentialiter, ex eo videtur ſupponere tanquam perſpicuum, quia dependentia à cauſa totali,eſt dependentia eſſentialis. Quod vero à neutra penderet eſſentialiter, hunc in modum probat.Primum quidem non penderet eſſentialiter ab A,quia etſi A non exiſteret nihilominus,produceretur à B. Deinde non penderet eſſentialiter à B,quia etſi B non exiſteret,nihilominus produceretur ab A,igitur à neutra penderet eſſentialiter. *Scoti confirmatio.*

VERVM Scotus non animaduertit ſe in probanda hoc modo cõcluſione huius quæſtionis,implicitè conceſſiſſe concluſionem,quam negauerat. Id enim quod ait, ſi idem numero effectus produceretur ſimul ab A, & B cauſis totalibus, ab vtraque penderet eſſentialiter: non alia ratione ab eo aſſeritur,niſi quia putat dependentiam à cauſa totali eſſe dependentiam eſſentialem:quod ea ſola ratione verum eſt quia idem effectus numero non poteſt produci à pluribus diuiſim,vt diximus. Nam ſi poteſt, ergo à neutro pendet eſſentialiter cum non exiſtente vtrorum,nihilominus produci poſſit,vt ipſe colligit, ſi ponerentur ſimul concurrere. Itaque ratio Scoti non ſolum amplectenda eſt propter hanc concluſionem,ſed etiam propter ſuperiorem. *Vt Scotus implicitè conceſſerit,quod negauerat.*

*In 3.d.1.q.2.* SED quærat aliquis, num propoſita concluſio intelligenda ſit de potentia naturali,an de abſoluta. Scotus putat eſſe intelligendam de abſoluta,cum conetur ducere eum,qui oppoſitum duxerit ad contra- *1.p.q.52.ar.3* dicentes ſimul veras, vt patet ex dictis Caiet. tamen credit non eſſe intelligendam niſi de potentia naturali,ſeu ſecundum ordinem in rebus conſtitutum, quæ ſententia magis placet. Nam neque ſuperioris quæſtionis concluſio, ex qua hæc pendet intelligenda eſt de potentia abſoluta, ſed naturali duntaxat, ſeu ordinaria,vt in eius confirmatione diximus. Nemo enim dubitare debet,quin Deus ſupernaturali concurſu poſſit per ignem A, vt per cauſam proximã totalem, diuiſim producere eundem numero effectum,quem poteſt producere per ignem B,vt per cauſam item proximam & totalem. Sed tamen quia naturali ordine nulla cauſa media totalis producere poteſt per ſeſe eundem numero effectum, quem poteſt alia totalis eiuſdem ordinis producere, inde fit vt plures non poſsint ad eundem numero ſimul concurrere: alioqui nulla eſt repugnantia. Cum autem Scotus *Loco paulò ante citato.* colligit fore hoc pacto vt idem numero effectus pendeat eſſentialiter ab vtraque & à neutra, concedendum quidem eſt ſumpta dependentia pro naturali & ordinaria, quo ſenſu rationem Scoti amplexi *Caiet. 1.p.q. 12.art.3.* ſumus:at ſumpta pro ſupranaturali & extraordinaria (quæ appellatur abſoluta) neganda eſt prior pars ſequelæ, cum Deus ſupplere poſsit omnem efficientiam aliarum cauſarum,& vna vti poſsit ad effectum alterius producendum. Reliquum eſt igitur vt argumentis oppoſitæ ſententiæ ſatisfaciamus,quod in illis nonnihil ſit difficultatis. *An quæſtio etiam de potẽtia abſoluta intelligenda ſit. Scoti ſententia. Caiet. opinio anteponitur.*

*Solutio argumentorum oppoſitæ ſententiæ.* SECTIO III.

AD primum admiſſa hypotheſi dicendum eſt, ignes illos non fore cauſas totales eius numero ignis, qui ab omnibus ſimul

producetur. Quamquam enim quilibet eorum satis esset vt per se, & sine concursu aliorum ex eadem materia, & in eodem tempore certum numero ignem produceret, tamen nullus per se produceret illum eundem, quem omnes simul producent, quod iam patet intelligendum esse secundum naturalem ordinem: namque absoluta Dei potentia quilibet ignis producere potest eundem numero ignem, qui ab illo igne naturaliter produci potest, si Deus illo ad eius productionem vti velit,

*Perspectiuorum sententia improbatur.*

*Lege Vitellionē lib. 2. perspect. theor.*

Ad secundum, si vera esset opinio illa perspectiuorum, quot sunt corpora luminosa distincta inter se, tot lumina distincta numero ab illis produci in eadem parte medij, nihil esset difficultatis. Verum ea sententia non est probanda, vt alibi ostendimus, & ad caput decimum huius libri repetemus.

*Simile quid Iauellus hoc loco.*

Sunt quibus placeat duo illa luminosa corpora sese ita impeditura, vt neutrum eorum lumen producat. Hæc tamen responsio præterquam quod est contra experientiam, nullius est verisimilitudinis: nulla ènim est ratio cur vnum luminosum quantumcumque alteri & magnitudine & virtute æquale sit, illud ab iluminando impediat.

*Ferrariensis opinio non leui ratione cõfirmatur.*

*Ferrariensis 3. contra gen. ca. 68.*

Alii dubitantes hac de re, dicunt aut se mutuò impeditura, aut saltem non actura secundum totam intensionem suæ lucis, secũdum dimidiam illius partem. Atque est quidem pro istorum responsione, quoad posteriorem disiunctionis partem, qaa à superiorum responsione distinguitur, non contemnenda ratio. Vt enim duo homines æqualium virium, cum simul tantum ponderis portant, quantũ vterque per se portare posset, ita temperant conatus suos, vt neuter agat secundum totam virtutem adæquatam ponderi, sed secundũ partem aliquam: ita videntur duo luminosa sese inuicem attemperare posse in illuminando, vt neutrum agat tota intensione lucis, sed immediatè duntaxat. Nam quod quidam obiiciunt propterea id fieri non posse, quia non est in potestate corporis luminosi reprimere propriam virtutem, & agere hac dimidietate, illa verò minimè, cum neque agens liberum sit, nec maior sit ratio cur agat hac dimidietate, quàm illa, nihil concludit: tum quia hoc ipsum cogentur concedere in hoc boue, qui etsi non agit libere, sed naturæ impetu, tamẽ si cum altero trahat pondus, quod solus trahere posset, non dubium est quin ex natura talis concursus sit temperaturus conatum, quẽ solus adhibuisset. Tum etiam quia non agere secundum totam virtutem non est illam reprimere, sed non totam exercere. Tum denique quia neque in homine (etsi est agens liberum) cernitur potestas agendi hac dimidietate virium, illa verò minimè, sed quod potius hac vtatur quã illa, ex determinatione primæ causæ prouenit, vt in aliis agentibus non liberis.

*Vt producatur lumen à duobus luminosis intensius in qualibet parte remota.*

Et quidem si duo luminosa corpora æqualia magnitudine ac virtute iuxta sese posita nõ essent productiua intensioris luminis in qualibet remota diaphani parte, quam vtrumuis per se: posset data responsio tolerari. Nunc autem cum id planè falsum sit, vt patebit cap. 10. aliter soluendum est argumentum. Dixi in qualibet remota diaphani parte, quia in parte proxima, vbicumque finẽ illius describas, immò



immo & in toto diaphano illuminato non producetur lumen intensius ab vtroque luminoso, quàm ab altero tãtum, si ambo sunt æqualia magnitudine ac virtute, vt dictum est: & tamen in quauis remota producetur intensius ab vtroque, quàm ab altero. Cuius rei hæc est ratio, quia luminosa corpora producunt in medio lumẽ vniformiter difformiter vt dici solet, hoc est, eo ordine, vt in superficie quam contingunt, producant quantum possunt, ac proinde æquale suo lumini, deinde vero quo partes remotiores sunt, eo minus intensum. Quo fit vt nec in toto diaphano, nec in vlla eius parte detur intensius lumen quàm in luminoso corpore, & tamen addito alio luminoso in quauis remota diaphani parte, intẽsius lumẽ producatur, quã ab vno dũtaxat.

*Ratio.*

*Vera secundi argumenti solutio.*

Ad argumentum igitur dicendum est, duo illa corpora luminosa idem numero lumen productura, non tamen vt agentia totalia, sed vt partialia, quemadmodũ ad primum argumẽtum responsum est. Non quod singula sint actura secundum dimidietatem suarum viriũ, sed quia singula ita agent tota virtute propria, vt ambo simul producant certum quoddã numero lumen, quod neutrũ per se posset producere.

*Quid si duo illa luminosa non simul ponantur, desinet ne lumen ab altero productum?*

Sed quærat aliquis quid dicẽdum sit, si duo illa corpora luminosa non simul ponantur, sed altero iam ante existente, alterum deinde adiungatur. Vtrum ne lumẽ à priori productum desiturum sit aduenìente altero, vt vnum & idem numero ab vtroque producatur (hoc enim videtur ex dictis consequi) an vero quod postea adiungetur efficiet reliquam extensionem ac intensionem luminis in qualibet remota parte diaphani.

*Inepta responsio.*

*Reiicitur.*

Hvic dubitationi sunt qui dicant lumẽ à priori luminoso productum desiturum esse aduentu alterius, sicq; ab vtroque simul vnum numero producendũ. Non est tamen audienda hæc sententia. Agẽtia enim naturalia ideo agunt in aliquid, vt illud sibi assimilent: proinde cum inueniunt sibi simile, nõ ampliùs in illud agunt, nisi illius perficiendi & conseruãdi gratia. Accedit quod nullũ ibi dabitur corrumpens, aut quoquo modo efficiẽs vt lumen quod ante erat, esse desinat.

*Vera dubitationis explicatio.*

Dicendvm igitur si alteri luminoso alterum adiungatur, non opus fore vt pereat lumen à priori productũ: sed eo conseruato à prẽexistente luminoso, siue in superficie contigua parteq; proxima diaphani, siue in partibus remotis: luminosum aduenìens cũ prẽexistente effecturum nouã intensionem in qualibet remota diaphani parte antea illuminata, nouamq; extensionem vltra priorem actiuitatis terminum. Neq; enim eiusmodi accretio fieri potest à solo aduenìente luminoso, cum non maiorem habeat efficiendi vim, quàm quod ante existebat, à quo tamen talis accretio facta non erat. Hinc patet, si luminosum præexistens postquam ambo simul illuminarunt: auferatur totum lumen periturum: siquidẽ lumen præexistens ante aduentum secundi luminosi, à solo primo conseruabatur, quod autem ab vtroque adiunctum fuit, à neutro per se produci potuit: quare neque ab altero tantum conseruari potest. Itaq; totum desinet, & producetur à secundo luminoso aliud numero simile & intensione & extensione illi, quod à primo luminoso productum erat. Quod si secũdum

*An totum lumen ablato priore luminoso pereat.*

luminosum

luminoſum ſubtraha tur, ſolũ lumen ab vtroque productum peribit.

PATET etiam non eſſe cur diſcrucientur quidã,quærentes quidnam faciat luminoſum aduenies in ſuperficie proxima, cùm in ea lumen à priori luminoſo productum intendere non poſſit, vtpote æquale ſuo lumini,tandémq; concludentes facere illud robuſtiùs.Hoc enim nec fieri poteſt,nec rectè colligitur,Nam nec qualitas fit robuſtior niſi intentione aut coniunctione maiore partium,vt in condenſatione: nec opus eſt vlla efficientia aduenientis luminoſi in eam ſuperficiem,cùm iam ſit perfectè aſſimilata luminoſo aduenienti.

*Dubitatio de luminoſis in eodem loco adæquatè poſitis à Deo.*

QVÆRAT aliquis quid futurũ,ſi duo illa corpora luminoſa æqualia magnitudine & agendi virtute diuina poteſtate ponantur adęquatè in eodem loco:ſiue ſimul id fiet in eodem momento temporis ſiue altero priùs poſito,alterum deinde adiungatur.Ad hanc dubitationẽ ſi corpora illa in eodem momento tẽporis ſimul ponantur,facilis eſt reſponſio ex dictis. Producent enim vnũ luminis indiuiduum,quod neutrũ per ſe poſſet producere,etiamſi vtrumq;(quod fateamur oportet)tota virtute concurrat.Verum ſi altero prius poſito ac remanẽte ſimúl cũ eo,ponatur alterum: dubitatio eſt non minima.Nã ſi ſphęra actiuitatis vtriuſq; luminoſi non fuerit maior,quã prioris tantũ:ſanè cũ poſterius luminoſum aduenerit,aut nihil faciet quia inueniet medium tanto lumine affectũ, quantum ipſum producere poteſt, aut ſi aliquid fecerit:neceſſe erit,vt vel cum priori luminoſo aliud numero lumen producat deſtructo priori:vel illud idẽ lumen,quod productũ erat,cum eodem luminoſo conſeruet:quæ omnia videntur incommoda. Neq; enim videtur dici poſſe, fore vt poſteriùs luminoſum nihil agat:nihil enim otioſum eſt in rerum natura.Neq; item vt vtrumque producat aliud numero lumen deſtructo priori: quandoquidẽ nihil erit,à quo prius lumen deſtrui poſſit.Nec deniq; lumen priùs productum conſeruari ab vtroque luminoſo poterit: conſeruatio enim, & productio idẽ ſunt in ſucceſſiuis:lumen autem quod à priori luminoſo productum erat,non poteſt à poſteriori produci,ergo nec conſeruari.Si autem ſphæra actiuitatis vtriuſque fuerit maior, quàm prioris luminoſi tantum, inueniri quidem poterit quid agat poſterius luminoſum: producet enim ſimul cum priori lumen vltra ſphærã actiuitatis prioris luminoſi, & cum eodem intendet lumen ab illo productum in qualibet remota parte medij prius illuminati.Verum ipſa hypotheſis non videtur admittenda. Cum enim ambo luminoſa non ſint occupatura ſimul maiorem locum, neque habitura intenſius lumen,quàm alterum tantùm: non eſt cur vtrumque ſimul habeat maiorem actiuitatis ſphæram,quàm habebat prius luminoſum.

*Vbi tota difficultas.*

*Conſeruatio, & productio idem ſunt in ſucceſſiuis.*

*Vnde oriatur dubij poſiti difficultas.*

TOTA huius rei difficultas ex eo naſcitur, quia nunquam experti ſumus plura luminoſa ſimul in eodem loco, vt experiremur etiam num longius diffunderent lumen, quàm vnum tantum: quemadmodum expetimur cum vnum propè aliud ponitur. Hinc enim fit vt ad rationem ſine experientia neceſſariò ſit recurrendum, qua tamen non rarò hallucinamur. Qui ergo propter rationem proximam conceſſerit duo propoſita luminoſa non habitura ſimul in eodem loco maiorem actiuitatis ſphæram, quam prius luminoſum habeat : reſpondeat neceſſe eſt poſterius luminoſum nihil facturum : addétque incommodum non eſſe, quod tamdiu ſit otioſum, quamdiu cum eo ſimul fuerit prius luminoſum, à quo ſolo lumen producebatur & conſeruabatur : id enim ex tribus quæ proponebantur minime videtur improbabile. Sed oportebit deuorare illud quod ſequitur, ne mille quidem lucernas, ſi à Deo in eodem loco ponantur, magis illuminaturas domum quàm vnicam. Qui verò ne hoc concedat admiſerit propoſita duo luminoſa habitura (quod veriſimilius eſt.) maiorem actiuitatis ſphæram quàm ſingula per ſe: is facile diluere poterit rationem, quæ oppoſitum probare nitebatur. Dicet enim etſi ambo luminoſa non ſint occupatura ſimul maiorem locum, neque habitura intenſius lumen quàm alterum tantum: tamen non dubium eſſe quin habitura ſint plus luminis: habebunt enim duplex lumen comparatione ſingulorum : quod ſatis erit, vt longius poſſint illuminando agere, quàm prius luminoſum. Nam & prunæ ex materia denſiori non habeant intenſiorem calorem, quàm rariores, tamen ex eadem diſtantia magis calefaciunt: neque id propter aliam rationem accidere poteſt, niſi quia in materia denſiori plus caloris eſt quàm in rariori, etiam ſi intenſio ſit eadem. Neque ad rem erit, ſi quis obijciat in eo cerni diſparitatem, quod materia denſior non eſt plura corpora, ſed vnum tantum,quod de duobus luminoſis in eodem loco adæquatè poſitis dici non poteſt: nihil enim id refert.

*Quæ plus habent luminis, licet non intenſius lumen, longius agũt & fortius.*

NAM quod calor eiuſdem intenſionis in materia denſiori poſitus plus agat ex eadem diſtantia, longiúſque calorem diffundat,non prouenit ex vnitate ſubiecti, ſed ex maiori caloris multitudine, quæ dupla erit vel tripla, vel etiã maioris proportionis, ſi proportio maioris inæqualitatis in denſitate maior fuerit.

AD tertium neganda eſt conſequentia. Non poſſunt enim ſiue duo Angeli,ſiue duo homines cõcurrere ad portandum lapidẽ niſi vt cauſæ partiales.ſiquidẽ quãto vnus magis conabitur,tãto minùs enitetur alter, vt ex conatibus vtriuſque quaſi vnus conatus efficiatur.

*Quid de cæteris cauſarum generibus dicendum ſit.*

## SECTIO IV.

SVPEREST,vt quemadmodũ Ariſtoteles in eo pronũciato,de quo nũc agimus,vniuersè loquutus eſt de cauſſis; quid de cæteris generibus dicendũ ſit paucis explicamus.

*Prima concluſio. Materias & formæ plures vt idem numero effectus reſpuat.*

QVOD ergo attinet ad interna cauſarum genera, dicendum : Nullum eumdẽ numero effectum poſſe habere plures materias,aut formas totales eiuſdem ordinis ſiue diſiunctim,ſiue cõiunctim. Hæc concluſio,quod ad ſenſum diſiunctũ attinet,ex eo probatur, quia cum ſingularis materia, & ſingularis forma quoad vltimas earum entitates, ſint phyſica indiuiduationis principia, vt patebit capite ſexto: neutiquam dicendum eſt, vnum & idem numero compoſitum poſſe indifferenter conſtare ex hac vel illa materia,aut

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Durandi falsa sententia.*

ex hac vel illa forma. Vnus est Durandus, vel alter etiam quidam qui sentiant, vnum & idem numero compositum posse indifferenter constare ex quauis materia, modo constet ex vna duntaxat forma. Proinde licet anima D. Petri in generali resurrectione nō vniatur idem materiæ, quam olim informauit, nec alicui eius particulæ tamē cōpositum fore idē numero quod olim fuit. Verū hęc sententia quia parū abest, vt solā formā ad essentiā rei naturalis pertinere dicat septimo libro impugnabitur, vbi ea de re disseritur ab Aristotele.

*Durād. 4. sent. dist. 44. q. 1. Ioānes Neapol.*

QVOD verò attinet ad sensum coniunctim, ex disiuncto sensu potest duci probatio, quod idē factū est in caussis efficiētibus: Nā si nec plures materiæ, nec plures formæ, disiunctum, siue indifferenter possunt constituere idē numero compositū, & tamē possūt coniunctim: efficitur vt iam non sint caussæ totales, sed partiales, quod est contra hypothesim: loquebamur enim de totalibus.

*Secunda conclusio de causa finali.*

DE fine tamen non prorsus eadem est ratio. Nam etsi interni fines eiusdem mutationis nec, disiunctim, nec coniunctim plures esse possunt, totales videlicet ac eiusdem ordinis: externos tamen vtroque modo diuersos esse nihil prohibet.

PRIOR pars huius assertionis ex eo patet: quia finis internus mutationis idem est quod forma quæ acquiritur, & ex qua fit cōpositum: eiusdem autem numero compositi nec disiunctim, nec coniunctim plures numero formæ totales dari possunt, vt ostensum est. Posterior verò manifesta exemplis est: idem enim opus fieri potest ab homine indifferenter propter hunc aut illum amicum, itémque propter hunc & illum simul: adeò vt nihil minus fiat propter vnum, quàm propter alterum, immo etiam, quàm propter vtrumque.

## *NVM CAVSAE SIBI mutuo sint causæ.*

## QVAESTIO XVI.

### *Argumenta negatiuæ partis.*

### SECTIO I.

FIERI non posse vt causæ sibi mutuo sint causæ: etsi oppositum affirmat Aristoteles in hoc capite his tamen argumentis ostendi videtur.

PRIMVM quia finis non potest habere causam cùm sit causa causarum omnium vt dici solet.

DEINDE, quia nec efficiens quatenus efficiens est: si enim efficiens haberet causam ea maximè esset finalis: at finalis non est causa efficientis etiam vt efficiens est: alioqui Deus quatenus est primū efficiens, esset causatus ab vltimo fine ac proinde à se.

*Cap. 2. Phys. sect. 2.*

TERTIO, quia si causæ sibi mutuo causæ essent, cum eæ omnes quæ ad eundem effectum concurrunt, simul concurrant: vnum genus causæ esset alteri generi essētialiter subordinatū, quod fieri posse ad librū secundū negatū est: immo vero vnaquæque causa esset sibi ipsi essentialiter subordinata: quicquid enim est subordinatum alter



alteri, est subordinatum iis omnibus, quibus illud subordinatum est.

QVARTO, quia si causæ sibi mutuo causæ essent, concedendum foret, vnam esse priorem & posteriorem respectu alterius, ac proinde priorem & posteriorem se ipsa, & (quod hinc sequitur) causam sui ipsius: omnis enim causa est prior eo cuius est causa: quicquid autem est prius priore, est prius posteriore, & quicquid est causa causæ, est causa causati.

POSTREMO, quia si causæ sibi mutuo causæ essent, per se mutuo demonstrari possent: quo fieret vt circularis demonstratio non esset improbanda, quæ tamen ab Aristotele in priori libro de posteriori resolutione, & ab omnibus exploditur, ac merito quidem: ea enim admissa, idem esset notius & ignotius altero, atque adeo seipso, quandoquidem ea omnia, quæ siue demonstrantur, siue quauis alia ratione probantur: per notiora probentur necesse est.

### *Quid responderi ad quæstionem soleat.*

### SECTIO II.

*Hoc cap. 2.*

ACC Aristoteles quidem hac vna assertione se ab hac quæstione expediuit: causas sibi mutuo causas esse non in eodē genere causæ, sed, in diuersis: quo pacto deambulatio est causa efficiens bonæ habitudinis: & hæc vicissim est causa finalis deambulationis. Sed tamē argumenta proposita posteriorem huius assertionis partē nō modo impugnat, sed etiā euertere omnino videntur. Prior autē in caussis finalibus efficientibus & materialibus, facilè his exemplis impugnari potest. Nā & finis Cui, est causa finalis finis Cuius, & hic vicissim illius, vt deambulans bonæ habitudinis, & bona habitudo deābulantis vt deambulās est. Et deābulans ipse alia ratione est efficiens bonæ habitudinis, & bona habitudo efficiens deambulantis vt talis est. Pluuia item est causa materialis vaporum è terra ascendentium, & vicissim vapores descendentis pluuiæ.

*Cōclusio Aristotelis.*

*Alb. 2. Phys. tract. 2. ca. 6. & alij.*

*Vt nōnulli soluunt argumēta partis negantis.*

AD hæc respondent nonnulli, rationes pro negatiua parte adductas, solum probare causas diuersorum generum, non posse sibi vicissim alteram alterius causas esse, quoad causalitates simul & quoad esse: at nihil repugnare vnam esse causā alterius quoad esse, quo pacto efficiens est causa finis intenti. veluti medicus sanitatis: alteram verò illius quoad causalitatem: quo pacto aiunt, finem esse causā efficientis veluti sanitatem medici. Nam efficiens introducit formam, quæ est finis intentus: eámque esse facit in materia secundū esse reale: at forma ipsa seu finis intentus, mouet efficientem causam, secūdum esse conceptum, vt se efficiat secundum esse reale, quod est esse causam causalitatis efficientis. Quod autem nunc obiectum est de caussis eiusdem generis: quoad finales quidem ita fortasse diluētur, vt dicat finem Cui, & finem Cuius, etsi sunt causæ eiusdem generis: non esse tamen eiusdē speciei, pro qua tamen in hac quæstione nomen generis (vt sæpè alias) sumendum est, cum negatur posse causas eiusdem generis sibi mutuo causas esse. Quoad efficiētes autem, planè dicunt non esse incommodum asserere in eadem specie causæ

*Cap. 3.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



alteram viciſſim eſſe cauſam alterius non ratione tamen eiuſdem indiuidui ſed diuerſorum: quo pacto bona habitudo quæ efficitur hac deambulatione, non eſt efficiens huius eiuſdem deambulationis, ſed alterius quæ poſtea efficietur: & hæc pluuia non eſt cauſa, materialis illorum eorundem numero vaporũ, ex quibus genita eſt, ſed aliorum, ex quibus alia numero gignetur.

*Non omnino tamen ſatis facium.*

VERVM iſta non videntur ſatis facere, niſi luculentius, & aliter quàm vt ſonant explicentur. Nam vt aliqua omittam, quæ reſponſione hac videntur non poſſe diſſolui: certè finis non poteſt eſſe cauſa cauſalitatis efficientis. Nam præterquam quod Deus quatenus efficiens eſt, cauſatus eſſet, vt in argumento obiectum eſt: nullum genus cauſæ poteſt eſſe cauſa cauſſalitatis alterius generis, vt in iis de quibus hic eſt ſermo inductione perſpicuum eſſe poteſt. Etenim nec forma habet à materia vt informet, tametſi ſine materia informare non poſſit: nec materia à forma vt ſuſtineat, tametſi ſine forma ſuſtinere nequeat: nec verò finis ab efficiẽte habet vt illud ad agendum alliciat: nec denique efficiens habet à fine, vt ſit id, vne primum motus proficiſcitur, ſed à ſe primo: tametſi efficere nihil poſſit, niſi alicuius gratia ad agendum alliciatur. Vnde fit, quod nonnulli ac magni quidem auctores dicunt, finem eſſe cauſam efficientis quoad cauſalitatem impropriè dictum ſit pro eo dicant, finem quoad cauſalitatem eſſe natura priorem efficiente, vt efficiẽs eſt, licet efficiens quoad eſſe ſit prius fine: loquuntur enim de fine Cuius, qui quidem actione efficientis incipit eſſe, non de fine Cui vel accepiſſe cauſalitatem agentis pro ſecundaria ratione cauſſandi, quæ eſt actio ipſa reſpectu principalis effectus: qui per actionem fit, non pro ipſo influxu agentis, à quo ipſa quoque actio proficiſcitur. Qua in re optimè ſe & alios explicauit Alenſis hoc loco, non ſimpliciter aſſerens cauſſam efficientem habere ſuam cauſſalitatem à fine, ſed quodam modo habere. Videbat enim planè nullum genus cauſæ ab alio genere propriam cauſalitatem mendicare poſſe. Quod autem ad diluendum argumentum ex cauſſis efficientibus addunt: etſi rectè dictum eſt, non tamen videtur ſatis. Nam in quibuſdam efficientibus alterum viciſſim pendet ab altero, non ſpecie tantum eadem: ſed numero etiam: quo pacto manus calidæ altera alteram fouet, alteráque viciſſim alterius calorem tutatur, quod efficientis cauſæ munus eſt: quare aut aliter, aut explicatius ad quæſtionem reſpondendum eſt.

*Nullum genus cauſſæ poteſt eſſe cauſſa cauſſalitatis alterius generis.*

*D. Thom. hoc loco. Alb. 2. Phyſ. tract. 2 ca. 6.*

*Explicatio Alexãdri Alens.*

*Vera quæſtionis explicatio.*

## SECTIO III.

*Explicatur aſſertio Ariſtotelis.*

DICENDVM igitur aſſertionẽ Ariſtotelis quoad priorem quidem partem (vt pote cauſas in eodẽ genere cauſæ non eſſe ſibi mutuo cauſas) vniuerſalem eſſe: in eo tamẽ ſenſu quẽ explicauimus: Eſt enim negatiua propoſitio: At quoad poſterioremquæ loquitur de diuerſis cauſarũ generibus, nõ eſſe vniuerſalem, ſed indefinitam: neque enim ait cauſas omnes diuerſorũ generum

*Vt cauſſæ ſibi mutuo ſint cauſſæ.*



nerum ſibi mutuo cauſas eſſe, ſed cauſas abſolutè: quod intelligendum eſt in iis tantum, quæ ad ſe mutuo referuntur, vt in efficientibus & finalibus inter ſe collatis, in formalibúſque & materialibus comparatis inter ſe. Nam & finis dicitur finis efficientis, & efficiens dicitur efficiens finis: nõ cuius libet tamen, ſed finis Cuius, veluti medicus ſanitatis (quod notandum eſt: ne finis Cui, comprehendi hoc loco intelligatur) & forma dicitur forma materiæ, viciſſimque materia dicitur materia, ſeu ſubiectum formæ. Atque in his duabus tantũ cauſarum cõplicationibus intelligi ſolet poſterior aſſertionis pars ab Interpretibus, cùm hoc loco, tum etiam 2. Phyſicorum c. 3. Quare expoſita tribus concluſionibus reſpondendum eſt.

*D. Thom. Alex. Auer. hoc loco. & Albertus 2. phyſ. tract. 2. cap. 6.*

*Prima concluſio.*

PRIMA, quoad cauſalitates quidẽ, neque in eodem genere, neque in diuerſis poſſunt cauſæ ſibi mutuo eſſe cauſæ. Hæc concluſio quoad priorem partem ex eo probatur: quia ſi cauſæ eiuſdem generis ſibi mutuo cauſæ eſſent, planè ſequerentur ea incommoda, quæ in quarto & quinto argumento primæ ſectionis colligebantur. Quoad poſteriorem verò, ex eo probatur, quia vnum genus cauſæ non poteſt eſſe cauſa cauſalitatis alterius generis, vt ex ſuperiore ſectione patet, ergo nec viciſſim alterum alterius. Huic tamen concluſioni non repugnat vnam cauſam eſſe cauſam alterius quoad cauſalitatem in eodem genere cauſæ, modo altera non ſit viciſſim cauſſa illius in eadem ſpecie. Nam in eſſentialiter ſubordinatis, ſuperior eſt eſſe cauſa cauſalitatis inferioris cauſæ, vt ſæpius dictum eſt.

*Secunda*

SECVNDA concluſio. Quoad eſſe ſimpliciter etſi repugnat cauſſas ſibi mutuo cauſas eſſe in eodem genere cauſæ, non repugnat tamen in diuerſis: at quoad eſſe ſecũdum quid, neque in eodem genere repugnat, nec in diuerſis. Prima pars ex eo probatur: Quia ſi in aliquo eodem genere cauſarum altera viciſſim eſſet cauſa alterius quo ad eſſe ſimpliciter, id maximè accideret in efficiẽtibus, vt inductione patere poteſt: at quæ cauſæ efficientes non poſſunt ſibi viciſſim dare eſſe ſimpliciter, quod enim efficienter dat eſſe, nunquam accipit eſſe ſimpliciter ab eo ipſo, cui efficienter dat eſſe, vt inductione patet. Accedit & ratio communis in omnibus cauſſis: quia ſi duæ cauſæ penderent ex ſe inuicem quoad eſſe ſimpliciter in eodem genere: planè euenirent ea incommoda, quæ duobus poſtremis argumentis primæ ſectionis explicata ſunt. Secunda pars ex eo conſtat, quia materia & forma cœli ſunt ſibi viciſſim cauſſæ quoad eſſe ſimpliciter, vt patet ex quæſtione tertia, tametſi non eodem modo res habet in his inferioribus: nam etſi omnes formæ (intellige ſubſtantiales) ſunt cauſæ materiæ quoad eſſe ſimpliciter (pendet enim ab eis materia ſimpliciter in conſeruari, quanquam non ab hac aut illa, ſed à toto formarum genere, vt in eadem quæſtione dictum eſt) non tamen materia eſt cauſa omnis formæ quoad eſſe ſimpliciter, quia non eſt hoc modo cauſa formæ humanæ, quæ cum immaterialis ſit à materia in ſuo eſſe ſimpliciter pendere non poteſt. Quod ſi ſermo eſſet de materia & forma materiali tam cæleſti, quàm inferiorum dicendum foret alteram viciſſim eſſe cauſam alterius quoad eſſe ſimpliciter, eo

*Huius cap. ſect. 2*

*Materia & forma quo pacto ſibi inuicem ſint cauſæ.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*In efficientibus probatur conclusio.*

tamen modo, loco eodem explicatus est.

TERTIA pars conclusionis, quoad idem genus causæ attinet: perspicua est in efficientibus, vt in manibus mutuo calorem conseruantibus. Neque enim altera simpliciter efficit vt altera sit calida, sed vt non fiat frigida à circunstante aëre.

*In diuersis generibus inter se collatis.*

QVOD verò attinet ad diuersa genera, satis patet in materia & forma hominis. Materia enim dat formæ humanæ vt sustentetur quoad informationem, quod est eius esse secundum quid, & vicissim forma humana dat materiæ esse humanũ, quod est esse secũdũ quid materiæ. Patet etiã in efficiente & fine. Nã efficiens cũ concipit finem, dat illi quoddã esse secũdũ quid, & vicissim finis, cũ metaphoricè mouet causam efficientem, dat illi quoddam aliud esse secundũ quid: quandoquidem moueri à fine non est aliquid efficere. Tertia conclusio. Cum Aristoteles ait, causas sibi mutuo causas esse non in eodem genere sed in diuersis: intelligendum id est vniuersè de efficientibus & finalibus comparatis inter se, itémque de materialibus & formalibus inter se collatis, non quoad causalitates tamen, sed quoad aliquod esse ipsarum causarum, siue simpliciter, siue secundum quid: ita tamen, vt sit sermo de esse quo altera per se pendet ab altera.

*Tertia assertio.*

ET quidem quod in duabus his tantum causarum complicationibus id intelligendum sit, iam initio huius sectionis cum omnibus interpretibus supposuimus. Quod verò in iis vniuersè sit intelligẽdum inductione patet. Quod autem intelligi possit quoad esse earum siue simpliciter, siue secundum quid, ex secunda conclusione perspicuum est. Quòd denique intelligi debeat quoad esse, quo altera per se pendeat ab altera: ex eo patet: quia si sermo sit de esse, quo altera per accidens pendet ab altera, non dubium est quin duæ causæ eiusdem generis mutuo sibi causæ esse possint quoad aliquod esse secundum quid, vt dictum est de manibus mutuo calorem conseruantibus: neque enim per se id faciunt, quasi influendo calorem, sed remouendo, siue impediendo frigus aëris circunstantis.

*Obiectio. Solutio. Vtrvma manus alterã calefaciat.*

QVOD si quis obiiciat, manus frigidas sese mutuo cõfricantes, mutuo sese ac per se calefacere, quopacto in curribus sæpè ligna sese incendunt, piper quoque & stomachum se vicissim calefacere: hũc in modum respondendũ est. Agentia quæ hoc pacto in se mutuo agunt non per eandem formam quam in se alia ab aliis accipiunt, agere per se in se inuicem, ac proinde non censeri eadem numero formaliter, vt per se agunt & patiuntur, sed diuersa. Verbi gratia manus dextra, quæ confricatione calefacit sinistram, non calefacit illam calore eo quem accipit à sinistra (si vtraque æqualiter calefit) sed confricatione, qua efficit in ea calorẽ: eodẽque modo sinistra calefaciẽs dexteram non eam calefacit eo calore quẽ accipit à dextera, sed confricatione qua in ea calorem excitat. Atque eadem ratio est in curribus. Dixi, *si vtraque æqualiter calefit*, quia si altera magis calefiat ab altera, quod magis ab illa confricetur: poterit illa per se agere in alteram illo caloris excessu, quo calorem alterius superat. Quod verò ad piper & stomachum attinet piper etsi calore stomachi excitatur, vt



*Quomodo piper stomachum calefacit.*

vt illum calefaciat: non tamen illũ calefacere illo eodem actuali calore, quem accipit à stomacho, sed natiuo & virtuali: quo fit vt iam non censeatur idem numero agens formaliter, ac patiens, siue accipiens propter diuersas formas, quarum altera in stomachum agit, altera ab eodem accipit. Quod si quis vrgeat saltem stomachum eadem forma agere, atque agi, calore nimirum actuali, occurrendũ est, nihil id referre, quandoquidem patet non esse formam eandem, qua piper agit, & agitur vt stomachus ad illud, quasi ad id quod formaliter vnum & idẽ agens & patiens sit, referri possit. Itaque quod Aristoteles negat causas eiusdem generis nõ posse sibi mutuo causas esse: intelligendum est de caussis per se, & eisdem numero formaliter ex vtraque parte. Quapropter reliquum est, vt ad argumenta initio proposita respondeamus, qua ex parte non concludunt.

*Epilogus.*

*Dilutio argumentorum partis negatiuæ.*

## SECTIO IIII.

*Soluuntur argumenta posita sect. 1.*

AC primum quidem rectè sumit, finem, vt finis est, seu quoad causalitatem non posse habere causam alterius generis: id enim commune est caussis omnibus, vt in diuersis generibus vna nõ sit causa alterius, tametsi in eodẽ genere esse possit, vt patet in essentialiter subordinatis, modo nõ retro commeet causalitas in eadẽ specie quod ex prima conclusione perspicuũ est. Nec huic sentẽtiæ repugnat dictũ illud cómune, *finem esse causam causarum omnium*: iam enim diximus sic intelligendum id esse, ac si dicas esse omnium primam, & præcipuam in ratione causæ.

*Finem esse causam causarum quomodo intelligendum.*

IN secundo (quod pro prima etiam conclusione est) illud vnum aduerte, cum finis dicitur causa efficientis, etsi id non quoad causalitatem, sed quoad aliquod esse intelligi debet: semper tamen intelligendum esse quoad aliquod esse secundũ quid, vt quoad motionẽ, qua efficiens mouetur à fine, cũ ipsum motionis est capax, vel quoad actionem, quæ suo modo denominat causam efficientem: atque hoc quidem posterius commune est omnibus efficientibus. Hac ratione non dixit Aristoteles in hoc capite, bonã habitudinem esse causam finalem deambulantis, sed deambulationis, vt intelligeres deambulantem non esse causatum à bona habitudine quoad suum esse simpliciter, sed quoad deambulationem, à qua denominatur deambulans, quo pacto Deus vt vltimus finis non est causa sui, sed suæ actionis, à qua extrinsecus donominari potest.

*Deus vt vltimus finis non est causa sui, sed suæ actionis externæ.*

AD tertium dicendũ, in essentiali subordinatione requiri vt causæ sint eiusdem generis, & vt altera sit alterius causa quoad causalitatem, vt dictum est ad librum secundum, quorum neutrum in diuersis causarum generibus locum habet.

*Cap. 2. q. 1. sect. 2*

AD quartum dicito, in diuersis generibus causarum nihil esse incõmodi si altera vicissim sit prior altera: neque enim inde sequitur, aliquam esse priorem se, aut (quod durius est) causam sui. Illud enim, Quidquid est prius priore est prius posteriore: & illud, *Quidquid est causa causæ est causa causati*: in eodem genere locum habet, in diuersis

*Duo axiomata explicantur.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



sis non habet. Neque enim valet, efficiens est prius fine, aut causa finis quoad existentiam: & finis est prior efficiente, & causa efficientis quoad actionem: ergo est prior se aut causa sui: mutatur enim ratio caussandi. Nec valet item, materia est prior forma & causa formæ quoad sustentationem, & forma vicissim prior materia & causa materiæ quoad informationem, ergo materia est prior se & causa sui: mutatur enim causalitas in progressu.

*Vt per se inuicem, causæ demonstrentur.*

Ad vltimum dicendum, non solum non esse impossibile, sed esse etiam necessarium vt causæ quæ ex se mutuo pendent, quatenus ita pendent, per se inuicem demonstrentur. Neque enim datur perfectus circulus in mutua earum dependentia: quia in causis per se semper variatur vel ratio caussandi, vt in efficiente & fine in materia & forma, vel principium caussandi, vt in stomacho & cibo natura calido, aliisq; huiusmodi efficientibus.

## *NVMIDEM CONTRARIORVM causa esse possit.*

## QVÆSTIO XVII.

*Quæ in hac re difficultatem faciant.*

### Sectio I.

*Pars negatiua probatur. Primum.*

Primvm celebre est apud Peripateticos pronunciatũ illud, *idem, in quantum idem, semper facit idem*, quod ex 2. lib. de Generatione desumunt, eo in loco vbi Aristoteles tradit causam obliqui circuli, quem Zodiacum vocamus: quod si semper acit idem, nunquam igitur facit contraria. *Cap. 10. text. 18.*

*Secundum.*

Deinde in hoc ipso capite, eo pacto docet Aristoteles idem contrariorum causam esse posse, quo nauis gubernator, eius & salutis, & submersionis causa est, præsentia quidem salutis: absentia verò submersionis: at esse causam salutis per præsentiam, & submersionis per absentiam, non est idem esse contrariorum causam, sed contraria esse causas contrariorum: non minus enim contraria sunt, absentia, & præsentia gubernatoris, quàm salus, & interitus vt sic dicam, nauis. Regitur vera potius Aristoteles hic docet, idem non esse causam contrariorum, quàm esse.

*Tertium.*

Postremo in pronunciatis naturalibus, & moralibus illud sæpè vsurpatur, contrariorum contrarias esse causas. Vnde tum videtur illud Dialecticorum, quod ex 2. Topicorum Aristotelis desumitur: *si propositum in proposito, & oppositum in opposito.* vt si virtus laudanda, vitium reprehendendum. Quod si contrariorum contrariæ sunt caussæ, qui fieri potest vt idem contrariorum causa sit? atque hæc pro parte negatiua quæstionis faciunt. *Loco Arist. paulo ante citato. Cap. 3.*

*Affirmans pars suadetur. Primum.*

Pro affirmatiua autem primum se offerunt caussæ liberæ, quæ manifestè agunt contraria. Vnde est illa distinctio libertatis in libertatem



tem contrarietatis, & contradictionis: contrarietatis ad agendum bene vel male: contradictionis ad agendum & non agendum.

*Secundum.*

Deinde artes ipsæ, quę contraria efficiunt, potest enim Oratoria æquè dissuadere, atque suadere, & medicina æquè refrigerare ægrotum medicamẽtis, atque calefacere, vt non dicã sanare, & nouam ægritudinem efficere, quod medicus nõ faceret ex arte sed ex malitia.

*Tertium.*

Tertio causæ ipsæ naturales. Nam & Sol causat in his inferioribus contraria effecta, vt dulcedinem lactis, & amaritudinem absynthij: calorem æstiuum in hominibus, & frigus in puteis: quædam etiã mollia facit vt ceram, alia dura vt lutum: immo etiam ignis in re eadem efficit contraria, vt cum mel concretum initio liquefacit: quod deinde coquendo indurat.

*Quæstio in toto genere tractatur.*

Ac licet quæstio in efficientibus tractari hoc loco soleat propter exemplum Aristotelis, quod planè subiicitur in efficientibus, tamen quia in ipso pronunciato, quod est affirmatiuum absolutè de causis sermo est, hæc de cæteris causarum generibus adiungemus. Videri quidem illud falsum in cæteris, quemadmodum in efficientibus, quod in omnibus causarum generibus par ratio esse videatur. Verum autem quod materiam eandem contrariarum formarum causam esse nemo sit qui dubitare possit, cum formæ contrariæ educantur de potentia materiæ tanquam causa ipsarum naturalis. Formam verò eandem contrariorum effectorum, tum quia forma viuentis præsentia, & absentia sua vitæ; & mortis causa est, ac magis quidem, quam gubernator præsentia suam nauem seruat, & absentia perdit: tum etiam quia si efficiens est contrariorum causa, cum illud per formam sit efficiens, idem quoque de forma dicendum erit. Quod si forma, ergo & finis qui cum forma coincidit, vt patet ex Arist. in Physicis. Accedit, quod propter eundem finem contraria sæpe fiunt, vt motus in partes contrarias, & alterationes item contrariæ: quo pacto idem ægrotus vt sanetur, modo vtitur calidis, modò frigidis. Ita videtur quæstio in cæteris quoque causarum generibus quemadmodum in efficientibus ambigua esse. *Materiã causam esse contrariorum.* *Formam.* *2. Phy. cap. 7. Text. 71.*

*Explicatio quæstionis.*

### Sectio II.

Fortasse dicat aliquis non opus fuisse hanc quæstionem discutere. Nam nec Arist. vniuersè loquitur, sed definitè, neq; eodem modo vult idem contrariorum causam esse, sed alio & alio modo, vt gubernatorem præsentia sua salutis nauigij, absentia vero naufragij eiusdem, ita permittitur ab Arist. perspicuè, vt dicamus idem, & in quibusdam contrariorũ causam esse, & in quibusdam non esse, & vno modo esse, alio modo non esse. Verum quia & hoc ipsum qua ratione accidat, & qua non accidat, & quam vim habeant quæ pro vtraque parte occurrunt operæpretium est cognoscere, non erit inutile si paucis rem expediamus. *In materia & fine explicatur quæstio.*

De causis quidem extremis, materia videlicet ac fine, non dubium est, quin idem secundum idem possit esse contrariorum causa,

Universidad de Deusto
Biblioteca



vt materia secundum suam essentiam, & generalem potentiam, propensionémque ad formas,& finis secundum suum esse reale conceptum,quorum vtrumque patet ex præpositis argumentis. De mediis autem causis distinguendum:Nam de forma quatenus forma est,hoc *In forma.* est, quatenus per seipsam dat esse: oppositum asserendum est. Nunquam videlicet vnam & eandem posse contrariorum esse causam etiam consecutiuè, vt inductione patet. Nam neque albedo vnquam dat esse nigri, nec nigredo albi, & sic in cæteris: neque ex forma eadem profluunt in eodem subiecto contrariæ affectiones:alioqui connexa essent,Dixi quatenus forma est, quia quatenus principium efficiendi,idem de ea dicendum,atque de efficiente,de quo solo iam reliquum est vt respondeamus. Nam & ambigua res est, & de ea sola diximus disputari consueuisse in hac quæstione.

*In causis efficientibus.* DICENDVM igitur in efficientibus quidem liberis, idem efficiens secundum idem efficiendi principium, & supposito etiam eodem fine proximo, contrariorum causam esse posse: in naturalibus autem non posse,modò non de causis vniuersalibus, sed particularibus siue immediatis immediatione suppositi sermo sit, nec de causis per accidens, sed per se,nec respectu diuersarum materiarũ,sed eiusdem,adde & eodem modo dispositæ.Nam si vel causa mediata sit,vt Sol respectu lactis & absynthij:vel partim agat per se,partim per accidens,quo pacto idem lumen per se calefacit materiam calefactibilem,& per antiperistasim calidi aëris puteos in æstate frigefacit: vel materiæ sint diuersæ, vt cera & lutum respectu eiusdem, vel eadem diuerso modo disposita,vt mel concretum, & idem postea liquidum respectu ignis, vel efficiendi principium sit diuersum, qua ratione *Magnetis mira natura.* magnes ex vna parte dirigit ferrum ad Aquilonem, ex altera verò ad Austrum,& anima tristitia constringit corpus, lætitia dilatat, vel denique fines proximi sint diuersi,vt accidit in contrario motu pulmonis,qui naturaliter & eiiciendi calidi aëris causa se comprimit, & attrahendi frigidi se extendit (tametsi propter vnum,& eundem finem remotum vitæ seruandæ vtrumque facit) non dubium est quin idem contrariorum causa naturaliter esse possit. At in efficientibus liberis non est eadem ratio. Possunt enim facere contraria eodem efficiendi principio,& propter eundem finem proximum: quo pacto Deus virtute sua quæ vnica est, & propter seipsum, proximè potuit aquam & ignem,& alia contraria producere,& Socrates eadem volendi facultate,& propter eundem finem proximum,potest rem eandem & amplecti & reiicere:vt si modo docere velit,modo nolit,vt Platoni gratum faciat. Aduerte tamen non esse hic intelligendum nomine finis proximi ipsum intrinsecum actionis terminum, quo pacto aqua & ignis sunt fines earum mutationum, quibus producuntur, sed extrinsecum: quo pacto Deus est finis omnium suarum actionum, aliarum quidem proximus,aliarum vero remotus, omnium tamen principalis,& Plato est finis Socratis præceptoris,vt præceptor est.

*Solutio*



*Solutio argumentorum pro vtraque parte propositorum.*

SECTIO III.

*Soluuntur argumẽta partis negantis. Aristoteles explicatur.*

SVARE ad prouunciatum illud quod initio propositũ est, dicendum non rectè illud desumi ex loco citato Aristotelis, nec contra nos, sed pro nobis etiam facere si fideliter referatur. Neque enim Arist. id solum docere vult, idem inquantum idem,aut secundum idem semper facere idem,sed expresse ait:*idem eodem modo semper habens, idem facere natum, siue aptum esse,* quod quidem plus est,nec tantum in proximis agẽtibus locum habet sed in remotis etiam,de quibus Aristoteles in ea quęstione loquebatur.Nam si agens eodem modo se habet & in se & ad alia:nulla potest assignari ratio in naturalibus,cur aliter atque aliter agat,veluti Sol si semper in Æquinoctionali moueretur circulo (quod esset si inferiores cœli solo ductu primi mobilis traherentur) semper nox & dies essent æqualia, nunquam esset hyemis & æstatis, veris & autumni vicissitudo. At nos non dicimus idem eodem modo & in se, & ad alia semper habens contrariorum causam naturaliter esse posse:sed idem agens proximum variato modo agendi per se, aut per accidens, aut variata materia, &c.

*Secunda solutio. Aristoteles explicatur.* SECVNDVS locus pro nobis etiam est, nisi quod diligenter aduertendum, gubernatorem nauis naturaliter quidem causam esse per accidens submersionis nauis,si è naui quam seruabat discedat (per se enim aut ventorum vi,aut accipienda alia ratione aqua submergitur) at moraliter causam esse per se,si illam & potuit, & debuit sua opera seruare,vt diximus in expositione contextus.

*Tertius Aristotelis locus exponitur. Soluũtur argumẽta partis affirmatiuæ.* TERTIVS locus hanc habet vim, vt in causis formalibus valeat: contrarias enim formas,contraria effecta formalia & contrariæ proprietates consequuntur: vt virtutem, virtute præditum esse laudandumq́;:vitium autem vitiosum & reprehendendum:quæ sanè conueniunt cum eis quæ de formalibus causis diximus.

*Quatuor modi quibus agens efficit per accidens contrarium.* ARGVMENTA vero quæ pro parte opposita in efficiẽtibus proposita sunt,ex dictis soluta relinquũtur.Illud vnum in causis per accidens animaduertendũ, quatuor modis potissimum euenire vt agens efficiat per accidens contrarium. Vno,quia non resistit agẽti contrario:quo pacto Sol recedens dicitur frigefacere,& columna trabi supposita,si illã sustinere desinat,dicitur trabem deiicere, ad quem modum reduci potest remotio prohibentis:quo pacto is qui columnam remouit dicitur trabẽ deiecisse. Altero extrahendo contrarium ex re, in quã agit:quo pacto calor æstiuus stomachũ frigefacit, quia extrahit internum calorẽ,& Sol exsiccat lutum extrahendo humorem:tertio disponendo ad formam contrariã: quo pacto ignis dicitur gelare aquam per accidens,quia cum eã calefaciendo rarefacit,in causa est, vt à frigore melius penetrari possit.Quarto præbendo ipsi contrario occasionẽ,se magis ad pugnã roborandi:quo pacto calor æstiuus aëris intendit puteorũ frigus,& eiusdem hibernum frigus intendit eum calorẽ,qui intra terrã continetur,à quo puteorũ aqua efficitur calida.

*Quare æstiuus calor intendat frigus puteorum.*

*Quid de aliis causis dicendum.* IN aliis autem causis quid pro parte vtraque respondendum sit.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*De quibus contrariis in hac quæst. sit sermo.*

facilè ex iis quæ dicta sunt lector intelliget: nisi quod duo sunt animaduertenda. Alterum nihil referre quod forma præsentia, & absentia sua generationis & interitus causa sit: nos enim non loquimur in hac quæstione de iis contrariis, quorum alterum positiuum sit, alterum priuatiuum: sed de iis; quorum vtrumque sit positiuum. Proinde exemplum illud naufragij, quod est apud Aristotelem non est sumendum priuatiuè pro ipso quasi interitu nauis, sed positiuè pro submersionis motu. Alterum est, finem eum qui coincidere dicitur cum forma, non esse finem extrinsecum: nos autem non de intrinseco, sed de extrinseco locutos esse;

## NVM CAVSA ET EFFECTVS SIMVL SINT.

## QVÆSTIO XVIII.

*Argumenta contra Aristotelem.*

### SECTIO I.

*Pars negatiua quæst.*

ARISTOTELES quidem ad finem cap. affirmat si de causa in actu & effectu in actu sermo sit: vtrũque simul esse, ac non esse tempore, si verò de causa in potentia, non idem dicendum esse: quæ sanè aut vera non videntur, aut non cohærẽt, nec comparationem causarum cum effectibus quatenus simul sunt, aut non simul satis declarant.

PRIMÒ enim id quod actu generat, non est simul tempore cum eo quod actu generatur: quod enim generat est, quod generatur non est, vt ipse docet multis in locis, ac meritò quidem, quod enim iam est, cur aut quo pacto gigneretur? Atque hoc quod de generante ac genito in commune dicimus, luce clarius est in viuentibus, quæ semper, vt actu generant præcedunt tempore actu genita, vt Socrates actu generans Callimachum genitum.

SECVNDO finis actu causat cum actu non est, veluti cũ medicus curat ægrotum sanitatis inducendæ gratia, quæ proinde nondum est.

TERTIO par est ratio in comparatione causarũ in potentia cum effectis in potentia, atque causarum in actu cum effectis in actu: vt enim se habet actus ad actum, ita potentia ad potentiam. Immo verò planiùs videtur causam in potentia & effectum in potentia simul esse tempore, quàm causam in actu, & effectum in actu. Quandocumque enim causa causare potest, effectus quoque causari potest, & vice versa, alterutrum enim si neges, alterum quoque neges necesse est. Quod si dicas Aristoteles cum id negat causis in potentia, & concedit causis in actu, intelligendum esse de causis in potentia comparatione effectorum in actu, iam ista non cohærent: oportebat enim conferre vtraque in potentia, quemadmodum vtraque in actu.

POSTREMO comparatio causæ & effectus, quatenus alterũ est simul, aut posterius natura respectu alterius prior est, & magis propria in materia de causis, quàm quatenus alterum est simul, aut prius tempore: & tamen hanc comparationem prætermisit Aristoteles,

De



*De comparatione causarum & effectorum inter se secundum naturam.*

### SECTIO II.

*Causa & effectus quot modis considerari possint.*

ERGO vt comparationem secundum rationem prioris & posterioris natura priori loco explicemus, illud in memoriam reuocandum est, causam & effectum considerari posse, vel quoad res ipsas secundum se, vel quoad relationes causæ & effectus, vel causam quidem quoad rationẽ causæ, effectum verò quoad rationem causati, vt causatum est, tum dicendum: Si causa & effectus primo modo sumantur, interdum causam esse priorem natura, interdum posteriorem, interdum etiam simul natura. Nam cum prius & posterius natura exceptis iis modis prioris & posterioris: qui causæ vt causa est & effectui, vt effectus est accommodantur, vel si priùs & posteriùs perfectione, vel priùs & posteriùs existendi consequentia, vt patebit cap. vndecimo: perspicuum est materiam in generabilibus & corruptibilibus esse natura priorem forma & composito, & rursum posteriorem natura, priorem quia præcedit vtrumque existendi consequentia, posteriorem quia præceditur ab illis perfectione, causam verò vniuocam esse simul natura cum suo effectu, quia habet eandem cum illo perfectionem.

*Explicatio quæstionis.*

SI verò causa & effectus secundo modo sumantur: non dubium est quin semper simul natura sint, cum sint formaliter correlatiua.

QVOD si sumantur tertio modo, semper causa est prior natura, & effectus posterior, semper enim effectus vt effectus est pẽdet ex causa, nec à posteriori, sed à priori: verbi gratia, quod forma sustineatur siue quoad esse, siue quoad informationem tantum, à materia prouenit: cuius causalitas est sustinere formam: contráque quod materia informetur, seu habeat esse formale, à forma prouenit, cuius causalitas est dare esse formaliter, seu informare materiam, & sic in cæteris, neque vnquam verè dixeris causam, vt causa est pendere ab effectu vt effectus est tanquam à priori.

*De comparatione eorundem secundum tempus.*

### SECTIO III.

QVOD verò attinet ad comparationẽ prioris & posterioris tempore, dicendum: Si causa & effectus sumantur pro rebus ipsis absolutè non necessariò esse simul tempore, quia causa hoc modo existente potest nõdum existere effectus, vt scamnum existente fabro aut existente effectu, periisse iam causam, veluti fructus exusta arbore. Atque hoc voluit significare Aristoteles, cum dixit causam & effectum si sumantur in potentia, non simul esse, & non esse. Intellexit enim nominibus causæ in potentia, & effectus in potentia (saltem nomine effectus in potentia) res ipsas quibus accidit esse actu.

*Aristotelis mens explicatur.*

SI vero sumantur, siue vt correlatiua sunt siue formaliter, vt causa & effectus sunt: dicendum, semper esse simul tempore. Ac vt correlatiua quidem sunt (saltem mutua, hoc est, vel vtrumque reale, vel vtrumque rationis) nihil est dubij, cum correlatiua hæc simul omni-

Universidad de Deusto
Biblioteca



nó sint existendi consequentia (seu quod idem est, & passim vsurpari solet) simul se ponant ac tollant. Vt autem formaliter causa & effectus sunt, ex eo constat, quia ratio causæ & effectus sunt fundamenta siue rationes fundandi relationnm causæ & effectus: nec altera potest esse sine altera, neque vtraque simul sine relationibus consequentibus. Atque hoc pacto intellexit Aristoteles *causam in actu & effectum in actu simul esse*, tametsi de causis non quoad relationes, sed quoad causandi rationes loquutus est.

*Aristotelis explanatio.*

*Obiectio.*

QVOD si obiicias rationem causandi primi efficientis ab omni æternitate extitisse (eius nimirũ voluntatem efficiendi) & tamen effectum cœpisse ex tempore, ergo causam & effectum quoad rationem causæ effectus non simul esse tempore: alij aliter respondent.

*Prima solutio Caprevoli.*

SVNT qui putent se facilè euadere difficultatem hanc distinctione voluntarij efficientis & naturalis. Dicunt enim propositionem hanc causam in actu, & effectum in actu simul esse, de naturalibus causis & effectis, non de voluntariis intelligendam. Quæ responsio non est ad rem. Nam cum causa in actu sit causa actu concurrens ad effectum: nihil interest sit ne naturalis an libera. Si enim actu concurrit vt causans, iam effectus actu causatur.

*Ita Cap. in 2. d. 1. q. 2. ar. 3. ad 1. contra 1. conclusio.*

*Improbatur.*

*Secunda Caietani.*

ALII volunt rationem causandi primi efficientis quoad id, quod ponit in ipso primo efficiẽte, ab æterno extitisse: quoad id vero quod ponit in effectu, non fuisse ab æterno, & hoc posteriori modo primũ efficiens & eius effecta quoad rationem causæ & effectus simul esse.

*In his videtur esse Caietan. in com. 1. p. q. 46. art. 1.*

*Non placet.*

Verum solutio hæc ideo non placet, quia nihil eorum quæ sunt in effectu ad rationem eausæ pertinent, saltem ad primam & propriè dictam, vt ex iis quæ suprà exposita sunt perspicuum est.

*Tertia Thoma Argent.*

ALII dicunt voluntatem primi efficientis Dei non esse rationem causandi nisi pro eo tempore, quo Deus efficere aliquid constituit: atque eo pacto simul esse rationem efficiendi cum ratione effectus, qui efficitur. Est autem hæc solutio consentanea iis, quæ D. Tho. plerisq; in locis tradit, sed cum ratio causandi non sit entitas aliqua formaliter, sed modus se habẽdi ad aliud, vt superiùs quoq; explicatum est. potius dixerim voluntatem Dei non esse formaliter rationem efficiendi, neque absolutè, nec pro eo tempore quo efficit, sed esse modum se habendi Dei volentis ad ea quæ efficit: ipsum videlicet influxum diuinæ voluntatis in effectum, qui non est formaliter actus voluntatis, sed illum supponit ab æterno existentem, cum ipse sit ex tempore. Nec dubium est quin hoc pacto D. Thomas exponi velit. Quod si quis obiiciat, ergo Deum mutari cum agere incipit, quia incipit habere modum illum se habendi, respondendum est, nihil mutari dicendum esse, nisi recipiat nouam entitatem realem, cuiusmodi non est formaliter modus ille se habendi ad effectum.

*Thomas de Argentina in 1. d. 43. art. 1. D. Thomas 1. p. q. 19. art. 7. & q. 46. art. 1. ad 10. & aliis in loci.*

*Ita sensisse D. Thomam.*

*Consentanea est dictis D. Thomæ.*

*Solutio auctoris.*

*Obiectio.*

*Solutio.*

*Quæ nonnulli addũt inepte ad superiorem conclusionem.*

EX his, si rectè aduertas, planè intelliges superuacanea esse quæ nonnulli addere solent huic propositioni, causam in actu, & effectum in actu, simul esse tempore: nempe vt causa sit non impedita, non remota, non libera, & effectus sit proximus & immediatus. Si enim causa actu causat, constat impeditam non esse, & quemadmodum diximus



diximus nihil interesse, sitne naturalis an libera: ita nihil refert sit ne proxima an remota. Item si actu causat, perspicuum est effectum aliquem immediatum causari, etiamsi is sit mediatus & remotus, respectu mediatæ ac remotæ causæ: & forsitan ad alium mediatum remotúmque effectum dirigatur, vt embryo ad iuuenem.

*Solutio argumentorum.* SECTIO IV.

*Aristoteles exponitur.*

AD primum igitur argumentum contra Aristotelẽ dicendum id quod generatur, dum generatur (nempe generatione non momentanea, sed temporaria quæ propriè generatio est) non esse quidem vt genitum, sed esse tamen vt id quod generatur. Id enim quod generatur dum generatio durat, non existit nisi per materiam & aliquam formæ partem, si forma diuisibiliter introducatur, vt forma domus: aut per materiam & aliquam dispositionem ad formã, si forma introducatur indiuisibiliter, vt forma hominis, leonis, aut etiã ignis, quoad primam inflammationem materiæ. Vnde patet, non rectè quosdam excogitasse hoc loco solutionem illam de simultate immediationis vt loquuntur: asserentes ideo generans & id quod generatur esse simul tẽpore, quia id quod generatur existit immediatè post generationem. Confundunt enim id quod generatur cum eo quod genitum est, quemadmodum & nos in argumento, & quia genitum vt genitum est, existit immediatè post generationem, iccirco aiunt generans, & id quod generatur esse simul tempore, id est, immediatè post generationem, quod non rectè dicitur. In vltimo enim generationis momento, id quod generatur, iã non generatur, sed genitũ est.

*Improbatur quorumdam solutio.*

*In vltimo generationis momẽto rem non generari, sed esse genitam.*

AD secundum dicito, finem vt finem existere eo modo, siue conditione qua causat, causare autem vt est in mente. Et quamuis non necesse est, vt cum primum sanitas mouet medicum ad curationem adhibendam, iam tum ægrotus curetur: ipsa tamen motio qua medicus mouetur à fine, numeratur in effectibus finalis causæ, quod satis est in eo exemplo, vt causa in actu, & effectus in actu simul sint. Neque enim hoc necessario intelligendum est de causa & effectu mediato, sed immediato, quemadmodum & in causis efficientibus & earum effectibus.

AD tertium, iam diximus causam in potentia & effectum in potentia sumenda esse eo loco pro rebus, quæ sunt causa & effectus absolutè sumptis: quo fit vt accipienda non sint prout inuicem referuntur secundum potentiam naturalem aut logicam, quo pacto simul se ponunt & tollunt mutuo.

*Institutum Aristot. hoc capite.*

AD vltimum dicendum est, Aristotelem non instituisse agere hoc loco de modis quibus causa prior effectu, aut simul cũ illo, sed obiter docuisse causam in actu & effectum in actu necessario esse simul tempore, non item causam in potentia & effectum in potentia: vt rationem redderet cur potissimum per potentiam & actum modos alios causarum duxerit, seu multiplicauerit omissis aliis complicationibus causarum quas facere potuisset. Ratio autem fuit, quia plurimum interest in actu actu ne an in potentia causa sumatur, vt diximus in expositione contextus. Atque hæc de causis dicta sint.

CAPITIS.

## CAPITIS TERTII EXPLANATIO.

*Diuisio totius capitis.*

*Elementum a dicitur.* Exponit hoc cap. quot modis dicitur elementum: primúmque tradit propriam eius rationem, deinde impropriam & translatitiam: postremò reuocat omnia huius nominis significata, quotquot vsurpantur ad communem quandam elementi rationem.

*Definitio elementi.*

Elementum propriè dictum (vt definit) est id, *ex quo primum insito, ac indiuisibili specie in aliam speciem aliquid componitur.* Cum dicitur *ex quo aliquid componitur*, reiiciuntur causæ externæ, exemplaris, efficiens, & finalis. Nec refert quod cœlestia corpora, quæ sunt efficientes causæ rerum inferiorum, sæpe apud Arist. vocatur elementa: nõ enim hoc nomine appellantur, quatenus sunt causę efficientes, sed quatenus primę partes sensibiles vniuersi corporei: quemadmodum ignis, aër, aqua, & terra non ex eo dicuntur elementa quod sunt causę agẽtes mutuæ generationis, & corruptionis, sed quia sunt primę partes sensibiles mistorũ corporum speciei differentes. Reiicitur etiam per eandẽ definitionis particulã quicquid aliud non est pars, etiam si ex eo res dicatur fieri, veluti primatio & contrariũ. Quamquam enim statua dicitur fieri ex infigurato, & album ex nigro: tamen non dicuntur ex his cõstare aut fieri tanquam partibus, nisi per accidens ratione subiecti.

*Vt 3. de Cælo ca. 1. text. 1. 1. Meteor. ca. 3. & initio lib. de coloribus.*

Nec obest quod Aristot. 12. lib. huius operis, cap. 4. numerat priuationem inter elementa: intelligit enim priuationem esse per accidens elementum ratione materiæ: quod idem Simplicius ad 1. Phys. annotauit. Itaque priuatio est per se principium, sed per accidens elementum. Cum autem additur *primo insito*, hoc est, ita insito vt sit primum in compositione: reiiciuntur partes quæ non sunt primæ, sed constant aliis prioribus: cuius modi sunt, quas heterogeneas ac dissimilares appellamus, vt caput, manus: & id genus aliæ, quæ constant ex diuersis similaribus: & homogeneæ, siue similares illæ, quæ ex vulgatis elementis constant, vt caro, os, & similes. Quod denique additur *ac indiuisibili specie in aliam speciem*, non necessitatis gratia, sed perspicuitatis adhibitum est. Nisi quis dicat, necessariò fuisse explicandum quo pacto elementum sit prima pars: quantitatiue, & quæ in minores diuidi nequeat (vt Democritus, Leucippus, & cæteri qui atomos rerum omnium naturalium principia esse crediderunt) an potiùs specie, & quę in priores specie differentes diuidi nõ possit. Hoc enim præstitutũ est adhibita hac tertia definitionis parte, quæ est Auen-rois sententia hoc loco.

*Text. 4.*

Στοιχεῖον a λέγεται, ἐξ οὗ συγκειται πρώτου ὑπάρχοντος ἀδιαιρέτου τῷ εἴδει εἰς ἕτερον εἶδος· οἷον, b φωνῆς στοιχεῖα ἐξ ὧν σύγκειται ἡ φωνή, ἡ εἰς ἀδιαιρέτους ἐσχάτους, ἐκεῖνα δὲ μηκέτ' εἰς ἄλλας φωνὰς ἑτέρας τῷ εἴδει αὐτῶν, ἀλλὰ κἂν διαιρῆται τὰ μόρια ὁμοειδῆ οἷον ὕδατος τὸ μόριον ὕδωρ ἀλλ' ὁ δὲ συλλαβῆς. ὁμοίως δὲ καὶ τὰ τῶν σωμάτων στοιχεῖα λέγουσιν οἱ λέγοντες, εἰς ἀδιαιρέτους τὰ σώματα ἐσχάτους, ἐκεῖνα δὲ μηκέτ' εἰς ἄλλα εἴδει διαφέροντα σώματα. ἢ c εἴτε ἓν εἴτε πλείω τὰ τοιαῦτα, ταῦτα στοιχεῖα λέγουσι. παραπλησίως δὲ καὶ τὰ τῶν διαγραμμάτων στοιχεῖα λέγεται, ἢ ὅλως τὰ τῶν ἀποδείξεων. αἱ γὰρ πρῶται ἀποδείξεις, καὶ αἱ πλείοσιν ἀποδείξεσιν ὑπάρχουσαι, αὗται στοιχεῖά τῶν ἀποδείξεων λέγονται. εἰσὶ δὲ τοιοῦτοι συλλογισμοὶ οἱ πρῶτοι ἐκ d τριῶν ὅρων καὶ διὰ μέσου.

Καὶ f μεταφέροντες δὲ τὸ στοιχεῖον καλοῦσιν ὀρθῶς, ὃ ἂν ὂν ἓν καὶ μικρὸν, πρὸς πολλὰ ἄχρηστον. διὸ καὶ τὸ μικρὸν, καὶ ἁπλοῦν, καὶ ἀδιαίρετον, στοιχεῖον λέγεται.

Ἔσθεν

*Tria elementorum genera, in definitione comprehensa.*

b *Vt vocis elementa.* Vt definitionem exemplis illustret, tria subiicit elementorum genera, quæ in illa comprehenduntur: vocum literatarum, rerum naturalium, & demonstrationum Mathematicarum. Elementa vocum earum quę & literatæ, & articulatæ dicuntur; non sunt syllabæ, sed ipsæ literæ, hoc est, simplices pronunciationes. Syllabæ enim diuidi possunt non solùm secundum quantitatem, vt longa in duas breues; sed etiam secundum formam, quod fit in simplices pronunciationes specie diuersas, qualis sunt vocalis & consonans: at ipsæ literæ, siue pronunciationes simplices, & si possunt diuidi secundum quantitatem, vt cum tota aqua diuiditur in duas dimidietates, quia

*Vide Plato. in Theæteto, & de scientia.*



(quia enim diuisione syllaba diuiditur secundum quantitatem temporis, diuiduntur etiam literæ, ex quibus constat, quod hoc loco à quibusdam non satis animaduersum est) non diuiduntur tamen in diuersas pronunciationum species, quod est apertissimum. Vnde fit vt quælibet pars literę sit eiusdem speciei cum tota litera, non autem quælibet pars syllabę cum tota syllaba. Quanquam enim id verum est diuisa syllaba in partes materiales, quæ sunt partes longitudinis successiuę, non tamen est verum si diuidatur in partes suo modo essentiales, quæ sunt ipsæ literæ ex quibus constat.

## CAPVT III.

*Elementum a dicitur id, ex quo primo insito, ac indiuisibili specie in aliam speciem aliquid componitur, vt b vocis elementa, ex quibus componitur vox, & in quæ vltima diuiditur, illa autem non iam in alias voces, à se specie diuersas diuiduntur: Sed etsi diuidantur: sunt tamen partes ipsæ speciei eiusdem quo pacto pars aquæ aqua est, non syllabæ syllaba: Simile quoque modo & ea corporum elementa dicunt, qui de hac re loquuntur, in quæ vltima corpora ipsa diuiduntur: illa verò non in alia rursus corpora, quæ specie differant: siue c autem vnum, siue plura sint talia, ea elementa dicunt.*

*Ab Auerr. Ant. Andr. & aliis non nullis.*

*Eadem d ferè ratione dicuntur & designationum, & omnino demonstrationum elementa. Primæ enim demonstrationes, & quæ in pluribus demonstrationibus insunt, eæ demonstrationum elementa dicuntur. Sunt autem huiusmodi primi syllogismi, qui ex e tribus per vnum medium efficiuntur.*

*Hinc f autem & per translationem elementum vocant quicquid vnum cum sit & paruum ad multa est vtile. Quocirca & id quod paruum est, & quod simplex, & quod indiuisibile, elementum dicitur.*

*Vnde*

*c Siue autem vnum.* Quàm variè Physici veteres de numero elemẽtorum, id est, principiorum internorum senserint, satis explicatum est libro primo. Hoc etiam loco ex veteri manuscripto Cardinalis Syrleti, & ex correctionibus Budæi præmisimꝰ in Græco, illud, εἴτε ἓν, quibus eisdem præsidiis alia non pauca restituimus.

*Cap. 7. q. 2. per totum.*

d *Eadem ferè ratione.* Hoc genus elementorum, & ipsas linearum Geometricarum descriptiones, & demonstrationes, quæ per illas fiunt complectitur. Primæ enim tum descriptiones, tum etiam demonstrationes, quia ex prioribus non constant sed ex illis constant posteriores, merito dicuntur posteriorũ elementa. Aduerte tamen non esse necesse vt primæ designationes cõtineãtur formaliter, siue explicitè in posterioribus: satis est enim si contineantur virtute, ita nimirum vt in eas resolui possint. Neque id pugnat cum ratione elementi: quia nec vulgata elementa continentur actu in mistis, sed virtute, vt alibi patebit. a Vnde & ipse Aristoteles planè docet tertio de Cœlo capite b tertio nihil referre ad rationem elementi, sit ne actu in eo cuius est elementum, an potentia, id est, virtute.

*Elementa nõ esse actu in mistis.*

a *Lib. 2. de Gener. c. 10.*

b *Tex. 31.*

e *Ex tribus per vnum.* Primæ demonstrationes cum constent ex per se notis præter duo extrema, vnum tantum medium habere possunt, at cæteræ necessario habent plura media. Nam si sola maior propositio mediata sit, habebit saltem duo: si maior & minor, saltem tria.

*Loci communes cur elementa apud Aristotelem.*

f *Hinc autem per translationem.* Quia elementũ propriè dictum & indiuisibile est in diuersas species & ex eo cætera constant, translatũ est elementi nomen ad omne id, quod vnum est ac paruum & ad multa vtile: qua ratione Aristoteles extremo ca. 2. Rhetorices ad Theodectẽ, vtitur elementi nomine ad significandos locos cõmunes, è quibus multa eruuntur argumenta, vt in Dialecticis institutionibus diximus: eodemq; pacto cõmunia prouerbia, breuésq; ac generales sententiæ morales Sapientũ, elementa humanæ vitę appellari possunt.

*Lib. 7. ca. 9.*

g *Vnde profectum est.* Platonem videtur significare, qui naturas vniuersales elementa rerum singularium esse dicebat, aut omnium, aut plurium pro ratione communitatis earum. Re tamen vera non forent vniuersales naturæ vt à Platone ponebãtur, proprie elementa, sed per translationem: quia nec ponebantur actu in rebus singularibus, neque etiam virtute, quasi res singulares in illas resolui possent. Ceterum nõ est negandũ quin summa genera & differentiæ secundum veram de rebus vniuersalibus sententiam, elementa specierũ proprie appellari possint, vt paulò pòst patebit. Atque vel hac ex parte tractatio de elemẽtis nõ est aliena à cõsideratione primi Philosophi.

ὅθεν g ἐλήλυθε, τὰ μάλιστα καθόλου στοιχεῖα εἶναι, ὅτι ἕκαστον αὐτῶν ἓν ὄν, καὶ ἁπλοῦν ἐν πολλοῖς ὑπάρχῃ, ἢ πᾶσιν, ἢ ὅτι πλείοσις, καὶ h τὸ ἓν, καὶ τὰὐ σιγμὴν, ἀρχάς τισι δοκεῖ εἶναι. ἐπεὶ ὧν τὰ καθόλου γένη, καθόλου, καὶ ἀδιαίρετα (εἰς γὰρ ὅρος ἐστὶ λόγου αὐτῶν) στοιχεῖα τὰ γένη λέγουσί τινες. καὶ i μᾶλλον ἢ τὰὐ διαφοράν, ὅτι καθόλου μᾶλλον τὸ γένος. ὧ μὴ γὰρ ἡ διαφορὰ ὑπάρχῃ, καὶ τὸ γένος ἀκολουθεῖ: ὧ δὲ τὸ γένος, οὐ παντὶ ἡ διαφορά. ἁπάντων k δὲ κοινὸν, τὸ εἶναι στοιχεῖον ἑκάστου τὸ πρῶτον ὑπάρχον ἑκάστῳ.

h *Vnum etiam.* Hoc quoque quod de vno dicitur, videtur afferri vt Platonicum, ponebat enim Plato ipsum vnum à rebus separatum. Ita fiebat vt translatitiè duntaxat diceretur elementum. Alio qui si numerus est ens per se, non video,



video, cur vnum siue vnitas non dicatur propriè elementum numeri, cum sit intima, ac simplicissima eius pars. At punctum non erit propriè elementum lineæ, si non sit pars essentialis lineæ. Idque Aristoteles videtur existimare.

*Vnde* g *proficitum est, vt ea quæ sunt maximè vniuersalia, elementa sint, propterea quod eorum quodque vnum cum sit & simplex, in multis, aut omnibus, aut quã plurimis inest. Vnũ* h *etiã, & punctũ quibusdam principia videntur esse. Quoniã igitur ea, quæ genera vocantur, vniuersalia sunt & indiuisibilia (vna enim est eorum ratio) quidam sunt, qui genera elementa esse dicant, magisque* i *quam differentiã, quia genus magis vniuersale sit. Cui enim differentia inest, id etiam sequitur genus, cui autem inest genus, id non omne sequitur differentia. Omnium* k *autem commune est, id esse cuiusque elementum, quod primũ cuique inest.*

i *Magisque quam differentiam, quia genus magis vniuersale sit.* Etsi Aristoteles hac de re nihil videtur definire, sed tantum rationem Platonis referre, existimat tamen D. Thomas illum tacite dissoluere posteriorem partem quæstionis septimæ libri tertij, quatenus quærebat vtra potius dicenda essent elementa, genera ne, an differentiæ. Satis enim constat ex dictis, genera prima ac summa magis esse elementa, quàm differentias, cum sint priora & communiora. *Lect. 4.* *Genera summa magis esse elementa quàm differentias.*

k *Omnium autem commune.* Reuocat omnia elementi significata ad quandam elementi communem rationem, in qua & verbum *Inest* & dictio *Primum* latissime accipienda sunt, vt translatitia etiam significata comprehendant.

## *NVM VVLGATA ELEMENTA IN tradita elementi definitione comprehendantur.*

## QVÆSTIO I.

### *Non videri comprehendi.*

### SECTIO I.

*Pars negatiua quæstionis.* *Primum argumentum.* VVLGATA elementa non comprehendi in definitione elementi tradita initio huius capitis, ex eo primum probari potest, quia quod non est proprie elementum, non debet comprehendi in definitione elementi: quemadmodum id, quod non est proprie homo, in definitione hominis: quatuor autem vulgata elementa non dici elementa propriè, sed quodammodo elementa, vel ipse Aristoteles docet, qui pleríque locis ea appellat non absolutè elementa, sed vocata elementa, quasi dicat, vulgò sic nominata: alias etiam elementa *a* corporum, id est, elementa quæ sunt corpora, siue ex numero corporum (sumpto videlicet corporis vocabulo intransitiue) quandoquidem nullum corpus est verè, ac propriè elementum. Namque elementi non est elementum, alioqui daretur progressus infinitus in elementis: at omne corpus cum sit compositum, elementa aliqua, ex quibus constitutum sit, habere videtur necessariò.

*2. lib. de Generat. cap. 1. tex. 1. 4. & 5. Et 3. Phys. ca. 5. tex. 45. Et 1. Physic. ca. 4. tex. 32. a 2. de Generat. cap. 1. tex. 1. Et 1. Meteor. cap. 1. & alibi.*

*Secundum.* Deinde, quia elementum definitur esse id, ex quo primò aliquid componitur, at nihil componitur primò ex vulgatis elementis, cùm ipsa prius componantur ex suis materiis ac formis.

*Tertium.* Postremo quia elementum debet esse indiuisibile quippiam specie in aliam speciem: at vnumquódque eorum, quæ vulgò dicuntur elementa,

*Sect. 4.* *Pars affirmans probatur.* DIcendum est tamen huiusmodi elementa comprehendi in tradita definitione, non quidem primo ac præcipuè, vt credit D. Thomas hoc loco, sed secundaria ratione. Quod enim non primo ac præcipuè comprehendantur, ex eo patet, quia nihil est quod primo componatur ex vulgatis elementis, cum ipsa prius componantur ex materia & forma. Quod autem possint secundaria ratione comprehendi, ea ratione probatur, quia potest id ex quo aliquid componitur sumi etiam pro corpore sensibili: non est autem dubium quin mista componantur primo ex vulgatis elemẽtis, vt ex primis corporibus sensibilibus, nempe vt ex iis, quæ non componuntur ex aliis prioribus corporibus sensibilibus specie differentibus. Proinde sæpè videas apud Aristotelem ea vocari prima *a* corpora, immo & corpora *b* simplicia, non quia non composita, sed quia non composita ex aliis corporibus specie differentibus. Aristotelem autẽ ita late accepisse definitionis vocabula, vt vulgata etiam elementa comprehendere voluerit, ex eo constat, quia mox subiicit tria elementorũ genera, quæ in proposita definitione cõprehenderat, quorum secundũ quatuor vulgata complectitur, ac meritò. Debuit enim eo loco in quo de elementi multiplicitate agitur, vulgata elementa non prætermittere, atque adeo accipere primas partes

*Quo pacto elementa in definitione cõtineamur.*

*Cur ea debuerit Arist. complecti.*

a *lib. 2. de Gene. cap. 1. text. 16. & aliis in locis.*

b *1. lib. de cœlo cap. 2. tex. 7. 1. Metap. c. 7. tex. 12. 2. de Generat. tex. 16. & alibi sæpè.*



menta, diuidi potest in res specie diuersas, vtpote non solùm in materiam & formam, sed etiam in alia vulgata elementa, vt aër in aquam, & ignem, si ex parte vna fiat aqua, ex alia ignis.

### *Quo pacto comprehendantur.*

### SECTIO II.

Universidad de Deusto
Biblioteca



pro primis, siue simpliciter, siue in certo aliquo genere, quo pacto etiam scriptæ literæ sunt elementa scriptæ orationis, quia primæ illius partes in genere significantium, etsi earum pleræque ex partibus suo modo specie differentibus constitutæ sunt, veluti ex linea recta, & circumflexa: & primæ demonstrationes sunt elementa earum quæ sequuntur, quia sunt primæ illarum partes in genere demonstrantium, tametsi & ipsæ ex aliis partibus specie differentibus constant, ex enũtiationibus, inquam specie diuersis.

*Obiectorum solutio.*

## SECTIO III.

*Primi solutio.* His explicatis non est difficile obiectis occurrere. Nam quod ad primum attinet facile est aduertere, aliud esse dicere, elementa vulgata non esse proprie elementa, quod negamus, aliud non esse primo & præcipue dicta elementa, quod concedimus. Esse enim proprie, opponitur ei, quod est translatitiè, & quocũque alio modo improprie, seu figurate: primo autem & præcipuè ei, quod est secundaria ratione: at vulgata elementa etsi non primaria ratione dicuntur elementa: non tamen improprie & figurate, sed vere ac propriè. Exemplo sunt accidentia, quæ etsi non primo dicuntur entia: nõ tamen figurate dicuntur, sed propriè. Nec refert quod Aristoteles ea interdum appellat vocata elementa, seu vulgo dicta: non enim quicquid vulgo dicitur, impropriè dicitur. Neque item illud rectè assumptum est, elementi propriè dicti non dari elementum: nam etsi falsum est, cuiuslibet elementi dari elementum (sic enim procederetur in infinitum) nihil tamẽ prohibet alicuius elementi propriè dicti dari aliquod proprie dictum elementum.

Cum autem obiicitur, omne corpus esse compositum, igitur habere elementa, neganda est consequẽtia de corpore mathematico (est enim compositum ex diuisibilibus in semper diuisibilia, ac proinde ex nullis primis, & quæ elementa dici possint, nisi prima accipias pro iis, quę sensuum iudicio sunt minima) sed concedenda de corpore naturali, quatenus constat materia & forma, quæ sunt primæ partes essentiales.

*Elementi vt dari possit elementum.*

*Secunda solutio.* Ad secundum, iam patet etsi ex elementis vulgatis nihil componitur, vt ex primis simpliciter: componi tamen vt ex primis sensibilibus.

*Tertium.* Ad tertium dicito, elementa vulgata diuidi quidem in specie diuersa, sed tamen non in specie diuersa sensibilia. Quod autem obiicitur de diuisione aëris in aquam & ignem, non est ad rem. Diuisio enim, quæ in definitione elementi intelligitur, non est sumenda pro diuisione, quæ fit in ea quæ insunt potentia, sed actu aut virtute: aqua vero & ignis, seu potius eorum formæ, neque actu sunt in aëre, vt perspicuum est, neque item virtute quasi aëris forma propter suam perfectionem poscat temperationem dispositionum formarum ignis & aquæ: quo pacto mistorum formæ, quæ dicuntur virtute contineri in formis elementorum, postulant vt in materia temperatæ sint elementorum propriæ dispositiones.

COM



*COMPREHENDANTVR NE MATERIA & forma in tradita elementi definitione.*

## QVÆSTIO II.

*De materia quid sentiendum.*

## SECTIO I.

*D. Tho. lect. 4. Iauel. 5. Metaphy. q. 10. Petrus Auerniæus 3. de Cœlo & alij.* *Opinio D. Thomæ.* QVOD quidem attinet ad materiam, existimat hoc loco D. Thomas quem nonnulli sequuntur, non comprehendi illam in tradita definitione elementi. Eius ratio est, quia Materia (primam intellige) nullam habet speciem, vt de ea verè dici possit quod sit indiuisibilis specie in aliam speciem. Verum nec sententia hæc, nec ratio probanda est. Non sententia, quia autor ipse eam planè videtur retractasse in explicatione librorum de Cœlo, quos commentarios post hoc opus composuisse perspicuum est. Non ratio, quia etsi materia nec habet speciem actus, nec compositi ex actu & potentia, habet tamen speciem potentiæ passiuæ, atque adeo primo & principaliter passiuæ. Vnde & ipse D. Thom. in sententia est, & ea quidem vera, vt dicat materiam inferiorum differre specie à superiorum.

*In 3. lib. de Cœlo lect. 8.* *Improbatur.*

*1. par. q. 66. artic. 2 & 1. lib. de cœlo lect. 6. & aliis in locis.* *Materiam inferiorum specie differre à materia superiorum.*

Dicendum igitur cum Auenroe hoc loco, cum Alberto, Scoto, & ex Thomistis Soncinate, atque adeo cum ipso D. Thoma melius sentiente, & omnibus penè huius loci enarratoribus, materiam comprehendi in tradita definitione, nonquocumque modo, sed primo ac præcipue. Id quod ex eo patet, quia ipsa est prima in compositione: si quidem prius natura, aut etiam tempore actio agentis in ea exercetur, quàm forma sit inducta. Accedit, quod forma ex potentia materiæ educi potest, non item materia ex potentia formæ, id autem ex quo aliquid educitur: non dubium est quin præcedat illud in constitutione compositi ex vtroque.

*Vera quæst. explicatio.*

*De forma Physica quid sentiendum.*

## SECTIO II.

DE forma, quæ rei naturalis essentiam constituit maior est dubitatio: siue eam sumas quæ Physicè componit, (quæ propriè forma dicitur) siue eam quæ Metaphysicè: vt sunt genus & differentia respectu rei naturalis, præcipuè vero differentia respectu generis. Nam quod forma Physica non comprehendatur in tradita definitione, ex eo primum probari potest, quia particula illa *ex quo* soli materiæ, & priuationi videtur accommodari, vt patet ex tertio genere principij,

*Non videri esse. Primo.*

a *Tex. 1.* b *Tex. 2.* quod traditum est primo cap. *a* & ex definitione causæ materialis quæ tradita est cap. 2. *b* Deinde ex eo, quod Aristot. extremis verbis lib. 7. Metaphys. planè probat, formam non esse elementum, sed tantum principium. Cuius rei eam rationem reddit, quia non inest in compositione per modum materiæ: hoc autem ideo dictum esse ait Magnus Albertus, quia res materiales non resoluuntur in formam, sed in ma-

*Eo loco trac. 1. cap. vlt.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



teriam,& in ea quæ per modum materiæ se habent.

*Formã apud Arist. elemẽti nomine cõprehendi.*

Non est tamen dubitandum quin apud Aristotelem forma substantialis nomine elementi comprehẽdatur:quod cum ex aliis locis quàm plurimis, tum vero ex lib.12. huius operis cap. 4. [a] perspicuè intelliges,vbi sæpius tria dicuntur elementa rerum naturalium, materia forma,& priuatio : quanquam priuatio, vt superius diximus, [b] non aliter eo loco intelligitur esse principium,quàm per accidens,idque ratione materię:vnde fit,vt omnes penè Aristotelis enarratores in proœmium Physicorum,nomine elementi intelligant materiam,& formam,vt videre est eo loco apud Simplicium, Philop. Auerroem, Albertum & cæteros. Quin etiam ipse D.Thomas, qui hoc loco [c] verbis *ex quo* ad solam caussam materialem accommodatis,formam ab hac definitione excludit,planè fatetur tertio de Cœlo cap.3. [d] materiam & formam esse elementa omnium rerum naturalium, idque constare ex primo Physicorum libro.

*Vt ex 1.Phys. tex.48.& 2. de Gene.tex. 16.*

a *Tex.19.*

b *In explanatione contextus.*

c *Lect.4.*

d *Lect.8.*

*Soluitur 1.*

Quare ad priorem rationem,in oppositum dicendum est, etsi verba *ex quo* coniuncta cum verbo *fit* soli subiecto ac termino à quo aptari solent,tamen coniuncta cum verbo *constituitur* vel *componitur*. Vel, constat formis etiam accommodari:immo etiam nonnunquam coniuncta cum verbo *fit* accepto pro verbo *constat* propter compositionẽ adiunctam.Apertus locus est 1.Physic.cap.7. vbi Aristoteles non solùm docet res naturales constare per se ex materia & forma, sed etiam fieri per se ex vtraque. Neque enim alia sunt verba, quibus compositio rerum naturalium significari possit,quàm verba *ex quo*.

*Tex.65.*

2. Ad posteriorem vt respondeamus, animaduertendum est, aliud esse loqui de elemento iuxta primam nominis impositionem, aliud iuxta præcipuam significationem vocabuli, sæpè enim accidit, vt nomen prius imponatur rei,quæ postea comperitur esse minus digna vocabulo.Verbi caussa nomen formæ prius vsurpatum fuit apud Philosophos pro forma accidentaria,quia nulla alia esse credebatur: verum vbi cõpertum est dari formas substantiales, sine vlla controuersia iudicatum est,hoc esse illius verbi præcipuum significatum. Ita ergo res habuit in elementi appellatione. Nam cum veteres Philosophi nullam adhuc substantiam simpliciorem igne, aëre, ac cæteris vulgatis elementis agnouissent,atque ex his corpora mista confici, & in hæc sola resolui existimassent:his primum elementi nomen,quod internum ac primum principium sonat,imposuerunt: atque adeo iuxta ea quæ nouerant,definiuerunt esse corpus, in quod cætera corpora diuiduntur siue resoluuntur:ipsum vero in alia specie diuersa non diuiditur, vt Aristoteles ex communi veterum sententia refert.3.de Cœlo cap.3. At postquam obseruatum est,illa ipsa elementa ex simplicioribus substantiis, materia inquam,& forma constitui,tum demum duo hæc, elementi nomine præcipuè appellari cœperunt, ac duæ particulæ ex elementi definitione excludi, quæ his simplicioribus elementis conuenire non possunt:quarum altera erat,quod esset corpus(hæc enim nec materiæ,nec formæ conuenit) altera quod in illud cætera resoluerentur: quæ sanè non conuenit iis formis,quæ dissoluto composito pereunt.

*Auer.hoc.3. co comm.4.*

*Cur primo veteres Philosophi elementi nomen pro vulgatis acceperunt.*

*Tex.51.*

His



His positis dicendum est Aristotelem cum in loco citato probat formam non esse elementum, perspicuè loqui de elemento iuxta primam nominis impositionem.Quod vel ex eo perspicuè intelliges,quia dixerat paulò ante,si forma constaret ex elemento, non ex vno tantum constaret: quod falsum esset si nomen elementi sumeretur eo loco vt complectitur materiam, formáque non esset elementum: iam enim aqua,& quoduis aliud vulgatum elementum ex vno tantum elemento constaret,vtpotè ex materia prima, cum tamen eo loco negetur constare quicquam posse ex vno duntaxat elemento. Non est igitur dubium quin Aristoteles eo loco nomen elementi acceperit iuxta primam nominis impositionem, quando ne materiam quidem primam eo sermone complectitur.

*Quid de forma Metaphysica.*

## SECTIO III.

*Primo.*

FOrmam verò Metaphysicam,quæ non in re ipsa differt ab eo quod se habet vt materia,sed ratione ex ipsa natura rei desumpta, ex eo primum probabit aliquis non posse dici elementum, quia res quæ ex ea constat,non potest in eam resolui nisi cogitatione : nunquam enim, id, quod hoc pacto se habet vt forma, potest re ipsa separari ab eo, quod se habet vt materia,etiam extraordinaria Dei potestate.Deinde ex eo, quia si genus & differentia sunt elementa, cùm in rebus etiam
2. materiæ expertibus dentur genera & differentiæ: eæ quoque res constabunt elementis,quod nemo dixerit.

*Vera quæstionis explicatio.*

Atque hæc quidem, si definitionem elementi à veteribus traditam spectes,rectè dicta sunt: si verò eam quæ hoc loco ab Aristotele multò melius proponitur, non rectè: nihil enim in ea est, per quod Metaphysicæ formæ excludantur. Nam & ex eis primò res constat, & in eas diuiditur, ipsæ verò non amplius diuiduntur in alias formas, specie siue natura differentes. Verbi caussa, substantia corporea constat ex natura substantiæ & corporeitatis, animálque & homo ex substantia & omnibus interiectis differentiis: tum ex omnibus vt formis, quia omnia hæc dant aliquod esse: tùm ex genere summo vt materia, quia nullum dat esse specificum,ex differentiis autem interiectis vt formis, quia constituunt rem in esse specifico, vnde & specificæ dicuntur. Quod autem genus summum & differentiæ specificæ,quibus illud contrahitur,sint indiuisibiles specie siue natura, ex eo patet, quia sunt naturæ simpliciter simplices, vt sæpè dictum est. Aliter sentiendum est de generibus interiectis.Nam cùm ea sint composita ex generibus & differentiis, non sunt vtique in definitione comprehensa, sed habent rationem formarum compositarum respectu suarum specierum: materiæ verò compositæ secundæve, respectu differentiarum specificarum. Sed de simplicitate generis summi & differentiarum,luculentius alibi agendum est.

*Genus summum & differentias esse indiuisibiles specie.*

*Non ita genere subalterno.*

*Partim c. 8. partim lib.7*

Quare ad priorem rationem dicendum, satis esse si res vltimo resoluantur cogitatione in formas Metaphysicas,vt hæ in definitione ab Aristotele tradita comprehendi possint: hæc enim resolutio etsi non est realis siue physica, est tamen rationalis & Metaphysica: cuius me-

*Solutio 1. Resolutio realis altera,altera rationalis.*

minit

Universidad de Deusto
Biblioteca



minit Aristoteles in Analyticis, cum iubet resoluere species cuiuscunque prædicamenti in genera & differentias vsque ad genus summum. 2. Poster. ca. 14. text. 17.

Ad Posteriorem dicendum, non esse quidem admodum vsitatum, vt genus summum & differentiæ specificæ dicantur elementa, ne elementa physica appellari credantur, sed tamen interdum elementa dici & apud Aristotelem, [a] & apud Platonem, vt ipse etiam Aristoteles refert tertio huius operis libro, capite tertio: [b] vsurpatius certè est, vt dicantur principia.

a Hoc ipso ca. tex. 4.
b Text. 10.

*De quo elementorum genere primo dicatur elementum.*

## SECTIO IIII.

*Distinctio propositæ quæstionis.*

Quod si petas de quo elementorum genere primaria ratione dicatur elementũ, distinguenda est quæstio: si enim de primo iuxta nominis impositionẽ sermo sit: vulgata elemẽta primũ locum obtinẽt, quia vt

---

## CAPITIS QVARTI EXPLANATIO,

*Cur à Metaphysico natura tractetur.*

*Natura a autem.* Etsi natura ad solum Physicum pertinere videatur, tamen ea de causa dici solet à Metaphysico tractari, quia inter naturæ significationes, quæ hoc capite traduntur, vna est qua naturæ nomen pro qualibet essentia sumitur. Verùm non hac tantum de causa potest primus philosophus differere de natura, sed etiam vt distinguat supernaturalia à naturalibus, materiámque naturali philosopho subiectam suis limitibus circunscribat. Docet ergo Aristoteles in priori parte huius capitis, naturę nomen quinque modis proprièvsurpari, vno autem translatitiè, tum in posteriore parte reuocat omnes ad vnum suapte natura primum, ac præcipuum.

*Naturam quinque modis dici propriè.*

*Primus.*

ΚΕΦ. Δ'

Text. 5.

Διτσις a δὲ λέγεται ἕνα μὲν τρόπον, ἡ τῶν φυομένων γένεσις: οἷον ἐπὶ τῆς ἐπεκτάσεως λέγεται τὸ ῦ, ὅτα b δὲ, ἐξ οὗ φύεται πρώτου τὸ φυόμενον ὑπάρχοντος. ἔτι c ὅθεν ἡ κίνησις d ἡ πρώτη ἐν ἑκάστῳ τῶν φύσει ὄντων ἐν αὐτῷ ἢ αὐτὸ ὑπάρχει. φύεσθαι c δὲ λέγεται ὅσα ἄυξησιν ἔχει δι' ἑτέ-

Primus modus est, quo naturæ vocabulum apud Græcos pro generatione viuentium accipitur. Quæ quidem in plantis germinatio, in animalibus nonnunquam fœtura dicitur. Non immeritò autem viuentium generatio dicta est natura, quia sola viuentia dicuntur nasci, quemadmodum effectio omnium eorum quæ generantur, genitura dici potest. Hæc tamen significatio, vt Aristoteles ait, tum demum accommodatur Græco naturæ vocabulo physis, cum y, producitur, alioqui insitum potius generationis principium significat, quàm generationem. Quamquam hoc totum expungit Budæus, Argyropylúsque haud vertit, quod eis supposititicium videatur. Nec desunt qui negent, in verbo physis vnquam reperiri productum y. Nos certè pro natura hoc pacto sumpta, natiuitatis vocabulo vti consueuimus, potissimũ verò cùm significamus actum quo viuentia extra locum primæ generationis prodeunt.

*Secundus modus naturæ.*

*Lib. 2. de Gen. animal.*

b *Alio verò id.* Secundo modo vsurpatur naturæ nomen pro prima parte quæ in viuentibus generatur, cuiusmodi est cor, Aristotelis sententia, in iis quæ perfecta sunt. Hæc autem significatio naturæ mox successit primæ, quia facillimum fuit, id quod primum exstat in vnoquoque eorum, propriæ ipsorum generationis nomine appellare.

c *Præterea*



quia vt primo cognita, ita & primo nominata sunt: si verò de primo iuxta rei naturam internis horum principiis videtur primo conuenire ratio elementi physicè sumpta. Nam & materiæ ac formæ mistorum sunt quodammodo compositæ, quod mista, actu materiis, virtute autem, formis vulgatorum elementorum constent. Dixi (Physicè sumpta) quia si sumatur in commune, vt simpliciter sumenda est, forsitan prius conuenit generibus summis, & iis differentiis, quibus illa per se contrahuntur ad species, immo & ad indiuidua. Nam & materię, & formæ specificæ & indiuiduales, sua habent genera summa & differentias, ex quibus constent & in quæ resoluantur, quæ iam in alia resolui nequeunt, cum sint simpliciter simplicia. Quod si materiam siue physicam siue Metaphy. cum forma conferas: primus locus dandus est materiæ, cum ipsa sit prima in compositione, & vltima in resolutione.

Itaque spectata rei natura, elemẽtum primo dicitur de materia, tum de forma (præcedente tamen Metaphysica physicam) tertio de vulgatis elementis, deinde de elementis accidentium propriè dictis postremo de iis, quæ per translationem dicuntur elementa.

*Vera, & concluſa difficultatis expoſitio.*

---

c *Præterea id.* Tertio modo sumitur natura pro interno principio cuiusq; rei naturalis, vnde primo vnaquæque habet vt moueatur, quatenus talis est, quo pacto natura definita est 2. Phys. cap. 1. complectitúrque materiam & formam, secundum veram de matetia & forma sententiam, non materiam solam, vt quidam existimant, aut solam formam, vt Alexander, de qua re postea disserẽdum.

*Tertius.*

*Text. 5.*

d *Primus motus.* Scribit hoc loco Alexander duobus modis verba hæc posse intelligi. Vno. vt nomine primi motus significetur motus localis: omne enim corpus naturale mouetur motu locali, non item motu accretionis, decretionísve, aut alterationis. Altero, vt significetur motus naturalis, nam & per artem res naturales moueri possunt. Verum is motus posterior est: quæ expositio magis placet. [Vtrouis tamen modo exponas, oportebit subaudire verbum [prilocalis, & quiuis alius naturalis potest esse à qualitate, vt motus terræ à grauitate, & tamen qualitas non est natura, quia nec ineſt primum, nec motus per eam primo conuenit rebus naturalibus. Aut ergo supplenda est hæc particula, quod non est insuetum, tum præsertim cum definitiones ex aliis locis repetuntur, in quibus proponuntur, & explicantur accuratius: aut dicendum proposita verba eandem vim habere, ac si diceretur. [Vnde primum est motus.]

## CAPVT IV.

*Natura a autem dicitur vno quidem modo, eorum quæ nascuntur generatio, vt si quis in verbo, φύσις, producat litteram, υ. Alio b vero id, ex quo insito primum fit id quod nascitur. Præterea c id vnde est primus d motus in vnoquoq; eorum quæ natura constant: in ipso, inquam, quatenus ipsum est. Nasci e autem dicuntur ea, quæ per aliud incrementum*

e *Nasci autem.* Caussa explicandæ primæ ac secundæ significationis naturæ, exponit verbum nasci: neque enim omnia, quæ generantur nasci dicuntur, sed lud ita tangunt vt ei copulata sint & quasi colligata, siue illa intus gignãtur, vt fœtus in vteris maternis (quæ Aristoteles hic appellat congenita) siue in extremitatibus vt fructus in extremis ramis, quæ idem vocat adgenita. Omnia enim viuentia, per ea à quibus generantur aliquod incrementum accipiunt, cũ tempore primæ accretionis, quo adhuc illis copulata sunt per ea ipsa alantur.

*Quæ dicantur nasci.*

*mo] vt sic habeat sententia. [Vnde primo est primus motus] Nam & motus*

*Fœtus & oua in vteris quo augeantur.*

Fœtus enim, & oua in vteris maternis augentur ipso alimento matrum, quibus adhuc colligata sunt: stirpium verò semina accrescunt in earum extremitatibus eodem succo, quo augentur ipsæ stirpes, quibus adhærent. Quo loco aduerte ea de caussa viuentia, quæ ex ouis, aut fructuum seminibus nascuntur, iam tum censeri incrementum accipere cùm ista accrescunt, quia illorum formæ iam tum in his existunt porentia propinqua. Vnde fit, vt Aristoteles extremis verbis huius capitis dicat, naturam esse aliquando insitam aut potentia, aut actu, potentia quidem propter formas viuentium quatenus existunt in seminibus, vt ait Alexander, actu verò propter easdem quatenus sunt in ipsis viuctibus genitis, & quasi alias rerum naturalium actu existentium. Si quis autem roget, num idem sit nasci, atque accipere primum illud incremẽtum, respondendum est, non esse prorsus idem, tum quia nec auis tum propriè dicitur nasci cum ouum, ex quo producenda est, incrementũ accipit, neque arbor cum semen ex quo proditura est, accrescit, tum etiam quia fœtus animalium si de illorum natiuitate interiori agitur, prius nascitur quàm alimento matris augeatur: si verò de exteriori, prius per matrem accrescit quàm nascatur: latè tamen sumpto nascendi verbo pro eodem vsurpari potest.

*Hoc loco.*

*Verba Græco addita.*

f *Et copulata siue congenita, vel adgenita sint.* Verba hæc non extant in Græco, sed addita à nobis sunt, vt sensus planè exprimeretur. Nam cum in hoc conueniat σύμφυλα, id est, congenita, & πρόσφυτα, hoc est, adgenita, quod vtraque copulata sint, & velut colligata, σύμφυσις autẽ cùm mox distinguitur ἀπὸ τῆς ἁφῆς planè sumatur vt complectitur πρόσφυσιν (quo quidem pacto copulationem planè sumatur vt complectitur *prosphysin* (quo quidem pacto copulationem significat) non potuit sensus planè exprimi, nisi congenita, & adgenita prius comprehenderentur copulatorum nomine, quàm copulatio, quæ vtrisque communis est, à tactu distingueretur.

*Generans & genitum in prima generatione, quo pacto se tangant.*

g *Differt autem copulatio à tactu.* Distinguit copulationẽ à tactu propriè dicto. Quo loco aduerte in omni generatione esse necessariũ aliquẽ tactum agentis proximi cum effectu, saltem in principio: sed tamen in generatione non viuentium, tactum planè esse proprium. Siquidem illa se propriè tangunt, quorũ extrema non sunt vnum. sed simul, quo pacto perspicuè se habent generans & genitum in non viuentibus: at in generatione prima viuentium, tactum non esse proprium (saltem perspicuè) quia generans, & genitum cùm videantur continuata, aut non habẽt extrema simul, sed vnũ & idem, quo genitũ continuatum est cum generante: aut certè ita colligata sunt, siue agglutinata inter se, vt vno & eodem termino communi continuata videantur. Dico autẽ in generatione prima, vt complectar generationem stirpium ex seminibus, & quorundam animalium ex ouis, quæ quidem iam tum quodammodo gignuntur, vt paulò antè diximus, cum semina, aut oua producuntur. Neque enim illa continuantur, aut quasi continuantur cum generantibus, nisi cum hæc gignuntur.



*Cur vnum quãtitate dicantur Generans, & genitum.*

h *Quantitatéque non qualitate.* Ideo generans, & genitum in viuentibus (nempe cum primum hoc incrementum accipit) dicuntur quantitate vnum, non item qualitate, quia etsi eo pacto colligata sunt, vt eundem terminum communem aut habeant, aut habere videantur, sunt tamen diuersæ res, & habent distinctas numero formas, ac dispositiones. At in nõ viuctibus (loquor autẽ de vniuocis) quandocumque fit copulatio geniti cum generãte, ita vtrumque est vnum quantitate, vt eadem sit vtriusque forma, eædem dispositiones. Nũ autem in viuentiũ generatione vera sit continuatio geniti cum generante, an solum specie tenus, & qua ratione id accidat, ad finem capitis docebimus.

*Quarta naturæ significatio.*

i *Præterea natura dicitur id, ex quo primo.* Quarta naturæ significatio est, qua naturæ nomen sumitur pro materia prima, siue iuxta veram de materia prima sententiam, quæ superiori significatione comprehensa est, siue vt sumebatur apud priscos poëtas, & veteres Physicos. Putabant enim illi materiam primã esse ens actu, totámque substantiam rerum, neque aliud quicquam in materia præter accidentia reperiri: fatebantur tamen ciusmodi materiam primam, siue vna esset, siue plures *tum habent, quia tangant & copulata, siue congenita, vel adgenita sint, veluti fœtus. Differt* g *autem copulatio a tactu quod hic præter tactum nihil aliud esse necesse est, in copulatis autem est aliquid vnum in vtroque idem quod pro tactu copulationem efficit, & vt continuatione, quantitatéque* h *non qualitate sint vnum. Præterea* i *naturadicitur id, ex quo primo inordinatóque & ex sua potentia immutabili, aut est, aut sit aliquid eorum, quæ natura sunt: quo pacto æs statua, & eorumque vasorum natura dicitur, ligneorum autem lignum: eodémque modo in cæteris. Ex his enim vnumquodq; cõstat seruata prima materia. Nam & elementa eorum, quæ natura constant, hoc pacto naturam esse dicũt: alij ignem, alij terram, alij aërem, alij aquam, alij aliud quid tale asserentes: alij horum nonnulla, alij hæc omnia. Dicitur* k *item natura modo alio substantia eorum, quæ natura sunt vt ij censent qui dicunt naturam esse primam compositionem: vel, vt Empedocles ait, nullius entium naturam esse, sed tantum mistionem mistorúmque permutationem: nominari autem apud homines naturam. Quocirca* l *& ea omnia, quæ natura sunt vel fiunt, existente iam eo, ex quo apta sunt fieri aut esse, nondum dicimus naturam habere, nisi*

*Cap. 7. q. 2. sect. 2. & sequentib.*

(de hac enim re satis patet ex primo lib. quanta inter eos fuerit dissentio) inordinatam esse, hoc est, carentem ex se omni forma earum rerum, quæ ex illa fieri possent, egentémque externa potentia, vt mutaretur in varias formas accidentarias, quemadmodum materia rerum, quę arte conficiuntur nullam formam artis ex se habet, sed eam accipit, quæ actione artificis inducitur.

*Quinta.*

k *Dicitur item natura.* Quinta significatio est, qua naturæ nomen pro forma substantiali sumitur, seu iuxta veram sententiam de substantiali forma, quæ præcipuè tertia naturæ significatione continetur, seu, vt veteres quidam, formæ substantialis vocabulo vtebantur. Fuerunt enim qui dicerent nullam esse formam substantialem, quæ naturæ nomine significaretur, sed ipsam elementorum mistionem (quam Empedocles primam compositionẽ appellabat) hoc est ipsa elementa per alterationem mutuam commista, esse formam & substantiam misti, atque hanc dici solere naturam misti, vtpote qua mistum ab elementis distinguatur, non autem substantiam vllam elementis additam.

*Vide Arist. 1 de par. animal. ca. 1. Et 2. de Gener. tex. 37.*

l *Quocirca & ea.* Concludit formam, qua vnaquæque rerum ntturalium talis est, & à cæteris distinguitur quicquid tandem ea forma sit) necessario dicẽdam esse naturam hac ratione: quia quæ natura sunt, aut fiunt, non continuo dicun-

turexistere in rerum natura, siue habere propriam naturam existentem, si eorũ materia existat: vt si existant elementa, ex quibus lapis fieri potest, non cõtinuò dicemus lapidem existere in rerum natura, quẽadmodum non continuo dicimus nauem esse, si adsint ligna ex quibus fabricari possit: at forma accedente (siue ea sit substantia elementis addita, siue sola elementorum coniunctio) continuò res existit in rerum natura, igitur forma, quicquid tandem ea sit necessariò dicenda est natura. Qua eadem ratione vtitur Aristoteles 2. Phys. c. 1. Aduerte autem proposita ratione non solùm probari formam substantialem esse naturam, sed etiam probari potuisse, quod sit præcipuum naturæ significatum. Quamquam Aristoteles paulò pòst hoc ipsum alia ratione concludet.

*Formam esse naturam ratione probatur.*

*Quid natura constet.*

*Tex. 1. 2. 7. 11. & 13.*

ἂν μὴ ἔχῃ τὸ εἶδος καὶ τὴν μορφήν. φύσει μὲν οὖν τὸ ὑξ ἀμφοτέρων τοῦτων ἐστίν: οἷον τὰ ζῶα καὶ τὰ μόρια αὐτῶν. φύσις δέ ἐστι πρώτη ὕλη καὶ αὕτη διχῶς, ἡ μὲν πρὸς αὐτὸ πρώτη ἡ δ' ὅλως πρώτη: οἷον, τῶν καλκῶν ἔργων, πρὸς αὐτὰ μὲν πρῶτος ὁ χαλκὸς, ὅλως δ' ἴσως ὕδωρ, εἰ πάντα τὰ τηκτὰ ὕδωρ, καὶ τὸ εἶδος, καὶ ἡ οὐσία. τοῦτο δ' ἔστι τὸ τέλος τῆς γενέσεως. μεταφορᾷ δ' ἤδη καὶ ὅλως πᾶσα οὐσία φύσις λέγεται διὰ ταύτην: ὅτι καὶ ἡ φύσις οὐσία τίς ἐστιν.

Ex quibus [Materia duplex.] Ait enim de materia, quòd duplex sit, quæ simpliciter prima est, vel ea, quæ est prima comparatione rei, quæ fit, seu (quod idem est) proxima, vt Albertus & Auerroes interpretantur, quo pacto respectu vasorum æneorũ materia prima est æs: simpliciter autem, inquit forsitan est aqua, si omnia quæ liquescunt calido, & concrescunt frigido sunt aqua, id est aquea, vt ipse docet 4. Meteorol. lib. c. 12. Dicit autem [forsitan] quia etsi aqua veterum *a* quorundam sentẽtia est prima materia simpliciter, re tamen vera non est prima simpliciter, cùm in priorem resolui possit. De forma verò hoc adiungit explicationis gratia, quod sit generationis finis, vt docuerat lib. 2. physicorum *b* cap. 2. & c septimo.

*Materia duplex.*

*Hoc loco.*

*a Sic sensit Thales Milesius, & alii: vide quæ dicta sunt lib. 1. cap. 7. q. 2. sect 2.*

*b Tex. 23.*

*c Tex. 71.*

*Sexta naturæ significatio translatitia.*

n *Translatione autem.* Tradit sextam naturæ significationem, qua naturæ vocabulum pro qualibet substantia sumitur, subaudi tamen [quæ habeat modũ formæ. Nam quæ non habet modum formæ, sed est suppositum, veluti Socrates aut hoc lignum, non iam dicitur natura, nisi per synecdochen, aut metonymiã. Per synecdochen, ratione materiæ, aut formæ, quæ sunt partes suppositi naturalis: per metonymiam autem, ratione totius essentiæ quæ est in supposito, veluti contentum in continente siue habitum in habẽte, de qua re c. 8. Itaque vt vno verbo concludam, substantia hoc loco pro quauis essentia sumitur, neque tantum pro essentia substantiæ, quæ simpliciter est essentia, sed etiam pro essentia accidentis. Ait autem hanc vsurpationem esse translatitiam: quia cùm forma substantialis dicta esset natura, inde per translationem factum est, vt omnis substantia quæ modum formæ habet, natura etiam appellata sit.

*Renocatio vsurpationum ad vnam primariam.*

o *Ergo ex iis.* Reuocat cæteras naturæ vsurpationes ad præcipuam illã, qua naturæ nomẽ pro substãtiali forma sumebatur. Aitque eam esse primã ac propriam, hoc est, præcipuã: siquidem materia entium naturaliũ, ex eo dicitur natura, quia



tura, quia est capax eiusmodi formæ: eorum autẽ generationes siue viuẽtia illa sint, siue non viuẽtia, quia ab hoc formarũ genere primum oriuntur. Nõ reuocauit autem expressè secundũ naturæ significatũ, quia prima pars quę in generatione viuentium nascitur, ad materiam reducitur, quemadmodum & cæteræ partes integrãtes. Addit denique formas aliquãdo inexistere potẽtia proxima, vt formam viuentis in semine, aliquando in actu, vt eãdem in viuente genito.

*Obiectio 1.*

At obiiciat merito aliquis in hũc modũ. Naturæ nomine primo significata est generatio viuentium, vt dictum est, non rectè igitur ait Aristoteles ipsum nasci dici naturam, quia proficiscitur à natura, id est, à forma substãtiali, quasi substantialis forma prius dicta sit natura.

*Secunda.*

*nisi speciem ac formã habeant. Natura m igitur constat id, quod ex vtroque horũ constat, veluti animalia, eorúmque partes. Natura autẽ & materia prima est, & ea dupliciter, aut quæ ad ipsum est prima, aut omnino prima. Verbi gratia, æneorum operũ, ad ipsa quidem æs primum est: omnino autem fortassis aqua, si aqua sint ea omnia, quæ liquescere possunt. Forma etiam, & substãtia. Est autẽ hæc generationis finis. Trãslatione n autẽ, iam & omnis omnino substantia propter hãc, natura dicitur, quia & ipsa natura substantia sit quædã.*

Præterea Aristoteles planè docet 2. Physicorum c. primo, generationem non dici naturam ratione eius naturæ à qua proficiscitur (quo pacto medendi opus dicitur medicina ab arte medicinæ vnde oritur) sed ratione eius ad quam progreditur, veluti sanatio à sanitate ad quam tendit: si igitur eo loco erratum non est, perperam dicitur hoc loco generationem viuentium appellari naturam à natura, à qua proficiscitur.

*Solutio primæ*

Dicendum tamẽ ad priorem obiectionem si impositio nominis apud Græcos spectetur, primam naturę significationem esse eam, qua significatur generatio viuentium. Ea enim vt primo cognita fuit, ita primo nominata. Si vero ratio dignitatis habeatur, nomine naturæ primo significari formam substantialem. Prima enim significatio hoc pacto sumpta idẽ valet quod præcipua, pro quo verbo Aristoteles adiecit (& quæ propriè dicitur.) Quare nullam esse in dictis repugnantiam.

*Secundæ.*

Ad posteriorem dicendum, generationem cum sit quasi via quædã inter naturam generantis à qua oritur, & naturam rei generandæ ad quam progreditur, ab vtraque dici posse naturam tanquam à potiori significato: proinde non mirum esse si hoc loco credatur dici natura ab ea à qua oritur, secundo autem Physicorum ab ea ad quam proficiscitur. Illo enim loco spectatur generatio, vt passio seu susceptio naturæ, quæ susceptio, ab eo quod susципitur denominari debet, hoc autem loco spectatur vt actio, seu communicatio quæ ab eo, quod esse alteri communicat, denominationem accipit. Quæ solutio iis, quæ à D. Tho. & aliis traduntur consentanea est.

## QVODNAM SIT PRIMVM, AC PRAECIPVVM NATVRAE SIGNIFICATVM.

### QVAESTIO I.

*Argumenta pro vtraque parte.*

### SECTIO I.

*Propositio doctrinæ Aristotelis.*

ARistoteles quidem ad finem huius capitis affirmat, naturam dici primo de forma substantiali, deinde de materia & generatione, præsertim viuentium: postremò, quoniam dixerat essentiam cuiusque

rei metaphoricè dici naturam, videtur extremum locum essentiæ tribuere. At missa generatione, quod ab ea res non dicantur naturales, saltem vniuersè ac primo, contra videtur res habere.

*Materiam videri primam ordine naturæ.*

Primo, quia si sequamur generationis ordinem, secundum quem imperfectiora priora sunt, primus locus dandus erit materiæ, secundus formæ, tertius essentiæ, quæ ex materia & forma resultat: si vero perfectionis, iuxta quem perfectiora sunt priora, primum dicitur natura de essentia rei, secundo de forma, tertio de materia.

*Essentiã ordine perfectionis.*

Secundo, quia natura vt natura est, aut dicit ordinem ad compositionem rei cuius est natura, aut ad eius operationem: (neque enim videtur dici omnino absolutè) si ad compositionem, primo dicetur de materia quæ est prima in componendo: secundo de forma quę materiæ in componendo additur: tertio de tota essentia quæ non propriè componit suppositum cuius est natura, cum non sit eius pars nec integralis vt dicitur, nec essentialis, si ad operationem, necesse est vt primo dicatur de essentia, à qua primo proficiscitur operatio: secundo de forma, à qua prouenit operationis determinatio: postremo de materia, quæ ex se indeterminata est ad omnem materialem operationem.

*Compositio si spectetur, quid primũ.*

*Quid sit operatio.*

*Quid si principium mutationis naturalis & operationis.*

Tertio, quia si id primo dicendum est vendicare sibi naturæ nomen, cuius ratione omnes mutationes rerum naturalium dicuntur naturales, certè materia est primo natura, siquidem & ipsa corruptio naturalis respectu materiæ, non formæ, nec totius essentiæ: si vero id cuius respectu proprię operationes dicuntur naturales: non dubium est quin natura primo dicatur de essentia, secundo de forma, tertio de materia. Omnes enim res quæ habent operationem, essentiam habent: non item omnes aut formam, aut materiam, vt patet in substantiis separatis in iis autem quæ materiam & formam habent, propriæ operationes magis dicuntur naturales respectu formæ, quàm materię. Ita non videtur Aristoteles in ratione naturæ rectè tribuisse primatum formę substantiali.

*Quam variè natura nomen vsurpetur, & quo pacto in hac quæstione sumendum.*

## SECTIO II.

*Breuis repetitio acceptionum naturæ.*

*Hoc capite.*

NAturæ nomen (vt paucis ea quæ ab Aristotele dicta sunt complectamur) primo dicitur apud Græcos de generatione præsertim viuentium: secundo de ea parte, quæ primo in viuentium generatione oritur: tertio de materia prima, & forma substantiali secundum veram de materia & forma sententiam, sub nomine tamen principij motus, quarto de materia prima: seu recentiorum, seu veterum spectata opinione, siue illa sit quæ simpliciter prima ponitur, siue quæ prima, incipiendo ab effectu, quam proximam dicimus: quinto de formu substantiali seu vera, seu iuxta huius, aut illius sententiam, sexto de essentia cuiusque rei, ad quos mõdos reuocari possunt cæteri omnes quotquot inueniuntur.

*Quæ reuocentur.*

*Complexio & propensio.*

Nam complexio particularis, indoles, ingenium huius aut illius particularisve propensio naturalis, quæ sæpe naturæ nomine appellantur, ad materiam reuocari solent, quod iuxta variã materiæ dispositionem in diuersis indiuiduis varia sunt: communis autem, & complexio, & nat



naturalis propensio ad formam, quod formam sequantur. Possunt & hæc quemadmodum generalius, ita & aptius reuocari ad naturam pro essentia rei, siue particularis ea sit, siue vniuersalis, siue substantia, siue accidens, siue materiæ particeps, siue expers. Omnis enim dispositio, & propensio quæ essentiæ rei siue communis, siue particularis propria & peculiaris est (hanc enim naturalem appellamus) natura illius sæpe dicitur.

Hinc aliquid dicimus contra, vel suprà, vel præter naturam, quod vel aduersetur naturali propensioni, vt motus terræ deorsum, & ignis sursum: vel ad altius aliquid rem euehat quàm naturalis propensio inclinet: veluti miraculosa, libera, & artificiosa opera, quatenus ab extraordinaria Dei virtute, aut à libero arbitrio, aut ab arte procedunt: denique vel nec si naturale rei, neque eius propensioni aduersetur, aut eam ad altius aliquid euehet, qualis est motus, quo sphæra ignis in cœlo in orbem mouetur.

*Medium totius machinæ*

Iam cum vel tota rerum vniuersitas natura dicitur, vt apud Platonem in Menone, vbi ait, totam naturam cognatam esse, & sibi consonam: vel tota vniuersitas infrà Deum, quo pacto quidam immerito existimant naturam accipi ab Aristotele cum ait, [a] Deum & naturam nihil frustra facere (multa enim frustrà, ac temerè agunt homines) vel solus mundus sensibilis, vt apud eundem in secundo libro [b] huius operis, cum ait vniuersam naturam fortasse materiam habere: & in libro [c] de Diuinatione, cùm scribit naturam non esse diuinam, sed dæmoniam, vel solus mundus sublunaris, vt fortasse 12.[d] libr. huius operis, cùm scribit, à primo principio cœlum ipsum naturámque pendere, nisi natura eo loco potius sumatur pro tota rerum vniuersitate infrà Deum, non dubium est quin naturæ nomen accipiatur pro essentia: per Metonymiam tamen, aut Synecdochen, tametsi nunc fusius, nunc pressius pro ratione instituti, & materiæ de qua agitur.

*Mũdus sensibilis.*

*Mũdus sublunaris.*

a *Libr. 1. de Cœlo. cap. 4. textu. 32. & 2. de Cœlo textu 50. & 59. Et 3. de Anima c. 2. text. 45. & 90.*

b *cap. 3. tex. 16.*

c *cap. 2.*

d *cap. 7. tex. 38.*

*Nũ pro Deo solo naturæ capiatur apud Aristotelem.*

*8. Phys. c. 6. tex. 58. & c. 7. tex. 56. & 2. de Cœlo ca. 5. tex. 34. & 1. de partib. animal. ca. 5. Vide etiam lib. 2. ca. 14. Exod. 3.*

Sunt qui putent aliquando naturam accipi hoc pacto pro solo Deo apud Aristotelem, vt cùm 8. Physicorum & alibi sæpè ait, Naturam facere ex iis, quæ fieri possunt semper quod melius est. Et 10. de partib. animal. Vbi Gaza interprete vocat naturam parentem, & auctorem omnium, & cuius ingenio miráque solertia res constitutæ sint. Videtur enim Deus iis in locis apellari natura, quasi essentia quædam summa, & quæ simpliciter, & absolutè essentiæ nomine digna sit, quemadmodum & in sacris litteris dicitur is, *qui est*, eo præsertim, quod in Deo solo, essentia, & habens essentiam formaliter idem sint vt iam non figuratè, sed propriè, natura, essentiáve appellari possit.

*Non accipr.*

*Error Arist., cẽsentis Deũ ex necessitate naturæ agere*

*12. huius operis c. 6. textu 30. & 9. Met. tex. 17. & alijs in locis.*

Non placet tamen hæc sententia. Nam etsi Deus potest (ac maximè omnium) dici natura, id est, essentia, non sumitur tamen naturæ nomen hoc pacto iis in locis, aliisque similibus: sed pro caussis naturaliter agentibus, ideſt, secundum naturalem propensionem, accepto singulari numero pro plurali: tametsi Aristoteles inter eas præcipuè intelligit Deum: quo errore* maximo putauit agere ex necessitate naturæ. Hinc enim est, quod cum caussæ naturaliter agentes infrà Deum agant veluti eius instrumenta, nihil mirum sit, si eis omnibus tribuat

Universidad de Deusto
Biblioteca



tribuat Aristoteles,quod ex iis,quæ fieri possunt, semper meliora faciant, quod sint auctores, siue opifices viuentium omnium, quæ apud nos sunt(siquidem de iis tantum sermo est in loco posterius citato) & alia si quæ sunt huiusmodi. Nam illa. Quod natura sit parens, quod eius ingenio, miráque solertia, &c. adiecta sunt ab interprete: tametsi eorum quædam tribui possent caussis naturaliter agentibus, quatenus primo agenti deseruiunt. Sumit igitur Aristoteles iis in locis naturam pro tota aggreatione caussarum naturaliter agentium: quo etiam modo potius dicendum est accipi naturam in pronunciato illo, Deum & naturam nihil frustra facere, quàm pro rebus omnibus infra Deum. Multa enim homines frustra faciunt, cum liberè agunt, multa temerè & inconsulto, multa pro melioribus peiora. Denique vix ac ne vix quidem fortasse reperiatur auctor, qui naturæ nomen pro solo Deo accipiat, nisi sit ex iis, qui Deum animam mundi esse crediderunt. Fuerunt enim nõ modo [a] inter eos, qui Philosophorum nomine appellati sunt, sed inter [b] hæreticos etiam, qui id existimarint: quo pacto non iam reductitie, sed proprie, & physicè etiam conueniret in Deum naturæ vocabulum, contra quos quæstione sequente nonnihil dicetur.

*Met. tex. 17. & alijs in locis.*

*Naturam sumi ab Arist. pro aggregatione caussarum.*

*Deum & naturam nihil frustrà agere, quomodo accipiendum.*

*Qui Deum mundi animam posuerint.*

a *Varro apud Aug. lib. 7. de ciuit. Dei c. 6. & alij.*

b *Almarici, vt refert D. Tho. 1. p. quæ. 3. ar. 8.*

Ita patet quam multis modis sumatur naturæ nomen, vt mittantur remotiores illæ significationes, quibus & definitio, & simplex conceptus rei naturæ nomine appellantur, quòd rei naturam hoc vel illo modo repræsentent: Itémque negationum, & aliorum non entium quidditates, quia ita se habeant ad non entia vt veræ naturæ, ac quidditates ad entia. Verum quia ex his omnibus materia, forma, & essentia præcipuè dicuntur naturæ nomine: de his tantum deinceps in hac quæstione agendum est.

*Remotiores naturæ acceptiones.*

*Natura apud Physicum primo dici de forma, apud Metaphysicum de essentia.*

## SECTIO III.

ERGO vt concludamus, illud in primis animaduertendum est, ea quattuor, quæ hactenus hoc libro explicata sunt, hoc differre inter se, quod principia & caussę possunt esse extra ea quorum sunt principia caussæue, vt patet ex iis, quæ ad primum & secundum caput dicta sunt: at elementa, & naturæ semper sunt in iis quorum sunt elementa naturæue: quod ipsum & per se perspicuum est. & D. Thomas hoc loco de natura docet.

*Discrimen notandũ, quo principia & caussæ à natura & elemento differunt.*

*Differentia naturæ ab elemento.*

*Lect. 5.*

Deinde, hoc interesse inter naturam proprie dictam & elementum, quod elementum quatenus elementum est, non dicit ordinem ad vllam operationem rei cuius est elementum, sed ad solam eius compositionem, vt cernimus, vel in partibus numeri: at natura proprie dicta, quatenus natura est vltra ordinem ad compositionem (quando, scilicet, non solum est natura, sed etiam elementum) dicit ordinem ad operationem. Quod ex eo perspicuum est, quia hoc pacto distinguitur ab essentia & quidditate. Essentia enim solum dicit ordinem ad esse rei, cuius est essentia, quidditas autem ad definitionem, qua explicatur. Vnde



tur. Vnde intelliges id quod dici solet, proprium esse essentiæ rerum, vt essentia, aut quidditas est, quod non sit impossibilis, aut fictitia: at naturæ, vt natura est, quod non sit otiosa.

Postremo, ea de causa dictum esse ab Aristotele, naturam sexto modo sumptam esse metaphorice naturam, quia non solum complectitur essentiam & quidditatem, vt propriè natura est, siue vt habet ordinem ad operationem: sed etiam vt essentia, aut quidditas est: essentia enim & quidditas, quia vt talia sunt non habent ordinem ad operationem; non dicuntur naturæ nisi per translationem.

*Cur natura: pro essentia dicatur metaphoricè.*

HIS positis respondendum est ad quæstionem, principale naturæ significatum, si generaliter loquendum est, esse essentiam siue quidditatem, non vt metaphoricè tamen, sed vt propriè natura est. si verò vt natura distinguit res naturales à non naturalibus, hoc est, ab artificialibus mathematicis & metaphysicæ propriis, esse formam.

*Respondetur quæst. Conclusio.*

PRIOR pars assertionis huius ex eo primum probatur, quia essentia vt propriè natura est, latius funditur quàm materia & forma: reperitur enim non solum in rebus materialibus, sed etiã, atque adeo præcipuè in immaterialibus quæ magis actuosæ sunt; in quibus tamen materia & forma locum non habent. Deinde ex eo, quia in rebus etiam habentibus & materiam & formã, essentia totius, & verius dicitur natura illius, quàm vel sola materia, vel sola forma vt perspicuum est, & magis habet ordinem ad esse à quo essentia dicitur, & propinquius se habet ad suppositum, cui primo tribuitur operatio. Quod siquis obiiciat, materiam & formam magis habere rationem principiorum quàm essentiam totius, cum essentiæ quoque ipsius principia sint, ergo magis habere rationem naturarum: neganda est consequentia, quia vt iam dictum est, principium intrinsecum, cuiusmodi est & materia & forma, habet ordinem ad compositionem, essentia verò ad operationem, in quo tamen ordine ratio naturæ consistit.

*Obiectio.*

*Solutio.*

SI QVIS item obiiciat, essentiam totius compositi naturalis non distingui à materia & forma simul sumptis, ergo non dici magis naturam, quàm formam per se vel materiam: & antecedens, & consequentiam negare oportebit. Nam siue essentia totius compositi sola ratione distinguatur à materia & forma simul sumptis, siue (quod magis crediderim) & re, & ratione: semper tamen ea ratione qua distinguitur, magis sibi vendicat naturæ appellationem, quàm vel materia vel forma, quod ex natura rei magis habeat ordinem ad operationem. Nam si sola ratione distinguitur: non tamen distinguitur sola ratione excogitata, sed in rebus inuenta, cum sit natura quædam per se vna.

*Rursus obiicitur.*

*Respondetur.*

*Totum Physicum vt distinguatur à partibus.*

* *Dicitur fuisse opinio Alex. Aph. 2. Meta. tex. 11. com. 48. Themi. 3. de animal. tex. 9. & Auer. 7. Metaph. commen. 21.*

POSTERIOR pars ex eo patet, quia res naturales distinguuntur ab aliis rebus per materiam & formam: forma autem comparatione materiæ magis habet rationem naturæ quàm materia: tum quia essentia totius magis consistit in forma quàm in materia, adeo vt quidam *existimauerint formam esse totam rei essentiam: tum quia forma magis habet rationem principij operationis quàm materia, cum sit actus, non pura potentia.

*Formam dici à quibusdam totam rei essentiam.*

*Solutio argumentorum.*

## SECTIO IV.

*Argumenta posita sect. 1. diluuntur.*

*Aristotelis expositio.*

HÆc si tenes, facilè dissolues argumenta initio proposita. Nam cùm Aristoteles ait, naturam dici primo & præcipuè de forma substantiali, accipit naturam, vt per eam distinguuntur res naturales ab artificialibus mathematicis & metaphysicæ propriis, exclusa natura pro essentia: tum quia essentia etiam vt propriè natura est, reperitur extra res naturales, tum etiam, quia quatenus essentia, aut quidditas est, metaphoricè dicitur natura.

AD primum autem, in oppositum dicendum est: etsi ratio naturæ non consistit in eo, quòd aliquid sit perfectius, aut imperfectius: tamen, quia operatio magis debetur perfectioribus, potius in hac controuersia sequi oportere ordinem perfectionis, quàm generationis; ac proinde, simpliciter & absolutè, essentiam totius etiam in rebus naturalibus, primo dicendum esse naturam.

AD secundum, quia iam ex dictis patet, elementum dicere ordinem ad compositionem, naturam verò ad operationem: nihil aliud ex dictis colligi, quàm quod elementum primo dicatur de materia, secundo de forma, tertio de essentia totius compositi: non solum comparatione alterius compositi, si & ipsum in compositionē alterius veniat, sed etiam suo modo comparatione suppositi. Naturam verò è contrario primū dici de tota essentia, deinde de forma, postremo de materia.

AD tertiam dicendum, neque omnes mutationes rerum naturalium dici solere à quibusdam naturales etiam respectu materiæ, vt patet in violentis localibus, de qua re proxima quæstione agendum, nec si dicantur, futurum vt ex eo colligi posset, materiam primo dicendam esse naturam. Nam etsi colligeretur esse naturam respectu plurium operationum, idque in solis rebus naturalibus, non tamen præcipuè naturam respectu earum operationum, quę comparatione etiam formæ, aut totius essentiæ naturales sunt. Potius ergo illud principium intrinsecum dicendum est natura, cuius respectu propriæ operationes dicuntur naturales: quo pacto non dubium est quin natura primo dicatur de essentiis rerum operantium, secundo de formis earum, si constent materia & forma, tertio de materia.

## VTRVM NATVRA RECTE AB ARISTOTELE in Physicis definita sit.

## QVÆSTIO II.

*Non videri rectè definitam.*

## SECTIO I.

*cap. 1. text. 9.*

MIssA tamen natura, vt essentiam significat, disquirendum est, an ne Aristoteles in 2. Physicorū lib. rectè eam definierit, quatenus res naturales à non naturalibus distinguit, cùm dixit: Naturam esse quoddam principium & caussam, vt id moueatur atque quiescat, in quo primo per



per se, & non per accidens ineſt: quæ eadem definitio hoc loco in tertia naturæ vsurpatione breuius repetita est. Non esse enim rectè definitam his argumentis ostendi videtur.

*Primum.*

PRIMVM, quia si per naturam hac definitione explicatam distinguerentur res naturales à non naturalibus, solæ ac omnes res naturales mouerentur, ac quiescerent: at dantur quædam non naturales, quę moueantur, & quiescant, nempe & artificiosæ, quæ sunt naturalibus inferiores, & immateriales finitæ, quæ sunt superiores naturalibus (mouentur enim & hæ locali motu, & eo cessante quiescunt) dantur etiam quædam naturales, quæ nunquam moueantur, vt totius terræ globus, & cœlum Empyreum, itémque aliæ quæ nunquam quiescant, vt primum mobile & inferiores cœli.

*Secundum.*

DEINDE, quia si rectè in ea explicaretur natura, omnibus ac solis principiis substantialibus rerum naturalium conueniret definitio: his enim primo distinguuntur res naturales à non naturalibus, at nec omnibus, nec solis videtur conuenire. Non omnibus quidem, quia non formis corporum simplicium, cœlorum videlicet & elementorum: essent enim principia efficientia motus, siquidem ad eum patiendum accipiendúmque, satis est materia, at dicere non possumus, esse effectiua, quandoquidem motus cuiusque cœli efficitur ab assistente intelligentia, quæ superuacanea foret, si cœlum à forma sua effectiuè moueretur, motus autem elementorum prouenit [a] effectiuè à generantibus, quemadmodum & cæterorum grauium, & leuium quatenus à [b] prædominante elemento mouentur. Nec verò solis, quia grauitas & leuitas sunt principia motiua grauium & leuium, in quibus ipsa sunt, nec per accidens, sed per se: immo etiam primo quatenus grauia & leuia sunt, pleræque etiam artes sunt principia motiua eorum artificum, in quibus primo, & per se insunt, vt ars canendi, saltandi, & cæteræ omnes quæ natura sua in solo eo artifice, in quo sunt motum efficiunt.

a 8. *Physic. cap. 4. tex. 32. & 33.*

b 1. *lib. de Cælo cap. 2. tex. 7.*

*Tertium.*

TERTIO, quia si natura rectè in ea defineretur, non dubium foret quin materia cœli esset natura respectu motus voluntarij, quo cœlum à coniuncta intelligentia mouetur: & materia item ignis, ac terræ respectu motus violenti, quo hæc proiicitur sursum, & ille deorsum: sunt enim principia passiua per se. & prima dictorum motuum: at motus voluntarij & violenti non sunt à natura, iam enim essent naturales, non voluntarij, aut violenti.

*Quartum.*

POSTREMO, quia institutum Aristotelis fuit complecti in ea definitione solam materiam ac formam substantialem, vt patet ex eodem loco: siquidem ea explicata, mox distinguit naturam in materiam & formam, addítque id, quod ex vtraque constat non esse naturam: at definitio non minus conuenit essentiæ ex vtraque constitutæ: est enim principium, & caussa, vt suppositum moueatur, atque quiescat, in quo ipsa non per accidens, sed per se primo ineſt. Ita non videtur rectè explicata natura in definitione tradita.

*Tex. 4.*

*Tex. 5.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Quid re vera definiatur in tradita definitione, & qua ratione sumatur.*

## SECTIO II.

1. *Sententia Simplicij.*

SVNT qui putent definiri hoc loco non solum materiam, & formam, sed etiam ipsam generationem, quæ via est ad naturam in quibus est Simplicius ad 2. Physic. Sed eorũ sententia nullo negotio refutatur: tum quia generatio non est principium motus seu mutationis, sed mutatio ipsa, tum etiam, quia non est substantia, sed via ad substantiam, cùm tamen ipse Aristoteles explicata definitione à se tradita, mox subiiciat, & naturam à se definitam, & ea quæ naturam habent, substantias esse.

*Simpli. in 2. Physi. comm. 12.*

*Cap. 1. tex. 4.*

*Secunda veterum Philosophorum.*

PRISCI [a] naturales dicerent traditam definitionem conuenire soli materiæ primæ ab eis positæ, substantiæ nimirum simplici, & actuali accidentibus subiectæ, quod ea sola illis videbatur primum, ac substantiale mutationis principium. Sed eorum opinionem, seu potius errorem iam libro 1. [b] refutauimus.

[a] *Anaxag. Empedoc. & Antipho. apud Arist. 2. Phy. cap. 1. tex. 7.*

[b] *cap. 7. q. 1.*

*Tertia recentiorum quorundam.*

RECENTIORES [c] quidam existimarunt soli materiæ secundæ conuenire definitionem. Non formę quidem, quia forma non est principium vt res moueantur, sed vt moueant: vt enim moueantur, satis esse materiam: nec verò materiæ primæ, quia indifferens est ad omnem mutationem, ad nullámque determinatè inclinat.

[c] *in hũ est Simon Portius & alij.*

PER facile tamen hæc sententia refutatur. Primum, quia forma non solum est principium, & causa, vt res moueat, sed etiam vt moueatur, vel vt ignis sursum, & terra deorsum. Deinde, quia inclinatio materiæ secundæ ad mutationem, primo proficiscitur à substantiali forma, vt in eisdem exemplis apparet. Postremo, quia indifferentia materiæ primæ ad hanc, & illam mutationem, non tollit naturalẽ eius inclinationem, sed potius ampliat, & quodammodo extendit: quemadmodum amplitudo virtutis, quæ in superioribus agentibus reperitur non tollit eorum agendi virtutem, sed extendit.

*Quarta sententia.*

ALII sibi persuaserunt solam formam definiri: nonnulli quidem formam vnam numero per omnia corpora permeantem, eáque omnia informantem, [a] quam quidem animam mundi existimarunt: alij verò formas particulares. Vtrique autem ea ratione ducti videntur, quod materia non sit principium actiuum mutationis, sed passiuum quòd non putant satis esse ad rationem naturæ. Primum, quia in eo posita est ratio naturæ, quo naturalia distinguuntur ab artificialibus (inde enim [b] colligit Aristoteles naturæ definitionem.) videntur autem distingui sola forma, quæ principium est actiuum: neque enim distinguuntur materia, quæ est principium passiuum, cum illa vtrisque sit communis. Deinde, quia si materia esset natura, iam motus violentus esset naturalis, siquidem ad illum habet materia potentiam passiuam.

[a] *Lege Platonem in Timæo, Plotinũ Enne. ad 4. lib. 3. de dubiis animæ c. 1. & seq. D. Aug. lib. 7. de Ciuitate Dei ca. 6. & D. Tho. 1. p. q. 3. art. 8.*

[b] *2. Phy. c. 1. tex. 1. & 2.*

SED præterquam quod priores in maximo errore versantur, credentes formam vnam numero informare distincta, atque adeo disiuncta omnino corpora, vt cœlũ, & terram, de qua re, quæstione sequenti agendum est, vtrique in eo falluntur, quòd principium passiuum, à ratione



tionæ naturæ excludunt. Distinguuntur enim primum naturalia non solum à supernaturalibus, siue immaterialibus, sed etiam ab artificialibus, quemadmodum per formam componentem, sic etiam per materiam. Ac de immaterialibus non est dubium: de artificialibus autem ex eo idem probatur, quia materia naturalium est, pura potentia, materia vero artificialium non est pura potentia, sed ens actuale, nimirum res naturalis. Accedit quod Aristoteles apertè fatetur, naturam quam definierat esse duplicem: formam alteram, alteram materiam.

*Tex. 4.*

Neque obstat illud de motu violento: habet enim materia re vera potentiam passiuam naturalem motus violenti, qui respectu illius, naturalis dici potest, non solum si naturale sumatur pro eo quod non est supra vires naturæ, sed etiam si sumatur pro eo, ad quod natura aliqua propensa est, tametsi localis violentus non soleat dici simpliciter naturalis, etiam respectu materiæ, ratione inferius explicanda.

*Eadem est essentia. Alber. Mag. 2. Physi. trac. 1. c. 1. & Aliorum.*

DENIQVE Plutarchus in primo de Placitis Philosophorum ca. 1. existimat definiri quidem ab Aristotele materiam, & formam: non quamlibet tamen, sed rerum generabilium, & corruptibilium, quæ & initium, & finem habent, & vt moueri possunt, sic & quiescere. Cui opinioni multa fauent. Primum quidem ipsa verba motus, & quietis coniunctim posita in definitione. Deinde quod Aristoteles ea sola principia comprehendere videtur in definitione naturæ, quæ ipse in primo libro Physic. explicauerat, tametsi non omnia, cum priuatio non sit natura: at in primo lib. non explicauerat principia omnium rerum naturalium, sed earum tantum quæ gignuntur, & intereunt, vt ipse cap. 7. apertè docet, & ex definitione materiæ ad calcem libri posita perspicuè constat. Postremò quod idem 8. Metaph. cap. 4. sic scribit: *Naturam sola eorum, quæ sunt, in iis quæ corrumpuntur, substantiam quispiam esse ponat.*

*Quinta sent. Plutarchi.*

*Primum & secundum.*

*Tex. 68. Capite 9. tex. 82.*

*Tertium.*

*Tex. 9.*

VERVM hæc opinio non omnino placet. Tum quia Aristoteles colligit naturæ definitionem ex discrimine rerum naturalium ab artificialibus, in quo discrimine res omnes naturales conueniunt: tum etiam quia in primo lib. de Cœlo cap. 2. vt constet aliquem motum naturalem conuenire Cœlo, probat omnia corpora naturalia esse per se loco mobilia, quia natura in eis insita sit. Nec refert, quod verba quę motum & quietem significant coniunctim ponantur in definitione: est enim coniunctio illa disiunctioni admista, quasi dictum sit, vt id moueatur, vel etiam quiescat. Neque item verum est, sola principia primo lib. speciatim expositа comprehendi in definitione naturæ. Nam quia prius agendum erat de principiis substantiæ, quàm de principiis motus, & quietis, vt ordine auscultatorio, exquisitæque doctrinæ procederetur, neque tamen eatenus quisquam Philosophorum alia principia substantiæ tradiderat, quàm ex quibus generatio, & corruptio fieret, & tamen constabat in cœlo esse principium motus, quod est natura, consentaneum rationi fuit, vt latius ageretur de natura, quàm disputatum fuerat de constitutiuis principiis substantiæ, donec in lib. de Cœlo quæreretur, num cœlum ingenerabilis, & incorruptibilis substantia esset, seu (quod vulgo dicitur) num daretur quinta essen-

*Non omnino placet. Primum.*

*Secundum.*

*Solutio rationum.*

tia in corporibus simplicibus, nempe à quattuor elementorum essentiis diuersa. Atque hæc est caussa cur Aristoteles librum primum his verbis concluserit: *Rursus autem alio principio sumpto dicamus*, hoc est, explicatis principiis generabilium, & corruptibilium, ad explicationem principiorum mobilium vt mobilia sunt aggrediamur. Quanquam & illud est verum, si definitio ipsa principiorum primo libro tradita spectetur, non latius agi de natura in secundo libro, quàm de principiis in primo: comprehensa enim sunt principia omnia rerum naturalium in ea definitione, vt diximus ad cap. primum huius lib. Quod si spectetur particularis explicatio materiæ, & formæ facta lib. 1. latius patere naturam 2. lib. definitam. Quod autem obiicitur ex lib. 8. huius operis, facilè dissoluitur ex distinctione illa Commentatoris. Naturam etsi vulgo magis vsurpatur in rebus quæ gignuntur, & intereunt, quo pacto Aristoteles in loco citato intelligendus est, verius tamen dici de corporibus sempiternis: quare neutrius generis naturam excludendam esse à definitione naturæ 2. lib. Physi. tradita.

*Non latius agi de natura in 2. Physi. quã de principiis in primo.*

*Cap. 3. tex. 4. In 2. Metaph. comment. 1.*

*Vera definitionis explicatio, qua quæstioni respondetur.*

DEFINITVR ergo in ea definitione omnis materia, omnisque forma substantialis: non tamen quatenus materia, & forma ex sese mutuo pendent: habent enim eo pacto rationem principiorum; & caussarum: neque item quatenus sunt principia, & caussæ constituentes compositum, cùm ea ratione sint elementa: nec demũ quatenus sunt principia, & caussæ cuiuscunque operationis eius rei in qua sunt (quo pacto forma humana est principium, & caussa intellectionis) habent enim hoc modo rationem naturæ communiter sumptæ: non autem distinguentis entia naturalia, à non naturalibus, sed quatenus sunt principia motus & quietis eius rei in qua sunt, cùm hæ sint propriæ, ac peculiares rerum naturalium operationes.

*Qua ratione materia omnis & forma contineatur.*

*Vt natura definiatur.*

ADVERTE tamen non definiri naturam in proposita definitione, quatenus formaliter refertur ad motum, & quietem, (neque enim Aristoteli curæ est eo loco explicatio relationum) sed vel quatenus habet peculiarem causalitatem in motum, & quietem eius in quo est (vt nimirum tria hæc, caussa, elementum, & natura significant formaliter caussalitates: caussa quidem vniuersè, elementum vero in ordine ad compositionem, & natura in ordine ad operationem eius in quo est) vel potius vt est res quædam absoluta, quæ habet dictam caussalitatem, & per eam à posteriori explicatur. Nam etsi naturæ nomen ab ea caussalitate dictum est, non videtur tamen impositum ad eam significandam, sed ad rem absolutam, vtpotè substantiam quandam, cui accidit ea caussalitas. Alioqui ens naturale, vt naturale est & à natura dicitur, non significaret formaliter substantiam, sed id quod substantiæ accidit. Quanquam in hoc libro in quo de distinctione communium agitur, non erit incommodum, si dicamus, quemadmodum caussa, & elementum explicantur ab Aristotele quatenus formaliter dicunt caussalitatem: ita & explicari naturam. Patet igitur quid explicetur definitione naturæ in Physicis tradita, & qua ratione natura eo loco spectetur.

*Explicatio*



*Explicatio verborum quæ loco generis ponuntur.*

## SECTIO III.

VT igitur definitionem exponamus, cùm audis naturam *esse principium, & caussam*: aut pro eodem accipe nomina principij, & caussæ, vt sæpè *a* fit (hac enim forsitan caussa, & hoc capite, & aliis *b* plerísque locis in definitione naturæ nomen caussæ præmittitur) aut quia in Physicis diligentius natura explicatur, dicito nomini principij additum fuisse nomen caussæ, vt excludantur principia quæ non sunt caussæ, cuiusmodi est priuatio. Quare *c* non sunt audiendi, qui principium pro caussa efficiente sola, caussam verò pro materiali accipiunt, præsertim cùm Aristoteles eo ipso loco medicinam, quam per sequentes particulas excludit, & principium, & caussam appellet. Verùm quale principium natura sit, actiuum ne, an passiuum, an vtrunque latiúsve patens, quàm vt actiuum, & passiuum complectitur, quæstio est.

a Vt 4. Met. c. 2. tex. 3. & alibi
b Vt 3. Phy. c. 1. tex. 1.
c Auicenna 1. lib. suf. c. 5. Et Simpl. 2. Phys. com. 2. & ferè Græci interpretes.

*Quale principium natura sit.*

Sunt *d* qui putent esse tantum actiuum: quod ex eo confirmant, quia *e* Aristoteles distinxit naturalia ab artificialibus penes sola principia actiua, quod artificialia non habeant per se, siue quatenus talia sunt, in se ipsis effectiuum principium motus artificiosi, naturalia autem habeant effectiuum motus naturalis.

*Prima opinio ponentium actiuum tantum.*

d Omnes ij, qui putant solam formam definiri ea definitione.
e 2. Phy. c. 1. tex. 2. & 3.

*Refellitur.*

Sed quoniam hi existimant definiri solam formam, iam eorum sententia ex dictis refutata relinquitur. Accedit quod isto modo corruptio, & alterationes corruptiuæ non essent numerandæ in mutationibus naturalibus, cùm non proueniant effectiuè à formis rerum, quæ sic alterantur, aut corrumpuntur.

*Aristoteles exponitur.*

AD illorum autem argumentum dicendum est, Aristotelem in eo discrimine tradendo sic intelligendum esse, *Nullum artificiale quatenus tale est, habere in se ipso, ac per se principium artificiosi motus, siue actiuum, siue passiuum peculiare, ac proprium*, at naturalia omnia habere in se ipsis, ac per se talia principia motus naturalis. Et quoniam exemplum accepit in iis qui sanantur, quorum alij sanantur à natura effectiuè, id est, ab anima, quæ per partem sanam, malè affectam curat: alij verò ab arte, quæ & ipsa effectiua est, ideo videri naturam dictam ab eo fuisse principium effectiuum, cùm æquè accipere potuisset exemplum in passiuis principiis, velùti in rudi lapide, & in lapidea statua: quorum ille principium passiuum habet internum, ac per se motus deorsum, hæc autem non nisi per accidens, seu quatenus lapidea.

*Quæstione mica.*

*Scoti opinio credentis esse passiuũ duntaxat.*

ALII, quorum caput est Scotus in 2. sententiarum distinctione 8. credunt naturam, vt natura est esse duntaxat principium passiuum: non quod putent definiri ab Aristotele solam materiam (existimant enim explicari, & materiam, & formam) sed quod sibi persuadeant nec materiam, nec formam habere rationem naturæ, vt principia actiua sunt, sed vt passiua. Quanquam verò de materia res est perspicua, cum actiua non sit: de vtraque tamen simul suam assertionem probat

Scotus

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Probatur. Primo.* Scotus duobus argumentis. Vnum est, quia *natura est id, ratione cuius vnumquodque dicitur moueri naturaliter, à quocunque agente moueatur,* nihil autem dicitur moueri (ac proinde nec naturaliter moueri) ratione

*Secundo.* principij actiui, sed passiui. Alterum, quia natura est principium internum eius quod mouetur: at principium motus non est internum rei quæ mouetur quatenus actiuum est, sed quatenus passiuum, accidit enim (exempli caussa) homini qui mouetur ad sanitatem, vt sanetur ab arte existente in ipso, vt ait *a* Aristoteles: atque idem videtur sensisse Simplicius ad *b* secundum Physicorum.

*a* 2. *Phys. t.* 1. *tex.* 3.
*b cõmen.* 18. *text.* 16. *&* 17.

*Improbatur Scoti opinio. Primo.* Sed nec sententia hæc probanda est. Primum, quia si Aristoteles in definitione naturæ, nomine caussæ, & principij, solum principium passiuum intellexisset: per ea sanè verba reiecissent medicinam, neque adeo solicitus fuisset de addenda particula, per se, vt illam excluderet. Deinde, quia non minus naturale est viuentibus mouere se, quàm moueri à se, cum idem sint, immo illud quodammodo prius esse videatur.

*Secundo.*

*Soluitur primum Scoti.* Ex his patet, priorem argumentationem Scoti nihil efficere. Nam si naturale est iis, quæ mouentur moueri ratione principij passiui, naturale quoque erit iis quæ mouentur à se sic moueri, ratione principij, & passiui, & actiui. Posterior quoque facile refellitur ex ratione

*Secundum.* viuentium, siquidem viuentia non per accidens, sed per se habent internum principium actiuum suorum motuum, non quorumcumque tamen sed vitalium. Secus euenit in iis, quæ arte mouentur, vt in eo qui artificiosè sanatur, cum accidat illis habere in se artem, qua sic moueantur.

*Vera sententia dicentiũ, naturam, & esse actiuum principium, & passiuum, &c.* Dicendvm igitur, naturam vt natura est, posse esse, & principium passiuum, & actiuum, immo etiam formale & finale: proinde nomina principij & caussæ in tota sua latitudine sumenda esse. Motus enim quo quæque res naturalis naturaliter mouetur, est illi naturalis: non solum, quia in ea datur passiuum principium illius, sed etiam quia datur in omnibus quidem, saltem formale, & finale: in viuentibus autem (si motus sit vitalis) etiam efficiens, vt dictum est. Et quidem quod anima sit caussa motus vitalis in triplici genere caussæ, formalis scilicet, finalis, & efficientis: ipse etiam Aristoteles planè asserit secundo libro de anima capite quarto. Quod autem in omnibus rebus naturalibus forma possit concurrere ad motum in genere caussæ formalis, & finalis: ex eo patet, quia cum res naturalis mouetur iuxta conditionem suæ formæ, vt si lapis feratur deorsum, non dubium est quin forma tunc concurrat in genere caussæ formalis: & quia is motus est gratia ipsius formæ, perspicuum quoque est concurrere illam in genere etiam caussæ finalis. Adde quod nomina principij, & caussæ, non magis significant principium actiuum, & passiuum, quàm formale, & finale. Sunt igitur accipienda in sua latitudine, donec per sequentes particulas contrahantur.

*Vide D. Thomam in 2. Physi. lect. 5. & 3. p. q. 2. art. 1.*

*Animã esse caussam motus vitalis in triplici genere.*

*text. 36. & 37.*

*Epilogus sectionis.* Est igitur natura principium, & caussa, siue passiuum, siue actiuum, siue formale, siue finale. Quo fit vt per hanc definitionis particulam reiciantur ea sola, quæ nullo ex his modis sunt principia, & caussæ.

*Explicatio*



*Explicatio sequentium particularum.*

## SECTIO IV.

Sequitvr *vt id moueatur atque quiescat,* quibus verbis significatur mutatio propriè dicta, & opposita quies, quæ non conueniunt nisi rebus naturalibus, siue materialibus, vt per hanc particulam excludantur naturæ omnes immaterialium. Sumitur enim hoc loco motus eo

*Motus definitio ex tertio physicorũ.*

*Cap. 1. tex. 6.* pacto quo explicatur ad initium tertij Physicorum, cum definitur *actus entis in potentia, vt in potentia est,* quod Aristoteles ipse, ad initium eius libri docet. Ait enim, quia natura definita erat principium motus, necessariò explicandum fuisse quid esset motus: alioqui fore vt ignoraretur naturæ ratio: tum definit *motum esse actum entis in potentia, &c.* Iam verò cum in motus definitione comprehendatur generatio, vt idem mox subiicit, perspicuum relinquitur, in proposita quoque naturæ definitione, nomine motus comprehendi generationem, non modo accidentalem, sed etiam substantialem. Illud tamen

*In ea non comprehendi momentaneã generationẽ.*

aduerte, non comprehendi generationem illam, quæ dicitur momentanea: quandoquidem illa non tam est generatio, quàm terminus, & complementum generationis, immò est quies ad quam tendit generatio naturaliter. Intelligenda igitur est nomine quietis, non motus.

*Quo pacto forma sit principium generationis.*

Sed quærat aliquis quo pacto forma substantialis *sit principium generationis eius rei in qua est,* cum præsente forma, iam non generetur, res, sed genita sit: *quod enim generatur nondum est,* vt sæpe ait Aristoteles, ac proinde neque eius forma.

*6. lib Phy. c. 6. tex. 59. & 8. lib. phys. c. 8. text. 69. & aliis in locis.*

*Quo pacto id quod generatur, non sit.*

Ad hanc dubitationem respondebis: dictum illud, *quod generatur non est,* sic intelligendum esse, vt nondum illud sit totum, sed partim sit, partim non sit, hoc est partim habeat formam, partim non habeat.

Et in generationibus quidem accidentalibus, vt calidi, aut frigidi, res perspicua est: cùm enim aliquid fit calidum, partem aliquam habet caloris introducendi, partem non habet, & sic in cæteris. At in substantiali distingues: nam si generatio sumatur pro generatione alicuius totius habentis formam diuisibilem, vt ignis, aut lapidis: perspicuum est, cum illud generatur, partem formæ esse introductam, & partem introducendam, nisi id quod generatur sit minimum naturale, in quo tota forma simul esse incipit. At si forma sit indiuisibilis, aut diuisibilis quidem, sed quæ introducatur in minimam materiam, cum totum (veluti homo, aut minimus ignis) generatur: ea ratione censeri iam aliquid formæ esse in materia, quia iam aliquid est dispositionum, quas illa consequitur. Potest & illud dici, *formam substantialem esse principium generationis eius rei in qua est:* non quia iam

*Definitio naturæ quomodo aptius redi Latinè posset.*

sit cum illa generatur, sed quia est, cum generatio absoluitur. Qua propter minùs aptè reddita est Latinè definitio naturæ ab Argyropilo, cum ait: *Naturam esse principium & caussam, vt id moueatur atque quiescat, in quo est, &c.* innuit enim hoc loquendi modo, naturam esse principium, & caussam mutationis præsentis, aut futuræ, non

Universidad de Deusto
Biblioteca



præteritæ, cum potius vertendum fuerit (*motus, & quietis eius, in quo est, &c.*) vt patet ex Græco contextu: quibus verbis significatur naturam esse principium, & causſam mutationis, & quietis eius rei in qua est: siue mutatio aut quies præsens sit, siue futura, siue etiam præterierit.

*Quietit nomine quid intelligendum.*

Aduerte tamen, nomine quietis non esse intelligendam quietem in termino, à quo, sed in termino ad quem. Natura enim non inclinat ad priorem quietem, sed ad posteriorem, veluti natura lapidis, non ad quiescendum in aëre, sed in terra. *IIa simpl. in 2. Phyſ. com. 12. text. 16. & 17.*

Neque item esse intelligendam quietem ipsam, quæ est priuatio motus præcedentis, sed eius fundamentum, quod quidem est possessio formæ, aut quasi formæ: quod addiderim propter locum: hæc enim quies, non illa propriè expetitur. Quo fit, vt mirari nemo debeat quod paulo ante dixerimus, generationem momentaneam, quæ terminus est generationis propriæ dictæ, nomine quietis esse intelligendam.

*Generatio momentanea cur dicta sit ab Auctore quies.*

Aduerte etiam cum dicitur *motus, & quietis*, non esse ex Aristotelis sententia copulatim omninò accipiendam particulam, *Et*, vt putant ij, qui credunt definiri solam naturam generabilium, & corruptibilium: id enim iam refutatum est. Neque item sumendam esse omnino disiunctim, ita scilicet, vt ad rationem naturæ satis sit ex illius mente si fit principium quietis: satis enim constat ex initio tertij Physicorum, & primi de Cœlo, aliisque pleriſq; locis, sensisse Aristotelem, omnem naturam esse propensam ad motum: Idcircò enim tradit, ignorato motu necesse esse naturam ignorare, & cœlum habere motum naturalem, quia sit corpus naturale, naturáque constans. Quod idem hoc ipso loco in quo versamur, & aliis non paucis haud obscurè significat, eum in repetenda definitione naturæ omittit particulam, *& quietis*. Neque enim alia de causſa id facit, nisi quia putauit omnem naturam propensam esse ad motum, etsi quædam non solum ad motum, sed etiam ad quietem propensa sit. *Albertus Magnus 2. Phyſ. tract. 2. c. 3. & Auſ. 3. Phyſ. text. primo de cœlo, text. 5. & ſequentibus.*

*Omnis natura propensa ad motum quendam etiam ad quietem.*

Sumenda est igitur iuxta illius opinionem partim disiunctim, partim coniunctim, vt superius tetigimus, repetito nimirum priori membro in posteriori, vt definitio declaret naturam esse principium, & causſam, aut motus tantum, aut motus, & quietis: quo pacto intelligenda est illa animæ definitio tradita secũdo libro de anima, capite secundo. *Anima est id quo viuimus, sentimus, loco mouemur, & intelligimus primo.* Est enim sensus, animam esse id, quo primo nos viuentes aut vegetamur tantum, aut, & vegetamur, & sentimus, aut, & vegetamur, & sentimus, nósque mouemus loco aut etiam intelligimus.

*Definitio animæ explicatur.* *Text. 24.*

Quod demum additur *in quo primo per se, & non per accidens inest*, hoc ordine intelligendum. *In quo inest non per accidens, sed per se, ac primo.* Cum dicitur, *in quo inest*: excluduntur principia motus externa: neque enim exempli causſa, forma hominis habet rationem naturæ, quatenus est principium motus baculi, in quo non est, sed manus in qua est, & ita in cæteris. Verba (*non per accidens, sed per se*) idem valent, adduntúrque ad excludendam artem, quæ etsi interdum est in eo qui artificiosè mouetur: vt medicina in eo qui sanatur per artem quam habet in



bet in se, non est tamen per se in illo, sed per accidens, cum non omnis qui artificiosè sanatur sit arte medicinæ præditus. Additur extremo loco verbum (*primo,*) vt excludantur ea accidentia quæ sunt per se *principia motus eius rei in qua sunt*. hæc enim etsi per se insunt in eo quod mouetur, non tamen insunt primo, hoc est, principaliter, siue non per aliud, quo pacto sola forma, & materia insunt in re naturali: ita reiiciuntur hoc verbo, potentiæ omnes rerum naturalium, & qualitates earum motiuæ, vt grauitas, & leuitas; quæ etsi sunt principia, & causſæ motus grauium, & leuium, in quibus per se insunt, non tamen in eis insunt principaliter, sed per eorum formas, & materias, cum earum naturas consequantur. Vnde patet non sumi hoc loco verbum, *primo*, vt priori libro de posteriori resolutione, cum ab eo *quod est per se*, distinguitur: *quidquid enim conuertitur cum eo, cui per se conuenit, id omne dicitur eo loco conuenire illi primo*, etiamsi non pertineat ad rei substantiam, *vt triangulo habere tres angulos duobus rectis pares*: at hic vt principium motus, & quietis insit primo, requiritur vt insit principaliter, hoc est, secundum substantiam. Supereſt igitur vt ad argumenta initio proposita respondeamus. *Ca. 4. text. 11*

*Solutio primi argumenti.*

## SECTIO V.

AD primum dicendum est, ex definitione naturæ vt à nobis ad mentem Aristotelis explicata est, non effici solas ac omnes res naturales moueri, ac quiescere; sed eas quidem quæ non sunt naturales, aut tale principium non habere, veluti substantias separatas, (neque enim moueri, possunt verò vllo, & passiuo motu de quo loquimur) aut si quæ habent, non illud sibi vendicare, nisi quatenus tem aliquem naturalem pro subiecto suarum formarum includunt, vt arte facta: eas autem quæ naturales sunt, omnes habere principium sui motus naturalium, & essentiale, tamerſi quædam ex opinione Aristotelis solius motus principium habeant, cæteræ non solum motus, sed etiam quietis. Nam quod attinet ad totum terræ globum, quem obiecimus nunquam moueri, negandum est inde effici non esse in eo principium proprij motus. Si enim à suo loco remoueretur, sibique ipsi relinqueretur, continuò ad illum descenderet, interiæ videlicet, formæ propensione, ac impetu: nec certè maiori, sed maiori potiùs quàm partes eius descendere videmus. *Est enim in toto qualibet re graui, & eadem natura quæ in parte eius integrante, & maior grauitas.* Neque obiicias, frustrà talia principia poni in tota terra, quando nunquam tota è loco proprio remouebitur, vt eorum vim descendendo exercere possit. Nam propensio elementorum ad proprium motum, non est primaria eorum inclinatio, sed secundaria. Primaria enim est ad proprium locum, quem quidem tota ipsa semper obtinent: secundaria verò est ad motum, eius interuentu proprium locum acquirerẽt, si ab eo pellerentur: at propensio ad media

*Subſtãtias ſeparatas non moueri motu paſſiuo.*

*Terræ globus etſi immobilis, vt tamen habeat naturam.*

*Obiectio. Solutio.*

*Primaria elementorũ propenſio ad quid. Item ſecundaria.*

quæ nõ obtinentur,non dicitur fruſtra,ſi ſemper finis ipſe poſſideatur.

*De cœlo empyreo.*

Quod verò attinet ad cœlum Empyreum, aliósque cœlos inferiores, non eodem modo reſpondendum eſt ex Ariſtotelis opinione, atque iuxta veram & germanam de corporibus cœleſtibus ſententiam.

*Quid Ariſtoteles de propenſione cœlorum ad motum ſenſerit.*

Putauit enim Ariſtoteles quodlibet cœlum habere propenſionem naturalem,non actiuam quidem, ſed paſſiuam attamen determinatam ad motum circularem, eúmque vnicum, ita vt nullum credat eſſe indifferens ad motum,& quietem, aut ad motum quem habet, & ad aliquem alium, quemadmodum,& materiam cuiuſque cœli dicimus non habere potentiam, & propenſionem naturalem, niſi ad eam formam ſubſtantialem qua informata eſt. Id autem videtur ſibi perſuaſiſſe ex errore,quem concepit de aſſiſtente intelligentia, à qua putauit moueri cœlum,neceſſitate naturæ,ita vt non ſit in poteſtate illius, vt aut non moueat cœlum,aut alia ratione moueat. Nam cum potentia naturalis paſſiua ſumatur ex actiua naturali, ſi actiua determinata eſt ad motum, eúmque vnicum, neceſſe eſt vt ad eundem ſit determinata potentia, propenſióque paſſiua.

*Error Ariſtotelis.*

Perſuaſus quoque fuit ex illo principio quo vtitur initio librorum de Cœlo: *Vnicuique ſimplici corpori naturalem eſſe vnicum motum ſimplicem*: ex quo pronunciato concludit, *omne cœlum habere vnicum ſibi peculiarem motum, ſimplicem, naturalem, non rectum*, qui proprius elementorum eſt: *ſed circularem*, atque adeò ex certa parte, poſitionéve in oppoſitam, & ſuper certos vertices. Quare cum circularis motus terminum non habeat,qui non idem æquè principium ſit,atque finis: neceſſariò ſibi concludendum viſum eſt,aptitudinem naturalem cœleſtium orbium, ad ſolum motum circularem eúmque vnius rationis eſſe determinatam.

Id quoque videbatur accommodatum eſſe, vt paulò ante diximus, materiæ cœleſtium corporum,quæ non eſt indifferens ad diuerſas formas ſubſtantiales,ſed ad eam ſolam,cui perpetuò copulata eſt, ac proinde neque indiffereus ad vllam formam,& priuationem illius.

Addiderunt alij quidam Peripatetici rationes alias, ex fine, & cœleſtium corporum conditione ductas. Vnam, quia cur cœli quieſcant, aut alia ratione moueantur, nulla ratio naturalis afferri poteſt, cum ſic moueantur optimè, & conuenientiſſimè, non ſolum naturæ cœleſti (quæ perpetua eſt, & inuariabilis) ſed etiam commoditati inferioris mundi: cui commoditat, nec quies cœleſtium corporum,neque alius motus,quàm quo eorum quodlibet mouetur,congruit. Alteram, quia ſi cœli quieſcerent,otioſi eſſent,ſin alia ratione moueri poſſent, non eſſet ſimplex eorum natura. Tertiam,quia cum cœli ſint cauſſæ vniuerſales horum inferiorum, & quam maximè enitantur aſſimilari primæ, & vniuerſaliſſimæ cauſæ,ea verò ſit actus purus,& ſemper in actu, hoc eſt,ſemper operetur, *actus vero ſecundus ſit perfectior actu primo*, vt patet ex libro de Anima:neceſſe eſt vt cœli ſemper ſint in actu ſecundo, qui quidem in illis eſt motus.

*Vt argumentum iuxta*

Quare iuxta hanc opinionem,ſeu potius errorem, minúſque rationi conſentaneam in Philoſophia ſententiam, hoc pacto ſoluendum eſſet



eſſet argumentum. Cœlum quidem Empyreum Ariſtotelis opinione nullum eſſe: proinde nil mirum ſi naturæ definitio, materiæ, & formæ illius non conueniat. De materia autem, & forma inferiorum orbium ſatis conſtat ex iis quæ dicta ſunt, vtrámque in definitione comprehendi, cum vtraque Ariſtotelis opinione determinatè propenſa ſit ad motum.

*Ariſtotelis errorem ſoluendũ foret.*

*Vera,& germana ſolutio.*

## SECTIO VI.

*Cœlum ſecundum ſe indifferens eſſe ad motum, & quietem.*

RE tamen vera aliter ſentiẽdum eſt de cœleſtibus corporibus,aliterque ſoluendum argumentum. Quodlibet enim cœlum, ſi ſecundum ſe ſpectetur, non vt quodammodo materialis pars totius compoſiti ex orbe, & aſſiſtente intelligentia (quo pacto nauis,& nauclerus rem vnam artificioſam quodammodo efficiunt peculiari ratione mobilem, & quælibet inſtrumenta ſuo modo partes materiales cuiuſque artificis cenſeatur) indifferens ſane eſt ad motum, & quietem, neque ad vnam rationem motus circularis magis propenſum, quàm ad aliam.

*Probatur primo.*

Primum,quia id indicat perfectè globoſa orbium cœleſtium naturc,qua illi non magis idonei ſunt vt quiſque moueatur circa ſuum centrum aut hoc,vel illo modo moueatur, quàm vt quieſcat, aut ea ratione moueatur,qua nunc circumducitur: quod ſi non magis idonei, cur ergo magis propenſi?

*Secundo.*

Deinde, quia ſi determinatè propenſi eſſent ad motum, oppoſita quies eſſet eis contra naturam: non poteſt enim non eſſe contra naturam quidquid impedit rem, ne habeat id ad quod determinatè propenſa eſt. Eſſet igitur quies, non ſolum qua cœlum Empyreum à ſua creatione quieſcit, ſed etiam quam inferiores cœli poſt diem iudicij habebunt contra eorum naturam: quod ſanè dici non poteſt, cum nihil contra natura violentúmque ſit aſſerendum perpetuum.

*Quietem non eſſe cœlo violentam.*

Sunt qui reſpondeant, violentam fore cœlorum quietem, ſi creaturæ alicuius virtute à motu impediantur. at quia id ſolum diuina contingit Empyreo, contigétque aliquando cæteris, dici nó poſſe eorum quietem,aut eſſe,aut fore violentam. Omnis enim creatura ad nutum obedit creatori,etiam ſi ſit contra propriæ naturæ propenſionem.

*Nulla opus eſſe virtute vt cœli quieſcant.*

Verum hæc reſponſio non effugit vim propoſitæ rationis: tum quia nulla virtute opus eſt vt cœli quieſcant, ſed magis negatione, aut ſuſpenſione applicationis motiuæ virtutis, cùm non oporteat vi aliqua cœlum tenere ne moueatur,quo pacto elementa vi tenentur extra loca naturalia: tum quia ſi ad id opus eſt virtute aliqua, æquè poteſt Deus per intelligentias creatas id facere,atque per ſe ipſum: eiuſmodi enim effectus ſi vllus eſt, & non magis priuatio effectus, non excedit virtutem creaturæ:tum etiam,quia non minus violentum eſt creaturæ id,quod Deus in ea efficit, ſi ſit contra, & non præter, aut ſupra illius propriam naturam, & propenſionem, quàm ſi creatura id faciat. Neque enim minus violentus erit motus quò, vel lapis ſurſum proiiciatur,vel aqua calefiat, ſi fiat immediatè à diuina voluntate,quàm ſi fiat

Universidad de Deusto
Biblioteca



ab efficiente creato: impedire autem proprium cœli motum, si ad illum determinatè propensum est, non est præter, aut supra, sed contra illius naturam, quemadmodum impedire motum ignis sursum, vel lapidis deorsum. Cum autem dicimus, *omnem creaturam ad nutum obedire creatori*, ita intelligendum est: vt vel sponte, vt ita loquar, vel inuita exequatur. quicquid diuina voluntas de ea decernit. Sic vaccæ illæ Philistinorum, quæ diuino impulsu arcam domini trahebant, mugitu pro reclusis vitulis significabant se contra propriæ naturæ propensionem ac impetum, diuinam voluntatem exequi.

*Creaturam obedire ad nutum Deo, quomodo intelligendum.*

Tertium argumentum pro assertione proposita est, Diui Thomæ in quæstion. 5. de potentia Dei, quo loco ille luculenter, & copiosè de re proposita differit: Quia, vt inquit, *ita se habet motus cœli ad intelligentiam motricem, atque motus instrumenti ad artificem*: instrumentum autem etsi habet aptitudinem, & vt sic dicam idoneitatem ad motum, quo ab artifice mouetur, non est tamen determinatum ad hunc, vel illum motum, aut etiam ad motum magis, quàm ad quietem, vt patet in securi, aut calamo.

*Artic. 5. in corpore articuli.*

Quartum argumentum esto, idémque ponit Diuus Thomas, eodem loco: Quia cœlum nullam sibi perfectionem acquirit per motum, ipse autem motus in se spectatus non potest esse finis cœlestium corporum vt ad illum determinatè propensa sint, quæ omnia ex solutione argumentorum patebunt.

Quintum argumentum, quod etiam eiusdem sancti Doctoris est, hunc in modum se habet, Quia determinata propensio ad certum motum semper est formalis, & effectiua, vt pote sequens naturaliter ipsam rei formam per modum proprietatis, quo pacto motus elementorum sequitur eorum formas substantiales, si sint extra loca naturalia: at motus cœlorum cum sit mere ab extrinseco motore, non prouenit ex propensione formali, & effectiua ipsorum cœlorum, sed ex aptitudine siue propensione passiua vt moueantur, quæ non potest esse determinata ad motum magis, quàm ad quietem, aut potius ad motum ex hac parte, quàm ex illa, sed tota determinatio, siue ad motum, siue ad certam illius formam, ex determinatione motricis intelligentiæ sumenda est: ita patet, quodlibet cœlum si secundum se spectetur, indifferens esse ad motum, & quietem, nec magis propensum ad vnam rationem motus circularis, quàm ad aliam. Quod si cœli spectentur quatenus suo modo sunt compositi ex orbibus, & intelligentiis assistentibus, dici vtcumque potest esse in eis naturalem propensionem determinatam ad eum motum, quo mouentur, si modo intelligentiæ non sumantur, vt sunt agentia libera, sed quatenus determinata ad sic mouendum, quasi essent formæ substantiales cœlorum, habentes impetum quendam naturalem actiuum ad eiusmodi motum, quo pacto quattuor vulgata elementa naturalem impetum habent ad proprios ipsorum actus.

*conclusio propositæ difficultatis de cœlorum motu.*

*Solutio*



*Solutio argumentorum aduersæ partis.*

## SECTIO VII.

NEc vero argumenta pro parte opposita contra hæc quicquam efficiunt. Nam primum illud, quod intelligentia moueat naturæ necessitate falsam, & erroneam continere opinionem perspectum est apud Theologos, veróque Philosophos, vt alibi patebit.

Secundum verò, quod innititur illi pronunciato: *Vnius corporis simplicis vnicum esse motum simplicem naturalem*, eodem pede claudicat. Neque enim verum est, nisi cœli sumantur, vt composita quædam ex ipsis orbibus, & assistentibus intelligentiis, iisque mouentibus naturaliter, ac necessariò. Alioqui falsum est, nec per se notum, aut vlla ratione demonstrabile, nisi sic intelligatur, vt asserat, vni corpori simplici, hoc est non mixto ex elementis, vnicum esse naturalem motum simplicem, id est, non mistum ex contrariis motibus elementorum, quo pacto lignum mouetur sursum in aqua propter aërem, quo virtute constat, & descendit in aëre, propter terram.

*Vnius corporis simplicis vnum esse motum quomodo intelligendum.*

*Metus mixtus vnde.*

Tertium quoque nihil concludit. Quod enim materia cuiusque cœli non sit indifferens ad diuersas formas substantiales, ex eo prouenit, quia ad abiiciendum eam quam habet aliámque accipiendam, disponi non potest, vnde fit, vt ad eam solam, qua informata est potentiam habeat, propensionémque naturalem. At vnumquodque cœlum æquè dispositum semper est ad quietem, atque ad motum, nec minus ad motum ex vna parte quàm ex alia opposita. Quod autem per modum naturæ, semper ex eadémque parte quoque moueatur, ad constantiam intelligentiarũ motricum referendum est, quæ ita sese hominum ministerio libere addixerunt in voluendis continenter, ac ordinatissimè orbibus cœlestibus, ac si necessitate naturæ id muneris obirent. Qua in re miranda sane est mentium illarum in Deum obedientia, & in hominum genus amor, & beneficentia.

*Cur materia cœli non sit indifferens ad diuersas formas.*

*Vnde tantæ in motu cœli constantia.*

Prima quoque ratio ab iis Peripateticis adiuncta, qui lumine fidei illustrati non sunt, parum momenti habet. Nam etsi cœli nunc conuenientissimè mouentur, & propriis ipsorum naturis, & commoditati inferioris mundi, dum propter hominum genus propagandum, electorúmque numerum colligendum necessaria est generationum, & corruptionum alternatio, tamen expleto beatorum numero, non conuenienter tantum, sed multo conuenientius perpetuo quiescent. Magis enim consentanea est, & naturæ cœlestium corporum, & liberæ, beatéque intelligentiarum motricium conditioni, & futuro item huius inferioris mundi statui perpetua cœlorum quies, quàm motus.

*Cœlo quies conuenientior futura, quàm motus.*

SECVNDA item eorum ratio haud difficile dissoluitur. In primis enim res nulla dicitur otiosa, *quæ tam suo tempore proprium munus peregit.* Qua ratione quemadmodum nonnulla beatorum corporum membra quæ in felici illa futura vita cessatura sunt à proprio opere, vt stomachus à digerendo cibo, & hepar à nutriendo sanguine, otiosa non erunt: quod in hac mortali suum munus obeant, sic cœli non erunt otiosi

*Otiosum non est id, quod suo iam munere perfunctum.*

Universidad de Deusto Biblioteca



*otiosũ quid,* otiosi cum cessabunt à proprio motu, expleto cursu, quo electorum causa mortalis adhuc, & negotiosæ eorum vitæ statui, commoditatibúsque inseruiunt. Deinde nihil dicitur otiosum, nisi, quod fine suo

*Motus cœli non potest esse illius finis.* frustratur: motus autem cœli non potest esse illius finis, cùm sit actus imperfectus, & qui in finem perfectionemq; aliquam suapte natura tendit: Neque item in circulari motu vllus est finis, qui non idem sit principium. Necesse igitur est, vt eius finis extra ipsum quæratur, in eóque consistat, quod per illum efficitur, præsertim cum motus localis non sit actio immanens, sed transiens, quæ semper est propter aliquid, quod melius sit, & perfectius. Quare cum inter ea quæ cœlorum motu fiunt, sola hominum generatio, & conseruatio sit eo melior, & perfectior propter rationalem formam, cui introducendæ materiam disponit, & propter eius operationes, quibus in hac vita subseruit, efficitur, vt sola multitudo eorum, qui dignè, & conuenienter rationi viuunt, sit finis cœlestis motus. Quo fit, vt expleto prædestinatorum

*Sola multitudo electorum finis est motus cœlestis.* hominum numero (neque enim infinita multitudo finis esse potest, *Vide D. Thom. de Potentia. q. 5. art. 5.* siue quæ actu simul credatur futura: siue quæ nunquam absoluatur) nequaquam cœli sint otiosi futuri, si non amplius moueantur, quasi proprio fine frustrati. Accedit quod res non sunt dicendę otiosæ, si certum aliquod munus non obeant, sed si nullum omnino obirent, tum demum otiosæ merito dici possent: cœli autem etsi post diem iudicij mouendi non sunt, aliis tamen hominum vsibus inseruient, cum Empy-

*Cœli quibus hominum vsibus post diẽ iudicij inseruient.* reum sit futurum Beatorum domicilium, omnésque admirabiles huius mundi machinæ partes sint præcipuæ, & quæ magnitudinibus suis puritatéque, aut etiam luce, excitandæ cognitioni, & amori diuine magnitudinis & excellentiæ materiam præbeant, nec post diem illum proprio influendi munere priuandi sint, sed potius aliis perfectionibus donandi.

*Non sunt influendi munere priuandi sed perficiendi.* Quod vero additur: *si alia ratione mouerentur cœli, fore vt non esset simplex eorum natura:* verum quidem esset si actiua propensione formalis principij mouerentur, quemadmodum corpora mista, quæ interno impetu variè mouentur, prout virtute huius, aut illius elementi huc, aut illuc feruntur: at cœli nõ habent propensionem actiuam à propriis formis, sed passiuam, & indifferentem ad quemlibet motum circularem, prout assistens intelligentia ex vna, aut altera parte impulerit. *2. de Anim. cap. 4.*

*Vt Deo maginasimilentur.* Demum tertiæ rationi respondendum est, res omnes in suo quæque gradu, siue quoad possunt, vt ait Aristoteles, quàm maximè eniti vt Deo assimilentur, cœlos autem quatenus vniuersales causæ horum inferiorum simúlque cum ipsis intelligentiis sumuntur, magis assimilari Deo in actu secundo immanente, qui est actus perfectus, quàm in actu secundo transeunte, qui est actus imperfectus. Cum igitur hæc maior assimilatio consistat in administratione horum inferiorum per intellectum, & voluntatem, efficitur vt cœli magis assimilentur Deo si

*Naturæ definitio iuxta hanc sententiam vt sit explicanda.* quiescant absoluto numero prædestinatorum hominum quem Deus prouidentia sua præfixit, qnàm si deinceps quoque mouerentur. Iuxta hanc igitur, hoc est veram sententiam, respondendum est ad argumentum, naturæ definitionem posse, & copulatim intelligi de motu, & quiete,



& quiete, vt ipsa eius verba sonant, & materiæ, ac formæ cuiusque cœli conuenire. Est enim siue materia, siue forma cuiusque rei naturalis ex se ipsa apta idoneáque siue ad motum, siue ad quietẽ. Sed hoc interest, quod, vt loquamur de motu locali, qui solus rebus omnibus naturalibus communis esse potest, cœlorum materia, & forma, præter hanc aptitudinem, siue, vt ita dicam idoneitatem, nullam maiorem habet propensionem ad motum, quàm ad quietem, aut ad quietem, quàm ad motum, sed æquè indifferens est ad vtrumque. Neque enim minus naturaliter moueretur cœlum Empyreum, quàm quiescat, nec minus naturaliter quiescent aliquando inferiores cœli, quàm nunc mouentur si ex eorum quidem internis principiis spectanda sit naturalitas, vt ita loquar eorum motus, & quietis. At in materia, & forma cæterorum entium naturalium, alia ratio est.

*In grauibus & leuibus maior propẽsio ad quietem, in viuẽtibus verò ad motum.* Nam etsi in materia corruptibilium, æqua propensio est ad motum localem, atque ad quietem, in formis tamen grauium: & leuium, quatenus huiusmodi sunt, maior propensio est ad quietem, quàm ad motum, contráque in viuentibus, quatenus viuentia sunt, maior est ad motum, quàm ad quietem. Grauia enim, & leuia idcirco mouentur propriæ formæ impetu & propensione, vt in propriis locis quiescant, vnde ab eis nisi vi aliqua diuelli non possunt, viuentia verò, vt talia sunt, non idcirco mouentur, vt in loco aliquo consistant, ab eóque propriæ formæ propensione non discedant, sed potiùs ea de causa quiescunt, vt ex eo moueantur: vnde & somnus propter vigiliam est, non vigilia propter somnum. Id quod ex eo prouenit, quia proprium est viuentium,

*Vnde id proueniat.* vt seipsa moueant, actúsque vitales in huiusmodi motu consistunt: *at non viuentia seipsa mouere non possunt:* vnde nisi ab alio è propriis locis pellantur, nunquam ab eis dimouentur. Cum autem extra propria loca detinentur, si impedimenta remoueantur, tum demum non à se, sed à

*Grauia & leuia non à se moueri, sed à generantibus.* generantibus moueri dicuntur: quod alibi, quo pacto intelligendum sit explicandum est.

*Motum cœli naturalẽ esse ratione principij passiui.* Ex his licet colligere, *motum cœli non esse naturalem ratione principij actiui, sed passiui:* siue cœlum sumatur pro orbe ipso cœlesti duntaxat, siue pro composito ex orbe, & intelligentia motrice. In orbe enim ipso nullum est principium impulsiuum ad motum efficiendum, vt est in cæteris rebus naturalibus, etiam in ipsis elementis, sed solum passiuum. Intelligentia vero etsi est principium effectiuum motus, non mouet tamen naturaliter, sed voluntariè: quanquam ea ratione censetur naturaliter mouere, dum inferior mundus hoc ordine procedit, quatenus semper eodem modo cœlum voluit.

*Cur ignis ab orbe Lunæ nõ dicatur voluì naturaliter. Responsio.* Si quis verò roget, cur non etiam ignis dicatur ab orbe Lunæ naturaliter, sed præter naturam circumduci, cum in eo etiam sit principium passiuum, æque indifferens, ad eum motum, atque ad oppositam quietem, immo etiam magis videatur naturaliter moueri ab orbe Lunæ, quàm orbes cœlestes ab intelligentia, hoc modo respondendum est. Quia alioqui habet naturam determinatè propensam ad certum motum, principiúmque aliquod internum impulsiuum ad illum. Inde enim prouenit, vt quandocunque mouetur repugnante tali principio

Universidad de Deusto
Biblioteca



intrinseco, vt si trudatur deorsum, tum dicatur moueri contra naturam, quatenus vero nec repugnante, nec inclinante, & impellente circunducitur ab orbe Lunæ, dicatur moueri præter naturam. Quod quidem de cœlis dicere non possumus, cum non habeant naturam propensam ad certum motum, vt contra, aut præter illam moueri dicatur.

*Ens mobile, qua ratione dicendũ aptum ad motum.*

Licet quoque ex dictis colligere, ens mobile in communi, seu quatenus est proprium adæquatúmque subiectum Philosophiæ naturalis, etsi opinione Aristotelis dicendum est mobile propter principium propensum ad motum (quo pacto aut excludendum esset cœlum Empyreum à consideratione Physica, aut aliud subiectum quærendum, quod latius pateret) re tamen vera non esse dicendum mobile nisi per principium indifferens ad motum, & quietem, idque principium intelligendum esse in definitione naturæ, vt omnium rerum naturalium materias, & formas complectatur: tametsi tale principium in quibusdam sit omnino indifferens ad motum, & quietem, vt est siue materia, siue forma orbium cœlestium, siue etiam materia rerum corruptibilium, in quibusdam vero, vel propensum ad motum propter quietem, vt est forma grauium, & leuium, vel ad quietem propter motum, vt est forma viuentium.

*Explicatio maior naturæ rerum.*

Vt autem hæc meliùs intelligantur, aduerte, si omnes res naturales quatenus tales sunt haberent propensionem ad motum, fore vt eam haberent vel ad motum solum, vel ad motum, & quietem, idque ordine aliquo, videlicet ad motum propter quietem, aut ad quietem propter motum. Nam fieri non potest vt æquè propensæ sint ad motum, & quietem, siquidem natura, vt natura, determinata est ad vnum præcipuè, propensióque talis non esset verè propensio naturalis, sed potius indifferentia, & aptitudo, siue æqua idoneitas ad vnum. Si ergo essent propensæ ad solum motum, non esset cœlum Empyreum res naturalis: si ad motum propter quietem, non possent inferiores cœli perpetuo moueri, nisi contra naturam, si ad quietem propter motum, ergo nec cœlum Empyreum, nec integra elementa perpetuo quiescerent naturaliter. Non dicuntur igitur res naturales vt tales sunt propensæ ad motum, sed indifferentes ad motum, & quietem, tametsi eis aduenire possit propensio ad alterum, vel ad vtrunque ordine quodam per differentias contrahentes: at nulli aduenit ad solum motum, vel ad solam quietem: nisi velimus, nec inferiores cœlos habituros in fine mundi quietem, nisi contra naturam, nec Empyreum aliter quàm contra naturam posse moueri: remanet ergo in quibusdam illa communis indifferentia ad motum & quietem propter materiam, & formam, vtpote in cœlis omnibus, cæteris autem omnibus ratione formæ, per differentiam corruptibilitatis aduenit propensio ad motum & quietem: in grauibus quidem, & leuibus ad motum propter quietem, in viuentibus autem, vt talia sunt ad quietem propter motum. Atque hæc pro solutione primi argumenti principalis dicta sint.

*Solutio*





*Solutio sequentium argumentorum principalium,*

## SECTIO VIII.

*Solutio secundi argumenti positi sectione prima huius quæstionis.*

AD secundum principale, dicendum est, nomine *principij* in definitione naturæ posito, intelligendum esse non solum principium effectiuum, sed etiam passiuum, vt patet ex dictis: addendumque etsi formæ cœlestium corporum non sunt principia effectiua motus localis eorum, sed passiua: tamen formas elementorum, cæterorumque grauium, & leuium, effectiua quoque esse, non quibus grauia, & leuia, quatenus talia sunt, se ipsa moueant (quod est viuentium proprium, & peculiare) sed quibus à generantibus moueantur, quod indicant motiuæ eorum qualitates, à generantibus cum formis ipsis collatæ & impressæ. Quod verò additur de grauitate, & leuitate, itémque de artibus eorum, qui se artificiosè mouent, iam solutum ex eo est: quia hæc, etsi insunt primo, id est, adæquatè, non tamen insunt primo, hoc est, principaliter, siue secundum substantiam.

*Solutio tertij in eadem sectione propositi.*

Tertium argumentum hac ratione dissoluitur. Motum localem propriè dictum, hoc est, circumscriptiuum, de quo loquimur, seu voluntarius ille sit, seu violentus, semper esse naturalem ex parte principij merè passiui. Ita non solum materia cuiúsque cœli, sed etiam forma, est natura respectu motus cœlestis, qui ex parte principij effectiui est simpliciter voluntarius: eodem modo, materia terræ est natura respectu motus sursum, & materia ignis, respectu motus deorsum: qui motus sunt violenti ex parte principij effectiui, quod vim infert, renitente nimirum terra, ac igne per formam substantialem, interuentu grauitatis, & leuitatis, quæ in contraria loca impellunt. Quocirca, etsi formæ quoque terræ, ac ignis patiuntur hos motus, non habent tamen rationem naturæ respectu illorum, quia non eos patiuntur purè, sed ita patiuntur, vt patiendo resistant, quemadmodum ipsa terra, & ignis, quæ principaliter pati, ac resistere dicuntur. Cum autem obijcitur, *motus voluntarios & violentos non esse à natura, siue naturales*: verum id quidem est simpliciter, & absolutè, quia dicuntur voluntarij, & violenti à principio effectiuo, quod in violentis quidem semper est extrinsecum subiecto quod mouetur, in voluntariis autem non est per se, ac necessario intrinsecum, quemadmodum & in artificiosis: at si spectentur ex parte principij mere passiui, quod semper est intrinsecum, non dubium quin dicendi sint naturales, quia in omnibus materia ad eos apta, & idonea est: in incorruptibilibus autem etiam forma.

*Materia & forma cœli vt sint naturæ.*

*Confirmatio dictorum ex Aristotele.*

Confirmantur hæc in motu violento ex iis, quæ ab Aristotele traduntur in primo libro de Cœlo: docet enim eo loco, *motum qui vni corpori simplici contra naturam est, alteri esse naturalem.* Quod si alteri naturalis est, ergo naturalis ex parte materiæ, quæ ad formam alterius inclinat: motus enim contra naturam, seu violentus, locum non habet, nisi in rebus corruptioni obnoxiis, quibus eadem materia communis est.

*Obiectio.*

Obiciat aliquis hoc pacto. Motus violentus dici solet, qui est à prin

Universidad de Deusto
Biblioteca



principio extrinseco nullam conferente vim passo, hoc est, non obsequente ipso subiecto, quod suscipit motum: at si omnis motus violentus est naturalis ex parte principij mere passiui: iam subiectum quod motum suscipit obsequitur mouenti: nullus igitur motus violentus est naturalis ex parte subiecti quod patitur.

*Solutio.*

Huic obiectioni occurrendum est, nomine passi seu subiecti, quod motum suscipit, non esse intelligendam in definitione motus violenti materiam ipsam, sed totum compositum, quod in motu quidem naturali, non solum obsequitur principio mouenti, sed etiam ad illum inclinat ac propendet, veluti terra ad motum deorsum, in motu autem præter naturam, etsi non inclinat, tamen obsequitur, vt ignis motui circulari, quo ab igne circunfertur: at in motu contra naturam, non solum non inclinat, verum ne obsequitur quidem, sed renititur, ac resistit, vt ignis motui deorsum.

*Alia obiectio.*

Obiici quoque potest. Si omnis motus violentus est naturalis ex parte materiæ, cum materia simpliciter dicatur natura quædam, omnis motus simpliciter dicendus erit naturalis, quod nemo concesserit.

*Quid nonnulli respondeant.*

Sunt qui tantam vim in hoc argumento esse existiment, vt ad sententiam nostræ oppositam deficiant, ac dicant: vt motus aliquis dicatur violentus, necesse est vt non solum non sit naturalis ex parte formæ rei quæ mouetur, sed etiam ex parte materiæ: cuiusmodi esse pronunciant violentum localem. Is enim neque est consentaneus formæ rei quæ mouetur, neque etiam materiæ, vt aiunt: quod ex eo probant, quia non est per se dispositiuus materiæ ad aliam formam. Non idem vero in cæteris violentis accidit, vt in calefactione aquæ, & frigefactione cordis: hi enim, etsi non sunt consentanei formis rerum quæ mouentur, sunt tamen consentanei materiæ, quia illam per se disponunt ad alias formas per qualitates quibus illæ per se introducuntur. Ita volunt, diuisionem motus in simpliciter naturalem, & simpliciter violentum, in solis localibus habere locum. Cæteri enim, & si aliqua ex parte violenti esse possunt, nempe ex parte formæ: simpliciter tamen, hoc est, ex parte vtriusque principij intrinseci, violenti esse nequeunt. Atque hanc fuisse causam existimant, cur Aristoteles initio librorum de Generatione, omnes mutationes, quas vocamus ad formam inhærentem (quo genere omnes ac solas mutationes in qualitate, quantitate, & substantia complectimur) naturales appellauerit, etiam ipsam corruptionem: cum tamen nunquam dixerit, omnem motum localem esse naturalem.

*Vera argumenti solutio.*

Nos tamen in approbata sententia persistentes, dicimus omnem motum violentum esse re vera naturalem ex parte materiæ, etiam violentum localem, neque oppositum ab his Auctoribus rectè colligi.

*Vt motus violentus sit materiæ naturalis.*

Nam, etsi violentus localis non est consentaneus formæ rei quæ mouetur, nec per se disponit materiam ad aliam formam: est tamen consentaneus materiæ, quia congruit formæ alterius rei ad quam materia propensionem habet naturalem: quo pacto descensus ignis congruit formæ terræ, & ascensus terræ congruit formæ ignis, motúsque iaculi transuersus, formæ volatilis. Cur autem non dicatur naturalis, quemad



quemadmodum & cæteri violenti, non ideo accidit, quia neque ex parte formæ, neque ex parte materiæ sit naturalis, sed quia, cum non per se disponat materiam ad aliam formam, hoc ipsum minus habet naturalitatis, quàm cæteri. Hinc enim factum videtur, vt non naturalis, sed violentus dicatur: tantum consuetudini tribuendum est in vocabulorum vsu. Quanquam omnes violenti in hoc sunt pares, vt nullus dicatur naturalis respectu naturæ subiecti, hoc est, respectu ipsius essentiæ rei quæ mouetur.

Ad obiectionem ergo respondendum est, omnem quidem motum violentum esse naturalem ex parte materiæ, materiámque esse simpliciter quandam naturam, sed tamen non inde sequi omnem motum violentum esse simpliciter dicendum naturalem, ab intrinseco videlicet, hoc est consentaneum ac congruentem naturæi rei, quæ illo mouetur. Nam etsi materia est natura quædam, tamen nomine naturæ rei quæ mouetur, non est intelligenda præcisè ipsa materia, sed vel essentia totius compositi, vel certè forma per quam essentia specie constituitur, quorum neutri consentaneus est motus violentus. Rectè tamen colligeretur, omnem motum violentum esse ab intrinseco naturalem, si præcisè concederetur esse naturalem materiæ, tametsi vsus obtinuerit vt, nec respectu quidem materiæ violentus localis dicatur naturalis, quia non illam per se disponit ad aliam formam, vt diximus.

*Duobus modis motum dici posse naturalem.*

Locuti autem sumus de motu naturali ab intrinseco, quia duobus modis dicere possumus motum esse naturalem: vno, quia à caussa extrinseca naturali, id est, non supernaturali nec mere voluntaria efficitur, & hoc pacto motus violentus, etiam localis, vsurpatissimè dicitur naturalis, idque simpliciter, & sine adiectione, vt calefactio aquæ, & descensus fulminis: altero, quia consentaneus est naturæ rei quæ mouetur, aut alicui eius principio intrinseco, quo pacto nullus motus violentus potest dici naturalis rei quæ mouetur, aut formæ illius, sed soli materiæ, etiam si vsus id non habeat in locali.

*Diuisio motus in naturalē & violentum, quo pacto accipienda.*

Quod vero dicitur, diuisionem motus in simpliciter naturalem, & simpliciter violentum in solis localibus habere locum in hoc sensu verum est, quod solus localis dicatur naturalis, aut violentus sine geminatione nominis rei quæ mouetur. Neque enim solum dicimus motum lapidis deorsum esse naturalem lapidi, sursum vero esse violentum lapidi, sed etiam absolutè & sine geminatione: priorem esse naturalem, posteriorem violentum. At in cæteris motuum generibus alia ratio est. Etsi enim dicimus frigefactionem maiorem aquæ, esse non solum naturalem aquæ, sed naturalem absolutè, tamen non dicimus, calefactionem eiusdem esse violentam absolutè & sine geminatione, sed esse violentam aquæ, & sic res habet in cæteris. Quapropter nil est ad rem, quod illi addunt, nullum motum ad formam esse violentum ex parte vtriusque principij, cum id localibus etiam commune sit, solúsque vsus induxerit, vt ex omnibus motuum generibus, locales violenti, absolutè & sine geminatione nominis rei quæ mouetur, dicantur violenti, ob eam caussam, quæ allata paulò antè est. Ex qua re patet cur Aristot. initio librorum de Generatione, omnes mutationes ad for-

mam inhærentem, naturales appellauerit, nullibi vero omnes motus locales. Hæc pro tertij argumenti principalis solutione dicta sint.

*Prima quarti solutio.* Ad quartum postremúmque argumentum ex principalibus dici potest communem essentiam rei naturalis, etsi est principium & caussa, vt suppositum in quo inest moueatur atque quiescat, &c. tamen non esse naturam, vt natura in proposita definitione explicatur, quia non est principium & causa interna eius speciei sub qua suppositum collocatur. Natura enim, verbi causa hominis, non est principium & caussa interna hominis secundum speciem, sed est ipse idem homo, nil ab eo differens, nisi ratione ratiocinante, siue concipiente. Vnde est illud Pisonis Ciceroniani quinto libro de Finibus. Vel hoc intelligant, si quando naturam hominis dicam, hominem dicere me. Nihil enim hoc differt. Quod autem nomine principij & caussæ internæ, intelligenda sit caussa interna etiam ipsius speciei, ex eo patet, quia ipsa etiam species dicitur res naturalis, atque adeò de qua magis, quàm de supposito Philosophi rationem habeant. Vel potius dicito, totam essentiam non esse principium simplex, sed ex principiis realiter compositum: cùm tamen natura debeat esse principium re ipsa simplex, si primo inest in eo quod mouetur atque quiescit: principia enim quæ ita insunt, vt composita sint ex prioribus principiis, veluti elementa quæ in misto continentur, non primo insunt. Atque hæc dicta sint pro explicanda definitione naturæ quæ 2. libro Physic. tradita est.

*Cur communis essentia non sit.*

*Natura & hominis & homo, vt sint idem.*

*Secunda eiusdem argumenti solutio.*

## *NVM EA QVAE DIFFERVNT, CONTINVATA ESSE POSSINT.*

## QVAESTIO III.

*Quæ occurrant pro affirmatiua parte.*

## SECTIO I.

*Occasio quæstionis.*

CCASIONEM nobis præbet Aristoteles in hoc capite hanc quæstionem tractandi, cùm ait, quædam esse quæ quantitate (id est, materia continuata) & non qualitate (hoc est forma) sint vnum: sicenim locus exponi solet. Quod si verum est, non dubium imprimis videtur, quin Aristoteles affirmatiuam partem quæstionis amplectatur.

*Text. 5.*

*Alexan. & hunc locum & alij.*

SVNT item pro eadem parte multa exempla in substantiis, veluti in virga partim viridi, partim sicca, in homine agente animam, cuius partes extremæ, sæpè priùs occupantur forma cadaueris, quàm anima medias deserat, & in plerisque animantibus quæ ex aliis in alia paulatim transeunt, vt ex reptili vermiculo in papilionem. Nam quòd pars virgæ sicca, & quæ adhuc viret, forma substantiali differat, luce clarius est. Quod verò sint continuatæ, ex eo patet, quia vno & eodem motu mouentur: continua enim sunt quorum motus est vnus, vt ipse Aristoteles definit capite sexto huius libri: eodémque modo res habet in reliquis duobus exemplis.

*Text. 8.*

*Secundò.*

ACCEDVNT exempla accidentium permanẽtium quamplurima, sumpto formæ nomine pro specie, veluti in animantibus maculosis, & quæ alio modo sunt diuersorum specie colorum: hæc enim continuata esse inter se nemo negauerit, cum eadem linea videatur finis vnius, & initium alterius. Idémque accidit in linea recta, & circunducta, quæ eodem puncto copulari videntur, vt patet in qualibet portione circuli. (Vtamur enim in hac quæstione, perspicuitatis gratia opinione Mathematicorum, seu potius eorum modo loquendi de indiuisibilibus in mediis quantitatibus continuis, quemadmodum Aristoteles & alij Philosophi vtuntur.) Quod si occurras, lineam rectam & circunductam nón differre specie, sed accidentario discrimine figuræ, saltem illud habeo, figuras diuersarum specierum continuari: neque enim dubium videtur quin rectitudo & curuitas, specie differant.

*Exemplis accidentiũ permanentium.*

*Tertio. Exemplis successiuorum.*

Addi etiam possunt exempla rerum successiuarum in motibus diuersarum specierum. Nam posse motum rectum continuari cum circulari, ex eo constat, quia magnitudines super quas fiunt, continuantur inter se, vt dictum est, cum interim continuitas motus sumatur ex continuitate magnitudinis, super quam res mouetur, vt Aristoteles tradit plerísque locis. Motus item contrarij (quos specie differre necesse est) ex eo nihil repugnat quin continuentur, quod mobile ex vno in alterum sine interruptione quietis transire potest, vt ascensus lapidis cum descensu eiusdem, calefactio aquæ cum frigefactione, & alij quam plurimi.

*Quarto Phys. ca. 11. tex. 99 & aliis locis.*

*Vera quæstionis explicatio.*

## SECTIO II.

IN hac quæstione, etsi satis esset pro dilucidatione propositi loci, rem explicare in iis quæ differunt forma substantiali (de his enim tantum loquitur Aristoteles) tamen maioris doctrinæ gratia, in omnibus quæ forma differunt tractanda est difficultas, siue nomen formæ pro Physica sumatur, siue pro specie, siue etiam pro differentia numerali, initio sumpto ab iis quæ magis remota sunt ab instituto huius loci.

Sit igitur prima conclusio. Diuersa accidentia successiua non possunt esse per se continuata, per accidens autem possunt, siue continuitate successiua, siue extensiua ad extensionem subiecti: Hæc conclusio non habet locum in tempore, quod vnum est numero in primo mobili, nec nisi operatione intellectus distinguitur in plura tempora, aut quasi specie differentia: cuiusmodi sunt præsens, præteritum, & futurum, aut quasi solo numero diuersa, vt sunt duæ horæ præteritæ, aut futuræ. In motu autem, ex eo probatur prior pars, quia ad continuitatem per se motus, requiritur acquisitio eiusdem numero termini non interrupta, vbi autem hæc dantur, necessario motus est vnus numero: quo fit vt nec specie, nec numero diuersi, possint per se continuari, ita scilicet vt maneant diuersi, siue specie, siue numero. Lege Aristotelem quinto Physicorum, vbi fusè probat, posse quidem hærentes

*Prima conclusio pro accidentibus successiuis.*

rentes esse motus specie diuersos, hoc est vnum immediatè post alium, vt si aqua immediatè post descensum ex aëre incipiat calefieri, aut si lapis immediatè post ascensum vi proiicientis factum incipiat descendere, repercussus, vel pulsus deorsum à potiori virtute: continuatos autem minime. Posterior vero pars, ex eo constat, quia motus hærentes seu alij aliis immediatè succedentes, vt ij qui nunc dicti sunt, continuantur per accidens secundum successionem continuitate temporis, cum fiant in duabus partibus temporis continuatis inter se: qui autem simul fiunt in partibus immediatis eiusdem subiecti, si specie quidem sunt diuersi, vt si vna medietas corporis albescat, aut frigefiat, & altera eodem tempore nigrescat, aut calefiat, erunt continuati per accidens, continuitate extensiua ad extensionem subiecti, quod vtroque alteratur. Dico autem, si sint diuersi specie, quia si sint eiusdem speciei infinitæ, iam non erunt diuersi numero, sed partes vnius & eiusdem numero motus occupantis partes eas immediatas, quæ sic mouentur.

*Secunda conclusio pro accidentibus.*

Secunda Conclusio. Diuersa accidentia permanentia, quemadmodum de successiuis quoad extensionem subiecti dictum est, continuata per accidens esse possunt, si specie differant, non item si solo numero. Hæc conclusio quoad priorem partem, inductione perspicua est in plerisque qualitatibus diuersarum specierum, quarum vnam immediatè post aliam in eodem subiecto experimur, vt varios colores variásque tangibiles qualitates in proximis partibus eiusdem subiecti. Neque obiicias Aristotelem in loco citato quinti Physicorum, dicentem, ea quæ differunt specie, non posse continuari: Aristoteles enim non loquitur, vniuerse de rebus specie diuersis, sed de diuersis specie motibus, idque quoad successionem, vt patet ex probatione qua ibidem vtitur. Posterior vero pars, ex eo probatur, quia accidentia solo numero diuersa, si continuentur, iam fient vnum numero, ac proinde non erunt diuersa.

*Aristoteles explicatur.*

*Tertia conclusio pro substantiis. Probatur ex Arist.*

Tertia conclusio. Substantiæ diuersæ, siue forma substantiali, specie diuersa inter se differant, siue numero diuersa, non continuantur inter se. Hæc conclusio, siquis attendat, colligitur ex Aristotele capite sexto huius libri, cum ait, ea esse vnum numero, quorum materia est vna, subaudi, numero. Loquitur enim de substantiis materialibus, quibus solis inter substantias tribuit vnitatem numeralem sub specie, vt eo loco patebit. Vnde si materia diuersarum est vna numero, ac proinde continuata (per se enim notum est eas materias quæ non sunt continuatæ non efficere vnam numero) sequitur diuersas substantias esse vnam numero substantiam, quod fieri, nequit. Putat ergo Aristoteles, diuersas substantias siue forma substantiali specifica differant, siue numerali, nunquam esse continuatas.

*Nota rationem.*

*Primo.*

Probatur autem conclusio hunc in modum. Aut in media quantitate dantur actu termini communes, quibus copulentur partes eius, aut potentia tantum: si actu, & quantitas ipsa partim est in vna substantia, partim in alia, erit idem accidens numero in diuersis numero, aut etiam specie subiectis, idque, naturaliter quod negant Philosophi,



losophi: superficies inquam, qua diuersæ numero substantiæ copulabuntur. Neque enim potior est ratio cur sit in vna, quàm in altera. Si verò non datur actu, sed potentia, quo pacto quæso reducentur ad actum? Non per separationem alterius substantiæ ab altera? At semper alia substantia succedet in locum medium: quod cum sit, iam quæro, cur non continuabitur media illa substantia cum extremis? Erit enim cum illis immediatè coniuncta, quemadmodum illæ prius continuatæ erant inter se: at materia in his substantiis, quarũ aliæ in locum aliarum succedere possunt, non impedit continuationem (est enim eiusdem rationis in omnibus) neque verò impedit specifica qualitatem diuersitas, cum qualitates specie diuersæ continuari possint, vt ex dictis patet: ergo si ea substantia quæ interiecta est non continuatur cum extremis, propter solam formæ diuersitatem id accidit, ac proinde omnes substantiæ quæ substantiali forma differunt inter se, ita sunt diuersæ, vt non sint continuatæ. Loquor autem de formis ita distinctis, vt neque vna sit altera, neque vtraque sit pars vnius tertiæ. Nam si duæ constituant vnam tertiam, veluti formæ partium eiusdem numero aquę aliarúmve substantiarum similarium, iam compositа ex illis continuabuntur inter se.

a *Auer. in 1. Phys. com. 63. & 4. Phys. com. 11. & in Epitome Metaph. tract. 2. c. vl. Philop. in 1. lib. de Gener. textu 33. & 40. Simp. 1. Phy. com. 66. vbi eandem opinionẽ tribuit Pythagoricis, id est, Platoni, & Porphyrio. idem sensit Gregor. in 2. d. 12. q. 2. ar. primo.*

b *Ita D. Th. 1. p. q. 76. ar. 6. & in tractu materiæ qui eià Capr. tribuitur in 2. d. 28. q 1. ccl. 6. Capr. ibidem, & Alij. 1. p. q 76. ar. 3. & 4. & Caiet. ibidem Capr. in 2. d. 15. q. 1. Idem habet D. Tho. in 5. Phys. lect. 7. & 10. Met. lect. 1.*

Præterea, aut quantitas continua immediatè sequitur materiam primam, éstque illi coæua, a vt quidam existimant, aut sequitur illam b ratione formæ substantialis, ita vt abiecta substantiali forma, ipsa quoque quantitas abiiciatur, & alia forma introducta, alia quantitas succedat: at vtrouis modo sentias, diuersę substantiæ continuari nequeũt. Nam si quantitas continua est coæua materiæ, est vtique materia ex se vna numero, neque nisi per formas aliquas quantitate posteriores multiplicatur numero: at formæ accidentales quantitate continua posteriores, non distinguunt numero materiam, cum in eadem numero reperiantur non tantum solo numero distinctæ in partibus remotis eiusdem, sed etiam specie proximis, vt ex superiori conclusione patet: ergo solis formis substantialibus tribuenda est numeralis distinctio, & discretio materiæ, ac proinde substantiæ, quæ distinctis siue specie, siue solo numero formis substantialibus constant, non constant eadem numero materia, & (quod sequitur) non sunt continuatæ inter se. Quod si quantitas continua sequitur materiam ratione formæ, & alia atque alia substantiali forma introducta, alia atque alia quantitas introducitur, & abiecta abiicitur: multo breuius concluditur, substantias in quibus formæ substantiales diuersæ sunt, non esse continuatas. Qua de re doctè scribit Auerroës commento primo libri decimi: Continuationis causa, inquit, in indiuiduis est forma: & ideo forma dicitur magis vnum quàm continuatio, quia forma est causa continuationis. Atque hæc est sententia D. Thomæ.

*In partibus integrãtibus, totius dissimilaris non dari formas diuersas.*

Ex his patet, in diuersis partibus integrantibus dissimiliarium substantiarum, vt hominis, aut equi, non dari diuersas formas substantiales: neque enim eæ partes essent continuatæ inter se se, quare nec conficerent materiam vnam numero. Verùm de formis substantialibus partium integrantium, vtrum sint diuersæ inter se se, ad librum septi-

Universidad de Deusto
Biblioteca



mum differendum est accuratius.

Patet etiam, si magnitudines mathematicæ, quemadmodum apud Mathematicos sine vlla distinctione substantiæ subiectæ considerantur, ita etiam existerent: fore, vt in eis nulla esset contiguitas, sed omnes essent re vera continuatæ, solâque imaginatione designationéque darentur duo corpora cubica se tangentia, triangulus, & quadratum contigua inter se, atque ita in cæteris. Nunc autem non est vana distinctio huiusmodi magnitudinum in diuersas numero contiguas inter se se, quia existunt, aut existere possunt in rebus naturalibus, quæ videlicet diuersis saltem numero formis substantialibus distinguantur.

*Solutio eorum quæ initio proposita sunt.*

## SECTIO III.

*Argumentum ex Aristotele desumptum solvitur.*

VA propter ad id, quod ex hoc capite pro parte oppositâ citatum est, dicendum: quantitatem (intellige continuam) accipiendam esse in iis verbis pro quantitate continua, seu vera, seu apparente. Nam & ipsum nomen continui eodem modo sumitur capite 6. huius libri, cùm dicitur continuum esse id, cuius motus *Text. 8.* est vnus seu indiuisus tempore, vt ipse Aristoteles interpretatur, quo pacto multa verè contigua, continua dici possunt, vt fascis, sella, nauis, & huiusmodi alia, quæ ita sunt coniuncta & compacta, vt mota parte vna, moueantur cæteræ: quæ sanè ratio continuitatis ita vulgaris, & imperfecta est, vt iuxta eam, magis continua sit nauis, quàm aqua ipsa in qua nauigatur: eo quod vna maris parte mota: non necesse sit moueri totum, quemadmodum in naui accidit.

*Virgam partim viridem partim siccâ non habere veram partium continuationem.*

Hinc patet solutio secundi de virga partim ficca partim viridi, & aliis similibus exemplis. Est enim continuatio talium partium apparens, non vera, nisi sumpta continuatione in definitione continui nunc explicata. Illud de transmutatione vnius animalis immediatè in aliud, vt ex verme reptili in volucrem, dubium esse potest, num per partes integrantes paulatim fiat, an simul in toto: sed nihil hoc refert, ponit enim argumentum fieri per partes: quod si fit simul in toto prorsus alienum est exemplum à proposita quæstione.

*Colores posse in eadem superficie continuari.*

Ad tertium quod ad colores attinet, fatemur illos continuari posse in superficie vna numero, non in diuersis numero, quæ tum semper sunt diuersæ in ijs, quorum formæ substantiales, vel solo numero diuersæ sunt. De linea recta, & circunducta, eadem ratio est si differunt specie figuræ: nam quod non differant specie quantitatis certum est. Itaque linea recta & curua, quæ claudunt portionem circuli, vna linea sunt numero (quicquid fingant Mathematici) siue habeant figuras diuersarum specierum, siue quæ tandem reducantur ad vnam speciem figuræ totius, vt Aristoteles videtur sentire.

*Figuræ vt specie differant.* *Cap. 6. huius lib. text. 8.*

*Motus quot modis possit continuari.*

Ad quartum dicendum, tribus modis posse motum cum motu continuari successiua cõtinuatione. Vno ratione magnitudinis super quam fit, vel ipsius mobilis cuius vna pars transit idem signum spatij immediatè post aliam, veluti si mobile moueatur per lineam circunductam immediatè postquàm motum est per lineam rectam. Altero ratione temporis,



temporis: vt si vnus alteri succedat sine interruptione quietis, vt descensus lapidis ascensui eiusdem impedito per descensum potentioris mobilis. Tertio quatenus sunt partes non interruptæ acquisitionis vnius & eiusdem numero termini ad quem: quo pacto non iam diuersi sunt motus, qui continuentur, sed conficiunt vnum atque eundem numero motum. Atque hinc est cur Aristoteles nonnunquam dicat, motum dici continuum ex continuitate magnitudinis [a] supra quam fit, aut [b] etiam ipsius mobilis: alias verò [c] ex continuitate temporis ac demum alibi contra asserat, [d] tempus ipsum dici continuum ex motu: quod nequaquam assereret, nisi motus suam haberet peculiarem continuitatem diuersam à continuitate magnitudinis & temporis. Cùm ergo concluditur, motus diuersarum specierum continuari posse: concedendum id quidem est primo, vel secundo modo, at tertio, de qua continuatione prior pars primæ conclusionis loquitur, negandum est planè.

a 4. *Phys. c. 11. textu 99. Sicut c. 13. & alijs in locis superius citatis.*
b 6. *Phys. c. 4. tex. 32. & 35.*
c 5. *Phy. c. 4 tex. 40.*
d 4. *Phys. c. 11. tex. 99.*

# NVM EA QVÆ CONTINVATA NON SVNT, EANDEM FORMAM HABERE POSSINT.

## QVAESTIO IV.

*Argumenta pro vtraque parte.*

## SECTIO I.

SED quærat aliquis, num quemadmodum concluſimus, ea quæ formas substantiales habent diuersas, continuata esse non posse, sic dicendum sit, ea quæ vnam & eandem habent, necessario esse continuata. Sunt enim hæ quæstiones ita coniunctæ, vt vnius explicatio poscere videatur explicationem alterius, Ac pars quidem affirmatiua, his argumentis ostendi videtur. *Pars affirmatiua probatur.*

*Primo.* Primum, quia forma indiuidua maiorem perfectionẽ includit quàm specifica, vt est perspicuum: at specifica potest simul informare plures numero materias, ergo & forma indiuidua.

*Secundo.* *D. Tho. 1. p. q. 76. art. 8. & 2. contra Gen. cap. 72. Alb. Mag. 2. par. sum. tract. 13 q. 77. memb. 4. Caiet. in com. 1. p. Ferra. 2. cõt. Gen. vbi sup. Iand. 2. li. de Anim. q. 7. Herueus 1. sent. d. 8. quæst. 4.* Deinde, quia re vera in nutritione viuentis, eadem numero forma successiuè informat diuersas numero materias: alia enim materia per continentem corporis resolutionem expellitur, alia per conuersionem alimenti, loco prioris assumitur: quas inter se numero diuersas esse nemo dubitauerit.

*Tertio.* Tertio, quia videmus easdem numero formas animalium perfectorum (quas grauissimi Authores indiuisibiles esse asserunt) simul informare diuersas numero materias, vt caput abscissum, & reliquum corpus: quæ etsi breui temporis spatio, sæpè tamen viuunt separata, vt patet ex motu vitali qui aliquandiu in eis cernitur. Nam quod ij motus ab eadem numero forma proueniant, ex eo patet: quia nulla generatio viuentis videtur fieri, cum viuenti caput amputatur, vt dici possit, nouas formas in eiusmodi partes à se inuicem diuisas introductas esse.

*Quarto.* Quarto, quia quo vnumquodque perfectius causſat in genere causſæ finalis essicientis, aut materialis, eo se pluribus suo modo communicare potest: siquidem & finis, quo superior est, eo plura media redundat, & causſa efficiens, quo potentior est, eo latius patet in agendo: materia etiam quo prior, & vt sic dicam, profundior, eo plures formas diuersásque inter se sustinere potest. Vnde & prima materia omnes sustinet quotquot introducuntur vnquam: & secundæ, quo proprius accedunt ad primam, eo plures accipiunt: veluti materia elementi plures quàm misti, & misti imperfecti, quàm perfecti: ergo nec formæ id negandum est, vt si perfecta sit, diuersas inter se materias informare possit, & quo perfectior, eo plures. Quod sanè in perfectioribus viuentibus, etiam si non diuidantur accidere videtur. Nam si caro, verbi causſa, & os diuersis formis substantialibus carnis & ossis inter se differunt, vt est multorum nec ignobilium Auctorum sententia: iam per superiorem quæstionem licet colligere, non esse ea inter se continuata: quare cùm forma eadem totius viuentis informata sit, non dubium videtur quin eadem forma numero discretas materias informet. Quod si quis non credat, carnem & ossa discreta esse in eodem viuente, eo quod caro continuata videatur cum neruis, & cartilaginibus, & hæc cum ossibus: fortè sententiam mutabit, si animaduertat, non magis hæc sensuum iudicio continuata esse inter se, quàm ramus surculo inserto: quæ tamen potiori ratione discreta sunt, cùm vna & eadem communi forma substantiali informata non sint, vt omnes fatentur.

*caro, os, nerui an diuersis formis informentur.*

*Ant. Andr. 7. Met. q. 17. in eamq; inclinat Scotus in d. 4. 11. q. 3. Vide Ochā. quolib. 3. q. 8. vbi quæstionem disputat in vtramque partem. Plato in Timæo pro qua lege Alcinoum de doctrina Platonis cap. 14. & Plotinum Ennead. 4. li. 3. de dubiis ani. ca. 1. & seq. lege etiā D. Aug. lib. 4. de Ciuit. Dei. c. 11. Lege Arist. lib. 1. de part. anim. 1. & quæ supra dicta sunt lib. 3. q. 7. q. 1.*

*Quinto.* Accedit Platonis, & multorum aliorum veterum sententia de mundi anima: quæ si vera est, aut dicere oportet, per superiorem quæstionem omnes mundi partes esse continuatas inter se, nihilque in mundo esse, quod alteri contiguum sit, quod nemo concesserit: aut nulla etiam naturalia distingui inter se per formas substantiales sibi peculiares, vt prisci naturales à posterioribus meritò reprehēsi existimarunt: aut denique confitendum, formam eandem numero, discretas inter se materias informare posse, quod probandum erat.

*Pars negatiua suadetur. Primo.* Pars verò negatiua, totidem aliis nec vulgaribus argumentis videtur concludi. Primum, quia si forma eadem numero, duas numero materias simul informare potest, poterit & plures, atque adeo infinitas: hoc enim pacto argumentatur Aristoteles quarto Physicorum libro, cùm probat, duo corpore nou posse simul esse in eodem loco: quia si locus idem (vt ait) capit. simul duo corpora, capiet & plura si in eo ponantur, atque adeo infinita. Cùm igitur tam sit possibile) ne dicam magis) dari formam quæ simul infinitas materias informet, quàm dari infinita corpora quæ locum eundem occupent (esset enim ea forma perfectionis infinitæ (sequitur, formam vnam numero, discretas inter se materias informare non posse.

Deinde, quia si posset, iam id quod corruptum est posset idem numero naturaliter redire: quod & Philosophi [a] & Theologi omnes negant, Nam si corrupti forma potest simul diuersas numero materias naturaliter informare: cur non eandem diuersis temporibus, præsertim, cùm

*a Arist. 2. de Gener. c. 11. text. 70. Alb. Aueſt. & alij Arist. interpretes, in eum locum. D. Tho. quæſt. 4. ar. 5. & 4. cōt. Gen. ca. 81. Durand. in 4. d. 43. q. 2. capr. 1. quæſt. 1. Aegid. theorem. 1. & Alij.*



a *Hunc errorem habuit Plato in Phœdone, lege Plotin. Enn. 3. li. 4. cap. 6. & aliis in locis. Eundem habuerunt Pythagorici vt refert Arist. 1. de Anima. c. 3. text. 53.*

*Tertio.*

b *Vide etiam concil. Viennense sub clemen. 5.*

c *Ab Arist. 1. de Anim. c. 3. text. 53. & 2. de Anim. c. 2. tex. 26.*

cùm idem agens eandem naturalem virtutem gignendi habeat quamdiu perfectum est?

Tertio quia pars affirmatiua plurimum fauet errori [a] de transmigratione animarum in alia corpora, qui damnatus est in Concilio [b] Lateranensi sub Leone decimo sessione octaua, immo etiam à prioribus [c] Philosophis, tanquam anilis quædam fabula exploditur.

*Approbatio negatiuæ partis.*

## SECTIO II.

QVICQVID igitur habeant virium proposita argumenta pro parte affirmatiua: ipsa tamen negatiua pars omnino amplectenda est, hisque rationibus confirmanda. Primum ex communi notione eorum quæ sunt vnum numero, & diuersa numero in rebus naturalibus. Omnes enim sumimus vt vnum numero quidquid vnam & eandem habet materiam, vt hunc lapidem, & hanc statuam, offensa bis eadem statua lapidea: & numeramus vt diuersa quæ materias habent diuersas: veluti si statua frangatur in duas partes, iam dicimus duos esse lapides, & duo corpora, quem communem hominum sensum Aristoteles optimus Philosophandi magister secutus est capite 6. textu 12. cùm ea definiuit esse vnum numero, quorum materia est vna, eáque innuit esse numero diuersa, quorum materia est diuersa: at si forma eadem in diuersis materiis, esse potest, necesse erit pugnare cum hoc communi iudicio. Nam cùm res magis habeat esse, ac proinde vnitatem per formam, quàm per materiam quæcunque vna formia numero constabunt, vnum potius ens numero quam plura dicenda erunt. Hinc enim fit, vt ipse idem Aristoteles plerisque locis appellet formam hoc aliquid, quod vnitas numeralis, rerum naturalium, primo sumatur ex forma, neque definitio eorum quæ sunt vnum numero, tradatur per materiam vnam, nisi à posteriori, & per id, quod ratione vnius formæ est vnum.

*Aliis rationibus negatiua pars confirmatur.*

*Prima ratio ex definitione vnius, & diuersi.*

*Quæ sunt vnum numero.*

*Res magis est vna a forma, quàm a materia.*

*1. Phys. c. 7. text. 69. & 2. de Ani. c. 1. text. 2. & aliis in locis.*

Deinde probatur eadem pars ex diuisione materiæ hoc modo. Tota materia, quæ in plures numero naturaliter diuidi potest, est ex se vna numero, præcisa omni forma substantiali & accidentali: nec efficitur plures numero, nisi per plures formas substantiales, aut per plures magnitudines, vt perspicuum est, (namque distinctio qualitatum non est satis ad materias distinguendas) at materia fit plures numero per diuersas numero magnitudines in quas diuiditur, multo ergo magis per plures formas substantiales: non potest igitur accidere naturaliter vt eadem numero forma substantialis, diuersas numero materias informet. Prior consequentia quæ sola probatione indiget, ex eo patet, quia materia iuxta veram de hac re sententiam, prius natura recipit formam substantialem quàm magnitudinem. Vnde prius naturaliter fit plures numero per diuersas formas substantiales quibus constituuntur diuersa composita substantialia, quàm per diuersas magnitudines quibus constituuntur diuersa numero accidentalia.

*Secundum argumentum ex diuisione naturæ.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Tertium argumentum ex materiæ potentia.*

Tertio ex ipsa potentia materiæ. Nam vt in nullo agente datur virtus naturaliter introductiua eius numero formæ quæ ab alio agente eiusdem speciei naturaliter introduci potest, vt patet ex iis quæ à nobis ad caput secundum disputata sunt, ita in nulla materia datur potentia naturaliter receptiua eius numero formæ, quæ ab alia materia eiusdem speciei naturaliter recipi potest: est enim par omnino ratio, vt ex eadem disputatione intelliges. Neque obest quod materia alimenti recipit naturaliter illam eandem numero formam quæ iam præerat in alia materia, nempè ipsius viuentis. Nam neque illam primo recipit (de qua tamen receptione loquimur) nec verò recipit dum à materia viuentis disiuncta est, sed cum primum fit eadem numero cum illa. *Qu. 25. sect. 5.*

*Quartum ex naturæ determinatione.*

Quarto ex determinatione naturæ ad vnum. Nam vt materia determinata est ad vnam formam numero eiusdem speciei: ita (ac multo etiam magis) forma ad vnam numero eiusdem speciei materiam: si enim materia quæ ex natura sua respicit, plures formas specie diuersas, vnam solam eiusdem speciei accipit, potiori ratione forma quæ ad vnam tantum specie materiam refertur, eámque ipsam determinat ac limitat, vnam tantum numero materiam naturaliter informabit.

*Vltimum ex terminis actionum.*

Postremo ex terminatione naturalium actionum: siquidem diuersas numero actiones diuersi numero termini naturaliter consequuntur, agens autem naturale diuersis actionibus agit in materias numero diuersas, quemadmodum ipsæ diuersæ materiæ diuersis passionibus ab eodem agente patiuntur: quoties enim multiplicatur passio, toties & actio, ac vice versa, vt perspicuum est ex identitate actionis cum passione. Ita patet, eandem numero formam non informare naturaliter diuersas numero materias, quod & inductio apertum facit, & opinio etiam, seu potius grauissimus error eorum, qui mentem eandem numero in pluribus hominibus posuerunt: quandoquidem ne ij quidem adeo fuerunt mentis inopes, vt dicerent illam informare plura corpora: sed ea sola ratione putarunt communem esse posse multis, si multis assisteret per quandam copulationem cum eorum imaginationibus rectè ordinatis.

*Conclusio dictorum.*

*Confirmatio dicta ab errore Auerrois & aliorum.*

*Auerr. 3. de Ani. ad 6. Themist. 3. de Ani. cap. 2. Theophrastus & alii.*

*Supernaturali potentia, formam eandem numero, diuersas numero materias informare posse.*

## SECTIO III.

SED quid de supernaturali virtute? Potest ne extraordinaria Dei potentia fieri, vt forma eodem numero eodem tempore, aut momento (nam successiuè non est dubium) diuersas numero materias informet? Multis sanè Theologis videbitur id fieri non posse. Nos tamen verisimile existimamus, non modo si forma indiuisibilis sit, sed etiam si diuisibilis, posse eandem numero diuersas materias diuina virtute informare.

*Conclusio affirmat.*

*Probatur in formis indiuisibilibus.*

Ac imprimis nihil videtur repugnare quin eadem numero forma indiuisibilis, siue illa non pendeat à materia vt humana, siue pendeat vt



*1. p. q. 76. ar. 8. & 2. cont. gent. c. 72.*

equina (ponamus enim cum D. Thoma perfectorum animalium formas esse indiuisibiles) in diuersis materiis existat. Nam cum forma indiuisibilis, tota sit in tota materia, & tota in qualibet eius parte: quid prohibet eandem formam hominis, aut equi, quæ iis integris tota est in capite, & tota in reliquo corpore, abscisso etiam capite, conseruari à Deo, & in capite, & in reliquo corpore quemadmodum ante abscissionem conseruatur? Quo fortasse modo conseruata est anima Areopagitæ Dionysij post capitis detruncationem, si quemadmodum corpus viuebat cum gestaret proprium caput in manibus, sic viuebat & caput quod gestabatur. Quod si diuina virtute eadem forma numero conseruari potest in pluribus materiis naturaliter ineptis ad eius conseruationem: cur non in pluribus naturaliter aptis, integris nimirum & perfectis, vt eadem humana in pluribus integris corporibus humanis, & equina in pluribus equinis? Nam quod virtus informatiua cuiusque formæ, naturaliter determinata est ad vnam numero materiam integram & perfectam, nihil impedit quominus per potentiam diuinam extendi possit ad plures numero informandas, quemadmodum & eius virtus effectiua ad plures numero efficiendas: si quidem virtus intellectiua Socratis, qui non potest naturaliter comprehendere, nisi, exempli caussa, decem, potest supernaturali Dei virtute comprehendere viginti, ac multo etiam plura, & potentia visiua equi, quæ non potest videre equum nisi verbi caussa ex trium milliarium distantia, potest diuina virtute ex multo plurium: quæ adeo certa sunt, vt side orthodoxa teneamus, virtutem intellectus nostri quæ finita est, posse diuina ope attingere cognitionem claram, & quidditatiuam essentiæ diuinæ quæ infinitæ perfectionis est. Sed & diuisibiles, siue extensæ formæ, videntur eædem numero in diuersis numero materiis esse posse diuina virtute. Nihil enim videtur repugnare, eandem numero superficiem simul inesse in diuersis numero subiectis: vt si Deus corrumpet superficiem concauam aëris, & conuexam aquæ, & produceret vnam quæ vtrumque elementum copularet, aut altera earum corrupta per alteram, vtrumque elementum coniungeret: neque enim id videtur contradictionem implicare. Nec solum non repugnat idem superficiei inesse in diuersis subiectis coniunctis inter se, sed etiam in separatis: repugnantia enim quæ videtur esse ne eadem numero forma extensa, in pluribus subiectis insit, magis ducitur ex eorum diuersitate, quàm ex eorum distantia: quare si diuersitas non impedit, nec distantia impediet: quod idem de cæteris formis extensis dicendum erit.

*Vide Simeonem Metaphrastem in vita Dionysij. Simile quiddã narrat Beda de Iusto mar. vt habetur tom. 3. in eius mart. tyrio.*

*Caput Dionysij abscissum an viueret.*

*Vide Concil. Vien. sub Clemen. 5. quod refertur in Clem. ad nostrum de hæreticis.*

*Probatur cõclusio de formis diuisibilibus.*

*Quædam obiectiones contra propositam sententiam.*

## SECTIO VI.

*Primum argumentum.*

VERVM contra hanc assertionem quattuor potissimum obiici possunt. Primum quidem si forma eadem numero in pluribus materiis virtute diuina inesse potest, fore, vt possit idem corpus numero pluribus locis contineri, & ab eis cir-

Universidad de Deusto
Biblioteca



eis circumscribi: nam corpus naturale, est vnum numero per formam vnam numero, vt homo vnus numero per animam vnam numero: quare si eadem anima informet materias diuersas, & loco separatas, erit circumscriptiuè idem homo, ac proinde idem corpus naturale in pluribus simul locis: quod D. Thomas, & alij grauissimi Theologi negant fieri vlla ratione posse.

*Vtrum idem corpus in pluribus diuina virtute simul esse possit. Secundum.*

*D. Thom. in 4. d. 44. q. 3. art. 3. quæstiuncula 3. ad 3. & quolib. 3. q. 1. ar. 2. & 4. contra Gent. c. 62. & 64. Capr. in 4. d. 10. q. 1. art. 3. Duran. q. 1. Henric. de Gand. quod. 9. q. 32.*

Deinde, si qua probabilitate negetur ex proposita assertione effici, vt idem corpus numero pluribus locis circumscribi possit: videtur tamen nequaquam negandum quin ex ea sequantur incommoda illa eadem, quæ Theologi colligunt contra opinionem de corpore eodem in pluribus locis. Nam si anima humana, exempli caussa, in pluribus ac distantibus corporibus diuina virtute ponatur: fieri potest vt patiatur contraria in diuersis locis, eáque perfectè habeat, veluti dolorem, & lætitiam de eadem re: dolorem de absentia amici ab hoc loco, & lætitiam de præsentia eiusdem in alio loco: quemadmodum ad euertendam sententiam de eo corpore in pluribus locis, inferri solet fore, vt actione caussarum naturalium idem albescat hoc loco, & nigrescat alio loco: ac proinde simul alteretur contrariis alterationibus, immo etiam simul sit perfectè albus & niger, quæ fieri nequeunt. Anima etiam equi, & cæteræ pendentes in suo esse à materia, poterunt in hoc loco amittere suum esse, si adsit aliquid corruptiuum compositi, & in alio loco non amittere, vbi corruptiuum non adest: sicque desinent esse, & non desinent, idque simpliciter: quandoquidem formæ pendentes in suo esse à materia, quandocunque in materia esse desinunt, simpliciter esse desinunt, quod idem de omnibus formis inanimatorum colligi potest.

*Tertium.*

Tertio plures formæ humanæ non possunt vllo modo simul esse in eadem materia: ergo pari ratione neque eadem forma humana in pluribus materiis, & sic de cæteris: videtur enim par ratio. Antecedens ex eo patet, quia nulla potentia effici potest, vt vnum suppositum dicatur de altero: quod tamen necessario videtur concedendum, si duæ formæ humanæ sint in eadem materia, ex quarum informatione necessariò resultabit duplex natura humana dupléxque suppositum. Nam vt dicimus, hoc album esse hoc dulce, ostenso lacte, quia hæc albedo & hæc dulcedo sunt in eodem lacte: ita necessario videtur concedendum, fore vt suppositum quod resultabit ex hac forma humana, & hac materia (quod vocetur Paulus) dicatur de supposito resultante ex illa alia humana forma, & eadem materia (quod dicatur Petrus) sitque vera hæc prædicatio: Petrus est Paulus, quia vtriusque forma erit in eadem materia. Quod autem nulla potentia effici possit, seu (quod eodem redit) contradictionem implicet, vnum suppositum dici de alio, ex eo patet, quia suppositum nihil est aliud, quàm substantia per se subsistens incommunicabilis: quicquid autem huiusmodi est, si non tantum de se, sed etiam de alio eiusdem rationis dicatur, iam erit communicabile ac proinde communicabile & incommunicabile.

*Quartum.*

POSTREMO contra eandem sentētiam videntur facere duo prima argumenta, quibus confirmauimus, formam eandem numero in pluribus numero



ribus numero materiis naturaliter inesse non posse, videntur enim probare, ne supernaturaliter quidem id posse fieri. Primum, quia si eadem numero sunt quorum materia est vna, diuersa vero quorum diuersa: cum nulla virtute fieri possit, vt rei non conueniat propria definitio, nulla forma eadem numero in diuersis materiis inesse poterit. Secundum, quia si prima distinctio materiæ fit per diuersas formas substantiales, quis capiat, vnam & eandem substantialem formam, distinctas materias informare posse?

*Dilutio propositarum obiectionum.*

## SECTIO V.

*Solutio primi argumenti.*

HIs tamen obiectionibus sic occurrendum est. Primæ quidem, non esse bonam hanc consecutionem: Eandem numero formam in pluribus materiis esse posse, ergo & idem corpus substantiámve naturalem in pluribus locis. Nam si materia est alia, & alia, iam compositum est aliud, & aliud. Neque enim placet Durandi sententia qui putat tantam virtutem accipere materiam à forma, vt si forma sit eadem numero, materia quoque, ac proinde totum compositum sit idem numero. Nam si anima exempli caussa D. Petri, in generali resurrectione iungatur materiæ D. Pauli, compositum erit præcipua ex parte idem quod D. Petrus, non tamen erit simpliciter idem, nisi id intelligatur per Synecdochen: quo pacto nunc dicimus D. Petrum esse in cœlo: quia ibi est eius anima. Ratio vero huius rei est, quia coniunctio materiæ, quæ fuit D. Pauli cum anima D. Petri, non efficiet, vt talis materia incipiat esse illa, quæ fuit D. Petri, alioqui si nunc materia D. Petri annihiletur, eadem numero redibit sine noua creatione. Quod si corpus sumatur pro ipsa magnitudine, fatebuntur fortasse aliqui si forma eadem numero in pluribus materiis insit, planè tunc effici vt idem omnino corpus in pluribus locis contineatur. Dicent enim fortasse eandem numero magnitudinem sequuturam eandem numero formam, quia fit eius proprietas, atque adeo prima ex materialibus. Nobis tamen non videntur sequuturæ naturaliter eandem formam numero in diuersis materiis eædem numero proprietates, sed diuersæ numero: quemadmodum & ipsa composita ex eadem forma & diuersis materiis, non erunt vllum compositum, sed plura: nec si sequerentur eædem numero, putamus vnum incommodum fore, idem corpus numero diuina virtute circumscriptiue contineri simul in diuersis locis, siue sumamus idem numero corpus pro eodem numero composito substantiali, siue pro eadem mole corporea ad prædicamentum quantitatis pertinente: quod idem placet maximæ parti totius scholæ, [a] si à plerisque Theologis negetur.

1. *dist.* 43. *q.* 1

*Durandi opinio reiicitur.*

*Posse idem corpus pluribus locis diuina virtute contineri.*

a *Scot. in* 4. *dist.* 10. *q.* 2. *cab. ibid. q. vnica: & fusè lect.* 46. *supra canone.*

Quo circa ad secundam obiectionem dicendum, haud rectè ab eis colligi, si corpus idem numero circumscriptiue sit in pluribus locis, fore vt possit moueri simul ad contrarias qualitates, aut eas simul habere in esse perfectio: vt si Socrates ponatur in duobus locis, non se-

*Non tamen moueri simul posse ad contrarias qualitates.*

quitur posse illum simul albescere in hoc,& nigrescere in illo,aut esse in hoc perfectè album, in illo autem perfectè nigrum. Caussæ enim agentes in illum ad albedinem hoc loco, & ad nigredinem alio loco se mutuo impedient in agendo, ac proinde vel altera proprium effectum perficiet,vel ambæ simul agent effectum mediũ. Nam etsi agentia distabunt inter se, tamen patiens à neutro distabit, cùm ponatur fore idem numero. Quæ fusè persequitur Scotus huius sentẽtiæ(quantum licet coniicere) primus auctor & assertor, ad distinctionem decimam quarti libri Sentent. quæst. 2.vbi alia plurima de eadem re,posito illo generali fundamento.Quoad formas quidem respectiuas quę sunt simul natura cum loco,vel illo posteriores,posse idem corpus diuersis in locis pati contraria,eáque perfectè habere: vt moueri in contraria loca,sursum simul,& deorsum,ad dextram & sinistram, & cæteras locorum oppositas differentias:esse simul in supremo,& infimo loco, & in cæteris contrariis: quiescere item hic, & moueri alibi:at quoad absolutas & inhærentes in re ipsa non posse pati contraria, vt calescere simul & frigescere, calidum esse simul & frigidum, quod ex prioribus non sequatur contradictio,ex posterioribus sequatur. Nihil enim potest calidum dici, nisi quod vel nihil habeat frigoris cum calore, vel quod plus habeat caloris quàm frigoris, vtrouis autem modo res sit calida, non potest eadem virtute, etiam diuina, esse simul frigida: aut enim nihil haberet caloris, aut plus frigoris, in quo planè cernitur contradictio.

*Ochan. in 4. d.10. q. 4. Marsil. q.7. Rich. Medianil. quæst.2. Alens. in summ. p. 4. q 40. Aluar. in 4. d. 10. Petrus de Aliaco ibid. q.5. & alij.*

*Scotum huius sententiæ primum videri assertorem.*

*Quid nonnulli addant ad superiorem sententiam.*

Sed facetum est, quod quidam adiungunt, si corpus idem extrariis locis in contraria moueatur:vt siquis ex vrbe Roma Venetias petat, & ex Venetiis Romam,cum ventum erit ad locum medium, quod idem sibi occurret fore,vt neutra ex parte se impediat ab ingressu in locum medium,vt impediunt diuersi homines, qui non possunt iidem esse in eodem loco:erit enim,inquiunt,idem homo. Non animaduertunt videlicet,fore hoc pacto vt in momento quo veniens & iens adæquate fuerit in vno loco, facies sit eadem cum occipite,& pars dextra eadem cum sinistra,quæ ridicula sunt,& fieri nullo modo possunt. Itaque non illud dicendum, sed eundem venientem & euntem seipsum impedirum ab ingressu in locum medium, sibíque ipsi cessurum in media via, si transilire velit eodem tempore per medium locum. Sunt hæc mira, sed quæ posito miraculo sequuntur, nec contradictionem, ac proinde veram & absolutam repugnantiam inuoluunt.

*Quid verè dicendum.*

*Maior difficultas circa cõmune duobus in locis existentem.*

Illud est difficilius. Num idem cum Venetiis simul & Romæ erit, videbit eodem tempore omnia quæ sibi obiecta erunt in vtroque horizonte:& illud num idem distinctè audiet,quæ hic,& ibi coram se dicentur.Cur enim non videat,cur non audiat,cum æquè præsens sit.At vt videat,atque audiat vtraque,videtur opus esse dupla virtute, quemadmodum, & centuplo maiore,si simul centum occuparet loca. Sed dicendum,non fore vt videat omnia, aut vero audiat, nisi confuse admodum si vtrique velit applicare animum.Quod si his vel illis tantum velit attendere, ea sola distinctè percipiet. Atque hæc obiter:reliqua ex Scoto,& recentioribus petenda.

*Soluitur.*

Cum



Cum autem eidem formæ in diuersis materiis virtute diuina positæ accommodatur argumentum:respondendum est, si eadem anima humana in diuersis corporibus ponatur:fieri non posse,vt in vno lætetur de amici præsentia, & in alio de eiusdem absentia doleat, si hoc intelligamus de amici præsentia & absentia respectu ipsius animæ, neque enim amicus illi erit absens,si vel vno tantum in loco sit præsens,cum eadem sit vtrobique.Quod si intelligatur de præsentia & absentia non respectu animæ,sed respectu loci,nihil repugnat eandem animam Romæ existentem in vno corpore, & Venetiis in alio,& lætari quod amicus Romæ sit,& dolere quod non sit Venetiis:neque enim affectus hi repugnant inuicem,sed potius sibi sunt consentanei in anima optante, vt amicus vtroque in loco existat.

*Lætitia & dolor in eadem anima quo pacto simul esse possint, vel non possint.*

Ad illud de anima equi, & cæteris dependentibus in suo esse à materia,atque adeo de formis omnium inanimatorum, respondendum: non fore,vt simul desinant esse simpliciter, & non desinant esse simpliciter corruptis videlicet compositis in vno loco, & non corruptis in alio:neque enim verum est,formam pendentem in suo esse à materia, desinere esse simpliciter corrupto composito, nisi illud sit vnicum. Nam si ea sit forma multorum,etsi desinat esse in vno,non tamen simpliciter esse desinet,si permaneat in alio.

*Altera pars secundi argumenti soluitur.*

Ad tertiam obiectionem dicendum, etsi modo aliquo dispar sit ratio in vna numero materia,vt subsit pluribus formis humanis,atque in vna numero forma humana,vt insit in pluribus materiis: vtrumque tamen esse possibile virtute diuina. Vt enim ex hoc, ita ex illo nulla colligitur implicatio contradictionis. Cum autem obiicitur, si duæ formæ humanæ eandem numero materiam informent, fore vt vnum suppositum dicatur de altero propter identitatem subiecti vtriusque formæ,quemadmodum hoc album & hoc dulce de se inuicem dicũtur propter identitatem subiecti vtriusque accidentis:negãda est sequela, allatúmque exemplum esse simile. Nam etsi identitas subiecti duarum formarum siue substantialium, siue accidentalium, facit vt connotatiua ex iis formis ducta de se inuicem prædicentur: quo pacto posita duplici humana forma in eadem materia, non minus verè dixeris hoc informatum seu affectum hac forma humana, est affectum illa, quam dicimus hoc album, est hoc dulce, ostenso eodem subiecto albedinis & dulcedinis,tamen non facit vt composita ex tali subiecto & duplici forma,de se mutuo prædicentur. Nam nec composita ex diuersis formis substantialibus & eadem materia, neque item ex diuersis accidentibus & eodem subiecto de se inuicem prædicari possunt,vt dicere liceat hoc compositum substantiale, est illud compositum substantiale,aut hoc compositum accidentale,est illud compositum accidentale. Nunc autem hoc album, & hoc dulce non significant composita ex accidentibus & subiecto communi vtrique,sed sunt connotatiua significantia formas accidentales,& connotantia subiectum:at nomina hæc Petrus & Paulus in proposito casu non erunt connotatiua,sed absoluta, quæ significabunt composita quædam ex diuersis formis & communi vtriusque materia. Est & alia ratio cur hoc al-

*Solutio tertiæ principalis. Vnam formã humanam in pluribus materiis, & plures in vna simul esse posse diuina virtute.*

*Connotatiua vt de se inuicem dicãtur.*

*Alia ratio notanda.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



bum dicatur de hoc dulci propter commune subiectum vtriusque accidentis, Petrus autem & Paulus in prædicto euentu non dicentur de se inuicem propter communem materiam vtriusque formæ, quia inquam in hoc albo & hoc dulci, commune subiectum vtriusque accidentis, pro quo vtrunque nomen sumitur, est per se subsistens, vt pote prima aliqua substantia suppositúmque quod habet per se subsistentiam: in Petro autem & Paulo, sic resultantibus, nec ipsa communis materia vtriusque formæ esset aliquid per se subsistens, nec nomina Petri & Pauli pro ea sumerentur supponeréntve, vt recentiores loquuntur. Quod si vtriusque humanitas ad subsistentiam alicuius diuinæ personæ assumeretur, nempe prius natura, quàm ex illis resultarent duo suppositа: tum demum dicere possemus Petrum esse Paulum propter idiomatum communicationem, quia idem esset vtriusque suppositum, diuinum scilicet, quod non solum in diuina natura, sed etiam in vtraque humana susisteret. Neque obesset, quod Petrus & Paulus essent duo composita ex duabus naturis humanis & personalitate diuina: ex qua re fieret, vt de se inuicem, quatenus essent diuersa composita dici non possent, vt ex dictis patet. Nomina enim Petri & Pauli in eo euentu, etsi significarent huiusmodi composita, haberent tamen rationem connotatiuorum, quatenus significarent naturas quasdam, quæ possunt adesse & abesse à supposito diuino à quo tum sustinerentur, & pro quo supponerent de qua re susiùs quæstione vltima, ad caput octauum.

*Petrus & Paulus quo dato miraculo, de se inuicem prædicari possent.*

Sed quærat aliquis. Num id quod probatum est, posse formam eandem numero inesse in diuersis numero materiis: intelligendum sit de solis materiis eiusdem speciei, an etiam de specie diuersis, Cui quæstioni respondendum est, non esse intelligendum de specie diuersis. Nam forma substantialis, de qua loquimur, non potest informare materiam, nisi efficiendo cum illa compositum aliquod per se, hoc est, vnius essentiæ: cùm igitur actus non faciat vnum per se cum potentia inepta ad illum recipiendum, & materiæ diuersarum specierum distinguantur per habitudinem ad diuersa genera formarum ad quas solas aptitudinem habent: fieri non potest vt forma vnius generis informet materiam quæ respondet formis alterius generis. Itaque fieri non potest vt forma cœli informet materiam corruptibilium, aut forma rei corruptibilis materiam cœli, aut verò forma vnius cœli informet materiam alterius cœli, si diuersorum cœlorum materiæ differunt specie. Poterit quidem forma eadem numero per diuinam potentiã coniungi cum hac materia ad se recipiendam apta & cum illa inepta, ita vt simul sit cum vtralibet, & ab vtralibet indistans: non informabit tamen materiam ineptam, vt actus substantialis potentiam substantialẽ, sed fortè sustentabitur ab illa in suo esse diuina virtute, vtente eiusmodi materia ad formæ conseruationem, si forma sit ex iis quarum esse pendet à materia. Hoc ferè modo etsi Deus ponat qualitatem eam quæ est actus audiendi in oculis, & eam quæ est actus videndi in auribus, informabunt illæ quidem eas partes eísque ineruntvt subiectis, at non informabunt potentias earum partium, quia tales potentiæ non habent

*Quæstio annexa præcedenti.*

*An forma eadem numero possit esse in materiis specie diuersis.*

*Non posse.*

*Forma cœli nequit informare sublunarem materiam, neque sublunaris forma cœlestem.*

*Actus audiendi in oculis positus quid ageret.*



habent aptitudinem ad tales actus: vnde per eiusmodi qualitates ita positas, neque oculi audient, neque aures videbunt.

Ad quartam obiectionem dicito, Aristotelem definiuisse ea quę sunt vnum numero per ea quæ naturaliter accidunt: similitérque primam materiæ distinctionem quæ naturaliter fit, per diuersas vtique formas substantiales fieri. Nihil tamen obstare quominus supernaturali Dei virtute spectata, aliter definiri possint ea quæ sunt vnum numero, quam per materiam vnam: alitérque primam materiæ distinctionem posse fieri, quàm per formas substantiales diuersas: vt si Deus creet duas materias sine formis, aut materiam lapidis exuat omni forma substantiali & accidentali, deinde illam diuidat, aut etiam in materia lapidis relinquat solam quantitatem, ad cuius deinde partitionem materiam partiatur.

*Solutio quarti argumenti principalis.*

Quod autem obiicitur, ne virtute quidem diuina fieri posse vt rei definitæ non conueniat propria definitio, verum quidem est, si definitio tradatur per ea quæ absoluta, & non solum naturali necessitate conueniunt: qualis erit definitio eorum qaæ sunt vnum numero, si per verum ac primum indiuiduationis principium tradatur, de quo ad cap. sextum fusè disputandum est.

*Definitio definito qua ratione semper conueniat.*

*Responsio ad argumenta initio proposita.*

## SECTIO IV.

*Soluuntur argumenta posita sect. 1. q.*

AD argumenta vero ea, quæ pro parte affirmatiua initio quæstionis proposita sunt, quatenus videntur probare, etiam naturaliter fieri posse vt eadem numero forma in pluribus materiis insit, hunc in modum respondendum.

Ad primum quidem formam specificam non posse informare simul diuersas materias sine sui diuisione in plures numero formas: quo pacto & ipsa iam est plures numero, & non vna tantum. 1.

Ad secundum dices, formam viuentis non informare plures materias, nisi fiant vna & eadem per continuationem, vt superius dictum est. 2.

Ad tertium respondebis, cum viuenti perfecto caput abscinditur, fieri generationem nouarum formarum in capite & in reliquo corpore: non quidem semper propter defectum earum qualitatum quæ requiruntur ad conseruationem formæ præcedentis, aut propter defectum illarum proportionis (fieri enim potest vt tam celeri motu acutóque gladio amputetur caput, vt immediatè post ictum, eadem qualitatum dispositio remaneat in partibus diuisis, quæ erat in vnitis) sed propter defectum vnionis partium quarundam necessario requisitarum: vt enim forma viuentis perfecti postulat certas qualitates certámque earum proportionem in his aut illis partibus: ita & quarundam earum inter se vnionem: qua sublata, perinde necesse est abiici formam, ac si tollerentur debitæ qualitates, earúmve ad formam accommodata proportio. Quod autem sæpè eæ partes separatæ à se inui- 3.

*Cur abscisso capite viuentis perfecti, noua semper forma resultet.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



cem, videntur motum vitalem habere, non alia de caussa prouenit, nisi quia aliquando post separationem ad breue admodum temporis spacium remanent in eis spiritus animales, qui palpitationem & alios quosdam motus vitalibus similes efficiunt: idque propter dispositionem qualitatiuam tantisper in materia perseuerantem.

*Non est probabile dari plures formas partiũ in eodem viuente.*

Ad quartum dicendum, non esse parem rationem in efficiente & fine, cùm sint caussæ externæ, atque in materia & forma, quæ sunt internæ. Quod si materia eadem numero diuersis numero formis simul informatur, vt credunt ij qui ponunt in eodem viuente [a] formas partium integrantium diuersas, & in toto [b] etiam plures totales, veluti formas elementorum per totum diffusas, formámque mistionis, & animam ipsam (quæ nobis tamen non probantur) certè non potest naturaliter informari solo numero diuersis. Quare nihil mirum est, si nec forma eadem numero plures materias numero diuersas, naturaliter informare possit, tametsi supernaturali virtute id præstare queat. Quod si forma non potest naturaliter plures materias solo numero diuersas informare, ergo nec specie diuersas, cum materiæ diuersarum specierum non habeant aptitudinem, vt informentur ab eadem specie forma. Reliqua quæ in eodem argumento attinguntur, nihil habent difficultatis iuxta nostram sententiam. Dicimus enim, omnes partes integrantes viuentium esse continuatas inter se se, quia vna tantùm forma informantur, non item truncum arboris cum surculo inserto, quia nulla est eadem forma substantialis in vtroque: quamquàm fieri diuina virtute potest vt continuentur vna & eadem numero superficie.

a *Superiùs citati.*
b *Auic. l. de suff. c. 10. & Auerr. cap. de cœlo. com. 67.*

*Omnes viuentium partes, integrantes esse cõtinuatas inter se.*

*Quomodo ex Platonis sententia mundi anima posita.*

Ad opinionem Platonis de anima mundi, crediderim dicendum, non putasse illum esse formam informantem, sed assistentem, vt colligi potest ex iis quæ docet in Timæo. Animam autem, inquit, in mundi medio collocauit, pérque totum tetendit, atque ea corpus ipsum etiam extrinsecus circumtexit, &c. Quod si voluit esse re vera informantem, nil magis id mirum videri debet, quam quod de transmigratione animarum in varia corpora cum Pythagoricis existimauit, rem sanè fabulis anilibus similem.

*Lege Platonem in Phædone.*

*Solũntur argumenta partis negatiuæ: quatenus traditæ doctrinæ videntur officere.*

Ad ea verò quæ allata sunt pro parte negatiua, quatenus videntur concludere, ne supernaturaliter quidem formam eandem plures materias informare posse, dicendum est, primum argumentum nihil conficere. Admissa enim vtcúmque propositione hac, si data forma potest duas numero materias informare, poterit & plures, atque adeo infinitas, negandum est inde effici, datam formam esse virtutis infinitæ. Neque enim potest virtute propria quæ finita est informare duas, sed diuina quæ infinita, qua quidem nihil repugnabit fortasse informare infinitas, si dentur: quemadmodum nil repugnat intellectui finitæ virtutis intelligere infinita obiecta, si infinita Dei virtute ad id muneris eleuetur, vt patet in anima Christi Domini.

*Fortè non repugnat ab vna forma, diuina virtute infinitas materias si dentur informari.*

*Exemplo intellectus.*

*Locus vt capiat locatũ.*

Argumentatio verò Aristotelis de loco, neque ad rem est, nec concludit. Non est ad rem, quia quanta virtute potest locus capere vnum corpus, tanta, nec maiori potest capere plura, & infinita etiam si dentur.



tur. Itaque non opus habet ad eam rem virtute maiori, quàm naturali, si modo tollatur supernaturali virtute repugnantia naturalis ipsorum corporum inter se, vt plura sint in eodem loco. At forma indiget supernaturali virtute ex parte sui, vt plures materias informet. Non concludit autem, quia etsi hactenus rectè argumentatur Aristoteles si locus idem capit duo corpora, capiet & plura, atque adeo infinita, ramen illa est vitiosa consecutio. Atqui impossibile est dari corpora infinita, ergo & duo corpora in eodem loco. Nam quemadmodum fatemur diuina virtute fieri vt duo corpora sint in eodem loco, quod fides orthodoxa tradit: ita non negamus si darentur infinita corpora, fore vt omnia possent ex parte loci: in eodem contineri. Nihil enim repugnat ex parte loci, vt ex dictis patet quin plura in eodem contineantur, siue ea finita sint, siue infinita. Sed tota repugnantia est ipsorum corporum inter se, naturalis tamen quatenus vnum naturaliter excludit, alterum ex eodem spatio. Quare cum hæc naturalis repugnantia supernaturali virtute superari possit: reliquum est vt non alia de caussa repugnet, simpliciter infinita corpora esse in eodem loco, nisi quia repugnat simpliciter dari actu in rerum natura corpora infinita, quod Aristoteles se demonstrasse existimat, nósque ostendere conabimur ad librum huius operis vndecimum.

*Si corpora darentur infinita, an ex parte loci cõtineri omnia possent in eodem.*

3. *Physicorũ cap. 25. tex. 40.*

Ad secundum & tertium dicendum, si quid ea probant, nihil aliud conficere, quàm quod naturaliter id fieri non possit. Neque enim simpliciter ac omnino repugnat, rem quæ iam corrupta est, eandem numero iterum redire: aut animam migrare ex vno corpore in aliud corpus, cum illud in generali resurrectione expectemus, hoc autem contradictionem nullam inuoluat. Atque hæc de natura disputata sint hoc loco.

CAP.

Universidad de Deusto
Biblioteca



## CAPITIS QVINTI EXPLANATIO.

*Partes totius capitis.*

NECESSARIVM a *id dicitur.* Posita multiplicitate causſarum, & naturæ, docet in hoc capite quot modis dicatur necessarium. Est enim necessitas affectio quædam, quæ magna ex parte consequitur causſas, præsertim naturales. Tradit ergo primum quatuor modos necessarij, Deinde reuocat tres priores ad quartum, quasi ad caput & originem, ipsúmque latius explicat. Postremo colligit quædam ex iis quæ de necessario docuerat. Necessariũ primo modo dicitur, id quod etsi nõ est causſa rei, sic tamen illam comitatur, vt absque eo, res viuere, aut omnino esse nõ possit. Nam etsi hoc loco solius vitę, sit mentio, inferius tamen cum hic modus ad quartum reducitur, ipsum quoque esse commemoratur. Ac exẽpla proposita in contextu, rem omnino faciũt, perspicuam in viuẽtibus. In rebus autem vitę expertibus, exẽplũ esto calor ignis, aut etiam spiraculum, quod si nullũ sit, breuiter extinguitur.

*Necessarium primo modo.*

ΚΕΦ. Ε'

Text. 6. Ἀναγκαῖον a λέγεται, ὃ ἄνευ οὐκ ἐνδέχεται ζῆν ὡς συναίτιόν: οἷον τὸ ἀναπνεῖν, καὶ ἡ τροφὴ τῷ ζῴῳ ἀναγκαῖον: ἀδύνατον γὰρ ἄνευ τούτων εἶναι καὶ b ὧν ἄνευ τὸ ἀγαθὸν μὴ ἐνδέχεται ἢ εἶναι, ἢ γενέσθαι, ἢ τι κακὸν ἀποβαλεῖν, ἢ φθαρῆναι: οἷον τὸ πιεῖν τὸ φάρμακον ἀναγκαῖον, ἵνα μὴ κάμῃ, καὶ τὸ πλεῦσαι εἰς Αἴγιναν, μὴ ἀποβάλῃ τὰ χρήματα. ἔτι c τὸ βίαιον, καὶ ἡ βία: τοῦτο γάρ τι τὸ παρὰ τὴν ὁρμὴν καὶ τὴν προαίρεσιν ἐμποδίζον καὶ κωλυτικόν. τὸ γὰρ d βίαιον, ἀναγκαῖον λέγεται: διὸ καὶ λυπηρὸν ὥσπερ καὶ Εὔηνος φησὶ: πᾶν γὰρ ἀναγκαῖον πρᾶγμα ἀνιαρὸν ἔφυ. καὶ e ἡ βία ἀνάγκη τις, ὥσπερ καὶ Σοφοκλῆς λέγει, Ἀλλ' ἡ βία μέ ταῦτ' ἀναγκάζει ποιεῖν. καὶ f δοκεῖ ἡ ἀνάγκη ἀμετάπειστόν τι εἶναι ὀρθῶς: ἐναντίον γὰρ τῇ τῆς προαιρέσεως κινήσει, καὶ τῇ

Atque necessarium hoc pacto dici solet necessarium ad esse, siue vt res sit.

*Necessarium secundo modo.*

b *Et ea sine quibus.* Secundo modo id necessarium dicitur, sine quo nec bonum comparari aut conseruari, nec malum abiici, aut vitari potest. Qui modus iuxta Auerrois sentẽtiam ea ratione differt à superiori, quod ille in rebus naturalibus, hic in voluntariis cernitur. At cum vterque reperiatur in vtroque genere (natu & necesse esse vt arbores frondescant, si earum fructus ab iniuria cœli tutandi sunt, ad posteriorem spectat, & necesse esse vt prauis cupiditatibus repugnet qui beatus futurus est, ad priorem pertinet) potius ea ratione distinguendi erunt, vt necessarium priori modo dicatur necessarium, vt res sit (quemadmodum diximus) posteriori autem, vt bene, aut commode sit. Vnde fit, vt cum vterque modus ex fine ducatur, vtroque, necessarium possit appellari vtile, quasi conducens ad finem, tametsi vtilis vocabulum sæpius posteriori quàm priori tribuitur, & neutri accommodari potest, cum vtile à necessario distinguitur. Ex his quoque patet non ea ratione distinguendos esse hos duos modos necessarij, quod prior dicatur ex causſa materiali, posterior ex finali, vt quidam existimant.

*Hoc loco.*

*Albert. lib. tract. 3. cap. 6.*

*Necessarium tertio modo.*

c *Præterea violentum.* Tertio modo necessarium dicitur id, quod violentum est, & vis etiam ipsa, seu violentia: quanquam vis potius dicitur necessitas (vt eam paulò pòst vocat Aristoteles) quam necessaria. Violentum autem, vt hoc loco definitur, est id, quod impedit, aut prohibet rem contra propriam illius propensionem aut electionem, ne scilicet eo modo se habeat, quo secundum naturalem inclinationem aut propositum haberet.

*Violentum duobus modis sumi.*

Quo loco aduerte, violentum duobus modis sumi posse, vno pro eo, quod vim infert, quo pacto Cicero Antoniũ vocat violentũ ac furentem: atque hoc modo is qui sursum lapidẽ proiicit, dicitur violẽtus. Altero pro eo, quod vnaquæque

*Philippica secunda.*



quæque res per vim agit, aut patitur, quo pacto motus lapidis ex inferiori loco, & quies in superiori dicuntur violenta. Cum ergo violentum dicitur hoc loco necessarium, non est violenti nomen sumendum priori modo, sed posteriori: id enim quod infert vim, non dicitur necessariũ, sed necessitans vt Scholastici loquuntur. Quo fit vt nõ rectè hoc loco pro violento, alij quod vim afferat, alij quod vim facit transtulerint. Quod siquis pro illis obiiciat violẽtum mox definiri ab Aristotele, *quod impedit ac prohibet, &c* quæ verba de eo, quod vim infert necessario videtur intelligenda, dicito illud [impedit ac prohibet] non effectiuè sed formaliter acipiendum esse, nempe eo modo, quo contrariæ qualitates in esse perfecto, seu quo simpliciter possunt denominare subiectũ, se se mutuo expellere dicuntur ab eodem subiecto, seséque inuicem impedire. Hoc enim modo id, quod res quæque per vim patitur, impedit ac prohibet id ad quod res propensa est: quo pacto dictum est, motum ex infero loco, & quietem in supero, impedire naturalem lapidis quietem. Illud autem prætereundum non est, cum dicitur [præter propensionem, quod Græcè est παρὰ τὴν ὁρμὴν, explicari violentiam, quæ obsistit naturali inclinationi, tametsi verbum ὁρμὴ liberam quoque inclinationem significat: cum autem dicitur [electionémque.] explicari eam quæ obsistit liberæ seu voluntariæ propensioni.

*Pirion & antiquus interpres.*

## CAPVT V.

Text. 6. NEcessarium a *id dicitur, sine quo vt concaussa fieri non potest, vt viuatur, quo pacto necessaria sunt animali respiratio, & alimentum, cum sine his esse non possit. Et ea* b *sine quibus fieri nequit, vt bonum aut sit, aut fiat: vel malum aliquod amoueatur, aut non adsit. Hoc modo necessarium sit alicui medicatam potionem bibere, ne ægrotet: & in Aeginam nauigare, ne pecunias amittat. Præterea* c *violentum, & vis ipsa: hoc vero est, quod præter propensionem, electionémque impedit ac prohibet. Quod* d *enim violentum est, necessarium dicitur, quo fit vt molestum sit, quemadmodum & Euenus ait. Quod enim est necesse, id, cuique molestum accidit. Et* e *vis necessitas quædam est, quemadmodum & Sophocles ait: At hæc coegit vis, me inuitum facere. Videturque* f *necessitas quiddam esse, quod persuasioni nihil cedat: & rectè quidem, voluntatis enim, rationisque*

3. Ethico. ad Nicomach. cap. 1. & 1. Rhetoric. ad Theodecten. cap. 11.

d *Quod enim violentum.* Ex eo confirmat violentum dici necessarium, quod molestum sit, & sæpè dolore afficiat, vt ipse alibi non semel docet. Omnis enim res necessaria, hoc est, quam quisque agere aut pati cogitur, molesta est, vt Euenus poëta inquit.

*Vim esse necessitatem.*

e *Et vis necessitas.* Quemadmodum testimonio Eueni confirmauit, violentum dici necessarium, ita nunc senario quodam Sophoclis docet, vim seu violentiam, dici necessitatem. Quo loco aduerte, vim tum actiuè, tum etiam passiuè posse accipi. Si actiuè sumatur (vt pro actione proiiciendi lapidem ex infero loco, aut detinendi in supero) ita dicetur necessitas, vt non dicatur necessaria, nisi forte ex accidente, vt si quid cogatur vim inferre. Atque hoc pacto sumitur vis apud Sophoclem. Si verò passiuè (vt pro ipso motu lapidis ex infero loco, aut quiete in supero contra res habebit. Ita enim dicetur necessaria, vt non dicatur necessitas, nisi forsitan impropriè, quemadmodum si rem contingentem appelles contingentiam. Quæ eadem distinctio in verbo [Necessitas] non solum fieri potest, sed etiam debet, vt mox patebit.

*Locus hic*

f *Videturque necessitas.* Vt docuit omne necessarium esse molestum, ita nunc docet omnem necessitatem esse eius conditionis, vt sub dissuasionem cadere non possit. Loquitur autẽ de necessitate non actiuè sumpta (hæc enim sæpe cadere potest sub dissuasionẽ, vt si latronem, ratione auoces à scelere) sed passiue. Nam quæ non possumus non perpeti, non sunt materia dissuasionis. Frustra enim vapulanti suadebis ne vapuret, cum ille iam à vapulando & mente, & voluntate abhorreat, nec tamen id minus perferat. Atque hoc pacto intelligendũ

*Illustratur a 10 ex Aristotele. 3. lib. Ethicorum.*

esse hunc locum dissentientibus inter se interpretibus, planè colliges ex iis, quæ Aristoteles 3. Ethic. lib. c. 5. scripta reliquit. *Ad ea, inquit, agēda, quæ nec in nostra sunt potestate, nec nostra sponte fiunt, nemo prorsus quemquam hortatur, quippe cum vanum sit persuasum esse cuipiam non calere, aut non dolere, aut non esurire, aut quidvis aliud tale, cum nihil, minus hæc ipsa patiatur.* Hæc de tertia necessarij vsurpatione quę ex efficiente caussa dicitur, quemadmodum ex fine priores duæ, vt diximus.

*Tertium modum necessarij presſius fuisse traditū*

Illud tamen aduerte Aristotelem pressius tradidisse hanc tertiam necessarij vsurpationem, quàm potuisset. Neque enim id tantum dicitur necessarium ratione efficientis caussæ, quod per vim efficitur, sed etiam, quod naturaliter, cuiusmodi est viuentis accretio, eũ calor naturalis plus conuertit alimenti, quam amittatur substantię viuentis. Videtur autẽ Aristoteles hanc partẽ tertij modi prætermisisse, ne in eo comprehenderet aliquid necessarium simpliciter. Instituit enim in his prioribus tribus modis agere de solis necessariis secundum quid: dilatis in quartum modum necessariis simpliciter: non est autẽ dubium quin multa comprehendisset in hoc tertio, quæ existimabat necessaria simpliciter, si caussam efficientem ad naturaliter efficientes exténdisset. Putauit enim motum cæleſtem, & alia pleráqua quæ re vera sunt necessaria ex hypothesi caussarum naturaliter efficientium, esse necessaria simpliciter, quia credit hypothesim esse necessariam simpliciter, ipsam videlicet actionem caussarũ, à quibus ista pendent. Etenim si actio caussæ est necessaria simpliciter, effectus etiam est necessarius simpliciter. Nullum tamen foret incõmodum, si diuersis rationibus res easdẽ in duobus modis necessarij comprehendisset: in hoc quidẽ, quia essent necessariæ ex hypothesi caussarum efficientiũ naturaliter: in quarto autẽ, quia ipsius sententia essent necessarię simpliciter, quemadmodũ & hypothesis ipsa.

*Aristot. motũ Cœli simpliciter necessarium putauit*

*Quartus motus necessarij.*

g *Præterea id quod.* Quartus extremúsque modus necessarij est, quo necessarium dicitur id quod aliter habere non potest, cuiusmodi est, Deum esse, hominem esse animal: hominem esse rationis participem, mortalem, & similia. Ducitur autem huiusmodi necessarium non ex sola caussa formali (quod Albertus docet, vt singulos necessarij modos singulis caussarum generibus accommodet,) sed ex tota rei natura, aut ex aliqua interna caussa, vt ex propositis exemplis licet intelligere.

*In hunc locum.*

*Ad quẽ tres priores modi reuocantur.*

h *Atque ex hoc necessario* Reuocat ad quartum necessarij significatũ tria priora, quia necessarium prioribus modis, est necessarium secundũ quid: quod non dubium est quin ad necessarium simpliciter reuocandũ sit, quemadmodũ candidũ secundum quid ad candidũ simpliciter. Vt enim Ethiops non dicitur cãdidus nisi quatenus parte quadam aspectũ dispertit, quæ est ratio candidi, ita necessariũ prioribus tribus modis non dicitur necessariũ, nisi quatenus facta hypothesi alicuius caussæ externæ, aliter se habere nõ potest, quę est ratio necessarij simpliciter. Quo fit, vt merito Aristoteles dicat, cætera necessaria ratione huius extremi significat, modo aliquo necessaria appellari, quia per quã dẽ eius participationẽ necessaria dicuntur. Alioqui nemo dixerit necessarium esse, vt

καὶ κατὰ τὸν λογισμόν. ἔτι ᾗ τὸ μὴ ἐνδεχόμενον ἄλλως ἔχειν, ἀναγκαῖον φαμὲν ἔχειν ὅτως.

Καὶ ἡ κατὰ τοῦτο τὸ ἀναγκαῖον. ὡς πάλαι λέγεται ὅτως ἅπασα ἀναγκαία. τό, τε ἐξ βίαιον λέγεται, ἃ ποιεῖν, ἃ πάσχειν τότε, ὅταν μὴ ἐνδέχηται κατὰ τὴν ὁρμὴν, ἀλλὰ τὸ βιαζόμενον, ὡς τοῦτο ἀναγκαῖον ὄσαν, ἀλλ' ἢ μὴ ἐνδέχεται ἄλλως. καὶ ἐπὶ τῶν συναυτόματ ἔζην, καὶ τὸ ἀγαθὸν ὡσαύτως. ὅταν μὲν ἐνδέχηται, ἐνταῦθα μὴ τὸ ἀγαθὸν, ἐνταῦθα εἶναι τὸ ζῆν, καὶ τὸ εἶναι ἀνάγκη τίνων, τοῦτο ἀναγκαῖα. καὶ ἡ αἰτία, ἀνάγκη τίς ἐστιν αὐτῶν. ἔτι ἡ ἀπόδειξις τῶν ἀναγκαίων, ὅτι ὐκ ἐνδέχεται ἄλλως ἔχειν, εἰ ἀποδέδεικται ἁπλῶς. τοῦτο δὲ αἰτία τὰ πρῶτα ἀ ἀδιάλειπτον ἄλλως ἔχειν, ἐξ ὧν ὁ συλλογισμός.

Τῶν μὲν οὖν, ἕτερον αἴτιον τὸ ἀναγκαῖον εἶναι, τῶν δὲ, οὐδέν, ἀλλὰ διὰ ταῦτα, ἕτερά ἐστιν ἐξ ἀνάγκης, ὡς τε τὸ πρῶτον, καὶ κυρίως



esse vt animal cibum, ægrotus pharmacum sumat, aut lapis ascendat. cùm ne illud quidem necessarium sit, vt hæ ipsæ res existant. Reuocat ergo Aristoteles primo quidem tertium necessarij significatum, deinde primũ ac secũdum.

i *Illic vita, atque esse.* Progreditur Aristoteles à vita ad esse, veluti ab esse, viuentium ad esse aliarum rerum. Viuere enim, vt ipse ait in libris de Anima, viuentibus est esse.

*2. de Anim. c. 4. text. 36.*

k *Et caussa hæc.* Hoc est, hypothesis suppositione finalis caussæ, quæ quidem est, si res bene accommodè esse, aut omnino esse debeat, hæc inquam suppositio finis, est necessitas, ad alteram è duabus primis necessarij significationibus pertinens. Nam si vita fruenda est, aut etiam iucundè aut commodè, fieri non potest quin sumatur cibus, &c. quo pacto ratio necessarij quarti modi participatur.

*rationi sit, motus aduersatur. Præterea g id quod aliter se habere non potest, necessario se ita habere dicimus.*

*Atq; h ex hoc necessario cætera quoq; omnia modo aliquo necessaria dicuntur. Nam & per vim, aut agere aut pati tunc aliquid dicitur, cum non licet ex propensione, propter id vim affert: quasi hæc sit necessitas, propter quam aliter se res habere non potest.*

*Hoc cap. lect. 6.*

*Et in iis, quæ viuendi & boni concaussæ sunt eodem modo. Cum enim hic bonum, illic i vita, atque esse sine quibusdam non contingunt: tum hæc necessaria sunt, & k caussa hæc, necessitas quædam. In l necessariis quoque numeratur demonstratio, quod aliter res habere nequeat, si simpliciter demonstratum est. Huius autem rei caussa sunt prima ipsa, quæ aliter habere non possunt, ex quibus ratiocinatio.*

*Quorundam m igitur alia caussa est, cur necessaria sint, quorundam nulla: sed propter hæc alia ex necessitate sunt. Qua propter n id primum, ac proprie*

l *In necessariis quoque.* Volunt Alexander & Albertus aliam tradi hoc loco necessarij significationem, qua demonstratio dicatur necessaria, quia id quod demõstratur est necessarium. Potius tamen videtur dicendum cum D. Tho. Aristotelem docere hoc loco ad quem modum pertineat necessitas ea quæ in demonstrationibus cernitur. Videri enim posset sola necessitas rerum, non etiã pronunciatorum ad prædictos modos pertinere. Docet ergo non modo conclusiones quæ simpliciter demonstrantur,

*Necessitas demonstrationis ad quod genus spectet. In hunc locum.*

*Tria ex dictis consectaria.*

nec tantum ex concessis, siue ad hominem (quod demonstrandi genus sæpe libro superiori vsurpatum est) sed multo magis principia quæ sunt illarum caussa, pertinere ad quartum modum, eo quod vtraque simpliciter, & absque vlla hypothesi aliter habere non possint.

*Primum.*

m *Quorundam igitur.* Colligit ex dictis tria consectaria. Primum est, eorum quæ sunt necessaria simpliciter, quædam habere suæ necessitatis caussam, vt conclusiones quæ demonstrantur, quædã ita esse necessaria, vt non sint necessaria propter aliã caussã, sed ipsa sint aliis necessitatis caussæ, veluti principia ex quibus fit demonstratio, modo sint prima simpliciter, siue indemõstrabilia.

*12. Meta. ca. cap. 5. text. 30.*

Idem quoque potest ex rebus ostendi ex Aristotelis sententia, apud quem motus cœlestis est simpliciter necessarius, & tamẽ habet caussam suæ necessitatis. Deus vero ita est necessarius, vt suę necessitatis caussam habere nõ possit.

*Secundum.*

n *Quapropter id* Secundũ consectarium quod ad res pertinet, huiusmodi est. Primum ac præcipuũ necessarium, quod, scilicet omni ex parte siue omninò est necessarium, esse rem simplicem, subaudi [omnino] id enim solũ quod omnino simplex est, nõ potest vlla ex parte aliter atque aliter habere, quod quidẽ est esse omni ex parte necessarium. Quicquid enim aliquo modo cõpositum est, aliquo etiã modo aliter ac aliter se habere potest. Nõ quia quicquid est cõpositum dissolui possit in ea ex quibus compositum, est (substãtiæ enim separatæ non possunt dissolui in eas entitates generum ac differentiarũ ex quibus constant, nec itẽ Cœli naturali dissolutione, aut etiam simpliciter Aristotelis sententia) sed quia quicquid aliquo modo est cõpositũ, aliter atq; aliter habere

Universidad de Deusto
Biblioteca



potest, vel secundum substantiam, vt Socrates, vel secundum aliquod accidens vt Cœli secundum motũ hodiernum, & substantiæ separatæ secundũ aliquem actum, siue intellectus aut voluntatis, siue externum. Hæc tamen quæ Aristoteles hoc loco potius innuit quã doceat, partim absoluta expositione contextus, partim libro duodecimo explicabuntur.

καὶ κυρίως ἀναγκαῖον τὸ ἁπλοῦν ὄν: τοῦτο γὰρ οὐκ ἐνδέχεται πλεοναχῶς ἔχειν, ὥς γ' οὐδὲ ἄλλως, καὶ ἄλλως: ἤδη ὁ γὰρ πλεοναχῶς ἂν ἔχοι. εἰ ἄρα ἔστιν ἄττα ἀΐδια καὶ ἀκίνητα ὄντα ἐνίοις ἔστι βίαιον, οὐδὲ παρὰ φύσιν.

*Tertium.* o *Ergo si quædam.* Tertium consectarium est, si in rerum natura dentur aliqua entia perpetua ac immobilia (de qua re libro duodecimo

*Perpetuis.*

## VTRVM PRAETER DEVM ALIQVID SIT, NECESSARIVM SIMPLICITER.

### QVAESTIO I.

*Nullam rem præter Deum esse necessariam simpliciter.*

### SECTIO I.

*Ratio quæst. propositæ.*

QVIA non satis tutum videri potest illud, quod hoc capite dictum est, multa esse quæ præter Deum sint necessaria simpliciter, eo quod solus Deus videatur non posse non esse: operæpretium erit, quid hac in re sentiendum sit paucis exponere.

*De quibus quæstio possit intelligi.*

Illud igitur imprimis animaduertendum est quęstionem hanc posse intelligi vel de rebus, vt de Angelis, de cœlis, de animalibus: vel de connexionibus rerum: cuiusmodi sunt, quod Angeli sint substantię corporis expertes: quod Cæli corpora incorruptibilia: quod animalia sensu prædita, quod homo sit animal, quod disciplinæ capax, & similia.

Quod ergo ad res attinet, putauit [a] Aristoteles non modo Deum, sed etiam reliquas substantias separatas, corpora cœlestia, materiam, elementa secundum se tota, & species omnes, saltem quæ ad vniuersi perfectionem spectant, atque adeo ipsum vniuersum, siue mundum, esse res necessarias simpliciter, nec vlla ratione posse non esse: quod ideo sibi persuasit, quia credidit [b] Deum agere ex necessitate naturæ: proinde, vt sol non potest non lucere, ita Deum non posse exhibere hanc rerum vniuersitatem partim immediatè per se, partim per causas medias.

*Assertio prima.*

Dicendum est tamẽ, solum Deum esse rem necessariam simpliciter, vehementérque erasse Aristotelem in opposita sententia asserenda. Deus enim Opt. Max. est agens liberũ immo & liberrimum omnium, nec necessitate vlla siue extrinsecus adhibita, siue ex ipsa natura diuinitatis orta, aliquid extra se produxit, vt lib. 12. latè ostendemus. Quo fit, vt & si ille ab omni æternitate mundum produxisset, nihil tamen præter ipsum necessario existeret, quandoquidem omnia fuissent liberè procreata. Atque hæc sit prior huius quæstionis conclusio.

*Obiectio.*

Sed contra hanc conclusionem sic licet obiicere. In rerum natura dantur

a *Lege Aristot* 8. *Phys. cap.* 1. *vsque ad tex.* 15. *&* 1. *de Cælo t.* 8. *à tex.* 96. *&* 12. *Metaph. cap.* 6. *à tex.* 30. *& aliis in locis.*

b 9 *Met. cap.* 9. *text.* 17. *&* *lib.* 12. *cap.* 6. *text.* 30. *&* 2. *de Cælo t.* 3. *tex.* 17.



*cap. & seq.* duodecimo disputabit) nihil illis posse accidere violentum, aut (quod explicationis caussa ponitur) præter naturam, id est, contra naturam. Hoc pronunciatum ex dictis etiam patet. Quicquid enim per vim accidit, contra naturalem propensionem accidit, vt ex violenti explicatione perspicuum est: quod autem contra naturalem propẽsionem accidit, id, aut dissoluit rem aut certe ad dissolutionem disponit: si ergo in rerum natura dantur entia perpetua ac immobilia, fit vt nihil illis accidere possit violentum, siue contra naturam.

*& immobilibus nihil accidere violẽtum.*

*ac propriè necessarium est, quod simplex: hoc enim pluribus modis habere nequit. quare neque aliter, ac aliter, iam enim pluribus haberet modis. Ergo si quædam sunt sempiterna & immobilia, eis nihil violentum est, nihil præter naturam.*

---

dantur duo quædam spatia infinita, alterum successiuum, quod ab æterno fuit & in æternum erit: alterum extensiuum quod respectu nostri in omnem partem infinitè extenditur, sursum, deorsum, & in cæteras loci differentias: hæc autem sunt simpliciter necessaria: dantur igitur aliæ res præter Deum simpliciter necessariæ. Maior ex eo patet, quia spatia hæc non sunt fictitia, sed vera: alioqui nec successiuum spatium vere excederet durationẽ motus cœlestis, qui & cœpit & finiendus est: nec item extensiuum superaret locum, siue spatium quem mundus hic corporeus occupat, quæ planè falsa sunt, & absurdissima. Aequè enim potuit Deus in alia priori parte spatij successiui mundum condidisse, & extra hanc partem extensiui eumdem collocasse. Minor autem ea ratione probatur, quia ne potestate quidem diuina fieri potest vt hæc spatia non sint: alioqui neque vllus motus esse posset, nec locus vllus: siquidem nec motus absque spatio successiuo, nec locus sine extensiuo dari vllo modo potest.

*Solutio.*

*Spatia duo infinita non esse fictitia.*

Ad hanc obiectionem respondendum est, non esse quidem fictitia proposita spatia, sed vera, hoc est, quæ absque operatione intellectus dentur: atque adeo vtrumque esse necessarium simpliciter, quod nulla potestate non modo secundum se totum, sed neque secundum vllam

*cap. 4. à tex. 35.* particulam possit non esse, hinc tamen nihil effici contra cõclusionem: siquidem huiusmodi spatia non sunt res, vt forsitan putauerunt ij, contra quos Aristot. 4. Physi. libr. disputat, sed quædam rerum capacitas, alterum quidem omnium motuum quoad successionem, alterum vero omnium corporum quoad extensionem, de quibus capit. 13. fusius agendum est, cum de tempore, ac loco disputabitur.

*Opinio quorundam de rerum connexionibus.*

### SECTIO II.

*Heru. quod lib. 1. q. 10.*

QVOD vero ad connexiones rerum attinet, sunt qui dicant, præter eas quibus interna Dei attributa cum Deo nectuntur, quas vniuersi dicunt esse simpliciter necessarias (vt quod Deus sit ens, quòd actus purus, quòd sapiens, &c.) nullas esse quæ simpliciter necessariæ esse debeant, quæ sententia his rationibus confirmari potest.

*Opinio dicẽtium nullas esse connexiones in rebus creatis simpliciter necessarias.*

*Primum argumentum.*

Primum, quia si connexiones rerum infra Deum, essent simpliciter necessariæ, non solum ab æterno extitissent, sed etiam non potuissent non existere, ac proinde neque res, siue extrema quæ connectuntur: videtur enim fieri nullo modo posse vt cõnexiones existant sine iis

Universidad de Deusto
Biblioteca



quæ connectuntur:at res infra Deum non posse non existere,& Catholica fides reprobat,& iã ex libertate diuinæ voluntatis impugnatũ est. *Genes. 1. Prouer 8 alibi.*

2. Deinde, quia si in rebus creatis connexiones primi modi dicendi per se sunt simpliciter necessariæ(hic enim modus censetur præcipuam necessitatem continere) neque tamen res ipsæ sunt necessariæ simpliciter,vt re vera non sunt,sciri vtique potest,quid quæque eiusmodi rerum sit,ignorato an sit: at hoc negant omnes cum Aristotele secundo libro de posteriori resolutione. *cap.1.text.1.*

3. Tertiò,quia si hæc conclusio , Socrates est homo, quæ pertinent ad primum modum dicendi per se esset simpliciter necessaria, hæc etiam esset simpliciter necessaria,Socrates est animal , atque adeo hæc Socrates est viuens,& (quod hinc sequitur) necessarium esset simpliciter vt animus Socratis existeret in corpore Socratis : hoc autem vel ipsa experientia constat esse falsum.

4. Postremò quia cum Deus omnipotentia sua separare possit proprietates à subiectis , sequitur connexiones secundi modi dicendi per se, quæ secundo loco numerantur in necessariis,non esse necessarias simpliciter.Antecedens ex eo patet , quia non videtur negandum diuinæ potestati quin facere possit, vt subiecta existant sine proprietatibus, cum efficiat,vt accidentia communia , quæ plus dependent à suis subiectis,quam subiecta à suis proprietatibus , sine subiecto in sacra Eucharistia existant.

*Quo pacto ab his Auctoribus connexionum necessitas explicet.*

Siquis verò ab Auctoribus huius sententiæ petat , qua ratione connexiones primi & secundi modi dicendi per se censeantur necessariæ simpliciter tum ab Aristotele hoc loco , tum ab aliis auctoribus , nec solum in Deo,sed etiam in rebus creatis : respondent, tribus modis id posse concedi in creaturis , non tamen absolutè , sed cum moderatione quadam.Vno,iuxta sensum conditionalem , vt idem sit dicere, Homo est animal,ac si dicas, siquid est homo illud est animal. Altero , in sensu composito,quasi ita efferas propositam enunciationem , Homo dum est homo,est animal.Tertio,sumptis creaturis secundum esse possibile,vt si intelligas hominem esse animal,non quod sit,aut fuerit, aut futurum sit, sed quod esse possit. His enim modis non posunt huiusmodi connexiones vlla ratione non esse veræ. Itaque concedunt dari connexiones rerum infra Deum simpliciter necessarias in sensu conditionali,itémque in sensu modali composito,& sumptis creaturis secundum esse possibile,non autem absolutè vt verba sonant. Itaque docẽt, enunciationes quibus huiusmodi connexiones exprimuntur non esse absolutè veras,nisi suppositâ constantia subiecti(vt aiunt) hoc est constante siue existente subiecto in rerum natura. Id quod eo argumento primum colligunt,quia ex eo quod res est aut non est,oratio vera, aut falsa dicitur,vt Aristoteles *a* scribit in prædicamentis. Deinde, quia vt idem ait posteriori libro de *b* interpretatione : Socrates mortuus , ac proinde non existens non est homo. Postremò id confirmant ex sententia Theologorum , *c* planè asserentium Christum Dominum eo temporis spatio,quod inter mortem & resurrectionem fluxit non fuisse hominem.

*Aliæ eiusdem sententiæ cõfirmationes.*

*Heru. loco citato vide Ockamum quol. 4. q. 35.*

a Ca. de substantia,& de modis prius.
b Cap. 2.
c D. Tho. 1. p. q. 50. art. 3. & in 3. dist. 22. q. 1. art. 2. & quodlib. 2. art. 1. Et Doctores communiter in 3. d. 22.

Plurimas



*Plurimas rerum connexiones esse simpliciter necessarias.*

## SECTIO III.

*Secunda assertio quæstioni respondes.*

DIcendum est tamen plurimas connexiones rerum infra Deum esse simpliciter necessarias,omnes inquam eas quæ pertinent ad primum aut secundum modum dicendi per se:nec ad earum veritatem opus esse constantia,siue existentia subiectorum:quæ est sententia Aristotelis hoc loco,& fere omnium grauium Auctorum , potéstque his rationibus ostendi.

*Libertus in post. prædica. c. 9. ex Auic. Algazel, & Alpharathio D. Tho. 1. p. q. 10. art. 3. De veri. q. 1. ar. 5. ad 7. & 9. Met. lect. 9. & ex recentioribus. Caiet. c. 4. de ente & essen. q. 10. & 1. poster. cap. 9. Capr. 1. d. 8. q. 1.*

*Probatur 1.*

Si connexiones primi & secundi modi dicendi per se non esset simpliciter necessariæ in rebus creatis, fieri posset vt Socrates non esset homo nec disciplinæ capax,ac proinde nec Socrates ( de quo enim negatur species aut proprietas,negantur omnia indiuidua quæ sub specie continentur,vt Dialectici tradunt ) est autem aperta contradictio, admittere,Socratem non esse Socratem:sunt igitur huiusmodi connexiones simpliciter necessariæ. Nec audiendi sunt qui respondent non esse contradictionem,dicere, Socratem non esse Socratem , cum Socrates non existit:immo falso tunc affirmari , Socratem esse Socratem. Falluntur enim planè : neque enim falsum est vnquam,dicere, Socratẽ esse Socratem , cum subiectum & prædicatum sint omnino idem , vt potè id solum,quod significatur nomine Socratis, quod quidem est Socrates ipse , vt complectitur ea sola quæ sibi sunt essentialia. Quod siquis dicat hanc ennunciationem,Socrates est Socrates significare Socratem esse Socratem existentem propter verbum,est,quod existimabit efficere vt Socrates,cum prædicatur , sumatur pro Socrate existente:pari ratione idem dicet de definitionibus , cùm prædicantur de rebus non existentibus. Quo fiet vt planè admissurus sit , definitionem dicere non solum quid res sit , sed etiam quod sit : quodquidem non solum cum Aristotele cæterorúmque Philosophorum sententia , sed etiam cum ipsa communi hominum intelligentia pugnat. Nam cum omnes qui aliquid definiunt,accipiant nomen definiti pro rebus omnibus quas significat ,siue illæ existant,siue non,vt luce clarius est: efficitur vt eodem pacto accipiant genus & differentiam definiti, ne angustiorem faciant definitionem,quàm definitum.

*Dialecticorũ pronunciatũ.*

*1. Topic. c. 4. 2. poste. c. 10. text. 9. & alibi sæpè.*

*2. Veritas conditionalis propositionis vbi fundetur.*

Præterea veritas cuiusque conditionalis necessariæ fundatur in veritate alicuius simplicis præiacentis,vt Dialectici tradunt. Verbi causa:veritas huius,si Socrates est homo,Socrates est animal, fundatur in veritate huius,Homo est animal,& veritas huius,si Socrates est homo, Socrates est disciplinæ capax,fundatur in veritate huius,Homo est disciplinæ capax : ergo non minor est necessitas simplicis enunciationis in qua veritas conditionalis fundatur, quàm ipsius conditionalis: igitur si conditionalis est necessaria simpliciter eodem quoque modo, necessaria est simplex enunciatio,in qua eius veritas fundatur.

3. Ad hæc , si connexiones primi & secundi modi dicendi per se non essent necessariæ simpliciter in creaturis nisi in sensu conditionali , aut modali composito , vt Auctores aduersæ partis asserunt ( nam semptis rebus secundum esse possibile , improprie existimant huiusmodi

connexiones

Universidad de Deusto Biblioteca



*Euertisciētiā de rebus creatis ab oppositæ sentētiæ.*

connexiones accipi) nihil sciretur absolutè de creaturis, sed solum ex conditione: siue loquamur de scientia cognitionéve, quæ comparatur per diuisionem, siue de ea quæ per definitionem, siue de ea quæ per demonstrationem: at hoc est absurdissimum, quandoquidem scientia conditionalis non satisfacit naturali sciendi desiderio, non est igitur negandum, connexiones illas esse simpliciter necessarias in creaturis. Maior ex eo patet, quia qui per diuisionem scit hominem constare animo rationali & corpore recto, aut per definitionem esse, animal rationale, aut per demonstrationem esse disciplinæ capacem, si id sciat sub hac conditione dumtaxat, si est homo, hoc est, si est homo existens in rerum natura, quo pacto illi interpretantur sensuum conditionalem, aut dum est homo existens, quo pacto interpretantur modalem compositum: perspicuum est, nihil horum scire absolutè, sed solum ex conditione.

*Quarto.*

Item Philosophi, cùm ostendunt Deum esse, aut animam esse: non dubium est, quin concludant absolutè & absque vlla conditione existentiam de Deo & anima: ergo non supponunt in sumptionibus, Deum existere, aut animam existere, ne id sumant, quod demonstraturi sunt: at idem affirmant in sumptionibus, Deum esse primam causam, & animam esse primum principium internum vitæ, vel aliquid aliud, vnde propositum colligant: igitur, vt aliquid verè affirmetur absoluta affirmatione & absque vlla conditione, non opus est vt supponatur constantia subiecti: in quam sententiam est illud Augustini secundo libro de libero arbitrio: Quicquid corporis sensu, veluti est hoc cœlum, & terra hæc, & quæcunque in eis alia corpora sentio, quamdiu futura sint nescio: septem autem & tria decem sunt, & non solum nunc, sed etiam semper, neque vllo modo septem & tria non fuerunt decem, aut aliquando septem & tria non erunt decem. Item illud, Nihil magis æternum, quàm ratio circuli, & duo ac tria, esse quinque. Quibus verbis planè sentit, vt propositarum propositionum subiectis conueniant prædicata, non opus esse vt subiecta existant.

*Ex D. Augustino confirmatio.*

*cap. 8. habetur tom. 1.*

*Nō esse opus existētia subiecti ad veritatem propositionis necessariæ.*

His adde hoc argumentum. Essentiæ rerum creatarum, & proprietates quæ necessario illorum essentias consequuntur, antecedunt naturæ ordine earum existentiam, quippè cùm existentia non nisi contingenter rebus creatis conueniat, vt patet ex libro quarto: igitur prius natura quàm res creatæ existant, conueniunt illis attributa essentialia, & proprietates quæ consequuntur illarum essentias. Quo fit, vt non sit opus supponere existentiam rerum, vt huiusmodi prædicata de illis verè & absolutè affirmentur.

*cap. 2. q. 6*

Postremo, cùm Auctores oppositæ sententiæ dicunt, connexiones primi & secundi modi dicendi per se esse simpliciter necessarias in rebus creatis, si res sumentur secundum esse possibile, aut ita intelligunt propositionem illam. Homo est animal possibile, ac si dicant, Homo potest esse animal, aut ita: vt sensus sit. Homo est animal possibile. seu quod potest existere in rerum natura. Si priori modo, non loquuntur ad rem, tum quia sensus ille connexionum per se æquè conuenit connexionibus per accidens (vt enim necessarium est simpliciter quod homo possit



homo possit esse animal, aut disciplinæ capax: ita etiam quod possit esse albus) tum etiam, quia propositiones per se in eo sensu, dici solent necessariæ simpliciter, quo scientiis comparandis inseruiunt: at nemo in comparanda vlla scientia vtitur propositionibus per se in illo sensu, vt apertum est. Si verò loquuntur posteriori modo, nobiscum faciunt. Nos enim dicimus in connexionibus primi & secundi modi dicendi per se res creatas esse sumendas, quatenus sunt possibiles, seu, quod idem valet, secundum suas essentias, vt naturæ ordine præcedunt existentiam, vt ex dictis constat. Hoc enim pacto intelliguntur earum definitiones, & demonstrationes proprietatum, quæ de ipsis fiunt, immo etiam ipsæ nominum significationes.

*Solutio primi argumenti oppositæ sententiæ, & explicatio sempiternitatis connexionum per se.*

## SECTIO IV.

*Sco. 1. sen. d. 3. q. 5. & d. 35. & 36. & 30 colligitur hæc sententia Henric. ex quodlib. 3. q. 9 & quod lib 5. q. 2. & quod li. 4. q. 7. & 8. & quodlib. 2. q. 3.*

AD primum vero argumentum superioris sententiæ, facile esset respondere, si vera esset sententia Henrici Gandauensis, vt illum Scotus multis locis intelligit: Existimat enim (si Scotus recte eius opinionem interpretatur) res omnes infra Deum habuisse ab æterno quoddam esse reale actuale, quod vocat essentiæ, nempe per participationem idearum diuinarum, à quibus putat illas fuisse necessario ex æternitate caussatas. Hoc igitur si verum esset, nihil difficultatis foret in argumento. Nihil enim mirum esset si connexiones rerum fuissent ab æterno, quando ipsæ etiam res eo modo ab æterno extitissent.

*Opinio Henrici Gandaui de actuali esse rerum ab æterno.*

*Improbatur.*

Hæc tamen sententia nullo modo probari potest, quia nulla res caussatur ab ideis diuinis secundum esse reale, nisi cum caussatur effectiuè à Deo: quemadmodum nec scamnum secundum esse reale caussatur ab idea scamni, quæ est in mente fabri, nisi cum faber scamnum efficit: alioqui daretur effectus caussæ formalis non concurrente caussa efficiente quod fieri nequit.

*Vera argumenti solutio.*

Dicendum igitur ad argumentum etsi connexiones rerum infra Deum, pertinentes ad primum aut secundum modum dicendi per se, semper suo modo extiterint, immo etiam non potuerint non existere, tamen non inde effici, res eas quarum illæ sunt connexiones, semper extitisse, ac minus etiam, non potuisse non existere.

*Quid sint cōnexiones.*

Quod vt intelligas, aduerte, eas connexiones nil aliud esse, quàm identitates quasdam subiectorum cum prædicatis, Quod à posteriori ex eo intelliges, quia omnis vera prædicatio fundatur in identitate aliqua subiecti cum prædicato: vnde fit, vt pro ratione diuersarum huiusmodi identitatum, diuersa etiam sit ratio verarum prædicationum. Aliæ enim sunt essentiales, quia subiectum est idem secundum essentiam cum prędicato, aliæ accidentales, quia est cum illo idem subiecto, & ita in cæteris.

*Non esse sumendas pro relationibus identitatis.*

Deinde aduerte, huiusmodi identitates non esse sumendas pro identitatibus formalibus, quæ sunt relationes rationis, & posteriores

ipsis connexionibus,in quibus fundantur,sed pro fundamentalibus.

Tertio loco,identitates has fundamentales, nihil aliud esse, quàm negationes quasdam diuersitatis subiectorum à prædicatis, exempli caussa,identitatem hominis cum animali, nihil aliud esse quàm negationem diuersitatis ab illo secundum essentiam: identitatem verò eiusdem cum disciplina capaci,nihil esse aliud quàm negationem quãdam diuersitatis ab illo secundum subiectum. Quidam volunt huiusmodi identitates fundamentales esse ipsa subiecta & prædicata, quatenus isto modo sibi identificantur, seu quatenus subiecta non sunt diuersa à prædicatis:quod eodem redit,tametsi longiori discursu.

Postremo,harum negationum diuersitatis,quasdam esse priuatiuas, quæ nimirum sine subiectis non existunt, & dicuntur vnitates subiectorum:cum suis prædicatis, alias verò purè negatiuas, quæ communi vocabulo retento solum,appellantur negationes diuersitatis subiectorum à prædicatis.

*Connexiones necessarias, esse negatiuas identitates.*

His positis, missisque de hac re quorundam sententiis quæ non satisfaciunt,dicendum est, connexiones eas quas credimus esse necessarias simpliciter, & concedimus suo modo fuisse ab æterno, non esse priuatiuas identitates, sed negatiuas. Nam priuatiuæ cùm sint reales affectiones rerum aut quasi affectiones,nunquam existunt nisi existẽtibus earum subiectis. Vt enim vnitas absoluta hominis, tum solum existit in rerum natura (more tamen aliarum priuationum) cum homo existit, ita & vnitas illius cum animali. At identitates negatiuæ, quibus entia dicuntur non esse diuersa à suis prædicatis essentialibus & proprietatibus,semper suo modo extiterunt, nec possunt vllo modo non existere. Ratio verò est, quia non possunt non existere, nisi per existentiam oppositarum diuersitatum, quæ tamen existere nullo modo possint.Puræ enim negationes,etiam purè negatiuè existunt,id est, per solam non existentiam eorum quæ negant. Hæc enim pura negatio quod homo non sit lapis,ea sola ratione dicitur existere sine operatione intellectus,quia nullus existit homo qui sit lapis, & ita in cæteris. Quod tamen non satis est in priuationibus.Nam vt priuationes existant,necesse est vt non solum non existant ea quibus priuatiuè opponuntur,sed etiam,vt ipsa subiecta existant, quod Aristoteles docet in prædicamentis. Cum igitur diuersitates oppositæ identitatibus negatiuis non solùm nunquam extiterint,sed nec existere vllo modo possint, efficitur, vt semper ipsæ identitates negatiuæ suo modo extiterint,atque adeò non possint non existere. Atque huiusmodi identitates sunt fundamenta veritatis propositionum per se,quæ ab Aristotele & cæteris veteribus dicuntur sempiternæ veritatis.

*Ratio notanda.*

*Puræ negationes quo pacto existant.*

*Quo item modo priuationes.*

*c. de oppos. tis.*

*Cur identitates priuatiuæ non sint fundamenta necessariæ veritatis.*

Quod si quis roget, Cur non potiùs dicendum sit identitates priuatiuas esse fundamenta veritatis eiusmodi propositionum,præsertim cum semper ac necesario conueniant rebus, quemadmodum & ipsa prædicata per se,duæ caussæ reddi possunt.Prior,quia identitates priuatiuæ,etsi semper conueniunt rebus,non tamen semper existunt, sed tum solum,cùm res ipsæ existunt,vti diximus. Posterior, quia si quis diceret illas esse fundamenta veritatis propositionum per se,cum illæ etiam



etiam per se rebus conueniant:adhuc cogeretur tradere alias identitates:quibus illæ essent idem cum rebus, de quibus per se prædicantur: quare aut in inquirendis identitatibus progrediendum esset in infinitum,aut tandem deueniendũ esset ad identitates negatiuas.Quo fit vt satius sit, illas statim fundamenta veritatis eiusmodi propositionum asserere.Perspicuum est igitur, eas connexiones quas diximus necessarias simpliciter,ab æterno fuisse,eo tamen modo, quo possunt puræ negationes existere,Cur autem ex qualicunque existentia huiusmodi connexionum non rectè colligatur existentia rerum quas illæ connectunt,hæc est ratio.

*Puræ negationes non egent extremis existentibus.*

Quia puræ negationes ex seipsis non indigent extremis existentibus,vt patet in hac propositione,Plato non disputat in Academia,potest enim vera esse etiam non existente Platone. Dico autem ex se ipsis,quia si æquipolleant affirmationibus contingentibus:ratione huiusmodi æquipollentiæ indigebunt existentia extremorum, vel reali, vel obiectiua pro ratione affirmationis cui æquiualebunt: cuiusmodi sant hæ,Plato non est non disputans,Plato non est non in precio habitus.Prior enim negatio,vt vera sit,indiget existentia reali Platonis,posterior vero obiectiua.

*Epilogus solutionis.*

Ita patet solutio argumenti, nempe ex ea existentia quam connexiones per se ab omni æternitate sibi vendicant, non rectè colligi, extitisse iam inde actu res ea siue extrema quæ iis connectuntur.

*Dubitatio circa idem argumentũ.*

Num autem rectè colligi possit, quod extiterint virtute in aliqua caussa efficiente,quæstio est.Caietanus enim & Paulus Soncinas in ea sunt sententia,vt putent necessitatem connexionum per se non pendere ex eo, quod res quæ connectuntur, existant virtute in suis caussis. Nihil enim minus, inquit Caietanus, remaneret scientia mea de rosa (nempe quoõ sit odorifera, aut quid simile) si omnia annihilarentur, me solo remanente, quàm si remaneat prima caussa, aut corpus cœleste,&c.in quibus scilicet rosa virtute existat, quæ sententia ex eo confirmari potest,quia hæ connexiones sunt necesariæ. Chimæra est figmentum,Homo rationis expers,est animal rationis expers,cum tamen extrema non existant virtute in caussa vlla.

*Caiet.1.post. ad finem c.6. Soncin. hoc lib.q.10.*

*Opinio Caietani & Soncinatis.*

At verò D.Thomas & Magnus Albertus in oppositam partem videntur inclinare,quam sanè crediderim probabiliorem, si modo intelligatur de connexionibus rerum infra Deum, de quibus solis quæstio esse potest. Nam si rosa non esset virtute in omnibus suis caussis efficientibus, aut certè in aliqua in qua cæteræ omnes virtute continerentur,ne rosa quidem esset,quia non esset ens reale: quod enim effici non potest, non est reale ens, nisi sit ens independens, cuiusmodi est solus Deus:quo fieret,vt de rosa nullum attributum reale demonstrari posset. Non esset autem illa, virtute in suis caussis efficientibus, nisi illæ existerent in rerum natura saltem aliqua,à qua reliquæ omnes effici possent. Ita fit, vt si Deus qui est rerum omnium effector, non existeret in rerum natura: nec rosa vtique esset ens reale, ac proinde, nec rosa.

*D.Th. quod lib. 8. q. 1. Albert in postpræd. cap.9.*

*Opinio D. Thomæ & Magni Alberti probabilior.*

*Nihil esse ens reale quod effici non possit.*

*Si Deus non existeret, nullum esset ens reale.*

*Solutur fundamentum Caietani.*

Persuasio autem illa Cajetani si sublatis cæteris rebus omnibus

Universidad de Deusto
Biblioteca



etiam Deo, solus ego existerem, adhuc remaneret scientia mea de rosa nullam vim habet: sublatis enim cæteris rebus omnibus, neque ego essem qui sum, nec rosa esset rosa, vt ostensum est: quare nec de illa ostendi posset esse odoriferam, attributúmve aliud reale.

*Obiectio prima.* Obiiciat aliquis, Res tum creatas, tum etiam creabiles esse verè entia siue realia in ordine ad ideas diuinas: quarum sunt imitationes quædam, vt 4. lib. diximus, at ideæ diuinæ præcedunt omnino ratione, & scientiam Dei practicam qua effici possunt, & potentiam illius executiuam: igitur vt sint entia realia, non opus esse, vt virtute existant in caussa vlla efficiente etiam prima, & omnium aliarum effectrice.

*Secunda.* Item, si per impossibile Deus non haberet vim productiuam creaturarum si tamen adhuc esset earum exemplar, vt est, adhuc etiam creaturæ essent vera entia in ordine ad illum, tanquam ad suum prototypum exemplar: vt igitur sint vera siue realia entia, non opus esse vt sint virtute in caussa vlla effectiua.

*Tertia.* Postremo, prius esse, rem aliquam esse in se possibilem, & quæ non implicet contradictionem, quàm esse factibilem ab aliquo: dicimus enim hoc vel illud propterea effici à Deo posse, quia non implicat contradictionem, non è contrario, propterea non implicare contradictionem, quod à Deo effici possit, quemadmodum, & in impossibilibus dicere solemus aliquid effici non posse: quia inuoluit repugnantiam, siue contradictionem aliquam: non è contrario, propterea inuoluere contradictionem, quia effici non possit: ergo vt res aliqua sit vera vt realis, non opus esse vt virtute existat in caussa vlla efficiente, sed satis esse si non implicet contradictionem.

*Solutio.* Ad hæc dicendum est, aliud esse quod nulla res infra Deum sit ens reale, nisi virtute existat in suis caussis efficientibus, saltem in prima, quod & asseruimus & probauimus: aliud quod res infra Deum possint aliquo modo considerari vt entia realia, non considerata vlla earum caussa effectiua, quod propositæ obiectiones ostendere nituntur, nosque formaliter haud negauimus. Et quãquam id nihil facit ad rem propositam, plenioris tamen doctrinæ gratia dicimus, res infra Deum non solum non esse, sed nec perfecta considerari posse vt entia realia, nisi quatenus virtute existunt in prima caussa efficiente. Nam quemadmodum accidentia imperfectè considerantur vt entia realia sine ordine ad substantiam, nempe vel quatenus ad hoc aut illud particulare genus spectant, vt albedo quatenus color, (qua ratione dicimus ea per proximum genus, & differentiam definiri posse, non consideratis distinctè superioribus generibus) vel quatenus nullam implicat contradictionem, ea existere in rerum natura (qui conceptus confusus est, ipsúmque etiam Deum complectitur) perfectè autem intelligi non posse sine ordine ad substantiam: sic etiam, immo potiori ratione entia omnia infra Deum, possunt quidem imperfectè considerari vt entia realia, sine ordine ad Deum vt caussam primam efficientem, vel quatenus huius vel illius generis sunt, vt passim considerantur, & definiuntur, præsertim apud Ethnicos philosophos, vel quatenus nullam inuoluit repugnantiam ea existere: perfectè autem ac distinctè nullo

*Res creatas nõ posse perfectè considerari, nisi in primo efficiente.*



nullo modo concipi possunt, nisi quatenus pendent à Deo, vt à prima caussa efficiente: id quod ostendimus ad caput secundum superioris libri cum de analogia entis ageremus, sequuti veram D. Thomæ de hac re sententiam. Quod si entia infra Deum perfectè concipi non possunt vt entia realia, nisi in ordine ad illum, vt ad primam ipsorum caussam efficientem: Deúsque intelligi non potest vt ens quoddam à cæteris omnibus distinctum, nisi vt ens actu existens (siquidem conceptus potentis existere non est conceptus qui sit Dei proprius) dubium non est quin entia realia infra Deum, vt talia sunt, perfectè intelligi non possint, nisi quatenus virtute existunt in Deo, vt in prima eorum caussa efficiente.

*Quæst. 1. sect. 7.*

*Prima ratio soluitur.*

Quare ad primam interpositam obiectionem negandum est, ideas diuinas præcedere omnino ratione scientiam Dei practicam, aut eius potentiam executiuam. Nam cum illa sint exemplaria diuina ac proinde obiecta ad actionem pertinentia, intelligi vtique non possunt nisi quatenus imitabilia à scientia practica, potentiáque diuina exequutiua.

*Ideæ diuinæ an præcedant diuinã scientiam.*

*Secunda.* Ad secundam dicendum, si Deus non haberet vim productiuam creaturarum, fore etiam vt non esset earum exemplar: siquidem exemplar creaturarum omnium respicit potentiam diuinam exequutiuam.

*Tertia.* Tertia nihil efficit aliud, quàm quod creaturæ prius consideratione nostra sint possibiles, seu non implicent contradictionem, quàm quod effici à Deo possint: illud enim commune habent cum Deo, hoc ipsarum est proprium. Hinc tamen non efficitur, vt ille quatenus creaturæ sunt, siue entia quædam finita & dependentia, perfecta intelligi possint sine ordine ad diuinam potentiam, à qua pendent, & in qua virtute existunt.

*Confirmatio pro Caietani opinione adducta soluitur.* Ad confirmationem vero, quam pro Caietano attulimus, dici potest primum quidem fictitia, & si possibilia non sunt: non posse tamen fingi nisi ex coniunctione rerum possibilium: proinde si res possibiles vt possint aliquando esse, contineri debent virtute in caussa aliqua efficiente ratione sui: ergo & commentitiæ ratione partium ex quibus finguntur. Deinde, quemadmodum ea quæ aliquando esse possunt, non essent possibilia si non continerentur virtute in caussa aliqua, à qua effici possent, ita nec fictitia essent fictitia nisi suo modo continerentur virtute in aliqua potentia, à qua fingi possent. Atque hactenus de primo argumento principali.

*Solutio reliquorum argumentorum.*

## SECTIO V.

*Explicatur Aristoteles.* AD secundum dicendum est, cùm Aristoteles & reliqui docent non prius sciri posse quid res sit, quàm sciatur an sit: sensum esse, non prius intelligi posse quæ sit rei propositæ quidditas quàm compertum, sit huiusmodi esse verum ens, seu quod in rerum natura cohærere possit: siquidem sola entia realia veram quidditatem habent. Itaque accipiunt esse, pro esse posse. Quanquam eorum plerique, quia

putauerunt species rerum esse sempiternas nullámque naturam communem posse exittere, quæ aliquando non exittat, non valde curarunt distinguere potentiam ab actu. Hoc in quadratione circuli planè intelliges, quæ quid sit, facilè explicatur, nec tamen vnquam inuenta est, cum interim inueniri posse omnes fermè asserant.

Ad tertium dicendum, vt hoc pronunciatum, Socrates est viuens, sic simpliciter necessarium, (sumpto nimirum viuente, non vt significat id, quod exercet opera vitæ, sed quod constat corpore & animo) non opus esse, vt animus Socratis existat in corpore Socratis, quemadmodum nec opus est, vt ipse Socrates existat: sed vt nunquam detur nec dari possit diuersitas Socratis ab omni composito ex corpore & animo, vt patet ex solutione primi argumenti.

*Quæ proprietates à subiectis nequeant diuelli.*

Ad quartum dicendum est, si quæ hic sit de proprietatibus quæ non distinguuntur re ipsa à subiectis, cuiusmodi sunt pleræque aptitudines vsu habituales corporeæ ad quantitatem, & quantitatis trinæ dimensionis ad occupandum locum, certum esse apud omnes, non posse illas separari in subiectis, siue vt ipsæ existant sine subiectis, siue vt subiecta sine illis. Neque vllum habet momentum argumentatio ex accidentibus communibus sacræ Eucharistiæ, cum distincta sint re ipsa à subiecto, in quo ante consecrationem existebant.

3.

*Intellectum & voluntatem re ipsa distingui ab anima.*

Si vero quæstio sit de proprietatibus, quæ sunt re ipsa distinctæ à subiectis cuiusmodi sunt iuxta [a] probabiliorem sententiam, intellectus & voluntas comparatione animæ rationalis, & trina [b] dimensio respectu substantiæ corporeæ, quatuorque primæ qualitates sensibiles respectu quatuor elementorum, distinctione opus est. Nam si vertatur in dubium vtrum hæ proprietates possint absolutè, & vt res quædam sunt: nullâque alia consideratione sumptæ à suis subiectis separari non-nulli sunt [c] qui in plerisque earum id negent: ea scilicet ratione ducti, quòd huiusmodi proprietates naturaliter fluant ab essentiis rerum, quarum sunt proprietates. Non videtur tamen earum separatio diuinæ potestati subtrahenda, siue vt ipsæ existant sine subiectis, siue vt subiecta sine ipsis, quæ eadem est sententia [d] Magni Basilij in Exemero. Primum quia id planè videtur concludere argumentum propositum. Deinde, quia idem perspicue ostenditur ex communi illo pronunciato, quo [e] plurimi vtuntur: E duobus entibus absoluris & re ipsa distinctis, quorum alterum in altero non includitur, potest Deus vtrumlibet ab altero separare. Nec ratio quæ nunc in oppositum adducta est quicquam efficit. Nam etsi huiusmodi proprietates naturaliter fluant à subiectis tamen earum fluxus potest diuina potestate impediri negato nimirum concursu, quo Deus cum essentiis subiectorum ad earum conseruationem concurrit.

*D. Basilij sententia proprietates aliquas posse à subiectis virtute diuina separari.*

Quòd si huiusmodi proprietates non sumantur absolutè, sed quatenus sunt naturales suis subiectis, vt status controuersiæ sit, num illæ possint aut potuerint non naturaliter conuenire suis subiectis (quæ est propria earum consideratio quatenus sunt proprietates) adhuc plerique Nominalium partem affirmatiuam amplectuntur. Eorum præcipuum argumentum huiusmodi est: Deus potuit condere res eo pacto,

*Nominalium opinio de seiunctione proprietatum.*

a *D. Thom. 1 p. q. 77. art. 1. Aegidij quodlib. 3. q. 11. Iandunj 2. de Anim. q. 9. & aliorum.*
b *D. Thom. 3. p. q. 77. art. 2. & in 4. d. 12. q. 1. art. 1. Capr. in d. 18. q. unica. Ric. in 4. d. 12. art. 1. q. 1. Auer. 1. Phy. com. 63. & lib. de substantia orbis cap. 1. Alber. Mag. 1. Phy. tract. cap. 4.*
c *Caiet. 1 p. q. 54. art. 3.*
d *Homil. 6.*
e *Okã quod lib. 4. q. 37. Scot. in 2. d. 12. q. 2. Gab. 4. d. 1. q. 1.*



pacto, quo illas conseruare potest: at potest conseruare ignem sine calore, & aquam sine frigore, vt patet ex dictis, atque adeo ponere calorem ignis in aqua, & frigus aquæ in igne: igitur potuit producere à principio ignem frigidum, & aquam calidam: hoc autem si fecisset, iam calor esset naturalis proprietas aquæ, & frigus ignis iuxta sententiam D. Augustini, dicentis, id conuenire cuilibet rei naturaliter, quod ab initio illi conuenit: igitur fieri potuit, vt nec calor esset naturalis igni, nec frigus aquæ: quod idem de cæteris eodem modo concludi potest.

*Refellitur. Primo.*

Hæc tamen sententia non placet. Primum, quia per eam non licet asserere substantias rerum naturalium esse ex se propensas ad certas & designatas operationes, sed quamlibet ad quaslibet, aut ad nullam: quæ quam sint absurda, nemo non viderit.

*Secundo.*

Deinde, quia nulla alia relinquitur via ad inuestigandam diuersitatem essentialem formarum inter se, quàm ex propriis cuiusque rei actionibus, quæ à formis primo manant: vt enim motus, siue passio nobis attulit cognitionem materiæ, ita & actio cognitionem formæ, quæ est vulgata Commentatoris propositio ab omnibus posterioribus recepta: at hæc philosophandi ratio prorsus est vana, si formæ non vendicant sibi ex se certa & distincta actionum genera, ac proinde certas & distinctas proprietates, quæ sunt agendi instrumenta.

*Vt passio materiam, ita actio formã indicauit.*

*Libro de Struct. disputatione 6. in solutione sexti dubij.*

*Tertio.*

Tertio, quia non est cur potius dicamus qualitates habere ex se designatas actiones, quàm substantias ipsas, quarum virtute qualitates operantur: qualitates autem non videntur indifferentes ex se ad quancúmque actionem: neque enim calor ex se aptus est ad refrigerandum, nec frigus ad calefaciendum, aut aspectus ad audiendum, aut vero auditus ad videndum: alioqui nulla est ratio ex natura, qualitatum ducta cur ex hac qualitate hæc potius actionis species eueniat, quàm illa, sed sola Dei voluntas: quæ sententia indigna est homine Philosopho. Si ergo negandum non est, substantias qualitatibus subiectas vendicare sibi ex se designatas actiones, necessario efficitur vt vendicent sibi ex sua natura certas qualitates ad agendum, & non tantum ex institutione diuina.

*Quarto.*

Quarto, quia aqua postquàm calefit ab igne aut à sole, si separetur calefaciens, solo generali Dei concursu reducit se ad pristinum frigus: igitur si Deus fecisset aquam naturaliter calidam, quæro vtrum illa cum eodem generali concursu quo nunc Deus separato calefaciente cum illa concurrit, se redderet frigidam nec ne. Si redderet, ergo non esset naturaliter calida, si non redderet, igitur nec modo: aut certè idem concursus cum eadem re non facit idem, quod fieri nequit, & est contra illud Aristotelicum: Idem manens idem, idem facere aptum est.

*Quinto.*

Postremo, quia aut res naturales sunt ex se indifferentes ad quamlibet proprietatem distinctam realiter à se, aut habuit propensionem naturalem ad has, illas vel ad illas. Si datur secundum habetur propositum: si primum, ergo non magis possibile naturalis esse hæc qualitas, quàm illa, quod est apertè falsum. Restat ergo aliorum sententiam

a *lib. de Gener. cap. 10. tex. 56.*

Universidad de Deusto Biblioteca



*Franciscus Victoria in rect. de hominis.*

tentiam. Atque his duobus postremis argumentis vtitur grauissimus quidem nostræ pænè ætatis Theologus ad eandem sententiam confirmandam. Quod vero Diuus Augustinus ait, *id esse naturale cuique rei quod à principio illi conuenit:* idcirco dictum est, quia Deus non aliter à principio res instituit, quàm vt illarum naturis congruebant.

Itaque dicimus, etsi proprietates secundi generis possunt absolutè separari à subiectis, nulla tamen potestate fieri posse vt separentur quatenus proprietates, ita scilicet, vt proprietas quæ nunc est naturalis alicui, possit vnquam aut potuerit illi non esse naturalis, hoc est, talis, vt ad eam subiectum non habeat naturalem propensionem. Nam quemadmodum essentiæ rerum mutari non possunt, vt V.G. homo sit aliud quam homo, ita nec illarum naturales propensiones.

*conclusa explicatio difficultatis posita circa septimam partem sectionum reuelatur à subiectis distinctarum declaratur Aristoteles.*

Ad priorem vero locum Aristotelis quo concludebatur, veritatem enuntiationum requirere constantiam subiectorum dicendum est: cum Aristoteles ait ex eo quod res est aut non est, orationem esse veram vel falsam, sic intelligendum esse, quasi dicat, ex eo quod res est talis aut non est talis qualem esse aut non esse oratio significat, orationem esse veram vel falsam. Res autem potest esse talis etiam dum ipsa non existit, vt patet in pronunciato illo Diui Augustini, Septem & tria esse decem, neque vnquam non fuisse decem, etiam cum nulla decem existerent.

2. *de libero arbitrio c.* 8.

Ad posteriorem locum dicendum est, Aristotelem non asserere: Socratem qui mortuus est non esse hominem, sed negare hanc consequentiam: Socrates est homo mortuus ergo est homo, sumpto nimirum homine mortuo in antecedente pro cadauere hominis, vt sæpè accipitur, traducto hominis vocabulo ad impropriam significationem: vt non pro toto homine sumatur, sed pro corpore hominis vita priuato. Itaque non negat Aristoteles in consequente, Socratem qui est mortuus esse hominem, sed Socratis cadauer esse hominem.

*Socrates mortuus est homo an sit vera.*

Quod vt melius intelligas, aduerte non esse eandem rationem in hac enunciatione, Socrates mortuus est homo, atque in hac, Socrates non existens est homo. Posterior enim semper est vera, quia illud (non existens) nunquam traducit verbum. Homo, ad impropriam significationem, námque idem prorsus homo est, qui nunc dicitur existens, nunc vero non existens. At prior, etsi est vera sumpto verbo (mortuus) prout significat eum qui vixit, qui quidem verè & propriè homo dicitur, tamen vt significat priuatum vita priuatione propriè dicta, non potest esse vera, nisi sumatur pro corpore hominis, in quo suo modo existit vitæ priuatio. Supponit enim hæc priuatio in rerum natura subiectum priuatum, quemadmodum cæcitas, surditas, & cæteræ priuationes propriæ dictæ: at subiectum quod in rerum natura vita priuatum existit, non est totus homo, sed materia seu corpus hominis.

*Hæc propositio Christus non est homo an sit vera in triduo mortis.*

Ad tertium dicendum est, aliam rationem esse in hac enunciatione Christus non est homo, atque in illa, Socrates non est homo, mortuo nimirum vtroque neutróque à mortuis excitato. Nam quia Socratis vocabulum non nisi pro supposito humano propriè sumitur, nulla ratione



tione falsum est dicere, illo mortuo Socratem esse hominem: semper enim suppositum humanum est homo. At Christi nomen, etsi pro vno tantum supposito accipitur, tamen interdum sumitur pro illo, vt subsistit in natura humana: veluti cùm dicimus, Christus natus est ex Virgine: interdum vt diuinum, siue vt subsistit in natura diuina, vt cum dicimus, Christus natus est ab æterno. Quanuis ergo sumpto Christi nomine priori modo, semper fuerit verum, Christum esse hominem: semper enim verum fuit asserere, suppositum naturæ humanæ, siue subsistens in natura humana esse hominem: tamen posteriori non semper fuit verum: si quidem suppositum filij Dei purè spectatum, nec ante incarnationem fuit homo nec illo spatio temporis, quod inter mortem & resurrectionem fluxit. Ante incarnationem, quia nondum naturam humanam aut vllam eius partem assumpserat: illo autem temporis interuallo, quod inter mortem & resurrectionem intercessit, quia etsi vnitum erat animæ & corpori, tamen non erat vnitum humanitati, quippè quæ per morten dissoluta erat. Atque hoc posteriori modo, negant Theologi ferè a omnes Christum in triduo illo fuisse hominem: quod faciunt vt resistant Hugoni b de sancto Victore & c Magistro sententiarum, qui sumpto Christo pro diuino supposito etiam purè considerato, adhuc concedunt Christum eo interuallo tẽporis fuisse hominem: prior quidem propter animam, in qua totam hominis essentiam positam existimat, posterior verò propter animam & corpus, in quibus partibus etiam à se inuicem separatis, sed tamen vnitis eidem supposito, credit totam humanitatem consistere.

a *D.Tho.3.p q.50.arti.4. & in 3.dist. 12.q.1.ar.1. & quolib.2. arti.1. Capr. in.d.22.q. vnica. Et Doctores cõmuniter in 4.d. 22. Henrici. quolib. 1. q. 3.Æg.quod lib. 4.q.* b *Lib. 2.de sacram. p.1. c.11.* c *In.3.c.22.*

## VTRVM EA QVAE SVNT SIMPLICITER NECESSARIÀ, CAVSSAM HABEANT.

## QVÆSTIO II.

*Determinatio quæstionis.*

### SECTIO. I.

QVid respondendum sit ad hanc quæstionem ex superiori fermè patet. Nam quod ad res attinet, cùm nulla præter Deum sit necessaria simpliciter, Deus autem cum sit prima caussa, caussam habere non possit: perspicuum est, nullam rem simpliciter necessariam habere caussam. Vnde patet, aliud esse quærere, num entia sempiterna habeant caussam, aliud num entia necessaria simpliciter. Multa enim potuit Deus ab æterno facere, cum interim ipse qui solus simpliciter necessarius est, caussam habere non possit.

*Prima conclusio negans hæc de rebus statuitur.*

*Alber.lib.1. de causis ca. 8. D.Tho.2. cont. Gent.c. 2. Ferr.ibidẽ. Capr.in 1.d. 8.2.1.conc.1.*

Quod verò attinet ad rerum connexiones, si de caussa quidem propriè dicta sit sermo, idem quoque dicendum est: siquidem connexiones necessariæ simpliciter, sunt purè quædam negationes diuersitatis subiectorum à prædicatis per se, vt dictum est: negationes autem puræ (hoc est, quæ vt suo modo existant non indigent existentia subiectorum) non habent caussam, quæ propriè dicatur caussa, vt apertum

*Secunda cõclusio negans in cõnectionibus necessariis dari caussam propriè dictam.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



est. Id quod etiam hac ratione confirmari potest. Quod nihil minus esset sublata omni vera, seu propriè dicta caussandi ratione, quàm posita, non habet veram caussam : at si prima caussa nihil caussaret (quod fieri potuit) ac proinde nec alia caussa vlla, nihilominus homo esset animal, & disciplinæ capax, vt superiori quæstione probatum est: igitur quod homo sit animal, aut doctrinæ capax, non habet veram caussam: eodémque modo res habet in cæteris. Item hoc argumento, quod in solo primo modo dicendi per se vim habet. Id quod æquè reperitur in creaturis atque in Deo, non potest habere veram ac propriam caussam, siquidem nihil est in Deo quod caussam habeat, connexiones autem identicæ, ac proinde omnes pertinentes ad primum modum dicendi per se, eodem modo cernuntur in creaturis, quo cernuntur in Deo. Æquè, enim necessaria est connexio, qua homo est homo, atque ea, qua Deus est Deus, cùm oppositæ æque implicent contradictionem: non habent igitur connexiones primi modi dicendi per se veram caussam, Adde, quod æquè cernitur in rebus fictis atque in veris, non potest habere veram caussam, æquè autem necessaria est connexio, qua Chimæra est figmentum, atque ea qua homo est animal, cùm æquè impossibile sit Chimæram non esse Chimæram, atque hominem non esse hominem: ergo, &c. Accedit hæc argumẽtatio. Quod non habet caussam finalem, nullam prorsus habet caussam, quæ quidem propriè dicatur caussa, vnde & finis, caussa caussarum omnium dici solet: connexiones autem primi modi dicendi per se non habent caussam finalem (neque enim datur caussa finalis propter quam homo sit animal, vt Aristoteles ait 7. Metaph. cap. 17. alioqui daretur caussa finalis propter quam homo esset tale animal, ac proinde homo, quod ridiculum est.) igitur non datur vlla vera caussa connexionum primi modi dicendi per se.

*Ex Arist. 2. Phy. c. 3. tex. 2. & lib. 1. Moral ad Eudemum c. 5. tex. 59.*

*In quo sensu necessaria caussam habere dicantur.*

Si verò sit quæstio de caussa impropriè dicta, de eo videlicet per quod aliquid à priori demonstratur, negari non potest quin plurima necessaria simpliciter habeant caussam : omnes enim connexiones, quæ pertinent ad secũdum modum dicendi per se, cùm possint à priori demonstrari, huiusmodi caussam habent. Atque hoc pacto intelligenda est diuisio, qua necessaria simpliciter diuiduntur hoc capite in ea quæ habent caussam, & in ea quæ non habent. Quamquam Aristoteles errore magno existimauit eandem diuisionem esse accommodandam ad res, extenso nomine caussæ ad veras caussas, seu propriè dictas. Id quod partim innuit secundo libro huius operis capite primo, sub appellatione eorum quæ semper sunt vera : partim 8. libro Physicorum capite 1. Quo loco reprehendit Democritum, quod crediderit eorum quæ sempiterna sunt non esse quærendam caussam, sed satis esse intelligere quod sempiterna sint, vt omnis caussæ inuestigatio iure cessare debeat. Etsi autem Aristoteles eo loco sententiam suam solo exemplo connexionis trianguli cum propria affectione ostendit, tamen ideo exemplum attulit, vt caussam multarum rerum sempiternarum necessariarumque significaret.

*Error magnus Arist.*

*Textu 4.*

*Textu 15.*

*Obiectio*



*Obiectio contra ea quæ dicta sunt, eorúmque solutio.*

## SECTIO II.

SEd contra ea quæ dicta sunt, obiiciunt quidam hoc modo. Aut connexiones per se sunt res verè existentes in rerum natura, aut minimè : si non sunt res verè existentes, erunt commentitiæ, figmentúmque erit, hominem esse animal ac disciplinæ capacem : si autem verè existunt, aut sunt creatæ, aut increatæ, atqui non sunt increatæ, quia id soli diuinæ naturæ conuenit : creatæ autem res omnes habent caussam propriè dictam : non dubium igitur quin connexiones per se verè ac propriè dictam caussam habeant. *Obiectio Primæ*

Præterea, quando duo aliqua se habent vt subiectum & proprietas, aut quasi proprietas, si id quod se habet vt subiectum, habet caussam, id etiam quod se habet vt eius proprietas : si quidem par ratio est proprietatis atque subiecti, & ab eodem pendet proprietas, à quo subiectum: at connexiones rerum cum suis prædicatis per se, sunt quædam earum proprietates (sunt enim nihil aliud quàm identitates illarum cùm prædicatis, siue priuatiuè sumantur, siue negatiuè) ergo cum res ipsæ habeant propriè dictam caussam, & earum connexiones cum suis per se prædicatis, caussam huiusmodi habebunt necessario. *Secunda*

Potest item obiici hoc modo. Demonstrationes propter quid, nihil aliud demonstrant quàm connexiones per se : quicquid autem demonstrant, id ipsum demonstrant per veram propriè dictam caussam: habent igitur huiusmodi caussam connexiones per se. *Tertia.*

Præterea, vt hoc idem argumentum magis pateat, sic licet exemplis finalium caussarum vrgere. Datur verus finis propter quem homo sit disciplinæ càpax, ipse nimirum vsus scientiæ datur etiam verus finis, propter quem constat tali corpore, nempe vt habeat animam rationis participem, immo etiam datur finis propter quem constat tali anima, vt scilicet sit beatus: hæc autem nihil aliud sunt, quàm quædam per se connexiones rerum : datur igitur vera ac propriè dicta caussa connexionum per se, nec tantum earum quæ pertinent ad secundum modum, cuiusmodi est illa, quod homo sit disciplinæ capax : sed etiam earum quæ pertinent ad primum, cuiusmodi sunt illæ, quod constet tali corpore, quod anima rationis participe. *Quarta.*

Adhæc tamen hunc in modum respondebis. Ad primum, connexiones per se nec esse res veras, nec item commentitias, sed rerum connexiones quas identitates purè negatiuas esse diximus: proinde nõ mirum esse, si nec sint res increatæ, nec item creatæ, nec prorsus vllam habeant caussam, cuius influxu suo modo existant. *Solutio primæ obiectionis.*

Ad secundum rectè probari, cõnexiones per se priuatiuè sumptas habere veras caussas : caussæ enim quarum influxu res existunt, eædem efficiunt vt earum proprietates suo modo existant : non id tamen rectè concludi de connexionibus per se purè negatiuè sumptis, quia re vera non sunt rerum proprietates. Quod ex eo manifestè intelliges, quia proprietates simul ponuntur ac tolluntur cùm propriis subiectis: at connexiones per se, non simul ponuntur cum rebus creatis, nec sunt *Secundæ.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



in illis vt in subiectis, cum suo modo sempiternæ sint, quales non sunt ipsæ res creatæ.

*Demonstrationes propter quid, quid proprie demonstrent.*

Ad tertium, demonstrationes propter quid, nihil aliud propriè demonstrare, quam connexiones per se: siquidem hæ propriè sunt, quæ sciuntur, quæque aliter habere non possunt: non tamen id efficere per veras causas ipsarum connexionum: connexiones enim principiorum demonstrationis, sunt illæ quidem directo causæ eius connexionis quæ

## CAPITIS SEXTI EXPLANATIO.

*Cur de vno agendum.*

VNVM a *dicitur*. Exposita multiplicitate principiorum & causarum entis, consequens erat, vt multiplicitas ipsius entis (eius enim principia & causæ in hac scientia quæruntur) primarùm que eius partium explicaretur. Sed quia vnum adeo connexum est cum ente, vt ambo superiori libro dicta sint vna atque eadem natura, non ab re censuit Aristoteles de vtroque in eadem parte libri agendum esse, quod fiet his decem capitibus. Cur autem prius distinguat vnum, quàm ens, hæ rationes reddi possunt. Prima, quod vnum magis sonet principium quàm id cuius principia & causæ quærantur. Vnde & hoc ipso capite dicitur principiũ eius quod in vno quoque cognosci potest. Secunda, quia cum vnum maiorem multiplicitatem habere videatur, quàm ens, pluréſque in eo distinctiones quàm in ente vsurpari soleant, priori loco distinguendum fuit. Postrema, quod ea quæ de vno dicenda sunt, non parum conducunt ad ea quæ dicenda sunt de ente.

*Cap. 2. tex. 3.*

*Cur prius Aristoteles vnum, quàm ens distinguat.*

*Prima ratio.*

*secunda.*

*Tertia.*

*Distinctio vnius.*

Distinguit ergo primum Aristoteles in hoc c. vnum in vnum per accidens & per se. Deinde vtrumque subdistinguit. Postremò docet quo pacto distingue da sint ipsa multa, quæ vni opponuntur.

ΚΕΦ. ϛ'.

*Tex. 7.*

ΕΝα λέγεται τὸ μὲν κ᾽ συμβεβηκὸς, τὸ δὲ καθ᾽ αὑτό. κ᾽ b συμβεβηκὸς μὲν, οἷον c Κορίσκος, καὶ τὸ μουσικὸν, καὶ ὁ Κορίσκος μουσικός: ταὐτὸ γὰρ εἰπεῖν, Κορίσκος, καὶ τὸ μουσικὸν καὶ Κορίσκος μουσικός: καὶ d τὸ μουσικὸν, καὶ τὸ δίκαιον, καὶ μουσικὸς δίκαιος Κορίσκῳ, πάντα γὰρ τὰῦτα ἐν λέγεται κ᾽ συμβεβηκότα: τὸ μὲν δικαιον, κ᾽ τὸ μουσικὸν, ὅτι μιᾷ οὐσίᾳ συμβέβηκε: τὸ δὲ μουσικὸν κ᾽ Κορίσκος, ὅτι θάτερον θατέρῳ συμβέβηκεν. ὁμοίως δὲ τρόπον τινὰ κ᾽ ὁ μουσικὸς, Κορίσκος ᾧ Κορίσκῳ ἐν, ὅτι θάτερον τῶν μορίων θατέρῳ συμβέβηκε τῶν ἀπ᾽ ᾧ λόγῳ, οἷον, τὸ μουσικὸν τῷ Κορίσκῳ: καὶ ὁ μουσικὸς Κορίσκῳ δικαίῳ Κορίσκῳ, ὅτι ἑκάτερον μέρος τῷ αὐτῷ συμβέβηκεν ἐνί. δὲν f γὰρ διαφέρει ἢ Κορίσκῳ τὸ μουσικὸν συμβεβηκέναι, ἢ ἐκείνῳ τοῦτο, ὡσάυτως g δὲ κἂν ἐπὶ γένους,

*Vnum per accidens duplex*

b *Per accidens*. Tradit duo præcipua genera vnius per accidens, & singula alia singulis annexa. Primum principale est, quo subiectũ & accidens dicuntur vnum, vt Coriscus, & musicũ. Ideò enim sunt, vnum, quia alterũ accidit alteri, nempe musicũ Coriſco. Annexum est autem huic generi aliud quoddam genus vnius, quo subiectum, & compositũ ex subiecto & accidente dicũtur vnum, vt Coriscus, & Coriscus musicus. Ideo enim ista sunt vnũ, quia totũ hoc, Coriscus musicus accidit Coriſco Secundum principale genus est, quo duo accidentia appellantur vnum quid, si eidem subiecto insint, vt musicũ, & iustum, si dicantur de Coriſco. Ideo enim censentur vnum, quia ambo accidunt Coriſco. Annexum est huic generi quoddã aliud, quo compositum ex subiecto & accidẽte dicitur vnum & idem cum composito ex eodẽ subiecto & alio accidente: quo pacto Coriscus musicus, & Coriscus iustus dicuntur vnũ. Ideo enim sunt vnũ, quia vtriusque compositi altera pars accidit vni, & eidem parti vtriusque, vt

musicum,



quæ demonstratur: at non sunt veræ causæ illius, hoc est, verè influentes ad illius existentiam. Contra verò, causæ eorum attributorum quæ de subiectis concluduntur, sunt veræ causæ ipsorum attributorum: & tamen non sunt directo ac propriè causæ connexionum quæ demonstrantur: cum eiusmodi connexiones, vt suo modo existant, nihil à talibus causis pendeant. Ad quartum, ex hac solutione eadem patet quid respondendum sit.

musicũ, & iustum Coriſco. In omnibus autẽ his generibus, siue principalibus, siue annexis, si rectè aduertas dicuntur plura esse vnum, quia subiectũ vnum est.

c *Vt Coriscus & musicum*. Hæc verba sic exponenda sunt, vt Coriscus dicatur vnum tum comparatus cum musico, tum etiã cum Coriſco musico. Idem enim est dicere, Coriscus & musicum sunt vnũ, ac si dicas. Coriſco accidit musicum, & (quod hinc sequitur) idem est dicere Coriscus & Coriscus musicus sunt vnum, ac siquis dicat, Coriſco accidit Coriscus musicus. Atque hæc pertinent ad priorem modum vnus per accidens.

d *Itémque musicum*. Hoc est. Idem quoque est dicere, musicum & iustum sunt vnum, ac si dicamus, musicum & iustum accidunt Coriſco, seu, quod idem valet Coriscus est musicus iustus. Quæ omnia verbis sequentibus exponuntur.

## CAPVT IV.

*Tex. 7.*

VNum a *dicitur partim per accidens, partim per se. Per accidens* b *quidem, vt* c *Coriscus & musicum, & Coriscus musicus: idem enim est dicere, Coriscus & musicum, ac Coriscus musicus: itémque* d *musicum, & iustum, atque musicus iustus Coriscus. Namq; omnia hæc per accidens dicuntur vnum: iustum quidem & musicum, quia vni substantiæ acciderunt: musicum autem & Coriscus, quod alterũ alteri acciderit. Similiter autem quodam modo* e *& musicus Coriscus, vnum est cum Coriſco, quod altera pars earum, quæ in oratione sunt, alteri accidit, nempe musicum Coriſco, & musicus Coriscus cum iusto Coriſco, quia vtriusque pars vna, eidem vni accidit. Nihil* f *enim interest, vtrum Coriſco musicum, an hoc illi accidat. Idem* g *porro euenit, siue de genere,*

e *Quodam modo & musicum*. Id est, reductitiè. Loquitur enim de modis qui sunt principalibus annexi.

f *Nihil enim interest*. Sensus est: in idem redit si dicas, Coriſco musicum accidere, ac si dicas hoc totum (Coriscum musicum) accidere illi, id est, Coriſco. Ex eo enim quod musicum accidit Coriſco, efficitur vt tota hæc coniũctio, Coriscus musicus, accidat Coriſco, vt diximus. Si enim Coriscus sit musicus, erit idem Coriscus musicus, si vero non sit musicus, nec erit Coriscus musicus. Quod idem dicendum est de Coriſco & iusto. Hæc autem verba Aristotelis eo spectant, vt intelligamus perinde esse, probare Coriscum musicum, & Coriscum iustum esse vnum per accidens, quia musicum & iustum accidunt Coriſco, ac si idem ex eo probaretur, quia ambæ copulationes accidunt Coriſco Quod ideo annotatum est ab Aristotele, quia hic posterior probandi modus aptior videri potest, vt qui magis congruat cum illo, quo probatum est, musicum & iustum esse vnum per accidens, ad quem modum vnius hic modus reuocatur.

*Ex subiecto communi, vnum per accidens.*

g *Idem porro*. Quoniam in exemplis adductis vsus est subiecto singulari, docet his verbis idem contingere si quis vtatur subiecto communi, vt homine. Homo enim, & homo musicus eodem modo sunt vnum, quo Coriscus & Coriscus musicus. Nisi quod Coriscus priori tantùm vnitatis genere est vnũ cum Coriſco musico, quatenus scilicet musicum accidit Coriſco. Nec enim Coriscus cum sit prima substantia cuiquam potest accidere, vt eo etiam modo dici possit vnum cum musico, quia ambo alicui eidem subiecto accidant. At homo vtroque genere vnitatis est vnum cum homine musico: priori quidem, quate-

nus muſicum accidit hominis: poſteriori autem, quatenus & homo & muſicum accidunt alicui ſingulari, vt Coriſco, alio tamen, atque alio modo. Nam homo accidit ſiue conuenit Coriſco, vt genus, hoc eſt, vt commune prædicatū eſſentiale: muſicum autem vt accidentarium attributum. Vſus autem eſt Ariſtoteles hoc loco verbo (fortaſſe) propter Platonē, qui vniuerſalia ſeparabat à ſingularibus. Hæc de duobus generibus vnius per accidens, quorū vtrumque dicitur vnū ratione vnius ſubiecti: quibus poſſet addi tertiū, quo ſubiecta dicātur vnū, ratione vnius accidētis, ſiue proprium illud ſit, ſiue commune, quicquid hoc loco velit Albertus: veluti ſi quis dicat omnes homines eſſe vnum ridendi facultate, aut omnes Æthiopes eſſe vnum ratione coloris.

*Addi potuiſſe tertium genus vnius per accidens.*

h *Ac ea quidem.* Vetuſtus codex Syrleti Cardinalis inſerit verbum ἐν ante verbum, λέγεται, vt bis ponatur in eadem periodo, ſitque ſenſus: omnia quę per accidēs vnum dicuntur, hoc modo dicuntur vnum. Budæus expungit ex fine, & inſerit in medio. Sed neutrum eſt neceſſe, cum vtrobique intelligendum eſſe ipſe doctrinæ contextus poſtulet, licet ſatis ſit ſi ſemel ponatur ſeu in fine, ſeu potius in medio, vt nos fecimus.

i *Eorum autem.* Tradit duas diuiſiones vni⁹ per ſe ac propriè dicti: priorē in quinque mēbra, poſteriorem in quattuor, priorem tamē multo fuſius perſequitur. Primū genus iuxta priorē diuiſionem (quod idem eſt maximè omnium vulgare) dicitur vnum continuitate, ſiue res ſit continua ratione alterius rei quæ continua ſit, vt faſcis ratione vinculi, & menſa ratione glutinis, ſiue quia ipſa continuitatem in re habet: quod quidem duobus modis accidere poteſt: vno ſi habeat illam ſecundum ſuam eſſentiam, vt linea (etiam ſi inflexa ſit, & angulum faciat) altero ſi continuitas in ea inhæreat, quo pacto crus eſt vnum quid itémq; brachium. Quamquam magis vnum (inquit) ſunt ea quę natura ſunt vnum, vt linea, crus, & brachiū, quàm quæ arte, vt faſcis, & menſa ex multis tabulis compacta. Illa enim per ſe ipſa, hoc eſt, per ſuam continuitatem continua ſunt, hæc per cōtinuitatem alterius.

*Primum genus vnius per ſe.*

*Obiectio. Solutio.* Quod ſi quis obiiciat, id, quod non eſt per ſe continuum, ſed per aliud (vt faſcis per vinculum) non rectè dici vnum per ſe ſecundum continuitatem, occurrendum eſt, quando id cuius continuitate aliquid dicitur vnum, eſt quaſi eſſentialis forma illius (cuiuſmodi eſt vinculum reſpectu faſcis vt faſcis eſt) non male alterum dici per ſe vnum ratione illius. Quicquid enim dicitur tale per formam eſſentialem, tale per ſe dici conſueuit. Non eſt tamen negandum, faſcem, & quiduis aliud ſimile, ſi abſolutè loquendum eſt, impropriè dici vnum continuum,

γόνος, κἂν ὅτι τῶν καθόλου τινὸς ὀνομάτων λέγεται τὸ συμβεβηκὸς οἷον, ὅτι ἄνθρωπος τὸ αὐτὸ καὶ μουσικὸς ἄνθρωπος: ἢ ὅτι ζῷῳ ἀνθρώπῳ μιᾷ ὅσῃ οὐσίᾳ, συμβέβηκε τὸ μουσικὸν, ἢ ὅτι ἀμφω τῶν καθ' ἕκαστον τινὶ συμβέβηκεν οἷον, Κορίσκῳ. πλὴν ὁ τὸν αὐτὸν τρόπον ἀμφω ὑπάρχει, ἀλλὰ τὸ μὲν, ἴσως, ὡς γένος, καὶ ὅτι τῇ οὐσίᾳ, τὸ δὲ ὡς ἕξις, καὶ πάθος τῆς οὐσίας. ὅσα h μὲν οὖν κατὰ συμβεβηκὸς λέγεται, ἕτερον τὸν τρόπον λέγεται ᾗ.

Text. 8.

Τῶν i δὲ καθ' ἑαυτὰ ὅσα λέγεται μίαν, τὰ μὲν λέγεται ζῷῳ συνεχῆ εἶναι, οἷον φάκελος δεσμῷ, καὶ ξύλα χόλλῃ καὶ γραμμὴ κἂν κεκαμμένη ᾖ, συνεχὴς δὲ, μία λέγεται ὥσπερ καὶ τῶν μερῶν ἕκαστον, σκέλος, καὶ βραχίων. αὐτῶν δὲ τούτων, μᾶλλον ᾗ τὰ φύσει συνεχῆ, καὶ τέχνῃ, συνεχὲς k δὲ λέγεται ᾧ κίνησις μία καθ' αὑτὸ καὶ μή, ἔστι δ' ἄλλως: μία δ' ἡ ἀδιαίρετος * ἀδιαίρετος l δὲ χρόνον. καθ' m αὑτὰ δὲ συνεχῆ ὅσα μὴ ἁφῇ ἓν. εἰ ᾗ θείης ἁπτόμενα ἀλλήλων ξύλα, ὃ φήσομεν ταῦτα εἶναι ἓν, ὅτε ξύλον, ὅτε, ἄλλο συνεχὲς ὃ δέν. τάτε ὅλη ὅλως συνεχῆ, ἐν λέγεσθαι, κἂν ἐχῇ κάμψιν· καὶ ἔτι μᾶλλον τὰ μὴ ἔχοντα κάμψιν, οἷον κνήμη, ἢ μηρὸς σκέλος, ὅτι ἐνδέχεται μὴ μίαν εἶναι τὴν κίνησιν τοῦ σκέλους. καὶ ἡ εὐθεῖα τοῦ κεκαμμένης μᾶλλον ἕν. τῶν δὲ κεκαμμένων καὶ ἔχουσαν γωνίαν, καὶ μίαν, καὶ ὃ μίαν λέγομεν ὅτι ἐνδέχεται, καὶ μὴ ἅμα τὴν κίνησιν αὐτῆς εἶναι, καὶ ἅμα τοῦ εὐθείας ἀεὶ ἅμα, καὶ ὃ δὲν μόριον ἔχον ο μεγέθους τὸ μὲν ἠρεμεῖ, τὸ δὲ κινεῖται ὥσπερ τοῦ κεκαμμένης. Ετι

Text. 8.



continuum, magiſque impropriè vnum per ſe continuum.

k *Continuum.* Docet quidnam ſit continuum, non quidem accurata ratione, ſed vt vulgo ſolet præcipuè appellari. Qua de cauſſa potius vtitur verbo (dicitur) quam (eſt) Ait ergo cōtinuum id dici, cuius per ſe motus eſt vnus, ſeu indiuiſibilis tempore, nec aliter ſeſe habere poteſt, hoc eſt, cuius nulla pars moueri poteſt, quin eodem tempore moueantur cæteræ. Hoc pacto lapidē, vectem, & reliqua corpora quæ non flectuntur appellamus cōtinua, etiam ſi ex multis corporibus conſtent, vt tabulæ agglutinatæ: in his enim cum pars vna mouetur, neceſſariæ mouentur cæteræ. Non vocamus tamē hac ratione continua, mare, brachiū, calceum, & ſimilia, quia parte vna illorum quieſcente, poteſt alia moueri. Vnde patet nec omnia, nec ſola, verè, & vt ita dicam mathematice continua, comprehendi in hac explicatione, ſed ea ſola ac omnia, quæ vulgo, vt diximus, ſolēt præcipuè appellari continua, etſi ex multis corporibus cōpacta ſint & coagmentata. Patet etiā latius acceptū eſſe continui vocabulū in precedētibus verbis (quod Alexander quoque annotat) cum inter continua numerata ſint multa, quorum partes non neceſſario mouentur ſimul, vt patebit ex ſequentibus.

*Quid ſit cōtinuum.*

*Hoc loco.*

l *Atque indiuiſibilis.* Hoc eſt tempore non diuiſo, ſeu non diuerſo, ſed eodem omnino. Neque enim datur tempus indiuiſibile, vt motus reuera eſſe poſſit tempore indiuiſibilis.

*Alio*

m *Per ſe autem continua ſunt.* Nequis traditam continui explicationem philoſophicam definitionem eſſe putet, adhibet eam quę philoſophis eſt familiaris, aitque ea eſſe per ſe continua, quæ non tactu ſunt vnum, ſed (quod ſubaudiendum eſt) ratione eiuſdem termini communis, quo partes copulantur, etiam ſi aliæ partes quieſcere poſſint, dum aliæ mouentur, vt linea inflexa, aqua maris, brachium, totum crus, quod conſtat ex tibia & femore, atque id genus alia.

*Definitio philoſophica cōtinui.*

n *Et ea igitur quæ.* Ex philoſophica continui definitione colligit non modo ea, quæ vulgo habentur continua, ſed multo etiam magis quæ omnino, hoc eſt, vera & Philoſophica ratione continua ſunt, vnum dici, etiam ſi flexionem habeant, tametſi inter verè continua, ea magis vnum dicantur, quæ flexionem non habent, quod omnium partium neceſſario ſit vnus motus.

o *Vt eius motus.* Id eſt, vt, quoad omnes partes moueri ſimul poſſit & nō ſimul.

p *Magnitudinem habens.* Hæc verba adiecta ſunt propter eos, qui lineam ex punctis

punctis constare dicebant. Potest enim linea recta moueri circa alterum ex punctis extremis, quod immotum maneat. Verum quicquid de illorum opinione sentiendum sit ait Aristoteles se loqui de partibus habentibus magnitudinem cuiusmodi non sunt puncta: omnes enim magnitudinem habentes, necessario mouentur, cum recta linea mouetur.

*Secundum genus vnius per se.*

q *Alio item modo.* Alterum genus vnius per se, est cum aliquid dicitur vnum, quia subiectum indifferēs forma sensibili seu (quod idem est) indiuisum secundum formam sensibilem, tametsi sit diuisum secundum quantitatem Intelligit autem Aristoteles nomine subiecti indiuisi secundum formam sensibilem, materiam secundam eiusdem speciei, vt aquā, vinum, mel, & similia. Quo pacto dicimus omnes fluuios, vt fluuij sunt, esse vnum quid, ratione aquæ, itémque omnia mulsa esse vnum, siue ratione mellis. Atque hæc dicuntur vnum ratione primi subiecti sensibilis, hoc est, proximæ materiæ. At vero omnia humida & quæ liquescere possunt, dicuntur vnūquid, ratione subiecti sensibilis extremi ad finem, hoc est, materiæ secundæ, quæ vltima sit in resolutione quia omnia resoluuntur in aquam & aërem tanquam in vltimam materiam secundam. Itaque totum hoc genus vnius, ex vnitate materiæ secundæ sumitur. Innuit tamen Aristoteles hoc loco posse etiam res dici vnum ratione materiæ primæ, siue simplicis & quæ sensu non percipitur. Eodem enim modo dicere possumus omnes substantias corruptibiles esse vnum quid ratione materiæ primæ, habentis coniunctam priuationem, quæ materia est quædam infima species, & omnes substantias corporeas esse vnum quid, ratione materiæ simplicis in commune, quæ genus est quoddam.

Ετι q ἄλλον τρόπον ἓν λέγεται, ᾧ, τὸ ὑποκείμενον ᾧ εἶδει ἕναι ἀδιάφορον. ἀδιάφορα δὲ, ὧν ἀδιαίρετον τὸ εἶδος ᾗ τῇ αἰσθήσιν, τὸ δὲ ὑποκείμενον ἢ τὸ πρῶτον, ἢ τὸ τελευταῖον πρὸς τὸ τέλος. καὶ γὰρ οἶνος εἷς λέγεται, καὶ ὕδωρ ὄν, ἢ ἀδιαίρετον ᾗ τὸ εἶδος· καὶ οἱ χυμοὶ πάντες λέγονται ἓν. οἶον, ἔλαιον, οἶνος, καὶ τὰ τοιαῦτα, ὅτι πάντων τὸ ἔσχατον ὑποκείμενον τὸ αὐτὸ ὕδωρ γάρ, καὶ ἀὴρ πάντα ταῦτα ὅτι. *Tex.9.*

Λέγεται δὲ ἓν, καὶ ὧν τὸ γένος ἓν διαφέροντα ταῖς ἀντικειμέναις διαφοραῖς. καὶ ταῦτα λέγεται πάντα ἓν: ὅτι τὸ γένος ὂν τὸ ὑποκείμενον ταῖς διαφοραῖς (οἷον ἵππος ἄνθρωπος κύων ἐντί, ὅτι πάντα ζῶα) καὶ τρόπον δή τινα παραπλήσιον, ὥσπερ καὶ ὕλη μία. ταῦτα δὲ, ὅτε μὲν ὅτως οὐ λέγεται ὅτε τὸ ἀνωγένος, ὁ ταυτὸν λέγεται, ἂν ᾖ τελευταῖα τὰ γένη εἴδη, τὰ δ' ἀνωτέρω τούτων· οἷον, τὸ μὲν ἰσοσκελὲς, καὶ τὸ ἰσόπλευρον, ταυτὸ καὶ ἓν σχῆμα, ὅτι ἄμφω τρίγωνα δὲ ὄντα. *Tex.10.*

Ετι

*Tertium genus vnius.*

f *Ea etiam.* Tertio modo, ea dicuntur vnum, quorum genus est vnum differens, siue diuisum oppositis differentiis, quo pacto homo, equus canis sunt vnum in animali: Hoc autem duobus modis contingit: vno si genus sit proximum, vt si ponamus animal immediatè diuidi in hominem, equum, & canem: altero si sit remotum, quo pacto homo & laurus sunt vnum in corpore animato. Ait autē Aristoteles hoc genus vnius, esse simile superiori: quia vt materia subiicitur oppositis formis, ita quodā modo genus oppositis differentiis, Dico autem quodam modo, quia materia nō necessario est diuersa sub oppositis formis, cum vna & eadem materia successiuè subiiciatur formis oppositis: & tamē natura generis necessario est alia & alia sub oppositis differentiis, cū nulla eadem



dē numero natura animalis, aut cuiusuis alterius generis possit amitere vnam differentiam, & accipere oppositam. Atque hæc videtur esse caussa quare Aristoteles adhibuit verba illa (differēs oppositis differentiis) nempe, vt distingueret genus prædicatum, de quo hic agit, à genere subiecto, siue materia de qua proxime fecerat mentionem.

*Quod idem dicitur, si vltimæ sint generis species, aliæ autem his superiores.* Et si omnes species sunt vnū in suo genere siue proximo, siue remoto, vt hactenus dictum est, docet tamen hoc loco Aristoteles non omnes posse dici nec vnum, nec idem, addito in recto casu peculiari nomine eius generis, in quo vnum sunt. Non enim rectè dixeris, hominem & bestiam esse idem animal. Ait ergo tunc id verè dici posse, cùm species sunt infimæ, & inter eas & designatum genus sint aliæ superiores, adde (in quarum aliqua illæ conueniant) quo pacto se habent triangulus æquicruris, & æquilaterus respectu figuræ: siquidem inter hanc & illos interiectus est triangulus, quod est proximum genus vtriusque, immo etiam figura rectilinea, quæ sub se continet triangulum, quadrangulum, & cæteras huiusmodi figuras. Vnde etsi non rectè quis dicat triangulum æquicrurum, & æquilaterum esse vnum aut eundem triangulum, aptè tamen dicet esse vnam & eandem figuram aut vnum & idem rectilineum. Cæterum non dicet, hominem & laurum esse siue vnum, siue idem viuens, quia etsi viuens est genus remotum vtriusque, non continet tamen sub se vllam speciem in qua homo & laurus conueniant. Aduerte autem, documentum hoc non in solis speciebus infimis verum esse, sed etiam in subalternis respectu earum generis remoti, si illæ sub eo in specifica aliqua differentia conueniant: quod ipse Auctor generali documento tradit quarto Physicorum, capite vltimo, vt si dicas piscem & volucrem esse idem viuens, aut triangulum & quadrangulum, eandem figuram. Quod idem documentum in indiuiduis respectu suorum superiorum obseruandum est: vt si exempli caussa dicamus, Socratem & Platonem esse vnum atque idem animal, non item vnum atque eumdem hominem. Itaque licebit dicere hominem & bestiam esse vnum in animali, & idem in animali, non autem vnum animal, aut idem animal: eodémque modo triangulum æquicrucem, & æquilaterum esse vnum in triangulo, & idem in triangulo, non autem vnum triangulum, aut eumdem triangulum. Aduerte etiam, Aristoteles, cum ait (quod idem dicitur) particulam (quod) non significare præcisè genus remotum, vt primo aspectu videtur, sed genus absolutè: alioqui inaniter adderentur verba illa (Aliæ verò his superiores.)

*Documentū infimis speciebus conueniens.*

Tex.9. *Alio q item modo vnum dicitur, quia subiectum est indifferens forma. Sunt autem indifferentia, quorum forma sensu diuidi nequit: subiectum vero aut primum, aut vltimum ad finem. Nam & vinum vnum dicitur, & aqua vna, quatenus r forma diuidi nequit, & liquores omnes, vt oleum, vinum, & quæ liquescere possunt, ex eo dicuntur vnum, quia idem est vltimum omnium subiectum: aqua enim, & aër sunt hæc omnia.*

Tex.10. *Ea s etiam dicuntur vnum, quorum genus est vnum oppositis differentiis differens. Atque hæc omnia vnum dicuntur, quia vnum est genus differentiis subiectum (quo pacto equus, homo, canis, vnum quiddam sunt, quia omnia sunt animalia) & modo quodam, perinde vt vna materia. Hæc verò interdum hoc pacto vnum dicuntur, interdum superiori genere: quod t idem dicitur, si vltimæ sint generis species, aliæ autem his superiores. Verbi caussa, triangulus duorum æqualium laterum, & qui æqualibus constat omnibus, vna eadémque figura sunt, quia ambo trianguli: at non sunt ijdem trianguli.*

Præterea

*Quo pacto etiam in subalternis speciebus verū sit traditum documētum.*

*In indiuiduis etiam.*

*Quartum genus vnius.*

u *Præterea vnum.* Quarto modo ea dicuntur vnum quorũ essentialis definitio diuidi non potest, nõ quidẽ omnino (omnis enim definitio ipsa per se diuisibilis est in genus & differentiam) sed in aliam definitionẽ essentialem, quã sub se contineat quasi partem subiectam: quo pacto definitio corporis animati diuidi potest in definitiones animalis & plãtæ, definitióque animalis, in definitiones hominis & bestiæ. Itafit, vt sola ea quæ cõueniunt in eadem specie infima, sint vnum hoc vnitatis genere, quicquid sentiat Auerroes, qui putat cõprehẽdi hoc loco quæcumque sunt vnum in definitione cuiusuis prędicati essentialis. Dixi autem (in aliam essentialem) quia non est negandum, definitiones specierum infimarũ diuidi posse in varias descriptiones, vt animal rationis particeps in animal rationis particeps tale. Individua enim quæ sub eadẽ specie infima continentur, etsi non definiũtur propriis ac peculiaribus definitionibus essentialibus, sed communi tantum totius speciei, describi tamen solent propriis quibusdã explicationibus, traditis per accidentia, quibus inter se distinguuntur: quæ descriptiones quodãmodo cõtinentur sub definitione speciei infimæ. Dixi etiam (quam sub se cõtineat,) quia dubiũ non est quin definitio speciei infimæ diuidi possit in definitionem superioris speciei, & in differẽtiam illi additam. Verum definitio superioris speciei, nõ continetur sub definitione inferioris, cũ latius pateat. sed cõtinetur in illa, tanquam eius pars constitutiua. Hoc igitur vnitatis genere ait Aristoteles esse vnum, id, quod augescit, vt Alcibiades puer, & id, quod decrescit vt Socrates senex, itém que duo plana, quorum alterum exempli causſa, excedat longitudine, alterum latitudine: sunt enim individua eiusdem speciei: illa quidem vt homines, hæc autem vt plana, siue superficies. Aduerte autem, ideo verba [ad aliam] pro [in aliam] posita esse in contextu, quia, diuisio terminatur ad ea in quæ res diuiditur.

*Sola individua sub specie infima, hoc genere vnitatis contineri.*

Ετι v δὲ ϕ λέγεται ὅσων ὁ λόγ⊖ ὁ τὸ τί ἦν εἶναι λέγων, ἀδιαίρετ⊖ πρὸς ἄλλον τὸν ἀπλεῖστα ὁ τὸ τί ἦν εἶναι τὸ πρᾶγμα. αὐτὸς γ καθ' αὑτὸν τᾶς λόγ⊖ διαιρετός. ὅτω γ κ τὸ ἀυξημένον κ φθῖνον, ϕ ὄγιν ὅτι ὁ λόγος εἷς, ὥσπερ ὁ τῶν ἐπιπέδων τῶν ἐχόντων μᾶκος καὶ πλάτος ὁ τ εἰδοποιός.

Text. 11.
Comm. 11.

*Præterea v vnum dicuntur ea omnia, quorum ratio quæ quidditatem dicit, indiuisibilis est ad aliam, quæ quid res sit, declaret. Omnis enim ratio ipsa per se diuidi potest. Sic enim id, quod augescit, & quod decrescit vnum sunt, quod ratio eorum sit vna, quemadmodum in planis longitudinem, & latitudinem habentibus ratio formæ vna est.*

Ολως x δὲ ὧν ἡ νόησις ἀδιαίρετος. ἡ νοῦσα τὸ τί ἦν εἶναι, καὶ μὴ δύναται χωρῆσαι μήτε χρόνῳ, μήτε τόπῳ, μήτε λόγῳ μάλιστα τᾶυτα ϕ. καὶ τούτων, ὅσα οὐσίαι.

*Omnino x autem, quorum ratio, quæ quidditatem intelligit, indiuisibilis est, nec tempore, nec loco, nec ratione separari potest: ea maximè vnum sunt, & horum quæcumque sunt substantiæ.*

Cap. 2. q. 5. sect. 5.

Καθόλου γ γὰρ ὅσα μὴ ἐχ διαίρεσιν, ἢ μὴ ἔχει, τᾶυτα ϕ λέγεται· οἷον, εἰ ἄνθρωπος μὴ ἐχ διαίρεσιν, εἷς ἄνθρωπος, εἰ δὲ μὴ ζῷον ϕ ζῷον εἰ δὲ μὴ μέγεθος, ϕ μέγεθος. τὰ μὲν γ ἄλλων πλεῖστα ϕ λέγεται ὡς ἕτερόν τι πάσχειν, ἢ ἔχειν, ἢ πρός τι εἶναι. τὰ

*Vniuersè y enim quæcumque diuisionem non habent, quatenus non habent, eatenus vnum dicuntur: vt si quatenus homo diuisionem non habet, vnus homo: si quatenus animal vnum animal: si quatenus magnitudo, vna magnitudo. Ac z plurima quidem dicuntur vnum, quod aliquid aliud aut faciant, aut habeant, aut patiantur, aut ꝙ ad aliquid vnum sint.*

*Individua vt describi soleant.*

*Quintum genus vnius quod excellit cæteris.*

*Quæ sint vnum re & ratione.*

*Cur sint maxime vna quæ sunt in hoc genere.*

*Omnino autem.* Tradit quintum, & extremum genus vnius proprie dicti, quo ait res esse maxime vnũ. Sensus autem loci is esse videtur, vt ea dicãtur vnum hoc modo, quæ sunt vnum & re, & ratione, seu (quod idem est) idem numero, vt Socrates & hic homo, ostenso eodẽ, gladius & ensis, homo & animal rationale: quod genus vnius numero cẽsuit Aristoteles primo Topicorũ esse maximè prium. Ea porro dicuntur hoc loco vnũ re & ratione, quorũ notio quæ quidditatem intelligit (hoc est, qua res quatenus tales sunt percipiũtur, etiã si singulares sint) est indiuisibilis, hoc est, nullã distinctionẽ illorũ declarat, siue realem quæ significatur per separationẽ secundum tẽpus & locum, siue rationis quæ exprimitur in cõtextu. Additauté Aristoteles inter ea quæ hoc pacto sunt vnũ, primum locum obtinere substãtias, quia quemadmodum substantiæ sunt aliis rebus causſæ entitatis, sic etiã & vnitatis. Tum etiam, quia accidẽtia, præsertim concreta, vt album, quodãmodo sunt multa propter societatem subiectorum, quæ necessario secũ afferunt. Cur autẽ doceat, ea quæ hoc genere vnitatis sunt vnum, esse maximè vnũ hæc videtur causſa, quia quæ sunt vnum primo aut secundo modo, possunt esse diuersa, tum re, tũ ratione, vt patet in exemplis superius adductis: quæ autẽ sunt vnum tertio aut quarto modo, & si sunt vnum ratione



tione in suo genere aut specie, tamen aut non sunt idem re, vt homo, & equus, Socrates & Plato, aut certè si quando sunt idem re, vt conuexum & concauum in eadẽ superficie, non sunt tamen simpliciter idem ratione, vt patet. At in hoc extremo genere ea sola dicuntur vnum, inter quæ intellectus nullam inuenit distinctionem, siue realem, siue rationis, quæ ex natura rei ducatur: huiusmodi enim distinctio rationis intelligẽda est hoc loco. Ita omnis res, siue singularis, siue cõmunis sit, quatenus præcisè sumitur, est vna quinto vnitatis modo, magis tamen ea quæ singularis est, præsertim si sit substantia.

*Obiectio.*

Quod si quis obiiciat, hominem communem etiam, quatenus præcisè sumitur, non esse vnum re, cùm tam multiplex si re ipsa, quam multi sunt homines individui, vt 4. libro diximus: occurrẽdum est, vnitatem realem de qua loquuti sumus, intelligendam esse negatiuè in naturis communibus, vt si dicas, hominem, ex eo quod præcisè sumitur, nullam sibi vendicare multiplicitatẽ realem, licet aliunde ei illa prouueniat. Atque hæc est

*Solutio.*

causſa, cur huiusmodi vnitas magis conueniat rebus singularibus, quàm communibus præcisè sumptis.

*Alexandri Alensis expositio.*

Alensis tamen Alexander, ita hoc loco strictè intelligit hoc vnitatis genus, vt explicatio quam adhibet, non modo non conueniat rebus quantis, sed nulli quidem speciei aut individuo completo, præterquã diuinæ essentię, & vix etiam reliquis naturis simpliciter simplicibus, generibus, inquam, summis & differentiis, quibus rerum essentię constant, eo quod modo aliquo constant ex esse & essentia. Credit enim ea dici ab Aristotele inseparabilia loco & tempore, quæ non concernunt vlla multitudine partium, aliam atque aliam partem loci aut temporis. Ea verò inseparabilia ratione, in quibus apprehẽdi nequeũt diuersæ rationes per modum compositionis, siue physicæ, quæ fit ex materia & forma, siue metaphysicæ, quæ fit ex genere & differentia, aut ex natura specifica & differentia individuali, aut essentia & esse. Itaque non placet expositio, quoniam Aristoteles planè complectitur in hoc genere vnius omnes substãtias in suo quamque gradu, & suo etiam modo accidentia, præsertim abstracta. Alij quoque aliter hunc locum exponunt, sed eorũ explicatio nõ videtur probãda.

*Reiicitur.*

y *Vniuersè enim.* Reuocat omnia genera vnius hactenus exposita ad generalem quandam vnius rationem, quæ quidẽ est esse indiuisum, simulque innuit, ideo quintum genus esse præcipuum, quia huiusmodi ratio maximè in illo cernitur: propterea namque dixit *Vniuersè enim. &c.*

*Reuocantur genera vnius ad esse indiuisum.*

z *Ac plurima.* Reuocat ad vnũ propriè dictũ (quod scilicet prædictis generibus explicatum est) quædã alia, quæ respectu illius dicuntur vnum: vel quia id efficiunt, vt si dicas, opifices eiusdem domus, esse vnum quid, quod domus quæ ædificatur sit vna: vel quia aliquid vnum patiuntur, quo pacto vnũ appellamus populũ qui ab vno principe regitur: vel quia aliquid vnum habent, qua ratione multi possessores eiusdẽ agri possunt dici vnum, quod ager sit vnus: vel quia aliquo alio modo cõparatione vnius, vnum esse censentur, vt si quis dicat extrema vitia esse vnũ, quo d vni virtuti mediæ aduersentur. Hæc autẽ iccirco

*Plura quæ ad vnum reduci dicuntur.*

impropriè dicuntur vnum, quia quatenus hac ratione vnũ appellantur, non dicuntur vnum, quia ipsa vnum sint, sed quia aliquid aliud est vnum.

*a a Quæ autem primo.* Docet ideo quinque prædicta genera ad quæ nunc alia quædam reuocauit esse primo hoc est, proprie vnum, quia eorũ substantia est vnum: vel quia censentur vnum, non quod alia, sed quod ipsa sint vnũ, siue ea vnum dicantur continuatione, vt quæ pertinẽt ad primũ, siue forma, vt quæ ad secundum & tertium (nam & genera formæ dicuntur, vt patet ex capite secundo) siue ratione, vt quæ ad quartum & quintum.

*b b Ea enim vt plura.* Quæcunque enim propriè dicuntur plura, aut plura appellantur, quia non sunt continua, vt hæc aqua & illa, aut quia eorum non est vna forma, vt pars rami viridis & ficca (quidquid sit de earum continuitate) vel quia non sunt eiusdem rationis, vt actio & passio.

*Aliud genus vnius improprium.*

*c c Præterea cum modo vno.* Adiungit alium improprium modũ vnius iis quos paulo ante retulit, quo aliquid, vnum dicitur non ab indiuisione sua vel alterius rei, sed quia est totum & perfectum, vt vnus calceus, id est, integer & propriam habens formam: vna linea, id est, perfecta & cui non potest fieri additio, cuiusmodi est circularis. Quod autem hæc significatio sit in vsu, ex eo ostendit, quia etsi partes calcei alio modo continuatæ inter se quam vt efficiant calceum, propriè dicantur vnum ratione continuitatis, vt si coriũ ita iam scissum sit in partes calcei, vt illæ adhuc breuibus spatiolis inter se cohæreant, ea tamen ratione interdum appellãtur non vnum, quod formam & perfectionem calcei nondũ acceperunt. Præterea, etsi linea recta non minus sit vna ratione cõtinuitatis quàm circularis, tamen quatenus non est perfecta, quod ei possit fieri additio, non æque vna dicitur ac circularis.

*Proprietas vnius est vt sit numeri principium.*

*d d Esse autem vnius.* Tradit quandam vnius proprietatem, qua vnum dicitur principiũ numeri. id est, multitudinis: siue multitudo pertineat ad prædicamentum quantitatis (quæ propriè numerus appellari solet) siue ad quodcunque aliud prædicamentum, vt libro decimo capite secundo aperte docet Aristoteles, & ex sequentibus palam fiet. *Tex. 2. & 3.*

Aduerte autem, non ita intelligenda esse verba contextus, quasi in ea posita dicatur natura vnius, vt sit principium multitudinis (hoc enim non esset tradere proprietatem vnius, sed propriam eius rationẽ, quod plane pugnaret cum eo quod supra dictum est. Quæ diuisionem non habent, ea ratione qua nõ habent vnum dici) sed quasi dicat Aristoteles, ex ratione vnius nasci rationem principij multitudinis, vt sensus non sit formalis, sed caussalis.

Illud etiam aduerte, merito non dixisse Aristotelem, vnum esse omne, seu quoduis principium numeri, sed quoddã principium, quia cũ multa sint principiorum genera, vnum, siue vnitas, est principium intrinsecum & materiale, non extrinsecum, aut formale nisi quatenus vnitas, quæ mente vltima colligitur, suo quodam modo est forma numeri, vt inferius patebit.

Demum

τὰ δὲ aa πρώτως λεγόμενα ᾧ, ὧν ἡ οὐσία μία, μία δὲ ἡ συνεχείᾳ, ἢ εἴδει, ἢ λόγῳ. καὶ bb ᾧ ἀριθμὸς μὲν ὡς πλείω, ἢ τὰ μὴ συνεχῆ, ἢ ὧν μὴ ᾧ τὸ εἶδος, ἢ ὧν ὁ λόγος μὴ εἷς.

Ετι cc ἐπεὶ ἔστι μὲν ὡς ὅτιοῦν ᾧ συνεχὲς φαμὲν εἶναι, ἀφ' ἧς ποσόν, ἢ συνεχές· ἔστι δ' ὡς ὃ ἂν μόνον ἕν. τοῦτο δὲ ἢ μὲν τὸ εἶδος ἔχη ᾧ· ὅσα ἂν φαίμεν ᾧ (ἰδόντες ὁμοίως ἀπωσεῖν τὰ μέρη συγκείμενα τῷ ὑποδήματος) ἐὰν μὴ διὰ τίλν συνέχειαν, ἀλλ' ἐὰν ὅτως, ὥστε ὑπόδημα εἶναι καὶ εἴδός τι ἔχῃ, ἤδη ᾧ. διὸ καὶ ἡ τοῦ κύκλου μάλιστα μία τῶν γραμμῶν, ὅτι ὅλη ἡ τέλειός ἐστι. *Text. 12.*

Τὸ dd δὲ ἓν εἶναι, *ἀρχή τινί ἐστιν ἀριθμὸς εἶναι. τὸ ee γὰρ πρῶτον μέτρον ἑκάστου γένους ἀρχή· ὧ γὰρ πρώτῳ γνωρίζομεν, τοῦτο πρῶτον μέτρον ἑκάστου γένους. ἀρχὴ ff οὗ τ' γνωστὸν περὶ ἕκαστον γένος τὸ γὰρ ὀ ταυτὸ δὲ ᾧ πᾶσι τοῖς γένεσι τὸ ᾧ· ἔνθα μὲν γὰρ διέσις· ἔνθα δὲ τὸ φωνῆεν ἢ ἄφωνον· βάρυς δὲ ἕτερον· καὶ κινήσεως ἄλλο. παντα χῶ *γρ. ἀρχή.*

*Aduerte.*

*Tex. 2. & 3.*

*Vbique*

Demum quod ad contextum attinet, Budæus pro verbo archi, quod est in omnibus excusis codicibus, ponit archi, vt hæc sit sententia. Esse autem vnius, est esse cuiusdam principij, seu, vt Aristoteles loqui solet, esse cuidam principio numeri. Syrleti verò manuscriptus maluit pro arithmou, substituere datiuum arithmo, vt sensus sit, esse vnius, est esse cuiusdam numeri. Cùm verò altera correctio necessaria esset, si restituendum esset verbum tini, nec posterior is sensus, videretur aptus (neque enim cuiusdam numeri tantum, sed omnis numeri principium est vnitas) priorem nos meritò sequendam existimauimus.



*Quæ autem* a a *primo dicuntur vnum, ea sunt quorum substantia vna est: vna verò aut continuatione, aut forma, aut ratione. Ea enim* bb *vt plura numeramus, quæ aut continua non sunt, aut quorum forma non est vna, aut quorum ratio non vna.*

*Præterea* cc *cum modo vno quiduis continuatione vnum esse dicamus, si quantum sit atque continuum, alio modo non dicamus, si totum aliquid non sit, hoc est, si formam non habeat vnam: non vtique similiter vnum dixerimus, si calcei partes quomodocumque compositas videamus, nisi propter continuationem: sed si eo pacto, vt calceus sit, & quamdam habeat formam, tum demum vnum dicimus. Hinc sit, vt ex omnibus lineis maximè vna sit linea circuli, quod tota sit, atque perfecta.*

*Esse* dd *autem vnius, est esse cuiusdam principij numeri. Prima* ee *enim cuiusque generis mensura, principium est: quod enim primo cognoscimus, id prima mensura est cuiusque generis: Est igitur* ff *vnum ipsum principium eius, quod in vnoquoque genere cognosci potest. Non est porro in omnibus generibus idem vnum sed hic quidem diesis: illic autem vocalis, aut muta: ponderis item, aliud: & motus aliud.*

Esse dd autem vnius, est esse cuiusdam principij numeri. Prima ee enim cuiusque generis mensura, principium est: quod enim primo cognoscimus, id prima mensura est cuiusque generis: Est igitur ff vnum ipsum principium eius, quod in vnoquoque genere cognosci potest. Non est porro in omnibus generibus idem vnum, sed hic quidem diesis: illic autem vocalis, aut muta: ponderis item, aliud: & motus aliud. Vbique

*Text. 12.*

*e e Prima enim cuiusque.* Probat vnum esse principium multitudinis, ex eo quod est prima mensura illius. Namque omnis prima mensura, cuiusque generis sit, eius principium est, vnum autem est prima mẽsura multitudinis. Quod autem omnis prima mensura cuiusque generis, sit eius principium, ex eo patet, quia vnde res primo cognoscitur, id ipsum est prima illius mensura, res autẽ quæ habet principia, ex iis primo cognoscitur, siquidem vnde res primo habet vt sit, inde primum habet yt cognoscatur.

*ff Est igitur vnum.* Cum probatum sit vnum solius numeri, siue multitudinis esse principiũ, non rectè videtur hoc loco ex dictis colligi, vnum esse principium eius quod in vnoquoque genere cognosci potest. Nã & ipsum vnũ cognoscibile est in vnoquoque genere, nec tamẽ est multitudo: & plurimæ res sunt in singulis prædicamentis (ne dicã omnes) quarũ nullã verè dixeris esse multitudinẽ. Re tamen vera non est vitiosa collectio, si nomine vnius intelligatur id, quod in vnoquoque genere est maximè vnũ, & ipsum quoque vnum à numero cognoscibilium excipiatur, vt sit sensus: Id, quod est maximè vnum in vno quoque genere esse principium cuiuslibet alterius cognoscibilis pertinentis ad idem genus. Nam cùm ea quę minus sunt vnum, modo aliquo sint multa, efficitur vt ex eo, quod maximè vnum est in vnoquoque genere, cætera quæ ad idem genus pertinent aliqua ratione pendeant, vt à prima eius generis mensura, quod libro decimo cum Aristotele latius explicandum est. Sequitur deinde, non idem maximè vnum reperiri in omnibus generibus. Nam in concentibus, diesis, hoc est, primum interuallum, siue discrimen sensibile inter acutum & graue (quod apud nos dicitur semitonium minus) aurium iudicio censetur omnino indiuisibile quippiã, ac proinde maximè vnũ. In vocibus autem quæ pluribus litteris exprimuntur vocalis aut muta, quod ciusmodi voces in alias priores non resoluantur, & potius vocalis, quàm muta, quia vocalis per se proferri potest, muta sine vocali non potest. In põderibus verò scrupulus, aut si qua est alia minor ponderũ mensura iuxta vsum cu

*Quomodo ex dictis aptè colligatur vnum esse principium cognoscibilium.*

*Sensus verborum contextus.*

iusque artificis. Denique in motibus, is qui fuerit maximæ celeritatis & minimo tempore spatiũ cõficiat, cuiusmodi est in totovniuerso motus primi mobilis.

*Quot modis vnum sit indiuisum.*

*gg Vbique autem vnum aut forma.* Docet quot modis accidere possit vt vnum sit indiuisum, atque quicquid vnum est, aut quãtitate, aut forma esse indiuisum. Vnde patet, latius hic accipi nomen formæ quàm superius cũ ea quæ propriè vnum sunt, aut continuatione, aut forma, aut ratione vnũ esse dicebãtur. Itaque nomine formæ, ratio etiam (quod sæpe fieri solet) intelligitur hoc loco. Tum, deinde exponit quot modis indiuisio cernatur in quantitate, qua in re non opus est explicatione,

παντα χῆ gg δὲ τὸ μὴ η ζωὴ εἴδει, ἢ ζωὴ ποσῷ ἀδιαίρετον τὸ μὴ οὖν ΧΠ τὸ ποσὸν, ἢ μὴ ποσὸν ἀδιαίρετον, τὸ μὴ πάντη καὶ ἄθετον, λέγεται μονὰς: τὸ δὲ πάντη, καὶ θέσιν ἔχον, στιγμὴ: τὸ δὲ μοναχῆ, γραμμὴ: τὸ δὲ διχῆ, ἐπίπεδον: τὸ δὲ πάντη καὶ διχῆ διαίρετον ΧΠ τὸ ποσὸν, σῶμα καὶ ἀντιστρέφαντι δὴ, τὸ μὲν διχῆ διαιρετὸν, ἐπίπεδον: τὸ δὲ μοναχῆ, γραμμὴ: τὸ δὲ πάντη καὶ διχῆ διαιρετὸν, σῶμα: τὸ δὲ μηδαμῆ διαιρετὸν ΧΠ τὸ ποσὸν, στιγμὴ, ἢ μονάς: ἡ μὲν ἄθετος μονὰς: ἡ δὲ θετὸς στιγμὴ.

*Exposito magni Alberti reiicitur.*

*hh Præterea alia numero vnum sunt.* Credit Albertus exponi hoc loco ab Aristotele quot modis accidat indiuisio secundum formam. Verum neque verba contextus eã expositionem præ se ferunt, nec apud Aristotelem hoc loco, ea quæ sunt vnum numero, dicuntur indiuisa ratione formæ, sed ratione materiæ quæ indiuisio ad indiuisionem quantitatis reuocatur. Potius ergo cum D. Thoma & Alexandro dicendum est, subiici hoc loco alteram diuisionem vnius per se, longe expeditiorem priori, & apud Dialecticos magis vsurpatam. Ea vero est, qua quæcunque vnum sunt, aut numero, aut specie, aut genere, aut analogia vnum dicuntur: Videtur autem hæc diuisio eo amplior priori, quod complectatur ea quæ sunt vnum analogia, quorum in illa non est facta mentio. Atque ideo fortasse hoc vnitatis genus in illa prætermissum est, quia vnitas analogica est omnium minima, vt quæ in rebus etiam distantissimis cerni potest, veluti in Deo & in creaturis.

*D. Tho. probatus.*

*Altera diuisio vnius per se.*

*D. Tho. lect. 8. Alexand. comm. 11.*

Quod si quis Aristotelem reprehendat, quod non exposuerit modos indiuisionis secundũ formam, vt explicauit eos qui spectant ad indiuisionẽ secũdum quantitatem & materiam, occurrendum est, eam explicationem prætermissam fuisse, quod partim colligi possit ex priori diuisione vnius, partim vero, ac multo melius ex tribus posterioribus membris huius posterioris. Quæ enim sunt indiuisa secundum formam: aut specie, aut genere, aut analogia indiuisa sunt: quod Caietanus rectè annotauit in aureum illum D. Thomæ libellum, quem de ente & essentia inscripsit. Vnde factum est, vt indiuisio numeralis appellata sit materialis, specifica vero, generica & analogica formalis.

*Quæ hoc loco vnum numero censeantur.*

*ii Numero quidem ea sunt, quorum materia vna est.* Non censentur hoc loco vnum numero quæcumque sunt idem re & ratione, vt à nobis accepta sunt, cũ extremum mẽbrum prioris diuisionis explicaremus, sed ea sola quæ sunt indiuidua. Quæ enim communia sunt, aut sunt vnum specie, aut genere, aut Analogia. Proinde nomine materiæ intelligit Diuus Thomas materiam signatam, hoc est, certa quantitate affectam, quam putat esse principium indiuiduationis.

*In cap. 4. quæst. 6.*

*Obiectio.*

At obiici solet candorem & saporem huius lactis esse in eadem materia signata, nec tamen esse vnum numero, contra vero Michaëlem & hunc Angelum (ostenso eodem) esse vnum numero, nec tamen habere vllam materiam, nedum signatam, ergo non rectè traditam esse definitionem.

*Loco citato.*

*Solutio.*

His obiectionibus varie respondent, qui materiam signatam principiũ indiuiduationis esse volunt. Alij qui id negant, nomine materiæ, differentiã indiuidualem intelligunt. Verum cum neutri satisfaciant (priores enim nõ rectè de principio indiuiduationis videntur sentire, posteriores autem inauditam apud



apud Aristotelem materiæ vsurpationem inducunt) latè de hac re, absoluta expositione contextus disserendum est.

*Cur ea quæ sunt vnum specie, dicuntur vnum ratione.*

*kk Specie autem quorum.* Ideo ea quæ sunt vnum specie, dicuntur vnum ratione siue definitione, quia sola species propriè definitur: cùm ea sola constet genere & differentia. Nec obstat quod indiuidua eiusdem speciei sunt vnum specie, nec tamen propriè definiuntur. Nam etsi propriè definiri nequeunt singulatim accepta, definiuntur tamen quatenus communem speciei naturam participant.

*Vbique gg autem vnum aut forma, aut quantitate indiuisibile est. Id igitur, quod quantitate, quatenus quantitas est, diuidi nequit, quod quidem omnino tale est, & situ caret, vnitas dicitur, quod verò & omnino tale est, & situm habet, punctus: quod autem vno modo linea, quod duobus planum: quod denique omnino, tribusque modis ratione quantitatis diuidi potest, corpus appellatur. Et conuerso ordine, quod duobus modis diuiduum est planũ: quod vno, linea: quod omnino, tribusq; modis, corpus: quod vero nullo modo potest ratione quantitatis diuidi, punctum, atque vnitas: vnitas quidem quæ situm non habet, punctus vero quod habet.*

*Præterea hh alia numero vnũ sunt, alia specie, alia genere, alia verò analogia. ii Numero quidẽ ea sunt quorũ materia vna est: Specie kk autẽ quorũ vna est ratio: Genere, ll quorũ eadẽ est prædicationis figura: Analogia*

*Obiectio.*

Quod si quis obiiciat, ergo hominem & equum esse vnum specie, quia quatenus naturam animalis participant, vna & eadem propriè dicta definitione comprehenduntur, occurrendum est, non esse parem rationem in pluribus speciebus eiusdem generis, atque in pluribus indiuiduis eiusdem infimæ speciei. Species enim eiusdem generis, cum peculiaribus sibi definitionibus propriè dictis explicentur non rectè dicuntur simpliciter vnum definitione, sed cum adiectione hac, quatenus sunt vnum in eodem genere subalterno. At indiuidua eiusdem infimæ speciei, cum non per se ipsa, sed ratione suæ speciei propriè definiantur, simpliciter & absolutè dici possunt vnum definitione.

*Solutio.*

*Indiuiduæ tione sui, propriè non definiuntur.*

Porro si quis quærat, num quemadmodum quodlibet indiuiduum si secum conferatur est vnum numero, sic etiam quælibet species siue infima siue subalterna secum comparata sit vnum specie, concedendum id sane est, cum sit vnum definitione.

*Quæ vnum genere.*

*ll Genere quorum est eadem prædicationis figura.* Hoc est, quæ eodem modo prædicantur de primis substantiis. Nam cùm distinctio prædicamentorum ex variis modis prædicandi de primis substantiis à posteriori colligatur, vt ca seq. patebit, quæcumque comperta fuerint eodem modo prædicari de primis substantiis, ad idem prædicamentum pertinere dicẽda erunt, ac proinde ad vnum, atque idem genus, vt homo & laurus, animal & planta, corpus & spiritus, immo etiam substantia ipsa quæ genus summum est secum collata.

Aduerte autem, etsi hoc loco non definiuntur ea quæ sunt vnũ genere subaltetno quatenus talia sunt, sed quatenus sunt vnum genere summo, facile tamen ex iis quæ paulò antè dicta sunt, definiri posse, si ea dicantur vnũ genere subalterno quæ eadẽ definitione generis propriè dicta continetur. Quo pacto non sunt vnum genere substantia corporea & incorporea, aliæve vllæ species generi summo proximè subiectæ, quia genera summa nõ propriè definiuntur.

*Quæ reuocentur ad vnum genere.*

Illud etiam aduerte, ad vnum specie & ad vnum genere reuocari vnum differentia siue speciali siue generali, vt si dicas, Socratem & Platonẽ esse vnum, quatenus rationis participes, itémque equum & laurum quatenus viuentia. Non meminit tamen Aristoteles horum modorum vnius quia ferè nemo ita loquitur, vt dicat, res esse idem differentia, siquidem nomen differentiæ in declarando potius discrimine rerũm, quàm vnitate & conuenientia vsurpari solet.

*Argumentũ.*

OBIICIAT porro aliquis hoc loco, non rectè definiri ea quæ sunt vnum

vnum genere, cum dicuntur illa, quorum est eadem prædicationis figura. Nam Socrates & Plato, cum sint vnum specie, sunt etiam vnum genere iuxta ea quæ paulò pòst tradit Aristoteles, nec tamen prædicantur sed subiiciuntur, à primis enim substantiis nulla est prædicatio, vt idē docet in prædicamētis. Huic obiectioni respondeti potest: primū quidē nomine prædicationis innui oppositam subiectionem, vt ea etiam dicantur vnū genere, quorum eadē est subiectionis figura. Nam & par ratio est in vtraque, & prædicamentum quod hic per figuram prædicationis innuitur, vel maximè complectitur primas substantias, quæ cæteris omnibus subiiciuntur, & de nullo prædicantur. Deinde verbū, κατηγορια quod prędicationem iuxta propriam significationem vertimus, posse sumi hoc loco pro prædicamento, hoc est, pro serie eorum quæ prædicantur & subiiciuntur, quo pacto sumitur in inscriptione libri τῶν κατηγοριῶν: hoc autem modo sensus erit, ea esse vnum genere quorum est idem prædicamentum hoc est, quæ ad idem prædicamentum pertinent, etiā si nō prædicentur sed subiiciantur. Postremo Socratem & Platonem & si non prædicantur naturali prędicatione directa (quo pacto negat Aristoteles primas substātias prędicari) prędicari tamen naturali omnino identica de primis substātiis, hoc est, de se ipsis, quo pacto nullum accidens de primis substantiis dicitur. Itaque, vel propter hunc peculiarem modum prædicationis de primis substantiis dicere possumus, Socratem & Platonem habere eamdem prædicationis figuram siue formam, ac proinde non excludi ab iis, quæ sunt vnum genere.

*Soluitur tribus modis*

*Primo.*

*Secundo.*

*Tertio.*

*Cap. 5.*

κ|| mm ἀναλογίαν δὲ, ὅσα ἔχει ὡς ἄλλο πρὸς ἄλλο. ἀεὶ nn δὲ τὰ ὕστερα τοῖς ἐμπροσθεν ἀκολουθεῖ: οἷον, ὅσα ἀριθμῷ, καὶ εἴδει ἓν· ὅσα δ' εἴδει, ὃ πάντα ἀριθμῷ, ἀλλὰ γένει πάντα ἓν ὅσαπερ καὶ εἴδει: ὅσα δὲ γένει, ὃ πάντα εἴδει, ἀλλὰ ἀν ἀλογίᾳ: ὅσα δὲ ἓν ἀναλογίᾳ, ὃ πάντα γένει.

Φανερὸν oo δὲ καὶ ὅτι τὰ πολλὰ ἀντικειμένως λεχθήσεται ὡς ἓν: τὰ μὲν, ὡς μὴ συνεχῆ εἶναι: τὰ δὲ ὡς διαιρετὸν ἔχειν τὸν ὕλιν κ|| τὸ εἶδος, ἢ τὸν πρῶτον, ἢ τὸν τελευτάιαν: τὰ δὲ, ὡς τὸς λόγους πλείους τοῦ τί ἦν εἶναι λέγοντας.

*Vnum analogia.*

*mm Analogia quæcunque.* Cùm analogia duplex sit, vna secundum attributionem, altera secundum proportionem, quas libro quarto ad caput 2. fusè explicauimus, solius tamen posterioris expressam mentionem facit Aristoteles hoc loco, cum ait (quæcumque ita se habent, &c.) id est, quorum vnum se habet ad alterum, vt aliud ad aliud, veluti aspectus corporis ad corpus, vt aspectus mentis ad mentem. Quin vbicumque analogiæ nomen vsurpat, de hac sola posteriori analogiæ forma loquitur, vt eodem loco diximus. Verum, quia prior illa non est admodum huic dissimilis (quæ enim illo modo sunt analoga, ita sunt affecta, vt omnia minus principalia, eadem quodammodo ratione referātur ad principalem) non dubium videtur quin Aristoteles hoc loco analogiæ vocabulo priorem quoque formam innuere voluerit.

*Quæst. 1. sect. 6. & 7.*

*Dubitatio.*

*nn Semper autem posteriora.* Hæc collatio sequentium cum præcedētibus, satis perspicue proponitur ab Aristotele. Illud, quod ad rē attinet, dubiū esse potest, qua ratione omnia quæ sunt genere vnū ac proinde omnia quæ sunt vnū specie & quæ numero vnum, sint analogicè vnū. Isto enim modo, homo & equus erunt vnū secundum analogiam, itémque Socrates & Plato immo etiam Socrates & hic homo ostenso eodē quo nihil videtur absurdius. Pro huius rei explicatione, animaduertendum est, analogiā, cum sit similitudo comparationū, tribus modis sumi posse: vno, vt significat æqualē similitudinē, quo pacto omnia vniuoca sunt analoga: altero vt significat inæqualē similitudinē, quo pacto sumitur analogia, vt ab vniuocatione distinguitur: tertiò vt significat similitudinem cōparationum in cōmune, siue æqualē, siue inæqualē. Potest igitur analogia sumi hoc loco tertio modo, vt sensus diuisionis sit, quæ sunt vnū per se, aut esse vnū numero, aut specie, aut genere, aut sola analogia, vt est Alexādri sentētia: quo pacto facile soluitur dubiū. Verum, quia vnitas analogica in diuisione tradita planè videtur sumi vt distinguitur ab vnitate eiusdē rationis, quę in reliqua

*Quot modis sumi possit analogia.*

*Comm. 12.*



reliqua tria membra distribuitur, neque est rationi consonum, vt mox idē nomen fusiori significatione sumatur; potius dicēdum est cum eadem, siue numero, siue specie, siue genere traduntur, esse vnum analogia, aut sensum esse negatiuum diuersitatis analogicæ: quasi dictum sit, non esse diuersa secundū analogiam (qui exponendi modus sæpè alias vsurpatur apud Philosophos & Theologos) aut Aristotelem docere voluisse, ea quæ sunt vnum, siue numero, siue specie, siue genere, esse etiam vnum in aliquo analogo, vt in substantia communi creatæ & increatæ, completis & incompletis, aut in accidente, aut de nique in ente, etiam si ia eo nō analogicè, sed vniuoce conueniant: aut denique si mauis, sententiam huius loci esse, ea quæ cum aliquo sunt idem numero vel specie vel genere: esse etiam eadem analogicè cum aliquo, licet non cum eodem, tametsi duæ posteriores expositiones duræ videntur, neque instituto Aristotelis consentaneæ.

*Soluitur dubium propositum.*

*Analogia* mm *quæcumq; ita se habent, vt aliud, ad aliud. Semper* nn *autem posteriorà sequuntur priora. Verbi gratia, quæcúmque numero vnum sunt, ea omnia & specie sunt vnum: quæ autem specie, non omnia numero, sed genere vnum: omnia quæcúmque & specie: quæcunque vero sunt vnum genere, non omnia specie, sed analogia: quæ autem analogia vnum, non omnia & genere.*

*Perspicuum* oo *est autem & illud, multa opposito modo, atque vnum dicenda esse: alia, quia continua nō sunt: alia, quia ratione formæ diuisam habent materiam aut primam aut vltimam: alia, quia plures rationes habent, quæ quidditatem declarent.*

*Cap. 13.*

oo *Perspicuum est autem.* Explicatis generibus seu modis vnius, docet Aristoteles ex dictis colligi posse, quot modis dicantur multa. Quot enim modis dicitur vnum oppositorum, tot dicitur alterum, vt habes primo Topicorum libro. Vnde cùm vnum iuxta priorem diuisionem vnius per se dicatur vnum, vel indiuisione continui (ad quam pertinet indiuisio materiæ) vel indiuisione formæ, vel indiuisione rationis, vt ipse Auctor superius collegit: efficitur, vt multa quoque dicantur multa, vel diuisione continui, vel formæ, vel rationis. Eodem modo colliges ex posteriori diuisione vnius, multa dici, aut numero, aut specie, aut genere, aut analogia, quod ea quæ vnum sunt, aut numero, aut genere, aut specie, aut analogia dicantur vnum.

*Quot modis multa dicantur.*

---

# *NVM ACCIDENTIA SINT PRINCIPIA INDIVIDVATIONIS.*

## QVAESTIO I.

*Reiectio opinionis Nominalium, & explicatio quæstionis.*

### SECTIO I.

*Quæ sunt disputanda in hoc capite.*

EX multis quæ ad hoc caput disputari possent, duo tantum discutiemus. Vnum de principio indiuiduationis rerum, hoc est, per quid res communes, & diuiduæ, vt homo equus, & cæteræ omnes quæ de pluribus dicuntur, fiant singulares & indiuiduæ, vt hic homo, hic equus: Alterum, quia ex vno non fiunt plura sine distinctione aliqua: quot & quænam sint genera distinctionum, quarum in Philosophia

Universidad de Deusto
Biblioteca



præcipuus est vsus, præsertim cum huius rei explicatio ad ea etiam quæ proximo capite tractanda sunt, non parum conducat.

*Num res omnes sint indiuiduæ.*

Principium indiuiduationis inuestigaturis, illud ante omnia disquirendum videtur: Num res omnes quæ communes appellantur, vt homo, equus, & quæcumque aliæ eodem nomine & ratione de pluribus dicuntur: sint per se ac primo indiuiduæ: ita vt homo, exempli gratia, nihil aliud sit, quàm hic homo, aut ille, &c. Neque alia ratione distinguatur ab hoc & cæteris, quàm indiuiduum vagum à determinatis, vt

*Opinio Nominalium tollēs vniuersalia.*

Ochamus in primo Sententiarum d. 2. q. 4. & 6. & alij Nominales existimant. Si enim hoc modo se res habet, tota hæc disputatio de principio indiuiduationis vana est. Nam cum nomine principij indiuiduationis intelligant Philosophi id, per quod communia fiunt singularia: si omnia ea quæ communia appellamus, sunt per se ac primo singularia & indiuidua, quid opus est quærere per quid fiant indiuidua? Verum: quia contra hanc opinionem, partim disputatum est apud Porphyrium, partim sub finem huius libri accuratius differendum est, non est quod in ea examinanda nunc immoremur, sed potius cum communi Philosophorum sententia supponendum, naturas eas quas communes dicimus, ex se se indifferentes esse ad plura, ac proinde non esse per se indiuiduas, sed fieri tales per aliquid aliud, quicquid illud tandem sit, quod trito iam nomine principium indiuiduationis appellamus.

*Gabr. in 1. d. 2. q. 6. 7. &*

*Ad cap. 28.*

*Quo pacto indiuiduationis principium in hac quæstione sumendum.*

Illud tamen animaduertendum est, non esse sumendum in hac disputatione principium indiuiduationis pro eo quo naturæ, communes, formaliter fiunt indiuiduæ, est enim luce clarius fieri formaliter indiuiduas indiuisione ipsa, seu potius indiuisibilitate in plura eiusdem rationis (in quæ communia omnia diuisibilia sunt) sed sumitur fundamentaliter pro eo, quod est proximum fundamentum & caussa dictæ indiuisibilitatis. Naturæ enim communes, cum oppositæ diuisibilitatis fundamenta sint, non possunt eædem esse indiuisibilitatis. Ita fit, vt in rebus omnibus finitis (excipiendus enim est Deus in quo nulla est natura communis, sed omnia sunt singularissima) aliquid aliud præter naturas communes quærere oporteat, quod sit proximum fundamentum & caussa dictæ indiuisibilitatis siue incommunicabilitatis: hoc enim, nomine principij indiuiduationis in hac disputatione intelligimus.

*Prima opinio de principio indiuiduationis, asserens collectionem accidentium. Auctores sententiæ.*

Sunt igitur qui velint, principium indiuiduationis non esse quidem vnum aut alterum accidens per se sumptum, sed certam aliquam multorum accidentium coniunctionem. Aiunt enim, naturas communes accidentium actione posse fieri singulares, si tam multa illis addantur, vt iam de pluribus dici nequeant: veluti si homini addas, quod sit filius Sophronisci, eique primo natus, iam homo talis de solo dicetur Socrate. In qua sententia, primum videntur esse Porphyrius in Isagoga cum ait, [a] Idcirco aliquid dici indiuiduum, quod ex iis proprietatibus constet, quarum collectio in alio esse non possit. Deinde Boëtius [b] in eumdem librum: *Plures enim sunt,* inquit, *de quibus species prædicantur, non substantiæ diuersitate, sed accidentium multitudine.* Et primo de

a *Ca. de spē cie.*
b *Ca. de differ. & de spē cie.*



de Trinitate vbi hæc scribit: *In numero differentiam accidentium varietas facit.* Quod idem tradit Damascenus [d] initio eius libri quem scripsit de duplici natura, & vna hypostasi in Christo. Idē docere videtur apertissimè Auicenna 5. suæ Metaphysices capite 2. & 4. Sic enim ait priori loco. *Indiuidua constituuntur ex natura omnium vniuersalium, & ex natura accidentium quæ illam vestiunt*, posteriori autem hoc modo. Postquam natura determinata est species specialissima, &c. accident ei comitantia ex proprietatibus & accidentibus, per quæ natura indiuiduatur, & fit signata.

c *Cap. 1.*
d *Lege cumdē in primis instit. c. 3. & 4.*

1. Sunt autem pro hac sententia huiusmodi argumenta. Primum, si indiuidua eiusdem speciei infimæ differrent inter se internis ac essentialibus differentiis, & non potius accidentariis dumtàxat, differrent vtique essentialiter ac proinde specie, quod contradictionem inuoluit.

*Confirmatur argumentis.*

2. 3. *Text. 53.* Deinde, possent definiri essentiali definitione, quod omnes negant, idque fieri non posse docet Aristoteles libro 7. cap. 15. Præterea, licere descendere sub species infimas diuidēdo, quod tamen prohibet Plato in libro, qui ciuilis vel de regno inscribitur, teste etiam Porphyrio in Isagoge. Postremò, non esset species totum respectu indiuiduorum, hoc est, non contineret totam illorum naturam & quidditatem, ac proinde non prædicaretur de illis complete in quæstione Quid est. Quorum alterum inficiatur Porphyrius extremis pœnè verbis capitis de specie, alterum Dialectici omnes communi consensu negent, Atq; hæ rationes eo spectant, vt concludant, indiuiduationem fieri additione accidentium, siue multorum simul, vt Auctores propositæ opinionis aiunt, siue certi alicuius & determinati.

*Dialogo 16. cap. de specie.*

4. *Refutatur proposita opinio, & concluditur negatiua pars quæstionis.*

## SECTIO III.

*Assertio. Accidentia principia indiuiduationis non esse.*

Dicendum est tamen fieri, non posse, vt accidentia sint principia indiuiduationis, siue absolutè sumantur, siue vt hæc aut illa, siue singulatim ac per se, siue alia cum aliis coniuncta.

Primum quia si accidentia sumantur absolutè, vt candor quatenus candor, calor quatenus calor: cùm illa eo pacto sumpta, non minus sint commuuia, quàm cæteræ naturæ, quibus addentur, non poterunt illas efficere singulares: commune enim communi additum non reddit illud singulare, si verò sumantur, vt iam singularia, eadem quæstio redibit, per quid ipsa ex communibus facta sint singularia. Quod si cū his Auctoribus, quorum opinionem citauimus, respondeas, vnum quidem accidens absolutè sumptum nō posse ex natura communi facere singularem, at multa simul coacta id posse præstare, eo quod tota eorum collectio non possit in pluribus reperiri, nil efficies. Re enim vera, siue vnum tātùm commune sumatur, siue multa simul communia nil repugnabit, quominus pluribus conuenire possint, vt inductione constat.

Deinde, quia si quæ accidentia essent indiuiduationis principia, ea pertinerent ad quintum prædicabile, quandoquidem accidentia

quarti prædicabilis, cùm reciprocentur in naturis communibus, non possunt illas facere singulares: at accidentia quinti prædicabilis insunt primo rebus singularibus, vt Porphyrius ait *a* in Isagoge, cuius sententiam omnes *b* approbant: potius igitur earum indiuiduationem supponunt, quàm efficiant.

a *Cap. de communit.*
b *Et inter alios. D. Tho. opuscul. 48. tract. 10. c 7.*

3. Tertiò, quia essentia vnius indiuidui differt numero ab essentia alterius indiuidui eiusdem speciei, alioqui vno perempto, perirent reliqua: at essentiæ numero diuersæ, semper intelliguntur diuersæ, etsi ab eis per intellectum separentur omnia accidentia.

4. Postremò, quia indiuidua, aut sunt substantiarum, aut accidentium: substantiarum, non indiuiduantur vtique per accidentia: sunt enim prædicamenta impermista à genere summo vsque ad indiuidua inclusiuè, vt tradit Aristotes priori libro de posteriori resolutione: quò fit, vt hæc sententia non tradat principia indiuiduationis substantiarum, quæ tamen maximè tradenda essent: si verò accidentium, aut dandus erit progressus in infinitum, vt alia per alia indiuiduentur, aut veniendum ad aliqua, quæ per se primò sint indiuidua, quæ tamen nulla sunt. Quodcumque enim accidens sumatur, non minus de eo quæri potest, quo pacto in eo natura communis facta sit singularis, quàm de quolibet alio accidente.

*Prædicamenta esse impermista.*

*cap. 11. Textu 31.*

*Solutio argumentorum partis oppositæ.*

## SECTIO IIII.

*Explicatio Auctorum.*

QVAPROPTER ad ea, quæ ex Porphyrio, & cæteris Auctoribus pro opposita sententia allata sunt, dicendum est, in eum sensum accipienda esse omnia, vt loquantur de accidentibus loco differentiarum latentium, quibus indiuidua eiusdem speciei intrinsecus, & ex naturis suis inter se distinguuntur. Nam quia huiusmodi differentiæ nos latent, coguntur Philosophi illas multorum communium accidentium collatione significare: præsertim cùm ex naturis indiuiduis sub eadem specie constitutis, non oriantur peculiares proprietates, quas loco differentiarum eiusmodi sumere possimus, vt patebit inferius.

*1. argumenti solutio.*

Ad primum verò argumentum dicendum, etsi indiuidua, quæ sub eadem specie continentur, differunt inter se per aliquid intrinsecum & essentiale, quia tamen id non est commune multis, sed proprium cuique, placuisse Philosophis, vt illud non numeraretur in iis, quæ ad essentias rerum pertinent, Omnes enim merito iudicarunt, de iis, tantùm essentiis Philosopho agendum esse, quæ communibus definitionibus & quæ omnibus notæ esse possent, continerentur. Vnde factum est, vt iam inde ab iis, qui internas rerum essentias ab accidentibus distinxerunt, differentiarum essentialium appellatio, pro iis tantum quibus species constituuntur, vsurpari consueuerit.

*2. Cur indiuidua non definiantur.*

Ad secundum dicendum, non ideo indiuidua non definiri essentialiter quia non constent ex natura speciei, & aliqua adiecta differentia ad ipsorum essentiam pertinente, sed quia Philosophi nullas essentias definire constituerunt, nisi quæ essent vniuersales.

AD



*Cur sub species infimas vetuerit descensum Plato.*

3. AD tertium dicendum non ideo Platonem prohibuisse descensum sub species infimas, quod putauerit indiuidua non poni directè sub speciebus, quasi existimauerit illa constitui ex natura speciei: & aliqua accidentium collectione, sed quia indiuidua sunt infinita, ac proinde relinquenda, vt ex citatis locis licet intelligere.

*In 2. d. 3. q. 6 §. ad argum.*

4. AD quartum, missa responsione Scoti, qui ideo putat speciem dici totum respectu indiuiduorum, quia totam quidditatem indiuiduorum includit, dicendum est, totum eo loco non accipi pro toto essentiali, sed pro toto vniuersali, vt legenti patet. Asserit enim Porphyrius, genus esse totum comparatione specierum: vt species est totum comparatione indiuiduorum, quod falsum esset, si totum sumeretur, vt Scotus accipit.

*Porphyrius exponitur.*

---

## NVM EXISTENTIA, AVT ID QVOD rem efficit, sit principium indiuiduationis.

## QVAESTIO II.

*Existentiam non esse indiuiduationis principium.*

### SECTIO I.

*Ad hæc sent. videtur accedere Nicolaus Bonetus libr. 8. suæ Met. c. 1. in 5. dicto Peripatetico.*
a *Text. 49.*
b *Cap. 2. q. 4. sect. 4.*

*Secunda opinio de principio indiuiduationis.*

VOSDAM refert Scotus secundo Sententiarum, distinctione tertia, quæstione tertia. qui cùm videant fieri non posse, vt accidentia sint principia indiuiduationis, confugiunt ad existentiam, dicúntque omnes communes naturas per existentiam indiuiduari. Id quod hac ratione probant. Vltima distinctio naturarum communium fit per vltimum actum: actus enim est, qui distinguit, vt Aristoteles docet libro septimo, *a* cap. tertio. at vltimus omnium actuum est existentia, vt à nobis ad quartum *b* librum explicatum est, igitur vltima distinctio communium naturarum fit per existentiam: cùm ergo vltima earum distinctio, per nihil aliud fiat, quàm per principium indiuiduationis, quandoquidem infra huiusmodi distinctionem non datur inferior: planè sequitur, existentiam esse indiuiduationis principium.

*Probatur.*

*Refellitur hæc sententia.*

Hæc tamē sententia facilè repellitur. Primum, quia quod prædicatur contingenter de indiuiduis, non potest esse principium indiuiduationis: alioqui indiuidua contingenter essent indiuidua, at existentia, non necessariò, sed contingenter conuenit rebus omnibus infra Deum, etiam indiuiduis: cùm ea omnia aliquando non fuerint.

Deinde, quia quod supponit distinctionem indiuiduorum sub eadem specie, non est principium distinctionis illorum sub eadem, vt perspicuum est: at existentia, vt est determinata ad hoc indiuiduum & illud, supponit distinctionem vtriusque inter se. Tota enim series cuiusque prædicamenti à summo genere vsque ad indiuidua inclusiuè, præcedit existentiam cuiusque speciei: siquidem homo, exempli caussa, prius natura est diuisus in Socratem & Platonem, quàm per illos existat, eodémque modo res habet in cæteris. Quod ex eo perspicuè

Universidad de Deusto
Biblioteca



intelliges, quia diuisiones prædicamentales sunt perpetuæ ac necessariæ: existentia verò specierum per indiuidua, est contingens.

Postremò, quia existentia naturarum communium non minus est indifferens ad multas res, quàm ipsæ naturæ communes: quid autem illam determinet, ac indiuiduam reddat, æquè dubium est atque id, quod in tota hac disputatione quæritur: quidnam videlicet naturas communes reddat indiuiduas. Recolendum est tamen id, quod libro 4. diximus, existentias inferiorum naturarum non constitui ex existentiis superiorum, licet hæ per illas contrahantur ad inferiora. 3. *Cap. 2. q. 4. sect. 4.*

*Neque id, quod rem efficit, esse principium indiuiduationis, vt de eo hic agitur.*

## SECTIO II.

*Tertia opinio de indiuiduationis principio.*

HEnricus verò Gandauensis quolibeto 5. q. 8. satis persuasus, naturas communes non indiuiduari per accidentia, neque item per existentiam: neque verò vlterius quicquã inueniens in ipsis indiuiduis, per quod illis proximè conueniat, vt sint formaliter indiuidua, hoc est, indiuisa in se, & diuisa à quibuscumque aliis eiusdem speciei (his enim duabus negationibus exponit ille indiuiduationem) in eam sententiam venit, vt asserat principium & caussam proximam indiuiduationis, nullam esse aliam, quàm agens ipsum, à quo res indiuidua producitur, illúdque satis esse ad indiuiduationem. Nam quod in ipsis indiuiduis nihil fit, quod proxima indiuiduationis caussa dici possit, ex eo probat illæ: quia si esset, adderet vtique speciei aliquid reale, quo pacto differentia specifica addit aliquid reale generale: quod ipse ea ratione existimat fieri non posse, quia illud additum, esset factum, ac proinde indifferens & determinabile ex natura sua, quemadmodum differentia specifica, quæ generi additur quod tamẽ principio indiuiduationis repugnat. Quod verò agens satis sit ad indiuiduationem rei, quæ fit, eo argumento ostendere conatur, quia omnis actio, qua quæque res fit, terminatur per se ac primò ad aliquid indiuisum in se, & diuisum à quo cumque alio eiusdem speciei.

*Probatur ab Henrico.*

1

2

*Absurdam esse hanc sententiam ostenditur.*

Verum hæc sententia magis absurda est quàm superior. Primũ, quia si admittatur, necesse erit concedere, præcisis omnibus accidentibus, & ipsa etiam existentia, nihil aliud reperiri in indiuiduis, quàm naturas communes, & duplicem illam negationem: & cùm negationes non constituant ens vllum, effici necessariò, vt indiuidua non sint inferiora speciebus in suis prædicamentis: neque enim naturæ communes contrahi possunt per solas negationes ad constitutionem indiuiduorum, alioqui iam entia constarent ex non entibus, quod fieri nequit. 1

Deinde, quia cùm posse diuidi in plura inferiora non repugnet speciei, & tamen repugnet indiuiduis, necessario concedenda est aliqua entitas in indiuiduis, quæ non contineatur in specie, cuius entitatis ratione talis diuisio indiuiduis repugnet. Nec satis est dicere, eam diuisionem repugnare indiuiduis, quia conuenit illis opposita illa negatio, non posse diuidi in plura inferiorà: quæro enim per quid eis opposita negatio 2



negatio conueniat? Nam quod Henricus putat, conuenire illis proximè per caussam efficientem, ea ratione constat fieri non posse, quia negatio nec fit per se, neque est forma, ex qua constare possit id, quod fit per se. Vnde fit, vt necessariò dandum sit in eo, quod fit per se, aliquid entitatis vltra entitatem specificam, quę non fit per se, quod quidem illa negatio consequatur.

Postremò, quia cùm minores vnitates, quàm sit vnitas numeralis, habeant positiuum fundamentum intrinsecum rebus, quibus conueniunt, vt patet in specifica & generica: alienum omnino à ratione est negare simile positiuum fundamentum vnitati numerali, quæ est omnium maxima, quod tamen negatur ab Henrico, & iis omnibus, qui in indiuiduis nullam præter specificam agnoscunt. 3.

*Soluitur Henrici argumentum 1.*

Quapropter ad eam rationem, qua Henricus probat, nihil intrinsecum indiuiduis, esse principium indiuiduationis, dicendum est, illud non rectè assumi, si principium indiuiduationis esset factum, fore, vt esset indifferens, ac determinabile. Nam, etsi id verum est quoad existentiam & non existentiam, non tamen est ad rem, neque ipse hoc pacto sumit determinabilitatem, sed quoad plura eiusdem rationis: quo pacto falsum est, quod assumitur, quandoquidem ipsa etiam indiuidua sunt facta, & tamen non sunt indifferentia, nec determinabilia ad plura eiusdem rationis: huius autem conditionis sunt ipsa principia indiuiduationis, atque eo magis, quod esse sic indeterminabile conuenit indiuiduationis principia.

Ad eam verò, qua idem probat, agens à quo res indiuidua efficitur esse proximam caussam & fundamentum indiuiduationis, dicendum est, ea ipsa probari oppositum. Nam si actio agentis terminatur per se primò ad aliquid indiuisum in se, & diuisum à quocumque alio eiusdem speciei aliquod fundamentum datur in re quæ fit, distinctum à natura specifica, propter quod illi ea duplex negatio conueniat: siquidem, nec natura specifica, nec negationes possunt per se primo terminare actionem, siue vt ea, quæ per se primò fiunt, siue vt formæ eorum, quæ per se primò fiunt, vti diximus. 2.

## *NVM RES OMNES SINT EX SE INDIVIDVAE.*

## QVAESTIO III.

*Opinio eorum, qui dicunt, res omnes esse ex se indiuiduas.*

## SECTIO I.

*Eamdem opinionem refert Trombeta q. de principio indiuiduationis.*

ALII, quos referunt Scotus 2. Sententiarum distinctione 3. quæs. 1. & Herueus, quolibeto 3. quæ. 9. vt omnia suprà dicta incommoda declinent, asserunt, res eas omnes, quas communes dicimus, esse ex se singulares & indiuiduas ac proinde non esse quærenda principia earũ indiuiduationis: non

*Quarta sententia de principio indiuiduationis.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



nis:non quod negent cum Nominalibus esse eas alia ratione communes & diuiduas, alia singulares & indiuiduas: sed quia indiuiduatio conuenit illis secundum rem, communitas autem per operationem intellectus,colligunt illi esse omnes ex se indiuiduas, per accidens verò communes.Quam sententiam videtur sequi Durandus ad 2.sententiarum d.3. q. 2. tametsi parum aduertens, quædam adiungit quæ huic opinioni repugnant.Itaque,quantum licet coniicere ex iis quæ ab huiusmodi Auctoribus dicantur (neque enim rectè videntur intelligi à quibusdam)putant illi, res indiuiduas,circumscripta omni operatione intellectus, non habere principium indiuiduationis à naturis communibus distinctum:sed sola operatione intellectus distinguentis vniuersalia à singularibus.Proinde simpliciter & absolutè dicendum esse, res omnes,siue sint earum, quas communes dicimus,siue earum quas singulares,esse ex se indiuiduas. Non negant tamen dari sine operatione intellectus principia extrinseca indiuiduationis, causas nimirum efficientes & finales:aut etiam intrinseca in substantiis compositis, quæ sunt hæc materia,& hæc forma,vt aiunt. Sed quia principia extrinseca non satis sunt ad indiuiduationem,vt ostensum est in causa efficiente: materia autem & forma non sunt principia metaphysica substãtiarum compositarum,sed physica tantùm,quia non adduntur speciebus compositorum ad constituenda indiuidua,vt perspicuum est (nam & species compositorum,materia & forma constant) asserunt illi vniuersè res omnes esse ex se singulares,hoc est,sine vllo principio indiuiduationis metaphysico:nec quærendum esse, quo addito singulares fiant: sed potius, cùm ex se singulares sint, qua ratione fiant communes & vniuersales.

*Explicatur proposita opinio.*

*Probatur argumentis.*

Argumenta quibus hæc sententia confirmari solet (quantum huic loco satis est)hæc sunt præcipua.Quęcunque sunt talia secundum rem, sunt talia ex se:quæcumque sunt talia secundum rationem, sunt talia per accidens:at res omnes sunt singulares secundum rem, vniuersales autem secundum rationem:sunt igitur ex se, siue per se singulares, & per accidens vniuersales. 1.

Præterea, id quod conuertitur cum ente secundum rem, conuenit ei per se,& non per aliquid additum:at esse indiuiduum, seu vnum numero,conuertitur cum ente secundum rem(nihil enim existit in rerum natura nisi indiuiduum)non sunt igitur entia indiuidua per aliquid additum,sed ex sese. 2.

Postremo, nulla natura communis ita existit in aliquo singulari suo,vt secundum rem in alio possit existere (quod inductione patet, & ab Aristot.traditur planè de substantiis septimo libro, cap. 13. cùm sic ait.*Substantia enim cuiusque rei,propria cuiusque est.*) quicquid autem tale est ex se, indiuiduum est: nulla igitur natura communis est, quæ non sit ex se indiuidua. Quocirca (vt Durandus addit) si natura aliqua creata, esset pluribus communis secundum rem, meritò præter principia naturæ illius,quærenda essent propria principia singulorum indiuiduorum: nunc autem cùm communitas omnium creatarum naturarum sit solum secundum rationem, diuersitas autem earum in 3.



rum in indiuiduis sit secundum rem,nulla relinquitur ratio, cur præter principia communis naturæ quærenda sint propria principia indiuiduationis. *tiam, vt sit explicãdum.*

Atque hæc sententia adeò arridet quibusdam,vt in eam pertrahere conentur communem opinionem Theologorum, atque adeò speciatim sententiam D.Thomæ & Caietani prima parte, quæst.29.artic.1. vbi D.Thomas ait,*subsistantiam indiuiduari per se ipsam*, immo & opinionem Scoti 2.sententiarum dist.3.quæst. 6. etsi nemo magis alienus ab ea fuisse videatur.

*Impugnatio propositæ sententiæ.*

## SECTIO II.

*Dilemma contra propositam sententiam.*

VErum hi Auctores cùm dicunt, res omnes esse ex se singulares, aut sumunt particulas (*ex se*) vt significant primum aut secundum modum dicendi per se,aut pro eo quod dicimus,(*non per aliud*)si priori modo,in eodem errore, quo Nominales versantur, & sibi ipsis repugnant.Nam si homo,exempli caussa,est per se singularis,nulla ratione potest fieri vniuersalis (quæ est sententia Nominalium) quemadmodum quia Socrates est per se animal,& disciplinæ capax,nulla ratione fieri potest,vt non sit animal,aut disciplinæ capax.

*Refellitur quorundam responsio.*

*Ocham in 1. dist.2. q.7. Gab.ibidem.*

Nec vllam vim habet responsio quorundam, dicentium non esse parem rationem in his exemplis, eò quòd esse animal,& non esse animal,itémque esse disciplinæ capax, & non esse disciplinæ capax, verè opponantur: non autem esse singulare & vniuersale:eo quod eidem rei conuenire possint. Re enim vera singularia & vniuersalia, vt talia sunt,verè opponuntur ac repugnant, cùm in suis rationibus contradictionem inuoluant. Vniuersale enim est, quod in pluribus esse potest, singulare, quod in pluribus esse non potest. Nec vero rectè colligas, vniuersale & singulare non esse opposita,quia esse vniuersale & singulare simul eidem rei conuenire possint,nisi res sumatur secundum eandem rationem,vt patet ex Dialecticorum documentis, quod tamen hìc non accidit.Homo enim non est per se singularis,nisi vt est Socrates,aut alius ex singularibus,qua tamen ratione non potest esse vniuersalis, vt luce clarius est.

*Vniuersalia & singularia vt opponantur.*

Præterea, cùm dicunt hominem esse per se singularem, necessario verbum *homo*, sumi debet pro homine sub ratione hominis, alioqui si sub ratione alicuius particularis hominis sumeretur, liceret etiam dicere, animal esse per se rationis particeps, quia aliquod particulare, animal est per se rationis particeps, quod tamen falsum omnino est. Significat enim hæc oratio,animal qua ratione est animal esse rationis particeps: at dicere,hominem sub ratione hominis esse singularem, nihil aliud est,quàm incidere in errorem Nominalium.

Ex his patet, si Auctores propositæ sententiæ sumant particulas, (*ex se,*) vt significant primum aut secundum modum dicendi per se: non dubium esse, quin deficiant ad opinionem Nominalium, cùm ta-

Universidad de Deusto
Biblioteca



men id minimè velint. Quod autem iidem hoc pacto sibi repugnent, ex eo constat: quia alioqui admittunt naturas vniuersales, quas hac ratione funditus tollunt.

Si vero sumunt particulas *ex se* pro eo quod dicimus, *non per aliud* nempe accidentarium, & extra rationem rerum singularium, vt plerique eorum videntur accipere, rectè quidem sentiunt, vt ex iis quæ diximus in superioribus sententiis impugnandis perspicuum est. Verùm, nec rectè loquuntur, nec quæstionem soluunt: quamuis enim animal non per aliquid accidentarium, & quod non pertineat ad essentiam hominis sit homo: non tamen rectè dixeris, animal ex se esse hominem. Ita fit, vt vero etiam sensu retento, non rectè loquantur, & ansam erroris multis præbeant. Quod denique hoc pacto minimè soluatur quæstio, ex eo perspicuum est: quia hic sensus nihil omnino tradit, quo addito, naturæ communes sint indiuiduæ, sed tantum definit eas non esse indiuiduas per aliquid aliud accidentarium & extrinsecum ab essentiis indiuiduorum, quo fit, vt iuxta hunc sensum non doceant hi Auctores quid sint principium indiuiduationis, sed tantum quid non sit. Non ita sanè D. Thomas, aut Scotus, qui vt hanc quæstionem soluerent, non satis esse putauerunt, si de principio indiuiduationis dicerent, quid non esset, nisi etiam adderent, quid esset, vt ex sequentibus perspicuum erit.

*Aliter D. Thomam Scotúmque sentire.*

*Opinionem hãc esse omnium intricatissimam.*

Itaque etsi hæc sententia primo aspectu quibusdam videtur facillima, est tamen omnium implicatissima, & quæ, si tandem ad verum sensum reducatur, quæstionem insolutam relinquet. Atque hæc satis sint pro eius impugnatione. Nam quod eius auctores nullam videntur ponere distinctionem inter principium indiuiduationis & naturas communes, nisi quam facit intellectus (vt in ea proponenda diximus) lib. 7. latè impugnandum est. Recte autem, necne dicant, materiam & formam esse principia Physica indiuiduationis rerum naturalium, inferius patebit.

*Solutio argumentorum.*

## SECTIO III.

QVare ad primum eorum argumentum negandum est quæcunque sunt talia, secundum rem, esse talia ex se, vtrouis sensu ex duobus explicatis hæc verba sumantur. Est enim animal secundum rem (hoc est præcisa omni operatione intellectus, vt ipsi interpretantur) risus capax, nempe per qualitatem realem naturæ adiunctam: immo etiam quantum bipes, album, &c. per accidentia quædam essentiæ addita: cùm tamen neutra significatione verborum *ex se* animal sibi vendicet hæc attributa, vt perspicuum est.

Ad secundum dicendum, nihil aliud eo colligi, quàm quod res sint indiuiduæ per aliquid intrinsecum indiuiduis, quod tamen quidnam sit, minimè illi declarant.

*Quid requiratur vt aliquid sit per se singulare.*

Ad tertium negandum, quicquid ita est in vno, vt in alio secundum rem esse non possit, esse per se singulare. Nam vt aliquid sit per se singulare,



gulare, necesse est, vt ne ratione quidem in alio reperiri valeat: quod tamen falsum est dicere de homine & cæteris rebus, quas communes appellamus.

*2. Sent. d. 3. q. 2.* Hinc fit, vt illud Durandi, quod in eodem argumento additum est, non rectè ab eo sit consideratum. Nam & si nulla natura creata, est communis secundum rem, satis tamen est communitas illius secundum rationem ex ipsa natura rei ducta, vt præter illam hoc pacto communem, necessario quærenda sint propria principia indiuiduationis rerum singularium. Alioqui, si indiuidua nihil præterea includerent, ea iam euenirent, quæ contra Henricum obiecta sunt.

*Perstringitur Durandus.*

Sed præsentit Durandus, hæc & similia sibi obiici posse: & nescio quo pacto hac & illac tergiuersatur, & in opinionem secundo loco impugnatam incidit, sibique ipsi repugnat, & qua ex parte verum dicit, quæstionem minimè soluit. Nam cùm quæritur, quo pacto distinguantur natura communis & indiuidua: respondet distingui, vt conceptam & existentem: paulò autem inferius, vt doceat per quid materia fit hæc, respondet, esse hanc per aliquid sui generis. Hic iam quæro, quid sit illud pertinens ad genus materiæ, quod habet hæc materia præter materiam conceptam, siue communem. Existentia ne, vt ille videtur significare in priori pronunciato, an verò aliquid huic materiæ intrinsecum, quod materiam communem contrahat per modum essentialis differentiæ, vt innuit in posteriori pronunciato? hæc enim diuersa sunt, & illud prius in 2. quæstione impugnatum, ac denique vtrúmque euertit Durandi opinionem. Si enim materia non est hæc, nisi aut per existentiam, aut per differentiam sibi additam, & huic materiæ intrinsecam: iam igitur non est hæc ex seipsa: ita volens nolens Durandus è propria opinione discedere videtur. Demúmque nihil aliud concludit de materia quàm quod sit hæc, seclusis omnibus cæterorum prædicamentorum formis, & ipsa etiam substantialis: quod etsi verum est, non est tamen satis ad explicandum eius indiuiduationis principium.

*Censura de Auctoribus pro hac opinione citatis.*

Quod verò attinet ad eos Auctores, quos moderni huius opinionis sectatores pro se afferunt, si prior quidem sensus verborum *ex se* magis approbetur, solus Ochamus, & cæteri Nominales illius fautores credendi sunt: si verò posterior magis placeat, fauebunt quidem illi D. Thomas, Caietanus, & Scotus, non tamen in eo, vt putent explicatam esse eo pacto quæstionem. Nam & si D. Thomas in loco citato obiter ait, *substantiam indiuiduari per ipsam*, hoc est, non per aliquid aliud quàm per substantiam (quod etiam Caietanus fatetur) tamen vbi ex instituto hanc quæstionem explicat, planè quærit aliquid sub specie infima quo natura specifica ad indiuidua contrahatur, præter quàm in substantiis separatis, vt patebit inferiùs. Multo autem diligentius & enucleatius id facit Scotus in rebus omnibus infra Deum: cuius rei præcipuum fundamentum perspicue constituit in euertenda opinione eorum, qui asserunt omnia entia esse ex se singularia, vt apertissimè declarat longissima disputatio, quam ille initio citatæ distinctionis instruit.

*In 1. p. q. 29. art. 1.*

*2. d. 3. q. 1.*

## NVM MATERIA SIGNATA SIT PRINCIPIVM INDIVIDVATIONIS.

## QVÆSTIO IIII.

*Opinio D. Thomæ, & Aristotelis.*

### SECTIO I.

*Quinta sententia de principio individuationis.*

CVM igitur ex dictis pateat, nec aliquid extrinsecum accidentariúmve rebus indiuiduis esse principium indiuiduationis, nec etiam res omnes esse ex se indiuiduas: inuestigandum est deinceps, quo nam interno principio fiat illarum indiuiduatio. Qua in re duæ extant celebres admodum sententiæ, quæ & oppositæ feruntur. Vna [a] D.Thomæ, existimantis esse materiam signatam, seu designatam: altera Scoti, [b] asserentis esse differentiam quandam, per quam natura specifica non aliter per se contrahitur ad indiuiduum, quàm natura generica ad speciem per differentiam specificam.

a *D.Thom. opusc.29. & de ente & essentia c.1. & 3.p.q.77 art.2. & 4. sent.d.12.q.1.art.1.& 2 Et 5.Metaph. tex.2.*

b *Sco. in 2. d.3.q.6.*

*Sententia D. Thomæ quinque locis Aristotelis probatur.*

Ac sententiam D.Thomæ multa Aristotelis dicta, ex eisque ducta argumenta confirmant.

Primum est illud quod Aristoteles hoc capite [c] asserit, ea esse vnum numero, quorum est materia vna. Quibus verbis videtur docere, materiam designatam ac certam, esse principium indiuiduationis.

c *Tex. 42.*

1 Alter locus se offert ex lib. 7.cap.8. [d] vbi sic scriptum est. *Tota autem iam forma in hisce carnibus atque ossibus Socrates est, & Callias.* Quo loco nomine harum carnium, & horum ossium, materiam designatam significauit.

d *Tex.28.*

3 Tertius locus, atque adeò expressior, affertur ex lib.7. [e] cap.10.vbi Aristoteles cum docuisset, hominem vniuersalem constare ex forma & materia communi, ita subdit: *Singulare autem ex vltima materia, iam Socrates est*: vbi signatam materiam apertè vocauit vltimam: quia, vt talis est, non includitur in ratione hominis communis.

e *Tex.35.*

4 Quartus locus, qui maximè etiam vrget, habetur lib.12. [f] cap.8. vbi Aristoteles apertè docet, ea quæ sunt plura numero sub eadem specie: necessario habere materiam: quasi materia hæc & illa sint principia indiuiduantia huius & illius indiuidui sub eadem specie. Vnde concludit fieri non posse, vt sint plures numero primi motores, quia primus motor est expers materiæ.

f *Tex.49.*

5 Extremus locus habetur primo de Cœlo, [g] cap.9. vbi Aristoteles perspicuè docet fieri non posse, vt sint plures cœli: hoc est, mundi, quia mundus hic complectitur totam materiam, quæ in rerum natura esse potest.

g *Tex. 92. & 93.*

Ex his licet primum argumentari hoc pacto. Idem est principium indiuiduationis, quod est principium multiplicationis indiuiduorum sub eadem specie (eisdem enim principiis constituuntur entia, quibus multiplicantur, vt patet) at designatæ portiones materiæ, sunt principia multiplicationis indiuiduorum sub eadem specie, vt Aristoteles docet proximis duobus locis, ergo & indiuiduationis.



2 Secundo, idem est principium indiuiduationis, quod principium distinctionis indiuiduorum sub eadem specie (ex quo enim res vltimo constituitur, eo vltimo à cæteris distinguitur, vt inductione patet) igitur cùm materia signata sit principium distinctionis indiuiduorum, reliquum est, vt sit indiuiduationis. Assumptio ex eo probatur, quia cùm res genita est eiusdem speciei cum generante, tum eius forma est diuersa numero à forma generantis propter materiam, vt ait Arist.7. lib.cap.8.hoc est, quia recipitur in alia designata materia.

*Tex.28.*

3 Tertio, illud asserendum est esse principium indiuiduationis, quod est prima radix & origo subiectionis (siquidem indiuidua sunt prima subiecta in vnoquoque prædicamento) at prima radix & origo subiectionis est materia, præsertim signata & certa, cùm ipsa sit primum subiectum simpliciter, ex quo nimirum primo res constituuntur, & in quod vltimo resoluuntur, vt ait Aristoteles 1.Physic.cap.9. igitur materia signata, est principium indiuiduationis.

*Tex 82.*

4 Postremo, cùm indiuidua hoc distinguantur à naturis communibus, quòd non possunt pluribus communicari, illud asserendum est esse principium indiuiduationis, quod est principium & caussa incommunicabilitatis, vt ita loquar: at hoc principium est materia: præsertim signata (solius enim actus est communicari posse, materia autem est pura potentia) est igitur materia signata principium indiuiduationis.

*Cuius indiuidui ponatur materia principium individuationis ex mente Aristotelis & D.Thom.*

His adductus est D. Thomas vt vbicunque de hac re ex instituto loquitur, planè doceat principium indiuiduationis esse materiam signatam. Quæ sententia non dubium est, quin sit Aristotelica: proinde si labitur in ea D.Thomas, communis est ei lapsus cum Aristotele.

Illud tamen certum sit, nec Aristotelem, neque D. Thomam in ea esse sententia, vt putent materiam signatam esse principium indiuiduationis cuiuscumque indiuidui, sed tantùm earum substantiarum, quæ sub eadem specie indiuiduantur. Putant enim accidentia specifica indiuiduari per subiecta, siue subiecta sint materialia, vt subiectum caloris, siue materiæ expertia, vt subiectum scientiæ: formas vero separatas specificas & completas, hoc ipso indiuiduari, quod in materia recipi non possunt: proinde earum indiuidua per easdem differentias vltimo constitui, quibus specifica natura completur. Vnde colligunt in substantiis separatis tot præcisè esse indiuidua, quot species, nec fieri posse, vt numerus indiuiduorum excedat numerum specierum, cùm careant materia quæ est principium indiuiduationis sub eadem specie, contra quam sententiam ad librum 12. disputandum est. Dixi *& completas*, quia formæ substantiales corporum naturalium, quæ incompletæ sunt, & si non includunt materiam, tamen, quia in materia signata recipiuntur, eadem de illis ratio est, atque de substantiis completis naturalibus. Itaque & substantias completas includentes materiam, & earum formas, putant Aristoteles & D. Thomas indiuiduari sub eadem specie, atque adeo multiplicari sub illa propter diuersas portiones materiæ, in quibus diuersæ numero formæ recipiuntur, nisi

*In substantiis separatis tot esse indiuidua quot species.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



vbi forma alicuius speciei occupat totam materiam sui capacem, quod sancti Doctoris sententia euenit in corporibus cœlestibus: quippe in quibus etsi indiuiduatio fiat per materiam signatam, quæ non includitur in natura specifica, nulla tamen multiplicatio indiuiduorum eiusdem speciei fieri possit, quod vnica tantum sit materia, quæ formæ eius speciei sit capax. Atque hæc est sententia de principio indiuiduationis, quam ex Aristotele accepit D. Thomas, quæ vtrum vera sit necne, expendendum est deinceps.

*Materiam vt est quantitate affecta, non esse principium indiuiduationis.*

## SECTIO II.

*Quid sit materia signata.*

TOta difficultas huius rei in explicatione materiæ signatæ posita est. Quocirca illud animaduertendum est, nomine materiæ signatæ ab vtroque Auctore intelligi materiam quantitate affectam. Nam cùm apud Aristotelem & hoc ipso capite, [a] & lib. 3. cap. 3. [b] & alibi sæpe duplex tantum sit diuisio: vna secundum formam quæ semper apud illum est secundum speciem, altera secundum quantitatem: diuisio autem, quæ fit in varias portiones materiæ ad multiplicanda indiuidua sub eadem specie non sit secundum speciem, sed secundum quantitatem, efficitur vt nomine materiæ signatæ, qua fit eiusmodi multiplicatio, sit intelligenda materia affecta quantitate, quod idem apud D. Thomam passim inuenies.

a *Tex. 21.*
b *Tex. 11.*

*Potissimum locis citatis.*

*Prima explicatio materiæ quantæ.*

Cæterum non omnes D. Thomæ sectatores eodem modo intelligunt materiam quantitate affectam. Sunt enim qui dicant, nomine materiæ quantæ intelligendum esse totum aggregatum ex materia & quantitate, Nam cùm substantiæ, quæ sunt indiuiduæ sub specie infima, debeant esse & incommunicabiles pluribus, & distinctæ à quibusuis aliis sub eadem specie contentis, ac materia ex se ipsa sit principium incommunicabilitatis, ratione vero quantitatis, cui primo conuenit distinctio numeralis, sit principium numeralis distinctionis (quæ perspicua esse putant ex argumentis paulo ante propositis) concludunt materiam simul cum quantitate esse principium indiuiduationis substantiarum corporearum sub eadem specie infima. Quam sententiam amplectuntur Paulus Soncinas in septimum librum quæst. 33. & 34. & Franciscus Ferrariensis in primum contra Gentes ad cap. 21. eandémque videtur D. Thomas sibi persuasisse, cùm aliis locis compluribus, tum maximè 3. p. q. 77. art. 2.

*Ferr. prim. contra Gent. c. 21. Soncin. 3. Met. q. 33 & 34.*

*Refellitur. Primo.*

Hæc tamen sententia facilè refellitur. Primum, quia, aut sermo est de quantitate absolutè, aut de singulari quantitate: si absolutè, fieri non potest, vt materia quanta sit principium indiuiduationis, cùm pluribus conueniat: si vero de quantitate singulari, cùm ea non sit singularis, nisi quia recipitur in singulari subiecto (vt ipsi docent) prius naturæ ordine erit materia singularis, quàm sit quanta eiusmodi quantitate: quapropter non opus illi erit quantitate, vt eius adminiculo

*Secundo.*

sit principium indiuiduationis compositi substantialis. Deinde, quia materia quanta, hoc pacto exposita, est vnum quippiam per accidens, vt ex



vt ex hoc ipso capite perspicuum est: atque nullum principium eius quod est vnum per se, cuiusmodi sunt omnia indiuidua cuiusque prædicamenti potest esse vnum per accidens, alioquin id quod constat principio, esset simplicius ipso principio: quod fieri non potest. Postremò, quia indiuiduæ substantiæ, quæ sub eadem specie continentur distinguuntur inter se per aliquid sibi intrinsecum siue essentiale: at quantitas, non est hoc pacto intrinseca indiuiduis substantiis, cum prædicamenta non permisceantur, vt supra diximus. Nec certè illam vim habet illa eorum responsio, etsi quælibet substantia materialis prius natura est indiuidua, & vna numero vnitate transcendente, quàm sit quanta, non tamen prius natura esse vnam numero vnitate numerali, quæ pertinet ad prædicamentum quantitatis. Nos enim quærimus per quid substantia sit vna numero extra prædicamentum substantiæ, sed in ipso prædicamento substantiæ. Quo fit, vt vel non respondeant ad rem, vel ipsa responsione sibi repugnent, vel potius vtrumque faciant. Mitto solutionem argumentorum: quibus diximus illos in hanc sententiam ductos fuisse, quia ad calcem proximæ quæstionis, & melius intelligi, & facilius solui poterunt.

3

*Nec materiam cum potentia ad certam quantitatem, esse indiuiduationis principium.*

## SECTIO III.

*Secunda expositio materiæ signatæ.*

ALij propositis rationibus adducti, nomine materiæ signatæ, siue quantæ, intelligunt non materiam cum quantitate simul, sed materiam cum potentia ad certam numero quantitatem, ea nimirum ratione, qua est capax illius, & non alterius. Qua in sententia sunt Caietanus in libro de ente & essentia cap. 2. quæst. 4. & Chrysostomus Iauellus hoc loco quæst. 15. putant enim materiam communem, cum sit potentia quædam, fieri hanc numero, siue signatam per capacitatem certæ duntaxat numero quantitatis, eodem pæne modo, quo potentia sentiendi in commune, fit potentia videndi per capacitatem percipiendi solum colorem. Si quis autem ab eis quærat, qua ratione materia ita fiat capax huius solius numero quantitatis, cum sit, indifferens ad omnes formas naturales, omniáque earum accidentia, respondent id fieri actione agentis disponentis materiam. Nam cum illa disponitur ad introductionem formæ substantialis, simul etiam disponitur ad omnia quæ illam consequuntur: & quia in generatione non introducitur quælibet, sed certa & designata, consequens est, vt illam sequatur certa & designata quantitas: quandoquidem quantitas, & cætera accidentia rei, quæ corrumpitur, simul abiiciuntur cum forma substantiali, quam comitabantur, vt est D. Thomæ & grauiorum Scholasticorum sententia. Cùm igitur in eo temporis momento: quo forma sustantialis introducitur, non quælibet numero quantitas, sed certa & designata recipiatur in materia, efficitur, vt materia in eodem momento ita sit capax illius quantitatis, vt pro eodem & ab eodem agente non sit capax alterius, quamuis absolutè ac simpliciter

*D. Tho. quol. 20. art. 6. opusc. 32. c. 2. & 5. Capr. in 2. d. 13. q. 1. Ferr. 2. contra Gen. ca. 71. Caieta. de ente, & essentia c. 7. q. 17. & aliorum complurium.*

*Quantitas & cætera accidentia simul cum forma substantiali.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



ter sit capax infinitarum aliarum. Ea igitur ratione dicũt illi materiam fieri hanc numero, designatámve, quatenus in eo momento temporis quo forma introducitur (sed prius natura) est in potentia proxima ad eam solam numero quantitatem, quæ est consequutura formam.

*Reiicitur. Primo.* Verum neque huiusmodi opinio placet. Primum, quia si materia non esset hæc numero, nisi quatenus actione agentis potestate proxima est capax huius solius quantitatis, fieret necessario, vt quoniam materia in qualibet generatione est capax nouæ numero quantitatis, quæ nouam formam substantialem consequitur, in qualibet generatione esset alia numero materia, ac proinde non eadem numero maneret in re genita, quæ fuit in corrupta, quod quàm sit absurdum, luce clarius est. Isto enim pacto non daretur idem commune subiectum, in quo terminus ad quem succederet termino à quo, id est, forma priuationi, quod est præcipuum fundamentum naturalis Philosophiæ.

*Secundo.* Deinde, quia sequeretur, cùm quælibet res generatur, alteram materiam annihilari, alteram creari: quandoquidem materia, cùm sit primum subiectum, nec ex alio subiecto fieri, nec in aliud resolui potest.

*Tertio.* Tertio, quia quantitas non est designata & vna numero, nisi quia recipitur in materia vna numero, vt aliàs aserunt: quod si verum est, potius quantitas est hæc numero per habitudinem ad hanc numero materiam, quàm materia sit hæc numero per habitudinem ad hanc quantitatem.

*Responsio pro citatis Auctoribus. Infringitur.* Quod si huius opinionis' Auctores respondeant, materiam non esse absolutè hanc vel illam numero per potentiam ad hanc vel illam numero quantitatem, idque ostendi propositis argumentis, sed esse principium indiuiduationis huius vel illius numero compositi, vt Socratis aut Platonis, quod nos falsum esse non ostendimus, oportebat eos tradere quo pacto materia esset hæc numero absolutè ac simpliciter: hoc enim necessarium est, vt esse possit principium indiuiduationis huius vel illius compositi: & in hac reposita est præcipua huius controuersiæ difficultas. At illi nihil afferunt, quo materia alioqui communis, sit hæc vel illa numero, nisi potentiam ad hanc vel illam numero quantitatem: quo fit, vt planè conuincantur sentire, eam esse absolutè hanc vel illam numero per huiusmodi potentiam, quod argumenta proposita optimè refellunt.

*Quarto.* Quarto, quia cùm materia ex essentia sua sit potentia quædam ad formam substantialem, si illa ex habitudine ad certam aliquam numero formam esset hæc numero, siue simpliciter, siue vt principium indiuiduationis huius aut illius compositi: non ex habitudine ad certam numero accidentalem, sed substantialem, eiusmodi vnitatem acciperet: prius enim natura respicit illam formam substantialem, quàm accidentalium quamlibet.

*Quinto.* Quinto, quia potentia ad quantitatem, quatenus talis est, reuocatur ad prædicamentum quantitatis: siquidem potentia passiua, vt talis est, ad illud prædicamentum reducitur, vbi ponitur eius actus, vt patebit lib. 12. at nulla natura communis contrahitur per se ad inferiora per id, quod pertinet ad aliud prædicamentum: quare nec materia,



teria, vt sit hæc vel illa per potentiam ad hanc vel illam quantitatem.

*Iauelli responsio.* Ad hoc argumentum respondet Iauellus, potentiam passiuam non reuocari ad prædicamentum, in quo ponitur eius actus secundarius, sed vbi ponitur primarius: nunc autem quantitatem non esse actum primarium materiæ, sed formam substantialem. Verum hęc responsio non effugit vim argumenti. *Non euadit argumenti vim.* Nam etsi potentia passiue seu receptiua materiæ, simpliciter & absolutè non reuocatur ad prædicamentum quantitatis: reuocatur tamen, quatenus passiua & receptiua quantitatis, estque vt talis est posterior quantitate. Hac de caussa Caietanus ad primam partem D. Thomæ melius expenso argumento, planè ac meritò retractat sententiam de indiuiduatione substantiarum materialium per potentiam ad quantitatem, quam fuerat sequutus ad libellum de ente & essentia, docétque materiam non quatenus est in potentia ad certam numero quantitatem, sed quatenus est radix & fundamentum illius, seu quatenus illam præhabet, esse principium indiuiduationis materialium substantiarum. Demúmque ait hoc pacto duo quasi fundamenta Diui Thomæ in hac re inconcussa seruari: nempe, distinctionem numeralem substantiarum materialium fieri primo per quãtitatem, quod pronunciatum vocat maximam ex sensibus ductam: & nihilominus easdẽ substantias indiuiduari per seipsas (vt eo loco tradit D. Thomas) hoc est non per aliquid posterius. Nam indiuiduari per quãtitatem, vt præhabitam in sua quasi radice & fundamento, non est indiuiduari per ipsam quantitatem formaliter, aut per potentiam ad quantitatem, quæ sunt posteriora ipsis substantiis, sed per aliquid priùs quodque ad prædicamentum substantiæ pertineat. Quo pacto, nomine materiæ signatæ intelligenda est materia radicaliter, vt sic dicam, & fundamẽtaliter quanta, hoc est, habens certum quemdam particularem entitatis gradum, propter quem à certo & designato agente, & in certo & designato temporis momento, non est capax alterius quantitatis, quàm certæ tiam cuiusdam.

*Caietani exposito vtcũque rerum materialium principium indiuiduationis attingit.*

*Explicatio materiæ signatæ.*

*Qua ratione materia signata dici possit principium indiuiduationis.*

## SECTIO VI.

HOc igitur modo intellecta materia signata, vtcunque dici potest, eam esse substãtiarum materialium principium indiuiduationis. Quælibet enim materia singularis, ipsa secundum se est principium indiuiduationis compositorum naturalium, non primum tamen, quia & ipsa adhuc resoluitur in gradum specificum, quo præhabet omnes omnino dimensiones possibiles, & est omnium capax, & in gradum indiuiduantem, quo est capax quarundam, tametsi infinitarum: quatenus autem formaliter est effecta ipsis dimensionibus, est principium indiuiduationis non essendi, sed à posteriori cognoscendi iuxta generalem principij definitionem, positam capite primo huius libri, quo principium dicitur id primum, vnde aliquid est, aut fit, aut cognoscitur. Hæc D. Thomas conceptis pæne verbis tradit in opusculo de natura materiæ & dimensionibus interminatis, sic enim ait: *Cùm subiectum in aliqua*

*Confirmatur ex D. Thom.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*specie* (substantiæ videlicet) *sit prima substantia, quæ individuum dicitur illud quod tenet rationem primi subiecti, est causa individuationis & divisionis speciei in suppositis. Primum autem subiectum est, quod in alio recipi non potest.* Et post pauca. *Materia autem cum tribus dimensionibus non est primum subiectum, sed secundum se, & in natura sua.* Et paucis verbis interpositis: *Cum ergo forma recipitur in materia circunscriptis omnibus per intellectum dimensionibus, fit aliquid existens in genere substantiæ, & vltimum, completam habens rationem individui in substantia: sed non hic & nunc demonstrabile sine dimensionibus determinatis.* Denique sic concludit. *Et ideò dicitur quod materia sub certis dimensionibus est causa individuationis: non quod dimensiones causent individuum, cum accidens non causset suum subiectum, sed quia per dimensiones certas demonstratur individuum hic & nunc, sicut per signum proprium individui & inseparabile.* Hæc D. Thomas.

*Cur non per qualitates individuatio ostendatur.*

Cur autem non per qualitates, sed per dimensiones quantitatis ostendatur à posteriori individuatio substantiarum materialium, hæc est ratio. Quia qualitates individuorum eiusdem speciei, ita sunt interdum similes inter sese, vt nec sensus, nec intellectus quasi manu ductus à sensu, discrimen vllum inter eas inuenire possit, quod in Antiocho Rege, & Artemone plebeio historiæ prodiderunt: at quãtumcumque duæ quælibet individuæ substantiæ, similes sint inter se ratione qualitatum, semper tamen hoc discrimen ratione quantitatis in eis apparet, vt eas numeremus tanquam duas, ac proinde planè cognoscamus vnam non esse aliam. Id quod Diuus Thomas doctissimè ad naturam quantitatis vbique refert. Nam quia proprium quantitatis est habere partes: situ quodam intrinseco, siue essentiali inter se distinctas, hoc est ita dispositas, vt vna sit extra aliam, inde prouenit, vt omnia, quorum quantitates possunt esse partes vnius totius quantitatis, necessariò iudicentur esse diuersa. Atque hæc est ratio cur Aristoteles potius definiuit ea, quæ sunt vnum numero, per ea quorum materia est vnum, quàm per ea quorum forma est vnum: quia inquam distinctio quantitatum, quasi signacula sunt materiæ, sensibili discrimine distinguit individua non item distinctio qualitatum, quæ sunt quasi signacula formarum. Quod ex eo accidit, quia sub eadem specie, vt dictum est sæpe à nobis, aliæ qualitates ab aliis non discernerentur, nisi in diuersis quantitatibus existerent.

*Vide Valerium Max. libr. 9. cap. 15.*

*Quantitatis proprium est habere partes.*

*Cur Aristoteles per materiã potius definierit ea, quæ sunt vnũ numero.*

*Dubia circa superiorẽ explicationem.*

At cùm res genita & corrupta non distinguantur per quantitatem sensibili discrimine: immo ne intelligibili quidem apud quosdam quod credant vtranque habere eandem omnino quantitatem: quærat aliquis, cur ea per certam quantitatem numero constituta sit individuationis principium, etiam quoad cognitionem à posteriori.

1.

2. Deinde, cum nihil esse possit individuationis principium, nisi ipsum per se sit individuum, siue hoc vel illud numero: materia autem per certam numero quantitatem non fiat absolutè hæc vel illa numero, sed solùm fiat huius vel illius numero, vt Socratis aut Platonis (est enim hæc vel illa numero antequam hanc vel illam designatam accipiat, aut ad eam determinata sit,) obiiciat aliquis non debere eam per certam



certã numero quantitatem constitui individuationis principium etiam quoad cognitionẽ à posteriori, sed per aliquid aliud, per quod cognoscatur quatenus hæc aut illa absolutè, nõ quatenus huius aut illius. Hoc enim præcipuè quæritur in hac quæstione, vt superius diximus.

*Sectione præcedente.*

3.

*1. Phys. c. 7. tex. 69. & 2. de Ani. c. 1. tex. 2. & alijs in locis.*

Postremò cùm substantiæ compositæ magis habeant esse, ac proinde vnitatem per formam, quàm per materiam: cur non priùs forma, quàm materia constituta sit individuationis principium. Facit etiam plurimum pro hac re, quod sæpè Aristoteles vocat formam *hoc aliquid*, nec alia sane de caussa, quàm quia est præcipua ratio, ob quam compositum est hoc aliquid. His adde, per idipsum constitui vnum quodque inesse huius per quod distinguitur ab aliis: at compositum præcipuè distingui ab aliis per formam (actus enim est qui distinguit, vt habes libro 7. cap. 13.) ergo & constitui in esse huius. Item superiora & inferiora idem esse re: quare cùm v. g. per formam præcipuè sit cùm animal, tum homo, ergo per eandem præcipuè esse hunc hominem. Postremò materiam esse propter formam vt propter finem, quod habes apud Aristotelem 2. Physicorum libro, potius ergo formam quàm materiam ponendam fuisse individuationis principium. Id quod Auerroi ita placuisse videtur: vt planè scribat ad [a] initium 2. de Anima, substantiam esse individuam per formam: quod idem sentiunt nonnulli [b] eius sectatores.

*Cur formæ non sit constituta individuationis principium.*

*Tex. 49.*

*Ca 9. tex. 91*

a Com. 2. & sequentibus, vide eundem 2. de Anima com. 60.

b Vt Zimara theoremate 97. & alij

Nihilominus tamen ad primam dubitationem dicendum est: primum quidem rem genitam & corruptam vbique distingui secundum speciem: Aristotelem verò non tradidisse principium individuationis ad distinguenda individua diuersarum specierum, quoniam ea distinctio ex varietate formarum colligitur. Diuersitas autem formarum, non ex diuersitate sensibili quantitatum, sed qualitatum colligi solet, vt in re genita & corrupta perspicuum est. Deinde verò, non esse traditum ab Aristotele principium individuationis ad distinguenda ea individua, quorum alterum non existit, alterum existit: sed ad distinguenda ea sola, quæ simul existunt. Id quod primum Herueus [c] quodlib. 3. Deinde Caietanus in loco [d] citato libelli de ente & essentia annotarunt. Satis enim erat ad distinguenda existentia à non existentibus, quod alia existerent, alia non existerent, cùm nihil sit, quod idem numero possit simul existere ac non existere.

*Primum dubium soluitur Res genita & corrupta vt distinguãtur.*

c Quæst. 9.

d c. 2. q. 4.

Ad secundam dicendum, satis innui ab Aristotele quo pacto materia cognoscenda sit, quatenus est, hæc numero absolutè, cùm ab eõ traditur principium, quo cognoscamus illam esse nunc propriam huius aut illius. Nam cùm illa non possit esse propria huius, nisi sit certa quædam numero absolutè: quemadmodum illa cognoscitur esse huius propria per hanc designatam quantitatem, quæ naturaliter in alio simul existere non potest, ita cognoscitur esse certa quædam numero absolutè.

Ad tertiam dicendum, si de principiis individuationis physicè loquamur, & de cognitione à priori (quo pacto hæc materia & hæc forma vtcumque dici possunt principia individuationis huiusce compositi, licet non prima) non dubium esse, quin ex ipsa rei natura, magis

forma quàm materia dicenda sit principium indiuiduationis, id enim satis ostendunt argumenta proposita, modo remoueamus supernaturalem virtutem, qua fieri potest, vt eadem forma numero in diuersis materiebus recipiatur, pluréisque formæ numero in eadem materia, vt superiùs ostendimus: at physicè quidem, sed de cognitione à posteriori atque sensibili, potius constituendam fuisse materiam signatam, siue certa quantitate effectam, vt ostensum est. *cap. 4. q. 4. sect. 3.*

Patet igitur qua ratione dici possit materiam signatam esse principium indiuiduationis, & quo pacto id intellexerit Aristoteles. Atque adeo D. Thom. hac in re vbique Aristotelis sectator. Verùm, quia nec Aristoteles, nec D. Thomas rectè senserunt de indiuiduatione substantiarum separatarum, vt lib. 12. patebit, nec Principium intrinsecum indiuiduationis accidentium satis apertè tradiderunt, nec verò de Principio indiuiduationis existentium simul & non existentium loquuti sunt, nec denique de Principio indiuiduationis substantiarum corporearum eodem tempore existentium, aliter quàm more Physico perspicuè disseruerunt: reliquum est vt cum Scoto (qui non tam veritatem huius rei inuenisse, quàm planiùs tradidisse credi debet) quid vniuersè de principio indiuiduationis sentiendum sit, exponamus. Nam quo pacto dicta & argumenta ex Aristotele superiùs proposita, quatenus videntur solam materiam signatam Principium indiuiduationis facere, dissoluenda sint, commodius re tota explicata intelligi poterit. *sect. 7. q. 5.*

*Dicta & argumẽta, alia ex Aristotele soluenda in fine disputationis.*

---

## QVODNAM SIT VERVM ET COMMVNE INDIVIDVATIONIS PRINCIPIVM.

## QVAESTIO V.

*Vera sententia de principio indiuiduationis.*

### SECTIO I.

*Non solum physicum indiuiduationis principiũ essenuestigandum.*

ERGO vt vera communisque principij indiuiduationis ratio tradatur, illud animaduertendum est, non satis esse quærere Principium indiuiduationis Physicum, hoc est, realiter constituens indiuiduum, quo pacto materia & forma constituunt compositum naturale: tum quia sola indiuidua substantiarum materialium hoc modo componuntur: tum etiam quia pars, quę realiter constituit indiuiduum, non potest addi naturæ specificæ illius ad indiuidui constitutionem. Nam nec materia hæc, nec forma hæc, nec ambæ simul addi possunt naturæ specificæ hominis: vt cum ea constituant hunc hominem: cùm ipsa quoque natura specifica hominis constet materia & forma. Vnde cùm dicimus hanc materiam, & hanc formam esse principia indiuiduationis physica, impropria locutio est; præsertim cùm hæc quoque materia, & hæc forma sint indiuidua, ex suis naturis specificis, & propriis



propriis indiuiduationis principiis constituta. Oportet ergo eiusmodi principium indiuiduationis quærere ac tradere, vt ipsum totum addi possit naturæ specificæ, nec constitutum sit ex alia natura specifica, & alio indiuiduationis principio, sed sit simpliciter simplex, & vltimum in constitutione indiuidui. Quo pacto omnia, quæ in rerum natura sunt, excepto Deo Optimo Maximo, habent peculiaria indiuiduationis principia: quia omnia continentur sub aliqua specie infima, à qua distinguuntur, proprij principij indiuiduationis additione.

*Assertio quæstioni respondens.*

Hoc posito, respondendum est vniuerse, principium indiuiduationis esse differentiam quamdam positiuam, & primò incommunicabilem, quæ adiuncta speciei, per se constituit indiuiduum. Huiusmodi sunt differentiæ, quibus Socrates & Plato prius natura differunt inter se, quàm vllo accidentario discrimine, quas differentias alij vocant hæcceitates, alij minus barbarè hæccitates, quod earum additione natura communis fiat hæc, alij tollerabilius differentias indiuiduantes, siue indiuiduales, quòd indiuiduorum constitutionem absoluant.

*Probatur assertio.*

Quæ assertio, partim probata relinquitur iis rationibus, quibus superiores sententias refutauimus, partim hunc in modum cõfirmari potest. Nam quod principium indiuiduationis sit verè differentia quædam ex eo patet, quia species prædicantur de indiuiduis tanquam de pluribus verè differentibus numero, vt patet ex definitione speciei apud Porphyrium: at indiuidua non differunt numero inter se per naturam specificam, sed per principia indiuiduantia. Accedit, quod in omnibus rebus, quæ sub aliqua natura vniuoca diuersa sunt, includuntur aliqua primò diuersa (alioqui procederetur in infinitum) hæc autem verè ac propriè sunt differentiæ: at indiuidua sunt diuersa sub specie infima, neque aliqua alia reperiuntur in eis sub specie, quæ sint primo diuersa, nisi principia indiuiduantia. Adde, ea esse verè ac propriè differentias, quibus inferiora excedunt superiora: quo pacto differentia specifica est verè ac propriè differentia, quia eius additione species excedit suum genus, vt est apud eumdem, at indiuidua excedunt speciem additione principiorum indiuiduantium.

*Primo.*

*Secundo.*

*Tertio.*

*Cap. de differentia.*

*Quod principia indiuiduationis sit differentia positiua.*

Quod autem sit differentia positiua, ex eo cõstat, quia indiuisio, quæ in ea fundatur, est vera vnitas, atque adeo omnium vnitatum maxima, cùm sit numeralis: at omnis vera vnitas (præsertim maxima) sequitur per se aliquam entitatem, omnis autem entitas positiua est. Tum etiam ex eo, quia non quærimus hoc loco principia indiuiduationis non entium (siquo modo non entia, indiuidua dici possunt) sed entium: at omne ens, positiuum quippiam est, nec constare potest positiuum ex negatiuo.

*Quod sit primo incommunicabilis.*

Quod verò sit primò incommunicabilis (nempè iis, quæ secundum idem nomen & naturam dicantur plura) ex eo probatur, quia indiuidua sunt hoc pacto incommunicabilia, neque id sibi vendicant per naturam specificam, vt patet, sed per propria ac peculiaria indiuiduationis principia. Vnde cùm principium indiuiduationis non sit incommunicabile per aliud principium incommunicabilitatis, cùm sit proximum incommunicabilitatis fundamentum initio positum est, & vl-

timo constituat rem incommunicabilem, efficitur, vt sit differentia primo incommunicabilis.

Ex qua re illud etiam, quod paulò antè dictum est planè confirmatur, etsi Socrates quodam modo indiuiduetur physicè per hanc materiam & hanc formam, tamen hanc materiam & hanc formam, non propriè dici posse principium indiuiduationis: quamquam enim hęc materia & hæc forma sunt per se incommunicabiles: non sunt tamen primò incommunicabiles, sed per eas differentias, quibus tum à suis speciebus tum ab aliis indiuiduis suarum specierum distinguuntur.

Quod denique adiuncta speciei per se constituat indiuiduum, ex eo perspicuum est, quia indiuiduum est vnum ens per se, & non per accidens, cum directo ponatur sub specie, nec ex aliis entitatibus constitui possit, quàm ex specie & differentia speciei adiuncta.

*Non aliter sensisse Aristo. neque D. Thomam, si modo substantias separatas excipias.*

Quare non dubium esse debet, quin hæc ipsa fuerit Aristotelis, atque adeo D. Thomę sententia de principio indiuiduationis rerum omnium præterquam substantiarum separatarum, cum planè ex vtriusque principiis deducta sit nec alia ratione intelligenduu, quod aiunt, materiam signatam, siue quantam esse principium indiuiduationis substantiarum materialium, nisi vel iuxta Caietani expositionem, quatenus materia præhabet in natura sua certas dimensiones, vel quo ad cognitionem à posteriori, vt ex D. Thoma ostendimus. *Quæst. 5. sect. 3.*

*Obiecta contra confirmatam sententiam.*

## SECTIO II.

*Primum argumentum contra propositam sententiam.*

SVNT tamen non pauca, quæ contra hanc sententiam obiici possint. Primum sic contendat aliquis. Aut differentiæ indiuiduantes Socratis & Platonis conueniunt vniuocè inter se aut analogicè (neque enim solo nomine conueniunt, vt patet) si vniuocè: ergo aliis neque enim solo nomine conueniunt, vt patet) si vniuocè: ergo aliis differentiis differunt: quo fit, vt vel dandus sit progressus infinitus in differentiis, cum eadem quæstio possit fieri de omnibus, si omnes dicantur conuenire vniuocè, vel tandem reperientur aliquæ, quæ non conueniant vniuocè, quod potius statim dicendum erat de primis: si verò analogicè, fit vt Socrates & Plato conueniant analogicè, quod absurdissimum est, cùm maxima vniuocatione conueniant vt pote specifica. Ita videtur effici, vt potius tollendæ sint è medio differentiæ indiuiduantes.

*Caietani. Secundo.*

Obiicit quoque Caietanus hoc modo. Actus singularis supponit potentiam singularem: hæcceitates Socratis & Platonis sunt actus quidam singulares, & potentia aut quasi potentia, cui aduenium, est natura humana: ergo non reddunt eam singularem, sed iam inueniunt singularem, ac proinde non sunt principia indiuiduationis. Maior patet ex 2. Physic. cap. 3. vbi Aristoteles docet, formam singularem supponere materiam singularem: par autem est ratio in quocunque actu & potentia. *De ente & essentia cap. 2. q. 4.* *Text. 36.*

*Tertio. Eiusdem.*

Argumentatur etiam idem hoc pacto. Quicquid conuenit vni indiuiduo



uiduo & repugnat alteri eiusdē speciei, supponit illorū distinctionem, at hæcceitas Socratis conuenit Socrati & repugnat Platoni: ergo supponit distinctionem Socratis à Platone: non est igitur principium indiuiduationis Socratis.

*Quarto.*

Illud etiam obiici potest contra eamdem sententiam. Si naturę communes sunt indiuiduæ per differentias indiuiduantes, cum in eadem re singulari sint multæ naturæ communes, vt in Socrate natura animalis viuentis, corporis, & substantiæ, itémque materiæ, & formæ dabuntur in eadem re multæ differentiæ indiuiduantes: quo fiet, vt Socrates non sit vnum indiuiduum, sed plura.

*Quinto.*

Argumentabitur deinde aliquis hunc in modum. Si indiuiduum vltra naturam specificam, habet eam peculiarem entitatem, quam dicimus differentiam indiuiduantem, diuisa aqua in guttas, tot nouæ nascentur entitates, quot fuerint guttæ: tótque rursus entitates peribunt, si eædem rursus guttę iungantur, quod non est facile creditu, præsertim cùm nulla aqua generetur aut corrumpatur per eam diuisionem & coniunctionem. Isto enim modo eadem aqua, nec corrupta, nec annihilata poterit modo accipere, modo amittere eamdem differentiam indiuiduantem, quod fieri nullo modo potest, alioqui eadem res, dum eadem permanet, modo esset hæc, modo non esset hæc, quod implicat contradictionem.

*6.*

Obiici quoque potest hoc modo contra differentias indiuiduantes totius compositi. Differentia indiuiduans Socratis, non est primò incommunicabilis, sed per differentias indiuiduantes materiæ, & formæ: igitur, aut præter differentias indiuiduantes materiæ, & formæ, nulla alia danda est totius compositi, aut non rectè dictum est omnem differentiam indiuiduantem esse primo incommunicabilem.

*7.*

Potest & illud obiici contra easdem, vnde nam sumantur. Neque enim videntur sumi posse ex sola forma, neque item ex sola materia, sed ex vtraque, cùm ipsum compositum ex vtriusque coniunctione resultet. Quod si Philosophi consulendi sunt, contrà dicendum videtur. Nam cum ferè dicant composita naturalia fieri indiuidua per hanc aut illam materiam, admissis differentiis indiuiduantibus compositorum dicerent sumi eas ex sola materia, non ex materia & forma simul: Ita videtur effici assertam à nobis sententiam, nec veram esse, nec Philosophorum dictis consentaneam.

*Solutio eorum, quæ contra assertam conclusionem proposita sunt.*

## SECTIO III.

*Primo.*

NON est tamen cur obiectionibus propositis cedamus: primę enim duobus modis occurri potest. Vno per instantiam: nam si proposita ratio vllam vim habet, tollendæ quoque erunt de medio differentiæ specificæ, siquidem aut in eis dandus erit progressus infinitus, aut concedendum erit species eiusdem generis, vt hominem & equum, conuenire analogicè.

*Primum argumentum duobus modis dissolvitur.*

Altero

Altero,negatione prioris membri, & conceſſione poſterioris. Neque enim differentiæ indiuiduantes Socratis & Platonis conueniunt vniuocè,quod rectè probatum eſt, ſed analogicè analogia proportionis, vt quemadmodum Socrates eſt hic per hanc differentiam indiuiduantem,ita ſuo modo Plato ſit ille per illam.

Cùm autem colligitur fore hoc pacto, vt Socrates & Plato conueniant analogicè, quærendum eſt, in quonam attributo? Si in homine,negandum eſt,nec certè id probatur: ſi verò in eo quod vterque eſt indiuiduum neceſſariò eſt concedendum, quemadmodum homo & equus quatenus ſunt animalia, conueniunt vniuocè,& tamen quatenus homo eſt rationis particeps, & equus eſt talis, qualem nos ſignificamus per differentiam rationis expertis, non conueniunt vniuocè, ſed analogicè.

*conſectaria ex dictis.*

Vnde primum collige,nulla poteſtate fieri poſſe, vt duo indiuidua ſint poſitiuè ſimilia in omnibus iis,quæ pertinent ad eorum eſſentiam. Nam ſi eſſent, iam conuenirent vniuocè in differentiis indiuiduantibus,quod fieri non poteſt.Similitudo enim poſitiua duarum differentiarum indiuiduantium,non alia eſſet,quàm identitas earum numeralis: quocirca non magis fieri hoc poteſt,quàm duplex hic homo.

1. 2. Deinde collige,omnes differentias indiuiduantes eſſe ſimplices entitates,non per negationem compoſitionis realis ex materia & forma, (differentiæ enim indiuiduantes compoſitorum ex materia & forma etiam re ipſa compoſitæ ſunt ex materia & forma: alioqui non eſſent 3. idem re cum iis quorum ſunt differentiæ) ſed per negationem compoſitionis ex natura communi vniuoca,& differentia contrahente. Tertio collige,differentias indiuiduantes eſſe primò diuerſas. Quæ enim ita ſunt diuerſa,vt in nulla natura communi vniuoca & eſſentiali conueniant, ſunt primò diuerſa. Atque hæc omnia proportione ſeruata, de differentiis etiam vniuerſalibus colligi poſſunt.

*Obiectio Caietani aduerſus nunc dicta.*

Sed obiicit Caietanus hunc in modum, credens ſe Scotum, non etiam ſe ipſum refellere. Quæ magis conueniunt cum vno, quàm cum alio,non ſunt primò diuerſa ab eo,cum quo magis cõueniunt: hæcceitas Socratis & Platonis magis conueniunt inter ſe, quàm cum hæcceitatibus albedinis,igitur non ſunt primo diuerſæ materiæ inter ſeſe.

*Solutio.*

Hæc obiectio facilè diluitur, diſtinctione conuenientiæ in vniuocã & analogicam. Nam ſi loquitur de vniuoca, vera eſt maior, ſed falſa minor: ſi de analagogica, vera eſt minor, ſed falſa maior, datúrque planè inſtantia in quantitate & qualitate: quæ etſi magis conueniunt inter ſe analogica conuenientia,quàm cum relatione,aut cum ente rationis,non tamen iccirco rectè colligas, illas non eſſe primo diuerſas. Ac mirum ſanè eſt,quòd Caietanus ſtruxerit hoc argumentum contra Scotum, vſus nomine hæcceitatum pro differentiarum indiuiduantium,nec viderit idem contra ſe poſſe inſtrui. Concedit enim quæſtione ſequenti,differentias indiuiduantes intrinſecas indiuiduis,quemadmodum & in commentariis primæ partis D. Thomæ ad quæſtionem 85. quas tamen hæc ratione minimè id aduertens, oſtendere nititur, non eſſe principia indiuiduationis.

*Cap.2.de Ente & eſſen.q. 5. Et 1.par. q.85.art.7.*

Secunda



*2. argumentum principale diluitur.*

Secunda obiectio diluenda eſt negatione maioris, dicendúmque Ariſtotelem docere eo loco cauſſas, quæ ſibi mutuo ſunt cauſſæ, ita affectas eſſe,vt ſi vna ſit ſingularis, altera etiam ſingularis ſit. Poteſt tamen potentia eſſe ſingularis per accidens, & actus ſingularis per ſe, quod hic videre licet. Nunquam enim differentia indiuiduans Socratis exiſtit,niſi in natura humana ſingulari: ſed tamen hoc intereſt,quòd illa eſt ſingularis per ſe, hæc autem non niſi ratione differentiæ indiuiduantis. Quamquam ſi formaliter loquendum eſt, non eſt eadem ratio in cæteris actibus & potentiis, atque in materia & forma: quia cùm non ſit omnino negandum, principia indiuiduantia quocunque modo explicentur,& vndecúmque ſumantur, eſſe ſuo modo actus naturarum,quas dicimus communes,cùm illas diſtinguant, & ſingulares efficiant(quod neſcio qua ratione Caietanus non aduertit)illud tamen compertum eſt apud omnes, qui naturas vniuerſales agnoſcunt, non ſupponere illos naturas communes eſſe ſingulares, ſed ſingulares reddere:quo fit,vt hoc argumentum, ſiquid virium habet æquè pugnet contra omnia principia indiuiduantia quomodocunque ponantur à Caietano,atque contra Scoti hæcceitates. Huc accedit,quòd ſi omnis actus ſingularis ſupponeret potentiam ſingularem, nec illam efficeret ſingularem,pari ratione omnis actus ſpecificus ſupponeret potentiam ſpecificam,nec eam traheret ad eſſe ſpecificum,quod falſum eſt: ſiquidem corporeum quæ eſt differentia ſpecifica ſubſtantiæ corporeæ,non inuenit ſubſtantiam genus ſummum in eſſe ſpecifico,ſed eam trahit ad ſpeciem, in qua habet eſſe ſpecificum per accidens:quemadmodum hæcceitas Socratis trahit naturam humanam ad Socratem, in quo habet eſſe ſingularis per accidens.

Tertiæ obiectioni occurrendum eſt negatione maioris, quæ tunc 3
eſt falſa,cùm id quod conuenit rei,efficit diſtinctionem illius ab alia, quo pacto differentia indiuiduans Socratis conuenit Socrati. Atque hoc etiam argumentum,ſi vllam vim haberet, euerteret omne principium indiuiduationis,vt perſpicuum eſt.

Ad quartam dicendum, omnes naturas communes, quæ eſſentiali 4
prædicatione dicuntur de ſpecie infima,fieri iudiuiduas per eam differentiam indiuiduantem, per quam illa fit indiuidua. Qua enim differentia homo fit hic homo, eadem omnino fit hoc animal, hoc viuens, &c. At forma & materia non iiſdem differentiis fiunt indiuiduæ, quibus indiuiduantur compoſita: habent enim peculiares vnitates numerales,ac proinde peculiares differentias indiuiduantes, quibus ſunt diuerſa numero entia & inter ſe,& à toto compoſito. Itaque in Socrate & in quouis alio compoſito naturali, tres tantùm cernuntur differentiæ indiuiduantes:vna materiæ,qua illa permanet eadem numero ſub alia & alia forma: altera formæ, qua ipſa diſſoluto compoſito eadem numero conſeruari poteſt aut naturali, vt humana, aut ſupernaturali virtute,vt cæteræ:tertia totius compoſiti, quæ vt incipit eſſe per generationem compoſiti ita & per eius diſſolutionem perit:& iterum poteſtate diuina redire poteſt, ſi eadem numero forma iterum informat eandem numero materiam. Non eſt tamen proinde Socrates tria indi-

*In quouis ente poſito naturali tres tantum dari differentias indiuiduantes.*

uidua,sed vnum: quia, vt ille non est materia, nec forma,ita numerari non potest vnitatibus materiæ & formæ.

*Quinta.* Quintæ obiectioni respondebis:partes eius rei,cuius substantia per diuisionem haud corrumpitur,non accipere nouas differentias indiuiduantes per diuisionem, nec rursus per coniunctionem vllas admittere:sed easdem habere,cùm seiunctæ sunt à se inuicem, quas habebant in ipso toto:quandoquidem aquæ guttæ non sunt aliæ numero ab iis, quæ in tota aqua continebantur, & ita res habet in cæteris similibus.

*Differentias materiæ & formæ nõ esse partes differentiæ compositi.* Hoc tantùm est discriminis, quòd differentiæ indiuiduantes, quibus partes post diuisionem totius sunt numero distinctæ, erant ante diuisionem partes differentiæ indiuiduantis totius compositi, vt potè integrantes vnam & eandem numero differentiam indiuiduantem totius.Atque hac de caussa,nec ante diuisionem, nec post vnionem possunt eiusmodi partes dici multa entia numero, sed multæ partes vnius entis numero. Alia ratio est de differentiis indiuiduantibus materiæ & formæ:neque enim credendum est,illas,dum totum ex ipsis compositum est,esse partes differentiæ indiuiduantis totius compositi:siquidem hoc pacto,dum totum existit, non essent materia & forma duo entia: quemadmodum nec duæ dimidietates aquæ, dum illa non est diuisa,sunt duo entia. Vt igitur compositum ex materia & forma non idem est,quod materia & forma simul sumptæ,sed est tertia entitas resultans ex vtriusque coniunctione,vt patebit lib.7.ita differentia indiuiduans compositi,non est idem quod differentiæ indiuiduantes materiæ & formæ simul sumptæ,sed est differentia quædam resultans ex coniunctione singularis materiæ & singularis formæ, ratione vltimarum entitatum,quibus illæ sunt indiuiduæ.

*Sexta.* *Differentia indiuiduans vnde sit incommunicabilis.* Sexta obiectio hunc in modum dissoluenda est. Differentiam Socratis indiuiduantem,non esse incommunicabilem formaliter per differentias indiuiduantes materiæ ac formæ,sed caussaliter.Est enim ipsa ex ratione sua incommunicabilis, & tamen cùm totum indiuiduum caussetur ex indiuidua materia & indiuidua forma:necesse est, vt differentia indiuiduans totius cum sua incommunicabilitate caussetur à differentiis indiuiduantibus, incommunicabilitatibúsque materiæ ac formæ.Quod autem dictum est,omnem differentiam indiuiduantem esse primò incommunicabilem,seu (quod idem est) non communicabilem per aliud,intelligendum est formaliter: etsi caussaliter per aliud possit esse incommunicabilis,quemadmodum & esse simpliciter.

*Septima.* Septima hoc pacto diluenda: aliud esse differentiam indiuiduantem totius compositi resultare ex coniunctione materiæ & formæ, quod asseruimus,aliud,sumi ex materia & forma,de qua est controuersia apud Philosophos.Hoc enim nihil est aliud,quàm denominationẽ, quæ fit per differentias indiuiduantes,desumi aut ex forma,aut ex materia.Nam cùm sæpè videamus denominationem,quæ fit per alias differentias,desumi ex formis, vt si dicas, hæc mensa est lata: sæpè etiam ex materia,vt si dicas,est lignea:dubitant Philosophi, vnde nam sumatur denominatio, quæ fit per differentias indiuiduantes: veluti cùm Socrates dicitur hic, ex forma ne, an ex materia dicatur hic. In qua con



*Lib. de ente & essent c.2 q.5. & 1.p. q.85. art.7.* controuersia dirimenda Caietanus in locis superius citatis illud primum nobiscum asserit,dari re vera differentias indiuiduantes, quæ indiuiduis internæ sint, & per quas species substantiarum in ipso prædicamento substantiæ ad indiuidua contrahantur. Qua in re planè fatetur

*Iauellus 5. Meta q.15.* nullum esse discrimen inter D.Thomam & Scotum:neque id retractat in 1.parte quæst.29.art.1.vt quidam existimant:sed potius in ea re magis firmat animum, asserens substantias compositas non esse indiuiduas per potentiam materiæ ad quantitatem, vt loco illo dixerat, sed per aliquid prius natura, quod ad prædicamentum substantiæ suo modo pertineat.Verùm hoc discrimen esse ait inter differentias specificas & indiuiduantes, quod specificæ sumuntur ex formis,veluti rationale ex forma rationis participe, indiuiduantes verò ex materia. Itaque quemadmodum genus contrahitur ad speciem per differentiam desumptam ab aliquo gradu formæ, qui non includitur in genere:ita credit ille speciem contrahi ad indiuiduum per differentiam desumptam ex vltimo gradu materiæ, qui non includitur in specie. Non quod existimet,formam non habere etiam vltimum aliquem gradum, siue entitatem infra gradum specificum (neque enim minus credit aut credere potuit, animam Socratis esse indiuiduam sub specie formæ humanæ, quàm eius materia sit indiuidua sub specie materiæ generabilium & corruptibilium, aut ipse Socrates sub specie humanæ naturæ) sed quia putat,denominationem,qua natura specifica dicitur contracta ad hoc,aut illud numero, non fieri ab vltimo gradu, quo forma est hæc,sed potius ab vltimo gradu,quo materia est hæc: cùm interim alij contra sentiant denominationem non fieri ab vltimo gradu materiæ,sed formæ.

*Discrimen inter differentias specificas & indiuiduantes ex Caietano.*

*Scot. in 2.d. 3.q. 6. & Auerr 2. de Ani. com.8.*

*Germana solutio.* Videtur tamen posse dirimi controuersia hunc in modum, vt denominatio,quòd attinet ad nominis occasionem,seu potius pronominis, quo compositum appellatum fuit hoc numero, ducta sit à materia, vt Caietanus ait,fuit enim occasio eius rei quantitas, vt suprà diximus:at

*Quæst.5. Sect.3.* quantitas,materiæ potius quàm formæ attribui solet. Quod verò attinet ad id,quod significatur potius sumitur à forma,vt alij volunt:& ex iis etiam,quæ à nobis superius dicta sunt intelligi potest. Atque in hac sententia esse D.Thomam 2.contra Gent. cap.40. colligi potest: quo in loco ille extrema ratione contendit ad formam potius quàm ad materiam referendam esse rerum materialium distinctionem: tametsi aliàs sæpè dixerit,materiam esse principium earum indiuiduationis,ac proinde distinctionis, in eo nimirum sensu quem explicauimus. Nec

*Lect.1.* dubitandum,quin idem quoque senserit Scotus. Superest igitur,vt dissoluamus argumenta ea, quibus in superiori quæstione contendebatur materiam signatam principium indiuiduationis esse, qua ex parte videri possunt contra ea,quæ dicta sunt,aliquid concludere.

*Ex D. Tho. sententia, ad formã potius quàm ad materiam referri oportere distinctionem.*

*Solutio argumentorum,quæ superiori quæstione pro materia signata proposita sunt,qua ex parte non rectè concludunt.*

## SECTIO IV.

*Ad argumenta posita initio sectionis primæ quæstionis superioris.*

AD primum igitur locum, quo Aristoteles in hoc capite definit ea,quæ sunt vnum numero, respondet Scotus 2. Sent. dist.3.q.6. nomine materiæ non esse intelligendam eam materiam, quæ est altera pars Physica singularis compositi:alioqui, nec solis iis, quæ sunt vnum numero, nec etiam omnibus conueniret definitio, vt patet ex argumentis contra eam propositis in contextu:sed intelligendum esse differentiam indiuiduantem, quæ potest dici materia respectu speciei, quam contrahit.Nam cùm species contineat totam quidditatem indiuiduorum (indiuidua enim non definiuntur quidditatiuè,nisi ratione naturæ specificæ,vt patebit lib.7.) quidditas autem passim apud Aristotelem dicatur forma:merito differentia indiuiduans, quæ est altera pars Metaphysica indiuidui, dicetur materia. Cuius rei triplex ratio reddi solet à Scoti sectatoribus. Vna, quia quidditas communicatur multis,differentia autem indiuiduans, dum ea contrahit, reddit illam incommunicabilem:vt autem communicari multis est formæ, ita restringere ad vnum tantùm id quod multis communicatur, est materiæ, vt patet in figura sigilli,& cera. Quæ ratio videtur desumpta ex more loquendi Platonis. Altera, quia quidditas constituit rem in esse prædicabilis,differentia autem indiuiduans,in esse subiicibilis : prædicatum autem est simile formæ,subiectum verò materiæ. Tertia, quia si differentia indiuiduans conferatur cum quidditate rei, longè minus perfecta reperietur: vt magis videri possit perfici per quidditatem, quam contrahit,quàm illam perficiat.Nam etsi differentia indiuiduãs quodam modo perficit quidditatem, quatenus illi dat esse huius & illius quidditatis,id est,quatenus illam ad hoc perducit, vt sit hæc & illa numero quidditas:tamen maiorem perfectionem recipit ipsa à quidditate:accipit enim,vt sit differentia humanæ naturæ equinæ, aut leoninæ,& cæterarum:quod maioris perfectionis est, quàm quod natura speciei sit hæc, aut illa numero, id quod non accidit in differentiis specificis,si conferantur cum suis generibus: perfectior enim est natura rationalis quàm animalis, plúsque nobilitatis accipit animalis natura ex coniunctione cum natura rationali, quàm hæc ex coniunctione cum illa.

*Tex.12.*

*Cur differentia indiuiduans dicatur materia, triplex ratio.*

*Lege Scot. in 2 d.3.q.6. Antonium Trombet.lib. 5.Metaph.q. 5.ar.3.Bass. 2.Sent.d.12. q.4.art.3.*

*Distinctio Scoti de materia. In 2. d. 3. q. 6. & alibi.*

Quo loco operæpretium est referre distinctionem Scoti de materia. Vt enim inquit duplex est forma, vna, quæ est pars compositi,veluti anima humana, altera, quæ est tota quidditas specifica, veluti humanitas (nam & totum ipsum, formam appellat Aristoteles, cùm de caussis agit) ita necessariò assignandam esse duplicem materiam:vnam, quæ cum forma constituat compositum, vt corpus cum anima: alteram, quæ cum quidditate specifica constituit indiuiduum : quo pacto differentia hæc indiuiduans constituit cum specifica humanitate hunc hominem. Ac priora genera formæ & materiæ, vocat ille formam partis, & materiam partis, posteriora verò, formam totius, & materiam

*2. Physic.c.3. tex.31.& hoc lib.cap.2. tex.3.*



tiam totius,sumptis gignendi casibus intransitiuè:quasi dicat,formam quæ est pars,materiam quæ est pars:formam quæ est totum, materiam quæ est totum. Est enim differentia indiuiduans re ipsa tota quidditas specifica,tametsi ab ea formaliter differt. Putat ergo Scotus, nomine materiæ in loco citato intelligendam materiam totius, differentiam videlicet indiuiduantem : proinde & omnibus iis quæ sunt vnum numero, & solis etiam conuenire definitionem : siue illa sint indiuidua substantiarum, siue accidentium, siue materialia, siue immaterialia. Adde tamen, modo ea sumantur pro iis quæ sub aliqua specie continentur, vt excludantur, tum Deus Opt.Max.tum etiam omnes differentiæ indiuiduantes.

*Aptior loci Aristotelis explicatio & argumenti solutio.*

Quia tamen durum est admodum accipere eo loco materiam, aliter quàm pro vera materia:potius dicendum est, materiæ vocabulum accipiendum ibi esse pro materia signata seu quanta : non ita tamen, vt significetur esse primum principium indiuiduationis, nempe irresolubile in aliud principium,sed solum principium Physicum,ac realiter componens. Addendum quoque, Aristotelem non explicasse eo loco omnia quæ sunt vnum numero,sed solas substantias,neque omnes item,sed eas tantùm,quæ sunt indiuidua sub aliqua specie.Dico autem *solas substantias*, quia non est complexus accidentia saltem substantiarum separatarum,vt satis constat. Addidi *neque omnes item,&c.* quia non est complexus substantias separatas, quas putauit esse indiuiduas per differentias specificas, non autem per aliquid contrahens speciem. Merito autem Aristoteles propriam sententiam secutus,non est complexus substantias separatas, quia instituit definire ea sola, quæ sunt vnum numero vnitate distincta ab vnitate specifica: quæ distinctio apud illum non datur in substantiis separatis.

*Solutio eorũ quæ in contextu proposita sunt contra definitionem illorum quæ sunt vnũ numero.*

Atque hinc perspicuè colliges solutionem eorum, quæ in contextu contra propositam definitionem obiecta sunt. Nam hic candor,& hic sapor,etsi sunt in eadem materia signata:tamen non sunt substantiæ: Michaël autem,& hic Angelus pro Michaële acceptus,etsi sunt substantiæ, tamen ex Aristotelis sententia non possunt indiuiduari sub specie,sed per ipsam differentiam specificam constituuntur in esse indiuiduali.Vnde etsi definitio illa eorum quæ sunt vnum numero, non est rectè tradita simpliciter:est tamen rectè iuxta Aristotelis sententiam de substantiis separatis.Mitto alia,quæ tum à Scoti sectatoribus, tum etiam ab ipso Scoto relata sunt: illud planè est contra Aristotelis sententiam in tractatione de caussis,quod totam quidditatem specificam vocauerit formam respectu differentiæ, cum qua constituit indiuiduum:neque enim illam vocauit formam, nisi respectu earum partium,ex quibus componitur,idque quatenus illis dat esse partium talis naturæ,& respectu partium subiectarum, vt Socratis & Platonis, quibus dat esse quidditatiuum talis speciei.

*Quidditatem specificam respectu cuius vocauerit Aristoteles formam.*

*Exponitur locus Aristotelis.*

Ad alterum locum Aristotelis, concedendum quidem est,appellatione harum carnium & horum ossium significari materiam signatam, vt verbis proximè sequentibus satis exponitur : verum negandum inde sequi, materiam signatam esse apud Aristotelem primum principium

indiuiduationis,sed Physicum ac secundarium in substantiis naturalibus,vt sæpius diximus:quamquam is locus magis explicabitur in solutione primæ argumentationis.

Ad tertium, idem respondent Scoti sectatores, quod Scotus ad primum:re tamen vera non potest materia eo loco accipi,nisi pro vera materia,cùm proximè dictum sit,speciem constare materia, vt vniuersali.Dicendum est igitur sensum esse, Socratem esse ex materia extrema, id est, constare ex eadem materia, vt singulari tamen: at ex hoc sensu nihil concluditur contra ea, quæ de principio indiuiduationis dicta sunt.

*Ex Aristotelis sententia nullam speciem substantiæ, expertem materiæ, posse habere sub se indiuidua.*

Ad quartum, persistens Scotus in eadem expositione, respondet, materiam accipi eo loco pro differentia indiuiduante:atque ideo Aristotelem concludere non posse dari plures primos motores, quia primus motor non potest constare differentia indiuiduante,propter summam diuinæ naturæ simplicitatem. Quia tamen Aristoteles eo loco planè loquitur de materia propriè dicta, vt patet ex antecedentibus & consequentibus:potius dicendum est, credidisse quidem Aristotelem nullam speciem substantiæ posse habere non modo multa indiuidua, sed ne vnum quidem sub se,nisi habeat materiam:proinde apud illum rectè effici, ea quæ non habent materiam, non solum non esse plura numero sub eadem specie,sed neque vnum sub specie, quòd in iis species, & indiuiduum idem sint prorsus ex natura rei. Hinc tamen non efficitur credidisse illum materiam esse primum principium indiuiduationis, etiam in substantiis materialibus,sed materiam esse necessariam ad constituenda substantiarum indiuidua sub specie. Cuius falsæ opinionis fundamentum 12.lib.explicandum est.Ex quibus patet responsio ad extremum locum.

*Prima argumẽtatio, eadem sectione prima proposita soluitur.*

Prima vero argumentatio hoc modo dissoluenda est. Quemadmodum interna principia multiplicationis specierum sub genere sunt differentiæ specificæ, ita multiplicationis indiuiduorum sub eadem specie esse differentias indiuiduantes, neque Aristotelem vllo in loco contrà sensisse:quamquam putauerit nullam speciem substantiæ habere plura indiuidua, nisi constet materia, cuius diuisione specifica, forma multiplicari possit.

Secundæ occurrendum est,& hanc materiam & hanc formam posse dici principia distinctionis indiuiduorum substantiæ compositæ sub eadem specie,quibus enim principiis res constituitur, eisdem ab aliis distinguitur:non tamen esse prima omnino, & quæ in alia resolui nequeant,cùm & ipsa distinguantur à cæteris eiusdem speciei per peculiares differentias internas.

*Dictum Aristotelis exponitur.*

Cur autem Aristoteles dixerit, formam geniti esse diuersam à generantis forma propter materiam : & (quod inde sequitur) genitum à generante eiusdem speciei propter materiam distingui,hanc rationem tradit Scotus:quia etsi tam forma quàm materia sunt principia, quibus generans & genitum eiusdem speciei,partim assimilantur, partim distinguuntur, magisque per formam re vera,quàm per materiam : tamen à proprietate (vt ait) potius forma dicenda est principium assimilationis,



milationis, quàm distinctionis, contráque potius materia distinctionis, quàm assimilationis. Similitudo enim si propriè loquamur,in qualitate aliqua fundatur: forma autem est substantialis quædam qualitas,
3 quo nomine materia appellari non solet:distinctio verò, ea ratione magis tribuitur materiæ, quia materia geniti antequam accipiat formam à generante,est priuata eiusmodi formaatque adeò necessariò est distincta à materia generantis,quæ iam habet formam similem formæ introducendæ.

Sed cùm hæc distinctionis ratio non sumatur ex materia iam existente sub forma geniti,sed quatenus præcedit introductionem formę, ea potius ratione dicendum est illi appropriari,siue attribui distinctionem formarum generantis & geniti eiusdem speciei, quia quantitas, qua genitum à generante distinguitur, aperto & sensibili discrimine, vt suprà diximus, materiæ tribuitur. Quæ distinctionis ratio eo magis probanda est, quod in distinctionem etiam numeralem corporum cœlestium, si quæ sunt eiusdem infimæ speciei ( aut saltem in iis, quæ à Deo effici possunt) eadem congruit.

*Accommodatior loci expositio.*

Ad tertiam dicito,diuersam esse admodum eam subiectionem, qua materia subiicitur suis formis ab ea, qua indiuidua subiiciuntur superioribus speciebus & generibus. Genera enim & species prædicantur de indiuiduis, formæ autem de materia non item. Proinde nihil aliud ea argumentatione colligitur, quàm quod forsitan hac etiam appropriatione potius materia, quàm forma dicta est indiuiduationis principium. Quia subiectio, qua materia subiicitur formis, vtcunque imitatur subiectionem, qua indiuidua subiiciuntur suis superioribus, in eo videlicet,quod quemadmodum indiuidua habent esse à suis superioribus,ita suo modo materia habet esse à suis formis.

Ad quartam eodem modo respondendum est, diuersam esse admodum incommunicabilitatem materiæ, quatenus non communicatur vt actus, ab ea, qua indiuidua non communicantur vt superiora inferioribus. Quare nihil aliud ea argumentatione colligi, quàm quod hæc etiam tertia appropriationis ratio esse potuerit, ob quam materia potius quàm forma dicta sit ab Aristotele principium indiuiduationis,quia incommunicabilitas materię vtcunque imitatur incommunicabilitatem indiuiduorum,in eo videlicet,quod quemadmodum indiuidua nulli inferiori insunt per identitatem,ita materia nulli subiecto inest per informationem.

*Vide Alens. 1.par. q.56. memb.7.art. 1. Ockam in 1. d. 2.q.2. & 3. Caiet. 1.part. q. 3. art.3.*

Atqve hæc de principio indiuiduationis, à quo prouenit præcipuum vnitatis genus, dicta sint. Reliquum est vt de distinctione, ex qua multitudo nascitur, differamus.

QVOT

# QVOT ET QVAE SINT DISTINCTIONVM GENERA APVD PHILOSOPHOS.

## QVAESTIO VI.

*De distinctione reali.*

### SECTIO I.

*Diuisio distinctionum.*

VETVS a quidem diuisio est, qua distinctio in realem, & rationis diuiditur: eámque recentiorum b plerique inde ortam existimant, quòd omnia, quæ quoquo modo sunt, aut sint entia realia, aut rationis. Sed quicquid sit de diuisione ipsa, certè & ratio, quia illam amplectendam existimant, parum habet momenti, vt inferius patebit, & alia diuisio multò commodior ab aliis recentioribus est tradita, in realem, rationis, & ex natura rei, quæ à nobis in hac quæstione explicanda est.

a *Heru. quol. 3. q. 3. Dur. 1. sen. d. 2. q. 1.*
b *Sco. q. 3. de Vniu. immo & Dur. in 1. di. 2. q. 2. Et Okam. in 1. d. 2. q. 3. Et Heru. quolib. 3. q. 3.*

*Quid sit realis distinctio.*

Distinctio realis est, qua aliquid ab aliquo distinguitur, vt res vna ab alia re, aut vt pars realiter integrans totum homogeneum ab alia integrante. Hoc pacto distinguitur Socrates à Platone, & anima Socratis ab eius corpore, & partes, quibus mare integratur ex Oceano & Mediterraneo, & inter sese, & à toto mari. Loquor autem de partibus homogeneis: quia aliæ partes componentes realiter, vt materia & forma, & partes heterogeneæ, quatenus eiusmodi sunt, distinguuntur inter sese, vt res aliæ ab aliis rebus. Sed vt videamus quid à quo distinguatur, vt res vna ab alia re, quod non parum exhibet negotij: illud prius ex veterum sententia constituendum est, multa esse, quæ distinguantur sine operatione intellectus, nec tamen distinguantur, vt res aliæ ab aliis rebus: quod illi passim de actione, & passione dicunt, sæpe etiam de relatione & fundamento, de figura & magnitudine. Hoc nisi ponamus frustra labor discutiendi hanc difficultatem suscipietur: quandoquidem dicetur nobis, nihil aliud esse distingui re, quàm distingui præcisa omni operatione intellectus. Eo tamen constituto, iam datur locus quæstioni, quid requiratur, & sufficiat, vt hoc distinguatur ab illo: vt res vna ab alia, præter quàm quod distinguantur inter se, remota omni operatione intellectus.

*Fundamentũ ex sententia veterum.*

*Prima sententia de reali distinctione.*

Sunt ergo qui c dicant, hoc præterea requiri ac sufficere, quod vtriusque non eadem sit existentia, sed diuersa. Verum hæc conditio nec sufficit, nec forsitan est necessaria. Non sufficit, quia relatio & fundamentum habent diuersas existentias, itémque figura, & magnitudo: perit enim relatio sæpenumero manente fundamento, & figura manente magnitudine, quæ tamen ponuntur non distingui realiter neque tamen multorum sententia habent aliam & aliam existentiam, sed vnam & eandem omnino.

c *Tromb. 5. Metap. q. 5. ar. 4. & q. 6. art. vl. & 7. Metaph. q. 8. art. 4. Bonetus 3. lib. suæ Metaph. c. 2.*

*Vide Anton. Tromb. trac. de formalitatibus cap. 2.*

*Secunda sententia.*

Dixerint alij, hoc potius requiri, atque satis esse, quod alia & alia generatione generentur, & alia atque alia corruptione corrumpantur. Sed



pantur. Sed neque huiusmodi cõditio aut requiritur, aut satis est. Nam nec relatio & fundamentum, quæ sunt idem re, eadem generatione generãtur, aut corruptione corrumpuntur necessariò, cùm sæpè relatio & post genetur (si relatio generari dicenda est) & antè esse desinat. Nec item potentiæ facultatésve naturales, quæ sunt proprietates substantiarum, cùm distinguantur re ipsa, & inter sese, & à substãtia, quarum sunt proprietates, alia generatione generantur, & corruptione corrumpantur, quàm illa eadem, qua subiectum generatur & corrumpitur. Nec verò Aristoteles libro superiori probauit, ens & vnum esse idem re, quia eadem generatione generentur, & corruptione corrumpantur: sed esse vnam & eandem naturam, seu (quod significare voluit) vnum ipsum, nullam naturam positiuam enti addere: idque non ex eo tantùm, quia eadem generatione generentur, corruptionéque corrumpantur: sed quia eadem generatione primo generentur, & corruptione primò corrumpantur, vt diximus in eum locum, quod non accidit in qualitatibus, quæ sunt proprietates substantiarum: quippe cùm priùs natura generetur substantia, tum verò consecutione quadam naturali proprietates. Quòd si quis velit eo pacto sumendam esse traditam conditionem, vt omnia quæ eadem generatione primò generantur, & eadem corruptione primò corrumpuntur, sint idem re: quæ verò non eadem, aut non primò, distinguantur vt res à re: eisdem illis exemplis refelletur, relationis, inquam, & fundamenti, figuræ, & magnitudinis: quæ cùm sint idem re, tantum abest, vt eadem generatione primò generentur, & eadem corruptione corrumpantur, vt sæpè ne generentur quidem, aut corrumpantur simul.

*Cap. 2. tex. 3.*

*Sco. in 2. d. 1. q. 4. Tromb. 7. Met. q. 3. ar. 1. Ferrar. 1. Phy. q. 10. Bonet. 3. lib. suæ Met. c. 2.*

*3. sententia.*

Dicant fortassè alij, hoc potius requiri ac sufficere, si alterutro sublato, alterum manere possit, quod nemo dixerit de relatione & fundamento, de figura & magnitudine. Nam etsi fundamentum manere potest sublata relatione, itémque magnitudo sublata figura: tamen fieri non potest, vt relatio sublato fundamento, aut figura sublata magnitudine in rerum natura cohæreat. Hæc tamen conditio etsi satis esse videtur ad distinctionem vnius rei ab alia: non tamen est necessaria. Duo enim quælibet correlatiua realia, sunt distincta realiter: neque tamen ita distinguuntur, vt alterutro sublato (immo ne altero quidem) alterum manere possit, cum ambo se vicissim ponant ac tollant, vt patet ex Prædicamentorum libro.

*Capi. de Relatione.*

*4. opinio.*

Denique alij fuerint, quibus placeat eam conditionem omnino requiri ac sufficere, quod vtrumque possit existere separatum ab altero. Omnia enim ac sola ea, quæ possunt à se mutuò existere separata, videntur numerari posse vt plures res, ac proinde vt distinctæ res. At hæc conditio etsi videtur esse satis, non tamen est necessaria. Nam si de vera & propriè dicta separatione sit sermo: perspicuum est non requiri: siquidem nec creaturæ possunt existere separatæ à Deo, nec vna persona diuina à cæteris personis, cum quælibet sit in cæteris, vt Theologi docent. Si vero separatio sumatur pro alietate: aut alietatis nomine intelligitur alteras realis, aut qualiscunque, aut certè alietas non pendens ab operatione intellectus. Si realis, erit petitio principij: si qualiscumque

*Persona diuina separata à cæteris existere non potest.*

*Cum Magistro in 1. d. 9. ex Aug. lib. de Fide ad*

liscumque,omnia quæ quouis modo distinguuntur, distinguentur realiter:si alietas non pendens ab operatione intellectus, iam actio à passione,relatio à fundamento, & figura à magnitudine realiter distinguentur,quod veteres negant, immo & superiora omnia ab inferioribus,quod multo durius est:distinguuntur enim re vera inter, se secluſa omni operatione intellectus,vt inferius patebit.

*Petrum c. 1. & Hilario 7. de Trinit. & Ambr. super 5.ca.secundæ Epist.ad Cor. & habetur, Ioann. 14. Ita D.Th.1. p.q.41.ar.4.*

*Quinta eaq; vera sententia. Vnà è tribus conditionib us requiri ac sufficere ad realè dist. Personæ diuinæ maximè distinguũtur alietate producentis & producti.*

Quare potius dicendum,vnam saltem è tribus conditionibus requiri,ac satis esse ad distinctionem vnius rei ab alia.Prima est alietas, vt sic dicam producentis & producti:nulla enim res seipsam producit. Quæ conditio adeo efficax est ad distinctionem realem constituẽdam, vt ne maxima quidem vnitate essentiæ impediri possit,quominus illam efficiat,vt patet in personis diuinis. Secunda est alietas causſæ & effectus.Nulla enim res potest esse causa sui, loquor autem de iis in quibus cernitur vera ac propria ratio causæ & effectus, quo pacto materia & forma sunt causæ totius compositi. Nam si de causſa & effectu impropriè dictis sermo sit, non erit incommodum si eadem res dici possit alia ratione causſa, alia ratione effectus sui, vt patet in facultate calefactiua & exsiccatiua solis, aut ignis, quæ cùm sit vna & eadem qualitas tamen quatenus calefactiua est, dici vtrumque potest causſa sui quatenus est exsiccatiua,cùm calefaciendo exsiccet. Tertia est alietas suppositorum,quæ etiam in iis in quibus neutra dictarum alietatum reperitur,sufficit:veluti in hoc lapide, & hoc ligno, in hoc angelo, & hoc homine. Possuntque in hac conditione tres quasi gradus constitui.Primus quidem in ipsis suppositis:hæc enim sunt,quę omnium maximè distinguuntur realiter,quæcumque illa sint.Secundus verò in iis, quæ cum ex natura rei distinguantur, existunt,aut saltem existere possunt in distinctis suppositis quo pacto distinguuntur realiter accidentia absoluta Socratis & Platonis non item relatio & fundamentum, aut figura & quantitas, cuius est figura. Dixi, *cum ex natura rei distinguantur*,hoc est,semota omni operatione intellectus: ne quis colligat in diuinis potentiam Patris, & sapientiam Filij distingui realiter, quod existant in distinctis suppositis. Nec enim distinguuntur ex natura rei, vt mox patebit.Addidi, *aut saltem existere possunt*, quia satis erit,si diuina virtute effici possit,vt in diuersis existant,qua ratione colligimus, Musicam & Grammaticam Socratis distingui realiter,quia potest virtute diuina fieri,vt altera manente in Socrate,altera existat in Platone. Atque ad hunc modum realis distinctionis pertinet distinctio realis materiæ & formæ Socratis,& à se inuicem, & à tota natura Socratis: quia & materia naturali successione reperitur in suppositis à Socrate diuersis: & forma etiam atque adeo tota natura Socratis possunt esse diuina virtute in aliis suppositis non solùm à Socrate diuersis, sed etiam ab iis,in quibus materia Socratis successiuè existit. Tertius denique in iis,quæ existunt, aut existere possunt in iis, quæ cùm ex natura rei distinguantur, nihil repugnat quominus in diuersis suppositis existant: quo pacto relatio inhærentiæ formæ Socratis in materia Socratis, & relatio obiectionis huius sub illa, distinguuntur realiter. Quamquam enim ipsæ relationes in distinctis suppositis existere nequeunt, existunt

*Tres quasi gradus eorũ, quæ realiter distinguũtur.*

*Ita c.2.d.16. q.1.art.1.*



stunt tamen in forma, & materia Socratis, quæ nihil repugnat in distinctis suppositis existere. Atque hæc de distinctione reali dicta sint.

*De distinctione ex natura rei.*

## SECTIO II.

*Definitio distinctionis ex natura rei.*

Distinctio ex natura rei est, qua aliquid ab aliquo distinguitur, præcisa omni operatione intellectus, quo pacto distinguuntur & omnia quæ distinguuntur realiter, vt Socrates & Plato, Oceanum mare, & Mediterraneum, & plurima eorum, quæ non distinguuntur realiter, vt homo & animal, cæteráque omnia inferiora & superiora. Nam præcisa omni operatione intellectus, & Socrates distinguitur à Platone, vt perspicuum est, & inferiora omnia à suis superioribus,quod aliquid suaptè natura includant, quod superiora non includunt.

*Distinctio ex natura rei in tria genera diuiditur,& hæc rursus in alia.*

Potest autem distinctio ex natura rei in tria genera distribui, in formalem,modalem,& potentialem: rursúsque formalis, in formalem essentialem, & puram formalem. Formalis essentialis est, qua distinguuntur diuersæ essentiæ entitatésve, siue simplices, siue compositæ: & ea quæ habent diuersas huiusmodi essentias, siue entitates: aut ita sunt affectæ inter se se,vt aliquid essentię entitatísve includatur in vno, quod in altero non includitur. Hoc pacto distinguuntur naturæ hominis & equi,naturæ Socratis & Platonis,& ipse homo & equus, Socrates & Plato, itémque animal & homo, sensitiuum & rationale, & cætera omnia superiora & inferiora, eorúmque differentiæ: si tamen superiora & inferiora præcisè sumantur, quod dici solet suppositione simplici. Nam si sumantur absolutè, aut personaliter, hoc est, pro suis inferioribus, certum est inferiora esse essentialiter id ipsum, quod sua superiora: quo pacto homo est id ipsum,quod animal, & Socrates id-ipsum,quod homo:cùm superiora omnia dicantur essentialiter, atque adeo quidditatiuè de suis inferioribus. Lege quæ à nobis dicta sunt 8. Dialecticarum institutionum libro de suppositione absoluta, simplici, & personali.

*Superiora nè à suis inferioribus distinguuntur.*

*cap.24. 25. 26.& 27.*

*Quid distinctio formalis pura.*

*Diuinarum personarum distinctio est formalis pura non essentialis.*

Formalis pura, hoc est formalis non essentialis, est, quâ distinguuntur suis rationibus formalibus obiectiuis duo quælibet entia non diuersæ essentiæ,aut ita affecta inter se,vt nullam essentiam entitatémve includat vnum,quod alterum non includat. Quo pacto distinguuntur diuinæ personæ inter se, ipsæque relationes diuinæ personales. Nam, etsi ex natura rei: suisque formalibus rationibus obiectiuis, immo etiam realiter distinguuntur, vt entia realia relatiua: non sunt tamen diuersæ essentiæ, neque aliquid essentiæ includit vna, quod non includat altera: alioqui non essent eiusdem omnino perfectionis. Non distinguuntur tamen hoc pacto ab essentia diuina, siue personæ ipsæ, siue personales relationes, neque item attributa diuina inter sese, quia non sunt ex natura rei distincta entia entitatésve, aut distinctæ

entitatis etiam si,more intelligendi nostro ,sumi possint , vt distincta entia entitatésve distinctæ.

*Quid sit modalis distinctio.*

Modalis distinctio est,qua entia per modos , qui non sunt formaliter entia,aut ipsi modi cùm inter se,tum ab entibus distinguuntur: quo pacto quantitas nunc existens in subiecto,nunc extra subiectum distinguitur à se ipsa per diuersos essendi modos : qui non sunt formaliter entia,& hi ipsi modi inter se,& à quantitate.

*Triæ genera modorum essendi. Primum. Secundum.*

Quod vt luculentius intelligas , aduerte , tria esse genera modorum essendi. Quidam enim & sunt formaliter entia , & distinguuntur ex natura rei , ac sæpè etiam realiter ab iis rebus , quarum sunt modi essendi, veluti esse huius vel illius figuræ, album , dulce & similia. Alij etsi sunt formaliter entia , non distinguuntur tamen ex natura rei à rebus iis , quarum sunt modi , sed nostro dumtaxat imperfecto intelligendi modo:cuiusmodi sunt modi essendi,per quos ens diuiditur in substantiam,quantitatem , & cætera genera summa prædicamentorum : sunt enim formaliter entia , nempè ipsa substantia , quantitas , &c. nec tamen distinguuntur ex natura rei ab entibus , quorum sunt modi essendi,quia ens non est natura aliqua , quæ per eos modos contrahatur ad summa genera,quæ sunt entitates simpliciter simplices , & irresolubiles in alias entitates : sed intellectus noster facit quamdam quasi compositionem ex ente & modis essendi generalibus , vt similitudine eius

*Tertium.*

compositionis,qua genus per varias differentias distribuitur in varias species,vtcumque percipiat:quo pacto ens per alios atque alios essendi modos distribuatur in alia , atque alia prædicamentorum genera. Alij demum contra se habent:Nam etsi ex natura rei , semotáve omni operatione intellectus,distinguuntur ab iis rebus,quarum sunt modi essendi,non sunt tamen entia formaliter,nisi ens fusissimè sumeretur pro eo , quod non est nihil. Huius generis sunt modi essendi in subiecto & sine subiecto:non quidem aptitudinales ij & essentiales , quibus ens in accidentia & substantiam distinguitur , sed actuales illi & accidentales,qui conueniunt accidentibus,alter quidem naturaliter , alter verò supernaturali virtute, quemadmodum in accidentibus Sacræ Eucharistiæ licet intelligere. Alium enim essendi modum habet quantitas panis ante consecrationem , alium post consecrationem , cùm prius sit actu in subiecto , post verò non sit: qui modi nec sunt alia & alia existentia ( eandem enim habet quantitas ante & post consecrationem) nec distinguuntur à quantitate,sola consideratione , sed ex natura rei & præcisa omni operatione intellectus : nec denique sunt formaliter entia , quia quantitas per consecrationem , nullam entitatem amittit aut acquirit,nisi relatiuam , quæ est posterior natura iis modis essendi quantitatis,quorum alterum amittit,alterum acquirit. In hoc eodem genere modorum essendi est ipsa existentia rerum infrà Deum , tam actualis earum in se,quàm potentialis in suis caussis , vt capite sequenti perspicuum erit. Item modi illi essendi necessariò, & contingenter, completè,& incompletè,& alij huiusmodi quamplurimi : quia res ipsæ , præcisa omni alia entitate , secluſa omni operatione intellectus , sunt necessariæ aut contingentes , completæ aut incompletæ,

*Accidētia S. Eucharistiæ habentalium essendi modi ante cōsecrationē , quàm post.*

*Existentiam rerum infrà Deum,esse in hoc genere modorum.*

& sic



& sic de cæteris similibus.

*Qui nam ex hisce modis necessario,& qui contingēter competāt*

Horum autem modorum,quidam necessario conueniunt,vt esse necessarium,esse contingens , & in plerisque esse completum , & esse incompletum,veluti in homine,& materia,ac forma:cùm nec homo possit fieri ens incompletum, nec forma,aut materia entia completa : alij verò contingenter,vt esse actu in rerum natura (si de creaturis agitur) & esse potentia:esse actu in subiecto,& esse sine subiecto: & in homogeneis esse completum & esse incompletum : veluti in aqua , quæ cùm per se est totum quiddam,est ens completum:cùm vero fit pars maioris aquæ,fit ens incompletum.

*Quid sit distinctio potētialis.*

Distinctio potentialis est , qua partes integrantes eiusdem totius homogenei,dum in eo sunt,distinguuntur & inter se se,& ab ipso toto: certum est enim huiusmodi partes distingui inter se aliquo modo, præcisa operatione intellectus:quis enim neget distingui hoc pacto Oceanum mare à Mediterraneo , & superius hemisphærium aëris ab inferiori:& tamen hæc nec distinguuntur formaliter, nec modaliter: siquidem nec sunt actu entia , nec modi entium , sed partes tantum in actu, vt sic dicam,exercito,de qua re paulo post. Nec obest , quod distinctio hæc numerata etiam sit in realibus : omnia enim , quæ realiter distinguuntur , necesse est distingui ex natura rei, id est, semota operatione intellectus , licet non contra,omnia quæ ex natura rei , etiam realiter, vt ex dictis patet.

*De distinctione rationis.*

## SECTIO III.

*Quid sit distinctio rationis.*

Distinctio rationis est , quæ sola intellectus operatione fit, cuiusmodi est distinctio , qua quilibet à se ipso distinguitur , vt cum Socrates de seipso prædicatur , aut sibi ipsi amicus , aduersatúsve esse concipitur.

*Vide D. Th. in 1.d. 2.q. 1.artic.3. Et de Poten. q. 7.art.6. De Verit. q.21. ar.4.ad3 & aliis in locis. Ferr 3.Phys. q.3.Clypeum de Prædica. q.10.*

*Quotuplex.*

Est autem distinctio hæc duplex : Vna , quæ nullam habet in rebus fundamentum,sed intellectus , id quod nullo modo est multa , aut eo repetendo , aut eius conceptu nominéve transformando efficit multa vt Socrates simul,ac iterum mente designatus,& homo , ac humanitas in commune,si præcisè sumantur , & omnes omnino conceptus obiectiui concreti,& abstracti substantiarum communium,& quorumcumque accidentium. Dico autem substantiarum communium , non autem singularium,quia concretum singulare substantiæ , distinguitur ex natura rei à suo abstracto,vt cap.8.patebit.

*Concretæ abstractis quomodo distinguantur.*

Altera , quæ in rebus aliquid fundamenti habet propter earum virtutem,siue eminentiam naturæ propriæ , propter quam etsi sola ratione distinguuntur,tamen idem valent, atque alia, quæ distinguuntur plus quàm ratione. Quo pacto distinguimus in eodem lumine vim calefactiuam & exsiccatiuam , quia etsi lumen est vna, atque eadem qualitas ex natura rei : tamen idem efficit calefaciendo & exsiccando , atque si ex natura rei,aut etiam realiter esset plures. Eodem pacto in vna & eadem materia distinguimus potentiam receptiuam formæ humanæ,& potentiam receptiuam formæ equinæ,quia etsi materia respectu

illarum est vna atque eadem potentia, & nullo modo plures ex natura rei: tamen perinde est apta ad eas recipiendas, ac si contineret duas potentias ex natura rei distinctas.

*Attributa diuina quomodo, & inter se, & à personis, itémque diuina essentia à personis distinguntur*

Atque hinc ad diuina ascendendo dicimus, & attributa diuina inter sese, & diuinam essentiam à personis & relationibus personalibus, quæ etiam personales proprietates appellantur, distingui ratione non priori illo, sed hoc posteriori distinctionis modo, propter eminentiam diuinæ essentiæ: quæ tanta est, vt cùm in ea, neque attributa inter se, neque ipsa à personis, personalibúsque proprietatibus vllo modo distincta sint ex natura rei, & minus etiam realiter, tamen & attributa idem efficiunt, atque si essent inter se distincta realiter aut formaliter, & personæ personaléque proprietates perinde se habent ad essentiam, ac si ab illa distinguerentur formaliter. Nam quod ad attributa attinet, Deus intelligit intellectu, non voluntate, vult autem voluntate, non intellectu, miseretur peccantibus, non iustitia, sed misericordia, punit reos, non misericordia, sed iustitia: quod idem cernere est in reliquis attributis, quæ in creaturis sunt qualitates realiter, aut formaliter distinctæ. Quod verò attinet ad personas personaléque relationes quatenus quidem illæ relatiuè opponuntur, hæ vero in essentia fundantur, & cum essentia personas constituunt, idem efficiunt, atq; si ab essentia distinguerentur formaliter: siquidem in creaturis, relatiua formaliter distinguuntur ab absolutis, & relationes à fundamentis, & personalitates à personis constitutis.

*Personæ diuinæ personaléque relationes, idem efficiunt, atque si ab essentia distinguerentur formaliter.*

*Quibus nominibus superiores distinctiones appellari queant.*

Potest autem prior distinctionis forma dici distinctio rationis pura, posterior autem eminenter ex natura rei, aut (si magis placet Caietani appellatio) virtualis. Quæ enim posteriori modo distinguuntur, etsi actu non distinguuntur, nisi operatione intellectus, ita tamen se habent, ac si essent distincta ex natura rei, ac multo excellentius: quod tamen non est simpliciter distincta esse ex natura rei, sed quodammodo sic distincta. 1.p q.39.ar. 1. & libr. de Ente & essent.c.6. q. 12.

*Cur partes totius homogenei integrantes non sint hoc loco numeratæ.*

Sed miraberis fortasse, cur non numeremus distinctionem partium integrantium totius homogenei in distinctionibus rationis habentibus fundamentum in rebus, sed potius eam recensuerimus in realibus & ex natura rei. Nam nec huiusmodi partes distinguuntur actu in suis totis nisi ratione, aut (quod eodem redit) designatione. Adde quod eadem videtur esse ratio in hac diuisione, atque in ea, quam proximè appellauimus eminenter ex natura rei, aut virtualem. Posset enim æquè aptè dici distinctio rationis potentia realis: siquidem ea, quæ hoc pacto distincta sunt, cum designatione, ac proinde consideratione rationéve distinguantur: possunt tamen distingui in res diuersas, si totum in ea, re ipsa diuidatur.

*Respondetur dubitationi.*

Huic dubitationi respondendum est, non esse parem rationem in vtraque. Nam partes integrantes totius homogenei, etsi ante considerationem aut designationem actualem non sunt actu distinctæ, vt entia quædam, sunt tamen distinctæ, vt partes eiusdem entis, quandoquidem re ipsa, & præcisa omni operatione intellectus, quælibet est extra alias: at ea quæ virtute, siue eminenter ex natura rei distinguuntur nullo



nullo modo distinguuntur actu semota omni operatione intellectus, neque vt entia diuersa, neque vt partes eiusdem entis. Fateor non esse admodum facile intelligere quo pacto aliqua vt partes quidem eiusdem entis distinguantur actu ante operationem intellectus, vt entia verò non item. Sed hæc est conditio partium integrantium totius homogenei siue similaris, quia & sunt eiusdē naturæ, & inter sese, & cum suo toto, & illud verè & actu integrant, præcisa omni intellectus operatione, quod est exercere munus partium.

*Obiectio. solutio.*

Si quis autem importunè vrgeat, Sunt distinctæ vt partes, ergo vt entia quædam, siquidem pars, vt pars, ens quoddam est: Respondeo, et si pars in actu signato (vt vocant) relatiuum est quoddam, ac proinde ens quoddam, aut reale, aut rationis, tamen vt exercet officium partis, & est fundamentum eius relationis, sæpè non est ens nisi potentia tantùm, vt in toto homogeneo, tametsi non sit negandum esse ens partiale: quo pacto verum est: omne ens compositum, componi ex entibus, quemadmodum & omnem compositam substantiam, ex substantiis, vt tradit Aristoteles primo Physicorum libro.

*Cap. 2. tex. 52.*

## *QVO SENSV VETVS DIVISIO DISTINCTIONIS IN REALEM ET RATIONIS vsurpari possit.*

## QVAESTIO VII.

*Refutatur quidam vsus propositæ quæstionis.*

### SECTIO I.

*Ratio propositæ quæstionis.*

QVIA tamen plerique sunt, qui retenta illa veterum diuisione in distinctionem realem & rationis, eam quam ex natura rei diximus, alij realem, alij rationis vocant: discutiendum est paucis, num ea diuidēdi ratio vsurpari possit. Qua in re illud videtur euenire: quod in agrorum diuisione, cùm de finibus contenditur. Nam quia distinctio ex natura rei, magna ex parte media est inter realem & rationis, hinc fit, vt propter eius affinitatem cum extremis, à quibusdam genere realiū ponatur, ab aliis verò inter eas quæ rationis appellantur, quorum sententia pārtim falsa est, partim vera, neque iis quæ dicta sunt repugnans.

*Similitudo ab agrorum diuisione.*

*Dur. 1. sen. d. 2. q. 2. Okā in 1 d. 2. q. 3. Heru. quol. 3. q. 3. & Ioan. de Ganda. 6. Metap. q. 10*

*Proponitur Durandi & Nominalium opinio.*

Sunt igitur, qui nomine distinctionis realis, complectantur totum genus eius distinctionis, quam nos diximus ex natura rei. Eorum fundamentum est, quia cùm omne ens, aut sit reale, aut rationis, necessariò, inquiunt, colligitur omnem distinctionem aut realem esse, aut rationis: alioqui aliud medium genus entium inuenire oporteret: at ea quæ nos diximus distingui ex natura rei, non distinguuntur sola intellectus operatione rationéve: igitur distinguuntur realiter.

*Refellitur.*

Sed hi, & in re ipsa, & in fundamento peccant. In re ipsa, quia nemo veterum, à quibus ipsi bimembrem hanc diuisionem accipiunt, dixit, aut actionem & passionem, aut superiora & inferiora distingui realiter, sed omnes, cùm de huiusmodi entium distinctione loquuntur, apertè negant ea distingui re ipsa, & affirmant distingui ratione, cùm tamen

tamen dubium non sit,aut certè esse non debeat, quin distinguantur, præcisa etiam quauis operatione intellectus. Idem dicendum de relatione & fundamento, de figura & magnitudine, de existentia & essentia creata,& aliis quamplurimis essendi modis. In fundamento autem, quia aut propterea colligunt duo tantùm genera distinctionum ex duobus generibus entium, quòd omnia ac sola entia realia distinguuntur realiter,& omnia ac sola entia rationis distinguuntur ratione, aut certè,quia omnis distinctio est relatio,omnis autem relatio,aut est ens reale, aut rationis. At prior causa non habet vllum momentum. Nam præterquam quod multi modi essendi distinguuntur & inter se & ab entibus,quæ nec sunt entia realia, nec rationis, sed modi essendi dumtaxat, quibus proinde distinguendis alia distinctio quærenda esset:certè apud veteres plurima sunt entia realia, quæ illi planè asserunt distingui ratione, vt patet in traditis exemplis, maximè autem superiorum,& inferiorum:& plurima entia rationis sunt, quæ distinguantur plusquam ratione, vt prædicatum & subiectum, cæteráque omnia, quæ suo modo distinguuntur essentialiter. Sed nec posterior causa satis est, vt ex ea nullam esse aliam distinctionem præter realem & rationis concludatur.Cùm enim de distinctionum generibus agitur, nihil curandum est de relationibus:quandoquidem relationes cuiuscunque sint generis, distinctionem extremorum supponunt: & multa distinguuntur actu, quæ non actu referuntur mutuo,vt partes totius homogenei, tum inter sese, tum etiam comparatione totius. Itaque non agitur hic de distinctione in actu signato(vt dicunt)sed exercito, quæ distinctio non est relatio distinctorum, sed ipsæ res distinctæ, quatenus vna modo aliquo non est alia: quod non solùm accidit realiter, aut propter actualem considerationem, sed interdum medio quodam modo.Quare nihil refert,quòd omnis distinctio in actu signato,sit relatio realis aut rationis,vt inde colligatur omnem distinctionem, aut realem esse, aut rationis.

*Reiicitur oppositus quidam aliorum vsus.*

## SECTIO II.

*Opinio recentiorum.* ALII contrà faciunt: siquidem omnem distinctionem, quam nos inter realem & rationis mediam fecimus, ad distinctionem rationis traducunt: idque in eo sensu, in quo distinctionem rationis accepimus. *Recentiores aliqui.*

*Refellitur.* Verùm & hi à sententia veterum, quam se sequi existimant, planè aberrant.Nam etsi veteres illi omnia, quæ non distinguuntur realiter, ratione distingui asserebant,non tamen distinctionem rationis ita presse sumebant, vt omnia quæ ratione distinguuntur, sola consideratione distingui senserint: sæpè etiam ipsarum rerum conditione & natura. Non enim existimabant sublata omni operatione intellectus, nihil omnino interesse inter actionem & passionem, quarum alteram agentis actum esse voluerunt, alteram patientis, eodémque modo inter



inter magnitudinem & figuram, quarum alteram in quantitatibus posuerunt,alteram in qualitatibus. Non item eo pacto existimant,hominem & animal distingui ratione,vt præcisa omni consideratione, nihil inter vtrumque sit discriminis: fatebantur enim, quod negari nullo modo potest, aliquam perfectionem includi in natura hominis, quæ non includitur in animalis,atque ita in cæteris.

Itaque nisi velint posteriores hi (qui & pauci sunt, nec satis expendunt,quid eorum dicta sequatur) omnia, quæ nostra sententia distinguuntur media quædam distinctione inter realem & rationis, sola virtute distingui ex natura rei (fortasse enim non deerunt, qui id existiment) non possunt specie aliqua probabilitatis suam tueri opinionem.At hoc asserere nihil est aliud, quàm sursum deorsum omnia confundere.Vt enim attributa diuina,quia sola virtute ex natura rei distinguuntur,idem omnino sunt formaliter ex natura rei, ita dicere oporteret de relatione & fundamento, de figura & magnitudine, & aliis huiusmodi:quo pacto iam relatio formaliter & essentialiter esset substantia,in qua sæpè fundatur,& vicissim substantia, relatio:item qualitas quantitas,& quantitas,qualitas:eodémque modo dicere possent se habere omnia,quæ nos nec realiter, nec sola ratione distingui asseruimus,quæ opinio magna ex parte absurdior esset, quàm sententia Parmenidis,[a] & Melissi,omnia eiusdem naturæ esse asserentium, quandoquidem hi de solis substantiis intelligendi sunt,vt lib.1.[b] expoluimus. Accedit quod nunquam dicimus aliqua distingui virtute ex natura rei,nisi quando perinde se habent,atque illa, quæ re vera distinguuntur ex natura rei:quare si nulla datur distinctio ex natura rei, quæ media sit inter realem, & rationis, vt hi Auctores volunt, nulla quoque dabitur rationis, quæ sit virtute ex natura rei,sed omnia distinguentur, aut realiter, aut consideratione, nullum habente in rebus fundamentum.Mitto,quod pleráque eorum,quæ nos dicimus, nec distingui realiter,nec sola consideratione, ita distinguuntur,vt vno pereunte, alterum non pereat,vt videre est in relatione & fundamẽto, aliisque quàm plurimis:at hoc accidere non potest,in iis, quæ ex natura rei idem sunt formaliter & essentialiter, solàque virtute distinguuntur ex natura rei.

*Vt habeant ea, quæ virtute distingui dicimus.*

[a] *Apud Aris. 1. Met. cap. 5. & 1. Physic ca. 2. tex. 13.*

[b] *cap. 7. q. 1. Sect. 3.*

*Exponitur,& approbatur verus antiquorum vsus.*

## SECTIO III.

*D. Tho. in 1. d. 2. q. 1. art. 3. & opusc. 61. cap. 3. Vide eundem in 1. d. 31. q. 1. art. 2. & d. 22. art. 3. & de Potẽt. q. 7 art 6. Ferra. 3. Physi. q. 5. Caiet. in lib.* ALij denique omnem distinctionem ex natura rei, quæ realis non sit,ita comprehendunt sub distinctione rationis vt non asserant omnia, quæ ratione distinguuntur, distingui sola operatione intellectus,sed quædam sola,quædam etiam, ipsa rerum conditione ac natura,ex qua eorum distinctio considerationis nascitur. Cùm autem dubium esse non debeat, quin hoc pacto vsurpata sit ab Aristot. & aliis veteribus proposita diuisio bimembris, quam vbique sequuntur prisci Scholastici,atque in primis D.Thomas, constat eam in hoc sensu non esse reiiciendam, sed amplectendam, & cùm commodius videtur vsu *Sententia D. Thom.& sectatorum.*

conseruandam,præsertim cùm ad Scotum vsque non alia pœnè sit audita distinctio. Vnde, quia Scotus perspicuitati consulens, eam solam distinctionem, quam solus intellectus facit, cœpit appellare rationis, consulto recentiores quidam Thomistæ, quasi controuersiam hanc componentes, sic explicare cœperunt distinctionem rationis, vt eam quæ sola operatione intellectus efficitur, rationis ratiocinantis vocandam existimauerint: eam verò, quæ ex ipsa conditione rerum nascitur: rationis ratiocinatæ, quasi dicas naturæ rerum conformatæ: quã ipsam Scotus vocauerat ex natura rei. Hac igitur ratione retineri & vsurpari potest bimembris diuisio veterum: etsi superior, quam Scotus trimembrem fecit, est illustrior & ad vsum accommodatior. *de ente & essentia c. 6. q. 12.*

*Distinctio rationis ratiocinantis, & rationis ratiocinatæ.*

*Admonitio vsus Aristotelici.*

Admonendum tamen hic est, sæpè apud Aristot. ita latè vsurpari distinctionem rationis, vt reales quoque plurimas comprehendat: veluti cùm ait: album & musicum, & alia similia concreta, quæ significant accidentia realiter distincta, & sunt vnum per accidens, esse vnum subiecto, ratione autem diuersa, sumit enim tunc rationis nomen pro definitionis: at ea, quæ definitione diuersa sunt, & semper distinguuntur ex natura rei, & sæpè etiam realiter. *1. Physi. c. 2. tex. 21.*

Admonendum quoque, etsi non solum entia, sed etiam non entia dicuntur apud Aristot. ratione distingui ab entibus prima definitione, veluti priuatio à materia, & interdum etiam specie, vt patet ex 1. Physicorum *a* cap. 7. & 9. *b* & aliis plerisque locis, vnde sequitur distingui illa inter se ex natura rei: impropriè tamen id accipiendum esse. Quod dixerim, ne mireris quod formalis distinctio non entium ab entibus, non sit à nobis comprehensa in distinctione formali: satis ergo est, si ad veram distinctionem formalem vtcúmque reuocetur. Non mirum est autem, quod Aristot. distinguat quodam modo formaliter à materia priuationem, quam planè vocat per se non ens: cùm eandem etiam nunc appellet quodam modo formam, nunc verò accidens materiæ. Lege cap. 7. primi Physic. & finem cap. 1. lib. 2. Potest quoque distinctio formalis non entis ab ente, propriè dici formalis, si negatiuè intelligatur, ita scilicet vt ens & non ens, dicantur formaliter distingui, quia non habent eandem rationem formalem propriè dictam: tametsi vtcúmque diuersas habeant: quo pacto Arist. 1. Physic. cap. 7. ait materiam & priuationem esse vnum numero, hoc est, non esse propriè numero diuersa: & 4. lib. huius operis cap. 2. ens & vnum, esse vnam & eandem naturam, id est, non habere naturas (veras nimirum & reales) diuersas: tametsi ratione, hoc est, qualicúmque definitione distinguantur, vt eo loco explicauimus.

a *cap. 7. tex. 60.*
b *cap. 9. tex. 78.*

*Distinctio non entium ab entibus ad quod genus reuocetur.*

*Tex. 60.*

*Tex. 3.*

Atque hæc de variis distinctionum generibus, quæ quidem magis ad vsum accommodata visa sunt, dixisse sit satis.

*An ex qualibet distinctione nascatur multitudo.*

## SECTIO IV.

*Occasio quæstionis.*

QVoniam verò de distinctione, multitudinis gratia disputatum est, vt hac ratione modo aliquo ageretur de multis, quæ vni opponun



ponuntur, quærat aliquis, num ex qualibet distinctione nascatur multitudo: ad quam dubitationem breuiter respondendum: Ex omni quidem distinctione multitudinem aliquam nasci: quæcúmque enim modo aliquo distincta sunt: modo quoque aliquo sunt multa, vt inductione patet: verum non ex omni distinctione nasci multitudinem eorum, quæ simpliciter & absolutè plura entia dicantur. Nam vt mittamus ea quæ actu distinguuntur sola operatione intellectus, & quæ modali aut potentiali distinctione (aut enim non sunt simpliciter & absolutè distincta entia, aut nullo modo sunt entia, saltem ex vtraque parte, sed ex vtraque vel altera modi entium) sanè nec omnia quæ distinguuntur realiter aut formaliter dici possunt multa entia: partes enim homogeneæ, quas diximus distingui realiter, non sunt multa entia nisi potentia: superiora verò & inferiora, quæ distinguuntur formaliter, nec actu, nec potentia sunt multa entia: tametsi dici possunt multa genera, aut multæ species, aut multa vniuersalia, multa obiecta intellectus, &c. Vt enim non dicimus animal, hominem, & Socratem esse tria animalia: ita nec tres substantias, nec tria entia. Causa verò est, quia nunquam ea quæ distinguuntur, sunt plura, nisi distinguantur differentiis oppositis eius communis prædicati, secundum quod dicuntur plura, aut eius oppositis essendi modis: quo pacto non dicimus plura animalia, nisi distinguantur oppositis differentiis, quibus animal immediatè aut mediatè diuidatur, nec plures substantiæ nisi distinguantur oppositis differentiis proximè aut remotè diuisiuis substantiæ: aut certè oppositis modis essendi substantiæ, analogicè sumptæ. Neque enim substantia sic accepta trahitur ad materiam & formam, aut ad corporeum & incorporeum, cæteráque differentias oppositas per aliquas oppositas differentias substantiales, sed per oppositos essendi modos, quibus more intelligendi nostro substantia ad ista quodammodo descendit. Itaque ens non distinguitur in plura entia, nisi quatenus distinguitur per differentias oppositas entium specialium: aut certè quatenus per oppositos essendi modos ad inferiora contrahitur, veluti ad genera summa, & ad omnes differentias oppositas, quibus inferiora constant: adde, aut per aliqua quæ tantundem valeant, cuiusmodi sunt relationes personales in diuinis, quibus plura entia relatiua nostro intelligendi modo constituuntur.

*Assertio.*

*Quæ dicantur plura.*

## CAPITIS SEPTIMI EXPLANATIO.

ENS *a partim dicitur*. Explicatis modis vnius, exponit Aristoteles modos entis. Quod vt ordine faciat, diuidit initio capitis ens, in ens per accidens, & ens per se. Deinde vtrumque genus in quædam quasi membra subdiuidit. In qua diuisione aduerte, non accipi ens per se pro ente, quod per se existit, cuiusmodi est sola substantia, nec ens per accidens pro ente quod in alio existit cuiusmodi sunt accidentia omnia, quæ ad nouem posteriora prædicamenta pertinent, quandoquidem omnia, quæ in prædicamentis ponuntur, sunt entia per se, vt hoc ipso capite traditur: sed sumitur ens per se, pro quouis ente separatim sumpto, & nõ coniuncto cum alio ente, seu (quod idem valet) pro quouis ente vno per se, siue vnius naturæ: ens autem per accidens pro coniunctione duorum entium, quæ non efficiunt vnum nisi per accidens.

*Diuisio entis.*

*Tria genera entis per accidens.*

b *Per accidens veluti.* Distinguit ens per accidens in tria genera. Primum est, cùm vnum accidens dicitur de altero accidente, vt si quis dicat iustus est musicus. Secundum, cum accidẽs prædicatur de subiecto, vt si dicas, homo est musicus. Tertium, cùm ordine conuerso, subiectum dicitur de accidente, vt si dicas, Musicum est homo. Quod autem hæc per accidens dicantur talia, ex iis, quæ supra de caussis dicta sunt, familiari exemplo ostendit. Vt enim qui ait Musicum ædificare, nihil aliud significat, quàm quod accidit ædificatori, vt sit musicus, aut musico, vt sit ædificator (in his enim dicere alterum esse alterum, nihil aliud est, quàm asserere alterum alteri accidere) ita cum hominem esse musicum affirmamus: aut musicum esse hominem, aut album esse musicum, aut musicum esse album, nihil aliud dicere volumus, quàm quod alterum alteri accidat, saltem ratione eiusdem tertij, cui ambo accidant, quemadmodum in proposito caussarum exemplo.

*Cap. 2. tex. 3.*

*Accidendi verbum quo pacto hoc in loco capiatur.*

Aduerte autẽ, accidendi verbum non ita late sumi hoc loco, vt complectatur essentialem prædicationẽ, quo pacto sæpè alias sumitur, vt cùm Aristoteles capite superiori ait, hominem musicum accidere Coriſco. Nam siue vtrumque extremum pertineat ad essentiam eiusdem tertij, siue alterũ ad essentiam alterius, semper illa sic erunt affecta inter se, vt non sint plura entia (saltẽ completa) sed ad vnam, & eandem essentiam pertineant: vbi autẽ vna tantùm essentia cernitur, non reperitur ratio entis per accidens. vt hoc loco sermo est de ente per accidens. Ita fit, vt nullum ex his pronunciatis, Animal est rationale, rationale est animal, Sensitiuum est viuens. Animal est homo, & similibus, sit propositio per accidens ex iis, quæ hoc loco traduntur: quod eodẽ modo in accidentibus obseruandũ est. Adde porro, accidendi verbum, etsi hoc loco non cõpie-

*Tex. 7.*

ctitur



ctitur prædicationes essentiales, complecti tamen omnes accidẽtarias, etiamsi pertineant ad secundum modum dicendi per se: neque enim minus est ens per accidens homo disciplinæ capax quàm homo musicus, & sic in cæteris.

*Text. 7.* c *Quia enti accidit.* Quemadmodum superiori capite, quia subiectum erat vnum, ideo accidentia quæ in eo inerant, tum cõparata inter se, tum eriã cum ipso subiecto dicebantur vnum; ita nunc, quia subiectum est ens, iccirco accidentia, quæ in eo insunt, vtroq; modo collata, dicuntur ens: solùm enim subiectũ, quia est substantia iudicat Aristoteles dignum & nomine entis & vnius.

*Tex. 12.* Vnde colliges, non mirũ esse, quod Aristoteles superiori capite, cùm definiuit ea quæ sunt vnum numero, solas substantias complexus fuerit, vt in eum locum diximus.

## CAPVT VII.

*Text. 13.* ENS a *partim dicitur per accidens partim per se. Per* b *accidens, veluti cum iustum, musicum esse dicimus, & hominem musicum, & musicum hominem: perinde dicentes, atque cum musicum ædificatorem dicimus, quia accidit ædificatori musicum esse, aut musico ædificatorem. Hoc enim hoc esse, hoc huic accidisse significat. Eodem modo res habet in iis, quæ dicta sunt, cùm hominem musicum esse dicimus, & musicum hominem, aut album musicum, aut hunc album: hoc quidem, quia ambo eidem acciderunt: illud autem, quia* c *enti accidit: musicum vero hominem esse, quia huic accidit musicum. Sic* d *autem & album esse dicitur, quia sit illud, cui accidit. Ea* e *igitur quæ per accidens esse dicuntur, hoc pacto dicuntur, aut quia ambo eidem enti insunt, aut quia illud ineſt enti, aut quia ipsum est id, cui ineſt illud, de quo ipsum prædicatur.*

*Per se*

*Cum Arist. lib. 1. de interpret. c. 3.*

stere accidit homini. In tertio autem genere non potest exemplum afferri, quia verbum, quatenus verbum est, nunquam subiicitur, vt Dialectici volunt: Aduerte tamen cum hæc dicuntur entia per accidens non sumi ens, vt significat essentiam, sed existentiam: proinde quasi obiter adiecta esse intelligantur.

*Verbum, vt verbum est, nunquam subiici.*

e *Ea igitur quæ per accidens esse dicuntur, aut quia ambo eidem entium sunt.* Summatim colligit quæ dixerat: quo loco, nomine entis intelligit substantiam, eo quod nulla entia dicuntur vnum ens per accidens nisi ratione substantiæ, quod est primum ens: dicuntur autem ens ratione substantiæ, vel quia vtrumque ineſt in eadem, vt album, musicum, vel quia alterum est substantia, alterum accidens, quod in illa ineſt: vt homo albus: de quo fiunt duæ enunciationes, Homo est Albus, & album est homo.

*Cur Aristoteles entia per accidens in enunciationibus tradiderit.*

Aduerte autem ideo Aristotelem potius tradidisse genera entium per accidens in enunciationibus, quàm extra, quia vt duo entia dicantur vnum ens per accidens, necesse est, vt alterum de altero dici possit, quo pacto se habent homo albus, non autem homo albedo: atque hinc fit, vt ex homine albo duo entia per accidens efficiantur: vnum, in quo subiicitur homo, & prædicatur album: alterum in quo album subiicitur, & homo prædicatur, alioqui vnum est tantum ens per accidens: siue enim dicas homo albus, siue albus homo, semper albedo quæ significatur nomine albi, est forma hominis: at cùm alterum de altero vicissim prædicatur, ea de caussa alterutrum iudicatur alterius forma, quia semper id, quod prædicatur, quatenus prædicatur, habet rationem formæ.

*Ens per se & reale, duabus diuisionibus distinguitur, prædicamenta esse figuras prædicationis.*

*Ex modis prædicandi octo genera entium per se.*

f *Per se autem ea dicuntur esse.* Iam distinguit ens per se, ac reale (de hoc enim loquutus est hactenus) duabus diuisionibus: primum in decem prædicamenta, ad quæ mox videtur reuocare entia rationis, deinde in id quod est actu, & quod est potẽtia. Ait igitur, entia per se, esse ea, quæ, siue quorũ nomina prædicationis figuras significant, id est, prædicamenta ipsa, seu potius ea, quæ in prædicamẽtis ponuntur. Figuræ enim prædicationis, nihil aliud sunt hoc loco, quã series quædam rerum, quæ peculiari aliquo modo prædicantur de primis substantiis: quæ series apud Scholasticos, distinctionis gratia dicuntur prædicamenta, paulum immutato prædicationis nomine, quod Græcis est κατηγορία.

g *Quot enim modis.* Probat tot esse genera entium per se, quot sunt genera eorum, quæ significatur vocibus pertinentibus per se ad aliquod prædicamentum: quot enim modis, inquit, eiusmodi res prædicantur de primis substantiis, tot sunt simplices modi essendi earum rerũ, ac proinde tot genera entiũ per se. Prædicamẽta enim ad distinguendas rerum naturas & essentias, instituta, seu potius inuẽta sunt.

*Tex. 14.*

Κἀθ' αὑτὸ f δὴ ἔναι λέγεται, ὁσαπερ σημαίνει τὰ σχήματα τῆς κατηγορίας: ὁσαχῶς g γὰρ λέγεται, τοσαυταχῶς τὸ ἔναι σημαίνει. ἐπεὶ ἡ οἷῳ τῶν κατηγορημένων τὰ μὲν τί ἐστι σημαίνει, τὰ δὲ ποιὸν, τὰ δὲ ποσὸν, τὰ δὲ πρός τι, τὰ δὲ ποιεῖν ἢ πάσχειν, τὰ δὲ ποῦ, τὰ δὲ ποτέ, ἑκάστῳ τούτων τὸ ἔναι ταὐτὸ σημαίνει. οὐδὲν γὰρ διαφέρει τὸ, ἄνθρωπός ἐστιν ὑγιαίνων ἢ ὑγιαίνει, ἢ τὸ, ἄνθρωπος βαδίζων ἐστὶν ἢ τέμνων, ἢ ἄνθρωπον βαδίζειν, ἢ τέμνειν, ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων.

Ετι k τὸ ἔναι σημαίνει καὶ τὸ ἐστὶν, ὅτι ἀληθὲς, τὸ δὲ μὴ ἔναι ὅτι οὐκ ἀληθὲς ἀλλὰ ψεῦδος, ὁμοίως καὶ ἐπὶ καταφάσεως καὶ ἀποφάσεως: οἷον, ὅτι ἐστὶ Σωκράτης μουσικὸς, ὅτι ἀληθὲς τοῦτο, ἢ ὅτι Σωκράτης οὐ λυπεῖ, ὅτι ἀληθὲς: τὸ δ' οὐκ ἐστιν ἢ διάμετρος ἀσύμμετρος, ὅτι ψεῦδος. Ετι

*Cur non meminerit Aristot. situs & habitus.*

*Commẽ. 14.*

Colligit ex octo modis prædicandi de primis substantiis octo genera entium per se. Vnum est substantia, quam vocat quid est, quia ea sola prædicatur de primis substantiis in quæstione quid est: alterum qualitas, tertium quantitas, quartum relatio, quintum actio, sextum passio, septimum existentia in loco, octauum ac postremum existentia in tempore. Addit Auerroes aut breuitatis causſa factum esse, vt Aristoteles non meminerit situs & habitus, aut certè quia illa parum habent momenti, quod magis placet. Satis enim breuiter duo verba adiungi poterant, nec longa vnquam videntur, quæ suis locis necessario adhibentur. Vsus est autem potius nominibus concretis, quàm abstractis, quia hæc sola prædicantur de primis substantiis.

*Refellitur Auicenna.*

*Vide finem sect. 5. q. 5. in hoc cap.*

Ex hoc loco patet, opinionem Auicennæ, dicentis concreta accidentium significare præcipuè substantiam, alienam esse à sententia Aristotelis. Si enim Aristoteles ita sensisset, non distinxisset hoc loco entia diuersorum prædicamentorum per nomina concreta, nec diuersa prædicamenta colligerentur ex variis modis quibus entia prędicantur de primis substantiis, cùm de illis non prædicentur nisi concretè. Quod idem hoc loco Auerroes, & Alexander Alensis contra Auicennam colligunt.

*Enunciationes verbis adiectiuis constantes, vt se habeant ad prædicamenta.*

i *Nihil enim hæc differunt.* Si quis putet enunciationes, in quibus verba adiectiua affirmantur de subiectis non pertinere ad prædicationẽ entis, eo quod in illis nõ exprimatur verbum, Est, vt siquis dicat, homo agit, homo patitur, occurrit Aristoteles, eandẽ esse rationẽ in his, atq; in pronunciatis, in quibus verbum Est, apertè ponitur. Nihil enim interest, quod ad sensum attinet, dicas ne, Homo conualescit, an homo est conualescens, & ita in cæteris: siquidem verba adiectiua, in verbum, Est, & proprium participiũ resoluuntur, nempe, vt posteriora in priora, quod Alensis annotauit. Aut dic, Aristotelẽ his verbis rationem reddere eius, quòd proximè dixerat ipsum esse, idem significare, quod horum quodque: intellige autem ipsum esse nõ simpliciter, sed suo modo contractum ad speciales essendi rationes, vt patet ex participiis adiunctis.

*Hoc loco.*

k *Præterea*



*Verum additur vt entis genus quoddam.*

*Cap. 2. q. 6.*

k *Præterea ipsum esse.* Addit quoddã genus entis, quod dicitur verũ, cui opponitur quoddã genus non entis, quod dicitur falsum. Vnde patet non sumi hoc loco verũ pro vero, quod conuertitur cum ente, de quo libro quarto disseruimus. Nam verum cui opponitur falsum, in sola cõpositione & diuisione consistit: quod autem cum ente conuertitur, sequitur simplicem conceptũ rei: quæ omnia ex eo loco perspicua sunt. Duabus autem de causſis videtur Aristoteles distributo ente reali in prædicamenta inseruisse hanc explicationem entis & non entis, antequam rursus distingueret ens reale in ens actu, & in ens potentia. Vna, quia verum & falsum, de quibus hic est sermo, consistunt in affirmatione & negatione, quæ ex mutua rerum quæ in prædicamentis ponuntur cõparatione fiunt. Altera, vt innueret non tantùm hæc, sed alia omnia entia rationis, reuocari ad res quæ ponuntur in prædicamentis. Vt enim tunc veritas & falsitas fundantur in rebus, cùm aliæ de aliis, aut eædem de se ipsis affirmantur aut negantur, ita reliqua entia rationis tunc illis conueniunt, aut saltem suo modo existunt cum illæ hoc, vel illo modo ab intellectu apprehenduntur, aliòve modo tractantur, vt ex dicendis patebit. Quod igitur ens interdum sumatur pro vero complexo, & non ens pro oppositio falso, ex eo patet, quia vt significemus pronunciatum esse verum, sæpe dicimus. Ita est, vt autem declaremus esse falsum, dicere solemus. Non ita est: quo loquendi modo Aristoteles vtitur initio librorum de Posteriori resolutione, cùm ait,

*Duæ causſæ cur explicatum sit verũ hoc loco.*

*Prima.*

*Secunda.*

*Lib. 1. cap. 1. tex. 1. & 2.*

*Ante demonstrationem oportere præcognoscere de quibusdam pronunciatis quod sint.*

*Per se autem esse ea omnia dicuntur, quæ prædicationis figuras significant: quot enim modis dicuntur, tot ipsum esse significant. Quoniam igitur eorum, quæ prædicantur, alia quid, quidque sit, alia quale, alia quantum, alia ad aliquid, alia agere aut pati, alia vbi, alia quando significant: ipsum esse idem significat, quòd horum quodque. Nihil enim differunt homo valens est, & homo valet, aut, homo ambulans est, vel secans, & hominem ambulare, vel secare: eodémque modo res habet in cæteris. Præterea k ipsum esse, ipsúmque est, verum esse significat: ipsum autem non esse, non esse verum, sed falsum, æque in affirmatione & negatione: vt si dicas Socratem esse musicum, quia hoc verum sit: aut Socratem non esse album quia verum: diametrum autem non esse incommensurabilem, quia falsum.*

*Ad hæc*

Siquis autem quærat quonam pacto sumantur nomina veri & falsi, cum alterum dicitur ens, alterum non ens, formalitérne. hoc est, pro relationibus veritatis & falsitatis, an verò pro fundamentis, quæ sunt ipsæ compositiones & diuisiones rerum, quas facit intellectus affirmando aut negando. Respondendum est, accipi pro fundamentis. Itaque sensus verborũ Aristotelis hic est, ens præter eam significationem, qua distribuitur in Prædicamenta, significare etiã fundamenta veritatis complexæ tam affirmatiua, quàm negatiua, vt Socratem esse musicum, Socratem non esse album. Non ens autem, præter significationem, qua significat negationem entium ad prædicamenta spectantium, significare fundamenta falsitatis, siue affirmatiua, siue negatiua, vt Socratem esse lapidem, diametrum esse commensurabilem lateri quadrati. Hoc autem ita esse, ex eo colliges, quia Aristoteles in prædicamentis cùm ait ex eo quod res est, aut non est, oratio vera aut falsa dicitur, non ipsam veritatem, sed fundamenta veritatis vocat rem esse, nec ipsam falsitatem, sed falsitatis fundamenta rem non esse. Quod idem in vsu loquendi de veritate simplici, & ejus fundamento cernere est, neque enim ipsam simplicem veritatem, sed eius fundamentum appellamus ens. Hoc tamen interest, quod fundamentum veritatis simplicis est ens reale, veritatis autem complexæ, & oppositæ falsitatis, est ens rationis, ipsa videlicet compositio, aut diuisio extremorum affirmationis, aut negationis, quæ compositio & diuisio non sunt in rebus, sed fiunt opere intellectus, vt

*Quo pacto veri & falsi nomina hoc loco capiantur.*

*Cap. de subst. & in post prædic. cap. de modis prioris.*

*Pronunciatum Aristotelis explicatur.*

*Fundamenta veritatis simplicis & cõplexæ quo pacto.*

*tex. 8.* Aristoteles docet libro sexto, quo loco id explicabimus.

*Ad hæc*

differant. *Diuisio entis in ens actu, & ens potentia.*

l *Ad hæc ipsum.* Distinguit ens in ens actu,& ens potẽtia quam diuisionem refert ad ea entia, quæ dicta sunt, hoc est, ad ea, quæ sunt distributa in prædicamenta. Vt enim lib. 9. & 12. patebit, vnum quodque genus rerum pertinentium ad quodlibet prædicamentum, diuidi potest in ens actu, & ens potentia.

m *Expressè dicitur potentia.* Quasi dicat (Particula diminuẽte planè adiecta) Namvidens, simpliciter prolatum, significat id, quod actu videlicet nisi sumatur impropriè, quod in aliis etiam est obseruandum.

Ἔτι τὸ εἶναι σημαίνει καὶ τὸ ὂν, τὸ μὲν δυνάμει πρῶτον, τὸ δ' ἐντελεχείᾳ τῶν εἰρημένων τόπων. ὁρῶμεν γὰρ εἶναι φαμὲν, καὶ τὸ δυνάμει ῥητῶς ὁρῶν, καὶ τὸ ἐντελεχείᾳ: καὶ τὸ ἐπίστασθαι ὡσαύτως, καὶ τὸ δυνάμενον χρῆσθαι τῇ ἐπιστήμῃ, καὶ τὸ χρώμενον: καὶ τὸ ἠρεμοῦν καὶ ὃ ἤδη ὑπάρχει ἠρεμία, ἢ τὸ δυνάμενον ἠρεμεῖν. ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων. καὶ ὃ δὴ Ἑρμῆν φησὶν ἐν τῷ λίθῳ φαμὲν εἶναι, ἢ τὸ ἥμισυ δὲ γραμμῆς καὶ ὅλης τὸ ἥμισυ πω ἀδρόν. πότε δὲ δυνατὸν, καὶ πότε ὅπως ἐν ἄλλοις διοριστέον.

n *Quiescénsque.* Cum quies sit priuatio motus, ac proinde non sit ens reale, videtur his verbis, nomine quietis significari existentia in loco, vt id dicatur quiescens potentia, quod mouetur ad locum: id autem quiescere, quod iam locum obtinet.

o *Nam & Mercurium.* Vtitur exemplo statuæ Mercurij, eo quod figura, ex omnibus accidẽtibus maximè videtur repræsentare formã substantialẽ. Vnde ex figurarũ potissimum discrimine solemus specificã viuentium distinctionẽ colligere. Statua igitur est potentia in lapide antequam fiat, quia ex lapide fieri potest. *Figura maxime repræsentat formã substãtialem.*

p *Est dimidium lineæ.* Videtur hoc exemplum afferri in gratia Pythagoreorum qui entia mathematica, substantias rerum esse dicebant: iuxta quam sententiam, dimidium lineæ, est substantia quædam existens potentia in tota linea, quasi possit per diuisionem totius fieri vna quædam numero substantia per se ac separatim existens.

q *Est frumentum.* Affert exemplũ veræ substantiæ. Quo loco ne mireris, quod non dicat frumentum (potentia nimirùm) esse in eo, quod nondum maturum euasit: quemadmodum dixit Mercurium esse potentia in lapide, &c. sed id, quod nondum maturum euasit, esse frumentum potentia. Vtrúmque enim dici potest, magis tamen propriè dicitur aliquid esse potentia in re, ex qua fieri potest, quàm hæc esse illud potentia.

r *Alibi explicandum.* Hoc facit Aristoteles lib. 9. huius operis, quo loco diuisio hæc, fusè explicanda est.

*Ad l hæc ipsum esse, & ipsum ens partim significat id, quod potentia afferri potest: partim, quod actu horum ipsorum, quæ dicta sunt. Videns enim dicimus, & quod expresse* m *dicitur potentia videns, & quo actu: eodemque modo scire, & quod scientia vti potest, & quod vtitur, quiescénsque,* n *& id, cui quies iam inest, & quod potest quiescere. Aeque autem & in substantiis id vsu venit. Nam &* o *Mercurium, in lapide esse dicimus, &* p *dimidium lineæ, &* q *frumentum id, quod nondum maturum est. Quando autem aliquid possibile sit, & quando nondum sit alibi* r *explicandum est.*

## *NVM AD PRIMVM PHILOSOPHVM* pertineat agere de prædicamentis.

## QVÆSTIO I.

### *Quod ad solum Dialecticum id videatur spectare.*

### SECTIO I.

*Qua de re agendum in præsentia.* CVM entis per se ac realis duæ in hoc capite tradantur diuisiones, vna in decem prædicamenta, altera in ens actu & potentia: sola prior à nobis hoc loco discutienda est: non solùm, quia tam multa complectitur, vt necesse sit in eius explicatione non parum immorari, sed etiam, quia de posteriori, toto lib. 9. differendum est. Qua in re illud principio quærat aliquis. Num ad primum Philosophum, an potius ad Dialecticum, an vero ad alium artificem, omnésve, aut nullum, de prædicamentis agere pertineat. Nam quod soli Dialectico hoc munus sit deferendum, his argumentis ostendi videtur. *Quod ad solũ pertineat Dialecticũ.* *Primum argumentum.* Primum, quia eadem tractatio non pertinet ad diuersas disciplinas: at prædicamenta perspicuè tractantur à Dialectico, vt patet ex libro prædicamentorum Aristotelis, quem omnes alicuius nominis Auctores, cùm Græci, tum Latini, ac etiam Arabes faciunt primum librum Dialecticæ, siue Logicæ. Deinde, quia Aristoteles in omnibus pœnè libris Logicis, eandem tractationem vt præmissam [a] supponit. *Secundum.* Postremò, quia prædicamenta distinguuntur per varios modos prædicandi de primis substantiis, vt hoc ipso loco tradit Aristoteles, vnde & vnde & Categoriarum, hoc est, prædicationum, siue prędicamentorum appellationem acceperunt: prædicationum autem tractationem ad Dialecticum spectare, nemo dubitat.

*Vide Boetiũ ad initium comment. in prædi. Ammon. in præfa. prædi. Auer. in lib. Prædi. com. 1. simpl. in præfa. super prædicam. Tertium.*

Quod verò è contrario solus primus Philosophus de prædicamentis agat, ex eo primum probatur, quia solius primi Philosophi est tradere generalem diuisionem entis, & summis generibus rerum inuentis, ad ea quasi prima capita, omnia quæ quoquomodo sunt, reuocare. Deinde, quia modi prædicandi, quibus hoc loco Aristoteles prædicamenta distinguit, fundantur in modis essendi, per quos illa prius natura distinguuntur quàm per modos prædicandi. Quare cum solus primus Philosophus de modis essendi agat, ad eum solum spectabit de prædicamentis agere. Postremo, quia prædicamenta nihil aliud sunt, quàm series quædam generum, specierum, & indiuiduorum: at agere de generibus, speciebus, & indiuiduis (quatenus tamen de indiuiduis disputari potest) ad solum Metaphysicum spectat: sunt enim hæc affectiones quædam entium, quatenus entia sunt, vt ipse Aristoteles ad calcem cap. 2. superioris libri docet. *Tex. 6.*

*Quod ad solum Metaphysicum. Probatur* 1. 2 3

Si quis tamen diligentius rem consideret, potius fortasse dixerit nulli certæ facultati prædicamentorum tractationem esse tribuendam. Nam si de accurata eorum tractatione quæstio est, nulla omnino datur scientia, quæ sola ipsa, ac per se prædicamentis agat, cùm nulla sit omnino, quæ genera omnia & species rerum persequi possit, sed vnaquæque particularium, certam & designatam eorum partem ex ea tota rerum vniuersitate tractandam desumit, cuius solum genera & species,

*Ad nullam certam scientiam pertinere suadetur.*

ſpecies,eorúmque principia & proprietates conſiderat, vt Ariſtoteles docet initio ſuperioris libri,ipſa autem Metaphyſica, ea quæ omnibus communia ſunt,ex peculiari officio explicat.

*obiectio.* Quod ſi quis obiiciat ſatis eſſe ad prædicamentorum explicationem noſſe in vnaquaque entium ſerie hæc eſſe ſuperiora, illa verò inferiora,idque haud dubiè teneri poſſe ignoratis naturis ſuperiorum & inferiorum: ſatis apertum eſt, ne hoc quidem poſſe ab vna tantum, atque eadem ſcientia tradi, cùm certam quæque materiam ſuæ conſi-

*Solutio.* derationis habeat,extra quam vagari ex proprio officio non poteſt. Si verò quæſtio eſt de rudi quadam, & quaſi adumbrata prædicamentorum deſcriptione, cùm ea videatur neceſſaria ante omnem ſcientiam (oportet enim quemque artificem noſſe ex tota hac rerum vniuerſitate,de quo entium genere acturus ſit) nemo eſt,qui communibus naturæ præſidiis adiutus,eam,quatenus ſatis eſt, comparare non poſſit.

*Quid ſit prædicamentum.*

## SECTIO II.

*Nominis notatio & origo.* PRo huius quæſtionis explicatione aduerte id, quod nos prædicamentum dicimus, Græcos κατηγορίας appellare, quod verbum ſi Porphyrio & Dexippo credimus:è medio foro in Lycæum tranſtulit Ariſtoteles.Nam cum κατηγορία publicam accuſationem ſignificaret, Ariſtoteles id verbum traduxit ad prædicationem, enunciationémque

*Lege etiam Simp. ad initium prædicament.* alicuius de aliquo. Niſi malis cum Ammonio in iis, quæ ad Iſagogem Porphyrij præfatur τὰς κατηγορίας dictas, paulum immutato verbo, quaſi ἀγορέυσεις τινῶν, id eſt,de quibuſdam attributiones, & enunciationes:quo pacto verbum propriè,non figuratè vſurpabitur.

Cæterum, quia familiare eſt non Philoſophis modo, ſed vulgo etiam,vt verba, quæ actionem ſignificant, ſæpenumero ſumantur pro iis,quæ modo aliquo ſub actionem cadunt, quo pacto homines congregatos,in vnúmque conuenientes, congregationem, cõuentúmque, res ex quibus fit miſtio,miſtionem,& id quod concipimus conceptionem,conceptúmque appellamus:hinc effectum eſt, vt nomen τῆς κατηγορίας αντὶ τοῦ κατηγορουμένου, id eſt,pro eo,quod prædicatur & enunciatur de aliquo, accipi conſueuerit. Hac ratione vocat *a* Auguſtinus in libro Categoriarum, animal Categoriam ſubſtantiæ, & diſciplinam, Categoriam qualitatis, & Damaſcenus in libro de Dialectica, Categorias inde nuncupatas affirmat, quod de aliquo dicantur: quo pacto idem eſt κατηγορία atque κατηγόρημα, quod *b* Cicero definit eſſe id,*quod de aliquo aut aliquibus dicitur*.Atque in hac ſignificatione ſumitur apud nos prædicamenti nomen, non pro ipſa prædicatione, quemadmodum nec prædicati vocabulum pro prædicatione, ſed pro eo, quod prædicatur.Itaque apud Græcos,& actio prædicandi,& id quod prædicatur,dicitur κατηγορία,apud Latinos vero,prædicandi actio non dicitur prædicamentum, ſed prædicatio, contráque id quod prædicatur, non dicitur prædicatio: ſed prædicamentum, habéntque ſe nomen Græcum:

a *Aug. lib. de 10. Categoriis. cap. 1. & habetur to. 1.*

b *Damaſc. lib. de Dialectica cap. 20.*

c *Cic. lib. 4. Tuſculan. q. Lege etiam Iſido. lib. 2. Etym. c. 27.*



Græcum: & κατηγορίας, & Latinum prædicamenti, quemadmodum nomina ſectionis, & ſegmenti: ſectio enim ſignificat & actionem ſecandi,& portionem quæ ſecatur: at ſegmentum non ſignificat ipſum ſecandi actum,ſed partem quæ ſecatur. Et quoniam ea, quæ prædicantur & enunciantur de iis,quæ primo ac præcipuè in rerum natura exiſtunt,hoc eſt:de primis ſubſtantiis, in decem quaſi claſſes redacta ſunt à Philoſophis: ipſa potiſſimum earum capita, quæ ſumma genera dicuntur dignatione quadam κατηγορίαι, Prædicamentáque appellata ſunt:quod de omnibus prædicentur: nec capita tantum ipſa, ſed totæ etiam claſſes & coordinationes,quæ peculiari aliqua ratione de primis ſubſtantiis prædicantur:quæ horum nominum ſignificatio eſt omnium

*Cap. de ſpecie.* vſurpatiſſima, eáque vtitur Porphyrius in Iſagoge, cum ait: *in ſingulis prædicamentis eſſe ſingula ſumma genera: eſſe item quædam ſubalterna quæ & genera ſunt ac ſpecies,deinde alia,quæ ſunt ſpecies, non item genera, ſub quibus ſola individua collocantur.* Immo etiam Ariſtoteles in ipſa libri prædicamentorum inſcriptione. Nam cùm ſingulis ſeorſum expoſitis ita concludit. *Atque hæc de propoſitis generibus ſint ſatis:* haud obſcurè innuit, ſe in

*Vt ſimpl. in eum locum.* hac ſignificatione, Categoriarum inſcriptionem intellexiſſe: ſumit enim genus (quicquid Græci dicunt) pro tota collectione ex genere ſummo,& ex iis quæ ab eo quaſi oriuntur:quo pacto familiæ ex aliquo progenitore aut auctore ductæ, appellantur genera. Atque in hac ſignificatione prædicamenti,propoſita quæſtio verſatur.

*Deſcriptio prædicamenti.* Poteſt autem prædicamentum hoc pacto ſumptum, communi quadam ratione deſcribi:Generis alicuius ſummi, & eorum quæ ſub ipſo ſunt naturalis diſpoſitio. Nam neque omnia de quibus diſputari poteſt,ſed ſola genera,ſpecies, & indiuidua, aliis etiam quibuſdam adiectis conditionibus, iudicarunt Philoſophi per ſe diſponenda eſſe in prædicamenta (quod merito factum eſſe in progreſſu patebit) nec diſpoſitio eorum,quæ in prædicamentis ponuntur, eſt excogitata, ſed in rebus inuenta.Nam & diſtinctio ſuperiorum & inferiorum inter ſe, non eſt diſtinctio rationis puræ,ſed ex natura rei vt ex capite ſuperiori perſpicuum eſt,& ordo,qui hanc diſtinctionem ſupponit, non eſt arbitrarius,ſed naturalis:ſi enim à ſuperioribus ad inferiora proficiſcaris,generationis ordinem tenebis,ſi ab inferioribus ad ſuperiora, perfectionis:quorum ille in eadem re à partibus ad totum: hic à toto ad partes progredi ſolet.

*Qui ordo in prædicamentis exiſtat.*

*Prædicamentorum tractationem nec ad nullam ſcientiam ſpectare,nec ad ſolum Metaphyſicum,aut ad omnes ſimul ſcientias.*

## SECTIO III.

NOn deſunt igitur quibus placeat, prædicamentorum tractationem,ſi pro accurata & perfecta ſumatur, ad ſolam Metaphyſicam,aut ad omnes ſimul ſcientias pertinere, vt alia aliam eorum partem ex inſtituto explicet:ſi vero pro rudi quadam & inchoata, à ſingu- 1. *Sententiæ.*

lis posse vendicari: quod necessario videatur in ingressu cuiusque disciplinæ, & ad eam satis sint communia naturalis cognitionis præsidia, vt patet ex iis quæ pro tertia quæstionis parte proposita sunt. Fatentur tamen, imperfectam eorum tractationem propterea tribui Dialecticæ siue Logicæ, quod ea ars, si rectè quis velit procedere in capessendis disciplinis prima sit omnium. Addúntque eam non pertinere ad Logicam quatenus Logica versatur in propria ac peculiari materia, sed quatenus tradit ea, quæ necessaria sunt ad cæteras scientias.

*Refutatur.*

Sed vt alia interim mittamus, tria sunt, quæ in hac sententia non placeant. Primum est, aliquam esse prædicamentorum tractationem, quæ etsi Logicæ tribuatur: re tamen vera ad nullam facultatem pertineat. Aut enim ea tractatio artificiosa est, aut artis expers: si artis expers, quid opus est quærere ad quam artem pertineat? certè nos de ea non agimus: si tamen vlla est, quæ aliquid artis non habeat: quo enim pacto sine arte, naturæ rerum in prædicamenta disponantur? Quod si artificiosa, ergo re vera ad aliquam artem ex instituto pertinet.

*Logicam non esse necessariam in ingressu singularum scientiarum.*

Alterum est, singulas disciplinas posse illam sibi vendicare, quia in singularium ingressu sit necessaria. Nam nec necessaria est in ingressu singularum, vt patet ex Mathematicis & aliis plerísque ne dicam omnibus, præterquam fortasse Logicæ, nec si necessaria esset in ingressu aliquarũ, continuò ad eas pertineret: posset enim ex alia arte supponi.

Tertium, prædicamenta non pertinere ad Logicam quatenus versatur in propria & peculiari materia, hoc est, in ratione differendi explicanda: sed quatenus tradit ea, quæ ad reliquas scientias sunt necessaria. Nihil enim re vera tradit Dialectica ad reliquas necessarium, quod non pertineat ad differendi rationem. Quod si obiiciant, Isagogem Porphyrij, quæ prædicamentorum libro præmissa est, propterea non appellatam Isagogem Dialecticæ, aut alterius cuiusque partis Philosophiæ, quod imperfecta illa prædicamentorum tractatio nullius facultatis propria sit: occurrendum est, cum Dialectica, doctrinæ ordine sit prima omnium partium Philosophiæ: aut vt alij volunt, omnes Philosophiæ partes naturæ ordine præcedat, iure potuisse Porphyrium eam, quam Dialecticæ Isagogem faciebat, absolutè Isagogem appellare, quod idem Græci Auctores annotarunt. Vnde nil mirum est, quod Simplicius ad initium commentariorum in prædicamenta, eum librum dicat & esse proœmium ad totam Philosophiam, & primam partem, Logicæ.

*Cur Porphyriana Isagoge absolutè sit nuncupata non Dialecticæ, aut alterius partis Philosophiæ. 2. sententia.*

*Vide Simpl. in prædica. Boetium in Porphi. in prologo & Albe. ibidem tra. 1. cap. 2. ita nonnulli recentiores.*

Alij volunt prædicamentorum tractationem siue perfectam & absolutam, siue imperfectam & inchoatam ad solam Metaphysicam spectare, quod diuisio entis in prima genera, quæ sunt quasi species illius, ad eum artificem pertineat, qui agit de ente, vt ens est. Quocirca prædicamentorum librum, qui initio Logicæ explicari solet, ex Metaphysica desumptum esse, nec rectè præponi Logicæ, quæ ex libris de interpretatione inchoari debet: sed collocandum esse inter Logicam, & cæteras facultates, quæ Logica posteriores sunt doctrinæ ordine: accuratam verò prædicamentorum explicationem ad initium libri septimi huius operis tradi debuisse.

Sed



*Refellitur Librum prædicamentorũ esse primam partem Logicæ.*

*Anm. Simp. Boet. Auerr. ad initiũ lib. prædicam. 1. Topic. ca. 4. & toto 5. lib. Topic.*

Sed pugnat primum cum hac noua opinione, omnium veterum, & Græcorum, & Latinorum, atque Arabum sententia, qui faciunt librum Categoriarum Aristotelis non modo partem Logicæ, sed etiam primam, nisi quod volunt indigere eam introductione aliqua, qua explicetur quid sit genus, species, differentia, & cætera nonnulla: quam Aristoteles ex Topicis potissimum à præceptoribus depromendam voluit, quod fecit Porphyrius. Deinde, quod de iisdem rebus multæ simul scientiæ disputare possunt, non imperfectè solum, sed etiam perfectè, siue quatenus res eædem alio atque alio modo spectantur, quo pacto Physica & Geometria de magnitudine agunt: siue quatenus ex principiis eædem omnino conclusiones probantur, qua ratione Astrologus & naturalis Philosophus demonstrant terram esse rotundam: quod idem in tradendis prædicamentis euenire posse mox patebit. Item quod aliqua pars Logicæ potest esse subalternata Metaphysicæ, vt re vera accidit in prædicamentorum explicatione, vt paulò pòst dicemus: tractatio autem subalternantis, & subalternatæ de rebus subalternatæ, non est prorsus eadem: alio enim modo agit de angulo perspectiua, alio Geometria, & sic in cæteris. Postremò, quod proprius locus tradendæ cognitionis prædicamentorum in hoc opere, hic ipse liber est, in quo versamur: cùm eius institutum sit explicatio analogiæ cùm entis, tum eius quasi proximarum specierum, & eorum quæ communiter vtrisque conueniunt, tametsi in libris sequentibus omnia hæc explicatius tradantur, ac multo etiam accuratius traderentur, si Aristoteles huic operi vltimam adhibuisset manum.

*Vide quæ docet Aristo. 1. lib. poste. ca. 5. tex. 42.*

*Prædicamentorum tractationem, & ad primum Philosophum & ad Dialecticum, præcipuè tamen ad primum Philosophum spectare.*

## SECTIO IV.

*Assertio quæstionis respondens.*

DIcendum igitur, prædicamentorum tractationem & ad primum Philosophum, & ad Dialecticum siue Logicum, alia tamen & alia ratione spectare, ac præcipuè ad primum Philosophum: quod his rationibus intelliges.

*Ita Herueus Quodl. 1. q. 9. Paul. Sonc. 5. Metap. q. 13. Ferrar. 3. Physi. q. 5.*

Primum, quia Genera, Species, & individua, quæ prædicamenta conficiunt, tribus modis spectari possunt: vno quoad ipsarum rerum naturas absolutè: altero quatenus sunt vniuersales, aut particulares, tertio quatenus prædicabiles, aut subiiciles, at prima consideratio, nec certæ alicui scientiæ propria est, sed omnium realium communis, quatenus aliæ de aliis rerum naturis agunt, nec propriè dici potest consideratio prædicamentorum, cùm prædicamenti nomen non significet res ipsas absolutè, sed quatenus dispositæ sunt in certas coordinationes superiorum & inferiorum, secunda verò cum sumatur ex modis essendi rerum, vt inferiùs patebit, ad solum primum Philosophum spectat: tertia denique ad Dialecticum perspicuè pertinet, siquidem ad eum artificem pertinet aptitudo ad prædicationem & subiectionem, ad quem ipsi prædicationis & subiectionis actus pertinent, quare cùm

Universidad de Deusto
Biblioteca



aptitudo ad prædicationem & oppositam subiectionem, in modis essendi fundetur: necesse est fateri, & solum primum Philosophum ac Dialecticum de prædicamentis agere, & primum Philosophum præcipuè.

Deinde, quia prædicamentorum tractatio, quatenus agit de generibus, speciebus, & indiuiduis vt vniuersalia & particularia sunt, speculatiua est: quatenus vero agit de eisdem vt sunt prædicabilia & subiicibilia in oratione, planè est practica: cùm igitur prior consideratio ad nullam speculatiuam scientiam spectare possit nisi ad primam Philosophiam, quando nec Physicæ, nec Mathematicis attribuenda est, posterior autem ad nullam practicam præterquam ad Dialecticam, perspicuum est prædicamentorum explicationem & vtriusque esse, nulliúsque alterius, & præcipuè ad primam Philosophiam spectare: siquidem consideratio speculatiua eorum, quæ in prædicamentis ponuntur, cùm magis penetret ad eorum naturas, præferenda est ei, quæ ad praxim differendi refertur.

3. *Solam Metaphysicam & Dialecticam in toto genere entis versari.*

Tertiò, quia inter omnes disciplinas (loquor autem de iis, quibus vtendum est, vt excludam Sophisticam & alias, à quibus cauendum) sola prima Philosophia & Dialectica in toto entis genere versantur, hæ quoque solæ de omnibus differunt: tametsi illa ex necessariis, hæc ex probabilibus, quorum vtrumque docuit Arist. *a* cap. 2. superioris libri, qua de caussa, illa omnium scientiarum domina, hæc communis omnium facultas eodem auctore dicitur, vt patet ex cap. 6. *b* 1. Poster. & ex cap. 2. *c* 1. Physic. Vtráque etiam *d* à magis Auctoribus dicitur necessaria formandis artibus, tametsi prior, quia considerat communem rationem essendi rerum omnium, posterior, quia communem rationem de omnibus differendi: debet igitur vtraque nosse generalem diuisionem entis in prædicamenta: prior accuratius, & à priori vt dicitur: posterior minus perfectè, & à posteriori.

a *Tex. 5.* b *Tex. 23.* c *Tex. 8.* d *Lege Platonem 7. lib. de Rep. Aug. lib. 3. contrà Acadē. & 2. lib. de ordine ca. 13. Boet. in comment. supra Topic. Ciceronis: & quæ diximus li. 1. in proœm. cap. 6. & 7. & Euseb. Cæsar. li. 11. de præparat. Euang. ca. 1.*

4. Postremò, quia quemadmodum sola prima Philosophia tradit principia intelligēdi, vt omnia ex primis caussis teneat, sic etiam sola Dialectica dirigit operationes intellectus, ne in differendo erret: at neque principia intelligendi, quæ sunt primæ ac simplices rerum notitiæ obiectiuæ tradi possunt, nisi in distinguendo ente in prima rerum genera eorúmque differentias, quibus & prædicamenta inter se distinguuntur, & eorum genera quasi propagantur: nec operationes intellectus possunt à Dialectico ad rectè differendi finem dirigi, nisi is nouerit, quæ sint prima rerum genera, & quo pacto in suas species diducantur, siquidem in apprehensione horum, primæ operationis intellectus directio præcipuè consistit: solus igitur primus Philosophus & Dialecticus de prædicamentis agunt, præcipuè verò primus Philosophus.

*Soluuntur argumenta, quæ 1. sect. quæstionis sunt proposita.*

Ex his de patet quid ad ea, quæ initio quæstionis proposita sunt, respondendum sit. Primæ enim ac secundæ partis argumenta concludunt & ad Dialecticum, & ad primum Philosophum eorum tractationem spectare, alia tamen & alia ratione, ad Dialecticum, veluti ad subalternatum hac in re artificem: ad primum verò Philosophū, veluti ad subalternantem. Quod autem pro tertia parte propositum est, partim



tim ex iis quæ initio huius sectionis dicta sunt facile dissolui potest, partim ex iis quæ in secunda diximus, solutum relinquitur.

*Obiectio quædam.*

## SECTIO V.

*Argumentæ contra superiorem assertionem.*

cap. 2. SVnt tamen quæ contra hæc obiici possint. Primum ipse Aristoteles in proœmio primi libri, perspicuè docet, primum Philosophum non tenere omnia singulatim, sed in commune: quod si non singulatim, ergo non attinet ad eum nosse quot numero sint genera summa, ac multo minus quot sunt numero species: ac minimè omnium descendere ad indiuidua, & cognoscere primas substantias, quæ sunt omnium Prædicamentorum veluti bases: singularia enim, ab arte prætermittuntur. 1.

Deinde celebre est illud Dialecticorum commune dictum, Generis, Speciei, & Indiuidui nomina immo & Prædicamenti, esse vocabula intentionis secundæ: at primus Philosophus non agit de secundis intentionibus, sed de primis, vt iidem volunt. Ex quibus videtur perspicuum, non agere primum Philosophum de Prædicamentis. 2.

Tertio, planè constat Dialecticum agere de verbis ac sermone: præcipuè quidem de interiori, secundariavero ratione de exteriori, qui interioris signum est, at Prædicamenta non constant verbis, sed rebus, etiam quatenus constant prædicabilibus & subiicibilibus, vt talia sunt. Nam vt res, non nomina rerum, sunt genera, species, & indiuidua: ita res non nomina prædicari ac subiici possunt: quæ enim insunt in eo, de quo dicuntur, ea solùm de eo verè prædicari possunt, vt animal de homine, & homo de Socrate, non animalis aut hominis nomen, de hominis aut Socratis vocabulo. 3.

Postremò quouis modo quis dicat, Dialecticum de prædicabilibus & subiicibilibus agere: certè non spectat ad ipsam eius artem (quicquid de eius vsu ex probabilibus differendi sentiendum sit) omnia prædicabilia & subiicibilia secundum ordinem superiorum & inferiorum distinguere, eorúmque numerum tenere. Satis enim illi est, si genera ipsa prædicabilium & subiicibilium cognoscat, eáque in suas species, aut quasi species diducat, quod facit cum tradit alia predicari in quæstione Quid est, alia in quæstione Quale est, alia essentialiter, alia accidentaliter, alia item necessariò, alia contingenter: ex quorum modorum prædicandi complicationibus inter se, quinque vulgatas Prædicabilium species colligit, Genus, Speciem, Differentiam, Proprium, & Accidens. Addere autem quot numero sint genera ipsa, quot species, &c. sciréque quibus in rebus notiones generis, speciei, & cæterorum inueniantur, id iam non cadit sub artem, quæ nec singularia, nec infinita considerat, nec ea, quæ sunt per accidens. Non spectat igitur ad Dialecticum de Prædicamentis agere, quæ nisi numerum istorum teneas, intelligere non possis. 4.

*Obiectum*

*Obiectorum solutio.*

## SECTIO VI.

*Soluitur primum argumentum.*

VErum ad primum dices, Metaphysicum non agere de iis omnibus quæ in Prædicamentis ponuntur, nisi quatenus cadunt sub quibusdam valde generalibus diuisionibus: veluti de decem primis generibus, quæ ex modorum essendi generalissima diuisione colliguntur, de primis & secundis substantiis sub ratione communi primarum, & secundarum, non de hac & illa prima, nec de omnibus secundis, sed de primis illis substantiæ generibus, materialium scilicet, & materiæ expertium, de quantitate discreta & continua, huiúsque primis speciebus, de quatuor primis generibus qualitatum, & ita in cæteris quod certè non est ad singula descendere. Quod si obiicias, genera summa, vt talia sunt, esse singularia quædam, ac proinde non cadere sub artem, quemadmodum nec primam hanc substantiam, aut illam, illud intelligas, oportet, non esse prorsus interdictum Philosophis agere de quibusdam singularibus etiam vt talia sunt, si in eis ratio aliqua vniuersitatis cernatur: quo pacto primus Philosophus agit de Deo singularissimo quidem, sed qui omnia virtute ac eminentia propriæ naturæ in se contineat. Cùm ergo genera summa, immo & cætera genera, & species quæ sub eis continentur, singularia sint, quatenus hæc genera & hæ species: vniuersalia vero, quatenus naturæ quædam notionibus generum & specierum subiecta: nihil impedit quo minus de eis agat primus philosophus, etiam quatenus sunt hæc genera aut species: sed hoc interest, quod agit distinctè ac determinatè de iis, quæ (vt diximus) ex diuisionibus admodum generalibus colliguntur, confusè autem ac implicitè de iis, quæ sub istis continentur: vnde non descendit ad mera indiuidua, quatenus hæc vel illa sunt, sed in commune, quatenus entia indiuidua.

*Qua ratione Metaphysicus de rebus Prædicamẽtorum agat.*

*Obiectio.*

*Solutio.*

*De quibus singularibus non sit interdictum agere*

*Secundum.*

AD secundum dicito, genera, & species, & indiuidua, non esse re vera secundas intentiones, nisi quatenus prædicata & subiecta sunt: primum autem Philosophum non agere hoc pacto de generibus, speciebus, & indiuiduis: sed quatenus sunt vniuersalia & particularia. Num autem hæc non solũ quatenus prædicata & subiecta sunt, sed etiam quatenus prædicabilia & subiicibilia, modo aliquo secundæ intentiones dici possint: tum patebit cum de vniuersalibus differemus.

*Tertium.*

AD tertium, non res quidem, sed verba ad Dialecticum præcipuè spectare: siquidem ex his conficit ille quicquid arte propria conficere iubetur, non ex rebus significatis. At cum de Prædicamentis agitur, quia res sunt, quæ præcipuè prædicantur & subiiciuntur, vt ex dictis patet: non dubium esse quin Prædicamenta ex rebus præcipuè constent. Hinc orta est quæstio illa apud interpretes libri Prædicamentorum Aristotel. agat ne illa in eo de rebus, an de verbis. Qui enim finem ac officium Dialectici considerant, de verbis simplicibus tamquam de primis differendi elementis agi affirmant: qui *b* vero ipsam prædicabilium, & subiicibilium, rationem expendunt, potius de

*Quæstio agatne in Prædicamẽtis Aristoteles de rebus, an de verbis soluitur*

a *Alexan. Aphro. Simplic. Boet. ad initium Prædicam. & alij inferius citandi.*

b *Auerr. ad initium prædica. Eustratius quem refert Ammo. in præf. prædica. & alij.*



rebus agi volunt: sed controuersia hoc modo componenda. Disputari quidem in eo libro, & de verbis, & de rebus: quod ipsum ex toto libri progressu facile est intelligere (ac merito quidem, cùm nec res ipsæ prædicentur aut subiiciantur nisi per verba, nec verba item nisi loco rerum) attamen, quia Dialectica præcipuè ad sermonem attendit, potissimum verò ad interiorem, vnde sermocinalis & rationalis, non realis dicitur: nec verò in docendo agit de verbis ad tradendam in ipsa arte rerum cognitionem, sed potius cùm de rebus sermo incidit, id totum confert ad verborum vsum in differendo, iccirco placet magis sententia eorum, qui dicunt, Aristotelem in eo libro præcipuè agere de vocibus simplicibus nondum in enunciationis formam copulatis, quatenus mediis simplicibus conceptibus aptæ sunt, vt in enunciatione prædicentur aut subiiciantur: quod Græci omnes volunt, Porphyrius, Ammonius, Simplicius, Dexippus: & vt Porphyrius & Simplicius referunt, Iamblicus, Alexander, Herminus, Aegæus, Syrianus, & ex Latinis Boëtius, atque alij complures: in quibus videtur esse Magnus Albertus initio commentariorum in eum librum, & Diuus Thomas in præfationem librorum de interpretatione. Ponuntur igitur præcipuè res in Prædicamentis, tam vt à Metaphysico, quàm vt à Dialectico spectantur, cùm rebus præcipuè, & modi essendi quibus distinguuntur, & prædicandi conueniant, sed tamen in iis ipsis tradendis non præcipuè ad res, sed ad voces, tanquam ad prima differendi principia & elementa, Dialecticus attendit.

*Aristotelem præcipue agere in eo libro de vocibus.*

*Omnes ad initium Prædicam.*

*Res potissimum in prædicamẽtis ponuntur.*

*Ad voces tamen præcipuè attendit Logicus.*

Ad quartum eodem modo, quo ad primum respondendum est: non enim latius agit Dialecticus de Prædicamentis, quàm primus Philosophus, cui ea in re est subalternatus: loquor autem de Dialectico vt docet, non vt ex probabilibus differit, quo pacto latius illum vagari, quàm primum Philosophum superiori libro ad caput secundum annotauimus. Cum autem obiicitur, satis esse Dialectico (docentem intellige) si genera ipsa prædicabilium & subiicibilium cognoscat eáque in suas species, aut quasi species distinguat, etiamsi ignoret quot numero sint genera, species, &c. & quibus in rebus huiusmodi notiones inueniantur, respondendum est, non satis id esse, cum necesse sit, vt quędam etiam eorum indiuidua eáque præcipua & quasi capita cognoscat. Nec verò singularia prædicabilia, quæ à Dialectico in Prædicamentis tractantur, esse purè singularia (vt dictum est) aut multitudine infinita, vt sub artem cadere nequeant, aut denique ad ipsas eorum prædicandi aptitudines cognoscendas per accidens facere cognitionem naturarum, quæ prædicantur, quam Dialecticus à primo Philosopho, vt à subalternante ea in re artifice mutuatur.

*Quartum argumentum.*

*In commentariis super text. 5.*

*In prædicamentis.*

Supereſt ſcrupulus Caietani euellendus, qui ex eo probat à Dialectico in Prædicamentorum tractatione non agi de ordinibus prædicabilium & subiicibilium, quia tractatio de aptitudine ad prædicationem, pertinet ad libros de interpretatione, in quibus agitur de prædicatione ipsa siue actu prædicandi: *Aptitudo enim* (inquit) *sine actu intelligi non potest.* Est enim respondendum, etsi aptitudo non intelligitur sine actu, ac proinde non in alia scientia de actu agitur, in alia de

*Scrupulus Caietani.*

*Euellitur.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*De actu & aptitudine etsi in eadem scientia, non tamen opus est in eadem scientiæ parte agatur.*

aptitudine: non est tamen necesse, vt qua in parte agitur de actu, in eadem agatur de aptitudine. Potest enim præcedere vel explicatio actus, quod vtique perfectionis ordo postulat, vel etiam explicatio potentiæ, quod poscit generationis ordo, modo prius habeatur qualiscunq; cognitio actus. Hoc enim posterius fecit Aristoteles in Physicorum libris, cùm explicauit naturam & motum. Quanquam enim natura, vt natura est, definiatur per aptitudinem ad motum, ac proinde sine motu intelligi non possit, vt ipse etiam affirmat: eum tamen ille seruauit ordinem in vtriusque explicatione, vt in secũdo libro de natura, in tertio de motu disputauerit. Quod ideo facere potuit quia antequam naturam per motum definiret, iam per se notum erat motum esse: eiusque si non accurata, certè quæ satis esset, notitia habebatur. Eodem igitur modo prius agit Dialecticus de prædicabilium dispositione in prædicamenta, quàm de prædicatione enunciationéque, quia prædicamentorum libro ab Aristotele conscripto, supponitur qualiscunque enunciationis cognitio, quæ in explicatione Isagogica prædicabilium præmittitur. Sed iam videamus sint ne prædicamenta decem numero, vt dici solent, an ne plura, paucioráue.

*Lib. 3. Physic. c. 1. tex. 1.*

## SINT NE PRAEDICAMENTA DECEM, NON PLVRA, NEC PAVCIORA.

## QVÆSTIO II.

*Plura videri quàm decem.*

### SECTIO I.

*Primum argumentum quo decẽ & septem prædicamenta probantur.*

PLVRA revera esse prædicamenta, quàm dici soleant, ex eo primùm suaderi potest, quia prædicamenta constituta sunt à Philosophis, quasi communes loci eorũ omnium, de quibus & ex quibus disputari potest: vnde & Aristoteles in primo Topicorum libro docet omnia prædicata Dialectica, in prædicamentis reperiri: at disputatio potest haberi non tantùm de entibus, vt de loco, sed etiam de non entibus vt de vacuo: nec solum de entibus per se vt de igne, sed etiam de ente per accidens, vt de ferro ignito: nec tantum de entibus realibus, vt de homine & animali, sed etiam de entibus rationis, vt de subiecto & prædicato: nec modò de entibus finitis, vt de figura, sed etiam de infinito, vt de multitudine, quæ nullo contineatur numero: nec de completis duntaxat rebus, vt de compositis naturalibus, sed etiam de incompletis, vt de materia & forma: nec denique de vniuocis tantùm & incomplexis, vt de linea, sed de analogis quoque & complexis, vt de accidente & quantitate continua, vt ea conceptibus suæ definitionis respondet: addenda sunt igitur decem vulgatis prædicamentis, quæ de entibus tantum per se realibus, finitis & completis, vniuocis atque incomplexis tradi solent, alia complura: vnum de non entibus, alterum de entibus per



per accidens, tertium de entibus rationis, quartum de infinitis, quintum de incompletis, sextum, & septimum de æquiuocis & complexis: quod enim consequentia perspicua sit in infinitis & incompletis (nam in cæteris aperta est) ex eo patet, quia infinita multitudo locum non habet in prædicamento quantitatis: quod pari ratione dicendum erit de infinita magnitudine, cùm interim manifestum sit in nullo alio ex decem vulgatis prædicamentis ea collocari posse. Materia etiam & forma, vt alia incompleta entia mittamus, non possunt poni in eodem genere substantiæ, in quo ponuntur composita naturalia: sed aliud substantiæ genus addendum videtur necessario, in quo ponantur, quandoquidem genus compositorum, compositum & ipsum sit necesse est: quod quidem de simplicibus prædicari non potest.

2 Deinde idem probatur ex eo, quia vt caussa agens constituit prædicamentum actionis, patiens verò, siue materialis prædicamentum passionis, ita etiam caussa formalis & finalis constituere debent duo quædam alia, quæ certè nulla sunt ex cæteris octo vulgatis: sumimus autem caussarum nomen non quatenus significat relationem caussæ, quo pacto forsitan dices caussas omnes ad prædicamentum relatorum pertinere: sed quatenus significat ipsam caussandi rationem.

3 Tertiò, quia quemadmodum accidit rebus, vt sint caussæ, ita etiam vt sint effecta: si ergo caussæ necessariò constituunt quatuor prædicamenta, totidem alia necessario effectis tribuenda erunt: vnum effectui efficientis, vt talis est: alterum effectui materiæ: tertium & quartum effectibus formæ & finis: quæ sanè constat nulla esse ex omnibus decem vulgatis.

4 Quartò, quia vt nos sumus in loco, & viuimus in tempore, ita substantiæ separatæ, sunt suprà cœlum, non vt in loco, & viuunt in æuo, vt Aristoteles scribit primo libro de Cœlo: at esse in loco, constituit vnum prædicamentum, quod dicitur vbi: & esse in tempore aliud, quod appellatur quando: ergò esse alicubi, non vt in loco, & esse in mensura aliqua durationis, quæ non sit tempus: nec aliquid temporis constituent alia duo quæ nulla sunt ex cæteris ab Arist. traditis.

*Cap. 9. tex. 100.*

5 Quinto, si locus & tempus, quia sunt externæ mensuræ, constituunt duo prædicamenta, vt dici solet, cùm numerus etiam, immo & linea, & superficies externæ mensuræ esse possint (nam & per calculos numeramus multitudinem rerum distantium, & per longitudinem calami, longitudinem viæ, sanorésque per latitudinem vnius panni, alium suppositum metiuntur) efficitur vt tria quædam alia præter omnia quæ dicta sunt, constituere oporteat: numeri exterius numerantis, & longitudinis, & latitudinis exterius mensurantium.

6 Sextò, sic argumentantur plerique. Habitus, seu habere vestem, est medium quid inter eum qui habet vestem, & vestem quæ habetur: pendet vt motus, seu moueri, est medius inter id quod agit, & id quod patitur, vt Aristoteles inferius docebit: at motus constituit duo prædicamenta, vnum actionis, alterum passionis, quatenus ab agente proficiscitur, & in patiente suscipitur: ergo & habitus duo prædicamenta

*Cap. 20. tex. 25.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



camenta constituet,vnum induentis,alterum induti:quo eodem modo concludi potest duo alia constituenda esse ex loco,vnum locantis,alterum locati:alia item duo ex situ,vnum situantis, alterum rei sitæ, totidémque ex tempore : temporantis nimirum (vt ita loquar) & temporalis,hoc est eius, quod tempori subiicitur. Quo fit, vt vel hoc vno argumento quatuor prædicamenta, iis quæ iam dicta sunt, necessariò adiungenda sint.

Postremò accedit, quod Aristoteles ita differit in hoc lib. de substantia,quantitate & cæteris, quæ nos summa genera prædicamentorum facimus,vt ea omnia sentiat analoga esse, vt in progressu patebit: quod etiam ipsum congruit cum eius instituto in hoc libro : totus enim ad explicationem analogiæ communium attributorum confertur,vt initio diximus. Quod si illa sunt analoga, perspicuum est non esse summa genera, sed vnumquódque eorum, plura genera summa suo ambitu complecti.

*Videri pauciora.*

## SECTIO II.

*Altera quæstionis pars suadetur.*

QVod autem sint pauciora,his argumentis suadetur. Primum,quia si enti,quod in prædicamenta diuiditur, addantur particulæ,quæ addi solent, vt sit ens per se, reale, finitum, completum, vniuocum, & incomplexum:vnum tantum prædicamentum videtur concludi: ens enim tale,quale nunc diximus, vniuocè videtur conuenire omnibus in prædicamento positis : quod si vniuocè, ergo vt genus omnium, cùm aliud ex quinque vniuersalibus esse non possit. Nam si qua esset ratio, cur non esset genus, ea esset maximè, qua vtitur Aristot. 3. libro huius operis:*quia necesse est*, inquit, *vt ens dicatur per se, siue essentialiter de omnibus differentiis*:at hæc ratio etsi rectè concludit sumpto ente,vt est commune completis & incompletis:nihil tamen conficit, sumpto illo pro solo completo:de nullis enim differentiis prædicari potest essentialiter ens completum. Ita fit, vt vel ex conditionibus quæ addi solent colligendum sit vnum tantum esse prædicamentum. *cap. 3. Text. 10.*

Deinde,quia etsi ratione aliqua ostendatur ens, quod in prædicamenta diuiditur,non esse genus, ac proinde cogamur admittere plura summa genera:tamen videmur non posse effugere, quin saltem concedamus esse duo tantum. Nam præterquam quod nihil obstat quo minus accidens completum habeat differentias, per quas tanquam genus diuidatur in species (siquidem neque accidens completum prædicari potest secundum essentiam de accidentibus incompletis) sic licet argumentari. Quot modis dicitur vnum oppositorum, tot item dicitur alterum(vt habes in Topicis) atqui substantia,& accidens opponuntur,cùm accidens sit in subiecto, & substantia non sit in subiecto:ergo si accidens non est genus, sed aliquid multiplex, substantia quoque multiplex quippiam erit:at substantia non est multiplex, sed vniuoca : ergo & accidens : cùm igitur accidens non possit esse aliud vni

*Duo tantùm esse genera summa, substantiam & accidens.*

*1. Topic. c. 13.*



vniuersale respectu accidentium,nisi genus:duo tantum erunt suprema genera,substantia,& accidens.

3 Tertio, quia actio & passio sunt idem motus, vt Aristoteles ait 3. Physic. motus autem aut in nullo prædicamento ponitur, sed reducitur ad ea in quibus ponuntur termini ad quos tendit, vt idem eodem libro docet:aut certè si sumatur non vt motus est,sed vt continuus est, ad prædicamentum quantitatis pertinet. *cap. 3. Text. 19.* *cap. 1. Text. 4.*

4 Quarto,quia locus & tempus cùm ponantur in quantitate, itémque indumenta cùm partim ad qualitatem, partim ad substantiam pertineant:immo etiam constent materia naturali,& figura per artem adhibita, quæ non faciunt vnum ens per se:non possunt constituere prædicamenta à superioribus distincta.

5 Postremò,quia etsi quis ostendat non esse prædicamentum Vbi de medio tollendum,non tamen efficiet, quò minus prædicamentum Situs,sit superuacaneum. Nam per motum circularem, non acquiritur alius ac alius locus,sed alius ac alius situs totius mobilis:nempe vt partes mobilis aliter atque aliter se habeant ad partes totius loci, quod est luce clarius, cùm igitur omnis motus localis communi Philosophorum consensu ad prædicamentum vbi reduci soleat, efficitur vt situs qui acquiritur, pertineat ad prædicamentum vbi, ac proinde, vt prædicamentum situs non sit distinctum à prædicamento vbi. Ita videtur manifestum non tam multa esse prædicamenta, quàm vulgo dicantur.

*Non plura esse,nec pauciora quàm decem.*

## SECTIO III.

*Antiquitas huius sententiæ.*

DE numero prædicamentorum, quem Aristoteles post Architam Tarentinum denarium fecit:nulla pœnè est nostra ætate controuersia. Nam etsi Plato alicubi *a* facit vnum tantum, quod credat ens esse genus omnium quæ sunt:alibi *b* autem ad quatuor entium genera videatur omnia reuocare, aliíque deinde Philosophi denarium eorum numerum impugnauerint, partim quod quibusdam viderentur plura, partim quod pauciora quàm Aristoteles fecisset (quod apud Plotinum Ennead.6.lib.1. & apud Simplicium in librum Categoriarum Aristotelis,& apud alios *c* videre licet ) tamen, quia compertum est nullum esse,qui commodiorem diuisionem tradiderit, tantam auctoritatem à multis iam sæculis accepit hæc sententia,vt eam multi quasi per se notam assumant,plurimi certè rem existiment, de qua non opus sit, contendere:quare satis erit leui brachio rationem tam celebris, támque approbatæ sententiæ intelligere.

*a Plato in Sophista, seu de Ente, & in Parmenide vel de vno Vide Plotinũ Ennead. 6. lib. 9. cap. 1.*
*b In Philebo seu de summo bono.*
*c Vt apud Philoponum 1. Priorum c. 2. & apud Venetum in Prædicamen.*

*Cur decem prædicamenta Architas fecerit.*

Ac Architas quidem, vt fuit Pythagoricus, ita more Pythagorico res omnes in decem prima genera ea ratione redegit, quod denarius numerus sit omnium numerorum perfectissimus. Verùm hæc probandi ratio, cùm primo huius operis libro ab Aristotele refutata est, tum sæpè alibi meritò reprehenditur. Neque enim ex ratione numerorum *cap. 5. text. 3.*

reddenda est ratio rerum, sed prius ex ratione rerum, ratio numerorum: quo pacto ex ratione cœlestium motuum colligunt Astronomi numerum orbium cœlestium.

*Ratio optima colligendi denarium prædicamentorũ numerum.*

Missis ergo aliis rationibus, quas partim Simplicius tum ex se, tum ex Iamblico, partim alij recentiores afferunt, hæc sanè quæ tota pœnè est apud D. Thomam, partim hoc loco, & partim ad 3. Physicorum librum, [b] omnium videtur optima. Cùm primæ substantiæ sint prima subiecta, in quibus proinde cernuntur, & de quibus prædicantur omnia attributa, quæ per se in prædicamento ponuntur, ex vario modo essendi, ejusmodi attributorum in primis substantiis, & de eisdem prædicandi, colligendus est prædicamentorum numerus: sunt autem decem modi, quibus aliquid in eis esse potest, de eisdémque prædicari, totidem igitur sunt prædicamenta, non plura paucióráve: Assumptio & inductione, & ratiocinatione ostendi potest: inductione quidem ex varia quærendi ratione, hoc pacto. Eorum quæ modo aliquo insunt in primis substantiis & de illis prædicantur, alia pertinent ad quæstionem Quid est, quæ necessario sunt substantiæ, vt esse hominem: alia ad quæstionem Quantum est, quæ nisi quantitates esse non possunt, vt esse bicubitum: alia ad quæstionem Quale est, propriè ac præsè sumptam, quæ haud dubiè qualitates sunt, vt esse album: alia ad quæstionem Ad quid refertur, quæ sunt relationes, vt esse patrem: alia ad quæstionem Quid agit, quæ actiones, vt verberare: alia ad quæstionem Quid patitur: quæ passiones, vt verberari: alia ad quæstionem Vbi, nempè varia loca, vt esse in medio mundi: alia ad quæstionem Quo pacto situm est, variæ nimirum positiones, vt sedere: alia ad quæstionem Quando, vt varia tempora, veluti fuisse anno superiore: alia ad quæstionem Habitus, vt varia indumenta, ornamenta, arma, & si quæ sunt alia huiusmodi, veluti togatum esse. Cùm ergo nullus se offerat quærendi modus, qui sub his non contineantur, patet inductione decem esse modos essendi in primis substantiis, de eisdémque prædicandi.

*Inductio colligens ea quæ sunt in primis substantiis.*

*Ratiocinatio idem ipsum per diuisionem concludens.*

Ratiocinatione verò per diuisionem hoc modo. Quicquid modo aliquo inest in prima quauis substantia, & de eadem prædicatur, vno è tribus modis illi conuenit: aut enim pertinet ad eius essentiam: aut non pertinet quidem, sed tamen inhæret ei: aut nec pertinet ad eius essentiam, nec illi inhæret, sed solum extrinsecus afficit, ac denominat. Si pertinet ad essentiam primæ substantiæ, est substantia: si non pertinet, sed tamen inhæret ei, aut conuenit illi absolutè, aut comparatè: si absolutè, aut sequitur materiam aut formam: si materiam, est quantitas: si formam, est qualitas: si verò conuenit comparatè, est relatio. Quod si nec pertinet ad eius essentiam, nec inhæret illi, sed tantùm afficit: aut denominat extrinsecus, aut denominat illam ratione potentiæ actiuæ, à qua procedit, aut ratione potentiæ passiuæ, seu receptiuæ, qua actu recipitur, aut neutrius ratione: si ratione potentiæ actiuæ, est actio, quo pacto calor qui ab igne producitur, denominat ignem agentem: si ratione potentiæ passiuæ, est passio, quo pacto idem calor, qui recipitur, præbet ligno nomen & rationem patientis: si verò nec ratione potentiæ actiuæ denominat, neque item passiuæ, aut denominat

*Lege D. August. in libello de decem Categoriis c. 7. & D. Tho. de Verit. q. 1. art. 1. Alens. in 5. Met. tex. 14. Soncin. 5. Met. q. 13. Anton. And. ibi. q. 7. Her. quo lib. 1. q. 9. Iamnel. 5. Met. q. 16. & in prædicament. tract. 5. p. 2. c. 1. Iandun 5. Met. q. 13. Ferr. 3. Phys. q. 5. Ocham quolib. 5. q. 22. Ioan. Mir. 10. in prædic. q. 10.*

a *Lect. 9.*

b *Lect. 5. Lege etiam Capr. in 2. de 2. q. 1. art. 3.*

b *Aristot 3. Phys. c. 3. per totum, & 2. de Ani. text. 136. Gilbertus Porretanus l. 6 priorum. c. 3. Auer. 3. Phys. com. 18. & com. 20. D. Tho. in 3. de ani. tex. 140.*

c *Heru. quo lib. 1. q. 9.*



denominat vt mensura aut aliter: si vt mensura, aut vt mensura magnitudinis, aut durationis: si magnitudinis est locus, modo nulla ratio habeatur partium in loco, si habeatur erit situs: si durationis est tempus. Quod si non denominat vt mensura, erit habitus.

*Auer. 1. Phys. com. 63. & 4. Phys. com. ment. 15. & libr. de Substantia orbis, c. 1. Idē sensit Gregor. in 2. d. 12. q. 2. art. 1. Philopon. 1. lib. de Gene. tex. 33 & 40. Simp. 1. Phys. com. 66. vbi eandem opinionem tribuit Pythagoricis Platoni, & Porphyrio. a Cap. 5. tex. 22.*

*Cur quantitas materiā, qualitas formam sequi dicatur.*

Si quis autem quærat, qua ratione verum sit illud, quod assumpsimus, quantitatem sequi materiam, & qualitatem sequi formam, vtrumnè quia sola quantitas inhæreat materiæ, & sola qualitas formæ, an verò, quia quantitas profluat à sola materia, & qualitas à sola forma, neutra pars danda est: permultæ enim sunt qualitates, quæ in materia inhæreant, vt calor, & frigus, nec quantitas à sola materia profluit (vt quidam existimant) sed potius ab essentia totius compositi, quemadmodum & quàm plurimæ qualitates. Dicendum igitur iccirco hunc loquendi modum vsurpari à Philosophis, quia quantitas in solis rebus materia constantibus cernitur, & qualitas in solis formis finitis (siue separatæ illæ sint, siue materiam informantes) & in iis quæ forma constant. Vnde & Plato sæpè nominibus magni & parui quæ sunt affectiones quantitatis significat materiam, nomine autem qualitatis, formam ac speciem: & Aristot. [a] lib. superiori, cùm dixit, non idem esse in quantate: & in qualitate mutari, nomine quantitatis intellexit materiam; & nomine qualitatis formam, vt eo loco exposuimus.

*Vera causa illius modi loquendi.*

*Alia ratio qua duo tantum Prædicamēta accidentium quæ inhæreant, colligantur.*

Alia ratio desumi potest ex Aristotele primo Physic. cap. 2. cur duo tantùm sint Prædicamenta absolutorum accidentium inhærentium in substantia: quia vel possunt dimidi (subaudi per se, & in partes extensionis) aut diuidi hoc pacto nequeunt, si possunt, sunt quantitates: si nequeunt sunt qualitates, in qua ratione nulla fit mentio materiæ aut formæ.

*Cur passio dicatur extrinseca.*

*Responsio quorundam.*

*Reiicitur.*

Si quis etiam quærat qua ratione passio dicatur extrinsecus denominare substantiam, quæ patitur, cùm omnis passio videatur inesse in re, quæ patitur, idque sæpè non Aristoteles modo [b], sed reliqui etiam philosophi asserant, sunt [c] qui respondeant causam esse, quia definitio passionis includit aliquid extrinsecum patienti, principium inquam actiuum, à quo passio proficiscitur, & sine quo illa quatenus passio est, explicari non potest. Verùm hæc responsio parum habet momenti, quia si hoc est satis, vt passio dicatur extrinsecus denominare, virtutes etiam, vitia, scientiæ, artes, & omnes omnino qualitates, ac relationes quæ definiuntur per aliquid extrinsecum iis rebus, quibus insunt, dicentur extrinsecus denominare: quod nemo dixerit. Respondendum igitur hanc esse rationem, quia nihil repugnat passioni, quatenus passio est, non verè inhærere rei quæ patitur: nam cùm quis mouetur loco, aut induitur, aut vinculis ligatur, patitur ille quidem, & aliquid recipit quasi formam, sed tamen nec locus, quem ingreditur, nec vestis quam induit, nec vincula quibus ligatur, verè in eo hærent, sed quasi inhærent, cùm igitur passio, quatenus passio est non sibi vendicet, quod verè inhæreat: meritò in iis quæ extrinsecus afficiunt ac denominant, numerata est. Ea enim quæ ad quatuor prima prædicamenta pertinēt, necessariò inhærent in re quam afficiunt ac denominant. Ita patet decem esse Prædicamenta, non plura, nec pauciora.

*Vera dubitationis explicatio.*

*Solutio*

*Solutio argumentorum, quibus suadebatur plura esse prædicamenta.*

## SECTIO IV.

*Etsi omnia de quibus disputari potest, ad prædicamenta spectent, nõ omnia in eis per se poni.*

PRimum igitur illud, quo concludi videbatur plura esse, quàm decem, hoc pacto dissoluendum. Pertinere quidem modo aliquo ad prædicamenta ea omnia, de quibus disputari potest, & ea de caussa meritò dixisse Aristotelem posse in prædicamentis reperiri omnia prædicata Dialectica, verùm non omnia ita pertinere, vt in eis per se ponantur: per se enim sola entia realia finita, completa, vniuoca, & incomplexa, in prædicamentis ponuntur: cætera verò, quia sunt eorum vel imitationes, vel partes, vel principia, vel aggregationes, vt patebit inferius, vbi per singula eorum, quæ in argumento proposita sunt discurrendum est.

*Soluuntur argumenta posita in prima sectione.*

*Cur caussæ formalis & materialis nullum detur prædicamentum.*

Ad secundum, missis quorundam aliorum responsionibus, quæ non videntur satisfacere, dicendum est, ea de caussa nullum dari prædicamentum caussæ formalis, vt datur efficientis, & alicuius materialis, quia prædicamentorum diuersitas ab iis attributis sumitur, quæ de primis substantiis prædicari possunt, vt paulò ante dictum est: satis autem constat primas substantias non posse dici caussas formales quemadmodum dicuntur efficientes, & eo pacto materiales, quo subiectum per se subsistens dicitur materialis caussa eius actionis, quam patitur ac recipit. Neque enim primæ substantiæ vllam materiam informant, nisi dicere quis velit quodammodo informare, nempe quatenus extrinsecus circundant, quo pacto ex quibusdam primis substantiis sumitur prædicamentum habitus siue habendi. Iccirco autem non est constitutum prædicamentum caussæ finalis, quia modus essendi finalis caussæ dum caussat, non est realis, vt in cæteris caussis, sed rationis: caussat enim dum concipitur, non autem cùm iam obtenta est.

*D. Thom. hic & 3. Physic. corum.*

*Neque finalis.*

*Effectorum quodnam prædicamentum, vel quæ assignari debeant.*

Ad tertium illud contra obiici posset: si iuxta numerum prædicamentorum, in quibus ponuntur caussæ vt caussę sunt, colligenda essent prædicamenta effectorum, fore, vt quemadmodum re vera duo tantùm caussarum constituta sunt, agentium nimirum, & patientium, ita duo effectorum constituere oporteret, non quatuor, quod argumentum contendebat.

Sed vt in forma respondeatur, negabit fortasse aliquis consequentiam, quòd existimet omnia effecta quatenus effecta sunt, hoc est, nec quatenus referuntur ad caussas, nec quatenus absolutè sumuntur: sed quatenus pendent à suis caussis, pertinere ad prædicamentum passionis. Pendere enim à caussis, nihil aliud est, quàm accipere ab eis esse: at accipere esse, idem videtur esse, quod pati.

Verum illud primùm obstat, quod si prædicamentum patientium est prædicamentum caussarum materialium, vt ex dictis patet, quomodo idem effectorum prædicamentum esse potest? effecta enim & caussæ, vt talia sunt, diuersa postulant prædicamenta, magisque fortasse, quàm caussa agens & patiens. Deinde obstat, quod non idem omnino est accipere esse, quod pati. Nam quod patitur, quatenus patitur,

*Non idē esse accipere esse quod pati.*



tur, necessariò habet aliquod esse: quo patitur ac sustineat id, quod patitur ac sustinet, saltem quoad informationem: id autem quod accipit esse, non necessario supponit esse aliquod, quo illud recipiatur, vt patet in iis, quæ accipiunt esse substantiale per creationem. Nam licet ea quæ accipiunt esse accidentale aut substantiale per generationem, supponant esse alicuius subiecti vel actualis scilicet, vel potentialis, quo tale esse recipiatur, non tamen ea quæ creantur. Itaque pati non est caussari & pendere in suo esse ab aliquo, sed potius caussare ac sustinere aliquod esse, saltem quoad informationem: licet in passionibus corruptiuis id muneris coniunctum sit cum detrimento aliquo subiecti actualis. Quare nec prædicamentum passionis, est prædicamentum effectus, sed caussæ patientis sustinentisque.

*Vera tertij argumenti solutio.*

Dicendum igitur est ad argumentum, non esse parem rationem in effectis, quatenus effecta sunt, vt ex illis constituantur peculiaria prædicamenta, atque in caussis, quatenus caussæ sunt. Nam etsi accidit primis substantiis in rerum natura existentibus, vt caussæ sint: non tamen illis accidit, vt sint effecta. Nihil enim repugnat quamlibet primam substantiam prædicamentalem existere, & nihil caussare, vt patet: cùm tamen repugnet aliquam earum existere, & non caussari. Quinetiam illud addendum, aut prius natura illas caussari, quàm existant, cùm per hoc quod caussantur, consequantur existentiam, aut simul natura caussari & existere. Cùm igitur hæc ita se habeant, & prędicamenta eorum, quæ accidunt primis substantiis, constitui debuerint ex iis, quæ natura posteriora sunt primis substantiis etiam existentibus (quandoquidem accidentia omnia posteriora suaptè natura esse debent substantiis etiam existentibus) potuerunt quidem prædicamenta agentium & patientium caussarum, inter prædicamenta eorum quæ accidunt primis substantiis meritò numerari: at prædicamenta effectorum, quatenus effecta sunt, non potuerunt.

*Obiectio contra solutionē.*

Vrgebit tamen aliquis hoc pacto. Etsi esse effectum non est natura posterius primis substantiis prædicamentalibus, quatenus illæ existunt, tamen esse posterius quatenus illæ abstrahunt ab existentia, quo pacto res omnes dici solent in prædicamentis collocari. Non est igitur cur in distinguendis prædicamentis prætermitti debuerint prędicamenta effectorum, cùm hoc pacto primis substantiis accidat effecta esse, quemadmodum & existere in rerum natura.

*Dilutio. Intentio eorũ qui primi prædicamenta distinxerunt.*

Huic obiectioni non aliter responderi potest, quàm ex coniectura intentionis eorum, qui primi prædicamenta distinxerunt. Etsi enim in eis distinguendis spectare potuerunt primas substantias præcisè, vt abstrahunt ab existentia, quo pacto non dubium est quin quatuor effectorum prædicamenta constitui potuissent, cùm quatuor modis accidat primis substantiis esse actu realia effecta: tamen quia huiusmodi prædicamenta non fecerunt, perspicuum est illos in ea distinctione non eas spectasse: nisi vt existentes in rerum natura; non quod alia ratione non ponantur in suo prædicamento (ponuntur enim etiam quatenus abstrahuntur ab existentia) sed quia perfectius ponuntur existentes quemadmodum & perfectius sunt entia.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Quomodo ex loco & tempore, Vbi & quando constituantur.*

Ad quartum dices, prædicamenta Vbi & Quando, non constituti ex loco & tempore presse acceptis, quo pacto Aristoteles loco citato negat substantiis separatis locum & tempus, sed latè ac fusè, nempe sumptis pro esse alicubi quocunque modo id contingat, & pro esse in quacunque durationis mensura: de qua re suo loco differendum est. 1. de cœlo ca. 9. tex. 10.

Ad quintum dico, numerum, lineam rectam, & superficiem rectam non inhærentia in rebus, quæ illis mensurantur, etsi accommodatione hominum fiunt eorum mensuræ: non esse tamen natura sua formas, nec quasi formas illarum. Alia ratio est de linea circunducta, & superficie concaua, quæ vt natura sua continent id, cui adiacent, ita eius quasi formæ haberi debent, at superficies concaua, aut est locus, si vndique ambiat, aut ad locum reuocatur, vt etiam linea circunducta.

*Exponitur dictum Aristotelis ex ca. 20. huius libri.*

*Caussa cur ex homine & veste duo prædicamenta non fiant.*

*Forma vulgaris impropria.*

Ad sextum respondebis, ea ratione dictum esse ab Aristotele habitum esse medium quid inter eum qui habet vestem, & vestem quæ habetur, perinde ac motus est medius inter id, quod agit & id quod patitur: quia vt agens & patiens denominantur à motu: ita à circumpositione vestis, & homo dicitur habere vestem, & vestis dicitur haberi ab homine. Sed cur ex iis non fiunt duo prædicamenta, hæc caussa est, quia etsi vestis est quasi forma hominis, homo tamen nec est forma, nec quasi forma vestis, nisi modo illo populari: quo pedes lignei dici solent formæ calceorum: quod genus formarum improprium est, nec à Philosophis curatur. Eadem ratione dices nec ex actiua continentia loci, siue simpliciter siue tali modo circumpositi: neque item ex actiua continentia temporis constitui prædicamenta locantis, aut situantis, aut vt sic dicam temporantis: quia neque in re locata aut sita, est aliquid, quod sit forma aut quasi forma continentis, siue simpliciter & absolutè sumpti, siue certo modo circumpositi: quemadmodum in patiente est motus, quem Philosophi meritò dicunt actum & quasi formam agentis: neque item in re tempori subiecta aliquid cernimus, quod dicere possimus quasi formam cœlestis motus, hæc inferiora mensurantis: qua solutione multa alia argumenta, quæ plura prædicamenta esse suadent, dissolui possunt.

*Substantiam non esse quid analogum vt primum prædicamentum constituit.*

Ad postremum dicendum est, etsi Aristoteles in hoc lib. explicat substantiam, vt analogum quippiam, non tamen inde sequi illam, vt constituit primum prædicamentum, seu (quod idem est) vt est membrum diuidens eius diuisionis, quæ in hoc capite affertur, esse aliquid analogum: latius enim sumitur substantiæ vocabulum, cùm seorsum in hoc lib. de substantia differitur, quàm cùm ens in eam hoc cap. vt in primum genus entium diuiditur, quod idem dicendum est de reliquis. Eodem modo diximus lib. 4. *a* latius sumptum fuisse ens cap. 2. in quo eius analogia explicata est, quàm 1. cap. in quo fuit subiectum huius scientiæ constitutum. *a* In cap. 2. tex. 2.

*Solutio*



*Solutio eorum, quibus contendebatur pauciora esse quàm decem.*

## SECTIO IV.

*Ad argumenta posita in secunda sectione respondetur.*

PRimum vero argumentum eorum, quæ pauciora prædicamenta quàm decem esse suadebant, hoc pacto soluendum. Etsi ratio illa, qua Aristoteles in loco citato probauit ens non esse genus, non concludit in ente completo (id enim rectè dicitur in argumento) alias tamen rationes adductas esse libro quarto, quæ in ens completum valeant: cuiusmodi est illa, quod accidens non solum quatenus accidens, sed etiam quatenus ens, definiatur per subsstantiam tanquam minus principale membrum analogi per magis principale, veluti sanum, vt dicitur de potione, per sanum, vt dicitur de animali. Hæc enim ratio eandem vim habet sumpto entis nomine pro completo, atque pro communi completis, & incompletis. Illa etiam, quia dari non possit natura vsque adeo abstracta, vt non sit formaliter vel ens per se, vel ens in alio, ac proinde vel subsstantia, vel accidens, æque valet sumpto entis vocabulo pro ente completo, atque pro ente in commune. Patet igitur ex libro superiori, ens completum genus esse non posse: potest tamen id ex ratione entis completi hunc in modum probari. Ens completum est analogum respectu completorum simpliciter, & secundum quid, vt inferius hoc ipso cap. patebit: igitur non potest esse genus. Quod siquis dicat ens completum esse genus respectu omnium completorum, non tamen ratione ipsius, vt ita dicam completionis, sed ratione naturæ completioni subiectæ, iam dabitur aliqua natura, quæ sit genus respectu superiorum & inferiorum: quandoquidem completa simpliciter sunt indiuidua: completa autem secundum quid, sunt genera & species illorum: vt patebit eodem loco: at nihil potest esse genus superiorum omnium & inferiorum, quia superiora & inferiora non conueniunt in aliquo communi genere, cùm inter se non differant specie: immo nec numero. Præterea si ens completum ratione aliqua esset genus omnium completorum, (dicat enim fortasse aliquis ea ratione esse genus, quia detur aliqua natura vniuoca, quæ sit communis omnibus aliis completis, quamuis ipsa sit vnum quoddam ex completis) pari ratione, immo forsitan potiori ens absolutum esset genus omnium absolutorum: neque enim ens absolutum minus videtur vniuocum, quàm ens completum: quauis ratione completum sumatur: at fieri non potest, vt ens absolutum sit genus omnium absolutorum: ergo nec ens completum est genus omnium completorum. Assumptio ex eo probatur, quia si ens absolutum ponatur genus omnium absolutorum, dabitur aliquod genus quod nec sit superius, nec inferius accidente, neque etiam idem quod accidens, & tamen dicatur in quæstione Quid est de plerisque accidentibus: quod fieri nullo modo potest. Id autem sequi ex eo patet, quia neque omne accidens est ens absolutum, neque omne ens absolutum est accidens, neque ens absolutum est idem quod accidens. & tamen dicitur in quæstione Quid est de omnibus accidentibus absolutis:

*Ens completum genus esse non posse probatur.*

*Ens absolutum non est genus.*

lutis: sumatur autem ens absolutum hac ratione pro eo solo quod completum est, ne quis propterea dicat illud non posse esse genus, quod dicatur secundum essentiam de omnibus differentiis absolutorum entium. Patet igitur ens completum non esse genus omnium completorum, siue illud sumatur ea ratione qua completum est, siue pro natura completioni subiecta. Ex quibus collige, ens completum non esse gradum aliquem entitatis, quæ abstrahi possit ab omnibus completis, sed completionem, esse purum quendam essendi modum analogicè conuenientem rebus completis, quemadmodum incompletio analogicè conuenit incompletis.

*Quid sit ens completum.*

*Accidens completũ cur non sit genus omnium accidentium.*

Ad secundum dicendum est, non ideo negari accidens completum esse genus omnium accidentium, quia dicatur secundum essentiam de omnibus accidentium differentiis (constat enim id falsum esse) sed quia non est vniuocum omnibus accidentibus completis: id quod vel ex eo ostenditur, quia à rebus absolutis & relatiuis non potest abstrahi gradus aliquis naturæ quæ omnibus communis sit, quandoquidem omnis naturæ, siue entitatis gradus, est absolutus, aut relatiuus. Nec obest, quod ens commune absolutis & relatiuis, immo & accidens, dicuntur absoluta. Non enim dicuntur absoluta conceptu perfecto & distincto: sed imperfecto & confuso, qui à [a] quibusdam dicitur Quid nominis, vt superiori libro [b] diximus. Nam ratione conceptus perfecti & distincti, partim sunt absoluta, partim relatiua. Ita fit vt accidens completum, non sit vniuocum omnibus accidentibus completis. Dico autem omnibus, quia nihil repugnat esse vniuocum quibusdam, vt quantitatibus, & omnino iis omnibus, quæ continentur sub aliqua specie aut genere, quod idem de ente superiori libro [c] diximus. Ad id autem, quod in eodem argumento adiectum est, quot modis dicitur vnum oppositorum, tot dici reliquum: dicendum est, id quidem verum esse: cæterum substantiam & accidens non esse opposita contradicentia, quod contendebat argumentum, quia substantia non est mera negatio essendi in subiecto, sed entitas quædam, quæ per eam negationem explicatur.

a *Caieta. in opus. de conceptu entis. Et Ferra. 1. contra Gent. cap. 34.*

b *Cap. 2. q. 2. sect. 3.*

c *Cap. 2. q. 1. sect. 5.*

*Substantia & accidens non sunt opposita contradictorie.*

Ad tertium dices, actionem & passionem non esse simpliciter motum, sed motum, vt infertur, & vt recipitur, qui etsi sunt eadem res, tamen rationibus distinguuntur. Qua autem ratione distinguantur, quæstione sequenti patebit.

Ad quartum: quod quidem attinet ad locum & tempus, respondebis, etsi illa simpliciter ad quantitatem spectant: nihilominus quatenus sunt quasi formæ externæ, pertinere ad prædicamenta Vbi & Quando: quod vero attinet ad indumenta, dici potest indumenta poni in prædicamento habendi, non ratione substantiæ ac figuræ simul, sed ratione solius substantiæ circompositæ, seu habentis se more formæ cuiusdam. Ponuntur enim in eo prædicamento ea, quibus ars in hominibus suppleuit ea, quæ aliis animalibus ad constitutionem substantiæ natura contulit: quæ quidem sunt indumenta, & arma, & ornamenta. Nihil autem repugnat quominus indumenta, & arma, ornamentáque ex parte substantiæ sint entia per se, vt si quis pelle vna continuata

*Quæ ratione indumẽta in prædicamento habendi ponantur.*



tinuata induatur, aut pluma ornetur, aut casside contegatur. Verùm, quia ista quatenus talia sunt, includunt etiam figuram ab arte introductam, nec inuenta sunt ab arte ad supplendas tantùm partes substantiæ, sed etiam figuras earum, & pœnè omnia sunt entia per accidens (sunt enim ferè coagmentata ex multis non facientibus vnum per se) potius dicendum videtur. Prædicamentum habendi, magis accommodatè ad popularem sensum, quàm ad Philosophicam consideratione, in prædicamentorum numero censeri.

*Prædicamentum habendi ex populari sensu indultum.*

Ad quintum, fatebitur quidem aliquis, acquisitionem huiusmodi situum per motum circularem, nihil aliud esse, quàm quod partes mobilis subeant alias atque alias partes loci: Verùm dicet, huiusmodi acquisitionem, in qua motus circularis consistit, non pertinere ad prædicamentum Vbi, sed ad prædicamentum Situs, alioqui quandocunque mutaretur situs, mutaretur locus, quod apertè falsum est: id autem, quod dici solet, omnem motum localem reduci ad prædicamentum Vbi, de eo solo motu intelligendum esse, quo tenditur à contrario in contrarium, cuiusmodi non est circularis. Sed obstat huic responsioni id quod Aristoteles planè affirmat in Physicis, [a] omnes motus locales esse vnum genere. Obstat & hæc ratio, Quia vt partes loci, quæ subeuntur, reuocantur ad prædicamentum Vbi, ita & motus ad alias atque alias loci partes: ad idem prædicamentum reduci debent. Potius ergo dicendum videtur prædicamentum Situs, etsi populari sensu est distinctum à cæteris prædicamentis, quemadmodum diximus de prædicamento Habere: tamen si res ad Philosophorum normam exigatur, non esse reuera distinctum à prædicamento Vbi. Nam situm esse, nihil est aliud, quàm esse hoc vel illo modo in loco: esse autem hoc vel illo modo in hoc prædicamento, non est esse in alio prædicamento, quemadmodum esse hoc vel illo modo quale, non est esse extra prædicamentum qualitatis. Quocirca considerandum est, quemadmodum nihil est album, nisi secundum aliquem gradum perfectionémve gradualem albedinis, etsi album nullam dicat determinatè ac definitè: ita nihil esse in loco, nisi secundum aliquem situm positionémve in loco (qui quidem semper vt immobilis recipiendus est, ac fixus) etsi esse in loco seu locatum esse nullam positionem sitúmve determinatè dicat. Quare vt motus ad alium atque alium gradum eiusdem qualitatis reuocatur ad prædicamentum qualitatis: ita motus ad alium atque alium situm in eodem loco reuocabitur ad prædicamentum Vbi. Et forsitan hac de causa Aristoteles in hoc capite cum prædicamenta enumerat, non meminit prædicamentorum Situs, & habendi. Atque hæc de prædicamentorum numero: nunc quo pacto illa inter se distincta sint disputandum.

a 5. *Physi. ca. 4. tex. 31.*

*Germanæ argumenti explicatio.*

*Prædicamentum situs non distingui reuera à prædicamento Vbi.*

# QVA RATIONE PRAEDICAMENTA INTER SE DISTINGVANTVR.

## QVÆSTIO III.

*Tres quædam sententiæ de prædicamentorum distinctione.*

### SECTIO I.

*Prima sententia. Primum argumentum.*

SVNT qui existiment prædicamenta omnia distingui realiter inter se. Primùm hac ratione, ens reale & res, idem sunt vt patet ex superiori libro: ergo quandocunque ens reale diuiditur in distincta entia, res quoque diuiditur in distinctas res: ens autem reale, cùm diuiditur in decem prædicamenta diuiditur in distincta entia: ergo & in res distinctas. *Paulus Venetus lib. suæ Met. cap. 31. & alij.*

Deinde, quia genera summa, sunt primò diuersa vt Aristoteles docet 2 8. lib. huius operis capite vltimo: quæ autem sunt primò diuersa, non sunt idem realiter. Ea enim, quæ sunt primò diuersa, in nullo conueniunt: quæ autem sunt idem realiter, conueniunt in eadem re. *Tex. 16.*

Postremo, quia prædicamenta non permiscentur, vt idem docet 3 Aristoteles primo Posteriorum cap. 11. permiscerentur autem si eadem res ad diuersa prædicamenta pertineret. *Tex. 31.*

*Secunda sententia. Argumentum.*

Alij dicunt non esse opus, vt prædicamenta distinguantur realiter, siquidem actio & passio sunt idem re (vt Aristoteles 3. [a] Physic. libro docet) sed tamen [b] necesse esse vt distinguantur formaliter, seu per diuersas essentias entitatésve. Id quod primum ex eo suadent, quia prædicamenta resultant ex distinctione entis: distincto autem ente, necesse est vt distinguantur entitates, quippe cùm ens ab entitate habeat vt sit ac dicatur ens. 1

Deinde, quia diuersorum generum, & non subalternatim positorum 2 (cuiusmodi sunt genera omnia, quæ in diuersis prædicamentis ponuntur) diuersæ sunt differentiæ, vt Aristoteles docet in prædicamentis: quorum autem diuersa sunt genera & differentiæ, diuersæ quoque sunt definitiones, ac proinde essentiæ, igitur omnia quæ in diuersis Prædicamentis ponuntur differunt essentia, atque adeo formaliter.

Tertio, quia si distinctio modorum essendi satis esset ad distin- 3 ctionem prædicamentorum, multò plura prædicamenta, quàm decem constituenda forent. Vnumquodque enim ex decem vulgatis prædicamentis distinguendum esset in duo, vtpote in prædicamentum abstractorum, & concretorum: siquidem alius est modus essendi abstractorum alius concretorum, vt humanitatis & hominis, candoris & candidi: alia etiam prædicamenta constituta essent ex iis quæ sunt actu, alia ex iis, quæ sunt potentia, alia item ex iis quæ necessario insunt, alia ex iis quæ contingenter, alia insuper ex aliis atque aliis modis essendi, qui sunt propè infiniti, si ergo retinenda est tradita diuisio in decem prædicamenta, non est aserendum satis, esse distinctionem modorum

*Recentiores quidam.*
a *Cap. 3. tex. 19.*
b *Ita videtur sentire Ioã. de Gan. 3. lib Physi. q. 5. ad sextum. In Anteprædicament. ca. 4 & 1. Topic. cap. 13.*

c *Ita D. Th. 11. Met. c. de Motu lect. 9. Capr. in 1. d. 8. q. 2. ad 18. Vide Okam in 1. d. 24. q. 2. ad primum pro prima opinione & d. 30. q. 3. & quol. 5. q. 22.*



modorum ad Prædicamentorum distinctionem, sed necessariam esse omnino distinctionem formalem.

Quarto, quia si res diuersorum Prædicamentorum conuenirent 4 in aliqua eadem entitate, iam conuenirent vniuocè atque adeo in aliquo eodem genere, quod implicat contradictionem: ideo enim Prædicamenta diuersa sunt, quia in nullo eodem genere conueniunt.

Quinto, quia modi essendi sunt suapte natura posteriores iis en- 5 tibus, quorum sunt modi: quò fit vt genera summa, prius natura sint distincta inter se se, quam accedat distinctio per modos.

Postremo, quia si genera summa prædicamentorum distinguerentur per modos essendi, ex iisdem constituta essent: at summa genera constitui non possunt ex modis essendi: tum quia modi essendi videntur posteriores iis entibus, quorum sunt modi essendi: tum etiam, quia non videntur esse formaliter entia, cum tamen entia constitui non possint ex iis, quæ non sunt formaliter entia, quemadmodum Aristoteles docet in Physicis, [b] substantiam non constitui ex non substantiis.

*Tertia sententia probatur.*

Sunt alij, [c] quibus magis placeat distingui prædicamenta per modos prædicandi: Primùm, quia prædicamenti notio, quod & prædicamenti nomen sonat, in varia prædicandi ratione consistit, vnde factum esse dicunt, vt Aristoteles hoc pacto ex figuris prædicationum, præ- 1. dicamentorum numerum collegerit.

Secundo, quia Prædicamentorum distinctio pendet ab operatione intellectus, distinguentis & ordinãtis ea, quæ in rebus confusa sunt: hæc autem non alia ratione videtur facere intellectus, nisi distinguendo ea, quæ prædicantur in quæstione Quid est de primis substantiis, ab iis, quæ de eisdem aliis modis prædicantur. 2.

Tertio, quia actio & passio non distinguuntur in primis re ipsa 3. vt Aristoteles d aiit: deinde non distinguuntur formaliter, cum sint omnino idem formaliter quod motus, nisi quod actio connotat relationem agentis ad patiens, passio verò relationem patientis ad agens.

Nec videntur distingui per varios modos esendi: siquidem vnius & eiusdem rei præsertim habentis vnam tantùm entitatem siue formalitatem, vnus tantum videtur modus esendi. Cùm ergo nulla ratio alia distinctionis reliqua sit per quam distingui possint, quàm per varios modos prædicandi de prima substantia, concludunt actionem & passionem non aliter distinguendas esse, quàm per alium atque alium modum prædicandi: quare eandem distinguendi rationem accommodandam esse cæteris Prædicamentis, vt omnium distinctio inter se, ex vna & eadem generali diuisione constet.

*Vera explicatio quæstionis.*

### SECTIO II.

*Prima conclusio prædicamenta non distingui realiter.*

QVid tamen in hac quæstione dicendum sit, quatuor conclusionibus explicandum est. Prima conclusio e Non est necesse vt prædicamenta distinguantur realiter. Hæc ex dictis patet: actio enim & passio, & pleráque alia, quæ in diuersis Prædicamentis ponuntur nõ distinguuntur

stinguuntur realiter: accedit quod Aristot. [b] in Prædicamentis planè docet nihil esse incommodi, si vnum & idem diuersis in prædicamentis collocetur, quod saltem de vno & eodem, re ipsa necessariò intelligendum est. Nec refert, quod Pronunciatum hoc iis rebus accommodatum est eo loco ab Aristotele, quæ non reuera, sed specie tenus ponuntur in diuersis Prædicamentis: in eo enim sensu propositum est, ac si illæ re vera, & non potius ex vulgari sensu, in diuersis prædicamentis ponerentur. Dixi autem non esse necesse, quia saltem substantia, quantitas, & maxima ex parte qualitas, distinguuntur realiter inter sese.

[b] *Cap. de Quantitate.*

*Secunda non distingui formaliter.*

Secunda conclusio. Non est etiam necesse, vt prædicamenta distinguantur formaliter. Hæc conclusio ex eo probatur, quia etsi substantia, quantitas, qualitas & relatio distinguuntur formaliter, atque adeo essentialiter: tamen actio & passio sunt vna & eadem essentia motus, nec vlla entitas eis conuenit, quæ ad essentiam vtriusque non pertineat, vt inferius perspicuum fiet, locus item, à quo prædicamentum Vbi constituitur, non aliam habet entitatem, quàm superficiei, nisi quod alia quædam connotat extrinsecus, vt infra patebit, vbi idem de reliquis tribus prædicamentis ostendetur.

*Tertia distinguuntur modis essendi.*

Tertia Conclusio. [c] Prædicamenta omnia distinguuntur per modos essendi & prædicandi, sed prius natura per modos essendi, quàm prædicandi. Hæc etiam ex dictis colligi potest: Prædicamenta enim aut distinguuntur realiter, aut formaliter, aut per modos essendi, vel prædicandi: neque alia ratio distinctionis relinquitur, quæ in hac re locum habeat, Nam quod quidam [d] dicunt, ea distingui per modos intelligendi, eodem redit cum sententia eorum quibus placet, ea distingui per modos, prædicandi.

[c] *Ita D. Tho. 5. Met. lect. 9. Et 3. Phys. lect. 5. Et de Verit. q. 1. artic. 1. addito eo quod docet 11. Met. lect. 9. c. de Motu ad finē. Ferrar. 3. Phys. q. 5 ibid. in Addit. Matthias Aquarius Chryso. Iauellus 5. Meta. q. 6. Accedit Hēr. de Gand. in Summæ art. 32. q. 5. d. Vide Scot. q. 13.*

*Quarta hæc distinguuntur modis essendi in primis substantiis.*

Quarta conclusio. Prædicamenta non distinguuntur per quosuis modos essendi & prædicandi, sed per modos essendi & prædicandi in primis, ac de primis substantiis. Hęc conclusio ex eo patet, quia cùm attributorum distinctio ex vario modo respiciendi subiecta sumenda sit, primæ autem substantiæ sunt prima subiecta, & quasi fundamenta, quibus attributa omnia, quæ in prædicamentis locum habent innituntur, respectu illarum sumenda est eorum distinctio: atque hac de causa collectus est in superiori quæstione ex decem modis essendi ac prædicandi denarius prædicamentorum numerus.

*Obiectio.*

Quòd si quis obiiciat, continuitatem motus, & tempus item, quæ sunt species quædam quantitatis continuæ, non extendere primam vllam substantiam, sed motum illius: respondendum est non esse necesse, vt omnis modus essendi accidentis sumatur ex eo, quod accidens sic vel sic immeditatè efficit primas substantias, sed ex eo, quod siue immediatè siue mediatè, sic vel sic afficit: itaque continuitas motus & tempus extendunt primas substantias. quatenus mouentur.

*Dilutio.*

*Altera obiecto*

Siquis etiam opponat plurima esse accidentiea prædicamentalia, quæ non prædicantur de primis substantiis, vt est relatio vnionis materiæ ad formam, & formæ ad materiam, itémque actio animæ extra corpus, quæ nec concretè quidem de primis substantiis dicuntur, hoc modo



modo occurrendum. Etsi distinctio prædicamentorum sumitur ex modis essendi in primis substantiis, de eisque prædicandi, nihil tamen prohibere, quominus aliqua accidentia, quæ de primis substantiis dici nequeunt, conueniant in genere aliquo prædicamentali cum iis, quæ de primis substantiis prædicari possunt, cuiusmodi sunt relationes inter materiam & formam, & actiones animæ extra corpus: quarum illæ ad prædicamentum Ad aliquid, hæ ad prædicamentum actionis, quemadmodum & relationes & actiones primarum substantiarum spectant. *Soluitur.*

*Solutio argumentorum, quibus tres oppositæ sententiæ innituntur.*

## SECTIO III.

*Ad argumenta probantia in prædicamentis requiri realem distinctionem.*

AD primum igitur argumentum primæ sententiæ dicendum est, ens reale & rem, idem esse: nisi quod nomen entis, quia participium est, sæpe sumitur impropriè pro entitate: nomen autem rei, quia est substantiuum, nunquam apud eos, qui eandem quam nos sententiam sequuntur, consueuit accipi pro realitate siue entitate, vt 4. libro dixi- mus. [a] Cùm autem obiicitur ens reale, cùm distribuitur in decem Prædicamenta, diuidi entia, negandum est verum id esse vniuersè. Actio enim & passio ne impropriè quidem dicenda sunt, distincta entia, id est, diuersæ entitates: sed vnum & idem ens, vnáque entitas habens duos modos essendi: quod idem de aliis plerisque sentiendum.

[a] *Cap. 2. q. 5. sect. 2.*

*Actio & passio non sunt distincta entia.*

*Genera summa vt dicantur primo diuersa.*

Ad secundum dicendum, pronunciatum illud (quod Arist. potius innuit, quàm apertè tradit) Genera summa esse primò diuersa, intelligendum esse in iis, quæ differunt formaliter, nempe in solis quattuor primis, hæc enim sola sunt diuersa entia: nulla autem entia possunt esse primò diuersa, nisi quæ sunt diuersa. Neque obstat, quod relatio conuenit realiter cum tribus prioribus prædicamentis: conuenientia enim realis, non efficit quò minus aliqua sint primò diuersa, sed sola conuenientia formalis. Quod si diuersitas in eo pronunciato sumatur pro distinctione, vt sit sensus, Genera summa esse primò distincta, concedi poterit pronunciatum vniuersè: omnia enim summa genera dici possunt primò distincta eo pacto, quo sunt distincta, quæ enim sunt distincta formaliter sunt primo distincta formaliter: quæ autem sunt distincta per modos essendi tantùm, sunt primò distincta per modos essendi, hoc est, distinguuntur per modos essendi non conuenientes vniuocè in aliquo eodem superiori essendi modo.

Ad tertium dicendum, non permisceri prædicamenta, nisi eadem res eodem modo ponatur in diuersis Prædicamentis, quod certè à nobis non fit.

*Soluuntur argumenta secundæ opinionis suadentia formalem distinctionem.*

Ad primum verò secundæ sententiæ, respondendum. Prædicamenta etsi resultent ex distinctione entis, non tamen omnia resultare ex distinctione entis in diuersa entia, vt ex dictis patet. Ad secundum dicito, Pronunciatum Aristotelis intelligendum esse in iis, quæ sunt diuersa entia, saltem formaliter. Quocirca animaduertendum est genera & differentias

differentias eorum, quæ ad sex vltima Prædicamenta pertinent, non esse propriè genera ac differentias, & quæ veras species ac definitiones constituant: cùm non sumantur ex distinctione entis per veras entitates, sed per puros essendi modos. Cæterùm propter similitudinem quam habent cum veris generibus & differentiis, merito pro iis quæ verè ac propriè talia dicuntur, vsurpari. Quod si quis obiiciat conditiones illas, quæ suprà pro iis quæ per se ponuntur in Prædicamentis traditæ sunt, in his etiam Prædicamentis reperiri: quare non esse cut eorum genera & species à vera ratione generum, & specierum excludantur: respondendum est, eas conditiones simpliciter & absolutè iis solis conuenire, quæ ad quattuor prima Prædicamenta pertinent. Primùm, quia genera & species vltimorum sex admittũt in sua quasi compositione modos essendi, qui non constituunt aliquam veram entitatem, nisi similitudine quadam. Deinde, quia non omnino excludunt compositionem per accidens ex rebus diuersorum Prædicamẽtorum: immo & ex iis, quæ non habent per se locum in Prædicamentis, vt patebit in progressu. Quo [a] fit, vt non omnino absque causſa dictum sit à grauissimis Auctoribus, sola quattuor prima Prædicamenta esse propriè Prædicamenta: sex verò vltima esse quasdam quattuor primorum inter se complicationes: atque ea de causſa Aristotelem eorum genera & species perfunctoriè distinxisse.

*Obiectio*

*Solutio.*

*Conditiones prædicamentales ad quattuor prima simpliciter pertinere.*

*Sola quatuor prima prædicamenta esse propriè talia.*

[a] *Ammon. in prædic. ca. de actione. Et passim Auic. li. 2. suæ suf. c. 2. Al. Ma. 5. Met. tra. 5. c. 1. & 9. Me. tract. 1. ca. 3.*

Ad tertium dicendum, non quosuis modos essendi in primis substantiis satis esse ad distinguenda Prædicamenta, sed eos tantùm, qui certam aliquam vniuocámq; entis rationeu secum afferunt, cuiusmodi est modus essendi essentialiter in primis substantiis, itémque modus essendi in illis ratione materiæ, & ratione formæ, & in ordine ad aliud. Primus enim affert secum rationem substantiæ, secundus quantitatis, tertius qualitatis, quartus relationis, quæ sunt vniuocæ rationes entiũ. Vnde vel hac ratione excludi possunt à sincera Prædicamentorum ratione actio & passio, atque alia forsitan ex sex vltimis: quod motus, qui est entitas actionis & passionis, non habeat certam & vniuocam entitatis rationem nisi per accidens, vtpote per relationem agentis aut patientis adiunctam: si quidem vt motus est, non in vno tantùm, sed in pluribus generibus cernitur. Sed nec modi essendi concretè & abstractè, actu & potentia, necessario & contingenter, afferunt secum certam entitatis rationem, cùm in diuersis rerum generibus reperiantur.

*Ita Alex. 11. Met. in ca. 8.*

Ad quartum dicendum est: non omnem conuenientiam in natura aliqua, esse conuenientiam vniuocam, sed solam conuenientiam in natura, quæ sit distincta per differentias in rebus conuenientibus. Cum autem dicimus res diuersorum Prędicamentorum conuenire in eadem entitate seu natura, vt actionem & passionem in natura motus, non ita id intelligimus, quasi credamus naturam, in qua huiusmodi res conueniunt, differre in illis per differentias, sed ita potius, vt asseramus eam entitatem esse vnam prorsus & eamdem in illis, nec aliter in eis distingui, quàm per puros essendi modos.

*Genera summa sex vltimorum prædicamentorum vt se habeãt.*

Ad quintum dicendum est: quod quidem attinet ad genera summa vltimor



vltimorum sex Prædicamentorum, modos essendi, quibus illa distinguuntur, etsi sunt posteriores entitatibus illorum absolutè sumptis, tamen non esse posteriores illis, vt inter se distinguuntur: quod perspicuum est, cùm solis essendi modis distinguantur, iisque finceris & puris, vt diximus. Quod autem attinet ad quantitatem, qualitatem, & relationem ex dictis patet, modos essendi quibus hæc genera distinguuntur, non esse illis posteriores, cùm nullo pacto distinguantur ex natura rei ab illorum essentiis: quod etiam ex dictis patet: dummodo esse in primis substantiis non sumatur secundum actum, sed secundum aptitudinem: non tamen negatiuè sumptam, quæ dicitur non repugnantia sed positiuè, in qua negatiua fundatur. Quod verò attinet ad substantiam, distinctione opus est: nam si esse substantiæ in primis substantiis, sumatur pro inesse illis, quo pacto superiora sunt in inferioribus, perspicuum est, talem modum essendi esse suaptè natura posteriorem substantia. Quod idem dicendum in quantitate, qualitate, & relatione: accidit enim superioribus inesse inferioribus: quo fit, vt substantia non distinguatur primo per hunc essendi modum à cæteris Prædicamentis. Si vero sumatur pro esse, quod substantia exercet in primis substantiis, hoc est, pro esse suaptè natura sine subiecto inhæsionis, dicendum est, talem modum non esse suapte natura posteriorem substantia, sed ipsam eius essentiam, vt supra diximus. Nec enim loquimur de negatione essendi in subiecto inhæsionis, sed de modo essendi, in quo ea negatio fundatur, qui ex natura rei nullo pacto distinguitur ab entitate substantiæ.

*Modus essendi substantiæ expenditur.*

Ad sextum, quicquid de assumptione dicendum sit, neganda est propositio: quia prima quattuor Prædicamenta, ita distinguuntur per modos essendi, vt ex illis non propriè constituantur, sed sint illi ipsi.

Ad primum denique tertiæ sententiæ dicito, in plerisque rebus fieri solere denominationem ab eo, quod posterius est, Aristotelémque in hoc capite non collegisse numerum à priori, sed à posteriori.

*Argumenta tertiæ sententiæ distinguenda.*

Ad secundum respondebis, duplicem distinctionem esse necessariam ad cognitionem Prædicamentorum, alteram, qua alia ab aliis distinguantur: alteram, qua inferiora à superioribus. Quanquam vero posterior distinctio nihil ad hanc disputationem attinet, quia tamen in eam incidit sermo, dicendum est, ferè omnes D. Thomæ sectatores eam facere pendentem ab operatione intellectus. [a] At cum naturæ generum & differentiarum planè distinguantur inter se præcisa omni operatione intellectus, vt naturæ potẽtiales ab actualibus: perspicuum est, distinctionem ac ordinem generum deorsum versus, & constitutionem specierum, quæ quodque Prædicamentum conficiunt, cum per differentias fiant, non fieri operatione intellectus, sed potiùs in rebus ipsis inueniri.

*Prædicamenta per modos prædicandi.*

*Quomodo superiora ab inferioribus distinguantur.*

[a] *Heru. quol. 1. q. 9. Capr. in 1. d. 8. q. 2. art. 3. q. 5. & alij.*

Quod vero attinet ad priorem distinctionem, de qua disputatio instituta est, sunt etiam plerique [b] ex D. Thomæ Schola, qui credant, eam in quibusdam generibus pendere ab operatione intellectus, vt in actione & passione, & in omnibus omnino, quæ non distinguuntur per diuersas essentias, siue entitates. Cùm enim credant vnius entita-

[b] *Vide Heru. quol. 1. q. 9. Chrys. Iauel. 25. Meta. q. 6. Fer. 3. ph. q. 5.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



tis vnum tantùm esse essendi modum, vt tertio argumento obiectum est: alij [a] colligunt non omnia Prædicamenta distingui per modos essendi, sed per modos prædicandi: alij [b] quia vident diuersos prædicandi modos necesario poscere aliquam diuersitatem modorum essendi, potius dicendum existimant, ea Prædicamenta distingui virtute per modos essendi, nempe quatenus idem modus essendi aptus est, vt aliter atque aliter concipiatur.

a *Pau. Sonc. in 5. Meta. q. 13.*
b *Ferrar. 3. Phy. q. 5. & Chrysost. Iauel. 5. Meta. q. 16.*

*Eandem entitatem habere posse plures essendi modos.*

Neutra tamen opinio probanda est. Neque enim est dubium, quin eadem entitas plures habere possit puros essendi modos præcisa omni operatione intellectus: nisi quis negare audeat Deum Opt. Max. alium modum essendi habere in se, & alium in nobis, & omnia effecta aliter esse in suis causis, aliter in se ipsis absque vlla intellectus operatione. Itaque certum est, motum alio modo esse in mouente, nempe vt actum quo mouens mouet, alio vero in re quæ mouetur vt actum videlicet, quo illa mouetur, & superficiem concauam corporis continentis locatum, aliter in locante, aliter in locato esse etsi, nullus intellectus motum aut superficiem apprehendat. Nec certè ista confusa sunt in rebus, vt sit opus intellectu ea ordinante ac disponente, sed plane distincta, & alia aliis naturæ ordine priora. Atque hinc patet tertij argumenti solutio.

## *NVM SOLA ENTIA HABEANT PER SE LOCVM IN PRAEDICAMENTIS.*

## QVÆSTIO IV.

*Explicatio quæstionis.*

### SECTIO I.

*Affirmantem partem esse Aristotelis.*

QVAESTIO hæc, cuius affirmatiuam partem hîc, & aliis plurimis locis amplectitur Aristoteles, facillimè explicabitur, si vel ipsa communis Prædicamenti ratio spectetur: nam si Prædicamentum est quædam ex genere aliquo supremo, & iis quæ sub ipso sunt naturalis dispositio, vt suprà dictum est, ea tantùm esse intelliguntur, in quorum essentiis genus ipsum continetur, quæ quidem sunt eius tantum species & indiuidua: planè efficitur, sola entia poni per se in Prædicamentis: non entia enim, quemadmodum essentiam nullam habent: ita & genera, eorúmve species, aut indiuidua esse non possunt. Non est tamen [a] ens hoc loco sumendum, pro eo quod actu existit, sed pro eo quod existere potest: ea enim ex quibus constat Prædicamentorum series, non includunt existentiam: quemadmodum neque eorum definitiones: quod & inductione patet, & ab Aristotele traditur capite decimo libri secundi [b] de Posteriori resolutione. At dicet aliquis: Etsi cetera non ponuntur in suis quæque Prædicamentis, quatenus existunt: ipsam tamen existentiam in aliquo peculiari Prædicamento ponendam esse, quem

3. *Phys. cap. 1. tex. 3.*

*Quæst. 1. sect. 2.*

a *Ita Alex. 5. Met. tex. 14. Hen. de Gan. quol. 1. quæst. 9.*

*Ens quo pacto hoc loco sumendum.*

*Obiectio.*

b *Tex. 9. & 10.*



quemadmodum etsi substantia non ponitur in suo Prædicamento, vt est quanta, aut qualis, aut relata, ipsam tamen quantitatem habere peculiare Prædicamentum, eodemque modo qualitatem & relationem. Attestatur autem huic rei, quod prædicamentum, Quando, nihil aliud videtur continere, quàm existentias rerum: quid enim aliud est esse nunc, aut fuisse, aut fore (quæ huius Prædicamenti species dicuntur, quàm existere, aut extitisse, aut existentiam habiturum? Quare cum existentia non sit formaliter ens, sed purus quidam & syncerus essendi modus, vt patet ex iis, quæ superius disputata sunt: planè videtur effici, non rectè dictum esse, sola entia habere per se locum in Prædicamentis.

*Vide quæ dicta sunt lib. 4. cap. 2. q. 4. sect. 4.*

*Solutio. Existentia cur in nullo Prædicamento per se ponatur.*

Huic obiectioni occurrendum est, disparem esse rationem in existentia, atque in quantitate, & relatione. Primum, quia quantitas, qualitas, & relatio cùm sint formaliter entia & genera & species habere possunt: existentia vero non item, idque eo ipso, quod non est formaliter ens. Deinde, quia si haberet genera & species, tam multa conficieuda essent prædicamenta existentiarum, quàm rerum habentium existentiam: siquidem nulla est ratio, cur existentia substantiæ magis conueniat cum existentia quantitatis, qualitatis, & cæterorum generum existentiis, quàm ipsæ eorum essentiæ. Quod si tam multa alia Prædicamenta existentiarum concedenda essent, alia etiam propè in finita admittenda essent aliorum modorum essendi, qui sunt propè infiniti. His de causis D. Thomas, Scotus, & quotquot alij sunt alicuius nominis Scholastici, qui hæc minutius tractarint, planè asserunt existentiam rerum non habere per se locum in prædicamentis, sed reuocari ad prædicamenta earum rerum, quarum sunt existentiæ. Quod autem obiiciebatur de prædicamento Quando, facile diluetur, si dicas in prædicamento Quando non poni ipsas rerum existentias, sed earum mensuras, quæ significant ipsum præsens esse, præteritum, & futurum, quicquid ista sint, de quibus suo loco disputandum.

*D. Tho. quol. 2. q. 2. ar. 1. & 1. Sent. d. 8. q. 4. ar. 2. Capr. in. d. 8. q. 1. art. 3. ad 3. & ad 3. Gerard. Caietan. de Ente & essentia cap. 5. q. 10. ad 8. Sco. in 2. d. 3. q. 3 Lichet. ibid. Henr. de Gã. quol. 1. q. 9. Dur. in 1. d. 8. q. 2. Alen. hoc cap. in tex. 14.*

*Ex Doctorũ communi sententia excludi à Prædicamentis rerum existentiam.*

*Quæ reiiciantur à Prædicamentis per hanc primam conditionem.*

### SECTIO II.

*Impossibiliæ è prædicamentis reiicintur.*

REIICIUNTUR ergo per hanc primam conditionem primum quidem impossibilia, nempe composita, seu potius conficta ex possibilibus quidem, sed quæ simul cohærere non possunt, in quorum numero sunt chimæra, hircoceruus, & alia commentitia, non tamen quatenus finguntur (sic modo aliquo sunt entia) sed secundum esse reale, quod in eis fingitur, si nullum sit, aut esse possit. Nam sola compositio ex diuersorum animalium membris (qualem, & vtrunque in monstris cernimus, & diuina virtute fatemur multo magis expressam fieri posse) non tollit quominus composita ipsa sint verè entia, & in prædicamentis locum habeant. Sunt & in hoc numero aliæ connexiones intellectuales, vt homo rationis expers, equus rationis particeps, diameter

*Monstra non esse entia fictitia: neque entia Prædicamenta.*

quadrati commensurabilis lateri, & huiusmodi alia, quæ etsi nonnunquam finguntur, aut peruersa aliqua ratiocinatione includuntur, nulla tamen re vera sunt, aut esse possunt.

*Reiici negationes siue puræ illæ sint siue priuatiuæ*

Reiiciuntur deinde negationes, siue absolutæ illæ sint, vt non ens, nonsubstantia, non homo, siue quæ subiectum aliquod supponant, quæ priuatiuæ appellantur, vt cœcitas, nuditas & similia. Nam etsi ista quatenus concipi possunt modo aliquo sunt entia, & ab Aristotele libro superiore inter significata entis numerantur, tamen, quia per se ipsę non habent vnde concipi possint, sed concipiuntur ex iis quæ negantur, non dubium esse debet quominus inter non entia ponenda sint: quod ipsum Aristoteles planè sentit primo Physic. libro capite 8. cùm ea non semel appellat per se non entia, sed hac de re plura inferius. *Cap. 2. tex. 2. Tex. 75. Quæst. 6. sect. 5.*

*Excludi existentias rerũ finitarum à Prædicamentis & cæteros essẽdi modos.*

Tertio reiiciuntur cùm omnes rerum finitarum existentiæ, quas diximus non esse formaliter entia: tum etiam cæteri omnes modi essendi, qui formaliter entia non sunt, vt esse finitum, infinitum, necessarium, contingens, completum, incompletum, & cætera id genus: sunt enim eorum plurimi, affectiones quædam & conditiones rerum, quæ per se ponuntur in Prædicamentis, non qui sint ipsi aut genera, aut species, aut indiuidua sub his contenta.

Ac quemadmodum primum illud, vt sic dicam, genus non entium impossibile est, sic duo posteriora sunt suo modo possibilia: dantur enim reuera & negationes, cùm absolutæ, tum etiam priuatiuæ, magísque ac verius ipsi modi essendi entium.

## *NVM SOLA ENTIA PER SE PONANTVR PER SE IN PRAEDICAMENTIS.*

## QVÆSTIO V.

*Quod non sola videantur poni.*

### SECTIO I.

*Pars negatiua q. probatur.*

NON solùm ea, quæ sunt entia per se, sed etiam quæ per accidens poni per se in Prædicamentis, ex eo primum videri potest, quia iuxta veriorem sententiam numerus est ens per accidens, & tamen ponitur per se, ac directo in Prædicamento quantitatis, tanquam prima species quantitatis discretæ, vel potius tanquam ipsa discreta quantitas, si oratio vera quantitas non est. *Primo.*

2. Deinde, quia scientiæ non sunt simplices habitus, sed aggregata quædam ex multis habitibus, vt patebit ad librum sextum, & tamen constanter ponuntur ab omnibus in primo qualitatis genere tanquam propriæ eius species.

3. Tertio, quia omnia ea, quæ ponuntur in vltimis sex Prædicamentis, videntur entia per accidens: constituuntur enim ex rebus præcedentium Prædicamentorum, & quibusdam, aut relationibus (vt est quorundam [a] sententia) aut modis essendi: quæ sanè cum iis, quorum sunt relationes aut essendi modi, non constituunt vllum ens per se.

[a] *Alb. Mag. lib. 5. Meta. tract. 5. cap. 1. & 9. Met. tract. 1. ca. 1. Paul. Venet. lib. Met. ca. 31. & alioru Henr de Gã. 1. par. summ. arti 37 q. 5.*

Postremò, vt alia argumenta mittantur, quia si verum est, quod Aristoteles docuit capite [b] superiori (album videlicet, duo significare, nempe &id, cui accidit, & id, quod accidit) sanè concreta accidentium, quæ, idem ponit in Prædicamentis, vt Quantum Quale, & huiusmodi alia sunt entia per accidens. Artefactorum quoque nomina non significant solas figuras, sed figuras simul & res eas, in quas figuræ inductæ sunt: quandoquidem non figuræ ipsæ fiunt, sed composita ex figuris & subiectis, nec dicimus sellam esse figuram solam, sed compositum quid ex subiecto & figura: & tamen artefacta in quarto genere qualitatis poni solent.

[b] *Text. 7. & hoc c. tex. 13.*

*Vera explicatio quæstionis & solutio argumentorum.*

### SECTIO II.

*Ita omnes Aristotelis interpretes in hoc cap. 7.*

RE tamen vera, vel ipsa communis Prædicamenti ratio satis est, vt intelligatur sola entia per se habere per se locum in Prædicamentis: entia enim per accidens, vt non sunt vnius essentiæ, sed plura continent, ex quibus essentia aliqua vna resultare non potest: ita nec possunt vera esse genera, aut species, aut his subiecta indiuidua, vt ex iis Prædicamentorum series constituantur. Hinc fit, vt meritò Aristoteles hoc capite non ipsum ens in commune, sed solum ens per se in Prædicamenta distribuerit, & libro 6. entia per accidens à consideratione primi Philosophi reiecturus sit: tametsi apertè eo loco pressius de ente per accidens sit disputaturus, de eo, inquam solo, quod contingenter, & rarò euenit. *Cap. 2. tex. 4.* *Pars affirmans quæ vera est suadetur.*

*Soluuntur argumenta partis oppositæ.*

Quare, ad duo priora partis oppositæ argumenta dicendum est, numerum & scientias totales, ceu Physicam, Geometriam, & Moralem scientiam, vt re vera non sunt entia per se (quod cap. decimotertio huius libri, & primo sequentis patebit) ita non habere per se locum in Prædicamentis, quasi vera eorum genera aut species. Sed quia se habent more generum & specierum, vtiliúsque vt talia traduntur & tractantur, iccirco numerata esse à Philosophis in speciebus quantitatis, & qualitatis. Itaque in his aliísque similibus, præceptum illud obseruandum est, vt vera sententia retenta, communem loquendi rationem sequamur: veluti cùm agitur de speciebus rerum publicarum, & aliarum particularium communitatum: quæ etsi re vera species non sunt, expeditius tamen & artificiosius vt species quædam ex suis quasi generibus colliguntur, & tanquam per proprias per se differentias explicantur.

[c] *Quæst. 7.*

Ad tertium dicito, sex vltima Prædicamenta non constitui ex rebus aliorum Prædicamentorum, & relationibus adiunctis, vt patebit ad caput 15. [c] quo pacto, si constituta essent, propriè forent entia per accidens, sed constitui ex rebus aliorum Prædicamentorum & modis

Universidad de Deusto
Biblioteca



& modis quibusdam essendi additis : ex quorum coniunctione non propriè fiunt entia per accidens,eo quod ipsa,vt ita dicam, composita non sint vtraque ex parte entia,tamen dici possunt aggregata quædam per accidens, atque hac etiam de caussa non sunt actio & passio,& quæ sequuntur vera genera, sed quasi genera. Cæterùm de hac re eodem loco accuratius. *Lege Caiet. in cap. 5. & 7. de ente & essentia.*

Ad 4. dicendum , nec concreta accidentium poni per se primò in Prædicamentis, sed abstracta, vt est quantitas, qualitas, &c. quæ nulla ratione sunt entia per accidens: necvero arte facta poni in quarta specie qualitatis nisi ratione figuræ, quo pacto non sunt entia per accidens, si subiectum figuræ sit vnum continuatum, vt discus,aut annulus.

Sed quia in significatione nominum concretorum , & eorum quæ arte conficiuntur non nihil est difficultatis , neque adhuc ex dictis patet quid sit poni per se primò in prædicamentis , de vtraque re aliquid dicendum est.

*De significatione nominis concreti.*

## SECTIO III.

*Opinio Auicennæ de concretorum significatione.*

ESt quidem Auicennæ sententia , concreta accidentium nomina præcipuè significare subiectum accidentis, minus verò præcipuè, & insinuatitiè ipsam formam accidentariam : quod sibi videtur ex eo persuasisse , quia huiusmodi nomina dicuntur de subiectis,non de ipsis formis,nec pro formis , sed pro subiectis in propositione accipiuntur. Neque enim dicimus hæc qualitas est album,sed hoc corpus , &ita in cæteris. *1. p. Logices c. de propric.*

*Refellitur.*

Sed meritò ab omnibus pæne reprehenditur. Primùm , quia nomina declarationis & distinctionis caussa imposita sunt , declaratio autē & distinctio,à forma , si non semper certè præcipuè sumuntur. Deinde quia concretum accidentis non significat subiactum , nisi quatenus affectum est accidente, vt patet in nomine albi sani, patris,& similibus:at significare hoc pacto subiectum , est præcipuè significare accidens. Tertio , quia si accidentium concreta significarent præcipuè & non potius connotatiuè subiecta , cùm album exempli caussa definitur per corpus , non definiretur per aliquid extrinsecum suæ quidditati , quod vocant additamentum : at accidentia , siue in concreto siue in abstracto sumpta , definiri per additamenta subiectorum, est communis doctrina Peripateticorum , cap. 5. lib.7. huius operis ab Aristot.tradita.Quarto,quia,aut concreta accidentium vocabula significant formaliter , & subiectum & accidens,aut subiectum solùm, aut accidens solùm : at non significant formaliter solum subiectum,vt manifestum est. Etenim rem aliquam expressè intelligit , qui audit, verbi gratia nomen albi , distinctam ab ea , quam percipit audito nomine nigri , cùm interim subiectum vnum atque idem esse possit. Neque item formaliter significant subiectum & accidens simul, quia non exprimunt quid nam sit subiectum : ergo formaliter solùm accidens significant *Potissimum ab Auer. 5. Met. com.14. & D.Thom. ibid. lect. 9.* *Text.17.*



significant:cùm igitur formalis significatio sit præcipua , non dubium est,quin huiusmodi nomina præcipuè significent accidentia. Postremo,quia præcipuè significarent subiecta , cùm nomina reducantur ad prædicamenta ratione præcipue eorum significationis, omnia concreta accidentium vocabula ad prædicamentum substantiæ reuocanda essent , quod pugnat cum omnium sententia , omnes enim in eodem prædicamento ponunt concreta , in quo abstracta , quicquid sit de ea quæstione vtra præcipuè ponantur.

*Ita Alber. Ma. 5. Met. tra. 1. ca. 11. Auerr. hoc lib. com. 14. Alen. ibid. & D. Thom. hoc lib. lect. 9. & 1. par. q. 3. art. 3. Cai. ibid. & 3. p. q. 16. ar. 5. & ind 7. q. 1. art. 1. ad 5. Greg. in 1. d. 8. q. 2. art. 4. Du. in 1. d. 34. q. 1. Vide cap. in 1. d. 4. q. 1. & 2. fuse.*

*Vera quæstionis explicatio.*

Dicendum est igitur,huiusmodi nomina formaliter ac præcipuè significare ipsas formas accidentarias , neque in ea re differre à nominibus abstractis:at materialiter & connotatiue(quæ significatio inter insinuatitias numeranda est) significare subiecta : hæc autem posterior significatio,ex ipso concipiendi modo nascitur:cùm enim concipimus formam accidentariam per modum adiacentis(vt dicunt) eámque eo pacto nominamus:tum vocabulum concretum est & connotatiuum, significans formam adiacentem , & innuens subiectum cui adiacet. Cùm autem illam concipimus quasi per se cohærentem (quod vocant per modum per se stantis ) tum nomen , quo sic illam appellamus,abstractum est & absolutum , solam formam ex ipso concipiendi & significandi modo declarans.Lege D.Thomam,Alensem, & Auerroem, & Albertum Magnum hoc loco. Sed de distinctione nominum concreti & connotatiui.& si placet adiectiui , cùm inter se, tum ab oppositis nominibus abstracti, absoluti, & substantiui, legi possunt , quæ in primo Institutionum Dialecticarum libro docuimus.

*Soluitur argumentum Auicennæ.*

Quod autem pro Auicenna propositum est, facilè diluitur negatione consequentiæ:nam si idem essent dici de aliquo , aut accipi pro aliquo , atque aliquid significare , idem profecto significarent nomina hæc,Musicum,Album,& Homo,quod de eadem re dicantur,vt Aristoteles argumentatur libro superiori capite quarto. *Text.11.*

*De nominibus arte factorum.*

## SECTIO VI.

*Lect. 4. Idē innuit Alb. Mag. 2. Phy. tra. 1. q. c. 2. in tex. 11. & Albert. de Saxo. 2. Phy sic. q. 4. conclu. 2.*

*Opinio D. Thomæ. Sententiæ aliorum.*

QVod verò attinet ad artefactorum vocabula,sunt qui credant illa etiam significare formas per artem inductas, & innuere subiecta: in quorum numero est D. Thomas in priore libro de interpretatione. Alij è contrario dicunt,significare subiecta , & innuere formas , quod Auicenna lubens admiserit. Vtrique autem videntur idem iudicare de hoc genere nominum , atque de concretis accidentium, connotatiuisque.

*Opinio Auctorus de nominibus artefactorum.*

Nobis tamen non videtur eadem significandi ratio esse in vtrisque: nam etsi accidentium concreta alterum formaliter significant,& alterum connotant atq; innuunt, tamen artefactorum vocabula vtrumque significant formaliter , more videlicet eorum nominum , quibus substantiæ significantur iuxta sententiam eorum , qui volunt totam substantiam eandem esse prorsus cum partibus simul sumptis. Etenim,

Universidad de Deusto
Biblioteca



vt hi volunt hominem significare formaliter & animam & corpus: ita serra V. G. significat formam serræ, & materiam ferream, eodémque modo sella, vestis, nauis, & huiusmodi alia, & certam formam, & certam materiam, saltem in genere aliquo particulari, vt duram, aut mollem, aut flexibilem.

*Probatur sententia ratione.*

Probatur autem non significare solam formam vel hac vna ratione: quia si ita esset, vniuocè diceretur serra de ferrea, & cerea, aut vitrea: & nauis de lignea, & papyracea. Atque in hac sententia esse Aristotelem, ex eo licet intelligere, quòd ad explicandam generationem substantialem compositorum ex materia & forma, sæpissimè vtitur exemplis artefactorum, quo pacto non vtitur exemplis concretorum accidentium, nisi perraro, & iis acceptis pro compositis accidentalibus, non pro iis, quæ formaliter significant. Negat enim planè 1. Physi. cap. 7. musicum fieri ex homine: quod non rectè faceret, si musici vocabulum & artem & subiectum formaliter significaret, & tamen passim concedit statuam fieri ex ære, & lecticam ex ligno, quod nimirum hæc nomina, & certam formam, & certam materiam formaliter declarent. Et tertio Physicorum capite item 7. ait, materiam cuiusque rei naturalis esse partem totius, perinde ac æs pars est æneæ statuæ. Theologi quoque ex sacrorum Conciliorum definitionibus asserunt, Sacramenta nouæ legis, quæ artefacta quædam sunt, arte diuina insigniter elaborata, materia sensibili & certa forma constare. Sed & vulgus huic sententiæ astipulatur: quippe cùm is qui se vestem emisse ait, aut calceos, aut quiduis aliud artificiosum, non declarat solùm se emisse formam, aut materiam, sed vtrumque simul: tametsi in quibusdam præcipuè spectet formam, vt in statua, in aliis præcipuè materiam, vt in annulo.

*Sacramenta nouæ legis res arte factæ sunt & materia & forma constat.*

*Quo pacto accidentium concreta ponantur in prædicamentis: quo item artefacta.*

## SECTIO V.

*Concreta per se in prædicamentis accidentium ponì.*

EX his licet colligere concreta quidem accidentium poni per se in prædicamentis, quia eorum nomina non significant formaliter, nisi formas ipsas accidentarias, quæ propria & peculiaria habent genera, species, & indiuidua: at artefacta, in nullo prædicamento habere per se locum, cùm eorum vocabula formaliter significent, & formam artificiosam, & substantiam subiectam, ex quibus nihil vnum per se conficitur, quod verum genus, aut species, aut his subiectum indiuiduum sit: possunt tamen hæc per se poni in prædicamento substantiæ ratione subiecti, si sit vnum per se: & in prædicamento qualitatis ratione artificiosæ formæ, si sit vna per se qualitas: vt si statua fiat ex vno tantum lapide aut ligno, tametsi quidam [a] considerantes substantiam esse præstantiorem accidente, potiùs ea censeant collocanda in prædicamento substantiæ, alij animaduertentes ea non esse artificiosa per substantiam, sed per qualitatem ab arte inductam: potius ponenda credant

*Artefacta non ita, sed per partes.*

[a] *Ita Albert. de Saxo. 2. Physic. q. 4. conclu. 3. Ita Auicen. li. 3. suæ Met. cap. 3. & D. Thom. q. 42. c. 19. & in lib. de ente & ess. cap. 7 ad finem Caiet. ibid. Ferra. 1. contra Gen. cap. 30.*



credant in prædicamento qualitatis.

*An accidentia ponantur potius in prædicamentis vt nominibus abstractis quàm vt concretis significantur.*

Sed num qualitates, & alia accidentia potiori ratione ponantur in prædicamentis, vt respondent nominibus abstractis, an concretis, quæstio est: Ad quam breuiter dicendum, præcipuè poni, vt respondent abstractis, idque duabus rationibus, Prior est, quia eorum concreta, etsi non sunt entia per accidens spectata sola formali significatione, sunt tamen, spectata simul & formali & materiali siue connotatiua, vt ex dictis perspicuum est: sunt enim hoc pacto aggregata quædam ex iis, quæ in diuersis prædicamentis ponuntur. Qua de caussa vocat Aristoteles 7. lib. huius operis cap. 6. [a] album ens per accidens, addítque, illud duo significare, & id cui accidit, & id, quod accidit, & lib. 3. Topicorum, ait: *iustum non esse in genere, sed iustitiam*, Atque secundum hanc considerationem non solum ponuntur primaria ratione in prædicamentis, sed ne per se quidem. Posterior ratio est, quia accidentia potius ponuntur in prædicamentis spectato modo, quo insunt in primis substantiis, quàm quo de illis prædicantur, etsi autem non prædicantur nisi concretè: tamen & concretè, & abstractè insunt, priúsque natura abstractè, quàm concretè. Nam etsi solum concretè insunt per modum identitatis, tamen abstractè insunt per modum inhærentiæ, quæ prior natura est identitate: non enim quia album est idem cum Petro, iccirco albedo inhæret Petro: sed contrà, quia albedo inhæret Petro, ideo album est idem cum Petro.

[a] *Tex. 21.*

*Substantias in concreto significatas potiori ratione poni.*

Alia ratio est de substantiis, potiori enim ratione ponuntur in suo prædicamento, vt respondent nominibus concretis, quàm abstractis, vt homo, quàm humanitas, & hic homo, quàm hæc humanitas: constat enim nihil esse, quod potiorem habeat locum in prædicamento substantiæ, quàm primas & secundas substantias: at primæ substantiæ non sunt entia abstracta, sed concreta, quandoquidem humanitas singularis non omnino existit per se, sed in homine singulari, quod idem dicendum est de cæteris abstractis singularibus respectu suorum concretorum: quod nos docuit Sacrum incarnationis mysterium. Secundæ autem substantiæ cùm sint genera & species sub quibus ponuntur primæ, necessariò concreta entia esse debent, quia abstracta non possunt dici de concretis, siue vt genera, siue vt species. Nec obest, quod concreta accidentium, propterea quod modo quodam sunt entia per accidens, primarium locum in suis prædicamentis non habent: non enim idem dicendum est de concretis substantiarum. Nam cùm substantiarum concreta nomina non connotent subiectum vllum: in quo eorum formalia significata inhæreant: nullam quoque sapiunt compositionem per accidens: loquor autem de iis concretis, quæ connotatiua non sunt, vt de auro, de igne, & cæteris similibus: nam deauratum, ignitum, & alia huiusmodi quæ connotant subiectum aliquod, aut quasi subiectum, veluti etiam ligneum aut ferreum, quemadmodum compositionem aliquam per accidens quodammodo important, ita quoque in nullo prædicamento primaria ratione ponuntur, in quo autem suo modo ponantur, inferiùs explicandum est.

*Abstracta non dicì de concretis tanquam genera & species.*

## AN SOLA ENTIA REALIA HABEANT per se locum in prædicamentis.

## QVAESTIO VI.

*Vera sententia in hac quæstione oppositæ impugnata.*

### SECTIO I.

*Entia rationis à nonnullis per se poni in prædicamentis.*

QVI rudiori Minerua, magísque accommodatè ad popularem sensûm, quàm ad Philosophicam consuetudinem prædicamenta considerant, non solum entia realia, sed etiam rationis ad prædicamentorum series directò, siue per se admittunt. Sunt enim [a] qui velint in prædicamento relationis collocari per se omnes relationes non reales modo, sed etiam rationis: vt habitudinem generis, speciei, prædicati, & subiecti. Nec desunt alij, [b] qui existiment vndecimum quoddam prædicamentum constituendum esse, in quo entia rationis collocentur. Contra quos omnes pugnat ex aduerso Aristotelis sententia: is enim planè affirmatiuam huius quæstionis partem amplectitur, tum hoc capite, [c] cum diuiso ente in prædicamenta meminit entium rationis, quasi diuersi cuiusdam generis ab entibus, quæ per se ponuntur in prædicamentis, tum verò clariùs lib. 6. cap. 2. [d] vbi reiicit à consideratione Metaphysica omnia entia rationis. Huius autem rei, vt ipse eo loco docet, ea ratio est, quia entia rationis non sunt in rebus, sed in mente, idque obiectiuè tantum: primi autem Philosophi consideratio non in iis, quæ tantùm ea ratione sunt, quòd menti obiiciantur: sed in iis, quæ in rerum natura sunt, per se, ac ex instituto versatur.

*Refutantur.*

a *Buridan ad finem lib. prædicamentorum.*
b *clypeus de prædica. q. 6. & aliqui apud Niphũ lib. 6. Meta. disputa. 7.*
c *Tex. 14.*
d *Tex. 8.*

Hanc sententiam rationémque (quæ nobis etiam sit satis) probant communiter Philosophi, præsertim scholastici, qui pressius & accuratius ista pertractant. Quod si quis pro Auctoribus oppositæ opinionis occurrat, Metaphysica quidem prædicamenta non admittere per se ac directò entia rationis, idque ostendi ratione proposita, at non idem dici posse de prædicamentis Logicis, cum ab eo artifice tractentur, qui entia rationis à propria & per se consideratione non excludit: in propatulo est responsio: nam cùm Logicus à Metaphysico prædicamenta desumat, solóque diuerso considerandi modo circa ea versetur, vt suprà ostensum est: fieri non potest, vt prædicamenta Logica plura complectantur, quàm Metaphysica, cùm eadem omnino sint re, siue subiecto: ita reliquum nobis est, vt disquiramus quonam pacto intelligenda sit distinctio illa entis à Philosophis passim vsurpata in ens reale, & rationis, quæ in hac quæstione supponitur, præsertim cùm de ea non parua sit controuersia.

*D. Thom. de Potent. q. 7. art. 9. & 5. Met. lect. 9. cap. in 1. d. 8. q. 2. & di. 29. q. vnica ad 5. Ochamus in 1. d. 2. q. 8.*

*Refutatio*



*Refutatio primæ opinionis de distinctione entis realis, & rationis.*

### SECTIO III.

*Prima sententia entis rationis esse quod existit in intellectu vt subiecto.*

a *Ockam. 1. p. Logicæ. cap. 40. & non nulli apud Herueũ quod 3. q. 1. Lege Dur. in 1. d. 19. q. 5.*
b *cap. 8. tex. 38.*

SVnt [a] qui dicant ens reale esse ens illud, quod existit re ipsa extra intellectum, ens autem rationis, quod existit in intellectu vt subiecto, cuiusmodi sunt species intelligibiles & conceptus rerum: quam explicationem videntur desumpsisse ex 3. lib. [b] de Anima, vbi Aristoteles sic ait. *Neque enim ipse lapis in anima inest sed species lapidis.* Quibus verbis videtur distinxisse lapidem à specie, siue similitudine lapidis existente in anima vt ens reale ab ente rationis, quòd lapis sit extra intellectum, species verò lapidis in intellectu vt subiecto.

*Refellitur.*

*Vide Herueũ & Dur. locis citatis.*

Sed hæc sententia facilè refellitur: primùm, quia quæ sunt in intellectu vt in subiecto (hoc est in anima intellectus interuentu) siue species intelligibiles sint, siue conceptus, siue actus intelligẽdi, siue quidquis aliud, non minus sunt entia, quàm quæ existunt in corpore, sed potius eo magis entia dicenda sunt, quo sunt veriora entia, vt pote in præstantiori subiecto existentia: at entia realia, magis entia creduntur quàm quæuis entia rationis. Deinde, quia quæ sunt subiectiuè in intellectu, non minus numerantur in rebus, de quibus differunt Philosophi naturales, & in iis, quæ per se ponuntur in prædicamentis, quàm cætera accidentia: at entia quæ tractantur à naturali Philosopho, & quæ per se in prædicamentis ponuntur, realia proculdubio esse censentur. Tertio, quia existere subiectiuè in intellectu est existere realiter: sola enim accidentia realia existunt in subiecto. Postremò, quia prima & communissima diuisio entis hoc pacto explicata non exhaurit totam diuisi amplitudinem. Multa enim comprehenduntur nomine entis quæ nec existunt re ipsa extra intellectum, neque inhærent intellectui, veluti habitudines rerum vniuersalium ad particulares, & particularium ad vniuersales, & cæteræ relationes, quæ nullibi existũt subiectiuè: itémq; entia ficta, quatenus ficta sunt, hoc est mente ac ratione composita, quo pacto diximus illa esse aliquo modo entia. 1 2 3 4

*Respondetur ad locum ex Aristotele. Simile non nisi simili cognosci.*

*Quæst. 4. sect. 2. Vide Herueũ de secundis intentionibus q. 2. art. 1.*

Ad locum verò ex Aristotele adductum dicendum est Aristotelem non distinxisse iis verbis lapidem à specie lapidis tanquam ens reale ab ente rationis, sed solùm docuisse eam assimilationem, quæ necessaria est inter animam & res cognitas (simile enim non nisi simili cognoscitur, vt veteres dicebant) non ita intelligendam esse, quasi necesse sit, vt in anima existat natura lapidis per quam illa intelligat externum lapidem, quod nonnulli veteres putabant, sed satis esse, si in ea existat species lapidis. Itaque non potuit Aristoteles eo loco discrimen inter lapidem & speciem lapidis, quasi inter ens reale & rationis, sed vt inter rem, & imaginem eius realem.

*Empedocles & alij Lege Aristo. 1. de Anim. tex. 79.*

*Vt à quibusdam superior opinio exponatur.*

*Nonnulli apud Herueũ quodl. 3. q. 1.*

Sunt qui eum modum adhibeant huic sententiæ, vt dicant, nomine entium rationis non esse intelligenda ea, quæ existunt in intellectu, vt subiecto absolutè spectata, seu vt inhærent intellectui: fatentur enim illa hoc pacto spectata, esse entia realia, vt probatum est, sed esse intelligenda illa eadem quatenus habentur loco aliarum rerum. V.G. con-

Universidad de Deusto
Biblioteca



ceptum lapidis, etsi est ens reale, quatenus inest intellectui, tamen esse ens rationis, quatenus subit vicem lapidis. Nam cùm subire vicem lapidis (vt inquiunt) nihil aliud sit, quàm esse quodammodo lapidem, conceptus autem lapidis non sit lapis secundum esse reale, quod habet in intellectu, erit vtique lapis secundum aliud esse, quod non sit reale: quod non aliud dici potest, quàm esse rationis.

*Reiicitur posita moderatio.*

Verum hæc moderatio, partim falsum assumit, partim ex iis quæ dicta sunt refutari potest. Nam quod ait conceptum lapidis esse ens rationis quatenus subit vicem lapidis, falsum est, quandoquidem subire vicem lapidis, nihil est aliud quàm repræsentare lapidem: quod vtique conuenit conceptui secundum esse reale. Vt enim conceptus lapidis secundum esse reale sibi vendicat inesse intellectui, ita & repræsentare lapidem, vnde habet, vt naturalis conceptus dicatur: quin etiam magis proprium illi est repræsentare lapidem, quàm inesse intellectui, cùm hoc illi sit commune cum aliis accidentibus, illud autem peculiare. Ita patet hanc moderationem falsum assumere. Quod autem ea ex dictis refutari possit, ex eo patet, quia non efficit quominus diuisio entis sit mutila, vt ex vltima argumentatione contra superiorem sententiam perspicuum est.

*Secundæ opinionis impugnatio.*

## SECTIO III.

*Secunda opinio de natura entis realis, & rationis.*

ALij dicunt ens reale esse quicquid existit re ipsa in rerum natura, ens autem rationis nihil esse aliud, quàm denominationem ab actu intellectus siue rationis secundum ea duntaxat quæ attribuuntur rei, vt cognita est ab intellectu. V.C. esse vniuersale, nihil esse aliud quàm denominationem rei ab actu quo res intelligitur, vt communis pluribus, quandoquidem esse commune pluribus non conuenit rebus, nisi vt obiiciuntur intellectui, & ita in cæteris. Quanuis enim, vt aiunt idem re sit intelligere lapidem, vt communem pluribus, & lapidem intelligi, vt communem pluribus, tamen, quia talis actus intelligendi est vera res in intellectu, non autem in lapide, iccirco denominatio hominis sic intelligentis ab illo actu est realis, denominatio autem lapidis sic intellecti non est realis, sed rationis. Addúntque quemadmodum triplex est operatio intellectus, vna simplex, altera enunciatiua, tertia discursiua, ita tria esse genera entium rationis, vnum eorum quæ conueniunt rebus, vt intelliguntur per primam intellectus operationem, cuiusmodi sunt, vniuersale, genus, species, & his similia: alterum eorum, quæ conueniunt illis, vt intelliguntur per secundam, veluti affirmari, negari & alia huiusmodi: tertium eorum, quæ conueniunt per tertiam, vt esse antecedens, consequens concludi, demonstrari, & alia id genus.

*Dur. in 1. d. 19. q. 5.*

*Additio Durandi ad finem quæstionis citatæ.*

*Improbatur opinio Durandi.*

Hæc tamen sententia non est probanda, nam etsi denominationes, quibus res obiectæ intellectui denominantur ab actibus intellectus numerari possunt in entibus rationis (quandoquidem non solùm non ponunt



ponunt quicquam in rebus denominatis, sed etiam perinde conueniunt rebus, quæ non existunt, atque iis quæ existunt) nō est tamen tota ratio entium rationis posita in huiusmodi denominationibus: tum quia non minus numerandæ sunt in entibus rationis denominationes ab actu intellectus secundum ea quæ conueniunt rebus, vt sensu perceptæ aut appetitę sunt, vt siquid denominetur visum, aut volitum: tum etiam, quia denominationes ab actibus intellectus sunt posteriores aliis entibus rationis magis propriè dictis. Id quod hac ratione patet: nam cùm primum lapis mente percipitur non perceptis differentiis indiuiduantibus, tum primum est vniuersalis, vt patebit inferius, & tamen nondum denominatur ab actu, quo percipitur, vt communis pluribus siquidem huiusmodi actus est reflexus, & supponens illum priorem: prius igitur lapis est vniuersalis, quàm denominetur ab actu rationis quo intelligitur vt communis pluribus: quod idem facilè animaduertes in cæteris denominationibus ab huiusmodi actibus.

*Ad cap. 28.*

*Tertiæ opinionis refutatio.*

## SECTIO IV.

*Tertia sententia.*

*Ita videtur D. Tho. sentire in 1. d. 2. artic. 3. & de Potent. q. 7. ar. 9. & Sco. in 1. d 2. q. vnica Sonci. 6. Met. q. 28.*

ALII acutius hæc scrutantes dicunt ens reale esse quicquid re ipsa existit in rerum natura, ens autem rationis esse id, quod consequitur rem, vt obiicitur intellectui. V.G. Lapidem esse ens reale, quia re ipsa existit in rerum natura, communitatem vero seu vniuersalitatem lapidis esse ens rationis, quia consequitur lapidem, & quamcunque rem aliam communem, vt obiicitur intellectui sine conditionibus indiuiduantibus, addúntque duo esse genera entium rationis, nempe relationes rationis & negationes. Quo autem pacto relationes rationis consequantur res, vt obiiciuntur intellectui exemplo prædictæ vniuersalitatis perspicuum faciunt: quo verò modo negationes, ostendunt exemplo cæcitatis: dicunt enim, cæcitatem non conuenire formaliter homini cæco, nisi cùm ille apprehenditur, quatenus non habet videndi facultatem, etsi antequam hoc pacto apprehendatur, sit, vt aiunt, fundamentaliter cæcus.

*D. Thom. de Verit. q 11. art. 1. Sonci. vbi suprà. capr. 2. d. 34. q. 1.*

*Non omnino rem explicat præcedens opinio.*

Verum nec huiusmodi sententia rem omnino attingit. Primum, quia multæ relationes conueniunt rebus formaliter ac propriè, etiam si res ipsæ non obiiciantur intellectui, cuiusmodi est relatio creatoris, oppositionis, identitatis, & aliæ huiusmodi, vt suis locis patebit: absurdum est enim permagnum (vt de cæteris relationibus taceam) asserere, Deo non conuenire actu relationem creatoris, siue creantis, nisi ipse mente concipiatur, quod Auctores huius sententiæ dicunt. 1.

*Ita Scot. in d. 45 q. vnica.*

Deinde, quia relationes rationis non solum consequuntur res, vt obiiciuntur intellectui, sed etiam vt obiiciuntur sensui & appetitui. 2.

Postremo, quia negationes non ideo formaliter rebus conueniunt, quod res, quibus conueniunt, intellectu apprehendantur: Socrates enim non fit cæcus formaliter per operationem intellectus, cùm verissimè & propriissimè sit cæcus, antequam mente apprehendatur, sed solùm cognoscitur 3.

gnoſcitur', & quodammodo repræſentatur cœcus,niſi ineptiſſimè quis contendat nihil aliud eſſe Socratem eſſe formaliter cœcum, quàm cognoſci aut repræſentari cœcum. Mitto quod in diuiſione entis tradita, partim nullam mentionem faciunt fictorum, quatenus talia ſunt: cùm tamen aliquo modo ſint entia, ſpectata communiſſima ratione entis: partim dicunt negationes eſſe entia, quæ tamen ſecundum ſe nullam entis rationem ſibi vendicant.

*Quid re vera ſit ens reale & rationis: prima item, & ſecunda intentio.*

## SECTIO V.

*Quarta veraque ſententia.*

*Definitio entis realis, & Entis rationis.*

DIcendum igitur,ens reale eſſe ens cuius eſſe non pendet ab operatione intellectus,cuiuſmodi ſunt homo,Angelus, & cætera, quæ cohęrent in rerum natura:ens autem rationis eſſe ens,cuius eſſe pendet ab operatione intellectus, cuiuſmodi ſunt notiones generis,ſpeciei, & ſimilia.Nec obſtat huic explicationi,quod homo, Angelus, & cætera entia creata pendeant effectiuè ab operatione intellectus diuini,immo etiam complura ab operatione intellectus humani & angelici, vt artefacta,quæ tamen omnia ſunt entia realia.Neque enim verbum,*Pendet*, accipiendum eſt hoc loco pro eo,quod eſt pendere effectiuè, ſed obiectiuè,vt ſenſus ſit,entia realia eſſe entia, quæ non ea ſolùm ratione dicuntur exiſtere,quod obiiciantur intellectui,quaſi hanc ſolam exiſtendi rationem habeant, entia verò rationis eſſe entia,quæ ea ſola ratione dicuntur exiſtere,quòd intellectui obiiciantur.

*Expoſitio notanda.*

Quod,vt planius intelligas, aduerte: aliud eſſe aſſerere entia rationis non conuenire rebus, niſi cùm obiiciuntur intellectui: aliud non exiſtere, niſi cùm obiiciuntur intellectui, illud enim falſum eſt, & à nobis paulò antè negatum in relatione Dei, creantis, & in aliis pleriſque,hoc autem neceſsaria aſsertione nunc aſsertum. Nam cùm duplex tantum ſit poſitiua & actualis exiſtentia,de qua loquimur,(neque enim ſermo eſt de negatiua quæ conuenit negationibus, nec de potentiali, quam habent res in ſuis cauſſis) vna realis, qualem habet lapis in lapidicina,altera obiectiua,qualem idem habet iu ſenſu aut intellectu: entia autem rationis non poſſint habere exiſtentiam realem, neque item obiectiuam in ſenſu,cùm non ſint entia ſenſibilia, efficitur, vt non alia ratione exiſtant,quàm obiectiuè in intellectu.

*Duplex tantum eſt, poſitiua & actualis exiſtentia*

*Ens rationis quo pacto diſtinguendum*

Sed quoniam ens rationis hoc pacto ſpectatum, nempe quatenus cum ente reali totam entis rationem exhaurit, latè ac minus propriè ſumitur:diſtinguendum adhuc eſt in ens rationis, preſsè ac propriè dictum,& in ens fictum,quatenus fictum eſt. Ens rationis propriè ſumptum,eſt ens, cuius eſse ita pendet ab operatione intellectus, vt nihilo minus de entibus realibus dici poſſit: cuiuſmodi ſunt notiones generis & ſpeciei,& ſimilia.Ens fictum quatenus tale eſt, eſt ens, cuius eſse ita pendet ab operatione intellectus, vt de nullo ente reali dici poſſit, cuiuſmodi ſunt Chimæra, Tragelaphus, & alia fictitia. Atque hac de cauſsa dici ſolet apud Dialecticos, entia rationis habere fundamenta in rebus

*Ens fictum quid.*



in rebus,commentitia verò minimè:ſumunt enim fundamenta pro rebus denominatis,alioqui entia fictitia fundamenta habent in rebus,vt pote partes rerum verarum, vt caput leonis, & caudam draconis,aut aliquid aliud:vt diametrum,commenſurabilitatem, & ſimilia.

*Obiectio.*

At obiiciat aliquis negationes habere fundamenta in rebus, hoc eſt,res denominatas,de quibus dicantur, & poſſe etiam mente apprehendi vera apprehenſione, ſiue cui reſpondeat in rebus abſentia eius, quod negatur (re enim vera Socrates eſt cœcus, quemadmodum apprehenditur eſſe cœcus) ergo potiori ratione fuiſſe negationes numerandas in entibus rationis,quàm entia ficta, etiam quatenus ficta:cùm entia ficta,etiam quatenus ficta ſunt, nec res veras denominare poſſint,nec vera apprehenſione concipi.

*Dilutio.*

Huic obiectioni occurrendum eſt:etſi pleræque negationes de rebus veris dici poſſint,immo etiam concipi vera apprehenſione: ea tamen ratione potius entia ficta, quatenus ficta ſunt, numerata fuiſſe in entibus rationis,quia quatenus talia ſunt, dicunt quandam compoſitionem,& ex conſequenti entitatem: vtcumque ab anima factam per coniunctionem obiectiuam eorum,quæ alioqui in rerum natura reperiuntur:negationes autem,vt negationes ſunt, nullam omnino dicunt entitatem,ſed ſolam abſentiam eius,quod negatur: etiam ſi ea abſentia ſuo modo ſit in rerum natura ante operationem intellectus,vtpote per non exiſtentiam rei,cuius illa eſt negatio. Ita patet quid ſit ens reale,quid ens rationis tum latè, tum etiam preſsè ſumptum, ſolúmque ens reale per ſe ac directo habere locum in prædicamentis.

*Negationes cur nō in entibus rationis numerentur.*

*Quæſtio circa 1. & 2. intentionem.*

Si quis autem roget, num idem ſit prima intentio,quod ens reale, & ſecunda intentio idem quod ens rationis, ſumpta vtraquè intentione obiectiuè, hoc eſt, pro eo in quod intellectus primo aut ſecundo intendit (ſunt enim qui inter hæc nihil diſcriminis conſtituant)dicendum eſt non eadem eſſe.

*Lib. 1. Inſtit. Dialect. cap. 32. Vide D. Tho. opu. 42 cap. 1. 2. & de poten. q. 3. art. 9. Capr. in 1. d. 23. q. 1. Caie. e. de Genere. Heruetum de ſecundis intentionibus.*

Prima enim intentio,vt alibi diximus, eſt quicquid conuenit rebus veris,etiamſi illæ mente non concipiantur, nec alio modo ab ea tractentur, vt eſſe hominem album, cæcum, & ſimilia. Vnde patet etſi omnia entia realia ſint primæ intentiones, vt inductione conſtat:tamen non omnes primas intentiones eſſe entia realia:ſi quidem non ſolum multa entia rationis conueniunt rebus veris ſemota omni operatione intellectus, qua illi obiiciantur, cuiuſmodi ſunt relatio Dei creantis,relatio vnionis Verbi diuini cum humana natura, & aliæ pleræque relationes rationis,vt ſuprà diximus,ſed etiam multa non entia, vt cæcitas,ſurditas, vnitas numeralis, formalis, & aliæ infinitæ negationes.

*Quid ſit prima intentio.*

*Non omnes primas intentiones eſſe entia realia.*

*Quid ſecunda intentio ſit.*

Secunda intentio eſt quicquid conuenit rebus veris, quia mente apprehenduntur, aut alio modo ab ea tractantur, vt eſſe prædicatum, ſubiectum, demonſtratum, & cætera huiuſmodi. Vnde patet neque omnia entia rationis eſſe ſecundas intentiones,vt videre eſt in iis relationibus rationis, quas diximus conuenire rebus veris ſemota omni operatione intellectus,qua illi obiiciantur:neque omnes item ſecundas intentiones eſſe entia rationis, vt patet in vnitatibus relationum,

prædicati, subiecti, & aliarum huiusmodi secundarum intentionum: quæ vnitates etsi sunt secundæ intentiones, quia non conueniunt rebus veris nisi per operationem intellectus, quemadmodum & relationes quarum sunt vnitates: tamen cum sint negationes quædam, ac proinde non entia, entia rationis dici non possunt. Ita patet non idem esse primam intentionem, quod ens reale, nec secundam intentionem idem, quod ens rationis. Verùm, quia prima intentio latius patet quàm ens reale, adhuc verum est, solas primas intentiones habere per se locum in prædicamentis, quemadmodum diximus de ente reali.

*Concluditur non idem esse primã intentionem: quod ens reale, neque secundã idem quod ens rationis.*

## *NVM SOLA ENTIA FINITA ET* completa admittantur per se in prædicamenta.

## QVÆSTIO VII.

*Quod sola finita.*

### SECTIO I.

*Quid nomine entis finiti hoc loco intelligatur.*

NOMINE entis finiti id solum intelligendum est hoc loco, cuius essentiæ perfectio certis finibus, & quasi limitibus continetur, etiam si alioqui sit infinitum, & illimitatum: siue potentia, vt cœlum quoad durationem, aut gignendi virtutem: linea quo ad diuisionem, & quilibet numerus quoad accretionem: siue (quod multi dari posse putant) actu, veluti corpus infinitum, & multitudo infinita. Quod enim sola entia finitæ perfectionis secundum essentiam ponantur per se in prædicamentis, ex eo manifestum est: quia in prædicamentis non ponuntur directò nisi genera summa, species, & his subiecta indiuidua, at summa genera non possunt habere infinitæ perfectionis essentiam, cùm superentur perfectione à suis speciebus additione earum differentiarum, quæ generibus iunctæ complent naturas specificas, species verò ipsæ cùm definibiles sint per sua genera & differentias, ac proinde earum essentiæ certis ac definitis limitibus claudantur, finitæ perfectionis necessario sunt: vnde & numeris similes meritò dicuntur, quorum nullus infinitus esse potest. Demum neque indiuidua eis subiecta possunt infinitæ perfectionis esse, nisi infinitam essentiæ perfectionem speciebus addant, quod fieri nullo modo potest. Nam si indiuiduum adderet speciei infinitam essentiæ perfectionem, iam in eo addito contineretur omnis essentię perfectio, ac proinde superuacanea esset perfectio naturæ specificæ & omnium generum, sub quibus species contineretur: quare non esset eiusmodi indiuiduum sub vlla specie collocatum, sed extra omnem ordinem prædicamentalem. Ita patet, quicquid in prædicamentis per se ponitur, finitæ perfectionis essentialis esse debere: & cum id ex ipsa prædicamenti ratione colligatur, non dubium est, quin Aristoteles eiusmodi conditionem subintelligi voluerit hoc loco.

*Species cur similes numeris esse dicãtur.*

*Ita D. Tho. 1.p.q.3.art. 5.& 1. Sen. d.8.q.4.art. 3.& de poten.q 6.& 7. ar.3. Alber. in prædica. tra.1.cap.7. Magister in 1. d. 8. Se. ead.dist.q.3. Hen.de Gad. 1.p.sum,art. 26 q.2. Boe. lib.1. de Tri. ca 6 & seq. Auicen. lib. 8 suæ Me.c. 5. & reliqui doctores præter Gre. Ari. in 1.d.8.q.3. Gab ibid & Robertũ Holcot.in 1.sen. q.6. qui ponunt Deum in prædica. Vide etiam Rabbi Mosem lib.1.ca. 55.& 56.*

*Per hanc cõditionem solũ Deũ excludi.*

Per hanc conditionem: quę quarta est, solus Deus Opti. Maxi. à prędicamentorum ordinibus excluditur, vt qui solus cum sit infinitæ perfectionis



*Id colligitur ex 12. Meta. à text. 1. vsque ad 5.*

*D. Tho. 1.p. q.7. ar.3.& 4. Et quodlib.9. art. 1. & quodl. 12. art. 2. Durãdus & D. Bonaue. in 1. d. 43. Scotus in 2. d. 1. q. 3.*

fectionis simpliciter, nullis se finibus contineri patitur, quicquid in hac re senserit Aristoteles. Quod si quæ sunt alia quæ actu infinita esse possint, vt infinita magnitudo, multitudóve: aut infinitè intensa qualitas, ea quemadmodum re vera quantitates aut qualitates erunt, ita & per se in prædicamento quantitatis aut qualitatis locum habebunt: si vero nihil tale potest in rerum natura existere (quæ est probabilior Philosophorum & Theologorum sententia) non ponentur quidem per se in prædicamentis, verùm ad excludendam non opus erit hac conditione, cùm per primam aut tertiam reiecta sint. Nam si ea in rerum natura esse non possunt, non erunt vtique entia, nisi quatenus mente conficta & excogitata.

*Quod sola completa.*

### SECTIO II.

VT autem intelligas merito addi solere quintam illam conditionem, & completum sit quicquid per se ad prædicamentorum series admittendum est: exponemus prius quid completum, quid etiam incompletum Philosophi in hac materia appellent.

*Quid sit ens completũ primo & simpliciter.*

Ens completum, primo quidem ac simpliciter est ens, quod ad nullius entis per se constitutionem pertinet: vt hic homo, hic cãdor. Nam etsi vtrumque potest esse pars entis per accidens, neutrum tamen potest esse pars entis per se, id est, vnius essentiæ. Deinde vero, ac secundum quid, illud ens dicitur completum, quod prædicatur in quæstione Quid est, de eo, quod est completum simpliciter: vt homo, vt candor: homo enim de hoc homine, & candor de hoc candore, dicitur in quæstione quid est. Hinc patet nec differentiam vllam, siue vniuersalem, siue indiuidualem nec partes integrantes entium per se, nec materiam, formámve, nec motum, vt motus est, hoc est, vt forma partim acquisita, partim acquirenda, esse entia completa, Patet etiam sola indiuidua esse completa simpliciter, quia omnia communia pertinent ad constitutionem alicuius entis per se. Patet item: sola genera, & species completorum simpliciter, esse completa secundum quid, quia hæc sola dicuntur de illis in quæstione Quid est, modo non excludas eorum rationes obiectiuas.

*Quid ens cõpletum secundario ac secundũ quid.*

*Motum non esse ens completum, vt motus est.*

*Vtrumque genus completorum hac conditione cõprehendi.*

Vtrumque autem genus completorum entium in hac conditione necessario intelligendum est. Nam si completa prioris generis directo ponuntur in prædicamentis, necesse est vt completa etiam posterioris ponantur: si quidem prædicamenta non constant solis indiuiduis, sed speciebus etiam eorum ac generibus. Quod autem completa prioris generis directo ponantur in prædicamentis, ex eo patet, quia sunt omnium entium præstantissima, & in quibus cætera omnia nó quomodocumq;, sed actu, & secundum essentiam continentur, vt perspicuum est. Quocirca eæ, quæ primæ substantiæ appellantur, propterea primæ ac præcipuæ dictæ sunt, quod non sint aliarum substantiarum partes: id quod modo eodem dicendum est de indiuiduis accidentibus.

Universidad de Deusto Biblioteca



*Probatur.* Quod vero sola completa entia vtriusque generis directo admittantur ad prædicamentorum series (hoc enim præcipuè probandum erat) ex eo patet, quia si non solum completa, verùm etiam incompleta directo admitterentur: necesse foret, vt genera summa, essent communia completis & incompletis, quod fieri nequit, substantia enim genus summum non potest in primis genus omnium substantiarum incompletarum esse: neque enim potest esse genus differentiarum, non solùm, quia differentiæ in nullo prædicato essentiali vniuoce conuenire possunt, quod sæpe à nobis dictum est, sed etiam, quia ex eo sequeretur genera bis includi in qualibet specie immediata: semel ratione sui, & iterum ratione differentiæ, quæ speciem complet. Non potest deinde esse genus partium integrantium, quia partes integrantes etiamsi differant re ipsa inter se, vt pars à parte, non differunt tamen, vt substantiæ actu distinctæ inter se, quod tamen necesse foret, si substantia genus summum, esset earum genus. Ponimus enim hoc loco id, quod vtcumque patet ex iis, quæ diximus ad caput quartum: fusius autem ad librum septimum ostendendum est, in eodem composito non dari partes integrantes, quæ distinguantur inter se per diuersas formas substantiales, vt sint actu distinctæ substantiæ. Denique non posse esse genus materiæ & formæ ex eo patet: quia si materia & forma essent species generi summo prædicamenti substantiæ subiectæ: hæc & illa materia, essent primæ substantiæ, vt patet, hoc autem fieri non posse, ex eo manifestum est: quia primæ substantiæ subsistunt omnino per se, ita vt non solum non subsistant per aliquod subiectum cui inhæreant, nec per aliquid inferius de quo prædicentur, sed nec per aliquid, in quo sint veluti eius partes: at hæc & illa materia, hæc & illa forma subsistunt per singularia composita, quorum sunt partes essentiales, etiam ipsa humana forma, si non simpliciter, certe vt principium omnium humanarum actionum, quas omnes nisi in toto composito exercere non potest. Atque hæc ratio in partes etiam integrantes eadem valet. Cum ergo substantia genus summum non possit esse genus differentiarum, nec partium integrantium: nec materiæ, nec formę, nec aliæ sunt substantiæ incompletæ, de quibus quæstio esse possit, num sub illo, vt sub genere summo contineantur efficitur: vt sit tantum genus substantiarum complexarum. Quod idem proportione seruata dici potest de cæteris prædicamentis. Huc accedit quod cum entia incompleta, necessario ponantur in prædicamentis reductitiè, hoc est per ea, & in iis quorum sunt partes: superuacaneum est ea iterum poni per se, ac directo. Adde quod entia incompleta non tam sunt entia, quàm differentiæ entium aut partes, aut inchoationes: vnde fit vt in distributione entium directo ac per se numerari non debeant. Ita patet, sola entia completa poni directo in prædicamentis.

*Vide D. Thom. in 4. d. 1. q. 1. art.*

*Differentias in nullo prædicato essentiali vniuoce conuenire posse.*

*Hanc conditionem tradi ab Aristotele.*

Hæc vero conditio etsi non aperte colligitur ex Aristotele hoc loco, tamen alibi plerúmque traditur: vt lib. 3. huius operis cap. 3. [a] & 6. Topicorum cap. 3. quoad differentias: vbi docet genera non prædicari per se de differentiis, libro autem 7. huius operis cap. 16. [b] quoad partes integrantes, quas dicit non esse actu in toto, hoc est actu entia, sed potentia.

a *Tex. 10. & 11.*

b *Tex. 56.*



c *Tex. 8.* d *Tex. 2.* potentia. Eodem vero libro cap. 3. [c] & 2. de Anima cap. 1. [d] quoad materiam & formam: quibus locis ait, materiam per seipsam non esse quid (hoc est substantiam) neque aliquid aliorum prædicamentorum, neque esse hoc aliquid (id est rem singularem) in genere substantiæ: quod certè verum non esset, nisi loqueretur de entibus completis. Idem sentit de forma, cùm subdit formam esse; cùm iam hoc aliquid dicitur, hoc est, qua completur hoc aliquid: vt non aliter ipsa sit in genere substantiæ, nisi quia est præcipua pars substantiæ naturalis, quæ est hoc aliquid completum. Denique 3. Physi. cap. 1. & 2. quoad motum: vbi docet motum esse imperfectum quippiam in genere earum rerum, quæ acquiruntur per motum. Quapropter non dubium esse debet, quin Aristoteles hoc loco, & vbicumque de prædicamentis agit, hanc conditionem intelligendam esse velit. Quod item Porphyrius e ex illo videtur collegisse, cùm tradidit exemplum prædicamenti substantiæ: nullam enim substantiam incompletam, facit speciem, aut genus, aut individuum eius prædicamenti.

e *Cap. de specie.*

*Quæ per hãc conditionem reiiciantur.*

Per hanc conditionem reiiciuntur primùm omnes differentiæ tam vniuersales, quàm individuales: deinde omnes partes integrantes entium per se: tertiò materia, & forma postremò motus, vt motus est, hoc est, vt est imperfecta, seu inchoata forma & nondum absoluta, sed tendens adhuc in perfectionem siue absolutionem: & si quod est aliud ens quod completum non sit.

## NVM SOLA VNIVOCA ET INCOMplexa per se ponantur in prædicamentis.

## QVÆSTIO VIII.

*Quod non sola videantur poni.*

### SECTIO I.

*Duæ vltimæ conditiones prædicamentales expenduntur.*

DVÆ extremæ conditiones supersunt, vt aliquid per se locum habeat in prædicamentis, vniuocum scilicet, & incomplexum esse: sed tamen neutram earum esse necessariam his argumentis sibi aliquis fortasse persuadeat.

*Primum argumentum.*

Præcipuus locus in prædicamento substantiæ debetur individuis substantiis, tanquam iis, quæ primę sunt, ac maximè substantiæ, eadémque ratione in prædicamentis accidentium primus locus debetur individuis accidentibus, quæ in suis quoque generibus maximè rationem accidentium participant: at individua non sunt vniuoca, cum non dicatur eadem ratione de pluribus: non est igitur opus, vt vniuocum sit quicquid per se locum habere debet in prædicamentis. Quod si quis respondeat, individua determinata, vt hunc hominem, hunc candorem non poni per se in prædicamentis, vt quæ per se à nul-

*Responsio.*

lo artifice tractantur, sed sola indiuidua sub communi ratione indiuidui huius vel illius prædicamenti: si enim tractatur ab Aristotele indiuidua substantia sub communi nomine & ratione primæ substantiæ, præsto est quo vrgeatur: aut enim sumit nomen indiuiduæ substantiæ quatenus est secundæ intentionis: aut quatenus primæ: si quatenus secundæ, hoc est, quatenus significat Logicam aliquam conditionem, vt subiectionis aut prædicationis: non ponitur vtique per se in prædicamentis, vt ex dictis a perspicuum est, si quatenus primæ, nempe vt significat rem minimè pendentem ab operatione intellectus, certè aut est nomen casu æquiuocum, aut analogum. Nam si immediatè significat hanc & illam substantiam, quatenus sunt hæc & illa, æquiuocum certe casu est, vt Alexandri nomen, Alexandro Paridi, & Alexandro Macedoni: si vero significat omnes indiuiduas substantias, vt proportionem quandam singularitatis inter se habent, analogum est: quandoquidem singulares substantiæ quatenus singulares sunt, & differentiis indiuiduantibus constant, analogicè tamen conueniunt, quemadmodum & ipsæ differentiæ indiuiduantes, quibus sunt singulares, vt ex superiori capite b perspicuum est. Atque eodem modo concludere licet de indiuiduis accidentibus.

*Refellitur.*

a *Quæst. 6. Tex. 75.*

b *Quæst. 6. sect. 3.*

*Secundum argumẽtum.*

Præterea definitio obiectiuè sumpta, hoc est, pro ipso definitionis obiecto, complexa est, vtpote constans genere & differentia tanquam duobus conceptibus obiectiuis: at ea sic sumpta ponitur per se in prædicamentis: non est igitur opus, vt incomplexum sit quicquid per se in prædicamento ponitur. Assumptio ex eo probatur: quia vt Aristoteles docet 1. de Anima cap. 1. c definitiones rerum, ex prædicamentis petendæ sunt: at illæ petinde locum habent in prædicamentis, ac cætera prædicata Dialectica, qnæ sunt genus, proprium, & accidens, vt idem quoque scribit 1. Topic. cap. 7. nemo autem dubitat genera proprietates, & accidentia habere per se, ac directo locum in prædicamentis.

c *Tex. 6.*

*Tertium argumentum.*

Postremo, definitionis significatum, est ens per se, vniusque naturæ quemadmodum & species quæ definitur: neque à specie distinguitur nisi modo considerandi solo: quare cum species, quæ definitur, locum habeat per se in prædicamentis, non est cur idem negetur definitioni.

*Vera explicatio quæstionis.*

## SECTIO II.

*Lex affirmatiua quæstionis probatur.*

VErum non obstant argumenta proposita, vt à communi Philosophorum sententia recedatur. Nam quod vniuocatio sit necessaria vt aliquid per se ponatur in prædicamentis ex eo patet, quia nisi addatur sequetur mira confusio prædicamentorum, quæ tamen distinctionis causa inuenta sunt, seruatis enim quinque superioribus conditionibus, necesse erit per se ac directò admittere æquiuoca & analoga plurima, quæ entia sint per se ac realia finita, & completa, dandus enim erit per se locus cani in tota latitudine suæ significationis sumpto, accidenti etiam in commune, & cæteris huiusmodi. Nisi etiam addatur in com

*Primo.*

*Lege Simpli. in prædicam. Scot. ibid. Ammon. ca. de Incomplexis.*



in complexio, non erunt simplices ac primi conceptus ij, qui traduntur in Prædicamentis, quibus tamen inueniendis, & ad differendum tanquam primis elementis constituendis, facta est Prædicamentorum tractatio: necessariò enim admittendæ erunt definitiones entium per se realium, finitorum, completorum, ac vniuocorum, quæ simplices conceptus non sunt: sed compositi. Quocirca cum Aristoteles in Prædicamentorum libro reliquas conditiones ex Metaphysica perendas ęs se voluisset, has duas prętermittere noluit, tradens initio distinctionem vniuocorum ab æquiuocis ac denominatiuis, & incomplexorum à complexis, vt doceret neque æquiuoca, neque complexa per se locum habere in Prædicamentis. Quod ipsum quoque colliges ex communi in Prædicamenti descriptione quam superius tradidimus. Necesse est enim vt quicquid genus est, aut species, aut speciei subiectum, indiuiduum vniuocum sit, & incomplexum, ea tamen vniuocatione, quam mox explicabimus. Ita reiiciuntur per has duas conditiones, primum quidem æquiuoca, deinde analoga, postremo complexa omnia.

*Secundo.*

*Ex Aristotele cõfirmatur*

*Tertio. Ex definitione Prædicamenti.*

*Quæst. 1. sect. 2.*

*Octauã conditionem non esse necessariam.*

Addunt quidam octauam conditionẽ, vt sit compositum reale quicquid ad categoriarum series per se admitti debet. Sed eam non esse necessariam ad caput sequens perspicuum fiet, vbi substantias quoque immateriales esse patebit.

*Solutio argumentorum.*

## SECTIO III.

*Primi argumenti duplex solutio. Prima.*

PRIMVM igitur argumentum duobus modis solui potest. Vno si vniuocatio sumatur negatiuè, vt sit sensus: Quicquid in Prædicamentis locum per se habet vniuocum esse, hoc est, non æquiuocum: sumpta tamen æquiuocatione, vt analogiam comprehendit: isto enim modo nullum est determinatum indiuiduum, quod vniuocum non sit. Altero si vniuocatio indifferenter accipiatur pro actiua & passiua, ita vt vniuoci vocabulo intelligatur quicquid vniuocè aut participatur à pluribus, aut cum alio commune aliquid participat, hoc eum pacto indiuidua determinata, vniuoca sunt. Namque tres vniuocorum modos iuxta hanc significationem in quolibet Prædicamenio cernere est. Vnum eorũ quæ paticipantur, sed non participant, vt genera summa: Alterum eorum quæ & participantur, & participant, vt species omnes cum mediæ, tum infimæ: Tertium eorum participant, sed non participantur, vt indiuidua. Quapropter non est recurrendum propter argumentũ propositum ad indiuidua sub communi ratione indiuidui sumpta. Nõ ponitur enim per se in Prædicamentis indiuiduum sub communi vlla ratione indiuidui, vt rectè occurrebatur in argumento, sed sub particulari & determinata. Nec obest, quod nullus artifex de determinatis indiuiduis per se, ac ex instituto agit: neque enim ponuntur in Prædicamentis, vt de illis ex instituto agatur, sed vt doceatur, & intelligatur esse illa quasi fundamenta, & bases Prædicamentorum, quod rectè explicatur

*Secunda Tres vniuocorum modi in quouis Prædicamento.*

à Phil

à Philosophis, sumptis illis sub communi ratione indiuiduorum substantiæ, quantitatis, & reliquorum prædicamentorum.

*Definitiones à prædicamentis peti, non tamen in eis per se poni.*

Ad secundum dicito, definitiones rerum, ex prædicamentis quidem petendas esse, eásque perinde locum habere in prædicamentis, ac alia quædam prædicata Dialectica, cæterùm non verùm esse, reliqua omnia prædicata Dialectica per se poni in prædicamentis: multa enim sunt propria & accidentia, quibus id negatur, vt propria complexa, veluti animal risus capax: huiusmodi enim descriptiones in propriis numerat Aristoteles toto ferè 5. Topicorum libro, & plurima etiam accidentia communia, quæ vel complexa sunt, vel secundæ intentionis, aut non entia, vt totum hoc esse eruditum, grammaticum, esse genus, esse cæcum, & similia. Non igitur ea de caussa docet Aristoteles definitiones rerum ex prædicamentis petendas esse, quòd putet eas, earúmve obiecta poni per se in prædicamentis, sed quia in prædicamentis inueniuntur genera & differentiæ, ex quibus illæ conficiuntur: genera quidem interdum per se posita, veluti genus hominis, interdum reductitiè, vt genus animæ, cuius definitionem ipse in loco citato librorum de Anima inuestigat: differentiæ verò semper reductitiè, vt quæ & incompleta entia sunt, & nulli generi essentialiter subiici possunt, vt ex superiori libro patet.

*Definitio qua ratione distinguatur à definito.*

Ad tertium dicendum est, significatum definitionis (loquor autem in tota hac quæstione de essentiali) esse quidem ens per se, neque item ab specie distingui, nisi modo considerandi solo: nempe quia duplici conceptu apprehenditur, cùm species vt tale quiddam ens est, vno tantum apprehendatur: verumtamen solum considerandi modum satis esse, vt hac ratione non habeat per se locum in prædicamentis, sed per conceptum obiectiuum generis & differentiæ, in quos distinguitur, vel potius per ipsam speciem, quæ ex his componitur.

---

*NVM CAETERA OMNIA REDVCANtur ad ea quæ per se ponuntur in prædicamentis, & quo pacto id fiat.*

## QVAESTIO IX.

*Deo excepto cætera omnia reuocari.*

### SECTIO I.

*Reduci omnia reliqua probant aliqui.*

RELIQVVM est vt explicemus an cætera omnia quæ non ponuntur per se in prædicamentis, reuocentur ad ea, quæ per se in eis collocantur, & quo pacto id fiat.

*Primo.*

Qua in re sunt, qui partem affirmatiuam prioris membri vniuerse astruant, hac ratione ducti: quia cùm omnia, quæ quoquo modo sunt aut cogitari possunt, ratione aliqua in prædicamentis inueniantur, tanquam in cõmuni quasi seminario omniũ elementorũ differendi, vt est omnium

*Simplic. in prædica. & Paulus Ven. lib. suæ Met. c. 4. vbi Deũ etiam reuocat ad prædicam. substantiæ.*



*Secundo.*

omniũ Philosophorũ sententia: necesse videtur fateri, quicquid per se in illis nõ ponitur, saltẽ reductitiè collocari. Accedit, quod omnia prædicata dialectica, ac proinde subiecta, ex prædicamẽtis petuntur, quod Aristoteles docet 1. Topicorũ capite 7. & omnes Dialectici approbãt, nemo autẽ dubitat quin omnia, quæ quoquo modo sũt aut cogitari possũt, in prædicatis & subiectis Dialecticis possint numerari.

*Ita Alexan. Alens. 12. Meta in tex. 19. Argent. in 1. d. 8. q. 1.*

SED hæc sententia etsi vera est in ceteris omnibus, non est tamen probanda in Deo. Nam reuocari vnum ad aliud, nihil aliud est quam referri illud tanquã ad aliquod prius natura, siue generationis ordine, quo modo totum reuocatur ad partes, siue perfectionis qua ratione partes reuocãtur ad totum. Quamquam verò ea, quæ per se ponũtur in Prædicamẽtis sint priora natura cæteris, omnibus, quæ quocunque modo esse, aut cogitari possunt, excepto Deo, nihil tamen eorũ est prius natura Deo aut etiam omnia simul, siue generationis ordine, siue perfectione, vt perspicuum est. Quocirca non satis miror Auctores eos, qui expressè aiunt, Deum non poni quidem per se in Prædicamẽtis, sed tamẽ ad ea reduci, vt interim mittamus eos quasi aliqua dignos venia, qui nulla mentione Dei facta, vniuersè affirmant, omnia, quæ quoquo modo sunt, aut cogitari possunt, aut per se, aut reductitie in Prædicameatis poni.

*Etiam reuocat Ap. Predi. ca substantiy.*

*Hanc sententiam in Deo verã non esse.*

*Vera quæstionis explicatio.*

DICENDVM igitur, cætera omnia quæ per se in Prædicamẽtis non ponuntur, Deo excepto, ad ea quæ per se ponũtur reduci: ipsa verò, quæ in eis per se locum habent, ac proinde reliqua, quæ ad illa reducuntur, omnia ad Deum tanquam ad omnium principium finémque reuocari

*Solutio argumentorũ partis oppositæ*

NEQVE obstant argumenta in oppositum: nam etsi omnia, quæ rationem entis participãt, modo aliquo inueniũtur in Prædicamentis, & omnia item tũ prædicata, tum subiecta Dialectica à quibus nõ est excludẽdus Deus, ex Prædicamẽtis petũtur; tamẽ, quia Deus nõ reperitur in Prædicamentis, nisi tanquam causa in suis effectis, iccirco non sequitur reuocari eum ad Prædicameata, sed potius ad illum Prædicamenta: quod quidẽ est poni Deum in Prædicamentis participatiuè, vt qui ab illis participetur, nõ reductitiè, vt qui ad illa reducatur. Possumus tamen pro Auctoribus impugnatæ sententiæ dicere, etsi illi nõ rectè loquuntur, rectè tamẽ ac nobiscũ sentire: cùm enim ab eis petitur, quonam modo Deus ad Prædicamenta reducatur, respondent reduci tanquam causam primam ad sua effecta: at causa nõ reducitur ad sua effecta (nisi materialis & formalis ad compositum) sed potius effecta ad causam.

*D. Tho. de Potent. q. 7. art. 3. ad. 7.*

*Quo pacto cætera omnia ad Prædicamenta reuocentur.*

### SECTIO II.

*Primo. Non entia.*

QVOD igitur attinet ad reliqua omnia præter Deum, non entia quidem reducuntur ad Prædicamenta per ea entia quæ in eis locum habent, negationes videlicet per ea, quæ negantur, & commentitia secundum se per ea, ex quibus

bus finguntur constare;existentiæ verò per essentias, & cæteri modi, quos dicunt intrinsecos per ea entia,quorum sunt modi.Deinde reuocantur entia per accidens per entia per se,ex quibus cõstant;vt homo albus per hominem & albedinem:& artefacta per materiam artis,aut partes eius,& formam artificiosam. Tertio reuocantur entia rationis per entia realia,in quibus fundantur,vt hæc notio generis per animal, & hæc notio speciei per hominem , & entia ficta, quatenus ficta sunt, per ipsum fingendi actum,vt Chimæra quatenus per actum,quo concipitur

*Secundo. Entia per accidens.*

*Tertio. Entia rationis.*

## CAPITIS OCTAVI EXPLANATIO.

*Subſtantiam dici quatuor modis. Primo.*

SVBSTANTIÆ a *dicuntur.* Tradit quatuor modos,quibus substantia dicatur,quos deinde reuocat ad duos præcipuos. Primus est vulgaris,& cuique obuius, quo comprehenduntur corpora omnia sensibilia & quæ digitó ostendi possunt:non ipsę quidem moles corporum, vt quæ sunt quantitates, sed ea quæ his sustant, & de nullo subiecto siue inhæsionis, siue prædicationis dicuntur, sed de iis cætera.Complectitur autem Aristoteles hac significatione substantiæ primas substantias, non omnes tamen, sed sensibiles, earúmque partes integrantes.Quãquam enim huiusmodi partes,nec primæ nec secundæ substantiæ sunt, sæpe tamen primis reductione quadam adnumerantur. Quod autem hic referuntur dæmonia inter substantias sensibiles,ex a Platonis opinione dictum est: posuit enim Plato animalia quędam subtilissimi corporis,& ratione prædita,& perpetua , quæ sententia non placet Aristoteli,tametsi ea nonnunquam b vtatur exempli afferendi caussa.

*Cur hic dæmonia inter ſubſtantias ſenſibiles referantur.*

*Cur non ſit complexus corpora ſenſibilia vniuerſalia.*

QVÆRAT aliquis hoc loco cur Aristonit. hac substãtiæ significatione non sit complexus corpora sensibilia vniuersalia,vt tota significatio esset corpus sensibile, nõ modo singulare,sed etiam vniuersale? huius rei duplex se offert caussa:vna , quia corpus sensibile vniuersale nõ omnibus est notum,Aristoteles autẽ incipere voluit à notissima substantiæ significatione:altera,quia Plato,cuius auctoritati in vsu verborum haud facile repugnãdum erat,nullam naturam vniuersalem(etiam ipsorum corporum singularium) corpus esse putabat.Aduerte autem ad hanc primam significationem substantiæ reuocari materiam , eo quod cætera omnia,quæ in corporibus sensibilibus cernuntur,in ea insint vt subiecto,saltem mediato, ipsa verò non insit in alio.

*Materiam ad hanc primam ſubſtantiæ ſignificationem reuocari.*

*Secundo.*

b *Alio modo id.* Secundus modus est,quo substantia significat caussam formalem substantię primo modo dictę,non separatam,sed in illa ipsa existentem,quo pacto anima est caussa huius animalis,aut illius . Meritò autem intelligunt interpretes hoc loco nomine caussæ ipsius esse solam caussam formalem,quia cùm primum ponitur forma in rerum natura,continuò ponitur res:quod non ita accidit posita materia,cùm illa multarum rerum formis eadem succedat.

*D.Tho. & Alexander.*

*Subſtantiam pro cauſa formali vt ſtatuæ ſenſibilis.*

*Tertio.*

*Pro principiis ſenſibilium.*

*Principia corporum ſenſibiliũ apud Platonem & Pythag. quænam.*

c *Præterea partes omnes.* Tertius modus est, quo subsstantia apud Platonem & Pythagoricos significabat principia corporũ sensibilium more Mathematico tradita,puncta inquam,lineas,& superficies,itémque vnitates,ac numeros.Putabãt enim corpora sensibilia ex his tanquam caussis internis pendere , quòd per illa definirentur, & eis sublatis cohærere in rerum natura non possent. Qua ratione dicebant,plana,siue superficies esse substantiam corporis,lineas planorum,puncta linearum , itémque numeros ac vnitates esse substantias non modò corporum sensibilium, sed etiam planorum , linearum , & punctorum, quod cætera omnia ex numeris & vnitatibus penderent , & per ea definirentur. Addebant autem Platonici & Pythagorici , huiusmodi principia significare hoc aliquid, quia possent intellectu apprehendi sine iis, quorum essent principia, Quamquam hoc interest, quod Platonici dicebant illa esse separata à corporibus sensibilibus, Pythagorici autem in eis ipsis , vt ex primo libro patet.

*Quarto.*

*Pro eſſentia ſubſtantiæ ſingulares cõpletas corporis expertes ad quartum modum pertinere.*

*In primum & quartum modum cæteri colliguntur.*

d *Præterea quidditas.* Quartus extremúsque modus est, quo subsstantia sumitur pro essentia siue quidditate rei , quæ definitione explicari potest, vt pro essentia hominis,animalis, & cæteris naturis communibus: singulares enim essentię rerum sensibilium non comprehenduntur hac significatione,quia definiri nequeunt.

SIQVIS autem quærat,ad quam harum signiucationum pertineant substantiæ completæ singulares non sensibiles , siue materiæ expertes : dicendum est ; eas reduci ad hanc extremam iuxta sententiam Aristotelis , qui putat per easdem differentias compleri species , & indiuidua subsstantiarum separatarum, vt capite sexto diximus.





cipitur aut per partes,ex quibus constare dicitur.Reuocantur quoque entia incompleta per completa,vt differentiæ vniuersales per species, indiuiduales autem per indiuidua,& partes integrantes per totum integrum,& materia & forma per composita,quæ ex illis constant. Denique reuocantur entia æquiuoca per vniuoca, vt canis per domesticum,marinum , & cœlestem ; & complexa per incomplexa, vt hominem esse animal,per hominem & animal,& definitio obiectúmve definitionis,per id, quod definitur.

*Quarto Incompleta.*

*Quinto Æquiuoca & complexa.*

## CAPVT VIII.

*Tex.15.*

SVBSTANTIAE a *dicuntur & simplicia corpora,vt terra,ignis,aqua, ac cætera huiusmodi; & omnino corporá, & quæ ex his constant cum animalia ; tum etiam dæmonia, & horum partes. Hæc autem omnia ex eo dicuntur substantiæ , quòd non de subiecto dicantur , sed de eis cætera. Alio* b *modo id , quod caussa est ipsius esse , inéstque in iis, quæ non dicuntur de subiecto , vt in animali anima. Præterea* c *partes omnes , quæ in talibus insunt , quæquo definiant , & hoc aliquid significant , quibus sublatis totum tollitur , quo pacto sublato plano tollitur corpus ; vt quidam dicunt,& linea sublata , planum atque omnino numerus videtur quibusdam huiusmodi esse : etenim eo sublato nihil esse , & omnia definire. Præterea* d *quidditas , cuius ratio est definitio , atque hac dicitur substantia cuiusque.*

*Cap.6.à tex.7.*

*Ita fit,*

a *Vide Proclum libr. de Ani. & dæmone,& Alcinoum libr. de doctrina Platonis cap. 15. & Plotinum. Enead. lib.5.c.6.*

b *Vt 5.lib. Topic.c.1.*

Universidad de Deusto Biblioteca

c *Ita sit, vt substantia.* Reuocat seu potius colligit traditos modos substantię in primum & quartum: videtur enim excludere tertium, tanquam qui ipsi non probetur: secundus verò reuocatur ad primum, quia substantiales formę corporum sensibilium sunt partes primarum substantiarum. Vocat autem Aristoteles quamlibet essentiam vniuersalem hoc aliquid & separabile quiddam, ne videatur morem loquendi

Συμβαίνει δὲ καὶ τὴν δύο τρόπους τῶν οὐσιῶν λέγεσθαι, τόδε τ' ὑποκείμενον ἔσχατον, ὃ μηκέτι κατ' ἄλλο λέγεται, καὶ ὃ ἂν τόδε τι ὄν, καὶ χωριστὸν ᾖ τοιοῦτον δὲ ἥ ἑκάστου μορφὴ καὶ τὸ εἶδος.

*Cur vocet essentiam vniuersalem hoc aliquid.*

## NVM DEVS OPT. MAX. PONATVR *in prædicamentis.*

### QVÆSTIO I.

*Quorundam haud verâ sententia.*

#### SECTIO I.

*Partis affirmatiuæ Auctores.*

ET si ex iis, quæ superiori capite dicta sunt, satis constat, num Deus Opt. Max. ponatur in Prędicamentis; tamen, vt res apertior fiat, operæpretium fuerit eam quæstionem seorsim discutere, præsertim cum non desint Theologi, qui aliter sentiant. [a] Nam Gregorius Ariminensis, Gabriel, & alij quidam Nominales existimant, Deum propriè, ac per se poni non modo in Prædicamento substantiæ, de quo nunc agimus; sed etiam in Prædicamentis Relationis, & Actionis. Quibus Auctoribus præbuit ansam Gulielmus [b] Ockam, qui in octaua distinctione primi Sententiarum vbi hæc quæstio à Theologis tractatur, etsi nõ ausus est affimatiuam partem asserere, motus auctoritate totius scholæ Theologicæ; ita tamen negatiuæ argumenta se eleuasse credidit, vt dixerit illam nulla efficaci ratione posse concludi.

a *Gregor. Arim. in 1. d.8. q.3. Gabr. ibid. Robert. Holkot. q. 6. Ioann. Bac. cond.6. q. 1. Ioannes Maior. d.8. q. 1.*

*Ockamum dedisse ansam.*

b *In 1. d.8. q.1.*

*Argumenta pro hac parte Primum.*

ARGVMENTA Gregorij & aliorum, quæ ex principiis ac fundamentis sui auctoris desumpserũt, hæc ferè sunt. Substantia genus summum, itémque spiritus seu substantia incorporea, quæ est quædam species substantiæ generis summi, prædicatur de Deo vniuocè, & in quæstione Quid est; igitur Deus propriè & per se ponitur in hoc Prædicamento. Priorem partem antecedentis ex eo probant, quia substantia definitur ens per se existens; spiritus autem, substantia corporis expers: quæ rationes æquè conueniunt Deo, ac cæteris rebus, quæ sub his generibus ponuntur. Posteriorem partem ex eo suadent, quia si quis quærat, quid sit Deus, rectè respondebit, qui dixerit esse substantiam; & familiarius, qui dixerit esse spiritum. Vnde Christus dominus apud Ioannem, *Spiritus*, inquit, *est Deus*.

*Ioan. 4.*

*Secundum.*

DEINDE si quid obstaret quo minus Deus sub genere propriè & per se poneretur, id esset, aut eius simplicitas, aut infinitas: at neutrum obstat: nihil igitur. Propositionem ex eo suadent; quia, qui contendunt Deum poni per se in Prædicamentis, ex his duobus quasi capitibus præcipua



quendi Platonis contemnere, qui vtrumque vebum accommodabat rebus vniuersalibus, siue Ideis. Re tamen vera etsi res vniuersales videntur significare hoc aliquid, eo quod separatim intelligi possunt sine singularibus, nõ sunt tamen hoc aliquid cùm fieri nequeat, vt separatim existant: de qua re quod ad vniuersales substantias attinet, non nihil dixit Aristoteles in Prædicamentis.

*Cap. de Substantia.*

*Ita sit, c vt substantia duobus modis dicatur, & vltimum subiectum, quod iam de alio non dicitur, & id, quod hoc aliquid est ac separabile. Talis autem est cuiusque forma & species.*

---

præcipua ducunt argumenta. Priorem partem assumptionis ea ratione probant, quia Angeli inquiunt, & accidentia, sunt res simplices, & tamen ponuntur propriè & per se sub genere. Posteriorem verò ex eo suadent, quia linea infinita si datur, aut dari potest, non excluditur à genere quantitatis ex quo fit, vt pari ratione non excludatur à genere substantiæ natura diuina, quia sit infinita.

*Ab auctoritate Aristotelis confirmatio eiusdem partis.*

*Cap. 3. tex. 4.* IDEM confirmant auctoritate Aristotelis lib. 10. huius operis: vbi docet, id quod est mensura omnium, quæ sunt in aliquo genere, esse aliquid illius generis. Cùm ergo Deus sit mensura omnium substantiarum, quòd sit perfectissima substantia; colligunt illi, Deum ex Aristotelis sententia poni in Prædicamento substantiæ. Tum ex eodem, initio 12.[a] libri huius operis: vbi tradit substantiam esse primum ens, móxque [b] eandem diuidit in mobilem & immobilem, sub [c] qua postea numerat Deum. Postremo ex 1. [d] Ethic. ad Nicomachum: vbi Aristoteles inter exempla eorum, quæ ponuntur in Prædicamentis, perspicuè numerat Deum.

a *Cap. 1. tex. 2.*
b *Cap. 2. tex. 5.*
c *Cap. 7. tex. 39. & 40.*
d *Cap. 6.*

*Et Diui Augustini.*

IDEM ipsum confirmant Diui Augustini auctoritate; qui in 5. lib. de Trinitate scribit, quædam Prædicamenta dici propriè de Deo, vt substantiam, relationem, & actionem, alia metaphoricè, vt situm esse, habere, locum, & tempus. Idem ex Boëtio lib. 1. de Trinitate: vbi ait, *substantiam continere vnitatem, relationem verò multiplicare trinitatem.* Et ex Damasceno in Elementario: quo loco planè fatetur incorporeum esse differentiam substantiæ, eámque differentiam continere Deum & Angelum: ita concludunt, Deum poni per se ac propriè non solum in Prædicamento substantiæ, sed etiam in cæteris, quæ de ipso propriè, hoc est, non per translationem dicuntur.

*Cap. 9. & 10.*
*Cap. 12.*
*Cap. 9.*

*Et Boetij.*

*Damasceni.*

*Vera aliorum sententia.*

#### SECTIO II.

*Pars negatiua ex multis capitibus probatur.*

VERVM opposita sententia nobis amplectenda est, & hac vna assertione explicanda. Deum Opt. Max. nec per se, nec reductitiè poni in Prædicamentis. Prior pars multis ex capitibus ostendi potest: ex simplicitate diuina, ex infinita illius perfectione, ex necessitate diuinæ naturæ, & ex ipsa ratione Prædicamenti substantiæ, in quo Deus maximè videri posset collocandus.

*Ex simplici-*

*tate diuinæ essentiæ.*

uina simplicitati Deum subiici generi, igitur & poni|per se in Prædicamento:cũ sequentia perspicua est autecedens ex eo probatur,quia quicquid subiicitur generi, cõstat duobus saltẽ entitabus, alteta generis, altera differentiæ,Deus autẽ cum sit perfectissimè simplex cõpositus ex pluribus entitabus esse non potest.

*Nominalia m responsio.*

Hvic argumento respondẽt Nominales: non quicquid subiicitur generi,esse compositum ex pluribus entitatibus,sed id solũ,quod constat materia & forma: cætera enim, vtsubstantias separatas & accidentia, esse simplices entitates,neque vllo modo cõpositas ex pluribus entitatibns.Quæ responsio falso nititur fundamento:quicquid enim subiicitur generi cõuenit vniuocè & essẽtialiter cum aliis,quæ sunt sub eodem genere: & rursus differt ab iisdem non quauis differentia,sed interna & pertinente ad essentiã.Vnde fit vt quicquid subiicitur generi, necessariò constet duabus saltẽ entitatibus:altera,qua conueniat cum aliis, quæ sub eodem genere continentur:altera qua ab eisdem differat.

*Refellitur .1.*

Præterea id, quod formaliter cõtinet entitates multorũ generum,non ponitur totum sub vno genere:quemadmodum totũ hoc Homo sapiens,quia formaliter complectitur entitatem siue naturam substantiæ & qualitatis, nec omnino ponitur sub genere substantiæ, nec omnino sub genere qualitatis,sed partim sub vno,partim sub altero:Deus autẽ complectitur formaliter entitatem substantiæ & relationis,cùm formaliter sit per se existens,itémque formaliter Pater & Filius, & Spiritus sanctus:ergo si substãtia & relatio conueniunt vniuocè Deo & creaturis,vt genera diuersorum Prædicamentorum, quod contrariæ opinioni Auctores dicunt:efficitur,vt Deus non ponatur totus sub genere substãtiæ,sed partim sub genere substãtię,partim sub genere relationis.At qui Deus,cùm sit vnius dũtaxat eiusdẽque simplicissimæ naturę,nõ potest poni partim sub vno genere,partim sub alio,vt ponitur complexio ex homine & sapiẽtia,ergo nullo modo dicendu m est,Deum poni per se in Prædicamentis.

*Deus complectitur formaliter entitatẽ substãtiæ & relationis.*

*Ex infinita Dei perfectione prima confirmatio.*

Ex infinita autẽ perfectione diuina hæc ducuntur argumenta.Si Deus subiiceretur alicui generi,cùm natura cuiusque generis sit eiusdem perfectionis essentialis in omnibus,quæ sub illo cõtinentur,darentur creaturæ æquè perfectæ in aliquo essentiali attributo, atque Deus,eæ nimirum,quæ cum Deo sub eodem genere continentur:at hoc nequaquam admittendum est,ergo nec illud. Assumptio,de qua sola dubitare quis posset,ex eo patet:quia omnia essentialia attributa Dei sunt infinitè perfecta,ac proinde infinitè excedunt perfectionem prædicatoruum essentialiũ cuiusque creaturæ, alioqui cum omnia, quæ ad essentiam creaturarum pertinent, sint dependentia,aliquid essentiale daretur in Deo,quod ex ratione naturaque sua esset dependens,quod fieri nequit.

*Dei omnia attributa sunt infinita.*

*Tacita argumenti solutio euertitur.*

Nec te moueat,quòd natura cuinsque generis sit indifferens ad omnes eius differentias diuisiuas vt hac ratione existimes posse substantiã genus summum esse indifferentem ad depẽdentiã & indepẽdentiam, se enim euertit huiusmodi responsio. Nam si daretur differentia



rentia independens cùm omnis differentia depẽdeat,à natura sui generis vt actus à sua potentia: ea sanè differentia esset depẽdens & independens, quod pugnantia complectitur.

*Ca.7. de communitatibus.*

*Secunda argumẽtatio ex diuina perfectione.*

Præterea cùm natura cuiusque ipsa secundum se sit imperfecta,& quasi materia respectu differẽtię,vt Porphyrius in Isagoge ex communi sententia Philosophorũ tradit:si Deus subiiceretur alicui generi,daretur in Deo aliqua natura imperfecta,& potentialis & minus perfecta ipso Deo:quæ neutiquã admittenda sunt:cũ Deus sit actus purus, ac proinde non cõpositus ex actu & potentia,vt lib. 12.patebit.Quod si Auctores oppositæ sententiæ respondeant,nomẽ generis non significare vllam naturam cõmunem iis,quæ sub genere continentur.sed immediatè naturas singulorũ,atque idem dicendũ esse de omnibus vniuersalibus:audiẽdi non erunt de ea re.quod ea ratione tollãt de medio naturas omnes non modo genericas,sed etiam specificas,& alias vniuersales,soláq;rerũ vocabula faciant vniuersalia:ac proinde nobiscum non disputent, qui de naturis communibus non de communibus vocabulis agimus.

*Nominalium solutio reiicitur.*

*Tertia ratio.*

Item plus distat à natura diuina in perfectione essẽtiali quęlibet res creata,quã à Qualitate quãtitas:at quãtitas & qualitas ita ab eiusmodi perfectione distant, vt nullum eis commune genus assignetur: multo igitur minus assignandũ est genus cõmune Deo,& creaturis.

*Quid nõnulli respondeant.*

Svnt qui respondeant inefficacẽ esse rationem hanc:quia minus distant ea,quæ ponuntur in sex vltimis Prædicamẽtis ab iis,quæ ponuntur in quatuor primis, quàm pleræque res vnius Prædicamenti inter se,veluti quàm lapis,& Angelus:& tamẽ his datur vnum cõmune genus,illis non item.Sed nõ videt se aut præter rem loqui, aut falsam enunciationem sumere.Nam si propterea volunt,ea quę ponuntur in sex vltimis Prædicamẽtis,minus distare ab iis,quæ ponũtur in primis quattuor,quàm lapis ab Angelo,quia sunt idem re cum illis: cùm tamen lapis,& Angelus re differant,nihil ad rem est eorũ respõsio, Neque enim in ratione proposita est sermo de distantia,aut idẽtitate reali: neque etiam Prædicamentorum distinctio,aut identitas, ex distinctione,aut identitate reali sumenda est.Quòd si volũt propterea minus distare ab iis,quæponũtur in primis quattuor,quàm lapis ab Angelo,quia habent modũ essendi minus distantem à modo essendi primorũ quattuor, quàm sint modi essẽdi lapidis & Angeli inter se: falsam enũciationẽ assumũt: lapis enim & Angelus eodẽ modo per se existunt,eodemq;modo sunt in primis substantiis:quæ autẽ ponũtur in sex vltimis Prædicamentis nõ habent eũdem modum essendi in primis substantiis,quem ea,quę ponũtur in primis quattuor.

*Refutatio.*

*Quarta ratio ex eodem capite.*

Ad hæc, vel natura generis sũmi eius Prædicamẽti,in quo Deus ponitur,est finitę perfectionis,vel infinitę:si infinitę,sequitur omnia, quę in eo Prędicamẽto ponũtur esse infinitę perfectionis,quod ne cogitari quidem potest:immo etiam sequitur nullã posse dari differentiam per quam tale genus contrahatur, quia id quod est infinitę perfectionis in aliquo genere,non recipit additionẽ in illo genere.Si verò finitæ, cùm Deus sit infinitæ perfectionis, aliqua perfectio est in

Deo

*Dei omnis perfectio infinita est.*

Deo vltra perfectionem generis summi. Aut ergo ea perfectio adiecta, est finita vel infinita: si finita ergo nihil est in Deo perfectionis infinitæ; siquidem finitum finito additum non facit quicquam infinitum: si infinita, ergo in ea inuenitur omnis perfectio diuina, sicque superuacanea est perfectio generis summi, quæ tamen prius natura in Deo intelligi, ac precisè sumi potest, si vlla datur communis Deo & alicui creaturæ. ex quo fit, vt Deus sub tali genere summo non contineatur.

*Solutio rationis.*

QVOD si quis dicat naturam generis summi, sub quo Deus cõtinetur, nec habere perfectionem finitam, nec infinitam, sed perfectionem quamdam vtriquè cõmunem, quemadmodum ens in cõmune nec est finitum nec infinitum, sed indifferens ad finitionem & infinitionem; occurrendum est, in analogis quidẽ, quale est ens, dari posse huiusmodi indifferentiam, quia nomen analogum nullã naturam cõmunem rebus analogis significat, at in vniuocis nequaquã id esse admittendum: siquidem omnis natura vniuoca quemadmodum certã habet essentiam, & quæ ab vniuocatis abstrahi potest, ita certã habere debet essentiæ perfectionem ac proinde finitam aut infnitam.

*Refellitur.*

*Vt nonnulli instent.*

VRGENT nõnulli exemplo quantitatis, quæ genus etiã summũ est, & indifferens natura quædam vniuoca ad finitionem & infinitionem. Sed facile hic occurritur dissimilitudine finitionis & infinitionis. Nam finitio & infinitio quantitatis est secundũ extensionẽ, nos autem loquimur de finitione & infinitione secundum perfectionem essentiæ, quæ nõ maior esset in quãtitate infinita, quàm finita. Accedit q infinitio quantitatis impossibilis est, vt habet multo verisimilior Philosophorum & Theologorũ sententia: vnde fit, vt nec quantitas genus summũ, neque vlla eius species, indifferens sit ad finitionem & infinitionem.

*Occurritur argumento.*

*Finitum vel infinitum esse propriũ quantitatis, quomodo accipiendum.*

Quod autẽ dicitur, finitum vel infinitum extẽsione esse proprietatem quantitatis, vel sic intelligendũ, est: vt si infinitio illius dari potest, proprium sit & quantitatis in cõmune, & omnium eius verarum specierum esse quid finitè aut infinitè extensum: vel certè infinitio pro tanta extensione sumitur, quanta necessaria est ad detrahendum ex quantitate proposita, quantamcumque velit Mathematicus: vt docet Aristot. 3. Phys. libro. Ad hoc autem satis est, si nomine quantitatis infinitæ intelligatur infinita negatiuè, id est, nullo ei præfixo termino. *Cap. 7. tex. 71.*

*Auicenna 8. Metaph. c. 4*

*Confirmatur eadẽ pars ex necessitate diuinæ naturæ*

EX necessitate verò diuinæ naturæ, sic licet post Auicennam cum Scoto rem ostẽdere. Aut genus sub quo Deus ponitur, est entitas ex se necessaria, aut non ex se necessaria: si ex se necessaria, ergo includit suam differentiam diuisiuam: siquidẽ genus sine differentia diuisiua non est in actu vltimo: quicquid autem est ex se necessariũ, est in actu vltimo. Quod si tale genus includit suam differentiã diuisiuam, iam non est genus, vt patet: si verò est entitas nõ est ex se necessaria, ergo aliquid ex se necessarium, quod solus Deus esse potest constitutũ est ex entitate nõ ex se necessaria, sed verè cõtingenti: quod fieri nequit.

SI quis autem respondeat, eam entitatem esse indifferentem ad necessitatem ex se, & nõ necessitatem, seu veram contingentiã: eodẽ modo re-



modo refellenda est responsio, quo in superiori argumentatione, refutata est illa de indifferentia ad finitionem & infinitionem. Accedit quòd entitas illa indifferens, si esset eiusdem rationis cum entitate alicuius creaturæ, esset re vera contingens, quemadmodum est quicquid entitatis in creatura cernitur: quo fieret vt, Deus cui illa essentialiter conueniret, esset verè contingens, ac non minùs contingens ratione illius, quàm quælibet creatura sub eo genere contenta. *Refutatur.*

PORRÒ si quis contra hęc omnia obiiciẽdo quærat, cur substantia genus summum nõ æquè possit indifferens esse ad finitionẽ & infinitionem, ad necessitatem ex se & contingentiam, ad comprehensibiles substantias particulares, & incomprehensibilem, vt re vera est ad differentias corporei & incorporei (videtur enim omnino par ratio) facilè respondetur non esse re vera parem rationem. Nam differentiæ corporei & incorporei, quæ substantiam genus summum diuidunt, supponunt finitam entitatem substantiæ, eandemq; contingentem & comprehensibilem, neque enim supponunt, nisi verè contrahibilem, quod autem verè contrahibile est, & eadem omninò ratione includitur in substantiis finitis contingentibus & comprehensibilibus, id necesse est sit finitum, contingens & comprehensibile. At finitum vel infinitum necessarium & contingens, comprehensibile & incomprehensibile non sunt differentiæ, quæ naturam aliquam verè contrahibilem supponant, sed sunt modi essendi omnium cõmunissimi, quibus tota entis confusio primum diuiditur in ens creabile siue dependens & increabile siu independens: quorum hoc est infinitum, necessarium & incomprehensibile: illud finitum, contingens & comprehensibile, quod deinde distribuitur per decem Prædicamenta. *Obiectio aduersus prædicta.* *Diluitur.* *Entis diuisio in creabile & increabile omnium prima.*

DENIQVE ex ipsa ratione Prædicamenti substantiæ, in quo maximè Deus videretur collocandus. hæ rationes ducuntur. Omnis substantia quæ per se ponitur in hoc prædicamento, substat accidentibus, vt Aristot. docet in libro Prædicamentorum. Deus nullis substat accidentibus, vt idem ostendit libro 12. huius operis, non ponitur igitur Deus per se in hoc prædicamento. *Confirmatio ex prædicamẽti substantiæ ratione. Prima ratio.*

*Cap. de substantia. Ca. 7. tex. 41.*

PRÆTEREA omnis substantia quæ per se ponitur in hoc Prędicamento, aut est prima, aut secunda: Deus nõ est secunda substantia, vt patet, cùm non sit genus nec species: non item prima, alioqui subiiceretur multis entitatibus, quæ essent priores natura ipso, siquidem omne superius quod potest ab inferioribus abstrahi, est prius natura inferioribus: non ponitur ergo per se Deus in hoc prædicamento. *Secunda.*

PRÆTEREA si Deus haberet per se locum in Prædicamento substantiæ: cum genera & species substantiarum non omnino per se existant, sed per primas (vnde & secundæ dicuntur) daretur aliquod attributum essentiale Dei, quod non omnino per se existeret: quod dici nullo modo potest. *Tertia.*

*Scholastici 1. Sen. d. 8. item D. Tho. 1 p. q. 3. art. 5. & de poten. q. 6. & 7. ar. 3. Alen. 10. Me. super*

*Auctoribus pars eadẽ quæ stionis stabilitur. Scholasticis pene omnibus. D. Dion. D. Damasc. D. August.*

HANC assertionis partem sequuntur D. Thomas, Scotus, Magnus Albertus, Alensis, Ægidius Romanus, Gandauensis, Durandus, & reliqui fermè Scholastici, pręter quosdam Nominales. Nec Scholastici modo, sed antiqui etiam Doctores sancti eandem sentẽtiam amplexi

Universidad de Deusto
Biblioteca



sunt. In primis apud Dionysium Areopagitam sæpius in libro de diuinis nominibus scriptum est, Deũ præstantiori modo esse quã substant am. Damascenus quoque in libro Orthodoxæ fidei docet, diuinam essentiam esse omnibus substantiis supereminentem, & ab omni substantia exceptam. Itémque Augustinus libro de Trinitate sic scribit: *Si Deus subsistit, vt substantia propriè dici possit, inest in eo aliquid tanquã in subiecto: nefas est autem dicere, vt subsistat & subsit Deus bonitati suæ, atque illa bonitas non substantia sit, vel potiùs essentia, nec ipse Deus sit bonitas sua, sed in illo sit tanquam in subiecto. Vnde manifestum est,* inquit, *Deum abusiuè substantiam vocari, vt nomine vsitatiore intelligatur essentia, quod verè ac propriè dicitur, ita vt fortasse solum Deum dici oporteat essentiam, est enim verè solus, quia incommunicabilis est, idq; nomen suum famulo suo Mosi* [a] *enunciauit,* cũ ait: *Ego sum, qui sum.* Hæc ille eo loco. Superiùs [b] verò, quod ad alia Prædicamenta attinet, ita scriptum reliquit: *Intelligamus Deum si possumus sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, &c.* Quocirca meritò Petrus Lombardus, qui à colligendis Patrum sententiis Magister sententiarum appellatus est, ex dictis Augustini colligit prædicamenta artis Dialecticæ, Dei naturæ minimè conuenire.

*tex. 8. & 1. p. suæ summæ, q. 48. Arti. 3. Gand. 1. p. ar. 26. q. 2. plerique etiam hoc loco, & in prædict. Dion. eo. lib. ca. 5. Damas. li. 1. eius operis cap. 8. Augustin. 7. eius oper. c. 5.*

*a Exodi 3.*

*b Initio lib. cap. 1. Magister 1. sent. d. 8.*

*Magistri sententiarum testimonium.*

*Cap. 3.*

*Locus Diui Aug. clarissimus.*

Pro hac re lege apertissimum locum Augustini in libro de cognitione veræ vitæ. *Sciendum,* inquit, *Deum nullis verbis propriè exprimi, nulla posse cogitatione comprehendi, quo modo immensus, & incomprehensibilis prædicaretur, si humanæ locutioni, vel meditationi includeretur? Nunc autem patet quam sit admirabilis, cùm omnibus linguis sit indicibilis, omnibus cordibus sit incogitabilis. Dialectica namque disserendi potens, potenter quoq; dubia definiens cunctas scripturas euibrans & euiscerans, cunctam humanam sapientiam annihilans, cùm in diuinitatem intendit, tantæ maiestatis luce repercussa, pauidum caput tremefacta reflectit, atque in abdita mundana sapientiæ fugiens delitescit, dissolutisq; Syllogismorum nexibus, stulta obmutescit. Nempe nomine & verbo cuncta exprimuntur, quæ sub decem prædicamentis humano corde concipiuntur. Sed quod ex in nullum propriè Deo conueniat, manifestè ratio comprobat, Nam si dixerimus quod Deus substantia sit, quæ omnibus subsistere tribuat, & per quam omnes res esse habent, mox vniuersalia & indiuidua, de quibus substantia prædicatur, genera & species, in quibus versatur simul, & nouem accidentia, quæ ei necessario inhærent, animo occurrunt quæ cuncta liquent, quia minimè in Deum concurrunt.*

*Dialectica.*

*Boëtij testimonium.*

*Boë. ca. 5. & 6.*

Idem tradit Boëtius in libro primo de Trinitate: *Decem,* inquit, *omino traduntur Prædicamenta, quæ de rebus omnibus prædicantur, Substantia, Quantitas, &c. at hæc cum quis in diuinam verterit prædicationem, cuncta mutatur, quæ prædicari possunt. Nam substantia in illo non est verè substantia, sed vltra substantiam, &c.* Et Anselmus in Monolog. *Quomodo quis,* inquit, *summam naturam in aliarum substãtiarum tractatu contineri intelligit, quæ nec in plures substantias se diuidit nec in vnam cum aliqua alia per essentiæ communicatione se colligit.* Mitto Auen-Roem in disputat. contra Algazelem, & Auicennam 8. libro suæ Metaphysicæ, qui nonnullis rationibus ingeniosè concludunt Deũ non poni sub vllo genere, itemq; alios complures Ethnicos Philosophos qui idem sentiunt. Itaque velle Deum redigere in ordinem rerum, quas ipse condidit, & aliqua ex

*Cap. 26.*

*D. Anselmi.*

*Auer. in destruct. disp. 7. cap. vlt.*

*Auicenna c. 4. eius lib. nõ longè à fine.*



ex parte facere creaturas æquales creatori, non solum cum ratione non congruit, sed nescio an satis cum pietate conueniat. Atque hæc de priori parte assertionis.

*Vt est apud Richardũ de Media-Villa 1. Sen. d. 8.*

*Deũ non esse reductitie in aliquo Prædicamento.*

Posterior pars eorundem ferè Auctorum est, satisq; ex eo probari solet, quia quæ reductitiè ponuntur in Prædicamentis, ideò sic ponuntur, quia minus perfecta sunt, quàm quæ ponuntur per se: quod de Deo dici nullo modo potest. Verum de hac re plura dicta sunt in quæst. vltima superioris capitis. Quod si D. Thomas in [a] quæstionibus de Potentia Dei concessit, Deum reductitiè poni in Prædicamento substantiæ, (quod [b] refellit Argentinas) id planè correxit [c] in commentariis primæ partis summæ Theologicæ.

*a q. 7. arti. 3.*

*b in 1. d. q. 1.*

*c 1. par. q. 3. artic. 5.*

### *Diluuntur argumenta prioris sententiæ.*

### Sectio III.

*Substantiam analogicè cõuenire Deo & creaturis, quo pacto intelligendum.*

*Definitio substãtiæ in communi exponitur.*

*Definitio substantiæ completæ.*

*Generis summi.*

Ad primum igitur argumentum prioris sententiæ dicẽdum est, negationem existendi in subiecto, ex æquo quidem conuenire omnibus substantiis. Omnis enim substantia æquè habet, vt nullo pacto existat in subiecto inhæsionis, vtpote nec vt quantitas, nec vt qualitas, &cæt. Attamen id, quod nomine entis & hac negatione adiuncta significatur, nempe essentiam ipsam, quæ huiusmodi negationem sibi vendicat, analogicè conuenire Deo & substaniis creatis. Deus enim vendicat sibi hanc negationem per suam simplicissimam entitatem, quæ nec componitur ex aliis entitatibus, nec aliam componit, cæteræ autem substantiæ per primam entitatem, ex qua constant; quæ entitates non possunt vniuocè conuenire inter se, sed tantum analogicè. Ex his patet, definitionem substantiæ, vt à non substantiis distinguitur, hoc modo esse intelligendam. Substantia est ens, (subaudi per se, & reale) quod ex sua peculiari natura sibi vendicat non existere in suo subiecto, hoc est, non posse inhærere subiecto: definitionem verò substantiæ completæ hoc modo. Substantia est ens completum, quod ex peculiari natura sua sibi vendicat non esse in subiecto; denique definitionem substantiæ generis summi hoc pacto. Substantia est ens finitum, & completum quod ex peculiari natura sua, &c. & ita soluta relinquitur prior pars argumenti. Vnde facilè colliges solutionem posterioris. Nam etsi incorporeum quatenus significat negationem corporis, æquè dicatur de Deo & cæteris substantiis incorporeis, tamen entitas quę negatione corporis innuitur, non est eiusdem rationis in Deo & in cæteris substantiis corporis expertibus.

*Diuinæ naturæ simplicitas.*

Ad secundum dicendum est, Deum & infinitatis & simplicitatis suæ causa non posse poni sub vllo genere: tantam enim poscit natura diuina simplicitatem, vt non modo ex diuersis rebus, veluti ex materia & forma, sed ne ex diuersis quidem essentiæ gradibus siue entitatibus, cuiusmodi sunt natura generis & differentiæ, intelligi possit constituta. Tantam quoque perfectionem exigit infinitas Dei, cum sit infinitas perfectionis simpliciter, vt nulla omnino perfectio con-

*Perfectio.*

cipi possit, quæ in ea non contineatur. At Angelorum & accidētium natura longè minorem simplicitatem sibi vendicat, quia etsi ex materia & forma constare non potest, potest tamen constitui ex entitatibus generis, & differentiæ, linea quoque infinita, si datur aut dari potest, non est infinita infinitate perfectionis simpliciter, sed solùm secundum extensionem. Vnde cum habeat essentiam finitæ perfectionis, nihil prohibet quo minus sub certo genere contineatur, si dari re vera potest:

*Lineam infinitam extensione, non esse infinitā perfectione.*

*Loca Arist. pro cōtraria sententia adducta explicantur.*

Ad primum locum Aristotelis dicendum est, hanc esse illius sententiam. Id quod est propria & peculiaris mensura omnium quę sunt in aliquo genere, esse aliquid illius generis, saltem reductitiè. Albedo enim quæ est peculiaris mensura omnium colorum, pertinet per se ad genus colorum, vnitas verò quæ est peculiaris mensura omnium numerorum, pertinet reductitiè ad genus numerorum, si tamen numeri in genere vllo per se ponuntur: Deus autem non est propria & peculiaris mensura substantiarum prædicamentalium, sed communis rerum omnium, & superexcedens respectu cuiusque Prædicamenti. Dici etiam potest, nomen generis non accipi eo loco propriè, ac presse, sed latè & vt analoga etiam complectitur, neque vllum esse incommodum, si Deus dicatur esse in genere, hoc modo sumpto, hoc est, in genere substantiæ, quatenus substantia ab accidentibus distinguitur, quæ est analogica communicatio in substantia: atq; hoc pacto sumit Auenroës in loco citato genus substantiæ: quo etiam modo non dubium est, quin accipiendum sit substantiæ nomen in altero loco, qui affertur ex Aristotele.

*Deus est mē sura super excedens.*

*B. Augustini locus exponitur.*

Ad tertium eiusdem locum dicēdum est, si nomine Dei ibi intelligendus est solus Deus, & non potius substantia quælibet separata vt sæpe fit apud Aristotelem, non dubium esse, quin exempla afferantur ex iis, quæ quoquomodo reperiuntur in Prædicamentis: id enim satis superque est ad institutum eius loci. Deus autem etsi nec propriè, nec reductitiè inuenitur in Prædicamēto substantiæ: tamen inuenitur participatiuè, vt suprà diximus. Quod autem is locus hoc pacto intelligendus sit, vel ex eo patet: quia alterum exemplum substantiæ, quod ibidem affertur: est mens, hoc est, anima intellectiua: anima autem non ponitur per se in Prædicamento substantiæ. Atque hinc perspicua relinquitur responsio ad locum ex Topicis adductū.

*Conciliantur loca eiusdem.*

Ad locum Augustini dicendum est, substantiam & alia quædam Prædicamenta dici quidem propriè, hoc est, non metaphoricè de Deo, sed tamen dici analogicè: sunt enim pleraque prædicata, quæ dicantur propriè de multis: nec tamen de illis prædicentur vniuocè vt ens, bonum, & alia quamplurima. Augustinum autem hoc pacto intelligendum esse, ipse eodem loco declarat, cùm ait: *Si tamen de illo proprié aliquid dici ore hominis potest*, quasi dicat, etsi quædā de Deo dicuntur propriè, seu non metaphoricè, multo tamen excellentius de Deo, quàm de creaturis prædicantur. Nec tibi videatur Augustinus sibi contrarius, cum superiùs retulerimus illum dixisse, Deum impropriè & abusiuè vocari substantiam: nunc autem eundem audiamus



diamus asserentem Deum esse propriè substantiam. Accipit enim in loco superiùs citato nomen substantię iuxta Latini vocabuli Etymologiam, nempe quatenus à substando dictum est: quo pacto nomen substantiæ non minus impropriè dicitur de Deo quàm sedere, loqui, & alia id genus, at in verbis quæ in argumento citantur, non dubium est quin accipiat nomen substantię pro essentia, iuxta significationem Græci nominis, quo pacto substantiæ vocabulum non solùm dicitur propriè de Deo, sed etiam præcipuè.

Ad locum Boëtij eodem modo respondendum est substantiam & relationem nō accipi iis verbis vniuocè, sed analogicè: quod idem dicendum est ad locum Anselmi, quoad vtrumq; vocabulum & substantiæ & incorporei: alioqui planè sibi repugnarent hi auctores, vt patet ex dictis.

## *NVM DIFFERENTIAE SVBSTANTIARUM pertineant per se ad aliquod Prædicamentum.*

## QVÆSTIO II.

### *Differentias substantiarum non pertinere ad Prædicamentum qualitatis.*

### SECTIO I.

VARIETAS opinionum in causa est, vt hāc etiam quæstionem hoc loco discutiamus, alioqui satis esset illud, quod superiori cap. generaliter ostensum est nullas differentias specificas poni per se in Prædicamentis, sed omnes reductitiè.

*Opinio eorū qui differētias substantiarū in Prædicamento qualitatis ponunt probatur. Primo.*

Sunt igitur qui dicant, differentias substantiarum effectrices pertinere ad Prædicamentum qualitatis: primum quia Aristoteles in Prædicamentis, cum tradit primum & secundum substantiarum attributum, excludit differentias à numero substantiarum: vnde fit consequens, vt numerandæ sint in accidentibus: nec sane videntur posse pertinere ad aliud genus accidentium præterquam qualitatis.

*Secundo.*

*Cap. 14. Tex. 19.*

Deinde quia hoc ipso libro, cum de qualitate differitur, plane asserit Aristoteles, differentiam substantiæ esse præcipuum qualitatis significatum: qualitas autem quæ præcipue ac propriissime qualitatis nomine significatur, est qualitas Prædicamenti qualitatis.

*Impugnatur vt falsa & Aristoteli repugnans.*

Verum hæc sententia aperte falsa est, & Aristotelicæ doctrinæ repugnat: omnis enim qualitas quæ ad Prædicamentum qualitatis pertinet est accidens, & omne accidens est in subiecto: differentiæ autem substantiarum non sunt in subiecto, vt ipse etiam Aristoteles asserit in Prædicamentis, cū tradit primum substantiarū attributum.

*Cap. de substantia.*

1

2

Item nulla qualitas quæ sit accidens, prædicatur de primis substantiis vniuoce seu nomine & ratione, differentię substantiarum prędicantur vniuoce de primis substantiis, vt idem eodem loco docet, cùm tradit secundum attributum: non sunt igitur qualitates, quæ ad Prædicamantum qualitatis pertineant.

AD hæc: omnis qualitas quæ est accidens, est non substantia, vt patet: nulla autē qualitas substantialis, est non substantia, igitur nulla qualitas substantialis est accidens, omnis autem differentia substantialis est qualitatas substantialis: ergo nulla earum est accidens, & (quod hinc sequitur) nec qualitas. Prior assumptio, quam solam forsitan quis negauerit ex eo probatur, quia si aliqua qualitas substantialis esset non substantia, certè substantiæ constarent ex non substantiis, quod fieri non potest, & negatur ab Arist. 1. Physicorum libro [a] cap. 6. Quocirca 3. [b] capite sic argumentatur. Si homo est propriè ens, id est, substantia & animal: necesse est propriè quid esse; & itidem bipes, hoc est, necesse est non solùm genus, sed etiam differentiam hominis esse substantiam qua etiam consequentia in re simili vtitur in Topicis [c] cum ait: *Incommodum esse differentias eorum, quæ sunt ad aliquid non esse ad aliquid*, est igitur hæc sententia, & planè falsa, & quæ Aristotelicæ doctrinæ apertè repugnat.

*Aristotelis argumētatio.*

a *Textu 52.*
b *Textu 28.*
c *5. Top. c. 3.*

*Differentias substantiarum nec directo poni in Prædicamento substantiæ, neque esse verè medias inter substantias & qualitates.*

## SECTIO II.

*Secunda opinio eorū qui differentias substantiales poni per se in hoc Prædicamento tradunt.*

ALII vt errorem superioris opinionis declinent, in alium forsitan non minorem incurrunt. Credunt enim differentias substantiarum propriè, ac per se in Prædicamento substantiæ collocari: sed tamen non tractari ab Aristotele in libro Prædicamentorum, quod in eo quasi introductorio ad Philosophiam, non sit æquum agere, nisi de substantiis compositis, quæ vulgò sunt cognitæ. Ex eo autem probant suam sententiam, quod differentiæ substantiarum cùm pertineant ad essentias primarū substantiarum non possint esse accidentia: ex quo videtur effici, vt sint substantię directò pertinentes ad Prędicamentum substantiæ, quemadmodum & aliæ substantiæ simplices.

*In his est Ammon. in Prædicam. c. de substātia.*

*Reiicitur. Primum argumentum.*

SED neque huiusmodi sententia vlla ratione admittenda est. Primùm, quia si differentiæ substantiarum sub genere summo huius Prędicamenti directò ponerentur, aliquod genus summum diceretur essentiali prædicatione de differentiis, quibus diuiditur: quod fieri non posse [d] partium quæstione septima superioris capitis, partim tertio & quarto huius operis libro ostensum est.

*Secundum.*

d *Lib. 3. ca. 3. text. 10. & lib. 4. 2. q. 1. sect. 4.*

DEINDE quia si hæc sententia vera esset, iam differentiæ substātiarum essent secundæ substantiæ, atque adeò genera & species, in quibus essent primæ; ex quo fieret, vt prædicarentur de primis in quæstione Quid est; quod apertè falsum.

*Tertium.*

ITEM quia quicquid directò ponitur sub genere, habet aliquid vltra essentiam generis: ergo si differentiæ quas nouimus directò collocarentur sub genere summo, necessariò constarent genere summo, & quibusdam adiectis differentiis: quare cum de omnibus differentiis eadem sit ratio, illæ quoque adiectæ differentiæ constituerentur ex aliis



ex aliis differentiis, & illæ ex aliis, atque ita nullus esset differētiarum certus numerus, etiam earum quæ ad vnius dūtaxat speciei essentiam pertinent: quod nemo sanæ mentis dixerit.

*Quartum.*

POSTREMO quia si differentiæ substantiarum directò ponerentur sub genere, subiicerentur vtique illi in quæstione Quid est, ac proinde essent eius species, cùm non sint illius indiuidua: at nihil est, quod sit differentia simul & species, vt ipse Arist. docet 1. Topic. cap. 13. non ponuntur igitur differentiæ substantiarum directò sub genere summo huius Prædicamenti.

*Simplic. & Boëtius in Prædica. ad cap. de Substantia.*

*Tertia opinio ponentiū differentias esse medias inter substantias & qualitates quo sensu ferenda.*

SVNT etiam qui dicant, differentias substantiarum esse medias inter substantias & qualitates, quorum sententia falsa esset, nisi hoc pacto videretur intelligenda, vt dicantur mediæ: qui etsi nec sunt substantiæ completæ, nec qualitates completæ, tamen habent esse substantiæ non inhærendo in subiecto, & modum qualitatis in efficienda & specificanda, vt ita dicam & quasi figuranda natura generum, & ad suas species trahenda.

*Vera explicatio quæstionis, & solutio argumentorum pro partibus oppositis.*

## SECTIO III.

*Lege D. Tho. hoc lib. lect. 16. Alen. ibi. in textu 19. Auer. ibidem com. 19. Iand. 5. Met. q. 21. Soto n. 10. Met. q. 24. ad 1. Scot. in Prædicam. cap. de Subst. q. 13.*

*Quarta sententia vera & communis probatur.*

VERA igitur & ferè omnium communis sententia est, differentias substantiarum neque accidentia esse, neque substantias directò positas in hoc Prædicamento: sed esse substantias incompletas, reductitiè ad illud pertinentes, quæ facilè ex eo probatur. Quia differentiæ substantiarum non sunt accidentia siue completa siue incompleta, vt patet ex refutatione primæ opinionis (æquè enim concludit in completis, atq; in incompletis) ex quo fit vt sint substantiæ, sumpto nomine substantiæ, vt dicitur de cōpletis & incompletis: cùm ens reale immediatè diuidatur in substantiam & accidens, vt dicuntur de completis & incompletis: at differētiæ substantiarum non sunt completæ substantiæ, quasi directo pertinentes ad substantiæ Prædicamentum, vt ostensum est in refutatione secundæ, sunt igitur incompletæ, & quæ solùm reductitiè ad illud spectent.

*Neque accidentium differentias per se poni in prædicamentis.*

EADEM ratione proportione seruata perspicuum relinquitur, nec differentias quibus accidentium genera diuiduntur poni per se in aliquo Prædicamento, sed solùm reductitiè in iis in quibus ea genera collocantur.

*Soluuntur argumenta prioris opinionis. Exponitur Aristot.*

QVAPROPTER ad priorem locum Aristotelis cui innititur prima opinio, dicendum est Aristotelem accepisse ibi nomen substantię pro substantia completa, vt in expositione illius diximus, qualis non est vlla differentia substantiæ.

AD posteriorem dicendum est Aristotelem cum hoc libro de qualitate differit, non agere de solis qualitatibus, ad Prædicamentum qualitatis pertinentibus, vt eo loco patebit, proinde non mirum esse si substantiales etiam differentias qualitates appellauerit. Cum autem ille ait

Universidad de Deusto Biblioteca



ille ait differentiam ſubſtãtiæ,hoc eſt, eſſentialem (ſic enim exponẽdus eſt locus) eſſe prę cipuum qualitatis ſignificatum,non ita id intelligendum eſſe, vt ſenſus ſit hãc eſſe maximè propriam nominis ſignificationem,ſed vel ita vt ſignificet,inter entia quæ nomine qualitatis eo loco ſignificantur,primum genus & prę cipuum,quod in eo contineatur eſſe differentias ſubſtantiales:ſunt enim hæ reuera ſubſtantiæ, quamquam incompletæ,cum interim reliqua entium genera,quæ ibi inter qualitates numetantur, ſint accidentia: vel certè, vt velit differentias eſſentiales eſſe præcipuas,quoad efficiendi,conſtituendíve rationem quod ſint ſpecierum effectrices,quæcunq; ipſæ ſint,ſiue ſubſtantiarũ,ſiue accidentiũ:quod cæteris differentiis non eſt cõceſſum.

*Ad ſecundæ opinionis fundamentum reſpondetur.*

AD id autem cui innitebatur ſecunda ſententia,nempe: Differentias ſubſtantiarum non eſſe accidentia , cùm pertineant ad eſſentias primarum : ergo eſſe ſubſtantias directò poſitas ſub genere ſummo huius prædicamenti : ex dictis patet negandam eſſe conſequentiam, poſſunt enim eſſe ſubſtantiæ: quæ reductitiè tantùm , & non directo ad hoc Prædicamentum pertineant.

## *NVM MATERIA, FORMA, ET PARTES integrantes ſubſtantiarum, præſertim diſsimilares ponantur per ſe in Prædicamento ſubſtantiæ.*

## QVÆSTIO III.

### *Opinio eorum qui affirmatiuam partem quæſtionis approbant.*

### SECTIO I.

*Ratio tractãdi quæſtionẽ.*

HÆc etiam quæſtio cuius partem negatiuam ſuperiori capite confirmatam reliquimus,abſq; in commodo prætermitti poſſet, niſi etiam quidam loci apud Ariſtotelem, hoc præſertim capite , & auctoritas multorum affirmatiuam vtcumque probabilem facerent.

*Pars affirmans probatur ex Ariſt.*

1 PRIMVM enim Ariſtoteles hoc capite cum tradit ſecundam ſignificationem ſubſtantiæ,enumerat inter ſubſtantias formam ſubſtantialem:in tradenda autem prima,ſimul refert animalia & partes eorum integrantes. *Text.15.*

2 DEINDE, quia ſecundo libro de Anima,vt colligatur definitio animæ,priùs diuiditur ſubſtantia in materiam,formã,& compoſitum. Nec dici poteſt Ariſtotelem ſumere eo loco,ſubſtantiam analogicè, tum quia apertè ait ſubſtantiam quam diuidit eſſe vnum ex generib. entium:tum maximè quia in præfatione illorum librorum dixerat:ad inueſtigandam animæ definitionem,neceſſarium eſſe diuidere,atque accipere, in quo genere collocetur anima, vtrum in ſubſtantia, an in qualitate an verò in quantitate, aut alio genere Prædicamentorum. *Cap.1.tex.2.* *Lib.1. cap.1. text.6.*

3 TERTIÒ, quia in Prædicamentorum libro ad finem tractationis primi attributi ſubſtantię,cũ occurritur cuidam obiectioni,ſatis apertè ſignificat



tè ſignificat , partes ſubſtantiarum eſſe ſubſtãtias:vbi nomine partiũ intelligit partes re ipſa componentes,vt potè materiam,formam,& partes integrantes,nomen autem ſubſtantię planè videtur accipiẽdũ eo loco pro ſubſtantia,quæ per ſe ponitur in Prædicamentis,vt patet ex antecedentibus & conſequentibus.

QVARTO, quia tam materia & forma,quàm partes integraners ſunt contrariorum capaces, vt perſpicuum eſt:poſſe autem ſuſcipere contraria, eſt maximè proprium ſubſtantiarum, quæ directò ponuntur in hoc Prædicamento, vt Ariſtoteles eodem loco docet.

POSTREMÒ, quia Ariſtoteles cùm eodem libro agit de iis quæ ſunt ad aliquid, apertè videtur appellare caput & manum , ſecundas ſubſtantias.His locis videtur adducti [a] Simplicius,Boëtius & alij nõ nulli,vt credant huiuſmodi partes ſubſtantiarũ habere per ſe locum in Prædicamento ſubſtantiæ.

*Auctores huius ſententiæ qui.*

[a] *Simplic.& Boëti in Prædicam .c. de ſubſtant. Paulus Venet.in libello ſuæ Met.c.4. Holcot.2.ſent.q. 6.& alij alibi.*

### *Vera quæſtionis explicatio.*

### SECTIO II.

*Negatiua pars, quæ & vera eſt, vnica aſſertione bimembri explicatur.*

PERSISTENDVM tamen eſt in parte negatiua queſtionis dicẽdúmque cum [b] D.Thoma,Scoto Magno Alberto & aliis quàm plurimis magni nominis Auctoribus, huiuſmodi partes ſubſtantiarum eſſe quidem ſubſtantias, non tamen quę per ſe ponantur in hoc Prędicamẽto,ſed tãtùm reductitiè. Prior pãrs huius aſſertionis ex eo patet, quia hæc omnia ſunt ſubſtãtiarum partes,ſubſtantiarum autem partes non poſſunt eſſe non ſubſtantiæ , vt [c] Ariſtoteles ſæpe docet, Poſterior ex iis quæ [d] capite ſuperiori dicta ſũt,probari poteſt. Primùm,nulla huiuſmodi pars,eſt ens completum. Deinde , quia ſubſtantiæ incompletæ non poſſunt habere idẽ genus,quod cõpletæ.Poſtremò,quia materia & forma nõ poſſũt conuenire in natura vlla vniuoca & eſſentiali, quę ab vtraque abſtrahi poſſit,vt quæſtione ſequenti patebit,partes autẽ integrantes eiuſdem numero ſubſtantiæ etiamſi diſſimilares ſint, non ſunt plures numero ſubſtantię,cùm nec ſint plura numero entia,vt quæſtione 7. capitis ſuperioris dictum eſt , nec habeant diuerſas formas ſubſtantiales,quod ad caput quartum [e] oſtendimus.

*Negatiua pars, quæ & vera eſt, vnica aſſertione bimembri explicatur.* *Non poni per ſe probatur.* *Poni tantùm reductitiè oſtenditur.*

[b] *D.Tho.1. p.q.76.ar. 3. & in 2. d.3. q.1. ar. 1. & de Verita. q. 27. arti.1. ad 8. & aliis in locis. Soncin. 7.Met. q.39. Scot.in Prædicam .q.15. Alber. Mag. in Prædica. OKam in 1. d.8 q.2.Ægyd. Roman. ibidem q.3.*

[c] *In Prædica. c.de ſubſtan. & 5.Met.c. 6. textu 52.*

[d] *Quæſt.9. ſect.1.& 2. Quæſt.3. & 4.*

### *Diluuntur argumenta prioris ſententiæ*

### SECTIO IV.

*Sic Alb. Mag. hic tract.2.c. 5.*

AD primum prioris ſententiæ argumentum dicendum eſt, hoc caput non eſſe præcisè poſitum in exponendis ſubſtãtiis,quæ per ſe in Prædicamẽto ſubſtãtiæ collocantur,ſed in explicanda analogia ſubſtãtiæ iuxta vulgatam huius nominis vſurpationem,vt patet ex inſtituto Ariſtotelis in hoc libro,tametſi omnes ſubſtantiæ ſignificationes,quæ hic tradũtur, ſi nec pri-

*Ad loca Ariſtotelis pro 1.ſententia.*

*Cur inter significata substantiæ numerentur ab Aristotele forma substantialis.*

mæ nec secundæ substãtiæ sint, ad eas reuocentur. Vnde non mirum est, si inter significata substantiæ numerentur tũ formæ substantiales, tum etiam partes integrantes substantiarũ, præsertim cùm alia quoque recenseantur, quæ Aristoteles non putat esse substantias, vt sunt entia illa mathematica, quæ apud Platonem substantiæ credebantur. Nequis tamen ex hoc capite perperam intellecto sibi persuaderet, omnia quę in eo enumerantur esse veras substantias, immo etiam cõpleta & quę per se ad Prædicamentum substantiæ pertineant, non solùm id curauit Aristoteles, vt multis in locis refelleret sententiam Platonis de entibus mathematicis, sed etiam vt doceret nec formas substantiales, nec partes integrantes esse substantias completas, vt patet 2. lib. de Anima, & 7. huius opetis in locis paulò antè citatis: qui pro inde huius capitis expositiones hac ex parte censeri debent.

*Quo pacto Aristotelis diuisio ex 2. de Anima ca. 1. sit accipiẽda.*

Ad secundum: quod quidem attinet ad priorem locum, dicendũ est, Aristotelem accepisse quidem in eo substãtiam pro substãtia corporea, quę est genus quoddam Prædicamenti substantię: attamen nõ diuisisse illam in materiam, formam & compositum quasi in species, sed hoc tantum docere voluisse, tria esse, quæ in substantia corporea Physicè spectarẽtur, materiã, formam, & totius cõpositionem. Quod verò attinet ad posteriorem, dicito, nõ sic intelligendũ esse Aristotelem, quasi velit ad inuestigãdam definitionẽ cuiusque rei, diuidendũ semper esse in aliquo Prędicamento genus summum per differentias (nec enim putat id satis, esse in omnibus) sed ita acsi apertius dicat, interdum etiã necesse esse diuidere genus in potentiã & actum, vt ipsè planè ibidem ait; & in loco prius citato perspicuè exequitur, dũ considerat in substantia corporea materiam, quæ est potentia, formam, quę est actus & totius cõpositionem. vt diximus: ex his enim ita distinctis accipit ille actũ pro genere animę, vt eius, definitionem cõficiat.

Ad tertium dicendum Aristotelem in loco citato non accepisse nomen substantiæ pro completis tantùm, sed pro incompletis etiam, parùmque referre, quod paulò antè pressius illud intellexerit. Obieritio enim quę obiter occurrit, in causa fuit, vt verbum substantię lactio esse asserendas non substantias, quasi his negationibus significauerit eas non esse prorsus à significatione substantiæ alienas, cùm aliquo modo sint substantiæ nimirum incompletæ & imperfectæ.

*Posse contraria susciperc, quo pacto propriũ substantiarum.*

Ad quartum respondetur, attributum illud substãtiarum sic intelligendum esse, vt proprium earum sit, quod possint suscipere contraria, tamquam subiecta completa partes autem substantiarum, de quibus in hac quæstione sermo est, non hoc pacto posse contraria suscipere.

Ad quintum extremúmque, negandum est, caput & manum dici ab Aristotele secundas substantias. Nam quod ille ait de quibusdam secundis substantiis esse dubitationẽ (*Caput enim*, inquit, *alicuius dicitur caput, & manus alicuius dicitur manus &c.*) sic intelligi optimè potest vt sit dubitatio de secundis substantiis ratione partiũ: tum enim nihil obest illud, quod sequitur (*Caput enim, &c.*) immo etiã hoc pacto videtus



videtur contextus necessariò intelligendus. siquidem paulò autè appellantur quædam manus & quoddam caput non primæ substantiæ, sed partes primarum: eadem autem est ratio manus & capitis comparatione secundarum substantiarum, atque huius & illius capitis, & manus respectu primarum.

## *NVM EAE SVBSTANTIAE SEPARATAE, quas Angelos dicimus, & corpora item cœlestia ponantur per se in hoc Prædicamento.*

## QVÆSTIO IV.

*Quot sint in hac quæstione sententiæ, & quænam earum sit approbanda.*

### Secto I.

*Opinionum in hac quæstione varietas.*

*1. opinio.*

De iis substantiis separatis, quæ & finitæ perfectionis sunt, & naturæ completæ, itémque de corporibus cœlestibus maior est dubitatio, ponantur ne per se ipsæ in hoc Prædicamẽto. Sũt enim qui dicant solam substantiam generabilẽ & corruptibilem (quam vnam existimant constare materia & forma) genus summum huius Prædicamenti esse. Alij credentes (id quod est verius) non tantum generabiles & corruptibiles substantias, sed etiã corpora cœlestia constare materia & forma, substantiam corporeã in cõmune, genus summum faciunt, exclusis tãtum incorporeis substantiis. Alij volunt substantiam finitam &, completam in commune sumptam genus esse summum, si modo Prædicamenta logicè spectẽtur, non si Physicè, hoc est, si ipsæ rerum naturæ considerentur. Aliorum denique sententia est, seu logicè, seu Physicè, siue vt alij melius loquuntur) Metaphysicè cõsiderentur Prædicamenta, semper genus summum esse finitam, & completam substantiam in commune acceptam: tametsi eorum quidam volunt ipsum genus summum, subalternúmque incorporearum substantiarum non habere locum in Prædicamentis logicis, sed in Metaphysicis.

*Auctores sententiæ.*

*Fũdamentũ*

*Auer. in Porphyr. c. de specie, & lib. 10. huius operis. c. vlti. coram. 26. Iol. Gan. 10. Metap. q. 22. Niphus lib. 10. Meta. disputa. 9.*

Primæ opinionis auctor est Auerroës ad Isagogem Porphyrij, & luculentius ad decimum librum huius operis, quem sequũtur Ioãnes Gandauensis, & alij Auerroistæ. Fundamentũ huius sententię est illud Aristotelis in loco nunc citato *Corruptibile & incorruptibile necessariò diuersa esse genere*: quod Aristoteles non solum affirmat, sed etiã ex eo probat, quia corruptibile & incorruptibile ita sunt cõtraria, vt corruptibile dicat potentiã ad corruptionem, incorruptibile autem priuationem talis potentiæ: vnde illi sic argumentãtur. Si daretur cõmunis aliqua natura, quę genus esset corruptibilium & incorruptibilium substantiarum, in ea esset potentia ad corruptionẽ propter corruptibiles substantias, & priuatio talis potentiæ propter incorruptibiles: at hoc implicat contradictionem: ergo & illud.

Universidad de Deusto Biblioteca



*Confirmatio ex attributo substãtiæ prædicamentalis.*

CONFIRMATVR etiam opinio hæc ex vltimo attributo substãtiæ prædicamentalis, quod est susciperе posse contraria, vt [a] in Prædicamentis traditur,& maximè proprium substantiæ esse dicitur:sola enim substantia corruptibilis potest susciperе cõtraria,vt Aristoteles docet in [b] primo de Cœlo:quo loco à corpore cœlesti omnem contrarietatem amouet.

a *Cap. de substantia.*

b *Cap. 3. Textu 20.*

*Alia ex hoc ipso capite.*

CONFIRMARI quoque potest ex hoc capite, in quo versamur. Reuocat enim Arist. hoc loco omnia substãtiæ significata ad primas & secundas substantias,nomine autem primarum nõ alias videtur significasse,nisi corruptibiles,vt ex initio capitis intelligi potest. Neq; enim inter eas mentionem facit cœlestium corporum,aut substãtiarum materia expertium: quod enim numerat dæmonia,id non facit, nisi ex sententia Platonis,qui illa credit suaptè natura corruptibilia, tametsi Dei beneficio nunquam interitura.

*Secundæ opinionis Auctores. Ratio Plotini.*

SECVNDAM opinionem amplectitur Plotinus [c] Enneadis sextæ libro primo,quem sequuntur Magnus [d] Albertus,& Egydius Rom. Ratio Plotini est quia si quod genus esset corporeæ & incorporeæ substãtiæ,necesse foret illud nec corporeæ naturæ esse,nec incorporeæ, quod fieri nequit.

c *Cap. 2.*

d *In Prædicamentis. e Ibidem & Quodli. 1. q. 8. non obscurè innuit.*

*Alia ex Aristotele confirmatio.*

CONFIRMATVR hæc sententia ab iis, qui putant Aristotelem fecisse omnes substãtias separatas actus puros,nullisque accidẽtibus subiectas, ex eo, quia actus purus non potest cõstare genere & differentia, nec substare accidentibus.

*Aliorũ ratio.*

ALII hac ratione vtuntur: quia genera communia materialibus substantiis sumuntur ex materia,differẽtiæ verò ex formis,substantię autem separatę communem materiam cum materialibus substantiis habere non possunt.

*Auctores Tertiæ sententiæ.*

TERTIAM sententiam approbat D.Tho.post Alexandrum Alẽsem, quem plerique sequuntur. Ratio, qua id sibi persuadẽt est;quia ad vnitatem generis logicè cõsiderati satis est vnitas conceptus formalis æqualiter participati ab inferioribus,qualis sanè est cõceptus formalis substantiæ finitæ, & completæ in commune acceptæ(æque enim materiales substantiæ dicuntur per se subsistentes,& completæ, atque immateriales) Ad vnitatem verò generis Physicè spectati,naturæ ve genericæ quæ cõmunis sit substantiis immaterialibus,requiritur etiam vnitas materiæ,quæ,vt dictum est,immaterialibus cõmunis esse non potest: qua ex parte sententia hæc cum superori cõsẽtit.

*D. Thom. 10. Met. lect. 12. & opusc. 42. c 6 & 7. & in 2. d. 3. q. 1. ar. 1. Alens. 5. Meta. in tex. 33. Soto. 12. Meta. q. 47. Herv. in 2. d. 3. q. 3. Gothifredus, & alij apud Ioan. Baconiũ in 2. d. 3. q. 1. quem ipse exponit, & sequitur. Henr. de Gãd. Quol. 7. q. 8. Porphy. in Isagoge & in Prædicamen. Ammõ. ibid.*

*Defensores 4. sententiæ.*

QVARTÆ sententiæ auctores sunt Græcorum cõplures,vt Porphyrius, Iamblicus, Ammonius, Simplicius, Dexippus; Et ex Latinis Boëtius,alijque plurimi:quam etiã tota nunc fermè Schola sequitur, nobisque sola probatur.

*Ratio quæ probatur.*

RATIO huius sententiæ,est quia substantia prædicamẽtalis quẽadmodum eadem ratione, conceptuve formali definitiuo vniuocè prædicatur de omnibus substantiis, quod iam superior opinio cõstituit; ita quoque esse debet vna communis natura: ex impugnatione autem trium præcedentium opinionum patebit, nihil obstare quominus vniuoco formali conceptui respondeat vniuoca natura repræsen-



*Simp. in Prædicam. ex Iãblico. Boëtius & alij eiscle in locis.*

repræsentata, immo id esse necessarium.

AT quia logicus nõ considerat intimas rerum naturas,iccirco sũt ex hac Græcorum & Latinorum classe nonnulli,qui velint,ipsam cõmunem substantiam totúmque subalternum iu corporearum genus quia difficillima sũt cognitu,à solo Metaphysico tractari:nec in Prędicamentis logicis locum habere:qua ex parte non est eorum sentẽtia probanda. Nam cùm Prædicamẽta eadem sint logico, quę Metaphysico,soláque diuersa cõsideratione ab hoc & illo spectẽtur,vt superiori capite probatum est,nihil refert, quod substantiæ separatæ,& ex consequenti communis substantia, ab eis & materialibus substantiis abstracta,sint cognitu difficillimę. Neque enim dicimus pertinere ad artem Dialecticam earum inuẽtionem,aut naturæ explicationẽ: quarum illa à Physico & Metaphysico,hæc ad solum Metaphysicum spectat;sed artẽ Dialecticam in tractatu Prędicamentorum desumere, atque supponere ex Metaphysica qualemcumque earũ cognitionẽ, propriéque & ex officio solas earum affectiones logicas tradere.

*Prædicamẽta eadem sũt logico, & Metaphysico.*

EST igitur iuxta hanc verámque sententiã genus summum huius Prædicamenti substantia communis corporeis & incorporeis: quod Porphyrius apertissimè tradit,cùm in Isagoge Prædicamentum substãtiæ describit. Neque audiẽdus est Ægydius,qui existimat Porphyrium eo loco,vt Platonicum loquutum fuisse:friuola est enim ea responsio, præsertim cùm Porphyrius in præfatione eius libelli,in quo Prædicamẽtorum gratia de vniuersalibus agere instituebat, sit pollicitus se Peripateticos potissimum sequuturum:quod in ea re maxime facere debuit,vbi Prædicamentorum series vno Prædicamenti substantiæ exemplo explicabat. Ita reliquum est, vt trium præcedentiũ opinionum fundamenta examinemus.

*Genus summum huius Prædicamenti quodnam*

*Num corruptibile & incorruptibile necessario sint diuersa genera.*

## SECTIO II.

*Examinatur 1. sententia.*

*Textu 26.*

HVNDAMENTVM primæ opinionis præcipuũ,illud erat: Corruptibile & incorruptibile esse diuersa genere, ac proinde non conuenire in genere vllo. Quod Arist. ostendit cap. vltim. libri 10. huiusmodi occasione. Docuerat ille cõtraria omnia, diuersa esse specie. si in se spectarentur, & quia corruptibile & incorruptibile sunt contraria(opponuntur enim inter se positiuè,licet incorruptibile priuatiuo nomine significetur) quæri posset, num specie tantùm, an genere etiam diuersa essent. Cui dubitationi respondet Aristoteles,non specie tantum, sed genere quoque esse diuersa.

*Genus subiectum apud Aristotelem nomine generis vsurpari.*

*Textu 2.*

ITAQVE de verbis Aristotelis nõ est cur dubitetur, sed de sentẽtia est ambiguitas;nũ generis nomine genus prædicabile intelligat, quod vsu frequentius est,an verò genus subiectum,pro quo etiã generis nomen interdum vsurpatur:vt quarto libro huius operis capite secundo, cùm dicitur vnius scientiæ, vniúsque sensus vnũ genus esse, id est,vnũ subiectum,in quo versentur:& primo libro Posterior. capite

Universidad de Deusto. Biblioteca



pite septimo, cum traditur non fieri transitum in scientiis ex genere in genus, nempe ex subiecto vnius in subiectum alterius, nisi vbi subiectum vnius est subiecto alterius subalternatum. *Textu 19. & sequenti.*

*Auctores primæ sententiæ cur non bene Aristotelis locũ exponant.*

AVCTORES quidem primæ sententiæ priori modo genus eo loco intelligendum existimant: quod si verum esset, confecta esset res. Sed nobis nullo pacto sic accipiendum ibi videtur nomen generis: esset enim eo pacto Aristotelis ratio planè inepta. Nã cùm in genere nihil inueniatur eorum, in quibus species opponũtur inter sese, quænam quæso sit hæc consequẽtia; In substantia corruptibili est potentia ad corruptionem, & in incorruptibili priuatio talis potentiæ, siue repugnantia ad eius actum? Ergo si quod datur commune genus vtriusque, in eo esse debet & potentia prædicta, & eius priuatio: cõstat enim, hęc duo esse illa, in quibus primo corruptibilia, & incorruptibilia inter se opponuntur. Contra potius colligendum erat; Ergo, si quod datur genus corruptibilium & incorrptibilium, vtique in eo, nec est potentia ad corruptionem, nec eius priuatio predicto modo explicata, quod est verissimum: sic enim colligimus quoniam homo & bestia penes rationale & irrationale opponuntur, necessariò confitendum esse, animal in seipso, & vt commune est vtrique, nec rationale esse, nec rationis expers, per positiuum nimirum illud, à quo bestia dicitur rationis expers.

*Vera explicatio loci Aristotelici.*

DICENDVM igitur eo loco nomen generis necessariò sumendũ esse pro genere subiecto: sic enim aptissimum argumentum confici potest ex iis, quæ Aristoteles ait. Nam cùm corruptibile dicat potentiam ad corruptionem, incorruptibile autem repugnantiam ad actũ talis potentiæ, certè si corruptibile & incorruptibile haberent idem commune genus subiectum, siue materiam, in eo esset necessariò & potentia ad corruptionem & ad corruptionem positiua repugnantia, quod fieri nequit: in quo enim est actus, in eo est potentia ad illum, & in quo actus esse nõ potest, in eo est positiuum aliquid, per quod illi repugnat actus. Atque hinc rectè colligit Aristoteles, differẽtias corruptibilis & incorruptibilis, aut pertinere ad essentias rerum corruptibilium & incorruptibilium, aut esse earum proprietates: quandoquidem si nõ habent commune subiectum, quod vicissim alteram suscipiat, alteram abiiciat, fieri non potest: vt res corruptibilis fiat vnquam incorruptibilis, aut incorruptibilis, corruptibilis, sed necessariò, & natura sua corruptibilis corrumpi possit & incorruptibilis corrumpi nequeat. Rectissimè etiam hinc colligunt Philosophi (quod & Aristoteles nonnunquam scribit) corpora cœlestia, & quæ gignuntur & intereunt communem materiam habere non posse. *Vt 8. lib. Met. ca. 4. tex. 12. & 1. de Generat. cap. 6. textu 43. & aliis in locis.*

*Duo genera, cõtrariorum*

QVAPROPTER illud animaduertendum est, duo esse genera cõtrariorum, siue positiuè repugnantium in eodem subiecto: quædam, quæ ita differunt specie seu natura sua, vt non necessariò differãt subiecto, sed possint eidem successiuè conuenire, vt albũ & nigrum: quædam verò ita differunt natura sua, vt subiecto etiam necessariò differant; ita nimirum, vt nõ possit alterum alteri in eodẽ succedere, veluti masculinum esse, & fœmininum: quãquam in hoc exemplo, quo fere vtuntur



vtuntur Aristotelis enarratores, non vsquequaque quærenda veritas est. Nam etsi mas in fœminam nunquam mutatus est, fœminas tamẽ aliquãdo in mares mutatas esse plerique scribũt. Verius in hoc posteriori genere sunt corruptibile & incorruptibile. Illud tamen interest quod mas & fœmina pertinere possunt ad eandem speciem infimam substantiæ, quia differentia sexus non nascitur ex diuersitate naturæ specificæ, sed materię indiuidualis: corruptibile autem & incorruptibile, necessariò secum afferunt diuersitatẽ specificam: idque propterea quod corruptibile, & incorruptibile, aut sunt differentiæ essentiales corruptibilium & incorruptibilium substantiarum, aut earum proprietates, vt dictum est. *Differentia sexus vnde.*

*Eodem loco.*

QVOCIRCA recte colligit Aristoteles, malè à Platone positum fuisse hominem communem, siue idealem natura sua incorruptibilem, cùm singuli particulares, qui eius speciei sunt suaptè natura sint corruptibiles. Non repugnat tamen in specie humana omnes homines tam communẽ, quam particulares, esse natura sua corruptibiles, & tamen Dei beneficio post generalem resurrectionem neminẽ esse interiturum: Ad alterum argumentum pro prima opinione propositum dicendum est, contraria in loco citato non esse sumenda restrictè pro iis solis, quæ ad corruptionẽ disponunt, quo pacto cœlũ non potest suscipere contraria, sed pro iis omnibus, quæ quocunq; modo in eodem subiecto simul esse non possunt: qua ratione, & in cœlo dantur contrarij astrorum situs, vt solis in Oriente & Occidente; & in substantiis separatis contrarij affectus, vt amoris & odij. *Aristoteles bene contra Platonem colligit non dari hominem cõmunem, idealem incorruptibilem. Soluitur secundum argumentum primæ opinionis.*

AD tertium dicendum, non esse omnino prætermissas hoc capite ab Aristotele substantias incorruptibiles, siue illæ corporeæ sint, siue corpotis expertes: nam corpora incorruptibilia singularia, plane cõprehenduntur in prima significatione, cùm Aristoteles ait (*& corpora omnino*) substantiæ verò corporis expertes tum singulares, tũ vniuersales, & corporeæ etiam vniuersales in quarta significatione continẽtur, vt dictum est in expositione contextus: singulares enim corporis expertes, de quibus dubium esse posset, ea ratione videtur compræhendi, quod apud Aristotelem eædem differentiæ sint, per quas eiusmodi substantiæ constituuntur in specie, & sunt indiuidua. *Vt dictum est c. 6. q. 5. sect. 1.*

*An substantiæ corporeæ & incorporeæ detur aliqua natura communis.*

## SECTIO III.

SECVNDÆ opinionis fundamentum erat, fieri non posse, vt substantia corporea & incorporea siue spiritualis conueniant in aliqua commuui natura: *esse enim*, inquit Plotinus, *nec corporea. nec incorporea, quod repugnat.* Sed ex iis, quæ dicta sunt contra primam sententiam, satis constat, quàm sit hoc infirmum argumentum: fatemur enim naturam illam communem, nec corpoream esse ex ratione sua neque incorpoream; quemadmodum confessi sumus naturam communem corruptibili & incoruptibili substantiæ, nec corruptibilem esse *Examinatur secundæ opinionis fundamentum. Soluitur primum argumentum secundæ opinionis.*

lem esse ex ratione sua,nec incorruptibilem,neutrũ enim repugnat: tametsi repugnaret naturam illam nõ esse re ipsa incorpoream in incorporeis,& corpereã in corporeis, quemadmodum repugnat naturam communem corruptibili,& incorruptibili substantiæ nõ esse re ipsa corruptioni obnoxiã in corruptibilibus,& in incorrupitibilibus incorruptibilem. quæ tamen eiusmodi naturis per accidens eueniũt, quatenus sunt, & re ipsa eædem cum suis inferioribus, & differentiis corporei & incorporei,corruptibilis & incorruptibilis,in eisdem inferioribus coniunctæ.

*Soluitur secundum. substantias corporis expertes finitas, substare omnes accidentibus.*

Ad alterum pro eadem sentẽtia propositum argumentum,dicendum est: substantias coporis expertes re vera substaré accidentibus; quia omnes substantiæ finitæ & limitatæ ,non possunt non substare, saltem relationibus,cùm actu dependeant à substantia infinita:quin etiam nulla est substantia finita, quæ naturaliter iuxta conditionem propriæ naturæ aliquibus qualitatibus non sit subiecta,vt libro duodecimo patebit,quicquid ea de re vel Aristoteles, vel alij senserint, qui errore magno volunt esse actus puros.

*Tertium. Cur genera ex materia, differẽtiæ ex formis sumi dicantur.*

Tertivm verò argumentum,quod idem tertiæ sententiæ Auctoribus cõmune est hoc pacto dissoluitur,Iccirco dici posse genera materialium substãtiarum sumi ex materia,differẽtias vero ex formis, quia in vnoquoq; ente naturali,illa sumuntur ex imperfectiori aliquo entitatis gradu totius compositi,hæ vero ex perfectioribus eiusdem compositi. Nã quia in composito materia est imperfectissimum quid secundum formalem perfectionem, quæ illi per formam cõmunicatur, inde fit, vt attributione, seu appropriatione quadam, genera in substantiis materialibus nõ incommodè dicantur sumi ex materia,& differentiæ ex formis: alioqui falsũ est ,vel à sola materia sumi genera,vel à formis tantùm differentias:cùm genera & differẽtiæ compositorum naturalium , compositæ quoque realiter esse de ne pars vlla eiusmodi de toto essentialiter dicatur.beant

*Soluitur.*

Alivd argumentum,in quo non pasum videtur esse virium pro vtraque sententia, secunda nimirum & tertia, hunc in modum extrui potest.Si substãtia corporea( quam omnem putamus cum eisdẽ Auctoribus cõstãre materia & forma)& substantia incorporea haberet idem commune genus, aut illud esset compositum ex materia & forma,aut simplex substantia:atqui neutrum esse potest quia si compositum,omnes substantiæ prædicamẽtales essent compositæ:si simplex, omnes essent simplices:non habent igitur idem commune genus.

*Argumẽtum aliud pro secunda & tertia sententia*

Dicendvm igitur est ad hoc argumentum:genus quod commune est substãtiæ incorporeæ,siue simplici,& compositæ ex materia & forma,ratione quidem & natura sua nec simplex esse,nec compositum ex materia & forma, at re ipsa & simplex esse,& compositũ. Vt enim est idem re cum compositis,est compositum: vt idem te cũ simplicibus,est simplex:quemadmodũ qualitas genus summũ vt est idẽ re cum qualitatibus non habentibus partes integrantes,veluti cũ intellectu & voluntate,non est composita ex partibus iutegrantibus: vt verò est idem re cum iis, quæ huiusmodi partes habent,veluti cũ candore &



candore & figura,est composita ex partibus integrantibns:quántitas item,vt est idem re cum linea,constat partibus permanẽtibus,vt verò idem cum tempore,non item,& sic in aliis compluribus:tametsi nec qualitas in sua ratione includit simplicitatem aut compositionem integralem,nec quantitas permanentiam aut successionem.

*Obiectio contra solutionẽ.*

Sed contra hanc solutionem sic obiicitur. Socrates per materiã & formam suam non solum est Socrates, sed etiam homo, & animal & viuens, & corpus corruptibile & substantia corporea & omninò substantia (quandoquidem nullus alius essentiæ gradus prædicatur de Socrate: nisi qui ex coniunctione formæ cum materia efficitur) ergo Socrates non solum qua ratione est substantia corporea,sed etiam quia est substantia,est compositus ex materia & forma. Quod si particulares substantiæ compositæ ex materia & forma,non solũ qua ratione sunt substantiæ corporeæ,sed etiam qua ratione sunt substantiæ, constant materia & forma , quis non videat colligi , substantiam ipsam in communi, quam facimus genus substãtiarum simplicium & compositarum ex materia & forma,non re tantum,sed ratione etiam ex natura sua ex materia & forma esse compositam?

*Soluitur.*

Hvic obiectioni ex eodem fundamento respondebis:Socratem re quidem ipsa esse substantiam per materiam & formam , quia per materiam & formam est homo, qui quidem à substantia, quæ est genus summum reali distinctione non differt , at ratione non esse substantiam per materiam & formam,sed prius natura sibi vendicare rationem substantiæ,quàm compositi ex materia & forma. Ratio enim & natura substantiæ est,esse ens per se existens: quæ quidẽ nullam per se sibi vendicat compositionem siue Physicam,quam efficiunt materia & forma,siue Metaphysicam,quam efficiunt genus & differentia.

*Duplex compositio substãtiæ corporeæ Physica, & Metaphysica*

Qvod vt melius intelligatur , aduerte substantiam corpoream, quæ est species proximè subiecta generi summo huius Prædicamenti,dùobus modis componi, vno Physicè, altero Metaphysicè, atque vtroque modo per se,seu quatenus tale est: Physicè quidem ex materia & forma:Metaphysicè verò ex genere suo , quod est substantia & differentia quadam adiuncta,quam dicimus corporeum. Verum hoc interest quod materia & forma non sunt idem re neque inter sese, neque cum toto composito,saltem si singulatim accipiantur,vt perspicuum est:substantia autem & corporeum etiã singulatim accepta, sunt idem re & inter sese, & cum substantia corporea,quã constituũt. Vnde fit , vt cum substantia corporea componatur ex materia & forma:substantia etiam ipsa & corporeum,quod substantiam contrahit necessariò componantur re ipsa ex materia & forma , non tamen per se primò,quemadmodum ipsa substantia corporea,sed substãtia quidem componitur per accidens ex materia & forma,quia accidit substantiæ esse rem eo pecto compositam:at corporeum componitur eo modo per se,tametsi non primò quia non adæquatè totam entitatem compositi ex materia & forma,quamuis adæquet rem totam. Quamquam enim eadem omnino res est corporeum, atque substantia corporea:tamen substantia corporea includit per se , & essentialiter en-

*Gradus Metaphysici quo pacto sint idem cũ toto &c.*

titatem ſubſtantiæ generis ſummi, quàm non includit corporeum: de qua re fuſiùs libro ſeptimo.

*Fieríne poſſit vt aliquid ſit genus logicè, quòd non ſit etiam Phyſicè.*

## SECTIO IV.

*Tertiæ opinionis fundamentum.*

TERTIA opinio huic innitebatur fundamento: dari poſſe genus logicè, ſiue ratione conceptus, quod non ſit genus Phyſicè, hoc eſt, ratione naturæ conceptæ: vel quod clariùs eſt, dari poſſe conceptum formalem, qui vniuocè & quidditatiuè dicatur de multis ſpecie differentibus, nec tamen ei reſpondeat in rebus naturali aliqua vna quæ ab illis abſtrahi poſſit, & de eiſdem vniuocè & quidditatiuè prædicetur.

*Cur in hanc ſententiã adducti Auctores fuerint.*

CVR autem in hanc ſententiam eius Auctores venerint, ea ratio fortaſſe fuit: quia intellectus habet vim vniendi in eodem conceptu formali, ea quæ in rebus diſtincta admodum ſunt, & ſæpè etiam valdè ſeparata, vt patet in exercitu, in republica, in mundo etiam ipſo toto: quæ cùm diſtinctis admodum rebus conſtent, atque ita diſtinctis, vt ex illis nulla reſultet natura vna, tamen ab intellectu, vnico tantum conceptu concipiuntur, eoq; ſimplici æqualiter participato ab omnibus ſimilibus, quæcunque inueniantur, aut inueniri poſſint. Si ergo tanta eſt vis mentis noſtræ, vt ea quæ non niſi per accidens ſunt vnum à parte rei vno ſimplici & vniuoco conceptu apprehendat: cur non idem facere poſſit in iis, quæ à parte rei non ſunt vnum, niſi analogicè, qualem huius opinionis auctores putant eſſe eam ſubſtãtiam, quæ corporeis & incorporeis communis eſt, quam nos genus ſummum facimus: cur inquam vno ſimplici & vniuoco conceptu apprehẽdere non poterit? Quod ſi poteſt ergo iam conceptus is, erit conceptus genericus, cùm tamen ſubſtantia, quæ illi reſpondet, ſpectata ipſa rei natura, genus eorum opinione non ſit, ſed analogica natura.

*Refellitur 3. ſententia.*

SIVE autem ratione hac illi ſint permoti, ſiue quauis alia, certè eorum ſententia non eſt probanda: primum, quia conceptus formalis non poteſt æqualiter participari, niſi cum natura per eum repreſentata, ſeu conceptus obiectiuus æqualiter participatur: neque participatur, nec prædicatur talis conceptus, niſi ratione eius, quod repræſentat. Quare ſi nulla datur ſubſtantia communis, quæ ex æquo participetur à particularibus ſubſtantiis, nec conceptus, quo illa apprehenditur, ex æquo ab eiſdem participabitur. Deinde, quia ſi ſubſtantia prædicamentalis in communi ſumpta eſt verè analoga, & tamen conceptus formalis illius eſt verè vniuocus, licebit vtique, & non licebit præcisè ſumere, ac conſiderare in omnibus ſubſtantiis id quod tali conceptui reſpondet, non conſideratis vllis ſubſtãtiis particularibus licebit quidem, quia quicquid conceptui vniuoco immediatè reſpondet, poteſt præcisè ſumi & conſiderari per ſe ſine membris diuidentibus, non licebit autẽ quia in hoc differunt analoga ab vniuocis, quod nihil in eis præſcindi poteſt à membris diuidentibus, quod omnibus ſit commune, iam enim non eſſent analoga, ſed vniuoca, implicat ergo contradictionem facere conceptum ſubſtantiæ verè vniuocum, & ipſam ſubſtantiam verè analogam.

TERTIO



3. TERTIÒ quia vel conceptus formalis ſubſtantiæ in communi repræſentat duo illa genera, ſubſtantiam corpoream & incorpoream, quatenus diuerſæ inter ſe naturæ ſunt, vel quatenus conueniunt: non quatenus diuerſæ ſunt naturæ, quia eſſet prorſus æquiuocus, cũ tamen nullus conceptus formalis rei conceptę ſiue vltimatus, vt vocant poſſit eſſe prorſus æquiuocus, non quatenus conueniunt vniuocè in natura aliqua ſimpliciter vna, cùm id negent, ergo quatenus conueniunt inter ſe analogicè: non poteſt igitur conceptus formalis ſubſtantiæ in communi ſumptæ vniuocus eſſe & genericus, ſi ſubſtantia in communi ſumpta vniuoca genúſque non ſit.

POSTREMO quia iſto modo quem ponunt facilè erit omnes naturas vniuocas de medio tollere, ſolaq; nomina & conceptus formales cum Nominalibus vniuoca facere: dicemus enim nomina hominis & animalis, & eorum conceptus formales eſſe vniuoca, ipſas verò hominis & animalis naturas eſſe analogas, & ſic in cæteris omnibus quod nonnulli huius opinionis ſectatores iam videntur admittere in omnibus aliis naturis generum, potiſſimũ verò ſubſtantiæ corporeæ, quæ corruptibilibus & incorruptibilibus communis eſt, tuentúrque ſententiam ſuam illo Ariſtotelis pronunciato: *In generibus latere æquiuocationes*, quod & abſurdiſſimum eſt, & ab Ariſtotele nõ ſignificatur in propoſito pronunciato. Eſt enim potius hæc eius ſententia, in iis, quæ ſunt magis communia, maius eſſe periculum incidendi in æquiuocationem: ſæpe enim fit, vt dum putamus nos genus aliquod ex ſpecialibus naturis collegiſſe, in analogum aliquid imprudentes incurramus, quod communiora, difficiliora ſunt cognitu.

*7. Phyſ. ca. 4. Textu 31.*

*Pronũciatum Ariſtotelis expoũitur.*

AD eam vero rationem, qua illi forſitan permoti ſunt, dicendum eſt: etſi intellectus tantam vim habet, vt diſtinctiſſima, ac diſtiñctiſſima etiam vno ſimplici conceptu apprehendat, nempe quatenus ea vnum aliquid efficiunt, ſiue ſimpliciter, ſiue ſecũdum quid, nunquam tamen concipere poſſe vniuoco conceptu quæ analogicè tantùm natura ſua conueniunt: cauſa enim cur entia per accidens, vt exercitum, & rempub. vniuocè concipere poteſt, hæc eſt, quia entia per accidẽs communi conceptu apprehenſa, æqualiter participari poſſent à particularibus, in quibus ſimiles omnino conditiones reperiantur, quod in analogis fieri nullo modo poteſt: iam enim non eſſent analoga.

*Intellectum nõ poſſe conceptu vniuoco analoga concipere.*

---

# NVM SVPPOSITVM IDEM SIT *quod prima ſubſtantia.*

## QVÆSTIO V.

*Quid ſit ſubſtantia prima, ac ſecunda.*

## SECTIO I.

*Explicantur nomina quæ in hac cõtrouerſia vſurpantur.*

VT HÆC QVÆSTIO luculentius tractetur, exponenda ſunt primo ea nomina, quibus Theologi in hac controuerſia vtuntur: ea verò ſunt ſubſtantia prima, ac ſecunda ſubſtantia, natura

item ſuppoſitum, hypoſtaſis & ſubſiſtentia.

*Subſtãtia vnde dicta.*

SVBSTANTIA quæ apud Latinos à ſubſiſtendo, aut potius à ſubſtando accidentibus dicta eſt: quatuor modis potiſſimum vſurpatur. Vno pro quauis eſſentia rei, præſertim vniuerſali, & quæ definitione explicari poteſt: quo pacto ſumitur nomen ſubſtantiæ, preſsè quidem ſiue pro vera eſſentia in hoc capite, cum traditur quarta ſubſtantiæ ſignificatio, latè autem ſiue pro quauis ratione obiectiua etiam non entium, in definitionibus æquiuocorum & vniuocorum. Altero pro quauis re quæ non ſit accidens, etiamſi in completa ſit: qua ſignificatione Ariſtot. [a] in Phyſicis tum differentias ſubſtantiarũ, tum etiam materiam & formam ſubſtantias appellat, vt eas ab accidentibus diſtinguat. Tertiò, pro re quæ non eſt accidens, completa tamen, quo pacto idem [b] alibi excludit differentias ſubſtantiales à ſubſtantiarum numero. Poſtremo pro primis ſubſtantiis, quo pacto idem libro [c] ſeptimo huius operis in diſputatione contra ideas Platonis, negat genera & ſpecies ſubſtantiarum eſſe ſubſtantias. Harum autem ſignificationum prima eſt communis, ſecũda propria, tertia magis propria quarta maximè propria, propria enim ſignificatio ſubſtantiæ, accidentia excludere debet, nihil autem remotius eſt à conditione accidentium, quàm prima ſubſtantia, vt mox patebit. Atque omnes hæ ſignificationes etiam in Deum & quamlibet diuinam perſonam conueniunt: hoc excepto quod nec Deus, neque vlla diuina perſona dicitur ſubſtantia iuxta Latini nominis veriorem Etymologiam, quam à ſubſtantiis finitis ductam eſſe, perſpicuum eſt.

*Quatuor modis accipitur.*

*Primus modus.*

*D. Iſidorus à ſubſiſtendo dicta docet lib. 2. Ety. ca. 27. Idemq; tradit Augu. 7. de Trin. c. 4.*

a *1. Phyſ. c. 6. tex. 52. Et 8. Metap. ca. 1. tex. 3.*

b *In Prædic. Cap. de ſubſtantia.*

c *Ca. 13. tex. 44. & ſeq.*

2

3

4

*Quartam ſignificationẽ eſſe maximè propriam.*

*Omnes in Deum conuenire.*

*Definitio primæ ſubſtãtiæ exponitur.*

*Quo pacto diuinis perſonis, immo & diuinæ eſſentiæ, conuenire poſſit definitio primæ ſubſtantiæ.*

*Quid ſit prædicari de pluribus, vt de ſubiectis.*

*Deus dicitur de tribus perſonis, ſed non prædicatur.*

PRIMA ſubſtantia definitur ab Ariſtotele in Prædicamentis, *id quod nec de ſubiecto vllo dicitur, nec in ſubiecto vllo eſt*, in qua definitione ens finitum & completum ſolet intelligi, quia illud tantum habet locum in Prædicamentis, quod ſi non intelligas particulam *finitum* nõ dubium erit quin definitio conueniat non modo diuinis perſonis, vt patet, ſed etiam diuinæ eſſentiæ, ſiue ea concretè accipiatur, ſiue abſtracte. Nam vt Socrates, hic lapis, & huiuſmodi ſunt primæ ſubſtãtię quia nec de ſubiecto vllo dicuntur, nec in ſubiecto vllo inſunt, ita & Deus, ſiue diuina eſſentia. Quamquam enim Deus dicitur de tribus diuinis perſonis, non tamen de illis prædicatur, vt de ſubiectis: ſiquidem dici de pluribus, vt de ſubiectis, nihil eſt aliud, quàm prædicari eſſentiali prædicatione de pluribus, in quibus id quod prædicatur, diuiſum ſit & multiplicatum, quo pacto Deus non eſt in Patre, Filio, & Spiritu ſancto. Accedit explicatio nominis primæ ſubſtantiæ, qua Ariſtoteles vtitur cùm eam vocat ſubſtantiã, quę primò, præcipuè & maxime dicitur: conuenit enim potiſſimum Deo, ſiue diuinæ eſſentiæ. Eſt igitur ſiue quælibet diuina perſona, ſiue Deus, vt eſt communis tribus perſonis, veriſſime prima ſubſtantia: non tamen vt prima ſubſtantia in Prædicamentis ponitur ſed abſolute.

*Obiectio 1. Deum non eſſe primam ſubſtantiam.*

SED contra hæc ſic obiici poteſt. Si Deus eſt prima ſubſtantia, ergo nullam diuinam perſonam primæ ſubſtantiæ rationem habere poſſe, cum ſub prima ſubſtantia nulla poſſit contineri ſubſtantia, ſed ipſa ſit vltimum prædicationis ſubiectum: aut ergo Deum non eſſe



eſſe primam ſubſtantiam, aut nullam ex tribus diuinis perſonis eſſe ſubſtantiam.

*2. Obiectio.*

PRÆTEREA, ſi quælibet diuina perſona eſt prima ſubſtantia, ac proinde ſubſtantia, cùm ipſæ ſint tres licitum fore, vt dicamus tres diuinas perſonas eſſe tres primas ſubſtantias, atque adeò tres ſubſtantias ad hoc nefas eſſe, ex Patrum dogmatis conſtare. Nam in prima Nycena ſynodo ſancitum eſt, Filium eſſe Patri, ὁμοούσιον, hoc eſt, vt Eccleſia Latina vertit, conſubſtantialem, ſiue vnius & eiuſdem ſubſtantiæ: quod deinde in pluribus Conciliis & Oecumenicis, & Nationalibus à Romana ſede confirmatis conſtabilitum eſt: vt meritò Hieronymus in Epiſtola ad Damaſum citata dixerit: *Quis audeat ore ſacrilego tres ſubſtantias in Deo concedere?*

*Solutio 1. Perſonæ diuinæ ſub Deo ſeu diuina eſſentia nõ continentur.*

PRIOR obiectio facile diluetur, ſi dicas diuinas perſonas non propriè contineri ſub Deo, ſeu diuina eſſentia: quia etſi prædicatione continetur, non continentur tamen natura & eſſentia, quaſi naturas & eſſentias particulares habeant, ſub eſſentia diuina contẽtas. Quare cum omnes eandem omnino cum Deo, & inter ſe naturam & eſſentiam habeant, æquè earum quælibet atque Deus, vt communis eſt omnibus, prima ſubſtantia eſt & dici poteſt.

*In diuinis tres primæ ſubſtãtiæ & tres ſubſtantiæ vt concedantur.*

POSTERIOR hoc modo diſſoluitur, ſi nomini ſubſtantiæ aliqua explicatio adhibeatur, qua conſtet illud non pro eſſentia, naturáve (quæ fuit prima ſubſtantiæ ſignificatio) vſurpari, non eſſe contra Patrum dogmata, tres diuinas perſonas tres eſſe, ſiue primas primas ſubtias, ſiue ſubſtantias aſſerere, vt ſi dicas eſſe tres primas ſubſtantias relatiuas, aut incommunicabiles, tréſve incommunicabiles, aut relatiuas ſubſtãtias. Alioqui nefas', ſacrilegiúmque eſt dicere eſſe tres ſubſtantias, aut tres primas ſubſtãtias, quod in Symbolo fidei, cuius profeſſione Catholici ab hæreticis diſcernuntur, confiteamur Filium eſſe Patri conſubſtantialem coeſſentialémve, quam eandem gloriam Spiritui ſancto attribuimus. Nihil enim magis cauet, orthodoxa fides quàm vt nec perſonas in vnam confundamus, nec ſubſtantiam eſſentiámve in plures ſeparemus, iuxta illud quod in Athanaſij Symbolo quaſi fundamentum ponitur: *Neque confundentes perſonas, neque ſubſtantiam ſeparantes.*

*Nullo pacto concedendas tres eſſentias relatiuas.*

QVOD ſi quis petat, num quemadmodum licet aſſerere in Deo tres ſubſtantias relatiuas aut incommunicabiles aut perſonales: ſic enim dicere fas ſit tres eſſentias relatiuas, aut incommunicabiles aut perſonales, negandum id planè eſt. Quamquam enim tres relationes diuinæ perſonales (quæ ſubſiſtentes ſunt & ſubſtantiales tres entitates relatiuæ dici poſſunt: tres tamẽ eſſentias relatiuas dicere Theologicæ regulæ non permittunt. Vtuntur enim Theologi vt quæque alia facultas, & multo religioſius quàm cæteræ omnes, propriis & peculiaribus vocabulis: & quaſi terminis quos trãſilire nequaquam licet, inter quos vnus ac præcipuus ille eſt, vt nihil eſſentia eſſentialeq́; in diuinis dicatur, niſi id quod commune eſt, vt diſtinguatur à perſonis perſonalibuſq́; proprietatibus. Quo fit, vt repugnantia ſit manifeſta apud Theologos tres relatiuas, ſeu incommnnicabiles ſeu perſonales

*Theologi quã religioſè vocabulis vtũtur.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Athanasij testimonium.*

essentias asserere, quod in nomine siue substantiæ, siue subsistentiæ nihil habet repugnantiæ. Lege Athanasium dialogo 1. de Trinitate, & in tractatu de definitionibus, vbi ait naturam & essentiam in diuinis dici vniuersales, siue communes, hypostases vero particulares, quem sequuntur cæteri posteriores. Est igitur & Deus, & quælibet diuina persona,& omnes simul prima substantia,& vnica prima substantia,non plures substantiæ, aut plures primæ substantiæ, nisi quid addatur,quo periculum tollatur, ne quis tres dici essentias existimet, quod tres essentiæ etiam cum additione relatiuæ, aut alia personali conditione nequaquam sint dicendæ.

*Definitio secundarũ substantiarum exponitur. Nihil dici in Deo quod sit secunda substantia.*

SECVNDÆ substantiæ,vt Aristoteles eodem Prædicamentorum loco definit, sunt genera & species, in quibus insunt primæ, hoc est, sub quibus collocantur essentiali subiectione, cuiusmodi substantiæ sunt animal & homo.Vnde patet,nihil prædicari posse de Deo,quod sit secunda substantia, cum Deus nulli generi aut speciei subiici possit.Huc accedit, quod in Deo nulla omnino entitas reperitur, quæ indigeat re aliqua,in qua existat: secundæ autem substantiæ ideo dicuntur secundæ, quia indigent primis,in quibus existant,vnde nascitur discrimen illud, quod Dialectici à posteriori considerant, quod substantiæ apud eos dicantur secundæ, quia indigent primis, vt substent accidentibus: quandoquidem vt illæ non possunt existere nisi in primis,ita nisi in illis accidentia subsistere nequeunt.

## *Num idem sit suppositum quod natura.*

### SECTIO II.

*Quid de hac quæstione Aristoteles sensisse videatur.*

*Quid fides Orthodoxa doceat.*

*Verbum diuinũ assumpsit hanc humanitatem non hũc hominẽ.*

PORRO mysterium Trinitatis sanctissimæ, & Incarnationis diuini Verbi cogit nos,vt hoc loco disquiramus sit ne idem suppositum, quod natura quando Aristoteles aliter de hac dubitatione videtur sensisse, quàm rei veritas habet.Videtur enim credidisse suppositum, & naturam singularem, in rebus quidem creatis sola ratione ratiocinante siue concipiente distingui,in Deo autem ne ratione quidem,considerationéve vlla:cum tamen orthodoxa fides doceat in Deo quidem sola ratione distingui (adde etiã virtute,de qua dictione ad cap.6.disputatum est) in rebus autẽ creatis non ratione sola,sed ex natura rei, hoc enim in causa est, cur in diuinis nihil repugnet vnam esse naturam, & tria supposita,in humanis autem Verbum diuinum assumpsisse hãc humanitatem, non autem hunc hominem quod reali actione factum est,non sola consideratione.Hinc Vigilius Papa lib.2.contra Eutychetem,& Dama.li. 3.Orthodoxę fidei,rectè ostendunt hæreticos ob ignorationẽ distinctionis suppositi & naturæ, in extremos errores incidisse. Nam quia idem omnino hæc in diuinis esse putabãt,alij propter vnitatẽ diuinæ naturæ,suppositorum distinctionem negabant,[a] vt Iudęi & Sabellianiialij [b] propter suppositorum distinctionem,quàm apertè Euangelium inducit naturę quoq; distinctionem ponebant,vt Ariani,Macedoniani,

*Damas. ca.3.*

a *Lege Epiphan. contra hæresim Sabellij hæresi. 42.& Nicephor. lib.10. cap.15.*

b *Apud Nicepho. lib.10. hist.Eccles.c. 42.& lib.12. c.10.August. lib.vno de hæresi ad quod vult Deũ,& epist.174.contra Arian. & Athanas. cõtra Arria-*



doniani,& Trideitæ,qui nostris temporibus iterum pullularunt.Quia vero apud nos naturam humanam singularem, & humanum suppositum idem esse putauerunt,plerique sunt qui negauerint veram & realem diuini Verbi incarnationem.Nam cum perspicuum sit, fieri non potuisse vt suppositum humanum vera & reali actione assumeretur ad subsistentiam diuini Verbi,cum sit incommnnicabile,colligebãt illi,idem dicendum esse de humana natura.Vnde alij vnionem naturę humanæ cum diuina, per gratiam solum esse factam commenti sunt, vt Nestoriani, alij [a] per quandam naturarum confusionem, & quasi mistionem,vt Eutychiani. Ponamus igitur cum fide orthodoxa suppositum & naturam:non idem omnino esse,sed vt pateat qua ratione inter se distinguantur,quid vtrumque sit,exponamus.

*Errores de incarnatione vnde emanarunt.*

a *Referunt Theodo. lib 1. de fabulis hæretic. & Leo Epist.10.*

## *Quid sit natura, quid suppositum.*

### SECTIO III.

*Definitio naturæ vt à Theologis vsurpatur. Vt Cicero.*

NATVRA vt in hac quæstione à Theologis vsurpatur,nihil est aliud quàm essentia rei,siue ea vniuersalis sit, vt animalitas & humanitas,siue singularis,vt Platonitas,Lentulitas quo verborum genere necessitatis causa, viri etiam disertissimi nonuunquam vtuntur.

*Naturam & substantiã dupliciter conuenire.*

CONVENIVNT autem dupliciter natura & substantia pro essentia rei sumpta. Primum quatenus neutra dicitur absolutè,sed comparatè: nempe respectu eius cuius est natura siue essentia, neque enim absolutè dicimus humanitatem esse naturam & substantiam hoc pacto sumptam,sed esse naturam & substãtiam hominis,& ita res habet in cæteris.Deinde quatenus vtraq; concipitur vel simplici conceptu vt in exemplis adductis,vel definitiuè,vt si dicas naturam & substantiam hominis esse,quod sit animal rationale,& naturã ac substantiam peculiarem Platonis esse,quod sit homo hic,aut ille, id est,constitutus ex natura humana, & hac differentia indiuiduante. Differunt autem quatenus nomen substantiæ hoc modo sumptum,magis vsurpatur in vniuersalibus quàm in singularibus vt dictum est:nomẽ autem naturæ æquè in singularibus, atque in vniuersalibus: qua forsitan de causa fit,vt potius quæri solet quid intersit inter suppositum & naturam, quàm quid intersit inter suppositum & substantiam siue essentiam rei:hęc enim difficultas propter singulares essentias excitari solet,vt patebit:singulares autem essentiæ,rerum potius dicuntur naturæ quàm essentiæ ac substantiæ illarum.

*Quo pacto inter se differant.*

*Sententiarij in 3.d.2. q.5. & 6.D.Tho. 3.p.q.2.ar.3.*

SVPPOSITVM definiri solet à Theologis substantia completa, incommunicabilis:cuiusmodi est Socrates,Plato, & alij homines indiuidui:accidẽtia enim nemo suppositа vocat, sed magis appositа & innixa suppositis:incompletæ vero substantiæ,cum partes sint & à toto perfectionem accipiant: suppositа enim non dicuntur, quod omnes suppositi nomine significare velint perfectum aliquid & complectum.Denique quicquid pluribus communicari potest,siue eiusmodi sit,vt in eis multiplicetur,quales sunt naturę omnes verè vniuersales

*Suppositi definitio apud Theologos.*

tam

tam abstractè quàm concretè sumptæ, siue eiusmodi, vt multiplicari nequeant, sed vnum & idem omninò in eis sit, qualis est diuina essentia in tribus diuinis personis, & esse posset natura humana in Verbo diuino, & in alia quauis persona diuina, aut etiam in puro homine, si à verbo relinqueretur, propriamq; personam constitueret, id inquam omne suppositi rationem non habet, quod non subsit aliis omnibus, sed in eis potius vt commune quippiam insit. Significant enim huius nominis impositores suppositi vocabulo vltimum quippiã, & quod nulli inferiori determinatiorive prædicationis subiecto per modum formæ informantis communicari possit, quamuis alia ratione pluribus communicetur, veluti per modum efficientis, aut exemplaris aut finis, aut etiam subiecti, quo pacto idem homo numero communicatur pluribus filiis, idem prototypum picturæ, aut sculpturę, pluribus exemplis eius imitatione factis, idem numero aurum communiter expetitur à pluribus cupidis, idemq; numero elemẽtum commune subiectum est plurium qualitatum.

*Suppositum, qua ratione sit incommunicabile, & qua communicabile.*

*Breuior alia suppositi definitio.*

ALII breuius sed eadem sententia dicunt, suppositum esse substantiam communicabilem, mittunt enim verbum *completa*, quod substantia completa, si completa simpliciter intelligenda est, idem esse videatur, atq; substantia prædicto modo incommunicabilis, ac proinde superuacaneum sit alterum superioris definitionis verbum, nempe vel *completa*, vel *incommunicabilis*. Sed nos vsi potiùs sumus vtraque particula. Primùm, quia cùm ens completum distribuitur in diuersa Prædicamenta, & in varia cuiusque genera, species, & indiuidua, nomine completi intelligi solet completum, siue simpliciter, siue secundum quid, vt patet ex capite superiori. Deinde vt definitio non reiiceret eam sententiam, qua suppositum dicitur compleri per entitatem quandam substantialem, quæ incompleta sit, necesse est. Si enim ita res habet, cùm eiusmodi entitas sit incommunicabilis, quẽadmodum & ipsum suppositum, colligi sanè potest ex posteriori definitione, eam entitatem esse suppositum, cum sit substantia incommunicabilis, quod tamen ex superiori definitione colligi nequit. Postremò, quia re vera non idem est substantia completa simpliciter, atque substantia incommunicabilis, cùm diuina essentia simpliciter completa sit, primaq; substantia, & tamen non sit incommunicabilis, nisi creaturis, idque essentiali attributione, iuxta illud Sapientis: *Incommunicabile nomen, lignis & lapidibus imposuerunt.*

*Cur priori potiùs definitione vsus sit Author, triplex ratio affertur.*

*Diuinam essentiam cum sit completa non esse suppositum.*

*Sapient. 14.*

RECTE autem eliciunt Theologi vel hanc, vel superiorem definitionem suppositi ex illa personæ definitione, quam [a] Boëtius tradit in libro de duabus naturis, & vna persona Christi: *Persona est rationalis naturæ individua substantia.* Nam cùm persona minùs latè pateat, quàm suppositum, sanè detractis illis verbis: *Rationalis naturæ*, remanet definitio propria suppositi, vel subintellecto verbo *completa* iuxta priorem definitionem suppositi, vel non subintellecto iuxta posteriorem: ita tamen, vt verbum *individua*, non idem valeat quod singularis, sed idem quod incommunicabilis, vt ab omnibus exponitur. Alioqui iam conueniret definitio in humanitatem Christi, &

*Rectè definitionem suppositi elici ex definitione personæ.*

*Definitio personæ ex Boëtio.*

a *Pag. 3. à principio lib. Vide D. Tho. 1. p. q. 29. art. 1. & doctores alios ad 1. Sent. d. 25.*



sti, & alias naturas singulares completas substãtiarum, quę suppositа non sunt: immo etiam naturæ diuinæ, quæ cùm non sint suppositum est tamen maximè singularis.

POTEST etiã suppositum definiri substantia completa omninò determinata in suo genere. Nã etsi omnis substãtia singularis determinata est ad singularitatem, vel ex ipsa sua natura, vt essentia diuina, vel per differentiam aliquam contrahẽtem, & indiuiduantem, vt quęlibet natura creata sub specie infima contenta, est tamen adhuc, siue creata illa sit, siue increata, determinabilis ad plura, in quibus sit, aut esse possit (quæ suppositа vocamus) ipsa autem in quibus est aut esse potest, vlteriorem determinationem in suo genere accipere non possunt, quamuis possint in alio genere: quo pacto Verbum diuinum determinabile erat in genere corporearum substantiarũ, immo & mortalium per humanam naturam, qua homo factum est & quilibet homo dum nascitur est determinabilis indiuersis generibus accidentiũ per varias corporis staturas, per artes & scientias, aliáque accidentia.

*Alia suppositi definitio.*

*More logico suppositum definitur.*

POTEST denique definiri suppositum more logico in hunc modum. Suppositum est omnino vltimum prædicationis subiectũ, hoc est, quod nullo mod o de pluribus naturali prædicatione dici potest: Nã cum primæ substantiæ sint vltimæ huiusmodi prædicationis subiecta in eo sensu, vt non dicantur de pluribus, in quæ ipsæ diuidantur, & in quibus multiplicentur, vt patet ex Prædicamentorum libro, suppositа hoc amplius habẽt, vt neque indiuisiua, de pluribus dicantur. Ita patet, quid nam sit suppositum.

*Quid vltrà primas substãtias amplius sibi vẽdicant suppositа.*

*Cap. de substãtia. 3. p. q. 3. art 3. & 1. p. q. 89. a. 4.*

NON est tamen hoc loco prætereundum, etsi Deus apud Caietanum, siue (vt ipse loquitur,) hic Deus simpliciter excluditur à ratione suppositi tradita: quædam nihilominus ab eo dici in hac materia, quæ partim non dicantur rectè, partim Scholasticis merito non placeant: Ait enim Deum nõ quidem communiter sumptum quo pacto falsos Deos, & participatiuè etiã sic appellatos complectitur, sed vt verè & per essentiam est Deus, communisq; tribus diuinis personis, esse concretum quasi specificum: hunc verò Deum esse concretum quasi indiuiduale, hoc est, sub Deo, quasi sub specie conprehensum, tum verò hunc Dsum esse suppositum incompletè quia etsi non est incommunicabilis, est tamẽ per se subsistẽs (quod proprium, inquit, est suppositorum.) Et quia suppositum intellectualis naturæ persona dicitur, addit: *Deum esse personam incompletam.*

*Caietani dicta circa hãc materiam examinãtur.*

*Deum esse concretũ specificum docet Caietanus.*

*Hunc Deum esse suppositũ incompletè.*

SED Deum non esse appellãdum concretum quasi specificum ex eo constat, quia verus Deus, siue vt Anselmus vtcumque describit id quo maius, seu perfectius cogitari non potest: aut (si mauis ens infinitæ perfectionis simpliciter, non potest non solum non esse cõmune pluribus differentibus, sed ne cogitari quidem, quicquid enim vt species concipitur, imperfectius minúsque actuale cogitatur, quam quod libet eius individuum. Itaque Deus verus: & hic Deus sunt prorsus synomyna quemadmodum Socrates, & hic homo, demonstrato Socrate. Vnde quemadmodum Socrates, vt Socrates est, nullo modo concipi potest conceptu specifico: aut quasi specifico: ita nec Deus Qua

*Refellitur primũ Caietani pronunciatũ.*

*Deus verus & hic Deus sunt synomima.*

de causa Dei nomen in Dialecticis institutionibus inter nomina singularia numerauimus.

*Secundũ Caietanũ assertum refutatur. Theologorum notanda regula.*

QVOD vero hic Deus, vt cõmunis est tribus personis non sit discretus suppositum, incõpletum, minúsque persona incompleta, vel ex ea Theologorũ regula intelligitur, quia in diuinis vsurpandæ non sunt nouæ & insolitæ locutiones, & ab omnium Patrũ consuetudine abhorrentes. Præsertim cùm decipi quis possit hoc loquẽdi modo, atque existimare Deum esse simpliciter suppositum & personam, cùm alias concedamus substantias incõpletas, esse simpliciter & absolutè substantias. Accedit quod per se subsistere, qua ratione suppositorũ est proprium, non conuenit Deo, siue huic Deo, vt est communis tribus personis, sed solis incommunicabilibus substantiis quo fit vt cum ille nec sit incõmunicabilis substãtia, nec eo modo perse subsistat, quo suppositа & personæ subsistunt, ne incomplete quidem suppositum, aut persona ex eo appellari debeat: quod suo modo per se subsistat. Quod si non propter peculiarem, & propriam suppositi cõditionem, sed propter aliquid commune suppositis, & nõ suppositis, potest appellari suppositum incompletum, & persona incompleta; dicamus etiam lapides & ligna esse personas incompletas, & homines incompletos, quod aliquid cum eis commune habeant,

*Lib. 1. c. 26 & 27.*

*Concluditur hunc Deũ ne incõplete quidem suppositũ esse dicendum*

EX dictis patet, non idem esse suppositum atque naturam, & qua ratione ea inter se distinguantur, tametsi adhuc non constat, quidnã sit illud, quod suppositũ addit naturæ, quod inferiùs discutiendũ est.

## *Quid sit hypostasis, & subsistentia.*

### SECTIO IV.

*Notatio nominis hypostasis*

HYPOSTASIS nomen, quod Latini subsistentiam vertunt. interdum sumitur pro ipso subsistendi actu, interdum pro re quæ subsistit, quemadmodum intelligentiæ vocabulum, modo sumitur pro actu intelligendi, modo pro re intelligente, si quicquid eognoscit, intellectu cognoscat: quo pacto substantias separatas intelligentias appellamus.

*Lege Altissiodorensem lib. 1. summæ aureæ. cap. 1.*

*Vsurpatio.*

*Subsistere quinque modis vsurpari.*

*Prima pro vero esse*

SVBSISTERE autem quinq; modis fere vsurpatur, duobus communi vsu, tribus apud Philosophos. Communi vsu subsistere interdũ sumitur, pro vero esse, non pro inani eius specie, præsertim si verum esse non raptim transeat, sed aliquãdiu permaneat: qua significatione scribit Aristoteles in libro de mundo ad Alexandrum, *Ea quæ in aere cernantur, partim specie tenus esse, partim hypostasim siue subsistẽtiam habere.* Et Areopagita Dionysius asserit, malum non habere hypostasim: quod ideo ait quia malum qua ratione malum est, non habet esse vllum, sed in defectu potius alicuius esse consistit. Et in sacris litteris Iob de se dicit: *Si mane me quæsieris, non subsistam.* Interdum vero pro subesse quocumque modo, quo pacto in ædibus fundamentum, in columna basis, in vino fæces, in vrina sedimentum, & subsistere dicitur, & hypostasis appellatur.

*Malum esse non habet.*

*Iob 7.*

*Secundus pro subesse quocũque modo.*

*Primo modo apud Philosophos accipitur subsistere pro esse per se, id est non in subiecto.*

APVD Philosophos autẽ, subsistere primo modo sumitur pro esse per se, hoc est, nõ in subiecto inhæsionis, quo pacto omnis substantia siue



tia siue completa sit, siue incompleta subsistere & hypostasim habere dicitur, subsistentiáque & hypostasis interdum appellatur. Quo pacto non tantùm primæ sustantiæ, sed etiam secundæ: & substantiarum partes subsistere dicuntur, immo D. Thomas in 1. sent lib. sępius ait: quia subsistere hoc pacto conuenit substantiæ, qua ratione substantia est, iccirco secundas substantias prius sibi vendicare subsistentiam quàm primas.

*1. Sent. d. 23. q. 1. ar. 1. & d. 26, q. 1. ar. 3. ad 4.*

SECVNDO pro esse per se, id est, non in aliquo (intellge per modum partis, aut formæ) à quo id, quod sic est, in illo suo esse pẽdeat. Hoc pacto negamus secundas substantias subsistere, quia etsi sunt in primis per modũ formarum, ab eis tamẽ in suo esse pendent. Formas item quæ educũtur è potẽtia materiæ, quia natura sua, nisi in materia esse non possunt, subsistere non dicimus: immo & ipsi materiæ, quæ prima pars est in compositione rerum naturalium, & minimè omniũ substantiarum in subiecto inhæsionis esse potest, cùm sit pura potẽtia, subsistentiam per se nõ tribuimus, quod sine forma nõ cohæreat, & cũ Alexandro, per se ipsam hypostasim habere haud concedimus.

*Secũdo modo pro esse per se, nõ in aliquo, neque per modum partis aut formæ.*

*Alex. 2. de ani. & 7. huius ope. cõ. 5.*

DENIQVE post incarnationem diuini Verbi, ne substantias quidem singulares, finitas, & completas, quatenus abstractis nominibus respondẽt, veluti naturam humanam huius hominis (quæ sumitur per modum formæ totius) hoc pacto subsistere intelligimus, quia ab aliquo suppositо in suo esse pendẽt, quemadmodũ fide orthodoxa credimus humanam Christi naturam modo quodam ineffabili pendere in suo esse à Verbo diuino, ad cuius subsistẽtiam assumpta est, tametsi in eo propriam, & peculiarem existentiã habeat. Hac tamen significatione dicimus non solum omnes primas substantias Prædicamentales, Personasque diuinas subsistere, quod in nulla re sint tanquã formæ, aut partes, sed etiã ipsam diuinam essentiam, quæ per modum formæ tribus diuinis personis communis est, immo & animam rationalem etiam dum est in corpore, vt forma in subiecto, in compsito autem, vt pars in toto, subsistentiam habere, quod nec diuina essentia à diuinis Personis, nec anima rationalis à materia, aut toto compositо in suo esse pendeat.

*Humanæ Christi naturæ in suo esse vt pendeat à Verbo.*

TERTIO pro esse per se, hoc est, ita esse vt quod sic est, neque actu nec Potentia sit in aliquo per modum partis, aut formæ, vel quasi formę. Quo pacto sola suppositа subsistere, subsistentiamq; habere dicimus, & subsistentias, hypostasesq; appellamus: non iam ipsam diuinam essentiam nec animam rationalem etiam à corpore separatam quod diuina essentia actu se habeat per modum formę, anima vero rationalis saltem Potentia sit forma subiecti, & pars compositi.

*Tertius, & vltimus modus quo subsistere sumitur pro esse per se, ea independentia quæ solis competit suppositis.*

HAC significatione sic definit hypostasim Basilius Magnus in libello de differentia hypostasis & Vsię ad Gregorium fratrem Nissę Episcopum, *Hypostasis est non indeterminata substantiæ conceptio.* In qua etiam sententia nos suppositum explicauimus: cum diximus suppositum esse substantiam completam omnino determinatam in suo genere. Dixit enim Basilius, *non indeterminata* pro omnino determinata in suo genere; & substantiæ nomine completam intellexit.

*Definitio hypostasis ex Basilio.*

*Ab Osio hãc hypostasis vsurpationem inductam primum.*

*Arius, & Sabellius hæretici vt circa diuinas personas errarint.*

Ac Nicephorus quidẽ libro decimo Ecclesiasticæ historiæ scribit Osium Cordubẽsem Episcopum, cùm à Constantino Magno Alexandriã missus esset ad sedandas turbas ab Ario excitatas primũ omnium hanc vsurpationẽ hypostasis, eiúsque ab essentia, naturáve distinctionem intulisse, qua etiam Sabellij errorem cõfutauit. Nã cùm Arius in patre & Filio essentias distinxisset. Sabellius autem vsq; adeo ei aduersaretur, vt etiam personas diuinas in vnam personam confunderet: quasi nõ re, sed solis nominibus distinguerentur. Osius vnã esse earum essentiam, hypostases vero siue subsistentias tres dicendum asseruit. Quod idem post Nicænã synodum (in qua de distinctione horum verborum non est disputatum) confirmarunt Patres Alexandrini Concilij, quod mortuo Constantio Imperatore ab Athanasio & Eusebio Vercellensi celebratum est, nisi quod tunc contra Sebellianos tantùm vtendum esse trium hypostaseon vocabulo cẽsuerunt, ne cùm hypostasis nomen essentiã quoque alias significet, Ariani putarent trium essentiarum numerum in diuinis à Catholicis concedi, vt scribit Ruffinus in priori libro additamẽti ad historiam Ecclesiasticam Eusebij Cæsarienfis, & Sozomenus in Tripartita lib. 6.

*Cap. 15.*

*Cap. 29.*
*Cap. 20.*

*Osio quatenus tribuenda prima hypostasis vsurpatio.*

Sed Osium fuisse primum, qui tertiam hanc hypostasis significationẽ intulerit, ea ratione probauerim, si in publica disputatione cõtra hæreticos ab eo primùm illata intelligatur. Nam aliàs si de Græcis auctoribus agitur, Iustinus Martyr ducẽtis prope annis ante Osiũ immo & Areopagita Dionysius, Apostolorum æqualis eam significationem vsurparunt, Iustinus quidem in expositione fidei, cùm scribit *Voces has ingenitus, genitus, procedens, non essentiam, sed hipostases significare, valent enim*, vt ait, *ad discernendas personas Patris, Filij, & Spiritus sancti, & indicandas nobis singulorum proprias subsistentias;* Dionysius vero in libro, de cœlesti hierarchia, cum vocat diuinam essentiam vnitatem, τριυπόστατον id est, in tribus hypostasibus, siue subsistentiis quod idem videre licet in libro de Ecclesiastica hierarchia. Quod vero ad Latinos attinet, iam apud Tertullianum antiquissimum & grauissimum scriptorem, in libro aduersus Praxeam, aliisq; locis perspicuum est obseruatam, & vsurpatam fuisse distinctionem inter personam & naturam: ac personæ nomen apud Latinos idem significat, quod apud Græcos hypostasis in natura rationali, siue intelligente, quod Gregorius Nazianzenus animaduertit in oratione pro Athanasio, cum ait sedatam esse discordiam inter Græcos & Latinos quæ erat tantum in nomine, cum illi hypostases, hi personas tres esse dicerent. Quamquam Latini Patres nondum satis emollito apud eos verbo hypostasis in hac tertia significatione reformidabãt tres personas diuinas, tres esse hypostases confiteri, ne tres substantias, essentiasve in diuinis, vt pote prima, aut secunda significatione hypostasis viderentur admittere, præsertim cùm nõ essent immemores censuisse Patres Sardicensis Concilij: vt est apud Theodoretum in Ecclesiastica historia vnã esse hypostasim Patris, Filij, & Spiritus sancti, Athanasiũque in epistola ad Episcopos in Africa cõstitutos, hypostasin essentiam esse dixisse, sumpto videlicet nomine hypostasis nõ in tertia signi-

*Non longè à principio.*

*Cap. 7.*

*Cap. 12.*

*Lib. 2. c. 8.*

*Vnam hypostasim in diuinis quo sensu Græci affirmarint.*



significatione, sed in prima, aut secunda quibus substantia, essentiáve significatur quod nimirũ contra eos hæreticos agerent quos nõ constabat nomen hypostasis pro nomine substantię essentię ve vsurpare. Hac de causa Acatius Beroënsis Ecclesiæ præsul in epistola ad Cyrillum Alexãdrinum, scribit Paulinum episcopum adhærentẽ hac in re occidẽtalibus episcopis detractasse tres hypostases in diuinis dicere; additque magno æstimandum esse, si vox illa reprimi posset, ne daretur occasio Deo Ecclesiam diuidendi, potiúsque videlicet vtendum personarum nomine, quod apud Latinos tritum erat. Eadem ratione Hieronymus ad Damasum sic ait, *Sufficiat nobis dicere vnam substantiam & tres personas, taceamus tres hypostases, si placet nomen non bonæ suspicionis est:* & paulo post: *Mihi credite*, inquit, *venenum sub melle latet.* Sed breui temporis decursu obtinuit vsus, vt apud Latinos etiam ęquè atque apud Græcos tres hypostases in diuinis esse dicerentur.

*Acatij præsulis testimonium.*

*D. Hieronymus.*

*De numero substantiarum in diuinis.*

## Sectio V.

Animadvertendvm est tamen, neque indiligenter hoc loco, etsi hypostasis & subsistentiæ vocabula ex vi nominis idem valent (neque aliud inter ea discrimen cernitur, quàm quod hypostasis græcum nomen est, subsistentia latinum) ex eo tamen tempore, quo Theologia via & ratione tradi cœpit, hoc est apud Scholasticos, vt vocantur, nõ eũdem vsum vtriusque vocabuli in diuinis esse cœpisse. Negant enim omnes diuinam essentiam qnæ vnica est, vnicam esse hypostasim, & affirmant tres personas esse tres hypostases; at nomine in subsistentiæ est non minima apud eos controuersia. Nam alij dicunt vnicam esse subsistentiam essentialem, & nullas personales, in quibus quasi caput habetur Durandus. Alij è contrario velunt tres esse personales, & nullam essentialem, quod plerisque recentioribus placet. Alij denique admittunt & vnicam essentialem & personales, tres, inter quos præcipue refertur Caietanus, quòd hanc sententiã apertius explicauerit.

*Hypostasis & subsistentiæ diuinis diuersus vsus aliud Scholasticos.*

*Durandus vnicã astruit in diuinis subsistẽtiam: Recentiores volunt tres esse personas les essentialẽ nullam.*

*Caietanus vnicã essentialẽ, & tres personales.*

*Explicatio quæstionis.*

*Quo sensu tres tantum sint in diuinis subsistentiæ.*

*Dur. 1. Sent. d. 26. q. 1. & in 3. d. 4. q. 2. Gaiet. 1 p. q. 3. art. 3. & q. 39. art. 4. & 3. p. q. 2 art. 2. & q 3. art. 3.*

Ac si subsistentia sumaiur in tertia significatione, nõ dubium est, quin tres subsistentiæ personales, & nulla essentialis, quod in ea significatione idem sit subsistentia atque suppositum, & hypostasis restricte accepto hypostasis nomine ex Theologorum vsu vti diximus, & hoc ipsum omnes Theologi fatẽtur, vt Catholicum dogma, & cuius contrarium est hæreticum, vt patet ex sacrorum Conciliorum, Patrúmque omnium decretis, qui passim distinguunt subsistentiam & hypostasim ab essentia, vt personale quippiã ab essentiali, planè asserentes vnicam esse in diuinis essentiam, & triplicem subsistentiam ac hypostasim: vnionemque humanæ naturæ factam esse in subsistentia. Verbi, non in essentia, quam proinde vnionem vocant hypostaticam & personalẽ, suppositalemque: pro eodemque vsurpant nomina subsistentiæ, hypostasis suppositi, & personæ cum de huiusmodi vnione,

*Const. sinop. 1. in epistola synodali ad Damasum Papam.*

*Ephesinum in epistola ad Nestorium.*

assumptionémque humanæ naturæ loquũtur:eadémque dicunt esse in Christo domino vnitatem subsistentiæ & hopostasis, atque vnitatem suppositi & personę. Ita enim decretũ fuisse in prima Nicena synodo, refertur in Cõstantinopolitana prima, quæ fuit generalis secũda, quod idem ipsa, & quinque sequentes generales apertè definiunt: lege in Cõstantinopolitana tertia, quæ fuit sexta generalis epistolas Agathonis Papæ, & Sophronij patriachæ Hierosolymitani, quæ in Cõcilio lectæ, sunt, & Patrum cõsensu approbatæ. Adde ex posterioribus Synodis generalibus Florentinam in litteris sanctæ vnionis, vt alia mittam in quibus eadem Catholica veritas tanquam à superioribus definita recipitur, ac colitur. Idem peculiaribus scriptis asserunt plurimi Partes in quibus sunt Dionysius Areopagita, & Iustinus Martyr paulò antè citati, Gregorius Nazianzenus in oratione de dignitate Episcoporum, Theoderetus de Trinitate, & contra Sabellium, Damascenus tertio orthodoxę fidei, & alij cum Græci, tum Latini neque, in re hac, vlla esse potest inter Catholicos dissensio.

*Chalcedonense act. 16. in responsione ad Martianum Imperatorem Constantinop. 2. & 3. multis in locis.*

*Sumpta subsistentia secundo modo apud Philosophos vsurpato, quid doctores sẽtiant*

Quod si subsistẽtiæ vocabulum in secunda significatione sumatur hic iam alij aliter & loquuntur & sentiunt. Nã etsi sumpto abstracto nomine pro concreto, hoc est, subsistentię pro subsistentis, adhuc omnes conueniũt in tertia illa sententia, vt & tres subsistentias personales admittant, & vnam essentialem, id est, tres subsistentes, & vnũ subsistens: tamen si quemadmodum ipsæ subsistentiæ nomen abstractum est, sic etiam abstractè sumatur, nec vsurpetur pro eo quod subsistentiam habet, sed pro eo quo Deus, & diuinę personę subsistunt: seu (quod idem est) pro ipsa ratione subsistendi in diuinis, meritò dubitatur an vnica sit essentialis subsistentia, & nulla personalis, an verò tres personales. & nulla essentialis: an denique & personales tres, & vna essentialis. Primi enim volunt diuinam essentiam esse rationem subsistendi, & Deo, & ipsis diuinis personis: quod relationes diuinæ, quibus illæ distinguuntur inter se non possint eis esse rationes subsistẽdi, quatenus à natura diuina distinguuntur. Secundi vero existimãt diuinam quidem essentiam esse quasi radicem subsistentiæ in diuinis at ea quibus Deus diuinæque personę formaliter subsistunt, esse relationes ipsas, quibus illæ cõstituuntur & distinguuntur: afferrique pro eis potest qualiscũque similitudo in rebus naturalibus. Nã quemadmodum in arbore radix est id, quo rami originaliter siue radicaliter (vt dici solet) frondent, & florent, & fructum ferũt, & tamen ipsi rami sunt, qui per se ipsos suãsque peculiares qualitates quasi formaliter foliis, floribus, & fructibus vestiuntur: sic quodãmodo natura diuina est ratio originalis & radicalis subsistendi personis diuinis, quia virtute diuinæ naturæ omnes subsistunt: at ipsæ personæ per suas personales relationes quemadmodũ formaliter personæ sunt, ita & formaliter subsistunt. Denique tertij asserunt, & diuinam essentiam esse rationem subsistẽdi Deo, siue sibi ipsi diuinisque personis subsistẽtia essentiali: diuinas autem relationes esse rationes subsistendi, & diuinis personis, & ipsi diuinæ essentiæ subsistentia personali: quæ opinio, vt verisimilior est & communior, ita à nobis amplectenda, quam sequi

*Durandus & alij.*

*Recentiores.*

*Eam amplectuntur Albert. Mag. 1. sen. d. 23. art. 1. ad 2. Alensis 1. p. q. 49. membr. 2. Scot. in 3. q. vlti. ad finem, & quod lib. 4. ar. 2. Bassol. in 3. d. 1. q. 3. & alij complures.*

*Cuietanus & plerique alij Theologi.*



sequi omnino videtur. D. Thomas de Potentia quæst. 9. arti 5. ad 15. & in 1. distinctione 26. quæstione 1. artic. 1. itemq. 1. parte quæstione 29. ar. 2. ad secundum, & art. 4. quicquid non pauci Thomistæ velint.

*Primæ ac secundæ opinionis argumenta.*

## Sectio II.

*Argumenta pro Durandi opinione.*

Primæ opinionis argumenta tria sunt, potissimùm ex ipsa subsistendi ratione ducta.

Primum, quia subsistere est absolutum quippiam, vt planè constare videtur, & Augustin. asserit 7. lib. de Trinitate: *Si Deus*, inquit, *relatiuè subsistit. sicut relatiue gignit substatia nõ erit substantia*: Cũ igitur relatio non possit dare esse absolutũ, fieri non potest vt relationes in diuinis sint ea, quibus vel Deus, vel personæ diuinæ subsistant, sed necessariò dicendum videtur, solam diuinam essentiam esse id, quo formaliter omnia in diuinis subsistent.

*Cap. 4.*

Secundum, quia subsistere est proprius & peculiaris modus essendi substantiæ, quo fit, vt inde habeat formaliter siue Deus siue quælibet diuina persona, vt subsistat, vnde habet formaliter, vt sit substantia; at hoc relatio vt relatio est, prestare non potest, cùm eius formalis effectus non sit esse per se, sed respicere aliud, seu habere se ad aliud.

Tertium, quia subsistere in Deo est perfectio quędam, atque adeo summa perfectio: cùm ergo relationes diuinæ personales nullã perfectionem diuinæ essentiæ adiungãt, (alioqui cùm ipsę sint oppositę, aliqua summa perfectio esset in vna persona, quę nõ esset in alia) efficitur, per eas formaliter nec Deus, nec diuinæ personæ subsistant, sed per solam diuinam essentiam.

*Alijs auctoribus eamdem sententiam placuisse.*

Atque in hac sententia videtur fuisse ante Durandum Henricus Gandauensis quodl. 3. eandémque ex recentioribus sequitur Paludanus in tertium sententiarum, & fortasse Ferrarienſis in quartum D. Thomæ contra Gentes.

*Henr. q. 2. Palud. distin. 1. quæst. 2. Ferrar. ad cap. 26.*

*Secundæ opinionis argumenta.*

Secunda opinio pluribus, iisque non contemnendis argumentis stabilitur: Primum, quia cùm diuina essentia nec existat, nec operetur nisi in diuinis personis: neque enim separata est ab eis, vt per se ipsam vel esse, vel operari possit, perspicuum videtur eam non per se, sed per relationes personales subsistere.

Deinde, quia si diuina natura non esset, nisi in vna persona, vt Iudæi credunt, & philosophi putauerunt, quemadmodum de natura Angelica cuiuslibet speciei D. Thomas existimat, nõ diceretur subsistere nisi suppositum, siue persona, quia suppositũ esset id quod esset, natura autem id, quo illud esset: igitur multo magis id asserendm est existente reuera natura diuina in tribus suppositis, maior enim distinctio videtur esse inter naturam & plura suppositа, quàm inter naturam & vnicum suppositum: quo fit, vt & Deus & quęlibet diuina persona ratione diuinarum relationum, quibus suppositа in esse personali con-

li constituuntur, substant non ratione diuinæ essentiæ quæ omnibus est cõmunis. Tertio, quia hoc differunt existẽtia & subsistentia, quod existentia est actus essentiæ, subsistentia verò est actus suppositi, vt Theologi docent, vbi de diuini Verbi incarnatione disputant: at in diuinis suppositũ & persona idẽ sunt. Postremò, quia id quod omnino per se subsistit, debet esse omnino particulare ac determinatum: diuina autem essentia est commune quid & indeterminatum ad tria diuina suppositа: nõ habet igitur à ipsa formaliter subsistentiam, sed à relationibus personalibus, quibus suppositа constituuntur in esse omnino particulari ac determinato, & quod nullo modo cõmune sit ac indeterminatum.

*Eadem sententia Patrũ testimoniis vt confirmetur.*

HÆC eadem sententia tradi omnino videtur à Patribus, cùm in Conciliis superius citatis, tum etiam in priuatis cuiusque scriptis; vt non opinio, sed dogma fidei Catholicũ videri possit. Nam cùm asserunt tres esse subsistẽtias in diuinis, eásque faciant personales: ac rursus dicant naturam humanam Christi, vt paulo ante dictum est, vnitã fuisse Verbo Deo non secundum essentiam sed subsistẽtiam, planè videntur sensisse essentiam diuinam non subsistere per se ipsam, sed per suppositа, personásque diuinas, hoc est, non formaliter ratione essentię, sed ratione personalium proprietatum subsistentiam habere.

*Tertiæ sententiæ confirmatio.*

## SECTIO VII.

*Argumenta tertiæ opinionis.*

TERTIA denique sententia, quę partim primę partim secundę oponitur, hjs potissimum argumentis confirmatur.

*Primum. Ex diuino esse.*

PRIMVM desumitur ex ipso esse diuino. Nam cùm illud duplex sit, vnum essentiale & absolutum, alterum personale ac relatiuum, & omne esse diuinũ sit omnino per se subsistens, quemadmodum & omnino independens, necesse est dari in Deo duplicem subsistendi rationem: alteram absolutam & essentialem qua Deus vt Deus est subsistat, quęque tribus personis communis sit, alteram relatiuam & personalem, qua ipsæ personæ vt tales sunt cohæreant, & fit alia & alia in singulis.

*Secundum. Ex diuina operatione desumptum.*

SECVNDVM ex diuina operatione. Cùm enim omnis operatio supponat subsistentiam operantis, in Deo autem duplex sit operatio, vna quæ conuenit Deo vt Deus est, siue vt cõmunis est personis omnibus, & dicitur operatio ad extra, quia exercetur in creaturis; altera quæ cõuenit personis vt sunt inter se distinctæ, siue ea operatio sumatur inchoatiue, vt in Patre & Filio, siue terminatiue, vt in Filio & Spiritu sancto, quæ operatio dicitur ad intra, & notionalis, quod in ipsis diuinis personis exerceatur, & earum notitiam nobis afferat, duplex quoque subsistendi ratio danda est in diuinis, vna ipsius Dei operantis in creaturis, altera personarum producentium & productarum, quæ triplex esse debet iuxta personarum numerum.

*Tertium. Ex ipsa ratione subsistentiæ.*

TERTIVM ex ipsa ratione subsistentiæ. Ecclesia cum subsistens secunda subsistentiæ philosophica vsurpatione, de qua est sermo; idẽ sit quod



sit quod habens esse non in aliquo, à quo in suo esse pendeat, hoc autem conueniat tam ipsi diuinæ essentiæ secundum se acceptæ, quàm singulis personis: quatenus personæ sunt, dubium esse nõ potest, quin & Deus per se ipsum absolutum aliquam subsistẽdi rationem habeat, & quælibet persona diuina, vt talis persona est, suam propriam & peculiarem relatiuam: nulla enim dependentia est, siue essentiæ diuinæ à personalibus proprietatibus, siue personarum ab essentia, aut à se inuicem cùm dependentia soli creaturæ conueniat.

*Quartum. Ex decretis Conciliorum.*

QVARTVM desumi potest ex decreti quinti ac sexti generalis Concilij. Nam in Epistola Agathonis Papæ, quę est in Sexto sic habetur: *Confitemur Trinitatem personarum, siue subsistentiarum, non trium nominum subsistentiam, sed bene trium subsistentiarum, vnam subsistentiam*, quem locum etsi louerius in sua Conciliorum summa deprauatum existimat librariorum vitio, vt vnam subsistentiam pro vnam substantiam habeamus: dum tamen exemplaria nulla refert siue Latina, siue Græca, in quibus ostendat emendatam esse lectionem, non est cur laboret, vt cuiquam in nostra, id est, communi lectione, mendum esse persuadeat. Et quamquam ex hoc loco, si res attentius perpendatur, sola ratio subsistendi absoluta, quæ omnibus personis communis est colligatur, (illud enim *trium subsistentiarum*, pro *trium subsistentium* accipiendum est, vt explicatum erat, & illud *vnam subsistentiam* pro *vnam rationem subsistendi*, ne sensus sit *trium habentium subsistentiam vnam habens subsistentiam*, quod ineptum esset) tamen ex quinta Synodo habentur tres subsistendi rationes relatiuæ ac personales, cum in actione vndecima dicatur *diuinarum personarum Trinitatem, numerabilem esse tribus subsistentiis personalibus*. Neque enim sensus esse potest (nisi inéptus etiam sit) Trinitatem personarum in diuinis numerabilem esse tribus subsistentibus personis, aut tribus subsistentibus personalibus, vt verbum *subsistentiis* concretè sumatur, sed plana sententia est, numerabilem esse tribus rationibus subsistendi personalibus, siue tribus proprietatibus personalibus, quæ non absolutæ sunt & communes, sed relatiuæ ac singulæ singularum propriæ.

*Quintum. Ex communi Theologorum sententia.*

QVINTVM non obscurè elicitur ex communi sententia Theologorum qui ante hanc ætatem fuerũt. Omnes enim perspicuè docent essentiam diuinam esse rationem subsistendi sufficientissimam Deo, diuinisq; personis, cùm nihil ei desit, quominus per eam Deus, diuinæq; personæ perfectissimè subsistant, vnde Diuus Thomas 1. parte, quæst. 3. artic. 4. docet in solo Deo indiuiduationem & subsistentiam nihil addere naturæ, sed esse de essentia Dei, lege Capreolum 1. sent. distinctione 26. quæst. 2. vbi multa loca Diui Thomæ in hanc sententiam citantur. Scotus idem scribit 1. Senten. dist. 5. q. 2. & distinct. 26. quæst. vnica, & 3. sent. dist. 2. quæst. 2. vt ex tota Schola hos tantùm, vt præcipua capita, commemorem. Omnes item excepto Durando, & vno aut altero, qui eius sententiam sequuntur, cum de incarnatione diuini Verbi agunt, propriam & peculiarem subsistendi rationem Verbo attribuunt. ob quam humana natura in eo solo, non in Patre, aut Spiritu Sancto subsistere dicatur. Lege D. Thomam 1. par. quæ-

*Ex diuino incarnationis mysterio.*

*Verbũ habet propriã subsistendi rationem ab quam natura humana in eo subsistit.*

stione 29.art.2.& 3.par. q.2.art.2. Scotum verò Quodlib.4.art.2. & Quodlib.5.art.3. & alios quosuis. Itaque si quid agunt prima & secunda opinio, altera nobis concedit vnicam subsistendi rationem absolutam & essentialem, altera tres relatiuas & personales, vt alterutra altera ex parte communi, veraq; sententiæ astipuletur.

*Solutio argumentorum primæ & secundæ opinionis, luculentiorq; veræ sententiæ explicatio.*

## SECTIO VIII.

*Ad primũ sectionis sextæ positum pro prima opinione.*

QVARE ad primum argumentum primæ opinionis dicendum est, subsistere esse absolutum quippiã, aut re ipsa, aut saltem ipso concipiendi modo. Cũ enim aliquid subsistere concipimus, non illud per modum habendi esse in alio, aut ad aliud, sed in seipso intelligimus, quod est per modum substantiæ, etiamsi ipsum fortasse verè relatiuum sit. Itaque hoc pacto dicimus subsistere absolutum esse, non relatiuum, idq; apud omnes constare, eodemq; modo intelligendum esse Augustinum in loco citato. Quare cùm obiicitur relationem non posse dare esse absolutum, negandum id est, si de esse absoluto hoc modo explicato intelligatur.

*Relationem concipi posse conceptu absoluto.*

Nam relatio etiam creata & inhærens potest concipi absoluto conceptu quatenus accidens, & quatenus ens: absoluto inquam, & à termino quatenus accidens, & à subiecto quatenus ens, etsi ipsa in se vnica tantum sit entitas relatiua: multò ergo magis id accidere potest in relationibus diuinis personalibus, quæ substantiales sunt, & personas diuinas constituunt. Neque enim dubium esse potest, quin vt constitutiuæ sunt in esse personali, absolutè concipiantur, cùm persona vt persona est, non concipiatur ad aliud se habens, sed in seipsa, atque adeò vt habet esse incommunicabile, etsi ipsa in se verè relatiua sit.

*Subsistere personale an addat perfectionem vllã diuinæ essentiæ.*

AD secundum fatemur subsistere esse propriũ & peculiarem modum essendi substantiæ, atque inde siue Deum, siue quamlibet personam diuinam habere formaliter vt subsistat, vnde formaliter habet vt sit substantia. Sed cum substãtia completa, de qua loquimur, dupliciter sumatur, vel pro essentia, vel pro hypostasi seu suppposito, suppositumq; in diuinis sit relatiuum, non mirùm esse debet, si relatio in diuinis det formaliter esse substãtię, non essentiale tamẽ, sed personale.

AD tertium dicimus, subsistere personale etsi perfectissimum est, summaq; & infinita perfectio, quia includit perfectionẽ essentialem, tamen vt virtute distinguitur à diuina essentia, nullã ei perfectionem sibi propriam, & peculiarem adiungere, nisi sermo sit de perfectione transcendente, quæ est negatio defectus in proprio genere, vt superiori libro diximus, de qua perfectione nihil est incommodi, si aliqua sit in vna persona quæ non sit in aliis.

*Soluuntur argumenta pro secunda opinione posita eadem sectione 6.*

AD primum verò secundæ opinionis dicendum, ex eo quod diuina essentia non existit, neque operatur seiuncta, & separata à diuinis personis, quo pacto Plato putasse dicitur vniuersalia existere, & operari



rari seiuncta à rebus singularibus, non colligi negandam esse in diuinis subsistentiam essentialem. Neque enim ita existit, ac operatur essentia diuina in personis diuinis, vt ab eis in essendo, aut operando pendeat, quo tamen pacto pendent naturæ creatæ à suppositis, siue illæ vniuersales sint, siue etiam singulares.

*Si vnum tantum in diuinis esset suppositũ non distingueretur à natura.*

AD secundum, si in diuinis vnum tantum esset suppositum, fore vt idem omnino esset suppositum atque natura, & id quod est, atque id quo est: vnde fieret vt subsistentia & operatio, æquè tribuerentur naturæ atque suppposito: nunc autem quia plura sunt diuina suppposita, aliquam operationem posse tribui suppposito, tanquam ei quod operatur quæ non potest tribui naturæ, vt productio sibi similis in natura diuina. Natura enim diuina non generat filium, quem tamen Pater generat. Alia est ratio in Angelis: nam etsi vera esset opinio D. Thomæ, quod per eandem differentiam præcisè ponatur Angelus in esse indiuiduali, per quam ponitur in esse specifico, tamen adhuc esset discrimen inter naturam & suppositum, siue inter id quod est, & id quo est, quia adhuc natura Angelica posset assumi ad diuinam subsistentiam, siue apprehendi, vt Paulus loquitur, quod tamen de suppposito dicere non possumus.

*Natura diuina non generat Filium, quem Pater generat.*

*Quid intersit inter existentiam, & subsistentiam, & quorum illæ sint actus, solutioq; cæterorum argumentorum.*

## SECTIO IX.

*Lib.4. c.2.q.4. sect.4. ad finem.*

AD tertium vt distinctius respondeamus, explicare oportet, quid intersit inter existentiam & subsistentiam, & qua ratione existentia dicatur actus essentiæ, & subsistentia actus suppositi, quæ dubia à nobis superiori libro in hunc ipsum reiecta sunt.

*Quid sit existentia.*

EXISTENTIA, vt eo loco diximus, nihil est aliud, quàm vltimus essendi modus, vltimáve actualitas cuiuslibet entitatis, siue ea actualitas distinguatur ex natura rei ab entitate, cuius est actualitas, siue nostro tantùm concipiendi modo. Quicquid enim cõcipitur sub quauis entitate, aut modo entitatis qui non sit actualis existentia, adhuc concipi potest, aut naturæ, aut nostro concipiendi ordine sub actuali existentia, vt inductione patet. Atque in creaturis perspicuum est id fieri naturæ ordine, cum existentia contingenter aduenit omnibus entitatibus creatis: in Deo autem cui essentialiter conuenit existere, id euenire nostro concipiendi ordine: ex eo patet, quia quemadmodum Deus, vt ordinatè concipiatur à nobis, prius concipitur vt intelligẽs, quàm vt volens: etsi vtrumque ex natura rei sit vna atque eadem essentia diuina, ita priùs concipi potest vt Deus, & vt persona hæc aut illa quàm concipiatur vt actu existens, etsi existentia in diuina essentia includatur, qua ratione insipiens in corde suo dicit: *Non esse Deum*, hoc est, eum quem nos concipimus vt summum bonum, & qui omnium eius scelerum sit vltor, non existere in rerum natura.

*Existentiam rebus creatis contingenter conuenire.*

*Deo essentialiter.*

*Psalm.13.*

*Subsistere duobus modis posse accipi.*

CVM autem subsistere, siue habere esse independens independentia partis

Universidad de Deusto Biblioteca



*Primus.* *Secundus.*

tia partis à toto, formęve, aut veluti formæ ab eo cuius sit forma, aut quasi forma (de hac enim subsistētiæ significatione agimus) duobus modis sumi possit, vno vt significat actualem existentiam, quo pacto subsistentia nihil est aliud quàm perfecta existentia substantiæ: altero vt significat modum essendi potentialem, aut quasi potentialem, qui sub tali existentia latet: quo pacto modus essendi, quo primę substantiæ, & animæ rationales suaptè natura sunt independentes, & à subiecto, & à toto, in ipsa earum ratione includitur, manifestè colligitur subsistentiam priori modo sumptam se habere ad existētiam, vt quandam particularem existentiam ad existentiam generaliter acceptam, posteriori autem modo, vt fundamentum ad id cuius est fundamentum. Ita patet quid interſit inter existentiam & subsistentiam.

*Quid interſit inter substantiam & existentiam.*

*Existentia vt sit actus essentiæ.*

Cvm autem à Theologis in materia incarnationis diuini Verbi dicitur existentiam esse actum essentiæ, & subsistentiam actum suppositi: existentia quidem generaliter sumitur, vt sensus sit omnem essentiam habere aliquam existentiam: subsistentiā verò pro ea tantum qua aliquid ita habet esse independens à toto & à subiecto, vt non sit etiam pars aut forma, vel quasi forma alicuius (quæ erat extrema subsistentiæ significatio) quo pacto subsistentia vsurpata est à Patribus, vt diuinas personas ab essentia distinguerent, hoc enim pacto subsistentia nō est actus naturæ humanæ, aut etiam diuinæ, sed solius suppositi, siue creatum illud sit, siue increatum: cum interim quælibet natura suam habeat existentiam, diuina quidem perfectam & omnino independentem, humana autem & quælibet alia creata, vt à supposito distinguitur, imperfectam & dependentem ab existentia suppositi, proprij quidem naturaliter, alieni verò (quod solum diuinum videtur esse posse) supernaturaliter.

*Naturā creatam à proprio supposito naturaliter, ab alieno diuino tantum supernaturaliter existentiam suam habere dependentem.*

Eodem modo respondendum est ad quartum ac postremum argumentum. Subsistentia enim omnino particularis & determinata, non est subsistentia naturæ & suppositi, quam extrema subsistentiæ significatione explicauimus, de qua vt non erat dubium, ita nec quæstio vlla.

*Cur Patres tres tantum faciāt in diuinis substantias.*

Denique quod Patres, & publico consensu in Conciliis, & priuato iudicio in libris editis tres tantum faciunt subsistentias in diuinis, eásque personales nihil approbatæ à nobis sententiæ aduersatur: cum subsistentiam in materia diuinæ incarnationis, dispensationísve vt appellant eodem modo, id est, pro omnino particulari, determinatáque accipiant. Eius enim subsistentiæ vsurpatio, mirum in modum eis vtilis erat ad hæreticorum errores in ea materia confutandos.

*Non idem esse suppositum & primam substantiam nisi in creaturis.*

## Sectio X.

*Quid Aristoteles errando dixisset.*

His disputatis aliter respondendum est ad priorem præcipuæ quęstionis partem, quā Aristot. respondisset. Ille enim quia non nouit mysterium Trinitatis, planè dixisset nullum esse discrimē inter suppositum



suppositum & primam substantiam, Deumq́; vt est prima substantia, atque adeò inter omnes primas hoc nomine dignissima, ita quoque esse suppositum. Re tamen vera dicendum, non idem esse suppositum atque primam substantiam, nisi in creaturis. Atque in diuinis nō idem esse ex iis quæ discussa sunt, manifestum est. Ostendimus enim Deum siue diuinam essentiam, ita esse primam substantiam, vt non sit suppositum: contraq́; diuinas personas ita esse plura suppositа, vt non sint dicendæ (saltem absolutè ac simpliciter) plures primæ substantiæ, sed vnica. In rebus autem creatis ex eo perspicuum est hæc non distingui quia omnis substantia completa, finita & incommunicabilis quæ est ratio suppositi creati) est prima substantia prædicamentalis, & vicissim omnis prima substantia prædicamentalis, est singularis completa, finita, & incommunicabilis, vt inductione patere potest.

*Hæc ipsa q. sect. 1.*

*Non idem esse suppositum & primam substantiam nisi in creaturis.*

Svnt tamen nonnulla quæ in rebus creatis huic veritati obstare videantur. Vnum est quod substantiæ abstractæ singulares, vt hæc humanitas & illa, videntur esse primæ substantiæ: tum quia sunt substantiæ finitæ & completæ, quæ nec in subiecto inhæsionis vllo sunt nec de subiecto vllo prædicationis dicuntur: tum etiā quia sunt per se ipsę & non reductitiè in prædicamēto substantiæ, vnde cū non sint secundæ substantiæ: necessariò videntur esse primæ, & tamen constat ex iis quæ dicta sunt, eas non esse suppositа, cùm sint communicabiles per modum formarum, vt ex mysterio diuinæ incarnationis intelligitur.

*Argumenta contra propositam veritatem. Primum.*

Altervm est, quod suppositum creatum addit aliquid naturæ singulari distinctum ab illa ex natura rei, vt ex eodem mysterio colligitur: prima autem quælibet substantia, nihil tale videtur addere naturæ singulari, cùm non distinguantur ab ea, nisi vt concretum ab abstracto quæ sola operatione intellectus dicuntur distingui. 2.

Tertivm est huiusmodi: Si Deus primò & immediatè, hoc est, vt est communis tribus diuinis suppositis, assumeret hanc humanitatem ad suam subsistentiam: tribus etiam personis communē, sane hic homo quod esset eius concretum, ita esset prima substantia, vt tamen non esse suppositum, esset enim substantia completa, quæ nec in subiecto inhæsionis esset, nec de subiecto prædicationis diceretur, ad quod nimirum per differentiam diuidentem & multiplicantem esset contracta, & tamen cum foret tribus diuinis suppositis communicabilis atque adeò communicata substantia (essent enim tres diuinæ personæ ratione illius, etsi non tres homines, tamen tres habentes eandem humanitatem, & vnus atque idem homo) suppositum dici non posset. Non rectè igitur dictum est idem esse in creaturis suppositum, atque primam substantiam. His argumentis quæ non minimas difficultates continent, hoc modo respondendum est. 3.

*Caiet. ad c. 3. & 7. libri de Ente & essent. Et Scot. q. 11. in Prædicam.*

*Soluūtur hæc argumenta. Primum. Singulares substantiæ creatæ in abstracto sumptæ cur non sint primæ substantiæ.*

Ad primum substantias singulares creatas in abstracto sumptas, cùm non primò & principaliter & maximè substantiæ sint, (qua periphrasi Aristoteles nomen primarum substantiarum explicauit (non dicendas esse primas substantias: neque obstare, quòd sæpe dicantur completæ, & per se ad prædicamentum substantiæ pertinentes, vt primæ dici debeant, quia non sunt secundæ. Nam etsi dicuntur complete inter

*Cap. de substantia.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



tæ inter abstractas substantias, tamen nec simpliciter & absolutè completæ sunt, cum non per se omnino subsistant, nec de sic subsistentibus tanquam genera aut species dicantur. Etsi etiam per se pertinent ad prædicamentum substantiæ: quemadmodum & concreta accidentium ad accidentium prædicamenta, non tamen per se primo pertinent, quia non sumuntur vt subsistentes, quemadmodū è contrario accidentium concreta non per se primo collocantur in prædicamentis accidentium, quia spectantur vt subsistentia propter connotationem subiecti subsistentis. At in diuisione substantiarum, quæ fit in primas & secundas substantias intelligendæ sunt nomine substantiarum substantiæ per se primò positæ in prædicamento substātiæ, nempe substantiæ completæ, spectatæ vt per se subsistentes, siue per se omnino, siue per sua inferiora.

*Pertinere quidem per se ad prædicamentū non tamen per se primo.*

*Diuisio substātiarum in primas & secundas explicatur.*

*Prima substantia creata quid addat naturæ singulari abstractæ.*

Ad secundum dicendum primam substantiam, vt prima substantia est creatámque & increatam complectitur: & si nullam addit entitatem, naturæ singulari abstractæ, tamen si creata sit addere aliquid in nomine primæ substantiæ formaliter inclusum, & à natura abstracta ex natura rei distinctum, ratione cuius ei conueniat, vt per se omnino subsistat. Quod vt melius intelligas aduerte aliam esse rationem concretorum in accidentibus, & secundis substantiis, aliam in primis substantiis creatis, id quod ex modo significandi nominum colligi potest. Omnia enim concreta accidentium vocabula, & nomina secundarum substantiarum (quæ semper concreta sunt) innuunt aliquid, cui insit, aut quasi insit formale significatum: concreta quidem accidentium subiectum inhæsionis, aut quasi inhæsionis, vt patet in albo & locato: nomina autem secundarum substantiarum primā aliquam substautiam, vnde & pro eisdem accipiuntur, supponúntve. Nam si dicas album disputat, homo disputat, album sumetur pro re affecta albedine, & homo pro aliquo singulari homine. Nomina verò primarum, quę omnia etiam in rebus creatis concreta sunt, nullum innuunt subiectum, siue cui inhæreant, aut quasi inhæreant formalia eius significata, siue de quo ipsa prædicentur, vt de inferiori, quod non solum patet ex ipsa primæ substantiæ definitione, sed etiam ex eo probari potest, quia alioqui daretur progressus infinitus in numerandis subiectis: vnde ad res ipsas progrediendo satis apparet, aliam esse rationem concretionis in secundis substantijs & accidentibus, aliam in primis substantiis. Illa enim non sunt formaliter ea, pro quibus concreta ipsorum nomina sumuntur, hæc autem maximè.

*Solutio secūdi argumēti.*

Ad argumentum igitur dicendum, etsi prima substantia in creaturis distinguitur à natura singulari, vt concretum ab abstracto, tamen aliquid addere naturæ singulari distinctum ab illa ex natura rei, vnde habeat, vt ex se omnino subsistat. Quod autem dici solet, concreta & abstracta sola operatione intellectus distingui, in cæteris

*Concreta ab abstractis quomodo distinguantur.*

præterquam in primis substantiis creatis, intelligendum est, vt patet ex dictis.

*Tertio.*

Ad tertium dicito, totum discursum esse bonum, sed tamen nihil eo colligi contra ea quæ à nobis dicta sunt, neque enim is homo, qui resultaret



resultaret ex assumpta natura humana ad subsistentiam diuinam tribus diuinis personis communem creatura dici posset, quēadmodum neque homo qui resultauit ex incarnatione diuini Verbi: vt enim homo sit creatura, oportet vt finitam & dependentem habeat subsistentiam, qualis non esset subsistentia illius hominis, quia non humana foret, sed diuina. Itaque vt non dicimus eum hominem, qui est Christus esse creaturam, sed creatorē quia subsistentia eius est diuina personalis, ita neque homo is cuius humanitas ad communem subsistentiam diuinam assumpta esset, quia eius subsistentia esset diuina essentialis. Esset igitur homo ille prima substantia, quia per se omnino subsisteret, nec subsistentiam suam mendicaret ab aliquo, cuius pars esset aut forma vel quasi forma, neque esset suppositum, quia esset commune quippiam tribus diuinis personis per modum formæ, quia daret illis esse hominis, atq; adeò vnius & eiusdem hominis. Verum ex his duobus pronunciatis inferri non potest non idem esse in creaturis suppositum & primam substantiam, siquidem homo subsistens diuina subsistentia creatus dici nequit.

*Vt homo sit creatura quid sibi vendicet.*

*Christum nō esse creaturā sed creatorē.*

*Cur argumētum nihil contra propositam veritatem concludat.*

Qvæ vt melius intelligas, aduerte in rebus quidem creatis per idem formaliter aliquem esse primam substantiam & suppositum, nempe per illud ipsum quod suppositum addit naturæ singulari in abstracto consideratę quicquid tandem id sit. Nam per illud idem fit creatura independenter subsistens, per quod fit incommunicabilis, & vice versa: independenter inquam, independentia partis à toto, aut formæ, vel quasi formæ à subiecto, vel quasi subiecto etiam prædicationis, quæ independentia est propria primarum substantiarum. At in creatis aliud est (si non formaliter, certè virtualiter & ratione) id per quod aliquid est independenter subsistens & incommunicabile. Nam siue Deus, siue homo subsistens diuina subsistentia ratione ipsius diuinæ essentiæ, independēter subsistit, & tamen nec Deus, nec homo diuina subsistentia subsistens, est incommunicabilis ratione ipsius diuinæ essentiæ formaliter, sed ratione diuinæ personalitatis, virtualiter nostroq; intelligendi modo adiunctæ. Quæ differentia inter res creatas & increatas, seu potius increatam, ex finitate creatarū & infinitate increatæ essentiæ sumitur. Nam creatæ essentiæ cū propter limitationem suam seipsas pluribus cōmunicare nequeant, vnum tantum singulæ ex se sibi vendicant suppositum, & aliunde quasi expectant, vt pluribus se possint communicare, nempe ab ipsa diuina subsistentia, si ad illam assumantur. At increata essentia, cum sit illimitata, non est ad vnum tantum suppositum suaptè natura addicta, sed est plurium suppositorum quasi fœcunda. Vnde si eius communis subsistentia alicui creatæ naturæ communicetur, suam quoque communicabilitatem ei impertiet, vt licet illa ex se, finita & limitata sit, pluribus tamen suppositis efficiatur communis.

*Doctrina notanda de supposito & prima substātia in reb. creatis & increatis.*

*Concluditur eandem esse definitionem suppositi & primæ substantiæ in rebus creatis non tamen in Deo.*

Vnde collige in diuinis quidem & in communi etiam aliam esse rationem primæ substantiæ, aliam suppositi, at restrictè & limitatè in rebus creatis vnam & eandem esse vtriusque definitionem.

*Obiectio.*

Est & aliud argumentū, quo non idē videantur esse in rebus creatis prima

tis prima subſtantia,& ſuppoſitum, quia nimirũ quælibet prima ſubſtantia videtur conſtitui ex ſola ſpecie aliqua infima ſubſtantiæ completę,& differentia indiuiduante addita,vt hic homo & ſpecie humana, & hac hecceitate :cum interim ſubſtantiæ ſic conſtituta indigeat vlteriori additamento, quo ſit incommunicabilis.

*Solutio, Differẽtiam indiuiduam primæ ſubſtãtiæ duobus modis ſpectari poſſe.*

SED huic argumento reſpondendum eſt,differentiam indiuiduantem, quæ ſemper in concreto ſumenda eſt,duobus modis conſiderari poſſe:vno,vt additur ſpeciei infimæ ſubſtantiæ,completæ, in abſtracto ſumptæ, eámque contrahit ad naturam ſingularem abſtractam: altero vt additur eiuſmodi ſpeciei in concreto acceptæ, eamq́, contrahit ad ſingulare concretum.Si ergo illa poſteriori modo ſpectetur non priori : fatemur primam ſubſtantiam cõſtitui ex ſola natura ſpecifica & differentia indiuiduãte addita:ſed negamus tempus eſſe additamento vllo vlteriori, quo ſubſtantia ſic conſtituta ſit incommunicabilis:differentia enim indiuiduans,vt additur concreto ſpecifico ſubſtantiæ ſpecialiſſimo,includit formaliter additamentũ illud,quod quidem additamentum,ſi creatum ſit (de quo loquimur) reddit ſubſtantiam non ſolum omnino per ſubſiſtentem , ſed etiam incommunicabilem. Quamquam ſi eſt increatum , nempe ſi eſt ſubſtantia aliqua diuina ad quam creata natura aſſumatur, non neceſſe eſt: vt reddat ſubſtantiam incommunicabilem. Nam ſi eſt ſubſiſtentia perſonalis,vt ſubſiſtentia Verbi diuini,reddit quidem ſubſtantiam, & omnino per ſe ſubſiſtentem,& incommunicabilem, verum ſi eſſet eſſentialis redderet ſubſtantiam per ſe omnino ſubſiſtentem , ſed non incommunicabilem,vt patet ex dictis.

*Differentia indiuiduans concretæ & abſtractæ ſubſtãtiæ primæ non eodẽ modo ſe habet.*

HINC collige etſi eadem eſt differentia indiuiduãs qua in creatis conſtituitur hæc humanitas , & hic homo : tamen eam vt conſtituit hanc humanitatem eſſe carentem termino ſiue additamento vltimo in genere ſubſtantiæ , vt autem conſtituit hunc hominem eſſe terminatam,formalitérque includere eiuſmodi additamentum.

*Obiectio.*

QVOD ſi quis vrgeat, ergo differentias indiuiduantes, quæ conſtituunt primas ſubſtantias creatas, non eſſe ſimpliciter ſimplices, ſed compoſitas ex ſimplicibus & eiuſmodi additamentis , & (quod longè duriſſimum videtur) differentiam indiuiduantem conſtitutiuam huius hominis qui eſt Chriſtus,quem hominem fatemur eſſe primam ſubſtantiam increatam,conſtitui ex ſimplici differentia indiuiduante humanitatis Chriſti & additamento ſeu termino perſonalitatis increatæ,hoc modo reſpondendum eſt. Additamẽtum quod cum natura ſingulari creata ſuppoſitum conſtituit, non facere cum natura ſuppoſita compoſitionem , quia non habet rationem partis,ſed puri termini, vt ex ſequenti diſputatione patebit , in qua iam neceſſe eſt quærere quid tandem ſit illud quod ſuppoſitum addit naturæ.

*Dilutio.*

*





## *QVID NAM SIT ILLVD, QVOD ſuppoſitum addit naturæ.*

## QVÆSTIO VI.

*Refutatio primæ opinionis de diſtinctione ſuppoſiti à natura.*

### SECTIO I.

*Hen. quod li. 4.q.4. Dur. 1.di. 34.q.1. & alij nonnulli.*

*Quatuor eſſe circa hanc quæſtionem ſententias.*

INhac quæſtione quatuor extant celebriores Theologorum opiniones, ex quibus prima ſe offert Henrici Gandauenſis,Durandi,& quorumdam Nominalium,qua ſuppoſitum creatum ſolo concipiendi , ac ſignificandi modo à natura diſtingunt,vt nimirũ eadem ſingularis natura dicatur ſuppoſitum, quatenus cõcipitur,ac ſignificatur vt habens: natura autẽ, quatenus concipitur ac ſignificatur vt habita.Itaque putant non aliud eſſe diſcrimen inter Socratem,& ſingularem naturam Socratis,quam inter hominem communem,& humanitatem communem,quæ ſola operatione intellectus diſtinguuntur, vt paulò ante diximus. Eorum ratio præcipua eſt,quod in accidentibus concretum & abſtractum,ſolo concipiendi verbo diſtinguuntur ergo & in ſubſtantiis.

*Prima Suppoſitum creatũ ratione ſolũ à natura diſtingui.*

*Ratio præcipua.*

*Conci. Ephe. c.1. & refertur in Conci. Calced. act.1 Aug. de fide ad Petrum c. 2.tom.3.*

*In quibus ſunt Hilarius lib.8.de Trin. Aug.11. li.de ciuitat. Dei, 10.quos refert. Magiſt. in 1.d.8. Bern. ſer. 80 Cãt. ex Concilio Rhemẽſi*

HÆC tamen opinio meritò à Doctoribus reiicitur. Nam iuxta eam,primùm quidẽ vix intelligi poteſt , quo pacto verbum diuinum naturam humanam aſſumpſerit, nec tamen aſſumpſerit ſuppoſitum humanum, ſiue perſonam humanam, vt ſacra Concilia definiunt.

*Reiicitur prima ſententia. Primo.*

DEINDE non in diuinis tantùm,ſed in rebus etiam creatis idem eſſet ſuppoſitum & natura.& omnino id quod eſt,& quo eſt, cùm tamen Patres,ac veteres etiam Scholaſtici aſſerãt in diuinis quidẽ hęc idem eſſe,nõ item in rebus creatis.Nec ſatis eſt,quod Durandus ait, propterea ſuppoſitum & naturam in creaturis dici à veteribus nõ eſſe idem,quia in omni ſuppoſito creato dantur aliqua accidentia,quæ ſimul cum natura non ſunt idem,quod natura ſola: ſuppoſitum enim non eſt aggregatum aliquid ex ſubſtantia & accidentibus: ſed mera ſubſtantia. Nec Patres nomine ſuppoſiti naturam cum accidentibus intellexerunt , quamquam nonnunquam ſuppoſitum creatum per accidentia declarabant : alioqui nihil fuiſſet apud illos difficultatis in hac quæſtione cùm luce clarius ſit non idem eſſe naturam ſubſtantiæ ſimul cum accidentibus , atque naturam ſolam. Itaque quæſtio erat,num ſuppoſitum creatum,vt in prædicamento ſubſtantiæ ſpectatur idem eſſet atque natura ſingularis , cuius illi negatiuam partem propter myſterium incarnationis vbique docuerint.

*Secundo Solutio Durandi euertitur.*

*Partes expenduntur.*

*Refutatio secunda.*

## Sectio II.

*Scoti opinio de negatione duplicis depẽdentiæ quam formaliter dicit suppositum explicatur.*

SECVNDA opinio est Scoti 3 sen.d.1.q.1,ar.3.& dist.6.quæst.1. & quodlib.19.artic.3.dicentis suppositum creatum non addere naturæ singulari, nisi negationem duplicis dependentiæ, actualis nimirum,& aptitudinalis: tum partis à toto per se,tum etiam naturæ ab alieno supposito, seu quod idem,est ab alio per se sustinente; proinde nec formam Socratis, dum existit in corpore, esse suppositum quia pendet à Socrate tanquam actu pars illius, nec etiam cùm est à corpore separata, quia est apta, vt sit pars Socratis: neque item natura humana Christi, quia etsi non habet aptitudinem. ceu naturalem propensionem(sic enim interpretatur Scotus aptitudinem) vt sit in alieno supposito (alioqui violenter quiesceret) in proprio tamen actu est in aliquo supposito, tanquam natura in eo cuius est natura, habet enim modo Verbum diuinum duplicem naturam, vnam diuinam secundum quam subsistit vt Deus, alteram humanam secundum quam subsistit vt homo, quia vero humanitas Socratis, nec actu,nec aptitudine est pars,aut natura alicuius suppositi,sed sola potẽtia obedientiali potest esse natura suppositi diuini,colligit Scotus humanitatem Socratis cum vtraque negatione esse suppositum, atque ita rem habere in cæteris substantiis creatis singularibus,atque completis, præterquã in humanitate Christi:proinde suppositũ creatum non distingui à propria natura singulari,nisi vt naturam cum huiusmodi negationibus à se ipsa sola. Quam eandẽ sententiam secuti sũt Bassol. [a] Aureolus Mayoronius, Gabriel,& ferè Nominales,quã quam hi aliquando aliter eam explicare videantur.

*Scoti opinionẽ etiã Nominalibus placuisse.*

*Improbatur Scoti opinio.*

*1.ratio.*

*2.ratio. Verbum consumpsisse personã hominis quid.sit*

SED neque huiusmodi sentẽtia probanda est: Primùm quia si vera esset,cum fides Catholica doceat [b] Verbũ diuinũ assumpsisse naturam humanam,nec tamẽ assumpsisse hominem ratio huius pronunciati esset,quia ita assumpsit naturam,vt non assumpserit negationes, quibus suppositum, Scoti sententia, completur, quæ ratio indigna videtur, quæ à Theologo afferatur.

DEINDE, quia vix exponi posset non modo illud Innocentij I. *Verbum consumpsisse personam hominis*,hoc est,impediuisse complementum Personæ humanæ,quod vocant Personalitatẽ,sed etiam id quod omnes Theologi dicunt. *Verbum diuinum in incarnatione suppleuisse personalitatẽ humanam.* esset enim sensus quod impediuerit,ac suppleuerit negationes,quod quam sit absonum nemo non vederit.

TERTIO, hac ratione,humanitas assũpta à Verbo non personatur,vt ita dicam,in Christo per aliquid negatiuũ,sed per ipsam Personalitatem diuini Verbi, quæ est Positiua:ergo nec humanitas Socratis Personatur in Socrate per aliquid negatiuum,sed positiuum:Personalitas enim creata imitatur increatã. Nec refert,quod Personalitas increta sit relatiua, creata autem absoluta, siquidem ex infinitate diuinæ perfectionis prouenit,vt Personalitas in diuinis nõ possit esse absoluta

a *Bassol.in 3. d.1.q.2. Areol. apud Capr. in.3.d. 5.q.3.Mayo. in 3. dist.1.q. 21.Gabr. & & alij Nominales ibi.d.1.*

b *In Synodo Ephesina ex persona Felicis Papæ, & refertur in Conc.Chalcedonensi actione Prima dũ Nicenæ Synodi fides legitur in quadã decretali*



absoluta.Quò fit,vt nihil obstet imitationi,quod ereata sit absoluta: obstaret autem plurimùm si esset negatiua,negatio enim cum sit non ens,non potest vere imitari naturam entis.

*Quæstione superiori.*

QVARTO; quia omnia suppositа creata sunt primæ substantiæ,vt dictum est, primæ autem substantiæ,cum sint substantiæ,atque adeo præcipuæ substantię,non includunt in sua constitutione negationem vllam,Cũ ergo Scotus ita credat suppositа creata addere naturæ singulari negationes illas, vt existimet pertinere ad cõstitutionem suppositi( quod perspicuum videtur tum ex loco citato,cum ait,*naturam personari formaliter per duplicem negationem prædictam*,tum ex primo sen. dist.23,vbi latè id innuit,idemque ingenue fatetur Ioannes Bassolius eius discipulus ) efficitur, vt eius opinio non sit probanda.

*Bassol.in 1. dist. 1.q.1.*

QVINTO, quia suppositũ in creaturis est perfectius natura singulari, comparatur enim ad naturam singularem, vt omnino per se subsistens ad id quod non per se omnino subsistit, cum ergo natura singularis addat naturæ communi aliquid positiuum; vt pote differentiam indiuiduantem,consequens est vt suppositum addat naturæ singulari aliquid positiuum.

*Suppositũ in creaturis esse perfectius natura singulari.*

*Quæstione superiori.*

SEXTO, quia cũ suppositum sit ex se incõmunicabile: natura autem communicabils,vt suprà dictum est,aliquid positiuum dandum est in supposito,& nõ in natura,in quo positiuo incommunicabilitas suppositi fundetur,quod sane fundamentũ nullum aliud esse potest, nisi fundamentum aliquod positiuum,quod suppositũ addat naturæ.

HVIC argumento respondet Scotus; tum demum necesse esse, vt negatio conueniat per aliquid positiuum,cum illa includit repugnantiam, quo pacto negatio diuisionis in inferiora,conuenit indiuiduis: ideo enim indiuiduum addit naturæ vniuersali aliquid positiuũ,quia nulla potestate fieri potest,vt indiuiduũ diuidatur in plura inferiora. At negationẽ duplicis illius dependentiæ,quæ suppositũ complet,etsi cernitur in suppositis diuinis cũ repugnãtia ( neque enim diuinum suppositum alij supposito communicari potest)nõ tamen cerni cum repugnãtia in suppositis creatis, Nihil enim creatum,inquit,dari potest,cui repugnet communicari supposito diuino,Quare nõ opus esse,vt incõmunicabilitas suppositi creati fundetur in aliquo positiuo, quemadmodum quia non repugnat superficiei esse albam,non est necesse,vt quandocũque illa non est alba conueniat ei negatio albi per aliquid positiuum,vt si detur superficies sine vllo colore quod diuina virtute fieri potest.

*Responsio Scoti*

HÆC tamen solutio etsi ingeniosè ponit fundamentum respõsionis,non rectè tamen illud accommodat instituto. Nam si suppositum creatum constat ex natura singulari & negationbus quas addit naturę singulari,implicat cõtradictionem, quod communicetur supposito diuino:data enim tali cõmunicatione, iam natura singularis esset actu communicata & nõ communicata,Si vero non constat ex talibus negationibus,sed est sola natura singularis habens adiũctas eiusmodi negationes quasi conditiones, sine quibus non esset suppositum, iam vere ac formaliter hic homo esset hæc humanitas, nec di-

*Et si ingeniose, non soluit tamen argumentum.*

stinguerentur per se & formaliter in creaturis suppositum & natura, sed tantùm per accidens, quod ille minimè vult. Accedit id, quod maximè aduertere debuit Scotus in huiusmodi solutione, suppositum quatenus suppositum est, non modo in diuinis, sed etiã in rebus creatis vendicare sibi rationem incõmunicabilis, omnino etiam per potẽtiã inobedientialem, quocunq; modo illud ponatur distingui à natura singulari. Nam si aliquod suppositum communicabile est diuino supposito, ergo & assumptibile ad subsistentiam diuinam, quod tota Theologorũ Schola negat, neque id tantũ spectata potentia naturali, sed etiam obedientiali, vt luce clarius est: Nec vero id tãtum omnes dicunt, sed etiam ex eo probant, quia si esset assumptibile, ergo posset esse assumptum, ac proinde posset post assumptionem habere propriam subsistentiam, quod repugnat rationi rei assumptæ.

*Suppositũ in rebus creatis etiam secundum potentiã obedientialem. esse incommunicabile.*

*In 3.d.1.q.1.*

ITA patet non esse probandam sententiam Scoti de addito negatiuo, quam expositor eius Lychetus adeo absurdam putauit, vt videatur maluisse ineptus expositor haberi, quàm suo auctori improbabilẽ opinionem adscribere: Itaque etsi de re ipsa rectè sentit Lychetus, nõ tamen rectè Scotum interpretatus est. Quamquam enim Scotus ait, duas esse vias probabiles in hac quæstione, vnam de addito positiuo, alteram de negatiuo, adeo tamen perspicuè in posteriorem partem inclinauit, vt apertè pugnet cum eius sententia siue Lychetus siue quicunque alius ei priorem attribuat, præsertim cùm sæpe alibi posteriorem perspicuè amplectatur.

*Lychetus à Scoto hac in re discedit*

*Vt in 1. d. 2. 3.q.vnica & in 3.d.6.q. 1.& quod lib 19.art.3.*

*Refutatio tertiæ sententiæ.*

## SECTIO III.

*Tertia de supposito opinio Capr. dicẽtis addere subsistentiam per modum connotantis.*

TERTIA opinio est Capr. in 3. Sen. vbi reiectis tribus quibusdam modis, quibus suppositum creatum dici potest addere aliquid positiuũ naturæ singulari, amplectitur quartũ quod ait addere subsistentiam, siue existentiã; non qua aliquid existit quocunque modo sed qua per se, seu separatim, seu incõmunicabiliter existit, quæ tria apud illum idẽ omnino valent, subdit autem, suppositum non ita addere subsistentiam naturæ singulari, vt ea includatur in supposito tanquam pars: sed ita vt connotetur ac in obliquo significetur nomine suppositi quod alij sic explicant: vt dicant suppositum creatum iuxta Capreoli sententiam addere naturę singulari subsistentiam: non tamen vt aliquid sibi intrinsecum: sed vt conditionem, sine qua non est suppositum: quam sententiam Capreolus credit esse D. Thomæ multis in locis. Vnde quia Sanctus doctor aliàs [a] existimat existentiam in creaturis distingui realiter à re, cuius est existentia, non mirum est si addat etiam [b] suppositum in creaturis, distingui realiter à natura, id enim propter connotatam eiusmodi existentiam siue subsistentiam verum erit.

*Dist.5 q.3. ar.3.ad.1. cõtra secundam concl. & ad tertium Aureoli.*

*a 2.contra Gẽt.c.52. & de ente & essen.c.5.& intra.de formis*

*b 3.p.q.2. art. 2. & 1. p.q.3.art. 3. q.3.ar.3.*

*Refellitur 1.*

SED neque huiusmodi sententia placet: Primùm quia si discrimẽ naturæ, & suppositi ad solã vocabulorum connotationem reducitur, aut



aut ad conditionem, sine qua natura non est suppositum, non video quid aliud intersit inter hanc & primam opinionem, nisi quod prima admittit connotationẽ accidentium, hæc autẽ solius existẽtiæ per se.

DEINDE hac ratione. Adamus cùm non existit, etiam quatenus non existit, est suppositum; ac persona, & non est natura: non est igitur necessaria existentia connotata, aut adiuncta per modum conditionis sine qua non, vt suppositum distguatur à natura.

*Ita D.Thomas 1.contra gent.c.25.& ibid Ferrar. ex Auicenna*

TERTIO, quia vt substantia in communi, nõ ideo dicitur ens per se existens, id est, non existens in subiecto inhæsionis, quia significet formaliter aut connotet existentiã per se, sed quia est entitas quædã, cui conuenit eiusmodi existentia: ita par est, vt prima substantia non ideo dicatur ens omnino per se, id est, existens non in alio subiecto siue inhæsionis, siue prædicationis. quia significet formaliter, aut connotet talem existentiam, sed quia sit quædam entitas, cui talis existentia debeatur.

*Substantia cur definiatur ens per se existens.*

*a 3.p.q 17. art.2.*

QVARTO, quia apud D.Thom.[a] subiectũ existentiæ substantialis creatæ non est natura ipsa, sed suppositum, ex hoc enim fundamẽto collegit ille naturam humanam in Christo, non habere existentiã creatam, sed increatam & diuinam, quia non est suppositum, sed existit per existentiam diuinũ suppositi. Item Verbum [b] diuini non referri ad Beatam Virginẽ relatione reali, quia *filiatio realis*, vt ait, *exigit suppositum quod habeat existentiam realem datam à matre.* Si ergo suppositum creatum est subiectum existentiæ realis, non autem natura, certè prius naturę ordine danda est distinctio inter naturã & suppositum in Prædicamento substantiæ, quàm suppositum habeat existentiam: quò fit, vt talis distinctio non sit reuocanda ad connotationem existentiæ, aut ad conditionem, sine qua natura non est suppositum, sed ad aliquid prius: Atque hæc ratio non mediocrem vim apud Thomistas habere debet.

*Ex D.Thomæ fundamentis vehemens ratio aduersus Capr. Verbũ diuinum non referri ad Virginem relatione reali,*

*b 3.p. q.35. art. 5. & quod lib. 1. ar.2.& aliis in locis.*

POSTREMO, quia existentia in creaturis supponit naturæ ordine id, quod existit, in Deo autem nostro intelligendi modo, existentia incommunicabilis, vt incommunicabilis est supponit saltem nostro intelligendi modo aliquid incommunicabile, cui primo conueniat: natura autem non est incommunicabilis, sed suppositum, igitur prius suppositum distinguitur à natura nostro saltem intellgendi modo, quàm vlla habeatur ratio incommunicabilis existentiæ. Ita patet hãc opinionem nec probandam esse, nec D. Thomæ adscribendam.

*Quinto*

*Quarta sententia, & quatenus ea probanda sit.*

## SECTIO IV.

*Quarta opinio Caietani & aliorum dicentium suppositum addere singulari materiæ entitatem intrinsecam.*

*a Caiet. 3 p. q.4.ar.2. Ferrar.4.cõtra Gẽ.c.42.*

*b Scot.in 3. d.1.q 1.*

*c Vt Argẽtinas 3.d.6.q. 1.art.1.*

QVARTA opinio est Caietani, [a] & aliorum quorundam non modo recentiorum Scholasticorum, sed etiam veterũ. Eam enim ex aliis se antiquioribus retulerat Scotus [b] tanquam probabilem, quam deinde etiam alij [c] ante Caietanum sequuti sunt, sed quia Caietanus eam magis illustrauit, non omnino ab re apud quosdam quasi auctor illius habetur. Is enim

Universidad de Deusto
Biblioteca



in [d] Commentariis tertiæ partis D.Thomæ fusè admodum nititur ostẽdere,suppositum creatum addere naturę singulari aliquam entitatem intrinsecam pertinentem ad Prædicamentum substantiæ,& re ipsa à natura diuersam: asseritque eam sententiam esse D.Thomæ,tũ quia D.Thomas affirmat suppositum esse proprium subiectum existẽtiæ & filiationis,naturã autẽ minimè,vt modo retulimus:tũ [c]quia alibi docet ex anima & corpore constitui in nobis duplicẽ vnitatem vnam naturæ,alteram personæ vnde sequitur ex eisdem constitui duplicem entitatem, naturæ nimirum & suppositi,quas eiusmodi vnitates consequantur:tum [f] etiam quia non semel asserit si natura aliqua intellectualis in propria persona existens ad subsistentiam personæ diuinæ assumeretur,fore,vt propria illius personalitas destrueretur & persona propria corrumperetur quod non dixisset,nisi sibi persuasisset suppositum addere naturæ singulari aliquam entitatem intrinsecam substantialem, & realiter à natura diuersam.

d 3.p.q.17. ar.2.& q.35 art.5.

c 3.p.q.2. art.1.

f 3.p.q.4.ar 1. ad tertiam & 4 lib contra Gẽt.c.43.

*Duo exemplo Caiet.sententiam suã explicet.*

Qvo autem modo se habeat illud additum ad naturam declarat Caietanus exemplo puncti terminantis lineam,& diuisionis substantiarũ,homogenearum, siue similarium. Vt enim punctus,qui terminat lineam,non est pars lineæ, nec eius forma,aut alio modo caussa, sed solum terminus:ita additum illud(quod quidem in suppositis naturæ intellectualis dicitur personalitas, in aliis autem nomine caret) est solùm terminus naturę singularis,& nullo modo caussa.Terminus quidem, quia natura singularis est interminata sine illo addito , quo pacto natura humana assumpta à Verbo, vt quidem fuit terminus à quo assumptionis,fuit interminata,& accepit terminum ex vnione ad Verbum diuinum, cuius personalitas, quæ ab æterno erat terminus naturæ diuinæ in Filio,cœpit esse terminus naturæ assumptę in eodẽ: nullo autem modo caussa;quia si terminare naturam assumptam esset aliquid caussare,cũ omnis caussandi ratio,quæ in Deo reperitur toti Trinitati communis sit, Pater etiam & Spiritus sanctus naturam humanam assumpsissent. Videmus etiam ex substantiis homogenèis, vt ex aqua,ligno, & similibus, sola diuisione fieri multa supposita, quæ diuisio hoc tantùm tribuit partibus earum substantiarum,vt habeant actu nouam terminationem,quam in in toto non habebant nisi potẽtia, quod euidenti argumento est, id quod suppositum addit naturæ singulari esse merum illius terminum.Quod autem hoc ipsum senserit D.Thomas de pura terminatione,suadet Caietanus ex scriptis illius in tertium sent.ad distinctionem 15.Vbi ait,*Id quod assumitur,trahitur ad aliquid completius , ipsum incompletum existens , idque esse contra rationem personæ,quæ maximè completionem importat:*quæ verba D.Tho. primùm signnificant naturam singularem absque personalitate esse incompletam.Deinde compleri personalitate quasi termino vltimo, siquidem termini vltimi est, non vlterius terminari.

*Exemplum alind.*

*Vt ex D.Tho. sententiam suam confirmet Caiet.*

*Distin.5.q.3 art.3.*

*Quatenus Caietani sententia minus sit probabilis*

Hæc sententia in eo,quod asserit suppositum addere naturæ singulari aliquid ab ea realiter distinctum,nobis non probatur iuxta ea quæ ad caput sextum de distinctione reali diximus, nec fundamenta ex D.Thoma desumpta, realem distinctionem inter illa esse concludunt



cludũt,nisi realis distinctionis nomine intelligatur sola distinctio ex natura rei, quod Caietanus minimè vult.Data enim hac distinctione inter personalitatem & naturam personatam,& omnino inter suppositalitatem,vt ita loquar,& suppositum,adhuc illud verum esse potest quod D.Thomas ait:Nam non esse subiectum seu filiationis,seu existentiæ,sed suppositum,& ex anima & corpore cõstitui duplicem entitatem,vnam naturæ,alteram suppositi,ac denique corruptã iri personam creatam in rerum natura existentem,si eius natura ad subsistẽtiam diuinæ personæ assumeretur. Satis est enim distinctio ex natura rei inter suppositalitatem & suppositum , vt hæc omnia dici possint, quemadmodũ etsi species & indiuidua,& omnino superiora & inferiora nõ distinguuntur,vt res à rebus:dicimus tamen non species,sed indiuidua esse subiecta per se accidentium communium.Itemque ex materia & forma constitui non modo entitates superiorum,sed etiam inferiorum: ac demum dicimus alias figuras corporum corrumpi,alias generari cùm alia corpora in alia transformãtur , tametsi figuræ non sint res distinctæ ab ipsis corporum quantitatibus.

*Quatenus probabilis,& omnino tenenda.*

Qvatenvs verò Caietanus sentit suppositalitates esse positiua quædam sub existentia suppositorum latentia quæ sint puri termini naturarum quæ suppositatæ sunt,sine quibus illæ (saltem naturaliter existere non possint, eius sententia & vera nobis videtur, & omnino probanda.Sed quid tandẽ sit illud positiuum, substantiá ne formaliter,aut purus aliquis modus essendi substantię,operæpretium est disquirere.Nam quod non sit accidens,aut purus essendi modus accidẽtis,ex refutatione propositarum opinionum perspicuum relinquitur.

*Quid sit illud positiuũ quod suppositum supra naturam addit.*

*Quæst.5.*

Ægidivs quidem Romanus in tractatu de compositione Angelorum ait,esse modũ essendi,quem natura consequitur ex eo,quod ipsi esse coniungitur, quod rectè dictũ est.Natura enim creata & cõpleta, etsi contingenter coniungitur cum suo esse existentiæ , tamen quatenus cũ ea coniungitur, siue per generationem id fiat, siue percreationem,semper consequitur modum essendi per se,cum actiones quibus aliquid per se fit ad aliquid per se existẽs terminari debeant, vt patet ex lib.1.ac proinde ad aliquid habens modũ essendi sub existentia latentem, cui illa debeatur, qui modus essendi in naturis finitis & completis, complet ac perficit rationem suppositi.

*Ægidio Romano videri esse modum essendi.*

*Cap.1.q.5. sect.2.& aliis.*

Nvm autem ille sit entitas substantialis,an vero purus essẽdi modus, & qui rationem entitatis nullam habeat, sed modi essendi tantùm , qualem nos existentiam ipsam superiori libro esse diximus, non satis constat quid Ægidius sentiat. Certè Argentinas,qui eũ pro se citat,entitatem quandam esse existimat,neque aliam potest,quam substantialem incompletam quidem,sed complentem & ad substantiæ Prædicamentũ,si finita sit,reductitiè pertinentẽ,vt mittamus personalitates diuinorum suppositorum,quibus etiã naturæ creatę diuina virtute supponitari possunt.Atque hoc modo pãr est sensisse & D. Thomam,& Ægidium,& quicunque de re hac rectè loquuti sunt,nobisque videtur omnino sentiendum.

*An eiusmodi modus sit entitas substantialis an purus essendi modus.*

*Thomas Arg in 3.d.6. q.1.ar.1.*

Nam quod suppositum non addat naturæ solum aliquem purum essendi

essendi modum, hisce argumentis constare videtur. Vno, quia cùm suppositum, vt, suppositum est, rationem substantiæ sibi vendicet: atque adeo præcipuæ & completæ omnino substantiæ necesse est, vt id quod eius rationem complet atque absoluit, substantiale aliquid sit, & non purus modus substantiæ.

*Non esse purum essendi modum probatur. Primum,*

ALTERO, quia cum modus proprius essendi suppositi sit, vt non solum non pendeat actu, nec potentia ab aliquo tanquam eius pars, aut forma: aut quasi forma, sed neque etiam aliquando esse possit alicuius pars, aut forma, aut quasi forma, isque modus nó conueniat naturæ, vt distinguitur à supposito, cùm illa sit quasi forma suppositi, necesse est, vt vel sit modus essendi non purus, sed entitatiuus & substantialis suppositi, vel sequatur aliquid aliud intrinsecum & substantiale supposito, quod in ratione naturæ non contineatur: at nulla necessitas cogit, vt aliquid aliud quæramus præter ipsum essendi modum, si is pònatur entitatiuus & substantialis, non est igitur additum illud, quod rationem suppositi complet, purus aliquis essendi modus sed entitatiuus & substantialis.

*Secundum.*

*Tertium.*

TERTIO, quia cùm personalitates increatæ, quas vt possunt, imitari debent creatæ, nõ sint puri modi essendi, sed quæque earũ sit formaliter entitas, nõ est cur facere debeamus creatas, puros essendi modos. Neque obiicias isto modo, cùm increatæ sint relatiuæ colligere etiam oportere creatas esse relatiuas: nihil enim momẽti habet obiectio, cùm creatę possint esse formaliter entitates, vt ex solutione argumentorum quæ contra hanc sententiam proponentur, perspicuum fiet: nec tamen possint esse relatiuæ: tum quia relationes creaturarũ cùm accidentia sint, non possunt complere rationem vllius substantiæ: tum etiam quia cum solæ relationes producentis & producti idoneæ esse possint ad personas constituendas, vt patet in diuinis: si personæ creatæ huiusmodi relationibus constituerentur, ac proinde non distinguerẽtur intrinsecus, nisi quia alia produceret, alia esset producta: omnes haberent eamdem numero naturam: quemadmodum diuinæ, quo nihil impossibilius est in creaturis. Quod si personalitates creatæ non sunt puri modi essendi, sed entitates quædam substantiales, ergo nec cætera suppositorum creatorum complementa.

*Obiectio contra rationem positam.*

*Quartum.*

*In sacra Eucharistia panis substantia miraculose suppletur.*

POSTREMO, quia si essent puri modi essendi, nõ rectè diceremus suppletam esse personalitatem creatam, quæ debeatur humanitati Christi per diuinam Verbi personalitatem: quandoquidem non modus essendi, sed entitas dicitur suppleri per entitatem, veluti in sacra Eucharistia non modus essendi accidentium panis, sed ipsa panis substantia in sustentandis accidentibus suppletur per Deum miraculose eandem sustentantem. Neque item locum haberet illud Innocentij Papæ, *Verbum diuinum consumpsisse personam hominis.* Nam cùm id quod ad naturam pertinet, non fuerit consumptum, sed sola personalitas humana quæ naturæ debebatur, quo nam pacto ea dici posset consumpta, si esset purus essendi modus? Consumi enim non dicitur nisi id cuius esse penitus tollitur: at puri modi essendi nõ habẽt esse siue essentiæ entitatiuę, siue existẽtię, & ideo dicũtur puri modi essendi.

POSSVNT



POSSVNT igitur suppositorum complementa in creaturis modi essendi vocari, vt à bonis auctoribus appellantur, verum non puri, sed entitatiui, atque adeò substantiales: inter quæ complementa, & differentias indiuiduantes hoc interest quod differentiæ indiuiduantes, cùm non sint puri termini naturarum, sed earum partes constitutiuæ, non dicuntur modi essendi, sed entium differentiæ vltimæ. Differentiæ quoque indiuiduantes, necessariò & intrinsecus conueniunt iis naturis indiuiduis, quarum sunt differentiæ, at complementa suppositorum, etsi conueniunt suppositis necessitate naturali, cùm quælibet indiuidui natura suum sibi vendicet complementum, quod illam naturaliter consequitur, tamen quia illa impediri possunt, & per diuinam personalitatem suppleri, non dubium est, quin spectata Dei virtute, dicenda sint contingenter conuenire indiuiduis naturis.

*Quartum. Plures essed modos nõ habere esse siue essentiæ siue existentiæ.*

*Quid inter suppositorum complementa & differentias indiuiduas intersit.*

*Quæst. 5. huius c. sect. 4. D. Tho. 3. p. q. 2. ar. 2. & q. 4. artic. 2. & Quodl. 2. ar. 4. ad 2.*

ATQVE hæc suppositorum complementa in creaturis sunt ipsæ subsistentiæ, seu rationes subsistendi in tertia Philosophorum significatione superius posita, si subsistẽtiæ nomen sumatur pro modo essendi latente sub existentia omnino per se, non pro ipsa existentia omnino per se. Id quod in causa fuit, vt variè D. Thomas videatur locutus de hac re: aliquando enim scribit subsistentiam in tertia illa significatione esse de ratione constitutiua suppositorum: alias verò esse quasdam suppositorum proprietates. Vtrumque enim vere dicitur, alio & alio modo accepto nomine subsistentiæ, nunc pro modo essendi entitatiuo & substantiali latente sub existentia omnino per se, nunc pro ipsa omnino per se existentia. Quod si loquamur de diuinis personalitatibus, vtroque modo subsistentia est de ratione constitutiua personarum ex natura rei, licet nostro intelligendi modo subsistentia pro existentia personali sit quasi proprietas personalis, eamq; ordinatè more nostro concipere possimus post personam constitutam per latentem subsistendi rationem, quæ est ipsa relatio personalis.

*Eadem complementa in creaturis esse subsistentias quo pacto intelligendum. Varia Diui Thomæ loca cõponuntur.*

*Quomodo subsistẽtia in diuinis sit de ratione constitutiua personarum.*

*Solutio eorum quæ contra approbatam sententiam obiiciuntur.*

## SECTIO V.

SVNT tamen pleraque, quæ labefactare approbatam sententiam videantur. Primum obiicit Scotus: [a] Si ea vera est verum erit etiam aliquam entitatem dari in homine, quæ non sit assumpta à Verbo, immò verò nec possit assumi, ipsam videlicet entitatem personalitatis, quam persona dicitur includere vltra naturam singularem, id verò absurdum esse: tum quia vt Damas. [b] ait: *Quod non est assumptibile non est curabile.* Tum quia omnis entitas creata est in Potentia obedientiali respectu personæ diuinæ, vt possit assumi ad subsistentiam illius.

*Argumenta contra hanc sententiam. Primum.*

[a] *In 3. d. 1. quæst. 1.*

[b] *Lib. 3. fidei orthod. ca. 6. Idẽ habet In noc. 3. ser. 1. in aduentu Domini.*

HVIC argumento occurrit Caietanus, necessariò concedendum aliquam entitatem non posse assumi ad subsistentiam diuinam. Omnes enim concedunt Personam, vt Personam nõ posse assumi, cùm ergo Persona, vt Persona sit substantia, fit vt aliqua substantia, & quod

*Resp. Caiet.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



hinc sequitur,aliqua entitas non posset assumi, quare nihil mirum, si entitas etiam personalitatis non possit assumi. Ex qua re sequitur non omnem entitatem esse in potentia obedientiali ad huiusmodi assumptionem,sed omnem ac solam eam,quæ ad naturam pertinet,quatenus à persona distinguitur. Quod autem Damascenus ait: *quod non est assumptibile, non est curabile*, ad ea sola quæ pertinent ad naturam vt à persona distinguitur, referēdum est. Id quod ex eo apertè colligitur, quia Damascenus planè docet eo loco, personalia non esse assumpta. Itémque *Deum assumpsisse quidquid in nostra natura plantauit*. In natura enim dixit,non in persona.

*Exponitur Damasceni locus.*

*Deus assumpsit quicquid in natura nostra plãtauit. Secundum.*

ARGVMENTATVR etiã Scotus,ex hac sententia effici,humanitatem Christi carere illa entitate personalitatis, quã habent cæteri homines,vnde videtur sequi,eius humanitatem esse imperfectam: sequitur etiam Christum non esse vniuocè hominem cũ cęteris hominib.

*Solutio.*

AD hoc argumentum dicendum,etsi humanitas in Christo ipsa secundum se est ens incompletum, quemadmodum in cæteris hominibus: non esse tamen imperfectam naturam, cùm illi nõ desit differentia indiuiduans, neque ipsa sit pars alterius perfectioris naturæ: nec verò esse imperfectam defectu personalitatis, quia pro personalitate humana habet personalitatem diuinam. Non sequitur etiam Christum non esse vniuocè hominem cum cęteris hominibus, quia vniuocatio non spectatur inter homines singulos secundum personalitates immò nec secundum differentias indiuiduantes, sed secundum naturam specificam, quæ vniuocè conuenit Christo,& cęteris hominibus alioqui si in vniuocatione attendenda essent ea, in quibus vniuocata distinguuntur, nullus homo conueniret vniuocè cum alio, cum nullæ differentiæ indiuiduantes vniuocè conueniant, vt suprà dictum est.

*Christi domini humanitas perfecta.*

*Christus est vniuoce homo cum cæteris.*

*Vniuocatio secundum quæ spectetur.*

OBIICIT quoq; idem: Si natura humana dimitteretur à Verbo, fore,vt iuxta hanc opinionẽ,vel existeret non personata,vel illi daretur noua realitas,quæ tamen per solam dimissionem dari non potest.

*Tertium Scoti argumentum.*

HVIC obiectioni respondet Caietanus,nequaquam fore,vt natura dimissa existeret non personata,illam enim vt ait, continuò sequeretur personalitas propria,non quidem per nouam actionem, sed per quandam naturalem consecutionem,quo pacto graue sublato impedimento tendit deorsum. Sed animaduertendum est D. Thomæ sententiam esse non posse naturam humanam dimitti à Verbo & existerè nisi illi etiã detur noua existentia: putat [a] enim humanitatem Christi non existere,nisi existentia diuini Verbi,quod suprà [b] minùs probabile esse diximus. Animaduertendum quoque est exemplum gratis non impediti non esse omni ex parte accommodatum ad rẽ propositam, quia humana Christi natura non eodẽ modo impeditur per diuinam personalitatem,ne habeat propriam, quo graue impeditur à detinente in loco supero ne tendat deorsum (impediretur enim vi, ac proinde optaret naturaliter dimitti à Verbo) sed ideò graue in exemplum allatum est vt intelligatur,quo pacto personalitas propria sola dimissione resultaret in natura dimissa, etsi natura quatenus est in persona Verbi nullam propensionem habeat ad propriam personalitatem.

*Solutio Caietani.*

*Explicatio solutionis.*

a 3.p.q.17. arti.2.
b Sectio.3.

POTEST



POTEST contra hanc solutionem sic obiici: Si ex natura dimissa resultare potest propria personalitas, idq; naturali consecutione, vt dictum est, fieri potest vt idem numero naturaliter redeat, quandoquidem si verbum assumpsisset naturam hominis iam existentis,idem suppositum numero per dimissionem rediret: at vnum & idem numero naturaliter redire,ex iis est, quæ fieri posse negari solent.

*Obiectio cõtra solutionẽ.*

*Vt à D. Tho. Quodli. 4. q. 5. & aliis locis. Ægi. Theorem 1. Marsi. lib. de Gener. q. 9. & in 2. q. 17. & in 2. sent. q. 20. & plerisque aliis.*

PRÆTEREA si personalitas propria sequeretur naturaliter naturam dimissam: esset vtique passio illius, & causata ab illa, quod dici non potest. Deus enim per se ipsum non potest supplere passionem effectúmve vllum creaturæ, sed causam.

*Secunda obiectio.*

PRIORI obiectioni dicent sectatores D. Thomę, necesse esse, vt ibi interueniat miraculum nouæ existentię, quam Deus naturę dimissæ conferat. Non est ramẽ necesse vt in eas angustias cogamur. Quod enim dici solet fieri non posse, vt idem numero naturaliter redeat, intelligendum est de reditu eiusdem numero non solum quoad suppositum: sed etiam quoad naturam, idq; per generationem. In dato autem euentu, nec natura repararetur, quippe quæ vt alij veriùs sentiunt existentiam quam habebat propriam, non erat amissura, nec huiusmodi reparatio suppositi per veram generationem fieret.

*Solutio prioris.*

*Idem numero redire naturaliter nõ posse quo pacto accipiendum.*

*Scot. in 3. d. 6. q. 1. Dur. q. 2. Gab. q. 2. Richard. q. 2. & alij nõnulli.*

AD posteriorem dici potest, naturalem personalitatem non consequi naturam creatam, vt passionem, sed vt terminum, etsi impediri potest, vt in incarnatione. Neque etiam negandum est illam esse aliquo modo effectum Naturæ: vt obiectio vim non habeat. Deus enim etsi per se ipsum supplere non potest effectum, vt effectus est, tamen potest illum supplere, qua ex parte non includit imperfectionem, quemadmodum ea ex parte supplet causam creatam, qua ratione imperfectionem non importat, terminare autem naturam nullam imperfectionem secum affert.

*Alterius obiectionis solutio.*

*Deus vt supplere per se ipsum possit effectum.*

OBIICIT præterea Scotus: Si hæc sententia vera sit, fieri posse id, quod nulla ratione videtur admittendum, vt existat natura singularis sine vlla personalitate. Nam si personalitas in creaturis est entitas posterior naturæ ordine, quàm natura singularis: potest Deus creare naturam singularem sine personalitate propria illius, nec conferre illi personalitatem diuinam. quod ipse iudicat fieri non posse. Caietanus non putat euentum esse impossibilem, præsertim quia credit) vt dictum est) id quod complet rationem suppositi, distingui realiter à natura singulari. Sed nos nec probamus eius sententiã de distinctione reali Personalitatis à natura, neque vlla ratione credimus fieri posse, vt existat natura aliqua personabilis sine vlla personalitate. Videtur enim nõ minus impossibile dari naturam personabilem in rerum natura sine vlla personalitate, quàm est dari magnitudinem figurabilem sine figura. Sed hoc interest quod Deus non potest per seipsum supplere figurã magnitudinis, eamq; per se ipsum terminare, quia de ratione figuræ quantitatisq; est inhærentia, & tamen potest per se ipsum supplere personalitatem creatam, quia de ratione personalitatis non est, quod inhæreat, aut sit pars, sed solũ quod terminet naturam personabilem quod Deo nihil repugnat. Itaque si Deus creat naturã

*Quartum principale Scoti.*

*Caietani. responsio. Auctoris solutio.*

*Implicat existere naturã personabilem absque personalitate.*

*Deus non potest supplere magnitudinis figuram per se, sed personalitatem creatam.*

Universidad de Deusto Biblioteca



singularem personabilem sine Personalitate propria, id est, impediendo ne in ea resultet propria Personalitas, id nunquam fiet, aut fieri poterit, nisi substitutione alienæ.

*Hanc videri sententiam D. Thomæ. Obiectio. Diluitur.*

ATQVE hæc videtur esse sententia D. Thomæ in 3. Sent. dist. 5. Quod si quis vrgeat quicquid aduenit enti in actu esse accidens, vt Aristoteles non semel docet: Occurrendum est, Aristotelem loqui de entibus omninò completis, qualis non est humanitas assumpta, cum recipiat additionem in suo genere, nec aduentu cuiusuis rei, sed formæ informantis.

*Art. 3. ad 3. Colligitur ex 1. Phys. c. 8. à textu 75. & vsurpatur à D. Tho. non semel in 3. p. q. 2. art. 5. & in 3. d. 6. q. 3. artic. 2. & de Spiritualibus crea. ar. 2. & q. de Anima, artic. 1. Cap. de substantia.*

*Durandi obiectio contra approbatam sententiam.*

DVRANDVS quoque obiicit non plus differre concretũ & abstractum in Prædicamento substantiæ, quàm in Prædicamentis accidentium: aut in Prædicamentis accidentium idem penitus significare hoc album, & hãc albedinem (album enim vt ait Aristoteles in Prædicamentis, solam qualitatem significat) ergo & in Prædicamento substantiæ hunc hominem, & hanc humanitatem, siue Platonem, & & Platonitatem. Quare nullam entitatem includere suppositum, quã non includat natura singularis.

AD hoc argumentum neganda est ex dictis propositio: quocunq; enim modo res habeat in vniuersalibus, tamen aliter habet in singularibus. Nam hic homo, exempli causa, significat rem completam, hæc autem humanitas incompletam: in accidentibus autem vtrumq; significat rem completam tam abstractum quàm concretum, vt hoc album, & hæc albedo. Vt enim hoc album non accipit additionem in genere qualitatis, ita neque albedo hæc.

*Aliorum argumenta.*

OBIICIVNT alij hunc in modum: Omnis substantia quæ cernitur in rebus materialibus aut est materia, aut forma, aut composita ex materia & forma, vt patet ex initio 2. de Anima. Personalitas hominis non est materia, aut forma: vt patet cum hæc omnino includantur in singulari humanitate, nec etiam est totum compositum, quia non est ipsa singularis humanitas, ergo non est substantia. *Cap. 1.*

*Soluitur.*

RESPONDETVR Aristotelem, cum locutus est de composito, non excluisse complementum eius, quod in substãtiis intellectualibus dicitur personalitas. Itaque ex materia & forma humana non solum fit hæc humanitas: sed etiam eius complementum, quod est humana personalitas. Verum humanitas vt natura compositi: personalitas autem vt terminus & absolutio compositi, ipsum verò suppositum, vt id quod completè ponitur ac simpliciter fit.

*Aliud argumentum.*

OBIICIVNT quoque illud: Si Personalitas est entitas distincta à natura singulari fieri posse, vt existat diuina virtute separata à natura singulari, quod tamen mens non capit.

*Diluitur.*

ARGVMENTVM hoc plus negotij faceſſit iis, qui dicũt Personalitatem distingui realiter à natura singulari: nec certè Caiet. se satis ab eo videtur exoluere: nobis tamẽ qui id negamus, nihil difficultatis exhibet. Itaq; neganda est sequela, pro qua se multę dantur instantiæ vt in relatione quæ non potest existere sine fundamento, & in differentia, quæ non potest existere sine genere aut specie quã contrahit.

*Tertium.*

ILLVD etiam apponunt: Si hæc sententia vera sit: cum aqua aut lignum



gnum diuiditur, tot fierent entitates absoluentes suppositа, quot sunt partes, quæ ex diuisione resultant, quod videtur ineredibile.

*Soluitur.*

SED dicendum nihil mirum id esse, cùm etiam fiant tot suppositа quæ ante non erant. Aduerte tamen aliam esse rationem de differentiis indiuiduantibus, aliã de huiusmodi complementis: diximus enim suprà differentias indiuiduantes, quæ per huiusmodi diuisiones fiunt fuisse ante diuisionem partes vnius totalis differentiæ indiuiduantis, non ita autem res habet in complementis absoluentibus suppositа illa quæ ex diuisione resultant. Neque enim eiusmodi complementa ante diuisionem erant partes complementi totius quod diuisum est, quia repugnat huiusmodi complementis esse partes vnius totius complementi, quod tamen non repugnat differentiis indiuiduantibus. *Cap. 6. q. 6. sect. 3.*

*Quartum.*

POSTREMO sic argumentari licet non videri secundum hanc sententiam compositum esse vnum per se, quandoquidem ex duobus entibus, non fit vnum ens per se, vt dicitur libro 7. nisi vnus fit actus siue forma alterius: naturam autem singularem nõ esse formam illius complementi, vt patet, nec complementum illud esse formam naturę singularis, quia isto modo non posset personalitas naturæ humanæ suppleri à diuino suppositо, cùm nihil sit in Deo, quod possit esse forma intrinseca creaturæ. *Cap. 13. Tex. 49.*

*Ex duobus actibus non fieri vnũ per se, quo modo intelligendũ.*

HVIC argumento sic occurri potest, id quod Aristoteles in loco citato ait, intelligendum esse in actibus componentibus vnũ tertium terminum autem non efficere compositionem cum re terminata, vt nec punctus efficit cum linea, nec vltimum mutatum esse cum motu: proinde non opus esse vt alterum sit actus, siue forma alterius, sed satis esse si alterum sit terminus, alterum terminatum: at Verbum diuinum, etsi non potest informare naturam assumptam, potest tamen sua personalitate illam terminare. Ita patet quid nam sit illud, quod suppositum addit naturæ singulari, & quo pacto se ad illam habeat.

## SIT NE CHRISTVS DOMINVS prima substantia prædicamentalis.

## QVÆSTIO VII.

### Argumenta pro parte negatiua.

### SECTIO I.

*Propositio difficultatis in hac quæstione explicanda.*

NON est tamen prætereunda difficultas illa, quam fides orthodoxa Theologis, ac Philosophis attulit, quo pacto se habeat Christus Dominus ad genera & species Prædicamenti substantiæ: contineatúrne, inquam, per se ac directò sub specie humana, eiusque generibus, tanquam verè prima substantia huius Prædicamenti, an minimè? Ac cum Christus Dominus sit & verus Deus, & verus homo, non est de eo quæstio quatenus Deus, sic enim palam est ex prima quæstione

non contineri sub vllo genere,sed potius genera omnia eminenter in illo contineri.Eadem ratione non quæritur,nũ simul quatenus Deus & homo hoc est quatenus subsistens in vtraque natura cõtineatur sub humana specie,sed solùm de eo ambigitur, num quatenus hic homo, ponatur sub specie hominis : quemadmodum & cæteri homines,cuius controuersiæ partem negatiuam multæ rationes suadent.

*Partis negatiuæ argumenta. Primum.*

PRIMVM quod Christus Dominus,etiã quatenus hic homo,est Deus:neque enim est hic homo per solam naturam humanam singularem quam assumpsit,vt perspicuũ est, nec per illam & per aliquam humanam personalitatem adiunctã,alioquĩ non assumpsisset verbum diuinum solam naturam humanam,sed integram personam [a] quod in pluribus œcumenicis Conciliis damnatum est,& ipsi assumptionis ratioui repugnat : quod enim incommunicabile est, assumptibile non est, vt Theologi [b] omnes docent: Persona autem definitur, *Rationalis siue intelligentis naturæ incommunicabilis substantia*, est igitur Christus Dominus hic homo per naturam humanam singularem,& personalitatem verbi diuini à quo assumpta est. At personalitas diuini verbi est ipse Deus,ergo Christus Dominus,quatenus hic homo,est simul Deus,ac proinde non collocatur sub vlla specie,aut genere substãtię.

a *In Concil. Ephe.c.13.& refertur in Cõcilio Chalceden. act 1. Constãtinop. 5.sectio.8.& aliis. Vide etiam Augu.de fide ad Petrum.c. 2.to.3.& Euthym. in sua Panoplia.p.1. tit.7. Cyrill. Alex.anathematismo 4. Leonem epist. 10.& alios.*

b *D.Tho.3. p.q.4. art.2. Et Doctores cum Magistro in 3.d.5.*

2. DEINDE quod Christus Dominus etiam quatenus est hic homo,est creator,Redemptor,& gratiæ donator ac gloriæ,quod & Sacræ literæ asserunt,& Patrum decreta confirmant,& Theologi ostendunt: at hæc cum soli Deo conueniant , planè ostendunt Christum Dominum etiam quatenus hic homo esse Deum,ac proinde nõ contineri in serie vlla Prædicamentali.

3. TERTIO quod actiones Christi Domini erant meriti infiniti, quæ res trita est apud Theologos , nec tamen quatenus ab eo procedebant vt Deus est,quia Deus, vt Deus nulla persona inferior est,ita apud nullam mereri potest,neque item quatenus homo est, hoc est, ratione solius naturæ humanæ, cum omnia humanæ naturæ sint finitæ & limitatæ perfectionis : erant igitur infiniti meriti quatenus ab eo procedebant,vt est hic homo,hoc est,simul Deus & homo,quo fit vt quatenus hic homo est,non sit prima substantia Prædicamentalis.

4. QVARTA quia si Christus Dominus quatenus hic homo non includeret in sua ratione formali personalitatem diuinam cum constet illum nullo modo includere humanam (alioqui vt hic homo est,purus homo esset,personaq; purè humana) sequeretur illum,vt hic homo est, non habere rationem personæ , ac proinde vt talis est neque esse natum ex beata Virgine,nec ritè vocatum Iesum, hoc est, Saluatorem,nec operatum esse nostram salutem,quod hæc omnia nisi personæ conuenire nequeant: includit ergo vt hic homo est,formaliter & intrinsecus personalitatem diuinam,ac proinde perspicuum videtur non esse primam substantiam Prædicamentalem.

5. POSTREMÒ quia si quatenus hic homo est, non includeret formaliter personalitatem diuinam,cum apertũ sit non includere humanam:sequeretur illum,vt hic homo est,non aliter quàm connotatiuè esse Deum,& personam,quo pacto hoc albũ est Socrates:at hæc dici nullo



nullo modo possunt:est enim reuera, vt hic homo non connotatiuè, sed substantialiter Deus,& persona diuina.Nam persona quælibet ex sua ratione formali est vltimum subiectum, ac proinde nihil connotare potest seu verum subiectum,seu quasi subiectum,alioqui daretur persona quę ex ratione sua formali inesset,aut quasi inesset subiecto, quod repugnat rationi formali primæ substantiæ, & ex consequenti rationi personæ,Includit igitur Christus Dominus, vt hic homo est, personalitatem diuinam,& (quod hinc licet colligere)est non prima substantia ad prædicamentum substantiæ pertinens.

ADDI pro hac parte potest illud Damasceni 3.lib.Orthod.fidei: *In Christo Domino non esse communem speciem accipere*, communem ei videlicet siue cum cæteris hominibus , siue cum aliis quibusuis rebus.

*Reiicitur quorundam opinio.*

## SECTIO II.

*An hæc prædicatio Christus est homo sit speciei de individuo.*

NOTA difficultas huius rei in eo posita est. Nam prædicatio hæc Christus est homo , sit speciei de suo indiuiduo, quemadmodum & hæ:Socrates est homo, Plato est homo, sumpto nimirum Christo Domino quatenus hic homo est: nam si est , erit etiam Christus Dominus prima substantia prædicamentalis,sin minus non erit.

*Scot.in 3 d.7. q.1. & d.22. q.1. Lychet. ibid. Basso.in 3.d.7. q.vnica , & d.22. q.vnica Dur. in 3.d.7. q.1. & d.22. q.1. Mai. ibidem. Okam in 3. q.9.& alij,in 3.dist.22. & D.Tho.quo d. 3.art.4.& 3. d.q.50. ar.4. Lion.1.c.4.*

*Prima sententia , quæ est Scoti & sectatorum & Nominaliũ.*

SCOTVS in 3.dist.7.& dist.22.existimans Christum Dominum etiam quatenus hic homo est , includere naturam diuinam (& rectè quidem vt ex dictis perspicuum videtur) asserit prædicationem propositam non esse necessariam sed contingentẽ, proinde non esse speciei de suo indiuiduo , quem sequuntur non modo Scotistæ omnes, sed alij permulti in quibus est Durandus,Gulielmus Okam,Ioannes Maior,& Nominalium plerique,sumpto Christi nomine,vt à Scoto accipitur: tametsi eorum quidam existimant , posse Christi nomen accipi pro Christo,quatenus hic homo est,non inclusa diuina natura, vt inferius patebit:esse autem propositionem contingentem, hunc in modum probant.

*1. Propositionẽ esse cõtingentem probant argumentis sequentibus.*

PRIMVM quia Christus non erat homo ante incarnationem, vt perspicuum est, nec fuit homo in triduo mortis vt Theologi docent, est igitur contingenter homo.

*2.*

DEINDE quia propositio particularis , aut singularis, in quam conuertitur contingens,est etiam contingens,vt patet ex lib.de Priori resolutione , vt si hæc est contingens , homo est homo albus , hæc etiam homo albus est homo,in quã illa conuertitur,erit contingens, at hæc homo est Christus,est contingens, quia nunc est vera, & ante incarnationem,& in triduo mortis non erat vera , quia nullus homo tunc erat Christus , igitur & hæc Christus est homo est contingens.

*3. Demonstratio expositoria.*

TERTIÒ quia si esset necessaria,seu perpetuæ veritatis,necessaria quoque esset hæc:Deus est homo vt patet ex hac demonstratione expositoria,Christus est homo,Christus est Deus:ergo Deus est homo, in qua si totum antecedens est necessariũ,idem dicendum est de consequente-

Universidad de Deusto
Biblioteca



sequente:at hæc, Deus est homo,immo & hæc: Verbum diuinum est homo est contingens.

POSTREMO,quia quemadmodum ratio,siue oratio in se falsa de nullo vero subiecto dicitur,veluti diameter quadrati commensurabilis lateri,vt docet Aristot. hoc libro cap.29. ita pari ratione nullum verum prædicatum dicitur de ratione in se falsa (neque enim verà dixeris, rem aliquam veram esse diametrum quadrati commensurabilem lateri,aut talem diametrum esse rem aliquam veram,vt inductione perspicuum est:) at Christus significat coniunctum quid ex natura humana & diuina, quod coniunctum non erat verum ante incarnationem, neque etiam fuit verum in triduo mortis, non igitur tum de Christo verè dicebatur homo.Nam vt eorum exemplo vtamur,quēadmodum de hac connexione, homo lapis, nunquam verè affirmatur substātia, aliúdve reale ac verum prędicatum,quia semper subiectum est-connexio falsa,sic antequam humanitas Verbo diuino coniuncta esset,& in eo tempore spatio,quo anima eius à corpore separata fuit non potuit homo verè de Christo prædicari,quia tum falsa erat connexio quæ nomine Christi importatur. *Texu 34. D.Tho.3 p.q. 2. ar.3.& 5. & in 3.d.7. q.1. art.1.& 4.cont. Gent. ca.37.& 49. Caiet.3. p. q. 16.ar.1. Cap. in 3.d.4. q.1. Ferra.4.cont. Gentes.c.45. Alens.3.p. q. 6.Bonauent. in 3.d.22.ar. 1.q.1. Marsi. in 3.q.6. art. 3. Alber.in 3. dist.6. arti.1. Richar. ibid. quæst.1.*

*Refellitur Scoti sententia,& ostenditur falsa his argumentis.*

VERVM hæc sententia meritò non placet D.Thomæ, multisque aliis grauissimis Theologis,in quibus sunt Alensis,Magnus Albertus, D.Bonauentura,Richardus, Marsilius, Capreolus, Caietanus, & alij Thomistæ:esse enim falsam ex his patebit.

1 PRIMVM quia cum in hac propositione,Christus est homo,prædicatū sit de ratione subiecti, quemadmodum & in hac, Christus est Deus,planè sequitur neutram esse contingentem,sed necessariam,atque adeò per se in primo modo dicendi per se: quod autem prædicatum in vtraque sit de ratione subiecti, ex eo patet quia pars totius coniuncti necessariò,& per se primo modo pertinet ad rationem totius:in vtraque autem propositione prædicatur pars totius coniuncti de toto coniuncto,quod est Christus: Christus enim vt Damascenus ait,est nomen hypostasis,quod duas naturas significat, diuinam scilicet & humanam.

*Homo est de essentia Christi sicuti & Deus.*

*Christus est nomen hypostasis.* *Lib.3.fidei Orthod.ca.3.*

2 DEINDE quia si quod obstaret, quominus de Christo Domino ex necessitate diceretur homo, id esset contingentia ipsa cōnexionis naturæ humanæ cum diuina (nihil enim aliud affertur à Scoto,eiusq; in hac controuersia sectatoribus) at contingentia huius connexionis nihil impedit,quandoquidem nec contingentia connexionis siue formæ cum materia siue accidentis cum subiecto impedit, quo minus multa de toto coniuncto ex necessitate prædicentur,vt animal de homine,& artificiosum de statua: igitur etsi connexio naturæ humanæ cum diuina sit contingens,nihil tamen obstabit,quo minus de Christo Domino ex necessitate dicatur homo.

*Contingētia connexionis vt non obstet necessitati prædicationis.*

3 TERTIO quia Christus Dominus non minus verè dicitur homo, quàm Deus,cum vtrunque sit perfectè,nec minùs propriè participat humanam naturam quàm cæteri homines,vt Patres vnanimi cōsensu docent: at neque ipse contingenter & per accidens est Deus, sed necessariò & per se:neq; alij homines contingenter & per accidens sunt homines. *Synod. Ephe. in approbatione Epistolæ Cyrilli ad Nestoriū Leo Pontif.epistola 11.ad Iulianum Episcopū Coensen.cōtra Eutychetem, & Epistola 13.ad Pulcheriam Augustam. & alij. Quæst.1. Sect.3.*



homines (etiam si ipse non existant in rerum natura) sed necessariò & per se,vt ex iis quæ ad caput 5.dicta sunt manifestū est:igitur Christus Dominus quatenus Christus, non contingenter, sed necessariò & per se est homo.

AD primum autem argumentum in oppositum dicendum, etiam ante incarnationē diuini Verbi hanc fuisse veram, Christus est homo, quemadmodū & hanc,Christus est Deus:etsi Gabriel vtrumque negat propter implicationem contingentis vnionis duarum natutarum in subiecto. Ratio verò est,quia in necessariis propositionibus,verbū est,absoluitur ab omni temporis differētia,vt dicunt Dialectici,idēque sentiendum de eisdem propositionibus in triduo mortis Christi si Dialectico more loquendum est,quemadmodum & nunc verè dicimus,Petrum & Paulū,quorum corpora sunt Romæ,animæ vero in Cœlo,esse homines;& Antichristum antequā in summam sui miseriā conceptus sit esse hominem. Quod autem Theologi [a] dicunt Christum Dominum in triduo mortis non fuisse hominem ea ratione verum est, si Christus sumatur per Synecdochen,vel pro solo corpore, quod iacebat in sepulchro,vel pro persona diuini Verbi absolutè spectata,& non quatenus Christi nomen sumitur in sua totali significatione,id quod asserūt ad damnandam opinionem Magistri [b] Sent.& aliorum [c] quorumdam, qui dicebant Christum etiam sic consideratum fuisse tunc hominem, quia etiam tunc præbebat subsistentiam personalem, & animæ, quæ descenderat ad inferos, & corpori,quod remansit in sepulchro; quasi id esset præbere subsistentiam toti naturæ humanæ,& non potius partibus illius separatis,nec conficientibus vllam naturam vnam.Eadem solutio est,si dicas sententiam Theologorum esse Christum Dominum non fuisse in triduo mortis hominē existentem,sed fuisse hominem mortuum(quod concedit D.Tho.[d]) hoc est hominem qui obierat.

*Soluuntur argumenta Scoti & aliorum*

*Cur hæc sit æternæ veritatis Christus est homo.*

*Christum in triduo mortis non fuisse hominem quo modo intelligendum.*

AD secundum negandum est eam esse bonam conuersionem,Homo albus est homo,igitur homo est homo albus,nisi posita reali existentia terminorum in priori propositione(cùm simpliciter ab ea abstrahant, quia propositio sit necessaria)quemadmodum ponenda est in posterioti,vt vera sit,cùm propositio sit,cōtingens ex terminis realibus. Quare similiter non est bona conuersio, Christus est homo, ergo homo est Christus, nisi ponamus Christum subsistere actu in vtraque natura,quemadmodum,vt secunda propositio sit vera id omnino necessarium est, cùm illa sit contingens ex realibus terminis.

*Cōuersio propositionis de subiecto coniuncto,contingenti.*

ADDE non esse etiam bonam cōuersionem hanc Christus est per se homo,ergo homo est per se Christus(iis scilicet duobus modis dicendi per se,quibus vtitur Aristoteles) quandoquidem etsi Christus in primo eorum modorum est per se homo,tamen homo nec in primo,nec in secundo est per se Christus.Id quod D.Thomas rectè animaduertit in illo eodē exemplo hominis albi, in quo res minus perspicuè videri posset, cùm non sit ens per se vt Christus, sed per accidens. Sic enim scribit in 3.Sentent. librum ad distinctionem decimam, *In propositionibus Per se, aliter est ex parte subiecti, aliter ex parte*

*Christus est per se homo, quo pacto nō conuertatur.*

[a] *D.Tho.3.p. q.50.ar.4.& in 3.di.22.q. 1.artic. 1. & quodl.2.art. 1.Capr.in 3. d.22.q. vnic. Et Doctores cōmuniter in 3.d.22.Henric.de Gand. quodlibet 1. q.3. Ægid. quod. 4. q.4.*

[b] *In 3.d.22.*

[c] *Hugonis de S.Vict.lib.2. de sacram.p. 1.cap.11.*

[d] *3.p.q.50. articulo 4.& quodl. 3. q.2 art.4.*

*Lib.1. poster. cap.4.*

*dist. 10.q. 1. artic.2.quæstiuncula 3.*

*prædicati: quia ex parte subiecti sufficit, quod secundum vnum tantum eorum, quæ in subiecto continentur prædicatum per se subiecto conueniat: ex parte autem prædicati oportet, vt quicquid est in prædicato per se conueniat subiecto: vnde hæc non est per se, homo est animal album; hæc autem est per se, homo albus est animal;* ita D. Thomas, quem sequuntur Caietanus & alij Thomistæ, ad quam etiam sententiam nos in Institutionibus Dialecticis multa accommodauimus. *Caiet. 1. poste. c. 10. Ferrar. suorum Com. 4. cont. Gent. cap. 45. Vt 1. lib. c. 25. lib. 4. c. 3. &*

*Qua ratione bene conuertatur. 4.*

ERIT tamen bona conuersio Christus est per se homo, ergo homo est per se Christus, si supponatur Christum simpliciter subsistere actu in vtraq; natura æquè in priori propositione atq; in posteriori, & dictio illa *per se* sumatur pro substantialiter, vt inferius explicabitur sic enim verum est nunc, aliquid, quod est homo, scilicet Verbum diuinum esse substantialiter, hoc est non accidentaliter Christum.

*3. Explicatio demõstrationis, expositoris.*

AD tertium dicendum, conclusionem expositoriæ illius demonstrationis sic esse intelligendam; ergo aliquid, quod est Deus, est homo, quæ conclusio est necessaria, si quidem Christus, qui necessariò est Deus, necessariò est homo.

*4. Oratio in se falsa duplex.*

AD quartum dicendum est orationem in se falsam, duplicem esse: vnam quę significat aliquid impossibile, vt hominem rationis expertem, alteram, quæ significat rem quę nõ est actu, vt Socratem sedere, cùm non sedet: quod tradit Aristoteles initio citati captis. Dicuntur autem in se falsæ huiusmodi orationes ad distinctionem earum, quæ accommodatione sunt falsæ, quo pacto definitio circuli dicitur falsa oratio: quatenus accommodatur triãgulo, cùm igitur Aristoteles inferius ait, orationẽ in se falsam nullius simpliciter, id est, nullius omnino rei rationẽ esse, seu de nullo omnino vero subiecto dici, restrictè accipienda est oratio falsa, pro falsa omnino, hoc est, pro ea quæ non solùm est falsa in se, & non accommodatione tantùm, sed etiam rei impossibilis. Alioqui non rectè dixisset. Nam homo ambulans (quicquid Scotus velit) cùm nemo ambulat non solùm verè, sed etiã necessario dicitur de Socrate ambulante: quippe cum homo sit de ratione Socratis & ambulans idem omnino cum ambulante: cùm ergo Scotus inuertit pronunciatum Aristotelis, vt etiã nullum verum prædicatũ dicatur de falsa oratione, rectè quidem ait sumpta falsa oratione, pro ea quæ impossibilem connexionem significat, nõ pro ea etiã quæ possibilem. Nam Socrate etiam non ambulante, hæc est vera, Socrates ambulans est homo: at Christi nomen seu (quod idem valet) oratio hæc, Deus homo, non significat connexionem impossibilem, sed possibilem, tametsi quæ nec ante incarnationem Verbi diuini, nec in triduo mortis in rerum natura existebat. *Cap. 29. huius lib. textu 34.*

*Socrates ambulans, est homo ambulãs. semper esse ac necessario verum.*

*Regula Scoti in 4. argumẽto adducta quatenus sit admittenda. Obiectio contra doctrinã traditam.*

QVARE regula quam Scotus eo loco tradit, prius orationem debere in se veram esse, quàm de ea prædicatum aliquod reale, aut ipsa de reali aliquo subiecto dicatur; admittenda est quidẽ si oratio vera pro oratione significante rem verã, id est, possibilẽ sumatur, quo pacto Antichristum dicimus rem veram, hypocentaurũ falsam; reiicienda verò si oratio vera sumatur pro ea, quæ significat rem veram, id est actu existentem, quo tamen modo ille regulam suam intellexit.

ERVNT



ERVNT fortasse, qui nobis quidem concedant propositionem hanc, Christus est homo, esse necessariam & per se, sed negent ad eius rei confirmationem afferri posse illas. Homo albus est animal, Socrates ambulans est homo, aliásve similes, quòd putent eas esse omnino contingentes propter implicatam in vnaquaque duplicem copulam, quarum etsi altera est necessaria, altera tamen est contingens. Dicent enim allatas propositiones implicare duas enunciationes, vt prioris sensus sit. homo est animal, & albũ est animal: posterioris autem, Socrates est homo, & ambulans est homo, quarũ complicationum posteriores enunciationes sunt cõtingentes. Quod autem non vnam tãtùm, sed duas copulas cõtineant ex eo probabunt, quia quandocunq; subiectum est vnum per accidẽs tot eis videbuntur copulę implicari in tota propositione, quot sunt ea, quæ per accidẽs iunguntur ex parte subiecti. Vnde in iis tantùm propositionibus, quarum subiecta sunt entia per se, dicendum putabunt vnam esse copulam verbalem. *Homo albus est animal, & similes, an sint contingentes.*

*Confirmatio partis affirmantis.*

SED non rectè sentient. Primùm, quia vtraque illarũ propositionum est vna enunciatio simplex, nõ plures enunciationes, aut vna cõiuncta, vt plures copulas contineat, id quod manifestũ est apud Aristotelem ad initium secundi libri de Interpretatione, quod si vna & simplex siue Categorica, ergo vnam tãtùm habet verbalem copulã. Deinde, quia plura posita à parte subiecti, etsi sumpta, vt plura sunt, plures copulas verbales exigunt, tamen quatenus faciunt vnum, non plures sed vnam postulant: at homo albus, & Socrates ambulans, etsi plura continent, non tamen per modum plurium, sed vnius cõpositi, tametsi accidentalis. Tertio, quia compositio subiecti cum accidente est vnus quidam conceptus obiectiuus, qui cõcipi potest in statu possibilitatis abstrahẽte ab existentia: ergo de eo, vt tale quiddã est, aliquid affirmari potest, quod ad eius rationem formalem, tametsi cõpositam ex formalibus rationibus partium pertineat: quare non dubium, quin de eo vt sic, aliquod prædicatum necessarium, & per se illi conueniens affirmari possit. Quarto, quia saltem compositum esse, de eo quod hoc vel illo modo compositum est, ex hisve, aut illis cõponentibus constat, necessariò atque adeo per se prædicatur, idque non solùm in veris compositionibus accidit, sed in fictis etiã, vt de Chimæra quoque necessariò & per se dicamus esse compositum quiddã, latissimè sumpto compositionis verbo. Postremò, quia de artefactis, quorum nominibus certũ est significari formaliter & certã in aliquo genere materiã & certam formam figurámve, vt de serra, aut gladio, necessariò & per se dicitur artefactum, & omnia quæ ad rationem formalem artefacti pertinent, ad eam consequuntur. Quòd si respondeant nil mirum id esse, quòd existiment, artefacta esse entia per se: id sanè aut verum non erit, aut nihil ad rem faciet: Artefacta enim, vt includunt formaliter & materiam & formam arte inductam, nec sunt verè vnius naturæ, hoc est, per se pertinentis ad aliquod vnum prædicamentũ, vt patet, nec necessariò vnius suppositi, vt si serra manubriũ habeat ligneum. Sin autem nomen entis per se accipiant pro ente per se ordinato ex multis, hoc est, naturali quodam partium ordine com-

*2 Solutio obiectionis & probatur pars negans quinque argumẽtis.*

*Cap. 2.*

*3*

*5 Artefactorũ nominibus & certam materiam & certam formam significari formaliter*

*Nõ esse entia per se.*

positio;cùm subiectum & accidens naturalem ordinem habeant potẽtiæ & actus, erunt etiam homo albus, & Socrates ambulans entia per se atque adeo magis quàm sint multa artefacta,vt nauis & horologiũ quorum formæ non à natura proueniunt,sed arte excogitantur.

*Concluditur propositiones eiusmodi esse necessarias.*

SVNT igitur ex vi sermonis necessarię,ac suo modo per se propositiones illę,Homo albus est animal,Socrates sedens est Socrates,& similiter hæ,Homo albus est coloratus,Socrates ambulans mouetur: nec dicendæ sunt contingentes,nisi si quis eas,cùm simplices re vera sint,& vnam tantum habeant verbalem copulam,vt coniunctas accipiat iuxta propositam aduersariorũ expositionem,aut quandam minus principalem copulam intelligat in subiectis, vt sensus primæ sit, Homo qui est albus est animal, & sic in cæteris: & in hoc sensu concedit Scoto Caietanus hanc esse per accidens,Homo albus est coloratus. Quocirca meritò afferri possent eæ enunciationes,vt cõfirmarent argumẽto à minori ducto enũciationem illã,Christus est homo esse necessariã ac per se. Nos tamẽ illis ad confirmationem nõ vsi sumus,sed ad refutationem argumentorũ aduersæ partis Theologorũ, qui eas omnino contingentes existimant,ne quemadmodũ earũ subiecta sunt vnum per accidens, ita & ab incautis crederetur dici à nobis, Christum esse vnum quid per accidens,cùm re vera sit vnum per se non vnitate naturæ,cum subsistat in duabus,sed vnitate suppositi.

*Ita sentit D. Thom.in 3.d. 10.q.1. artic. 2. Et accedit Ferr.4. cõtra Gent. ca.45 ad finem in 1.solutione.*

*Quæ ratione dici possint contingentes.*

*Christus est vnum per se vnitate suppositi.*

*3.p.q.16. ar. 1. & consentit Ferrar.4. contra Gent. cap.45. in 2. solutione.*

### *Impugnatio opinionis quorumdam Nominalium.*

### SECTIO III.

*Hanc propositionẽ Christus est homo esse per se primo modo.*

EX his patet propositionem hanc, Christus est homo, non esse contingentem,sed necessariam & per se idque primo eorũ modorum, qui dicũtur per se. Verùm quia hoc tantùm non est satis, vt Christus dicatur indiuiduũ contentum sub homine, quo pacto cæteri homines cõtinentur,quemadmodam non satis est,si probent propositionem hãc Homo albus est coloratus,esse necessariam & per se primo modo,vt ostendas hominem album esse speciem contentam sub colorato:excogitarunt nonnulli rationem hanc,qua Christum dominũ,non quatenus Deus est, nec quatenus Deus simul & homo,sed quatenus hic homo,facerent indiuiduum sub homine quidditatiuè contentum,nẽpè quia Christus, quatenus hic homo est,nihil diuinitatis formaliter includat:dicunt enim,illum hoc pacto consideratum,esse denominatiuum quid & connotatiuum Verbi diuini,quemadmodũ hoc album est denominatiuũ huius corporis,ita vt nihil aliud formaliter significet hoc nomen Iesus (quod impositum existimant ad significandum formaliter id solùm, quod naturæ nostræ est) quam humanitatem in concreto,cõnotando tamen Verbum diuinum,quemadmodum hoc album nihil aliud formaliter significat,quàm albedinem in cõcreto, connotando hoc corpus;vnde vt hoc album formaliter sumptum est indiuiduũ quidditatiuè contentum sub albo, eo quod nihil formaliter includat subiecti corporis, ita credunt hi Christum dominũ,quatenus hic

*Lib.1.poster. cap.4.*



tenus hic homo est,formaliter ea ratione esse indiuiduum quidditatiuè contentum sub homine,quia vt talis est,nihil includat Verbi diuini, sed illud denominet tantùm ac connotet:Atque hæc sententia videtur esse Gabrielis ad 7.distinctionem 3.sententiarum,& clarius Almaini ad 4.distinctionem eiusdem libri & quorumdam aliorum. Potuerunt autem in eam his rationibus venire.

*Vterque q. vnica.*

*Auctores huius opinionis citantur.*

*Argumenta quibus probari potest. Primum*

PRIMVM, quia si Christi nomẽ hoc Pacto sumptum formaliter significaret Verbum diuinum,aut personalitatem diuinam, nõ esset Christus,quatenus est hic homo,vnum per se aggregatũ quiddam ex Verbo diuino aut personalitate diuina, & natura humana, ac proinde ex natura diuina & humana:ex quibus non magis videtur fieri vnũ per se,quàm ex corpore & albedine:at Theologi affirmant Christum Dominum, vt singularis homo est, non minus esse vnum ens per se, quàm cæteros homines.

DEINDE, quia si Christus Dominus hoc pacto spectatus includeret formaliter Verbum diuinũ, cùm ille ponatur esse vnum per se, iam Deus veniret in compositionem alicuius entis per se, essétque alicuius rei pars,quod perfectioni diuinæ repugnat.Hinc enim Augustinus contra Maximum: *Vna* (inquit) *est persona geminæ substantiæ Christus, quia Deus & homo est; neque tamen Deus vel homo, pars huius personæ dici potest.*

*D.Tho.3.p. q.3.ar.6. & in 3.d.1.q.2. art.4.Scot.in 3. di. 1. q. 2. Gabr.in 3.d. 1. q.1. Dur. ibid.q.4. Ock. Kam. Rich. Almainus. Et Doctores communiter in 3.d,1. Lege D.Tho. 3.p.q.16.art, 6.Et Doctores in 3. ad dist.7.*

TERTIO, quia si Christus Dominus non esset hic homo nisi per diuinam personalitatem formaliter inclusam,non possent tres diuinę personæ vnam & eandẽ numero naturam humanam assumere, quod tamẽ cõcedunt Theologi.Id autem sequi ex eo probatur,quia si hęc natura humana primò assumeretur ab ipsa diuina essentia, cùm in diuina essentia non includatur personalitas,iam ex vi assumptionis non resultaret hic homo,quod dici non potest:neque enim resultaret homo vniuersalis, qui nusquam esse potest,sed singularis, si verò primò, siue immediatè assumeretur à tribus personis, aut dicendum foret nõ resultare hunc hominẽ,sed tres homines: aut hunc hominem includentem tres personalitates,quorum vtrumque absurdissimum est. 3

QVARTO, quia cùm res omnino distinctæ realiter,aliquid vnum conficiunt, neutra earũ dicitur fieri altera,aut suscipit nomen totius; hac enim ratione materia nec dicitur fieri forma,neque esse homo ex vtraque compositus;at Deus & homo sunt res omnino distinctæ realiter,& tamẽ Deus dicitur factus homo & appellatur Christus,in quo velut in toto Deus & homo adunantur:non conueniunt igitur Deus & homo ad constitutionem Christi,quatenus Christus est hic homo siue subsistens in natura humana. 4

QVINTO, quia ita hic homo est effectus formalis huius humanitatis, vt homo communis est effectus formalis humanitatis communis(vtrumque enim est concretum,hoc naturæ cõmunis,illud singularis) at homo solam naturam communem formaliter significat, ergo hic homo solam singularem. 5

SEXTO, quia si Christus Dominus includeret formaliter personalitatẽ Verbi diuini, cùm ea sit relatiua;esset Christus Dominus,qua- 6

Universidad de Deusto
Biblioteca



tenus hic homo est,relatiuũ quid,ac proinde cæteris hominibus val de dissimilis & in oratione essẽdi,& in ratione operandi:Essendi quidem,quia cæteri,vt singulares sunt absoluti sunt nõ relatiui;operandi autem,quia cum relatio non sit principium operandi, non erit Christus, quatenus hic homo est, operatiuus, cùm tamen cætera humana suppositа, quatenus talia sunt, operatiua sint, atque adeo primo & principaliter operatiua.

7 SEPTIMO, quia Sacræ litteræ hoc ipsum videntur perspicuè significare. Nam Paulus ad Romanos ait, *Christum Dominum factum esse Patri ex semine Dauid secundum carnem*, hoc est secundum humanitatẽ: cùm igitur Christus ex semine Dauid factus sit hic homo: efficitur vt nihil aliud formaliter significet nomen Christi,quatenus Christus est hic homo, quàm eius humanitatem connotando Verbum diuinum. Quin etiam cum ipse Christus de se dicat, *Pater maior me est*, nec dubium sit,quin illud (*me*) referat Christum,vt hic homo est,satis manifestum relinquitur,Christum Dominum,quatenus hic homo est,non includere personalitatem diuinam: si enim includeret, nõ esset Pater maior Filio, qua ratione Filius hic homo est.

*Ad Rom.1.*

*Ioan.14.*

8 POSTREMÒ, quia Patres non tantùm asserunt Verbum diuinũ assumpsisse humanitatem,sed etiam assumpsisse hominem: cùm igitur non assumpserit hominem communem,sed singularem,siue hunc hominem,planè sequitur Christum quatenus hic homo est,õn includere formaliter diuinam Verbi personalitatem: neque enim quicquam assumpsit eorum, quæ in se ab æterno habuit.

*Ad auctoritatẽ Patrum.*

*Aug.lib.de prædest. Sãct. c.15. & lib. 9.de Ciuitate Dei, c.17. & 21. & lib. de Eccles.dogm. c.2. (si is liber est Aug.) & lib.1.contra Maxim. Idẽ habes in Concil. Tolet. 6.c.1. & apud Ansel. lib.de incarnatione Verbi cap.4. In prædic.cã. de Substãtia. q.5.huius c. sect.vlt.ad 2.*

*Reiicitur hæc sententia tres ob causas.*

*Primum argumentum.*

HÆC tamen opinio nec verę Philosophiæ,nec sacræ Theologię, nec Patrum decretis consentanea est. Primùm, quia facit personam Christi,quatenus hic homo est denominatiuam, & nihilominus primam substantiã,vnde sequitur esse denominatiuam,& non denominatiuam, primam substantiam & non primam. Cùm enim prima substantia,quatenus prima substantia est,de nullo inferiori dicatur & de nullo subiecto, aut quasi subiecto denominatiuè prędicetur (hoc enim significat definitio primæ substantiæ, cùm Aristoteles ait de nullo dici, & in nullo esse, vt omnes interpretes vno ore exponunt) quid aliud est dicere hunc hominem, vt talis est,denominatiuè dici de aliquo,& tamen esse primam substantiam, quàm dici & non dici denominatiuè,essèque & non esse primam substantiam?

*Discrimẽ inter concreta substãtiarum singularium, & reliqua concreta tum substantiarũ. tum accidentium.*

DEINDE, quia nõ considerat discrimen,quod necessariò ponẽdum est inter concreta substantiarum singularium, & cætera cõcreta cùm substantiarum,tùm accidentium,quod à nobis superius breuiter explicatum est. Nam vt remotiora prius consideremus,cõcreta accidentium vniuersalium,ita sunt concreta,vt quia sunt accidentia, sint etiam denominatiua seu connotatiua subiectorum,& quia sunt vniuersalia,aliqua inferiora implicitè ac potentia cõtineant,veluti coloratum album & similia: nam & corpus denominant, & connotant,& coloratum suas species,ac indiuidua implicitè cõtinent, albúmq;sua indiuidua: concreta verò accidentiũ singularium,etsi nulla inferiora implicitè continent, quia singularia sunt: tamen quia sunt accidẽtia, subiecta



subiecta corpora denominant: cõcreta autem substantiarum vniuersalium,etsi nullum subiectum aut quasi subiectum denominãt, quia sunt substantiæ: tamẽ quia vniuersalia sunt inferiora sua omnia implicitè, ac potentia continent,& pro illis sæpè in oratione sumuntur,vt animal pro homine, & homo pro Socrate: at concreta substantiarũ singulariũ, quia singularia sunt, de nullo inferiori dicuntur,quia verò sunt substantiæ, nullum subiectum aut quasi subiectum denominare possunt.

HOC tamen intelligendum est de concretis primariis, quæ per se ad prædicamentũ substantiæ spectant,& fiunt immediatè ex abstractis. Nam si sint secundaria, & non fiant immediatè ex abstractis: sed mediatè,vt auratũ (nam ex natura auri immediatè fit aurum,ex quo extrinsecus appositо fit auratum) possunt & quidditatiuè dici de inferioribus,si sint vniuersalia,vt auratum in communi,& denominatiuè prædicari de quasi subiectis, siue ipsa sint vniuersalia, siue singularia, vt auratũ de statua,& hoc auratũ de hac statua. Verùm huiusmodi cõcreta subeunt rationem accidentium, neque ad prædicamentum substãtiæ pertinent,sed ad Prædicamentum Habitus siue habendi;cùm igitur Christus Dominus quatenus hic homo est,sit concretũ humanitatis singularis,fit vt quemadmodum de nullo inferiori dicitur,ita etiam de nullo subiecto,aut quasi subiecto denominatiuè dici possit, nisi æquiuocè sumeretur pro hoc humanato,hoc est extrinsecus appositam habente humanitatem,vt de hoc aurato diximus: quo pacto Verbũ diuinum diceretur homo,si perinde sustineret ac regeret personã hominis,ac princeps aliquis in tragœdia sustinet,ac præ se fert personam agricolæ, aut militis: aut si Angeli,qui assumptis corporibus apparent,non fictis sed veris vterentur,eaq;intrinsecus mouerẽt.

*Concreta secũdaria substantiarum pertinere ad prædicamentũ Habitus.*

TERTIO, quia cùm Socrates quatenus est hic homo (vt auctores etiam huius opinionis fatentur) formaliter includat personalitatem ab omni ratione alienum est dicere Christum Dominum quatenus hic homo est,personalitatem formaliter non includere,præsertim cũ ita propriè sit hic homo, vt Socrates est hic alius homo.

3

*Obiectio.*

QVOD siquis obiiciat illud D.Thomæ in 3.Sent.lib. ad distinct. 7. *Propositionem non verificari ratione formalis significati sui subiecti, sed ratione suppositi*, vnde videtur omnino sequi,nec Socratis nomen significare formaliter personalitatem suppositi,pro quo accipitur in propositione,sed solã humanitatẽ in concreto, ita vt hic homo nihil aliud sit formaliter,quàm habens hanc humanitatem, materialiter autẽ sit suppositum, quod illam habet: hoc modo respõdendum est. Id quod D. Thom.ait,in solis terminis aliquo modo cõmunibus intelligendum esse, vt in omnibus Dei & hominis,quę ipse in exmplum affert quod in significando abstrahant à suppositis, non autem in ipsis suppositorum nominibus,cuiusmodi est Socrates, vt patet.

*Soluitur.*

*Cum Magistro in 3.d.5.*

QVARTÒ, quia tollit propriam rationẽ communicationis idiomatum, hoc est eorũ quæ sunt propria Deo,& eorum quæ sunt propria homini,quę quidẽ in Christo,vt Theologi docẽt,propter vnionem diuinæ ac humanæ naturæ in eodẽ suppositо,mutuo cõmunicãtur,diuina

4

*Idiomatum cõmunicatio propter incarnationis mysterium.*

tur,diuinæ quidem homini,humana autem Deo,veluti homini quòd sit creator,& Deo,quòd sit mortalis:hoc enim ita euenisse dicũt per incarnationem Verbi diuini, vt Deus non per accidens,sed per se operetur humana:& homo non per accidens item,sed per se operetur diuina. Nam etsi Deo aliena erat natura humana,& vicissim homini natura diuina, tamen,ex quo natura humana subsistere cœpit eadem subsistentia,qua diuina ab æterno subsistebat,ita Verbũ per se naturám ve suam, hoc est humanã operari cœpit,humana, sicut per naturam suam,id est,diuinam operabatur diuina,vtraque enim propter vnionem hypostaticam est Verbi diuini natura & substantia. At hęc opinio,cùm ait Christum Dominum quatenus hic homo est esse connotatiuum quippiam Verbi diuini,illud formaliter nõ includens,cogitur admittere Verbum diuinũ non per se,sed per accidens operari humana,nempe eodem modo quo ferrum calefacit, vicissimque cõcedere hunc hominem seu concretum huius humanitatis, non per se sed per accidens operari diuina, quo pacto calidum descendit deorsum,cùm ferrum calidum descendit,

*& 7.cũ seq. Et D.Tho.3. par. q.16.ex Damasc 3.li. fidei Orthod. c.3.Et Aug. lib.1.de.Trin ca. 11.12.& 13.*

*Agatho Põt. Max.in epist quæ habetur in 6. Syndo. Grego. Naz. in Epistol. ad Dydimum Damascenum li.3.fidei Orthod c.3.5.7. & 37.*

POSTREMÒ, quia iuxta hanc sententiam dici non potest persona Christi,quatenus hic homo est, esse compositam ex natura diuina & humana in vnitarem suppositi, quod est cõtra omnium Patrum sententiam, omnes enim dicunt Christum Dominum, cùm ante incarnationem esset persona simplicissima,cœpisse per eam esse compositam, idque propria & non metaphorica compositione, vt definitum est in Cõcilio Lateranensi sub Martino 5.Hoc antiquissimus Dionysius Areopagita scripserat in libro de Diuinis nominibus cap.1. vbi vocat humanam Christi naturam,humanam humilitatem,*Ex qua* (inquit)*simplex Iesus,ineffabiliter est compositus* dixit,*simplex Iesus*,quatenus ipse Dei Verbũ est,*Compositus verò* quatenus est ex natura humana & diuina persona factus hic homo:eámque compositionem vocat ineffabilem,quia nulla similis in rebus creatis reperiri potest. Idem in libro de Ecclesiastica Hierarchia c.3. scribit,*Verbum factum esse sine mutatione sui compositum & visibile*,nempe quatenus factum est hic homo. Hoc idem scriptum reliquerat ante prædictam Synodũ Augustinus 13.de Trinit.cap.7.*Sic Deo* (inquit)*coniungi potuit humana natura, vt ex duabus substantiis fieret vna persona.*Lege Cyrillum Alexandrinum contra Nestorium, & alios Patres cùm Græcos,tum Latinos: Concilia item & generalia & particularia, in quibus, cum de vnione humanæ naturæ in Christo agitur,nihil aliud pene auditur, quàm post incarnationem,cõpositam esse Christi ac Verbi diuini personam. Quod inter omnes disertissimè multisque locis explicat Damascenus lib.3. Orthodoxæ fidei, cap.5 cum ait; *Confitemur vnam hypostasim ex duabus naturis perfectam & compositam* & cap.7.*composita* (inquit) *facta est quæ prius erat simplex Verbi hypostasis*:quam.compositionem D.Thomas 4.contra Gentes capite 49.his verbis declarat, *Hypostasis Verbi non constituitur simpliciter per humanam naturam,vt per eam sit, sed per eam solum habet Verbum,vt sit homo. Non igitur oportet* (inquit)*quod humana natura non sit simplicior quàm Verbum in quantum est Verbum, sed solum in quantũ Verbum est.*

*Christũ Dominum esse personam cõpositam, probatur ex definitione Cõcilij Lateran. Ex D.Dyon.*

*D. Augustin.*

*Vide Athan oratione quod vnus sit Christus & alios.*

*Vt à D.Tho. eiusmodi cõpositio explicetur.*

*Lege eundem D.Thom.3.P. q.1.ar.4. & q. de vnione Verbi artic.1. ad 15.*



*Verbum est hic homo.* Hæc D.Thomas. Cùm igitur Christus, quatenus hic homo est,sit verè ac propriè compositus ex natura humana & diuina in vnitatem suppositi ac personæ, Patrum decretis planè repugnat quicumque asserit nomen Iesu, nihil aliud formaliter significare quàm humanitatem Christi per modum adiacentis Verbo diuino, quo pacto hoc album significat hanc albedinem per modum adiacentis ac denominantis subiectum corpus. Ita patet nec principiis Philosophiæ, aut Theologiæ, nec Patrum dogmatis consentaneam esse propositam opinionem.

*Solutio argumentorum impugnatæ opinionis.*

## SECTIO IV.

NEC verò primum pro ea propositum argumentũ quidquam efficit: concedimus enim ex natura humana & diuina in Christo non fieri vnũ per se, si nomine vnius per se intelligatur natura aliqua vna ex vtraque composita,vt fit ex anima & corpore. Id tamen negamus,si nomine vnius per se intelligatur vna subsistentia,aut persona vtrique naturæ communis: hoc enim factum est per assumptionem naturæ humanæ à Verbo diuino, vt Verbum diuinum esset hic homo: qui quidem etsi non est noua persona simpliciter, tamen est noua persona naturæ humanæ & diuinæ.

*Solutio primi. Ex natura humana & diuina quo pacto in Christo fiat vnum per se.*

QVOD vt faciliùs intelligas,aduerte omnem compositionem terminari ad vnitatem alicuius compositi, cùm in omni compositione fiat vnum ex multis, sed hoc interesse, quòd ex componentibus per accidens resultat vnũ per accidens, vt ex homine & ex albedine homo albus,ex componentibus autem per se resultat vnum per se,quod quidem aliquando est genus,vt viuens quod componitur ex anima & corpore: aliquando est species, vt homo qui constat ex anima rationali & corpore suaptè natura recto:aliquãdo indiuiduum sub specie, vt hic homo ex hac anima rationali & hoc corpore humano.

*Omnem compositionẽ terminari ad vnum.*

ILLVD etiam aduerte, etsi ex hac anima & ex hoc corpore propriæ naturæ relictis resultet hic homo: non solùm quatenus est prima substantia (quia nimirùm ex ea compositione incipit nouum aliquid per se subsistens) sed etiam quatenus est persona humana, siquidem per eãdem compositionem incipit nouum aliquod incommunicabile in natura rationali,tamen ex anima Christi & corpore Christi vnitis quidem inter se,sed tamẽ assumptis ad subsistentiam & personalitatem verbi diuini,& in eo sustentatis, etsi resultauit noua aliqua natura per se vna (ipsa inquã Christi humanitas) tamen simpliciter non resultasse nouam aliquam primam substantiam, nec nouam aliquam personam,quia nulla ibi resultauit siue noua subsistẽtia, vt esset noua prima substantia,siue noua personalitas,vt esset noua persona:sed resultasse hoc tantum, vt subsistentia & personalitas Verbi diuini, esset subsistentia & personalitas naturæ humanę,idq; non per accidẽs,quo pacto subsistentia & personalitas huius hominis est subsistẽtia & personalitas

*Ex vnione hypostasis non resultasse nouam aliquam primam substantiam,neque nouam personam.*

*Quid resultaverit, exponitur.*

sonalitas huius albi,sed per se, quo pacto quædam subsistētia & personalitas creata est subsistentia & personalitas Socratis. Est igitur sine vllo incommodo Christus Dominus quatenus hic homo est, vnum per se,hoc est, vnum per se subsistens in natura humana, & vna per se humana persona ex verbo diuino & humana natura composita. Neq; est similis compositio ex corpore & albedine, quia albedo nō potest habere subsistentiam,nisi per accidens,hoc est,ratione substātiæ subiectæ,aut alicuius supplentis vicē subiectæ substantiæ in illa sustinenda, vt fit in sacra Eucharistia quod non accidit humanitati Christi, quæ si suę naturę relinqueretur,per se ipsam cohæreret ac subsisteret.

*Christus quatenus hic homo est vnum per se.*

*Secundi argumēti solutio.*

HINC patet solutio secundi argumenti: Deus enim etsi non potest venire in compositionem vnius per se naturæ, quia semper tota natura resultans ex partibus est perfectior qualibet, imò & omnibus simul sumptis: potest tamen venire in compositionem vnius per se subsistentis,ac personæ, quia in hac compositione non est necesse, vt compositum sit perfectus componentibus, vnde componentia hoc pacto, etsi verè ac propriè componunt, tamen rationem partium in compositione non habent, vt citatus Augustinus ait, importat enim pars imperfectionem aliquam.

*Quid si vno facta esset prius in diuina natura.*

AD tertium dicendum, de facto quidem Christum Dominum esse formaliter hunc hominem per naturam humanam, singularem,& diuinam personalitatem,quia assumpto humanę naturę facta est primò & immediatè in persona verbi diuini,potuisse tamen primò & immediatè fieri in natura diuina: quod si factum esset, iam ex assumptione resultaret hic homo constitutus ex natura humana & diuina subsistentia communi tribus personis, quæ vt vnica est numero, ita vnum hominem numero constituet,essēntque tres personę diuinæ vnus homo numero,licet tres habentes humanitatem, & tres personæ humanæ naturæ. Quod si tres diuinæ personæ primò & immediatè vnam & eandem numero naturam humanam assumerent, (quod tamen Scotus & alij plerique fieri non posse contendunt) eadem esset Gabrieli & cæteris eius sentētiæ auctoribus nobiscum difficultas,resultarétne tunc ex assumptione vnus homo numero,an tres. Quomodo enim essent tres homines per vnam tantū numero humanam naturam? Quomodo etiam esset vnus per tres diuinas personalitates siue formaliter inclusas,siue connotatas? oportet enim etiam connotatum seu denominatum esse vnum numero, vt connotatiuum seu denominatiuum sit vnum numero. Nobis sanè videtur fore, vt resultaret vnus homo quia substantiua non multiplicantur,nisi multiplicata forma: quæ regula est D. Thomæ,& complurium grauissimorum Theologorum,intelligenda tamen de natura completa,aptáque ad suppositum constituendum. Dixi *completum* quia si eadem forma humana,quæ incompleta substantia est,esset in pluribus materiis,nihilominus ex ea resultarent plures homines, vt dictum est ad caput 4. constituerētur enim ex ea plures naturæ humanæ, ex quibus resultarent plura suppositа. Addidi *apta ad suppositum constituendum* quia etsi plures homines diuina virtute haberent vnam & eandem artem numero, tamen essent plures

*Quid si tres diuinæ personæ eandē numero naturā assumerent.*

*Scot. in 3. d. 1. q. 2. Albert. Mag. ibidem ar. 10. & alij.*

*Auctoris sententia vnus homo resultaret.*

*D. Tho. 1. p. q. 39. ar. 3. & 3. p. q. 3. arti. 7. ad 2. post Alfisiodorēsem 1. lib. summæ aureæ, cap. 5. Sco. in 1. dist. 12. q. 1. Caiet. in D. Thomā. Ferr. 4. cont. Gent. cap. 11. concluſ. 4.*

*Regula Diui Tho. notanda exponitur.*



plures artifices,quod ars sit accidens,tametsi completum. Accidentia enim etsi completæ sint, perfectáve entia in suo Prædicamento, non tamen sunt apta,vt ex eis suppositum resultet, cum potiùs illud supponunt constitutumq́; inueniant. Quia tamen adiectiua omnia siue significent naturam aptam ad suppositum constituendum, siue ineptam: multiplicantur multiplicato suppositо,si plures diuinæ personę quomodocumque assumerent eandem numero humanam naturam, non dubium est quin dici possent plures habentes naturā humanam nomine habentis adiectiuo, quemadmodum dubium non est, quin plures homines, in quibus diuina virtute poneretur eadem numero ars dicerentur plures habentes artem. Quod autem D. Thomas, postquam docuit in 3. parte, si plures diuinæ personæ eandem naturam humanam assumerent,fore,vt essent vnus homo,mox subiecit: *non fore tamen vt essent vnus homo simpliciter*, hunc sensum habet, non fore vt essent omni ex parte vnus homo: nempe & ex parte naturæ,& ex parte personalitatis, quasi & vnus homo,& vna persona humanæ naturæ, sed vnus homo & plures personæ naturæ humanæ.

*Altera regula pro adiectiuis.*

*3. p. q. 3. art. 6. ad 1.*

*Exponitur dictum D. Tho.*

*4. Solutio.*

AD quartum dicendum est Christum Dominum,non esse compositū ex Deo & homine, nisi sumpto homine pro humana natura quo pacto à Patribus sæpè vsurpatur hominis vocabulum: at Deus non dicitur factus humana natura,sed homo: nec dicimus naturam humanam post incarnationem esse Christum,sed hominē esse in Christum quocirca non est apta similitudo adducta animę & corporis in compositione hominis, nisi quo pacto ea vtitur Athanasius cum aliis Patribus, vt quemadmodum eadem est subsistentia animæ & corporis in puro homine, ita eadem sit subsistentia humanitatis & diuinitatis in Christo Domino qui simul Deus est & homo.

*Athanas. in Symbolo qua eadē similitudine in eundē sensum vtuntur. Cyril. li. vnico de recta fide ad Theodosiū. & in Scholiis, c. 7. Aug. 10. de Ciui. Dei. ca. 29. & epist. 3. ad Volusianum. Leo epi. 11. ad Iulianū Episcopum Coensem. Iustinus mar. in expositione fidei Theo. 2. dialogo. Inconfusus & alij.*

*5. Hic homo vt sit effectus formalis humanitatis.*

AD quintum dicito,non eodē modo hunc hominem esse effectum formalem huius humanitatis,quo homo cōmunis humanitatis communis. Aliter enim homo communis est subsistens in natura humana (hoc enim significat hominis vocabulū) aliter hic homo in hac natura humana. Nam cùm subsistens idē sit,quod habens esse per se primò siue independenter ab aliquo in quo sit vel tanquam pars, vel tanquam forma, aut quasi forma: homo quidem particularis est re ipsa formaliter & explicitè subsistens, quia habet hoc pacto esse à parte rei,at homo communis,cum nō habeat esse per se primò,sed per singulos homines,non est per se primò formaliter & explicitè subsistēs, sed per singulos homines,quamquam beneficio intellectus accipientis humanam naturā quasi per se cohærentem,& sibi in communi relictam, ex qua acceptione resultat homo communis si quodam modo per se subsistens & per modum per se subsistentis significetur.

*6. Hic homo ostenso Christo, vt sit relatiuus.*

AD sextum dicendum est hunc hominem ostenso Christo,ex parte quidem personalitatis, in qua non conuenit cum aliis hominibus esse relatiuum quid,sed relatione substantiali & subsistente: ex parte autem naturæ,in qua cōuenit cum cæteris esse absolutum. Nec obesse quicquam quod ex parte personalitatis sit valdè,immò infinitè dissimilis cæteris hominibus,seu potius quod cęteri sint illi infinitè dissimiles,

*Neque puros homines conuenire vniuocè in personalibatibus.*

similes: Similitudo enim omnium hominum inter se non est attendenda in iis, in quib. differunt, sed in iis in quibus conueniunt. Vnde nec puri homines conueniunt vniuocè in personalitatibus, sed analogicè, quemadmodum & naturæ particulares in principiis, seu differentiis indiuiduationis. Quod autem obiectum est de principiis operandi non est ad rem, nam etsi nulla relatio vt relatio est, sit principium operandi (saltem ad extra, vt excludamus operationes ad intra in diuinis (tamen relatiuum, vt tale est, potest esse operatiuum, si sit relatiuum subsistens, quale est Verbum diuinum. Est enim filius Dei id quod per se operatur, & diuinas operationes per naturam diuinam & operationes humanas per naturam humanam.

*Relatiuũ vt posśit esse operatiuum.*

*Septimum argumentum in suos retorquetur.*

IAM septimum argumentum in suos auctores retorqueri potest. Nam si Christus, quatenus hic homo est, nihil increatum formaliter significaret, nihil esset, cur D. Paulus moderationem illam *secundum carnem* adhiberet. Potuisset enim sine vllo incommodo dicere Christum Dominum, quatenus hic homo est, factum esse Dauidi filium. Et tamen dixit *secundum carnem* ne quicquid in illo est, quatenus singularis homo est, factum esse putaremus. *Rom.1.*

*Locus ille:* Pater maior me est, *expenitur*

SED neque illud quod Christus Dominus ait: *Pater maior me est,* quicquam efficit. Nam etsi verbum *(Me)* Christum refert, non refert tamen illum vt hic homo est, sed tantũ vt est homo, hoc est, quoad ea in quibus conuenit cum cæteris hominibus. Ea enim sola significat formaliter & explicitè verbum homo, & quoad ea omnia Pater est maior filio, non quoad omnia quibus est hic homo, quia non est maior personalitate filij. Quod si obiicias est maior illo, vt est filius Virginis, ergo vt est hic homo, neganda est consequentia: tum quia esse filium Virginis ex ratione sua potest esse illi cum multis hominibus commune, tum etiam quia est connotatiuum quiddam, & denominatiuum hominis, cùm interim esse hunc hominem designatum, nec possibile Christo Domino cum multis hominibus commune, nec sit connotatiuum, sed absolutum. *Ioan.14.*

*Obiectio.*

*Diluitur.*

*Vltimi argumenti solutio. Deus hominẽ assumpsit, quomodo exponendum.*

AD vltimum dicendum, non esse propriam eam locutionem, qua Patres sæpè vtuntur, cum dicunt Verbum diuinum, Deumq; absolutè spectatum assumpsisse hominem, sed figuratam & exponendam.

NAM cùm id quod assumitur debeat præcedere assumptionem, si non tempore certè natura & ratione (neq; enim assumitur quod non est, sed quod est) homo autẽ qui de Verbo diuino dicitur, siue absolutè spectetur, siue vt hic homo, non præcesserit assumptionem, sed potius secutus sit (ad hoc enim terminata est assumptio humanæ naturæ vt Deus esset homo) non potest propriè dici Deum assumpsisse hominem. Quæ ratio est D. Thomæ, & Scholasticorũ ferè omnium. Aliam rationem tetigerunt Patres Ephesini Concilij sub Theodosio iuniore & Cœlestino Pontifice, vt patet ex iis quę ex eo Cõcilio relata sunt in Synodo Chalcedonensi actione prima ex Epistola Felicis Papæ & Martyris ad Maximum Episcopum, & clericos Alexandriæ his verbis: *De incarnatione Verbi, & fide credimus in Dominum nostrum Iesum Christum ex Maria Virgine natum, quoniam ipse est æternus Dei Filius & Verbum*

*Ad quid terminata sit assumptio humana natura.*

*D.Tho.3.p. q.4.art.3.*



*Verbum, & non homo à Deo susceptus, vt alter præter ipsum, neq; enim hominem assumpsit Dei filius, vt esset alter præter ipsum, sed Deus existens perfectus, factus est simul & homo perfectus.* Ex quibus verbis licet colligere ea ratione negasse Patres Deum assumpsisse hominem, si ex affirmatione intelligeretur, fore, vt filius Dei, & filius hominis essent alter & alter, quod erat dogma Nestorianum in ea Synodo damnatum: id autem planè intelligitur, si homo in ea locutione propriè sumatur, hoc est, pro habente naturam humanam: non poterat enim Deus assumere habentem naturam humanam, nisi homo assumptus esset alter à Deo assumente, siquidem assumens & assumptus idem esse non possunt.

*Deus nõ potuit assumere hominem nisi Deus & homo alter & aliter essent.*

*Duplex expositio impropriæ locutionis.*

DVOBVS ergo modis exponit Sententiarum Magister,[a] & post eum D. Thomas impropriam hanc & figuratam veterum locutionẽ. Vnus est, vt homo impropriè sumatur pro humana natura, quæ sola formaliter significatur hominis vocabulo, tametsi per modum per se subsistentis. Hanc ob causam vix vnquã à Patribus dictum est Deum assumpsisse hunc hominem, quod hic homo non significet formaliter solam hanc humanitatem, sed ipsam quoque personalitatem. Sicubi autem dicunt assumpsisse hunc hominem, vt Athanasius in Euangelio de sanctissima Deipara: eodem modo id exponendum est, nempe hunc hominem pro hac humana natura, minimè tamen vsurpandum. Iuxta hunc exponendi modum intelligendum est id quod Cyrillus Alexandrinus in Ioannem scribit: *Christum assumpsisse totum hominem.* Non enim accipit totum hominem pro tota persona humana, sed pro tota humana natura, vt doceat Verbum diuinum assumpsisse non corpus solum, vt Apollinaris hæreticus dicebat, sed corpus simul & animam, ex quibus tota humana natura constat. Alter modus exponendi est, vt assumptio sumatur pro termino assumptionis, ita vt cum Deus dicitur assumpsisse hominem, sensus sit: terminasse assumptionem ad hoc, vt esset homo, atque adeò hic singularis homo.

*Deus assumpsit hunc hominem, quo pacto accipiendum.*

[a] *Magister 3. sent. d. 5. D. Tho. 3. p. q. 4. art. 3. Eodem modo eam interpretatur D. Ansel. lib. de incarnat. Verbi, c. 5. habetur 3. tomo operum Athanasij. Cyrill. Alex. li. 7. in Ioannem c. 7. in illa verba.* Propterea me Pater diligit, quia ego pono animam meã vt iterũ sumam eam.

HÆC adeò certa sunt, vt etiamsi vera esset impugnata: istorum opinio de connotatione, quam fingunt in homine, qualis est in albo, nunquam tamen propriè dici posset Deum assumpsisse hominem. Nam nec propriè dicimus Socratem accepisse album, cum factus est albus, nisi aut album pro albedine sumatur, aut sensus sit, terminatam esse actionem ad hoc, vt Socrates esset albus: ita patet nihil efficere argumenta pro impugnata opinione.

*Explicatio quæstionis, & solutio argumentorum negatiuæ partis.*

## SECTIO V.

*Christus vt hic homo est verè ac propriè prima substantia.*

DICENDVM igitur Christum Dominum, etsi quatenus hic homo est, includit diuinam personalitatem, vt contra Gabrielis & Almaini sententiam ostendimus, & initio quæstionis in omnibus argumentis negatiuæ partis rectè sumptum & probatum est: tamen hac ratione spectatum esse verè ac propriè primam substantiam prædicamentalem.

*Prima ratio.* PRIMVM quia Christus Dominus vt est perfectus Deus, ita & perfectus [a] homo, quod habes in pleriſque Conciliis, & in Symbolo Athanaſij: cùm igitur ita ſit Deus, vt ſit prima ſubſtantia extra, vel potiùs ſupra omnia Prędicamenta etiam ſubſtantiæ, non dubium eſt, quin ita ſit homo, vt prima ſubſtantia in Prædicamento ſubſtantiæ: ſola enim hæc apud nos eſt perfecta ſubſtantia.

*Secunda.* DEINDE quia etſi nomen Chriſti, aut (quod ab Angelo [b] vocatum eſt) nomen Ieſu ſignificat Deum & hominem, quod totum apud [c] Eſaiam, Euangeliſta [d] Matthæo interprete, indicat Emanuelis vocabulum (vnde Cyrilli Alexandrini ſententia eſt, tria hæc nomina, Chriſtus, Emanuel, & Ieſus ex vi ſignificationis tantūdem valere, vt ſcribit in libro [e] de Incarnatione vnigeniti) tamē aliquando ſumitur pro ſuppoſito diuino nulla ratione habita naturæ humanæ, ſed ſolius diuinæ, vt apud Ioannem [f] cùm Chriſtus Dominus dicit: *Antequam Abraham fieret, ego ſum*, & apud Paulum [g] ad Hebræos, cùm ait Chriſtum Ieſum ab æterno fuiſſe, & in æternum fore (id enim ſignificant verba illa: *Chriſtus Ieſus heri & hodie, ipſe & in ſæcula*) & in Canonica [h] Iudæ, vbi Ieſus dicitur Iſraeliticum populum à ſeruitute Pharaonis liberaſſe. Poteſt igitur pari ratione accipi, quemadmodum & ſæpè accipitur pro eodem ſuppoſito, non quatenus ſubſiſtit in natura diuina, ſed ſolùm quatenus ſubſiſtit in humana, quo pacto ſumitur quandocumque ei tribuuntur purè humana, vt naſci ex muliere, pati, mori, & ſimilia. Hac autem ratione non dubium eſt, quin ſit prima ſubſtantia prædicamentalis.

*Nomē Chriſti & Ieſu quid ſignificent.*

*Nomen Ieſus qua ratione diſtinguatur à nomine Chriſtus.* QVOD ſi hoc nomē Ieſus ea ratione diſtinguitur à nomine Chriſti, quod Chriſtus ſignificat ſubſiſtentem in vtraque natura diuina vngente & humana vncta, aut regis ſummi & ſacerdotis. Ieſus autem ſolum hoc, ſubſiſtentem in natura humana, vt D. Thomas ſcribit in 3.p.q.16.art.5. (quod ea ratione verum eſt, ſi ſolius naturæ ſignificatæ ratio habeatur: ſiquidem nomen Chriſti ſignificat vtramque naturam in diuino ſuppoſito, nomen autem Ieſu humanam in diuino) multò clariùs eſt, Chriſtum Dominum quatenus ſignificatur nomine Ieſu primam eſſe ſubſtantiam prædicamentalem.

*3. Concretū & abſtractū ad idem prædicamentū quemodo pertineant.* TERTIÒ quia concretum & abſtractum ad idem Prædicamentum ſpectant, niſi quod concretum in prædicamentis accidentium ponitur ſecundaria ratione, in prædicamento autem ſubſtantiæ primaria, vt ſuperiùs traditum eſt. Cùm igitur hic homo ſit concretum huius humanitatis, & hæc humanitas ponatur in Prædicamento ſubſtantiæ ſecundaria ratione, non dubium relinquitur, quin Chriſtus Dominus, quatenus hic homo primaria ratione ponatur ſub homine in Prædicamento ſubſtantiæ, ac proinde ſit vna è primis ſubſtantiis Prædicamentalibus. *Cap.7 q.5. Sect.5.*

*4. Infinitatem diuini ſuppoſiti nō obſtare quominus* POSTREMÒ quia ſi quid obſtaret quo minùs Chriſtus Dominus, quatenus hic homo eſt, ſubiiceretur homini, vt indiuiduū ſuæ ſpeciei illud maximè eſſet quia includit formaliter diuinam verbi perſonalitatem, quæ increatæ & infinitæ perfectionis eſt: at hoc nō obſtat, quia ens increatæ & infinitæ perfectionis, ideò dicitur non habere locum in præ

a *Lege Cyril. in ſua apologetico. Damaſc. lib.3.fid. Ortho.c.7. Leonem Papam in reſcripto ad Flauiā in Conſtantinopolitanū Epiſcopum epiſt. 10. Euthym. p.1.ſuæ Panoplię, tit.7.*
b *Lucæ 1.*
c *Eſaiæ 7.*
d *Cap.1.*
e *Cap.2.*
f *Ioan.8.*
g *Cap.vlt.*
h *Ad imitū.*



in prædicamentis, quia nulli enti finitæ perfectionis (qualia ſunt omnia genera & ſpecies) eſſentialiter & quidditatiuè ſubiici poteſt. At non ſequitur perſonalitatem verbi ſubiici quidditatiuè alicui generi aut ſpeciei ſubſtantiæ, ſi ex ea formaliter homo aliquis conſtituatur, quandoquidem nec de humanis perſonalitatibus prædicatur quidditatiuè genus aliquod, aut ſpecies prædicamenti ſubſtantiæ, ſed ſubſtantia analogicè ſumpta, vt complectitur etiam ſubſtantias quæ per ſe in prædicamentis non ponuntur. Accedit quod etſi perſonalitas diuina ex natura rei infinitæ perfectionis eſt, infinitæq; perfectionis perſonam conſtituit, tamen quia perſonalitas non eſt ratio ponendi perſonam in prædicamento, ſed natura rationalis quæ finitæ perfectionis eſt: nihil obſtat, quominus Chriſtus Dominus, quatenus perſona humanæ naturæ eſt, ſit prima ſubſtantia prædicamentalis. *Chriſtus in prædicamēto per ſe ponatur.*

ITA patet Chriſtum Dominum, quatenus hic homo eſt, eſſe primam ſubſtantiam prædicamentalem, nec obſtare rationes initio propoſitas pro parte negatiua, quominus id aſſerendum ſit. Nam etſi rectè ſumunt ac probant in illo, quatenus hic homo eſt, formaliter includi perſonalitatem diuinam, non inde tamen ſequitur negatiua quæſtionis pars, vt ex dictis manifeſtum relinquitur.

*D.Th.3.p.q.2.art.5. Alē. 3.p.q.6.mēb.2.artic.3.* DENIQVE ad illud Damaſceni: *in Chriſto Domino non eſſe communem ſpeciem accipere*, facilè reſpondetur cum D. Thoma, & Alenſi Alexandro ſenſum Damaſceni eſſe, non licere communem ſpeciem accipere ex natura diuina & humana veluti conflatam. *Damaſceni dictum exponitur.*

## *Quid dicendum de propoſitionibus, in quibus homo prædicatur de Deo purè accepto.*

## SECTIO VI.

QVANDO autem ex dictis conſtat, quid ſentiendum ſit de his propoſitionibus, Chriſtus eſt homo, Ieſus eſt homo, Hic homo (oſtenſo Chriſto Domino) eſt homo, quærat aliquis amplioris doctrinæ cauſa, quid dicendum de his propoſitionibus, Verbum diuinum eſt homo, Filius Dei eſt homo, Deus eſt homo, in quibus homo de Deo purè accepto prædicatur, ad quam dubitationem quatuor aſſertionibus reſpondendum eſt. *Quatuor aſſertionibus ſoluenda q.*

*1.lib. Poſter. c.4.tex.9. Hæc ſentētia eſt Scoti in 3. d.7.q.1.ar.5. Durand.ead. diſ.q.1. ad 2. Marſil. in 3. q.6. in ſolut. argumenti.* PRIMA ſit, eſſe contingentes, hoc eſt, non neceſſarias, quod ſatis apertum eſt, cum ante incarnationem, & in triduo mortis Chriſti falſę fuerint, alias autem veræ. *1. Aſſertio.*

SECVNDA, non eſſe per ſe iis duobus modis, quibus Ariſtoteles diſtinguit eas propoſitiones per ſe, quæ in demonſtratione vſurpantur: hæc aſſertio æquè perſpicua eſt atque prima, tum quia propoſitæ enunciationes non ſunt neceſſariæ, vt ex illius probatione patet; tum etiam quia in nulla earum prædicatum eſt de ratione ſubiecti, aut ſubiectum de ratione prædicati.

TERTIA,

TERTIA, nihilominus postquam Deus est homo, has duas propositiones, Verbum diuinum est homo, filius Dei est homo, esse quodã singulari modo per se, & noua etiã appellatione substantiales. Quod sint per se, & non per accidens, ex eo probatur, quia in propositionibus per accidens, aut neutrum extremum, aut alterum tantum ex formali ratione sua sibi vendicat subsistẽtiam per se: neutrum, vt in hac album est dulce: neutrum enim formaliter est per se subsistens. Alterum tantum, vt in hac: lac est albũ, quod solum subiectum pro singulari lacte sumptum formaliter habet, vt per se subsistat. At in propositis enunciationibus vtrumque subsistit per se, & Verbũ diuinum seu filius Dei & homo: idque vna & eadem omnino subsistentia, accedit quod filius Dei & homo, etsi non sunt vna per se natura: sunt tamen vna per se hypostasis ac persona. Quod verò eædem propositiones sint substantiales, & non accidentales: ex eo probari potest, quia talis est prædicatio, qualis est vnio formę significatæ per prædicatum cum subiecto: at vnio naturæ humanæ cum Verbo diuino nõ est accidentalis, sed substantialis quod sæpe à Patribus definitum est, vt in Concilio Constantinopolitano 2. quod fuit generale quintum, canone 5. Hoc autem sic intelligunt, vt velint filium Dei & filium hominis per incarnationem esse vnum, non auctoritate sola, non adoptione, non gratia tantum gratum faciente, sed substantia vtrique communi, hoc est, identitate hypostasis, vnde à Scholasticis vnio hæc hypostatica appellata est. Accedit quod hęc propositio, filius Dei est homo, non pronunciat de filio Dei accidens aliquod, vt patet, nec substantiam per modum accidentis, vt cum dicimus: hoc lignum est auratum, sed substantiam per modum substantiæ, seu subsistentis per se.

*In propositionibus per accidens, vt se habeant extrema.*

*Obiectio contra 2. conclusionem.*

QVOD si quis obiiciat, quicquid aduenit substantię siue hypostasi post esse completum & perfectum; aduenit ei accidẽtaliter (quod est dogma Physicum apud Aristotelem) humanitatem autem aduenisse verbo diuino habenti ab æterno completum ac perfectum esse: igitur aduenisse ei accidentaliter: ac proinde nunc propositionem hãc, verbum diuinum est homo, esse accidentalem. Distinguendum est antecedens. Nã si id quod aduenit hypostasi, adueniat ei per inhærentiam aut quasi inhærentiam, vt Socrati genito calor aut indumẽtum (quo pacto Aristoteles intelligendus est) accidentaliter ei euenire non est dubium, at si illi adueniat, vt noua natura, ita vt pertineat ad nouam eiusdem hypostasis cõstitutionem (quod fieri posse nũquam Ethnici Philosophi cogitarunt) non aduenit ei accidentaliter. Atque hoc pacto aduenisse naturam humanam verbo diuino docet Orthodoxa fides: quippe cùm natura humana attulerit verbo diuino non esse humanum per circumpositam & quasi indutam humanitatem, nec quouis alio pacto per modum adiacentis & denominantis, vt dicunt ij qui volunt nomen Iesu esse connotatiuum aut denominatiuum verbi diuini (est enim hic modus conueniendi accidentarius, & non substantialis) sed attulerit ei esse hominem, quod est esse substantiale, verè ac propriè ad Prædicamentum substantiæ pertinens. In hoc idem redeunt duæ responsiones Diui Thomæ ad propositum argumentum

*Solutio.*

*Exponitur Aristoteles.*

*Colligitur ex 1. Phys. c. 8. à textu 75. & vsurpatur à D. Tho. 3. p. q. 2. ar. 6. & in 3. d. 6. q. 3. ar. 2. & de Spiritualib. creaturis artic. 2. & q. de Anima art. 1. & aliis in locis.*



mentum 3. parte quæst. 2. art. 6 & 4. contra Gent. 49. Vnde colligo, etsi contingentia repugnat propositionibus per se, & substantialib. vt ab Aristotele explicantur, non repugnare tamen huic generi propositionum absolutè sumpto.

*Contingentia vt repugnent propositionibus per se.*

QVÆRAT porro aliquis, Num quemadmodum hæc propositio, Filius Dei est homo dicitur per se, & substãtialis post incarnatioem diuini Verbi, ita etiam dici possit essentialis & quidditatiua. Ad quã dubitationem negatiuè respondendum est. Nã cùm essentiæ, & quidditatis nomina non significent hypostasim, siue suppositum, sed naturam: si proposita enunciatio post diuini Verbi incarnationem diceretur essentialis, aut quidditatiua, significaretur haud dubiè, naturam humanam pertinere ad constitutionem naturæ & quidditatis diuinæ, quod est omni, vt sic dicam, falsitate falsius. At cùm substantiæ vocabulum in prima significatione significet hypostasim seu suppositum, vt patet ex contextu huius capitis, sanè cùm dicimus hãc propositionem, Filius Dei est homo, esse substantialem, in eo sensu id possumus accipere, vt humanitas assumpta intelligatur pertinere ad cõstitutionẽ hypostasis Verbi diuini, non quoad eius esse simpliciter, sed quoad esse huius hominis, vt ait D. Th. in loco citato, quod est verissimum.

*Dubitatio.*

*Solutio.*

QVARTA assertio sit, etiam hanc propositionem, Deus est homo, post diuini Verbi incarnationem non esse per accidens, sed per se; nec accidentalem, sed substantialem, verùm non primò, sed ratione Verbi diuini, pro quo subiectum accipitur, & propositio verificatur, quòd autem non sit per accidens ex eo patet, quia vtrumque extremum habet subsistentiam per se, eámque vnam & eandem, quòd verò non sit accidentalis ex eo constat, quia vnio formæ significatæ per prædicatum cum eo, pro quo accipitur subiectum, non est accidentalis, sed substãtialis, vt patet ex dictis, quòd denique non sit talis primò, sed ratione Verbi diuini, ex eo constat, quia si Deus non modo per se & substantialiter esset homo sed etiam primò, Pater quoq; esset homo, & Spiritus sanctus etiã, quod nũc falsum & hæreticũ est.

*4. Assertio. Propositio. Deus est homo, post incarnationem non est per accidens, sed per se.*

SED contra hanc assertionem sic licet obiicere: Omnis propositio per se est vera cũ reduplicatione subiecti, at hæc propositio Deus est homo, non est vera cum reduplicatione subiecti, quia si Deus, quatenus Deus, esset homo, quicquid est Deus esset homo, sicq; Pater esset homo, itémque Spiritus sanctus, immo & quælibet diuina persona semper fuisset homo: cùm hæc igitur dici non possint, efficitur, vt hæc propositio Deus est homo, etiam post diuini Verbi incarnationem non sit propositio per se.

*Obiectio contra quartam conclusionem.*

HVIC obiectioni dicere aliquis posset, etsi omnes propositiones quæ sunt per se primò, sunt veræ cùm reduplicatione subiecti, tamen in cæteris non semper id accidere. Quamquam enim illæ, in quarum subiectis formaliter includuntur subiecta earum, quæ sunt per se primò, sint etiam verę cum reduplicatione subiecti, vt si dicas, homo est sensus particeps (rectè enim dicimus hominem, quatenus homo est, esse sensus participem, nempè ratione naturæ animalis, quam formaliter includit) tamen illæ, in quarum subiectis non includuntur formaliter

*Dilutio minus probata.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



maliter subiecta earum, quæ sunt per se primò, non sunt veræ cum reduplicatione subiecti, exempli caussa, etsi hæc propositio est per se, Animal est rationis particeps, tamen quia homo, cui primò conuenit esse rationis participem, non includitur formaliter in ratione animalis, ideo dicere non licet animal, quatenus est animal, esse rationis particeps. Verùm quia de hac propositione, Verbum diuinum est homo, quam ponimus & esse per se, & per se primo, eadem est dubitatio, (si enim Verbum diuinum, quatenus Verbum diuinum est, esset homo, semper vtique fuisset homo) aliter respondendum est.

*Germana obiectionis solutio.*

DICENDVM igitur hoc verbũ *quatenus* non posse adhiberi subiectis omnium propositionũ per se, etiam si primò sint per se: sed iis tantùm, quæ & sunt de omni, & in eis vel prædicatum est de ratione subiecti, vel subiectum, aliquidue inclusum in subiecto est de ratione prædicati, de quibus solis locutus est Arist. idẽ enim est *quatenus* atq; qua ratione. Quare cùm nec homo sit de ratione Dei, aut Verbi diuini nec Deus, aut Verbum diuinum de ratione hominis, quo pacto Arist. rationem intelligit, cùm de his propositionibus agit, non est necesse, vt si hæ propositiones Deus est homo, Verbum diuinum est homo sint per se, continuò sit concedendum esse veras cum reduplicatione subiectorum: Sunt enim alio inusitatóq; modo, ac mirabili, & per se, & substantiales, nempè secundum vnitatem subsistẽtiæ personalis: quæ vnitas inter diuersas naturas substantiales, & completas non inuenitur nisi in Christo Domino, neque vnquam à nobis crederetur, nisi intelligeremus potentiã Dei esse infinitã, & cui nihil impossibile est, vt meritò de ea vnitate præcipuè intelligendũ sit illud Augustini. *In rebus mirabiliter factis, totam rationem facti esse potentiã faciẽtis.*

*1. lib. Poste. c. 4. tex. 9.*

*In Epist. ad Volusianum.*

*Propositio Deus est homo quare non dicatur cum reduplicatione subiecti, etiamsi sit per se.*

*Nũ homo sit vniuersale respectu Verbi diuini, aut etiam Dei.*

QVÆRAT demum aliquis, num homo respectu Verbi diuini, aut etiam Dei, vt communis est tribus diuinis personis, habeat rationem alicuius vniuersalis, nec ne. Quòd enim habeat, ea ratione constare videtur, quia etsi non dicitur de pluribus eo modo, quo dicitur de Verbo diuino, tamen dici potest, idq; tanquam de pluribus hominibus, veluti si singulæ diuinæ personæ singulas humanitates assumerẽt: immo & de Deo & Angelo. si diuina potestate Angelus assumat naturam humanam ad suam subsistentiã, quod probabile credit Scotus, & alij nonnulli. Quod autem non habeat ex eo probatur, quia quinque vulgata prædicabilia vel prædicantur essentialiter, vel accidentaliter, homo autem nec essentialiter dicitur de Deo, vlláue persona diuina, nec accidentaliter, vt ex dictis patet.

*Esse vniuersale respectu diuini Verbi.*

AD hanc dubitationem primùm quidem dicendum est, hominem post diuinam incarnationem esse verè ac propriè vniuersale quiddã respectu Verbi diuini, quia ita nunc de illo naturali & directa prædicatione dicitur, vt eadem omnino ratione dici possit de aliis diuinis personis, & in eis numerari, id enim verum esse, rectè probatum est. Namque ad rationem vniuersalis satis est, si prædicatum dicatur actu de solo, dummodo eadem omnino ratione possit de aliis prædicari, vt patet in perfecto Oratore, si detur in mundo, isque sit vnicus.

DEINDE non habere, rationem veri vniuersalis respectu Dei, vt tribus



tribus diuinis personis communis est; quia ita nunc dicitur de Deo, vt eodem modo dici non possit de creatura vlla. Multò enim probabilius existimamus naturam creatam à nulla re subsistente, præterquam à Deo, assumi posse ad propriam subsistentiam, etiam diuina virtute, vt est D. Tho. & grauissimorum Doctorum sententia.

*Non tamen respectu Dei vt communis est tribus personis.*

TERTIO non esse genus, aut speciem, aut differentiam, aut proprium respectu Verbi diuini; tum quia non dicitur actu de aliis personis diuinis, cùm tamẽ hæc quattuor quatenus prædicabilia sunt, eius naturæ sint, vt actu dicantur de omnibus iis, de quibus, vt talia prædicari possunt; qua in re differunt ab accidente quinti prædicabilis, ad cuius rationẽ satis est, si habeat actu vnam partem subiectam, dummodo alias habere possit: tũ etiam quia etsi actu diceretur de plurib. diuinis personis, tamen quia nõ diceretur necessariò, vt nõ dicitur de Verbo diuino, nullius horũ quattuor prædicabilium rationẽ habere posset, vt quidẽ hæc à Porphyrio, aliisque Philosophis explicata sunt.

*Non esse vllũ ex quattuor primis Vniuersalibus respectu Verbi diuini.*

QVARTO, nec dicendum esse accidens quinti prædicabilis respectu Verbi diuini, siquidem vnio humanæ naturæ cum verbo diuino non est accidentalis, sed substãtialis, vt superiùs probatũ est. Quod si fas esset dicere, omnẽ prædicationem cõtingentem esse accidentalẽ, & omne prædicabile contingens esse accidens quinti prædicabilis, vt ethnici Philosophi crediderunt, (qua ratione illi adæquatam esse diuisionẽ prædicabiliũ in quinque vulgata putauerunt) tum demũ dicere possemus, hominem respectu Verbi diuini ad hãc prædicabilis speciem pertinere. At cum & apud Philosophos, & apud Theologos nihil censeatur dici accidentaliter de supposito, & esse accidẽs illius, si ad eius esse substantiale hypostaticũ, siue suppositale pertineat, nefas est dicere siue apud Philosophos (re intellecta) siue apud Theologos, hominem esse accidẽs quinti prædicabilis respectu Verbi diuini.

*Neque accidens quinti prædicabilis.*

*Hominem respectu Verbi diuini pertinere ad nouã quandam speciem prædicabilis.*

DENIQVE dicendum est, hominem respectu Verbi diuini pertinere ad nouam quamdam speciem prædicabilis; genera autem superiora hominis, differentiasque eius constitutiuas ad alias quasdam itidem nouas. Hæc enim omnia contingenter prædicantur de Verbo diuino, vt simpliciter ad tria prima Porphyriana prædicabilia pertinere nequeant. Dicuntur etiam substãtialiter, vt in duobus extremis, quæ accidentaliter dicuntur, non comprehendantur; Et tamen ipsa inter se collata nõ eodem modo prædicantur de Verbo diuino, vt vnam duntaxat speciem prædicabilis conficiant. Nec mirũ, quod nouæ species mundo aduenerint cum nouo esse substantiali, quod Verbum diuinum pro mundi salute susceperit, quod nec auditum Ethnicis Philosophis erat, nec cogitatum: Possunt igitur assumptiua prædicabilia, vniuersaliáque appellari, homo quidẽ assumptiua species, eius verò genera & differentiæ constitutiuæ, assumptiua genera & differentiæ, quod per solam assumptionem humanæ naturæ actu dicantur de Verbo diuino, potentia verò de cæteris personis.

*Nouæ species cum nouo esse substantiali admittuntur.*

DE propriis & accidentibus naturæ assumptæ, alia ratio est. Nam etsi pari ratione ad nouas species videantur spectare, nempe proprij assumptiui, & assumptiui accidẽtis: re tamen vera ad vulgatã acciden-

*Propria & accidẽtia naturæ assũptæ ad vulgatam*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Speciem accidentis pertinere.*

tis speciem vtraque pertinent, cùm & contingenter dicantur de Verbo diuino, & accidentaliter, hoc est, nec essentialiter, nec substantialiter, siue hypostaticè; Et eodem modo dici possent de Patre & Spiritu sancto, si singulas humanitates assumerent. Idem porrò dicendum est de donis gratuitis supernaturalis ordinis, vt gratiæ, gloriæ, virtutúmq; supernaturalium, quod & contingenter dicantur de iis, quib. conferuntur; & accidẽtaliter, siue nec essentialiter, nec substãtialiter.

*Quæsitum.*

SED quærat aliquis, quo pacto & homo, & eius genera prædicentur de Verbo diuino, seu de filio Dei purè accepto, cum non prædicentur de eo in quæstione. Quid est, siue quidditatiuè. Quo itẽ modo differentiæ constitutiuæ hominis, cùm non prædicentur de illo in quæstione. Quale est essentialiter, vt ex dictis patet.

*Soluitur. Homo de filio Dei prædicatur in quæstione quis est.*

AD quam dubitationem dicendum, etsi homo superioráque eius genera non prædicantur de filio Dei in quæstione Quid est, tamen prædicari in quæstione Quis est, seu quænam persona est, & (vt generalius dictã) quod nam suppositũ est: Quæ quæstiones, cùm solam substantiam quærant, & eam totam; non dubium est; quin complectantur omnia, non tantùm quæ prædicantur quidditatiue de supposito, sed etiã substantialiter. Similiter etsi differentiæ cõstitutiuæ hominis non prædicantur de Verbo diuino in quæstione Quale est essentialiter, tamen

## CAPITIS NONI EXPLANATIO.

*Eiusdem, & diuersi varia genera.*

EADEM vero. Quoniam idem, & diuersum cernuntur in substantia rerum, exposita multiplicitate substantiæ tradit Arist. varia genera eiusdem, & diuersi, ac primum quinque genera eiusdẽ per accidens, tria in simplicibus, & duo in compositis. Namque in simplicibus duo dicuntur idem, aut quia eidem subiecto accidunt, vt album & musicum, aut quia id quod prædicatur, accidit ei, quod subiicitur, aut cõtra id, quod subiicitur, ei quod prædicatur, quibus modis dicimus extrema harum enunciationum. Homo est musicus, Musicum est homo, esse eadem per accidens. In compositis autem, vt pote cùm subiectũ, & accidens in eodem extremo iungũtur, duobus modis euenit idẽtitas: Vno si compositum subiiciatur, vt si dicas Homo musicus est homo, vel est musicus: alterum si compositum prædicetur, vt si dicas, homo vel musicũ est homo musicus. Prætermisit autem Aristotel. alios duos modos, qui fingi possent, cùm duo accidentia iunguntur in eodem

ΚΕΦ. Θ'

Text. 16.

ΑΥΤΑ [a] δὲ λέγεται. τὰ μὲν κατὰ συμβεβηκὸς, οἷον τὸ λευκὸν καὶ τὸ μουσικὸν τὸ αὐτό, ὅτι ᾧ αὐτῷ συμβέβηκε, καὶ ἀνθρώπῳ καὶ μουσικὸν, ὅτι θατέρῳ θατέρῳ συμβέβηκε. τὸ δὲ μουσικὸν καὶ ἄνθρωπον, ὅτι τὸ μουσικὸν ᾧ ἀνθρώπῳ συμβέβηκε. ἐναντίον [b] δὲ τοῦτο, καὶ τοῦτο ἑκατέρῳ ἑκατέρου. καὶ γὰρ ᾧ ἀνθρώπῳ ᾧ μουσικῷ, καὶ ὁ ἄνθρωπος, καὶ τὸ μουσικὸν ταὐτὸν λέγεται. καὶ τούτοις ἐπὶ πλεῖον, διὸ [c] καὶ ταῦτα πάντα καθόλου λέγεται, ἀεὶ γὰρ ἀληθὲς εἰπεῖν, ὅτι πᾶς ἄνθρωπος ταὐτὸ καὶ μουσικόν: τὰ μὲν καθόλου, καθ' αὑτὰ ὑπάρχει, τὰ δὲ συμβεβηκότα, οὐ καθ' αὑτὰ, ἀλλ' ἐπὶ τῶν καθ' ἕκαστα ἁπλῶς λέγεται. ταὐτὸ γὰρ εἶναι φαμὲν Σωκράτην καὶ Σωκράτης μουσικός: τὸ γὰρ Σωκράτης



ter, tamen prædicari in quæstione Quale est substantialiter, cum ipsę etiam ad constitutionem suppositi humanæ naturæ, qualecumque illud sit, pertineant. Nisi quod homo, & superiora eius genera prædicantur de illo per modum substantiæ, differentiæ verò eius hominis constitutiuæ per modum qualitatis substantialis, denominantis nimirum genericam aliquã naturam ad constitutionem humanæ naturæ pertinentem. Itaque quærenti quisnam sit filius Dei, æquè responderi potest esse hominem in diuina natura subsistentem, atque esse Deum subsistentem in humana, cum ita verè sit vterius, atque alterius naturæ suppositum. Quærenti autem qualis nam sit secundum qualitatẽ aliquam substantialem, nempe omnes accidentales præuementem, optime respondetur, esse rationalis naturæ, sensitiuæ, viuentis, & corporeę. Atq; hę prędicãdi rationes satis sunt ad rationes assumptiui generis, assumptiuæque speciei & differentiæ, quæ omnia contingenter prædicantur, etsi satis nõ sint ad rationes vulgati generis, vulgataq; speciei & differentiæ, quę prędicantur necessario, ac essentialiter, & partim etiam quidditatiuè. Itaque assumptiuum genus dici potest, quod prædicatur contingenter de differentib. specie in quęstione Quodnam suppositum est: species assumptiua de differentibus numero: assumptiua autẽ differentia de pluribus in quęstione Quale est substantiali. Atque hęc de prędicamento substantię dicta sint.

eodem extremo; quia duo accidentia nunquam iunguntur, nisi ratione alicuius tertij, quod vtrique subsit.

b *Est autem hoc.* Id est, compositum ex subiecto, & accidente, idem est per accidens quod vtrumque separatim, & vicissim illa separatim accepta idem sunt, quod compositum, vt mox exponitur. Aduerte autem hoc loco etsi ex vtraque parte dici possit vnum esse idem alteri, & subiectum videlicet prędicato, & prędicatum subiecto, melius tamen dici, subiectum esse idem prædicato, quàm prędicatum subiecto.

## CAPVT IX.

*Text. 16.*

EADEM [a] *verò alia dicuntur per accidens, quo pacto album & musicum idem sunt, quia eidem accidunt; & homo ac musicum, quia alterum alteri accidit; musicum autem & homo, quia musicum accidit homini. Est* [b] *autem hoc idem quod vtrumque, & vtrumque illorum idem quod hoc: nãque idem quod homo musicus, & homo & musicũ dicuntur, & idem quod hæc illud. Quocirca* [c] *& hæc omnia vniuersè non dicuntur. Neque enim verè dixeris omnem hominem, & musicum idem esse; vniuersalia enim per se insunt, accidentia verò non per se, sed in singularibus simpliciter dicuntur. Idem enim videtur esse Socrates, & Socrates musicus, cùm verbum Socrates*

c *Quocirca & hæc.* Colligit ex dictis ea, quæ dicuntur idem per accidẽs non dici vniuersè, siue enũtiatio efferatur de vniuersalibus, siue de singularib. De vniuersalibus quidem, quia ea sola quæ dicũtur per se de vniuersalibus, dicuntur de illis vniuersè, vt cum dicimus omnem hominẽ esse animal, aut risus capacem. Hinc enim fit, vt non verè dicamus omnem hominẽ esse musicum. De singularibus autem, quia licet ea quæ per accidens dicuntur, dicantur simpliciter de singularibus, hoc est, non ratione alicuius partis subiectæ, seu (quod in idem redit)

sine signo particulari, tamen propterea non dicuntur vniuersè, quia singularia non prædicantur de pluribus, neque illis ob eam caussam rectè præponitur signum vniuersale, vt in libro de interpretatione dictum est. Hinc habes omnem enunciationem vniuersalem esse per se, de qua re quia Dialecticis non parum exhibet difficultatis, propria disputatione differendum esset, si locus daretur.

*Omnem enũciationem vniuersalẽ esse per se.*

d *Alia autem per se, quemadmodum & ipsum vnum.* Tradita distinctione eiusdem per accidens, distinguit eadem per se, quorum tot genera esse dicit, quot sunt vnius per se. Vnde colligit, identitatem esse quandam vnitatem, id est, fundari in quadam vnitate, quæ est vnitas substantiæ, siue essentiæ, quo pacto similitudo dici potest vnitas accidentariæ qualitatis, & æqualitas vnitas quantitatis, in sensu nimirũ caussali. Neq; enim hæc sunt formaliter vnitates, sed relationes quædam fundatæ in vnitatibus prædictis.

*Identitatem fundari in vnitate.*

c *Aut cum quis vno.* Hinc patet identitatem eiusdẽ ad se ipsum esse relationẽ rationis, quia extrema nõ sunt re ipsa diuersa, sed ea tantũ ratione distinguuntur, quia intellectus eodem vtitur vt duobus, veluti cum dicitur Socrates est Socrates, vel hic homo est sibi ipsi amicus. Atque hac quidem ex parte alia ratio est in ea identitate, qua duo indiuidua sunt idẽ specie, & in ea, qua duæ species sunt idem genere, quas D. Thomas hoc loco, & alij plerique putat esse reales, cum extrema realiter distinguuntur: idem potiori ratione dicturi de entitatibus, quibus diuersæ species aut genera, sunt idem analogicè. Verùm nos, quia huiusmodi relationes conueniunt rebus etiam non existentibus, credimus potius esse relationes rationis, vt quarto [a] libro diximus, & hoc ipso [b] latius explicabimus.

*Identitas eiusdem ad se, est relatio rationis.*

Σωκράτης δὲ ἐπὶ πολλῶν. διὸ, ὃ πᾶς Σωκράτης λέγεται, ὥσπερ πᾶς ἄνθρωπος. καὶ τὰ μὴ ὅτως λέγεται ταὐτά.

Τὰ [d] δὲ καθ' αὑτὰ, ὥσπερ καὶ τὸ ἓν, καὶ ὧν ἡ ὕλη μία, ἢ εἴδει, ἢ ἀριθμῷ, ἢ γένει ταὐτὰ λέγεται: καὶ ὧν ἡ οὐσία, ὥστε φανερὸν, ὅτι ἡ ταυτότης ὁμότης τίς ἐστιν, ἢ πλειόνων τὲ εἶναι ἢ [c] ὅταν χρῆται ὡς πλέοσιν, οἷον ὅταν λέγῃ αὐτὸ αὑτῷ ταυτόν: ὡς δυσὶ γὰρ χρῆται αὐτῷ.

Ἕτερα [f] δὲ λέγεται, ὧν ἡ τὰ εἴδη πλείω, ἢ ἡ ὕλη ἡ ὁ λόγος ἡ οὐσίας: καὶ ὅλως ἀντικειμένως τῷ ταὐτῷ λέγεται τὸ ἕτερον. Διάφορα [g] δὲ λέγεται, ὅσα ἕτερά ἐστι τὸ αὐτό τι ὄντα, μὴ μόνον ἀριθμῷ, ἀλλ' ἢ εἴδει, ἢ γένει, ἢ ἀναλογία. ἔτι [h] ὧν ἕτερον τὸ γένος: καὶ [i] τὰ ἐναντία: καὶ [k] ὅσα ἔχει ἐν τῇ οὐσίᾳ τὴν ἑτερότητα.

Ὅμοια [l] λέγεται, τὰτε ταῦτὸ πεπονθότα: καὶ τὰ πλείω τἀυτὰ πεπονθότα ἢ ἕτερα, καὶ ὧν ἡ ποιότης μία: καὶ καθ' ὅσα ἄλλοιόω ἕν ἐστι καὶ ἔχεται τῶν ἐναντίων, τούτων τὸ πλέω ἔχον, ἢ κυριώτερα ὅμοιον τούτῳ, ἀντικειμένως δὲ τοῖς ὁμοίοις τὰ ἀνόμοια.

*D. Tho. lect. 11. Alens. & alij nonnulli.*

*Genera diuersorum.*

f *Diuersa dicuntur ea, quorum aut species plures sunt.* Distinxit eadem, nunc distinguit diuersa, quæ sunt illis opposita, traditque tria genera diuersorum, nempe specie, materia, id est, numero, & ratione definitiua substantiæ, siue essentiæ, etiam si sit generica: vt hic contineantur diuersa genere, specie, ac numero. Ne autem sit opus alia diuersorum genera enumerare; addit, tot modis dici diuersa, quot dicuntur eadem.

*Differentiũ. quattuor genera. Primum.*

g *Differentia verò.* Cùm omnia differentia sint diuersa, non autem omnia diuersa differentia (nisi impropriissimè sumpto differentium vocabulo) tradita distinctione diuersorum, subdit distinctionem differentium in quattuor genera. Alia enim dicuntur differentia, quia cùm aliquid idem sint siue numero, siue specie, siue genere, siue analogia, tamen in aliquo diuersa sunt, vt Socrates sedens, & idem aliàs stans, vt hic homo & ille, vt equus & bos, vt ens absolutum & relatum, quæ est D. Thomæ expositio, atque ex hoc genere sola priora tria membra sunt propriè differentia, quia in iis tantum ea, in quibus diuersa conueniunt, sunt simpliciter eiusdem rationis in vtroque extremo. Alexander hunc in modum interpretatur verba illa, *non numero solum* modo non sint eadem

*Lect. 12.*

*Commen. 16.*

numero:



numero: itaque negabit Socratem senem differre à se ipso puero, quod tamen omnes Dialectici cum Porphyrio concedunt in Isagoge.

*Cap. de differentia.*

h *Ea item, quorum diuersum est genus.* Tradit secundum genus differentium, quæ impropriissimè dicuntur differentia, ea verò sunt, quæ ita sunt diuersa genere, vt in eis quatenus talia dicuntur, nec analogica quidem conuenientia cernatur, vt animal, & color, si vtrumque casu, & ob nullam conuenientiam eodem nomine appellentur. *Secundum.*

*Vt lib. 7. Metaphor. ca. 12. text. 42.*

i *Et contraria.* Addit tertium genus differentium, quod non tantùm complectitur species contrarias, quæ tertio membro primi generis comprehensæ sunt, sed etiam differentias eiusdem generis, quas Aristoteles sæpè vocat contrarias. *Tertium.*

*Socrates in pluribus non dicatur. Vnde fit, vt nemo dixerit omnis Socrates, quemadmodum dicitur Omnis homo. Atque hæc quidem hunc in modum dicuntur eadem.*

*Alia* [d] *autem per se, quemadmodum & ipsum vnum. Nam & quorum materia est vna, ea aut specie, aut numero, aut genere dicuntur eadem, & quorum substantia vna. Ita perspicuum est, identitatem vnitatem esse quandam ipsius esse, aut plurium, aut* [c] *cum quis vno vt pluribus vtitur; veluti cum ipsum, idem quod ipsum esse dicitur, vt duobus enim ipso vtitur.*

*Diuersa* [f] *dicuntur ea, quorum aut species plures sunt, aut materia, aut ratio substantiæ; omninoq; diuersum opposito modo, atque idem dicitur. Differentia* [g] *verò dicuntur, quæcunq; diuersa sunt, cùm aliquid idem sint non numero solum, sed aut specie, aut genere, aut analogia. Ea item,* [h] *quorum diuersum est genus, &* [i] *contraria, &* [k] *quæcunq; in substantia diuersitatem habent.*

*Similia* [l] *dicuntur, & quæ idem acceperunt, & quæ pluribus eisdem, quàm diuersis affecta sunt; & quorum qualitas vna; & quod plura aut potiora ex iis contrariis habet, quibus fit alteratio, huic simile dicitur. Modo autem similibus opposito dicuntur dissimilia.*

*Lect. 12.*

k *Et quæcumque in substantia diuersitatem habent.* Hoc quartum genus differentium latissimè patet, quæcumque enim in substantia, essentiáue diuersitatẽ habent, ea sæpè dicuntur differentia, tametsi nec sint contraria, nec sub eodem genere cõtineantur, vt materia, & forma, essentia diuina, & humana. *Quartum.*

l *Similia dicuntur, & quæ idem acceperunt & quæ pluribus eisdem.* Annectit explicationi Eiusdem, & Diuersi, quæ dicuntur secundũ substantiam, essentiámve, distinctionem Similis, & Dissimilis, quæ dicũtur secundum qualitatem accidentariam. Nõ adiungit autem distinctionem Æqualis & Inæqualis, quia eius multiplicitas nõ est adhodum manifesta, vt D. Tho. annotauit. Tradit ergo quattuor genera similium. Vnum est eorum, quæ idem passa sunt, quòd fere accidit secundum qualitates, vt qui ex ægritudine pallorem, aut ruborem contraxerunt. Alterum eorum, quæ plura eadem quàm diuersa, vt duo fratres gemelli, qui vix internoscantur. Tertium eorum, quorum qualitas est eadem, siue eam per veram actionem acceperint, vt quæ dicta sunt, siue absque actione, vt Astra eiusdem natiui splendoris. Quartum eorum, quæ pluribus aut præstantioribus contrariis quibus fit alteratio affecta sunt, vt duo vina habentia eumdem colorem, odorem, & saporem; quo genere non dicuntur similia, quæ eumdem tantùm colorem habuerint, cum color in minus præcipuis affectionibus vini habeatur. Hinc quot, & quæ sint genera dissimilium facilè intelliges. *Similium genera quattuor.*

CAP-

## CAPITIS DECIMI EXPLANATIO.

*Oppositorum quattuor genera.*

POSITA a *dicuntur contradictio, contraria:* Quoniam opposita sunt quædam diuersa, distinguit hoc capite varia oppositorum genera, tum ad finem capitis exponit, quæ dicantur diuersa specie. Tradit ergo in primis quattuor vulgata genera oppositorum de quibus libro decimo disputabit.

*Duo alia genera oppositorum.*

b *Ea etiam.* D. Thomas existimat tradi hoc loco duo documenta, quibus cognosci possit, num quæ proponuntur vt opposita, sint verè opposita: vnum, si sint termini eiusdem motus mutationisue: alterum, si non possint simul esse in eodem susceptiuo. Sed quia hæc non satis cohærent cum ipso verborũ contextu, potius dicendum est, missa multiplici Alexandri expositione, tradi his verbis duo alia oppositorum communiora genera: vnum est extremorum siue terminorum mutationis: alterum eorum, quæ simul eidem susceptiuo vtriusque inesse non possunt, itaque in priori genere comprehenduntur cõtradicentia, contraria, & priuatiuè opposita, non omnia tamen, sed ea inter quę datur mutatio: neque enim omnia esse possunt mutationis extrema, vt perspicuum est. In posteriori genere vniuersè videntur comprehendi omnia contraria, & priuatiuè opposita, & quamplurima ex contradicentibus, & relatiuè oppositis. Vnde patet quo pacto hæc duo à quattuor vulgatis distinguantur. Quo loco aduerte, verba illa *generationes & corruptiones* pro iis ex quibus, & in quæ generationes & corruptiones procedunt accipienda esse, vt innuant exempla terminorum præcipuarum mutationum. Nisi liberius sic vertas periodum. *Ea etiam ex quibus, & in quæ vltima generationes (verbi gratia) corruptionesq; proficiscuntur*, quo fere modo interpretatus est Argyropylus, prætermisso verbo φιον.

*Medias qualitates nõ esse per se oppositas.*

c *Aut ipsa.* Hæc verba addita sunt propter medias qualitates, quæ constant virtute extremis contrariis. Quamquam enim mediæ non possunt simul inesse in eodem susceptiuo, non sunt, tamen per se oppositæ, siue comparatæ inter se, siue cum extremis, ex quibus constant. Itaque sensus est, ea quæ eidẽ susceptiuo vtriusque inesse non possunt, aut ipsa secundum se sunt opposita, vt albũ & nigrum, aut non sunt per se opposita, sed constant oppositis per se, veluti fuscum. Ideo n. fuscũ non potest esse simul cũ albo puro, quia constat albo & nigro, quę per se opponuntur. Addit tamen Aristo. quia media componuntur ex extremis, idcirco dici posse extrema opponi mediis, quia nimirũ ex parte media cõstant oppositis extremis. v. g. albũ purum posse dici oppositum fusco, quatenus fuscũ constat nigro, & sic in cæteris. Itaque docet his verbis, hæc etsi nõ sunt per se in hoc



hoc oppositum genere; posse tamen ad illud reuocari, quod idem intellige de mediis comparatis inter se, vt de fusco & viridi, quamquam minus proprie opponantur sibi inuicem quàm extremis.

*Contraria in duplici genere esse.*

d *Contraria dicuntur.* Tradit duo genera contrariorum, vnum per se, alterum per aliud, & vtrúmq; genus in varia membra dispertit. Cõtraria per se sunt, quæ ratione sui dicuntur contraria, vt calidum & frigidũ, per aliud, quę ratione aliorum, vt vis calefaciendi & refrigerãdi, quę in pluribus mistis rebus insunt. Contrariorum per se varia sunt genera: vnum eorũ quæ cum genere differant simul eidem inesse non possunt, vt agere ac pati idem: alterum eorum, quæ plurimum differunt sub eodẽ genere, vt album & nigrum sub colore: tertiũ eorum quæ in eodem susceptiuo plurimum differunt, vt sanum & ægrum in animali: quartum

*Contraria per se.*

eorũ, quę inter ea maximè differunt, quæ cadũt sub eamdem potẽtiam, facultatémve siue naturalem, siue aduentitiam, vt dulce & amarum sub gustatu, suasio & dissuasio sub Rhetoricam, aut Dialecticam: quintũ genus est eorum, quæ maximè differunt, aut simpliciter, vt album & non album (quo etiam membro Alexander complectitur priuatiuè oppositam, quia differunt vt entia & non entia) aut genere, vt substantia & relatio, aut specie, vt albũ & nigrũ, Elephas & Taurus, quod genus contrariorum latissimè omniũ funditur, cùm contradicentia etiam cõprehendat. Quod siquis obiiciat fieri non posse, vt contradicentia quoque hic comprehendantur, cùm sola entia dicantur differre: occurrendum est, verbum *differunt*, non accipi hoc loco propriè,

*Obiectio.*

*Soluitur.*

quemadmodum paulò pòst, vbi priuatiuè opposita dicuntur differre. Nec magis mirum videri debet, quòd contradicentia, & priuatiuè opposita dicantur differre, quàm quod dicantur contraria, vt sæpè appellantur.

*Contraria per aliud.*

c *Cætera verò dicuntur contraria.* Subdit varia genera contrariorum per aliud: multa enim dicuntur contraria, aut quia in eis insunt contraria, vt ignis & aqua, aut quia habent peculiares propensiones ad capienda contraria, vt pueri bonæ indolis ad virtutem, malæ autem ad vitia, aut quia contrariis afficere, aut affici possunt, aut afficiunt, aut afficiuntur, vt venena & antidota, homines bonæ constitutionis & valetudinarij, aut quia sunt contrariorum obiectiones, aut acceptiones, vt bona & mala institutio, aut contrariorum habitus, vt scientia & error. ratione nimirum contrariorum actuum (etiamsi alioqui habitus ipsi sint per se contrarij) aut priuationes contrariorum, præsertim immediatorum, vt priuatio sanitatis & ægritudinis, si non datur status neuter, priuatio item rectitudinis, & prauitatis in actibus singularibus, si nulli dantur indifferentes. Vnde patet quam multa sint genera contrariorum per aliud.

## CAPVT X.

POSITA a *dicuntur contradictio, contraria, ea quæ ad aliquid, priuatio, & habitus. Ea* b *etiam, ex quibus, & in quæ vltima; vt generationes & corruptiones. Quæ itã vtriusq; susceptiuo simul adesse nequeũt, ea opposita dicũtur, aut* c *ipsa, aut illa ex quibus constant. Fuscum enim & albũ simul eidẽ non insunt: quo fit, vt ea ex quibus cõstant, hæ opponantur.*

*Contraria* d *dicuntur & ea, quæ cùm sint eorum quæ differunt genere, eidem simul adesse nequeunt: & quæ ex iis, quæ in eodem sunt genere, plurimum differunt: & quæ plurimum differunt in eodem susceptiuo: & quæ ex iis, quæ sub eamdem potentiam cadunt, plurimum differunt: & quorum maxima est aut simpliciter, aut genere, aut specie differentia. Cætera verò* c *dicuntur contraria, partim quòd ea habeant; partim quod ea susciperе, partim quod efficere, aut pati possint, eáve efficiant, aut patiantur, aut verò sint horum, similiúmve abiectiones, aut susceptiones, aut habitus, aut priuationes. Cùm* f *autem vnum, & ens multis modis dicantur,*

dicantur multipliciter: Causſa verò eſt, quia dicũtur ex ente & vno, hoc eſt, quia conſequuntur ens & vnum, quæ ſunt multiplicia. Nam idem & diuerſum ſequuntur vnum & multa: differentia verò & contraria ſunt quædam diuerſa. Vnde colligit Ariſtoteles hæc non eſſe eiuſdem rationis in pluribus prædicamentis quemadmodum de ente & vno ſuperiori libro dictum eſt, vbi etiam hoc idem conſectarium ab Ariſtotele colligitur.

Cap. 2.

*Quænã ſint diuerſa ſpecie*

g *Diuerſa autem ſpecie.* Quia ſuperiori capite non expoſuerat quænam eſſent diuerſa ſpecie, id præſtat hoc loco tradendis ſex generibus diuerſorum ſpecie. Vnũ eſt eorum, quæ ita continentur eodem genere, vt alterum ſub altero non collocetur, veluti ſcientia & candor. Alterum eorum quæ ita collocantur ſub eodem genere, vt ſint membra eiuſdem diuiſionis facta per oppoſitas differentias, velut homo & beſtia, album & nigrum. Tertium eſt eorum, quę habent aliquam contrarietatem in ſubſtantia eſſentiáve ſua tametſi ſub eodem genere non collocentur, vt equus & Geometria, aſpectus & locus. Quartum eſt quorumlibet contrariorum, aut certè eorum quę primò hoc eſt, per ſe contraria dicũtur, quod ideo adiungit, quia inter cõtraria per aliud multa reperiũtur, quæ non ſint

λέγεσθαι, ἀκολουθεῖν ἀνάγκη καὶ τἆλλα ὅσα κατὰ ταῦτα λέγεται, ὥστε καὶ τὸ ταὐτὸν, καὶ τὸ ἕτερον, καὶ τὸ ἐναντίον: ὡς ἓν ἂν εἴη ἑτέρου, καὶ καθ' ἑκάστην κατηγορίαν.

Ετερα δὲ τῷ εἴδει λέγεται, ὅσα τε ταὐτὸ γένος ὄντα, μὴ ὑπάλληλά ἐστι: καὶ ὅσα ἐν τῷ αὐτῷ γένει ὄντα διαφορὰν ἔχει: καὶ ὅσα ἐν τῇ οὐσίᾳ ἐναντίως ἔχει, καὶ τὰ ἐναντία ἕτερα τῷ εἴδει ἀλλήλων, ἢ πάντα, ἢ τὰ λεγόμενα πρώτως: ἢ ὅσων ἐν τῷ τελευταίῳ τὰ γένη εἶδει οἱ λόγοι ἕτεροι (οἷον ἀνθρώπου καὶ ἵππου ἄτομα τὰ γένη, οἱ δὲ λόγοι ἕτεροι αὐτῶν) καὶ ὅσα ἐν τῇ αὐτῇ οὐσίᾳ αὐτῶν ὄντα, ἔχει διαφοράν. ταὐτὰ δὲ τῷ εἴδει, τὰ ἀντικειμένως λεγόμενα τούτοις.

---

## *NVM PLVRA ACCIDENTIA eiuſdem ſpeciei in eodem ſubiecto eſſe poſſint.*

### QVÆSTIO I.

*Quæſtionis ambiguitas.* SECTIO I.

*Prima ratio. Pars negatiua in Ariſtotelis auctoritate fũdatur.*

*Ad finem ca. 10. tex. 16.*

PRO parte negatiua ſatis nobis videtur eſſe poſſe generalis aſſertio Ariſtotelis, qui nõ ait aliqua eorum, quæ in eodem ſubiecto differentiam habent, diuerſa eſſe ſpecie, ſed omnia: quod certè videtur dicere non debuiſſe, ſi aliqua excipienda exiſtimaſſet, neque in eadem re parum momenti habet, quod D. Tho. nulla exceperit.

*Lect. 12.*

*Partis affirmatiuæ argumenta. Primum principale.*

VERVM affirmatiuam partem multa argumenta non modo ſuadent, ſed etiam perſuadere videntur. In primis aſſerunt Perſpectiui in eadem parte corporis diaphani, immo etiam in eadem parte ſuperficiei cuiuſque corporis poſſe dari plura lumina ſolo numero differentia: id quod argumento duarum lucernarum multis modis oſtendere nituntur. Primum, quia cùm altera tantum extinguitur, ſimul etiam extinguitur

*Duo lumina in eadẽ parte diaphani dari poſſe vt probent Perſpectiui.*

*Lege Cantuarienſem. lib. 1. ſuæ perſpect. c. 1. petitione 6.*



non ſint ſpecie diuerſa, vt homines firmæ ac infirmæ conſtitutionis. Quintum eſt eorum, quæ cum genere ſint indiuidua, hoc eſt, in eodem infimo genere conueniant, diuerſas tamen definitiones habent, vt canis & lupus: atque hæc, cùm ſint ſpecies infimæ eiuſdem infimi generis, propterea magis proprie dicuntur differre ſpecie quod non ſunt etiam diuerſa genera. Sextum genus eſt eorũ, quæ cùm in eadem ſubſtantia ſiue ſubiecto ſint, tamen differentiam habent inter ſe, vt candor & dulcor in lacte. Quæ ideo D. Thomas, & alij nonnulli exiſtimãt dici ab Ariſtotele diuerſa ſpecie, quod credant fieri non poſſe, vt duo accidentia eiuſdem ſpeciei in eodem ſubiecto inſint. De quare, quia non parũ habet difficultatis operæpretium erit aliquanto fuſius diſſerere.

*dicantur, catera quoque omnia, quæ ex his dicuntur, ſequatur neceſſe eſt: quare & idem, & diuerſum, & contrarium, vt & aliud, atque aliud ſit in vnoquoq; prædicamento.*

*Diuerſa § autem ſpecie dicuntur, & ea omnia, quæ cùm eiuſdem generis ſiut, alterum ſub altero non collocatur, & quæ cùm ſint in eodem genere differentiam habent, & quæ habent in ſubſtantia contrarietatem. Snut & contraria biuerſa ſpecie inter ſe aut omnia, aui quæ primo dicuntur, & ea quorum rationes in vltima generis ſpecie diuerſa ſunt (quem in modum homo & equus indiuidua ſunt genere, eorum autem rationes piuerſæ) & omnia cùm in eadem ipſorum ſubſtantia ſint, differentiam habent. Eadem verò ſpecie ſunt ea, quæ oppoſito his modo dicuntur.*

Qvo loco parum refert quod fere interpretes prætermittunt verbum ἀντεῖν, cum aiunt *in eadem ſubſtantia* pro eo quod nos dicimus *in eadem ipſorum ſubſtantia.* Id enim faciũt perſpicuitatis cauſſa, nequis putet nomen ſubſtantię iis verbis pro eſſentia accipi, vt Perionius credidit. verum etſi hac de cauſſa illi permoti ſunt, vt verbum illud præterirent, non tamen id erat neceſſe. Nam vel paululum aduertenti patet, dici non poſſe duo aliqua eſſe in eadem ipſorum eſſentia, cum tamen duo accidẽtia rectà dicantur eſſe in eadem ipſorum ſubſtantia, id eſt, in eodem ipſorum ſubiecto. Quamquam libentius verbum in verſione omiſiſſem, niſi eſſet in omnibus exemplaribus.

---

extinguitur lumen, quod illa in aëre producebat, nec tamen extinguitur lumen, quod producebat altera; quod ſatis videtur oſtendere, antequam illæ extinguerentur, non vnum tantùm lumen, ſed duo in aëre extitiſſe, quorum alterum perierit, alterum permanſerit. Deinde, 2
quia columna obiecta duabus lucernis aliquantulum inter ſe diſtantibus iacere ſolet duas vmbras, vnam ad eam partem qua occultat vnam lucernam, alteram ad eam, quæ occultat alteram, quod ideo videtur accidere, quia ſingulæ lucernæ ſingula lumina producunt, quorum alterum impeditur interpoſitu columnæ ad hãc partem, alterum interpoſitu eiuſdem ad alteram partem. Idq; confirmatur ex eo, quia vmbra vna eſt diminutum lumen vnius tantum lucernæ, altera verò eſt diminutum lumen alterius duntaxat, quod euenire non poſſet niſi ſingulæ ſingula lumina producerent.

TERTIO, quia per foramen parietis ſubiectis iiſdẽ duabus lucernis iaciuntur duo lumina diſtincta numero in hanc & illã partem, ſingula nimirum è regione ſingularum lucernarum; quod perſpicuè videtur demonſtrare intra foramen illud dari duo lumina diſtincta nu- 3

mero, quorum alterum continuatur vltra parietem è regione vnius lucernæ ad vnam partem, alterum è regione alterius ad alteram.

*Secundum. Rationibus philosophicis pars eadē cōfirmatur.*

PHYSICIS etiā principiis videtur ea pars quæstionis, atq; adeo efficacius demonstrari. Primū, quia in quauis particula aëris interiecti inter duos parietes albos dātur species sensibiles vtriusque vt naturales philosophi docent alioqui non ex quauis parte illius medij vterque paries videri posset; illæ autem species sensibiles, cùm sint similitudines colorum eiusdem speciei, vt pote albedinis, nemo negauerit esse accidentia eiusdem speciei, Deinde, quia in eadē parte organi cuiusque sensus præsertim interioris necessariò dandæ sunt plures species sensibiles eiusdem speciei, cùm eidem sensui obiiciuntur plura eiusdem speciei indiuidua: neque enim vlla ratio reddi potest, cur illæ in diuersis partibus organi imprimātur. Tertio, quia in homine dantur simul multæ memoriæ eiusdem speciei, ex quibus gignitur experientia, & multę experientię, ex quibus gignitur ars, vt Arist. 1. libro docuit, Postremò, quia in intellectu vidētur dari simul multi cōceptus eiusdem speciei, vt si quis mente dicat Socrates non est Plato aut etiam Socrates est Socrates. Quin etiam multi sunt, qui asserant dari simul in intellectu plures species intelligibiles diuersorum indiuiduorum eiusdem speciei.

*Prima.*

*Cap. 1.*

*An plures species sensibiles solo numero differētes sint in eadē parte męy.*

*Secunda.*

*Tertia.*

*An plures memoriæ.*

*Quarta.*

*Conceptus.*

*Metaphysica ratione pars eadem ostenditur. In eodē patre an plures relationes.*

SED & Logica seu potius Metaphysica ratione idē planè videtur concludi. Nam si correlatiua sunt simul natura, & se mutuo ponunt ac tollunt, necessariò asserendum videtur in eodem patre habēte plures filios dari simul plures relationes paternitatis, quę haud dubiè sūt eiusdem speciei, & in eodem filio habente adhuc vtrumque parentē dari duas relationes filiationis, quarum altera referatur ad patrem, altera ad matrem, quæ etiam erunt eiusdem speciei, cùm ambæ fundētur in eadem actione speciei immo etiam in eadem numero. Nam sublato vno ex pluribus filiis. nō aliter necessario tollitur pater, quàm quod relatio, quæ illum respiciebat: nec item sublato altero parentū necessariò tollitur filius, nisi ratione eius habitudinis, qua ad illum referebatur filius, Cùm ergo fieri nō possit, vt eadem numero relatio & tollatur & maneat: planè videtur effici in quouis patre habēte plures filios, & in quouis filio superstite vtroque parente, dari plures relationes eiusdem speciei.

*Variæ sententiæ in hac quæstione.*

## SECTIO II.

FERE argumentis aut omnibus aut quibusdam adducuntur multi, vt affirmatiuam quæstionis partem amplectantur, neque aliter Aristotelem defendant, quàm limitationibus quibusdam. alij verò cùm existimant se omnia dissoluere, negatiuam potius, quæ ab Aristotele vniuersè videtur supponi, amplectuntur.

*Prima sententia Inndun.*

SVNT qui dicant Aristotelē duobus modis intelligi posse: vno vt non loquatur ex propria sententia. sed aliorum, quasi dicat hanc esse vnam significationem diuersorum specie, quæ apud quosdam vsurpatur, vt

*Iandunus 5. Metaph. q. 36.*



tur, vt ea etiam dicantur specie diuersa, quæ cum in eodem subiecto insint, tamen inter se differunt, quo pacto cap. 8. dixit substantiæ nomen tertio modo sumpto significare res quasdam Mathematicas, quæ est sentētia Pythagoreorum ab eo sæpè impugnata: altero vt loquatur quidem ex propria sententia, verùm non de omnibus accidētibus, sed de iis tantùm, quæ sunt rebus congenita. Nam cùm ea quæ sunt eiusdem speciei eandē vim habeant, natura autem abhorreat superuacanea, satis erit vna facultas videndi in animali, vt videre possit: vna item audiendi, vt audire: Cùm ergo idem dici possit de cæteris congenitis accidētibus, efficitur, vt in his verum sit, quod ait Aristoteles plura eiusdem speciei simul in eodem subiecto esse nō posse. In cæteris autem accidentibus, etsi per motū acquirantur, asserunt nihil impedire, quominus plura in eodem subiecto insint, siquidem in eodē ligno, vt aiunt, possunt inesse simul duæ calefactiones secundum eandem partem, si lignum simul calefiat à duobus numero ignibus.

*Refellitur.*

SED nec prior sensus habet vllā probabilitatem, quia nullibi impugnata est ab Aristotele ea vsurpatio diuersorum specie, quod tamē feciſſet, si veram esse non putasset, qua ratione sæpe ab eo impugnati sunt Pythagorici, quod Mathematica entia substantias rerū naturalium appellassent. Neque item posterior sensus rectè probatur. Nam vt natura abhorret superuacanea in congenitis, ita & in aduentitiis. Duo etiam ignes agentes simul in eandem partē ligni non agunt in illam diuersis actionibus, sed vna & eadem; siquidem motus est vnus & idem, ad quem ignes illi concurrunt, vt causæ partiales.

*Secunda sententia Scoti, & aliorum:*

*Scot. in 3. d. 8. quæst. vnica. Dur. eadem d. quæst. 3. Richard. ibidem q. 2. art. 2. Gab. quæ. vnica conclu. 3. Argent. q. 1. art. 2. Maior. ead. d. q vnic. Anton. And. 5. Metaph. q. 8. & alij.*

Alij existimant Aristotelem loqui non solùm de congenitis accidentibus, sed etiam de aduentitiis, quæ acquiruntur per motum, non tamen de cæteris, quæ per motum non acquiruntur, etsi realia sint & absoluta, vt est lumen. Sumuntur autem in hac quæstione accidentia realia, nō vt distinguuntur ab accidentibus rationis, sed vt distinguūtur ab intentionalibus, cuiusmodi sunt species sensibiles in sensu, & intelligibiles in intellectu. Quòd igitur negatiua pars quęstionis vera sit in accidentibus, quæ acquirūtur per motū, ex eo probatur, quia agens per motum, non agit in mobile, nisi ducens illud à cōtrario in cōtrarium. Mobile autem, quod affectum est accidente eiusdem speciei cum accidente quod agens introducere potest, non habet contrarium illius, vt patet, nisi forte sit minus perfectum, quo pacto per actionem agentis non introducetur aliud numero accidens, sed præexistens perficietur. Quod autem non fit vera in cæteris accidentibus probāt, quia etsi potentia aëris ad hoc numero lumen satiata est hoc lumine, nō tamē est satiata potentia ad aliud numero, quo fit, vt cùm illuminans non agat per motum, nihil impediat quo minus in eodem aëre aliud numero lumen ab alio illuminato introducatur? id quod dicunt eodem modo posse concludi in cæteris, etiam si absoluta sint & realia

*Confirmatio.*

*Impugnatur.*

VERVM hæc sententia, quicquid veritatis habeat, non rectè cōfirmatur. Nam si ratio, qua probatum est negatiuā quæstionis partē non esse veram in lumine, & cæteris quæ per motum nō acquiruntur

aliquid valet, æquè concludit in iis, quæ per motum comparantur. Si enim alia potētia est in subiecto respectu huius numero luminis, alia verò respectu illius & nō vna & eadem respectu vtriusque: eodē modo dicendum erit de potentia ad hunc calorem & illum. Quare si ligno habenti calorem quattuor graduū adhibeatur agens, potens inducere alios, quattuor gradus caloris: non erit, cur non agat ad illos inducendos, siquidem potentia ad illos nondum est satiata. Quare ratio non concludat in iis, quæ per motum comparantur, cum oppositum accidat, efficitur, vt nec in cæteris quicquam valeat.

*Tertia sententia.*

ALII solùm excipiunt accidentia intentionalia, cùm imperfectè insunt in subiectis. Itaque dicunt affirmatiuam partem quæstionis his tantùm exceptis esse vniuersè veram. Tunc autem dicunt accidentia intētionalia inesse imperfectè in subiectis, cùm nec sensus, nec intellectus per ea actu cognoscunt, aut quasi tēdunt in res ipsas: hac enim de causa institutæ sunt à natura qualitates intētionales, & hinc videtur orta intentionalium appellatio, quod per ea tēdunt potentiæ cognoscentes in ea quæ cognoscunt, & quasi apprehendunt. At que in hanc sententiam videtur inclinare Diuus Thomas in quæstione de Veritate. Ratio verò, qua videntur duci, vt excipiant intentionalia quoad esse imperfectum, hæc esse videtur; quia cùm imperfectio existendi in subiecto efficiat vt duo contraria alioqui è diametro pugnantia possint existere simul in eodem subiecto (vt patet in medio motu) non est cur non efficiat, vt duo accidentia eiusdem speciei simul existant in eodem subiecto, quandiu imperfectè in eo insunt.

*Ratio qua videntur duci authores huius sententiæ.*

*D. Tho. de Verit. q. 8. ar. 14. lege Cap. in 2. d. 3. q. 2 ad argu. contra nonā conclusionem.*

*Impugnatur*

SED QVIDQVID sit de re, certè persuasio eorum non videtur inniti firmo fundamento. Primum, quia si tunc entia intentionalia sunt imperfectè in subiectis, cùm per ea nihil apprehendunt sensus, aut intellectus, tunc autem perfectè, cum aliquid per ea actu cognoscunt; non dabuntur simul in eadem parte aëris duæ species coloris solo numero differentes, quandocumque ego per hanc partem aëris actu video hunc numero colorem, tu verò per eamdem alium eiusdem speciei, cuius tamen oppositum illi fatentur; immo & fateri coguntur, cùm mea visio & tua non possint esse in caussa, vt pauciores sint species in aëre, cùm actu videmus, quàm cùm nihil cernimus.

DEINDE, quia longè alia ratio est in contrariis imperfectè existentibus in eodem subiecto, atque in entibus intentionalibus, cum per ea nihil actu cognoscitur, vt vtraque dicātur imperfectè existere in subiectis. Contraria enim non denominant simpliciter subiectum nisi excedant dimidietatem latitudinis, quo iam pacto non simul denominant: at entia intentionalia eiusdem speciei simul denominant: Species enim sēsibilis huius coloris existens in aëre denominat simpliciter aerem repręsentantem hunc colorem, & illa illum; quo fit vt nō imperfectè existant in subiecto. Nec certè eorum responsio, cùm dicunt species colorum in aëre non denominare aërem verè coloratum, quicquā satis facit: Hæc enim denominatio non est propria specierum, sed colorum: alioqui cùm oculus per speciem rubri coloris, aut intellectus per speciem lapidis iam actu cognoscit, posset oculus dici ruber, & intellectus lapideus, quod nemo dixerit. Nam etsi Aristoteles sæpè ait, *sensum in actu esse sensibilia ipsa, quæ percipit, & intellectum intelligibilia*, locutio tamen ea impropria est, & figurata, vt constat. Postremò, quia probatio hæc pugnat cum ea, qua suadēt cætera accidentia, immo & hæc ipsa, cùm perfectè existunt, non esse plura eiusdem speciei in eodem subiecto: dicunt enim hæc accidere, quia indiuiduatio accidentium sub specie fit per subiectum, ita vt diuersa numero diuersa exigant subiecta, quibus distinguantur, quæ ratio æquè valet in accidentibus imperfectè existentibus (modo actu inhæreant, & non potentia tantum) atque in iis, quę perfectè existunt in subiectis.

*Pt 3. de Ani. t. 4. text. 14. & aliis in locis.*

*Tertia.*

*Sensum in actu esse sensibilia ipsa. quomodo intelligendum.*

ALII denique affirmatiuam quæstionis partem vniuersè amplectuntur, & ab Aristotele fine vlla exceptione intellectam asserunt. At que ita videtur sentire D. Thomas [a] tum hoc loco, tum 3. parte summæ Theologiæ & alibi sæpè, nisi exponendus sit iuxta limitationem superioris sententiæ [b] ex quæstionibus de veritate. Eorū rationes hæ sunt fermè: Omnis distinctio eorum quę simul existunt, aut est secundum speciem, aut secundum quantitatem, siue materiam quantam, vt patet ex iis, quę docuit Aristotel. [c] hoc lib. cap. 6. & lib. 3. cap. 3. Accidentia autem eiusdem speciei non distinguuntur specie; necesse est igitur, vt si simul existunt, distinguantur quātitate, materiá ve quanta, vt scilicet diuersa numero sint in diuersa materia, aut in diuersis partibus eiusdem. Quod argumētum licet directò intelligatur de accidentibus materialibus, facilè tamen accommodatur ad quæuis alia accidentia extenso nomine materiæ quantæ ad quoduis subiectum: habet autem tantam apud illos vim hoc argumentum, quia ducitur ex ipsa indiuiduatione accidentium, vt putent, ne diuina quidem potentia posse oppositum accidere. Præterea si non repugnat dari simul duo accidentia eiusdem speciei in eodem subiecto, non repugnabit in eodem dari infinita, repugnat autē dari infinita, ergo & duo, quo pacto argumentatur Arist. 4. Phys. lib. ita concludens; *Si duo corpora possent esse simul in eodē loco & spacio, possent infinita, non possunt autem infinita, ergo nec duo quidem.* Alias rationes addunt, quæ non sunt de toto accidentium genere, sed de quibusdam, vt de lumine & relationibus; quas partim assumemus ad explicationem quæstionis, partim refutabimus.

*a D. Tho. hoc loco lect. 12. & 3. p. q. 35. art 5. & Capreol. in 1. d. 7. q. 2. Heru. quolib. 3. q. 9. Caiet. 3. p. q. 53. ar. 5. Soncin. 7. Met. q. 4. Eiusdem sententiæ est Henricus de Gand. quodl. 15. q. 6.*

*b Quæst. 8. ar 14.*

*c Hoc lib. text. 12. & lib. 3. tex. 11. Cap. 6. textu 53.*

*Quarta sententia D. Tho & aliorum. Rationes. Primæ.*

*Secundæ.*

*Rationes propositas non concludere.*

VERVM quòd argumenta proposita, nihil cōficient facile patebit. Nam quod primò assumitur ex Arist. intelligendum est in substātiis corporeis, non autem in accidentibus, vt supra exposuimus, cùm de principio indiuiduationis ageremus: quamquam si accidentibus quoque accomodandum esset, non inde tamen quicquam efficeretur. Quamuis enim indiuiduatio, & distinctio accidentium eiusdem speciei, quę simul incipiunt esse, ita posceret distinctionem subiectorum, vt omnia essentialiter respicerēt diuersa numero subiecta: nihil tamen impediret, quominus vnum à Deo poni posset in subiecto alteri accidenti debito, quamdmodum nihil obstat essentiali respectui, quem

*Cap. 6. q. 5.*

*Posse diuina virtute acci*

Universidad de Deusto Biblioteca



*Ens proni in subiecto alteri accidenti debito.*

ctui, quem habent accidentia sacræ Eucharistiæ ad subiectum, quominus illa existant sine subiecto diuina virtute; qua etiam ratione nō dubium est, quin possent illa eadem ante consecrationem transferri ad aliud subiectum. Prætereà accidentia non dicuntur ab illis, saltē ab iis, qui cōsideratiùs loquuntur, insidiuiduari per subiectum tanquā per principium, siue causam intrinsecam ipsis accidentibus: ergo nihil impedit, quo minus per idem numero subiectum indiuiduentur simul plura eiusdem speciei, præsertim diuina virtute: distinctio enim effectorum, non repugnat indistinctioni, seu vnitati causæ quæ non est intrinseca, seu, vt alij loquuntur, stare potest cum vnitate causæ extrinsecæ. Ad hæc, nihil repugnat quominus duo composita accidētalia, vt hoc corpus album, & hoc corpus dulce, constent eodem numero subiecto, vt patet in lacte: igitur potiori ratione nihil repugnabit, quominus duo accidentia eiusdem speciei, saltem ea quæ nō sunt vnibilia inter se in vnitatem numeralem, vt duæ relationes paternitatis, aut duæ potentię intellectiuæ per discursum habeant idem subiectū numero (saltem diuina virtute) præsertim cùm subiectum sit cōpositis intrinsecum, ipsis vero accidentibus extrinsecum: quamquam ponatur verum principium indiuiduationis vtrorúmque. Posterior quoque ratio nō colligit institutum. Re enim vera, si duo accidentia eiusdem speciei possunt simul inesse in eodē subiecto, nihil repugnat ex parte eiusdem subiecti, quo minus possint inesse plura, atque adeo infinita, quamquam alia ratione id fieri nequeat, quemadmodū quia duo corpora possunt simul esse in eodē loco (id enim fatemur omnes diuina virtute fieri) nihil etiā repugnat ex parte loci, quominus in eo existāt infinita, licet alia ratione infinita corpora dari nequeāt: Si quā do autem Aristoteles proposita ratione loci vtitur, non illam vsurpat vt necessariam simpliciter, sed apud eos, quibus cum argumentatur.

*Quæ nā accidentia eiusdem speciei possunt diuina virtute in eodē subiecto simul poni.*

*Vt loco citato ex 4. Phys. c. 6. tex. 53.*

*Vera quæstionis explicatio.*

## Sectio III.

*Quid de proposita quæstione olim auctor senserit.*

QVID igitur dicendum videatur paucis exponamus. Ac quoties quidē aliàs hanc quæstionem explicauimus, semper medium iter inter duas priores & posteriores opiniones hoc pacto tenuimus quòd non solùm in congenitis accidentibus, nec tantùm in congenitis, & aliis, quæ per motū acquirūtur, vt dicebāt duæ, priores: nec verò in omnibus accidentibus exceptis intentionalibus imperfectè existētibus in subiecto, aut in omnibus omnino, vt dicebāt duæ posteriores, sed in omnibus realibus absolutis, quæcunque differentiam haberent numeralem in eodem subiecto, essent quoque diuersa specie, atque hoc pacto intelligendum esse Aristotelem.

*Quid re attentius considerata inuenerit.*

NVNC autē re attentius considerata videmur instantiam inuenire in sonis, aliisque nonnullis accidentibus realibus & absolutis. Sępè enim plures soni eiusdem speciei existunt in eadem parte aëris, vt cū tintinnabula plura pulsantur, & propè instrumenta musica, quæ concentum



*Lib. 2. de Ani. ad c. 8.*

centum efficiunt. Neque enim dicendum est in aëre propinquo esse sonum intentionalem dumtaxat, sed realem etiam, vt patet ex libris de Anima: neque item concentus est vnus dumtaxat effectus ab omnibus corporibus sonum emtitentibus, cùm & experientia, & ars musicorum reclamet. Continuitates quoque successiuæ motuum diuersorum specie, vt calefectionis & exsiccationis, videntur esse eiusdem speciei, & tamen sunt in eodem subiecto. Idem dicendum de durationibus horum motuum, internisve mensuris eorum existentiæ: neque enim minus videtur esse eiusdem speciei, quàm continuitates permanentes ligni & lapidis, eorùmve durationes internę, quas nemo negauerit eiusdem speciei esse: Quapropter quattuor conclusionibus explicanda est quæstio.

1. *Conclusio Probatur ab experientia.*

PRIMA conclusio. Ex accidētibus naturaliter acquisitis per motum, aut mutationem motui coniunctā, non possunt dari plura eiusdē speciei in eodem subiecto, Hæc assertio ex eo probatur, quia agētia naturalia, quæ agunt per motum, aut mutationem motui coniunctam, quando cumq; inueniunt in subiecto formam eius speciei, quā introducere appetunt; nihil prętерea agunt nisi forte perficiendo formam introductam, si ea sit imperfectior, quàm ab eis introduci possit vt experientia satis constat. Ratio huius experientiæ est, quia agentia naturalia in generando solam speciei conseruationem directo intendunt: quo fit, vt satis factū sibi putent, si forma suę speciei iam introducta sit, talémq; perfectionē assecuta, qualem ipsa conferre possunt.

*Ratio experientiæ.*

2. *Confirmatur.*

SECVNDA conclusio. Ex qualitatibus quæ in vnam intensiorē coalescunt, fieri non potest, vt dētur plura indiuidua eiusdem speciei in eodem subiecto. Hęc assertio sic ostēdi potest. Diuersi gradus qualitatis nō ideo faciunt vnam numero qualitatem, quia iungantur aliquo termino cōmuni, reali, ac positiuo, quo pacto diuersę partes quātitatis dicuntur à plerisq; efficere vnam numero quātitatem (id enim omnes negāt) neq; itē quia sint immediatè in diuersis partibus eiusdem numero subiecti, qua ratione alij partes eiusdem quantitatis cōtinuari sentiunt: (nam neque omnes qualitates graduales existunt in subiecto habente partes, nec facerent isto modo gradus intentionē qualitatis, sed extensionem) igitur ea ratione faciunt eādem numero qualitatem, quia recipiuntur in eodem numero subiecto, eadémque eius parte, si partes habet. Neque enim alia videtur esse causa, cur partes re ipsa distinctę, quarū altera non est forma alterius, neque ambę informantur vno aliquo tertio aut sunt immediatè in diuersis partibus eiusdem numero subiecti, sint vnum numero.

1. *Non omnes qualitates graduales existere in subiecto habēte partes.*

PRÆTEREA, si plures qualitates eiusdē speciei ex iis, quæ in vnam intensionē coalescunt, possunt simul inesse distincta numero in eodem subiecto, id maximè accideret in pluribus luminibus, siquidē tota schola Perspectiuorum id videtur supponere: at in iis, non concedendū, ergo in nullis. Assumptio sic probatur, quandocumque duo agentia simul concurrunt ad introducēdam formam intensibilem in idem subiectum eādémque eius partem vnam dumtaxat numero formam inducunt, intensiorem tamen, quàm singula per se introducerēt

vt patet in duobus ignibus calefacientibus eamdem materiam:id autem accidit in duobus agentibus illuminantibus eamdem partem diaphani:ergo non producuntur ab eis diuersa lumina in eodem subiecto,eadémque eius parte,sed vnum & idem numero, intensius tamen in partibus remotis sphæræ suæ actiuitatis, quàm à singulis eorum produceretur.

3 PRÆTEREA, ad vnitatem numeralem motus satis est vnitas specifica termini,& numeralis vnitas tum temporis,tum subiecti,vt Aristoteles docet 5.Phys.c.4.ergo & si agentia sint diuersa numero,modo sint vnum specie,vnus tantum numero motus ab vtroque proficiscetur,at eadem est ratio in illuminatione,igitur eadem numero erit illuminatio,quæ à duobus illuminantibus simul in eadem aëris partem proficisceretur,quare & idem numero lumen. *Tex.34.*

4 PRÆTEREA, si duo illuminantia producerent duo lumina in eadem parte aëris,non illuminarent ambo maius spacium, maioremve sphęram actiuitatis,quàm alterũ tantum,(si enim neutrum cum altero concurreret ad idem lumen producendum, neutrum ab altero iuuaretur ad illuminandũ maius spacium)hoc autem apertè pugnat cũ sensibus(cernimus enim cũ lucerna additur lucernæ longiùs spacium illuminari)non producunt igitur duo lumina sed vnum tantum.

5 PRÆTEREA, cum corpori illuminanti additur aliud corpus illuminans,lumen quod à priori producebatur,fit intẽsius in qualibet remota parte medij illuminati:igitur lumen quod ab vtroque producitur non est duplex numero,sed vnum tantum.

*Responsio.* DICAT fortasse aliquis,re vera duo lumina à duobus illuminantibur produci,sed tamẽ ambo simul videri vnum lumen intensius,quia in eo euentu multitudo luminũ æquiualet intentioni eiusdem,quemadmodum aliquãdo in ferro calido videtur esse calor æquè intensus, atq; in flamma:non quia sit æquè intẽsus:cùm re vera sit remissior,sed quia multiplicatior,vt sic dicam,propter materiæ densitatẽ,& multi-
*Refellitur.* plicationem quodammodo.Verum impugnatio est in promptu:isto enim modo non longiùs proiicerent lumen duo luminosa corpora, quàm vnũ tãtum,quod falsum esse suppoſuimus, Quod si quis præter ista duo lumina posuerit vnũ tertiũ quod ab vtroq; longius proiiciatur,quemadmodum præter singulos sonos singulorũ sonãtium,simul necesse est dare sonũ confusum à singulis sonis diuersum,superuacanea planè iam erunt duo priora lumina,cum hoc tertiũ nobis sit satis ad omnia efficienda,quę ille tribus suis luminibus effecerit:producetur enim sensim hoc tertium lumen à principio sphæræ actiuitatis vtriusq; illuminantis simul vsque ad finem, quod vocant vniformiter difformiter, vnde eueniet, vt quacunque in parte sphæræ actiuitatis singulorum per se, quæ non sit immediata, iam reperiatur lumen re vera intensius,quàm ante esset,cum illa ab vno tãtùm illuminabatur.

*Obiectio contra secundam cõclusionem.* SED contra hanc conclusionem mox occurrunt plures soni, de quibus paulò antè mentionem fecimus, qui cum videantur eiusdem speciei, & ex genere earum qualitatum, quæ intenduntur & remittuntur: tamen possunt esse plures in eodem subiecto,eadémque eius parte



parte.Erunt fortasse qui dicant sonos quidem,qui eiusdem toni sunt, non posse esse plures in eodem subiecto,quod sonantia in eodem tono eumdem omnino sonum efficiant,intensiorem tamen, quàm singula per se efficerent:At ea quæ sonant secundum differentiam grauis & acuti, propterea posse reperiri simul in eodem subiecto, quia non efficiunt eumdem numero sonum,ídque ex eo euenire,quod graue & acutum specie differant,ac proinde non possunt in eandem numero qualitatem coalescere.

*An graue & acutum in soni specie differant.* SED si quis vel parum animaduertat, planè intelliget, figmento simile esse,graue & acutum differẽtias specificas sonorum,constituere.Primum,quia quemadmodum magnũ & paruum,ita graue & acutum comparatiuè dicuntur,si quidem inter sonos,quorum alij eleuatiores sunt,alij depressiores,nullus est grauis respectu vnius,qui non sit acutus respectu alterius,& è cõuerso. Deinde,quia si graue & acutum differunt specie,dabuntur in qualibet substantia sonorũ infinitæ species,quia quælibet est diuisibilis in infinitum,secundum differentiam grauis & acuti.Quod si quis hoc neget,dicátq; quosdam sonos esse absolutè graues,& quosdam absolutè acutos, atque hoc differre specie,ipsos autẽ graues inter se, & ipsos acutos cum acutis collatos non differre specie.Primum quidem frustra laborabit in eo,vt ostendat vbinam desinant graues & incipiant acuti, & num detur medius sonus inter vtrosque an vero detur vltimus grauium ascendendo,nec detur acutorum primus,an potius detur acutorum primus, nec inueniatur grauium vltimus.Deinde uon dissoluet argumẽtum,satis enim nobis erit,si graues inter se, & acuti inter se collati non differãt specie,& tamen reperiantur,simul in eodem subiecto eadémq; eius parte. Potius ergo dicendum,sonos quidem omnes(saltem eorumdem specie sonantium)esse eiusdem speciei,sed tamen non esse ex genere earum qualitatum,quæ propriè intẽdantur & remittantur.Quæ enim propriè eius naturæ sunt,eæ permanẽtes sint necesse est,vt gradus qui additur permaneat cum eo,cui additur: at soni non sunt naturæ permanentis,sed successiuæ,cum pendeant à motu aëris & in fieri, & in esse,quæ differentiæ in eo nunquam separantur, quemadmodum & in ipso motu qui non prius fit, deinde est, sed simul fit & est, neque vnquam postea est nisi simul fiat. Impropriè tamen dicimus sonum intendi, quemadmodum & motum à quo pendet,cum maiori conatu fit in eodem tono : nam cum sonus eodem conatu attollitur, aut deprimitur,iam non dicimus illum intendi,sed mutari.

*Sonos omnes esse eiusdem speciei. Non intendi proprie, & remitti.*

*3.Conclusio.* TERTIA assertio,Inter accidentia quæ non intenduntur & remittuntur,siue ea per motum mutationémve motui cõiunctam, siue alio modo acquirantur,non solum nihil repugnat dari aliqua eiusdẽ speciei in eodem subiecto,sed etiã necesse est dari pleraque.Quod nihil repugnet dari ex eo probatur, quia nullam implicat cõtradictionem dari in eodẽ subiecto plures potẽtias naturales eiusdem speciei(modo non sint ex iis,quæ intenduntur & remittuntur, cuius generis sunt potentia ignis calefactiua, & aquæ frigefactiua) vt in eodem homine duos intellectus aut duas voluntates. Neque obstaret redundan-

*Probatur.*

tia. Nam etsi omnes præter vnã redundarent in operibus natnræ non tamen essent superuacaneæ, si Deus suæ virtutis ostendẽdæ causa vel let plures numero in eodem subiecto producere, Quòd verò necesse sit dari pleráque, probari primum potest ex pluribus eiusdem speciei relationibus quę simul in eodem extremo reperiuntur: deinde ex pluribus speciebus intentionalibus eiusdem speciei, quas verisimilius est dari simul in eodem subiecto: tum verò ex pluribus sonis, ex pluribus item continuitatibus & durationibus motuum diuersorum specie in eodem mobili, quæ omnia rectè probata esse constat.

Ex quibus patet, si de absoluta Dei potentia sit quæstio, sola ea accidentia, quæ in vnum numero, quod sit intensius coalescunt, non posse plura numero eiusdem speciei in eodem subiecto esse.

*Quænam accidentia eiusdem speciei in eodem subiecto, ne diuina quidem potentia simul esse possint.*

Quod si quis opponat nihil repugnare cum absolata Dei potentia, duas aut etiam plures albedines induci in eamdẽ subiecti partem, salua earum numerali distinctione. Respondendum est nihil quidem id cum absoluta Dei potẽtia pugnare ratione ipsius diuinæ potentię, sed tamen fieri non posse propter ipsius rei conditionem: neque enim alia ratione vniuntur gradus sensibilium qualitatũ in subiectis, quàm per hoc, quod recipiuntur in eodem subiecto, partéque subiecti, si partes habet, vt ex probatione secundæ assertionis patet.

*Opinio Ægidij & aliorũ.*

Ægidius Romanus, Ochamus, Gregorius, aliique Nominales, & quidam Recentiores cõtra sentiunt. Volunt enim naturaliter quidem qualitates vnibiles in vnam intensiorem, si ponantur in eodem subiecto, fore, vt coalescant in vnam numero, at diuina potestate pos se conseruari in eo distinctas numero, & nequaquam vnitas in vnam. Eorum argumenta hæc fere sunt.

*Ægidius quodl. 4. q. 1. Ocham. 1. di. 17. q. 7. Greg. ibid. q. 5. Idẽ Okam 2. dĩ. 1. q. 2.*

*Argumenta. primum.*

Vnum, quia non minus repugnare dicendum est duo corpora esse in eodem loco penetratiuè se habentia, quàm duo accidentia in eodem subiecto adæquatè: at illud prius non excedit facultatem diuinæ potentiæ; quare neque hoc posterius.

2. Alterum, quia Deus ponere potest in eodẽ loco adæquatè duo corpora alba, in quibus erũt simul penetratinè se habẽtes duæ albedines numero distinctæ, quid ergo impediet annihilari subiecta vtriusque & vtramque cum sua distinctione numerali poni in nouo aliquo eodem subiecto. Neq; enim impediet vnitas numeralis subiecti (quã nos maximè dicimus impeditura) cùm diuersitas numeralis accidentium non sumatur intrinsecus ex diuersitate numerali subiectorũ, sed ex diuersitate numerali peculiarium differentiarum indiuiduantium, à quibus formaliter habent accidentia, vt sint plura numero.

3. Tertium, quia vnio graduũ cuiuslibet qualitatis intẽsibilis est intrinseca ipsi qualitati, seu qualitas ipsa ponatur in subiecto, seu diuina potestate extra subiectũ conferuetur: ergo si sumantur duæ qualitates solo numero diuersæ extra subiectum, vnaquæque earũ habebit suam peculiarem vnionem graduum seu partium intẽtionalium, (vt sic dicam) ex quibus cõstabit. Quare si iis qualitatibus positis in eodẽ subiecto ambæ necessitate absoluta debent in vnam coalescere necessariò dicendum est, vnionem graduũ huius tertiæ non fore illis intrinsecam



secam, sed à subiecto datam, cuius tamen oppositum constitutũ erat.

Postremum, quia non est diuinæ potestati subtrahendum, nisi quod apertam contradictionem inuoluat, quod vtique non cernitur in eo, quod duo accidentia vnibilia in vnum ponantur simul in eodem subiecto, conseruata eorum distinctione numerali. 4

Hæc tamen haud difficile soluuntur. Primum quidem negatione propositionis: Magis enim repugnat duo accidentia solo numero distincta (si apta sint vniri in vnum intensius) esse adæquatè in eodem subiecto aut subiecti parte, quàm duo corpora esse adæquatè in eodem loco. Nam vnitas numeralis locati nõ pendet ex vnitate numerali loci, & tamen vnitas numeralis accidentis intensioris pendet ex vnitate numerali subiecti vnientis partes eius intensiuas. *Solutio 1.*

Secundi solutio in eo cõsistit, vt fateamur quidẽ diuersitatem numeralem accidẽtium sumi intrinsecus, & formaliter ex diuersitate peculiarium differentiarũ indiuiduantium, sed tamen negamus dari posse eam differentiarum diuersitatem in qualitatibus eiusdẽ infimæ speciei vnibilibus in vnam numaro intensionem, si subiecta non sint diuersa, aut illæ in diuersis partibus eiusdem subiecti non insint. 2.

Ad tertiũ concedimus vnionẽ graduũ esse intimã cuiliber qualiti habenti gradus, formalitérq; ei conuenire, sed tamẽ dicimus causari illam à subiecto, quemadmodũ vnio extensiua quãtitatis, & si est intima quantitati, & formaliter ei cõuenit, tamen ita caussatur à subiecto, vt dari nõ possit sine proprio & peculiari subiecto, aut re aliqua quæ eius vicem suppleat: quo pacto Deus in sacro Eucharistiæ mysterio per se quidem ipsum supplet vicem subiecti quantitatis (sublata imperfectione subiectionis, informationísve passiuæ) per quãtitatem autem supplet subiectum aliorũ accidentium. Vndè patet posse Deũ duas albedines sine subiecto existentes vnire in vnam intensionem, eámque deinde intendere aut remittere, quia potest supplere vicem subiecti vnientis & sustinentis, quæ nihil imperfectionis important. Non posse tamen facere album, aut albius aliquid, minúsve album sine subiecto, quia hoc iam poscit subiectum, cui albedo inhæreat. 3. *Vnio qualitatum, quæ intenduntur à quo caussetur*

Ad vltimum dicimus ex eo ipso colligi apertam contradictionem quod duo accidentia vnibilia in vnum intensius ponantur in eodem subiecto, & tamen dicantur diuersa numero. Nam si sunt in eodem subiecto adæquatè, & vt ita dicam, penetratiuè, sunt vnita in vnum inrensius propter vnitatem subiecti vnientis: si autem sunt diuersa numero non sunt vnita in vnum intensius. 4.

Vrgebit aliquis hoc pacto, positis diuina potestate duobus corporibus albis penetratiuè in eodem loco adæquatè, si Deus annihilet corpora ipsa, & quantitates etiã eorum, si placet, albedinésq; conseruet distinctas numero inter se, vt erant: iam ipse per se supplebit vicẽ duorum suõiectorũ, ne si suppleat vicẽ vnius duntaxat eas iuxta hanc sententiam vniat in vnam intensiorem: si ergo Deus ibi creet nouum aliquot subiectum, cur eo vti non poterit tanquam duobus ad conseruandas huiusmodi albedines distinctas inter se, & minime vnitas in vnam intensionem? Quanquam enim tale subiectum naturaliter *Obiectio contra explicatam sententiam.*

id præstare non poterit, diuina tamen virtute vtente illo vt duobus ad eiusmodi miraculum, nihil est cur impossibile videri debeat.

*Soluitur.*

FATEMVR quidem posse Deũ vti vno subiecto, vt duobus ad conseruandas duas albedines distinctas numero inter se, non tamen ita vt illud ab vtraq; informetur, sed ita vt vel altera informetur, & alteram sine informatione passiua sustineat, vel neutra informetur, & vtramq; sustineat, quo pacto Deus supplet vicem subiecti præcedẽtis in sacra Eucharistia. Quod autem nos negauimus, illud est, Posse vlla ratione idem subiectum eadẽ parte (si partes habet) informari simul duabus qualitatibus eiusdem speciei infimæ vnibilibus in vnam intẽsiorem, conseruata earum numerali distinctione inter se. Nam cũ subiectum per hoc, quod vtrique subiicitur est caussa in actu vnionis earum inter se, si illæ nihilominus inter se non vniantur, dabitur caussa in actu sine effectu in actu, quod fieri nulla ratione potest.

*Explicatio superioris sententiæ.*

NEC certè Ægidius videtur in opposita sententia, quam iunior in Quodlibetis defenderat, prouectiori ætate perstitisse, cũ in primi sentiarũ libri Commentariis ad distinct. 17. adeo impossibile iudicet duas qualitates eiusdem speciei infimæ in eodem subiecto esse (modò non sint ex iis, vt ait, quæ accipiunt numerũ à principiis actiuis, vt lumina in medio, & aliæ intentionales) vt dicat, si id fiat, fore, vt sint diuersæ specie, ac proinde diuersæ & non diuersæ, quæ est apertissima contradictio. Cæteri verò fortasse nobis cõsensissent, si intelligerent, non negari à nobis posse diuina virtute fieri, vt idem subiectum seu potius res eadem conseruet distincta numero duo accidentia vnibilia in vnum intensius, modo alterum ei inhæreat, alterum sine inhærẽtia ab eo sustentetur, aut neutrum inhæreat, sed vtrunque sustentetur.

*In secundam partem distinctionis, q. 2. art. 1. ad finẽ.*

*Quarta conclusio, qua Aristot. locus exponitur.*

QVARTA assertio. Id quod Aristoteles ait: *Quæcumque in eodem subiecto differentiam habent* (videlicet numeralem) *etiam specie differre*, in iis accidentibus, quæ per motum mutationémve motui coniunctam acquisita sunt, vniuersè dictum esse intelligendum est, quocumq; modo res in cæteris habeat. Hæc assertio ex eo probatur, quia nõ melior se offert explicatio sententiæ Aristotelis, vt patebit percurrẽti omnia accidentium genera, de quibus quæstio esse potest. Nam etsi neq; in aliis quibusdam vnibilibus in vnũ intensiùs dari potest in eodem subiecto distinctio numeralis siue specifica, vt patet in lumine (quicquid Perspectiui, & Auctores secundæ opinionis velint) tamen ad verificandam propositionem Arristotelis satis est, si de iis intelligatur, quæ per motum mutationémve motui coniunctam acquiruntur, vt ex primæ conclusionis probatione perspicuum est.

*Responsio ad argumenta initio proposita.*

SECTIO IV.

*Ad Aristotelis & Diui Tho. auctoritates quid sit dicendum.*

QVARE ad argumentum pro parte negatiua quæstionis initio propositum dicendum est, quod quidem attinet ad opinionem D. Thomæ, multò communiorem & probabiliorem esse oppositam sententiam. Vt autem Aristotelis propositio



propositio vera sit, satis est si intelligatur iuxta sensum primæ conclusionis, vt in quarta diximus.

*Soluuntur argumenta ex principijs perspectiuorum proposita.*

AD ea verò, quæ pro affirmatiua parte ex opinione perspectiuorum proposita sunt, hoc pacto occurrendum. Primum quidem cum altera lucerna extinguitur, non extingui totum lumen, quod ab vtraque simul producebatur, cùm illud adhuc conseruetur à lucerna remanente, remissius tamen, quàm ab vtraque conseruabatur, saltem in partibus spacij remoti seu mediatis. Deinde, vmbras duas, quas duæ lucernæ iaciunt in partes diuersas, non prouenire ex eo quòd singulæ lucernæ singula lumina producant, quorum defectu in diuersis partibus spacij vmbræ efficiantur: sed quia cùm ambæ simul concurrant in cæteris partibus aëris, tamen non possunt ambæ, sed singulæ illuminare partes eas, in quas propter columnæ obstaculum agere non possunt. Postremò in foramine parietis obiecti duabus lucernis non esse duo lumina, sed vnum intensius quàm vltra foramen, quia in foramine possunt ambæ simul concurrere, vltra verò singulæ tantùm, idque propter modum agendi luminosi corporis, quod semper agit per lineam rectam, nisi cum obstaculo alicuius opaci corporis reflectitur.

*Ad rationes physicas respondetur.*

AD ea autem quæ Physicè obiecta sunt dicendum, nihil pugnare cum approbata à nobis sententia, si admittamus eiusmodi entia simul esse in eodem subiecto, quicquid sit de exemplorum veritate. Sunt enim qui descendant in interioribus potentiis cognoscentibus species earum rerum, quæ sunt eiusdem speciei infimæ, diuersarum nihilominus specierum esse, eo quòd res obiectas non repræsentent quatenus specie conueniunt, sed quatenus differunt inter se differentiis indiuiduantibus, quæ eadem specie, esse non possunt, cùm sola analogica communicatione conueniant, de qua sententia, quàm minùs probabilem existimamus, non est hic disputandi locus.

*Non esse probabile species internorũ sensuum omnes differre specie.*

*Ad ea quæ de conceptibus, & rerũ singularium speciebus obiecta sunt, responsio.*

AD id demùm, quod Logicè ac Metaphysicè obiicitur, non est cur resistamus cùm & rectè probatum sit, & nostræ sententiæ non aduersetur: tametsi illud de pluribus numero & speciebus intelligibilibus diuersorum indiuiduorum eiusdem speciei, à nobis in primi libri Commentariis refutatum est.

CAPITIS

## CAPITIS VNDECIMI EXPLANATIO.

*Priora & posteriora quot modis dicantur.*

PRIORA a *& posteriora.* Expositа multiplicitate eiusdem,& diuersi, ac deinde oppositorum, ideo forsitan Aristoteles continenter docet hoc capite quot modis dicantur priora & posteriora, quia priora & posteriora dicunt ordinem quendam inter se,quem constat ex oppositione, aut diuersitate aut saltem distinctione nasci. Tradit igitur duo genera priorum & posteriorum quę rursus in aliqua pleraq; minus communia distinguit: Vnum est eorum quæ dicuntur priora &posteriora ratione alicuius primi, quod principium sit in certo aliquo rerũ genere, quo pacto aqua dicitur prior aëre, quia loci ratione propinquior est centro mundi: contra vero aër posterior aqua, quia remotior: Alterũ eorum, quæ ex solo mutuo respectu inter se dicuntur priora & posteriora quo pacto caussa dicitur prior effectu.

*Obiectio.*

QVOD siquis obiiciat, quicquid est prius aut posterius altero posse dici prius aut posterius illo comparatione alicuius primi,ac proinde superuacaneum esse secundum genus prioris & posterioris, negãdum est quod assumitur. Nã & Deus est prior creatura,nec tamen est prior habita ratione alicuius prioris,cui diuina natura sit propinquior:& prima omnino principia complexa dicuntur priora suis principiatis,cùm tamen non sint illis priora propter maiorem propinquitatem, quam habeant cum priori aliquo complexo principio.

*Diluitur.*

ΚΕΦ. ΙΑ.

*Text. 16.*

Πρότερα [a] καὶ ὕστερα λέγεται, ἔνια μὲν ὡς ὅτι τινὸς πρώτου, καὶ ἀρχῆς ὂν ἑκάστῳ γένει, τὸ [b] ἐγγύτερον ἀρχῆς τινὸς ὡρισμένης, ἢ ἁπλῶς καὶ τῇ φύσει, ἢ πρός τι, ἢ πᾶσι, ἢ ὑπό τινων, οἷον [c] τὰ μὲν κατὰ τόπον, ᾗ εἶναι ἐγγύτερον, ἢ φύσει τινὸς τόπου ὡρισμένου, οἷον τὸ μέσον, ἢ τὸ ἔσχατον, ἢ πρὸς τὸ τυχόν: τὸ δὲ πορρώτερον, ὕστερον, τὰ δὲ [d] κατὰ χρόνον, τὰ μὲν πορρωτέρω τοῦ νῦν, οἷον ἐπὶ τῶν γενομένων (πρότερα μὲν τὰ Τρωϊκὰ τῶν Μηδικῶν, ὅτι πορρώτερον ἀπέχει τοῦ νῦν) τὰ δὲ ᾗ ἐγγύτερον τοῦ νῦν οἷον ἐπὶ τῶν μελλόντων. πρότερον μὲν Νέμεα Πυθίων, ὅτι ἐγγύτερον τοῦ νῦν: ᾗ νῦν, ὡς ἀρχῆς, καὶ πρώτου χρησαμένων. τὰ [e] δὲ, κατὰ κίνησιν. τὸ μὲν ἐγγύτερον τοῦ πρώτως κινήσαντος, πρότερον, οἷον παῖς ἀνδρὸς: ἀρχὴ δὲ καὶ αὔξησις ἁπλῶς, τὰ δὲ [f] κατὰ δύναμιν. τὸ μὲν ὑπερέχον τῇ δυνάμει, πρότερον, καὶ τὸ δυνατώτερον: τοιοῦτον δ' ἐστὶν ᾧ κατὰ τὰς προαιρέσεις ἀνάγκη ἀκολουθεῖν θάτερον καὶ τὸ ὕστερον, ὥσπερ μὲν κινδύνου τε ἐκεῖνος, μὴ κινεῖσθαι, καὶ κινδυνεύοντος κινεῖσθαι: ἡ δὲ προαίρεσις, ἀρχή. τὰ δὲ

*Text. 16.*

Πρότερα [a] καὶ ὕστερα λέγεται, ἔνια μὲν ὡς ὅτι τινὸς πρώτου, καὶ ἀρχῆς ὂν ἑκάστῳ γένει, τὸ [b] ἐγγύτερον ἀρχῆς τινὸς ὡρισμένης, ἢ ἁπλῶς καὶ τῇ φύσει, ἢ πρός τι, ἢ πᾶσι, ἢ ὑπό τινων, οἷον [c] τὰ μὲν κατὰ τόπον, ᾗ εἶναι ἐγγύτερον, ἢ φύσει τινὸς τόπου ὡρισμένου, οἷον τὸ μέσον, ἢ τὸ ἔσχατον, ἢ πρὸς τὸ τυχόν: τὸ δὲ πορρώτερον, ὕστερον, τὰ δὲ [d] κατὰ χρόνον, τὰ μὲν πορρωτέρω τοῦ νῦν, οἷον ἐπὶ τῶν γενομένων (πρότερα μὲν τὰ Τρωϊκὰ τῶν Μηδικῶν, ὅτι πορρώτερον ἀπέχει τοῦ νῦν) τὰ δὲ ᾗ ἐγγύτερον τοῦ νῦν οἷον ἐπὶ τῶν μελλόντων. πρότερον μὲν Νέμεα Πυθίων, ὅτι ἐγγύτερον τοῦ νῦν: ᾗ νῦν, ὡς ἀρχῆς, καὶ πρώτου χρησαμένων. τὰ [e] δὲ, κατὰ κίνησιν. τὸ μὲν ἐγγύτερον τοῦ πρώτως κινήσαντος, πρότερον, οἷον παῖς ἀνδρὸς: ἀρχὴ δὲ καὶ αὔξησις ἁπλῶς, τὰ δὲ [f] κατὰ δύναμιν. τὸ μὲν ὑπερέχον τῇ δυνάμει, πρότερον, καὶ τὸ δυνατώτερον: τοιοῦτον δ' ἐστὶν ᾧ κατὰ τὰς προαιρέσεις ἀνάγκη ἀκολουθεῖν θάτερον καὶ τὸ ὕστερον, ὥσπερ μὲν κινδύνου τε ἐκεῖνος, μὴ κινεῖσθαι, καὶ κινδυνεύοντος κινεῖσθαι: ἡ δὲ προαίρεσις, ἀρχή. τὰ δὲ

b *Quod propinquius est.* Non est hæc generalis omnino explicatio prioris, vt multi existimant,cùm nec possit conuenire omnibus prioribus,vt patet ex proximè dictis,nec id permittant verbà illà præcedentia. *Nonnulla quidem* sed solum exponit quid sit prius iuxta vsurpationẽ prioris generis. Quo loco aduerte primum simpliciter seu natura definitum,esse id quod suapte natura est primum in aliquo genere,quo pacto iuxta priscorũ philosophorum sententiam,orbis inerrantium stellarum est primum quiddã in genere mobilium,& Rex in republica optima.Primum ad aliquid definitum est,id quod non simpliciter,sed respectu alicuius est primum,quo pacto orbis Saturni est primum mobile ab orbe inerrantium,& summus magistratus sub Rege est primus à Rege.Primum alicubi definitum,est id quod obtinet primum locum siue natura,siue respectu alicuius designatum,neque enim hoc membrum opponendum omnino est superioribus duobus,vt ex sequẽtibus patebit.Primum ab aliquibus definitum siue designatum,est primum arbitrarium,vt id vnde libet inchoare orationem.

*Alen. hoc loco D.Tho.lect. 13.& alij.*

*Primum simpliciter.*

*Primum ad aliquid.*

*Primum alicubi.*

*Primum ab aliquibus.*

e *Exempli caussa.* Discurrit per quinq; quasi species prioris &posterioris pertinẽtes ac traditũ genus prioris & posterioris:Alia enim sũt priora aut posteriora loco,alia tẽpore,alia motu,alia potestate,alia ordine.Locus à natura definit⁹ est veluti centrum mũdi,quod terrę naturaliter cõuenit:aut extremũ,quod cœlo à natura



natura deputatum est.Hinc fit,vt nonnunquam dicamus aquam esse priorẽ aëre,quia est propinquior centro mundi, alias autem aërem priorem aqua, quia propius accedit ad Cœlum.Ad primum locum natura designatum reuocari potest locus definitus ab arte,cuiusmodi sunt carceres respectu stadij.Priora loco ad quiduis,dicuntur ea,quæ non simpliciter,sed comparatione alicuius,aut pro arbitrio priora sunt.

*Obiectio.*

QVOD siquis obiiciat supremum orbem esse priorem loco cęteris orbibus, nec tamen ideo esse priorem,quia sit propinquior alicui primo secundum locũ, ergo non rectè explicata esse priora loco:occurrendum est, aut Aristotelem nõ esse complexum omnia priora loco,sed ea tantũ, quæ ita sunt priora, vt nõ sint etiam prima (erat enim perspicuum si propinquiora primo, quia illi propinquiora sunt, dicuntur priora, multò potiori ratione ipsum primum in prioribus ponendum esse) aut certè ipsa prima subaudienda esse hoc loco, vt sit sensus, ea esse priora loco, quæ vel sunt prima loco,vel primis propinquiora, quo pacto dissolues idẽ argumentum, si contra reliqua quattuor genera obiiciatur. Ex his perspicuũ est quæ sint loco posteriora.

*Occurritur obiectioni.*

## CAPVT XI.

*Text.16.*

PRIORA [a] *& posteriora dicuntur, nonnulla quidem ex eo, quòd cum primum aliquid sit & principium in vnoquoque genere,illud est prius,quod* [b] *propinquius est alicui principio,aut simpliciter naturaq;. aut ad aliquid,aut alicubi, aut à quibusdam definito. Exempli* [c] *caussa, quædam sunt priora loco, quia sunt propiora loco alicui definito à natura veluti medio, aut extremo, aut ad quiduis; quod autem remotius est,posterius. Alia* [d] *tempore. Quædam enim quia remotiora sunt ab hoc temporis puncto,vt in iis quæ facta sunt (priora enim sunt, quæ Græci apud Troianos,quàm quæ Medi in Græcia gesserunt, quia lõgius ab hoc temporis momento absunt) quædam quia huic momento sint propinquiora, vt in futuris. Priores enim sunt Nemei Ludi Pythiis,quia huic momento propinquiores,cùm hoc temporis puncto quasi primo,& principio vtamur. Alia* [e] *motu. Quod enim propinquius est ei,quod primum mouit, id prius dicitur, vt puer viro; atque hoc etiam est principium quoddam simpliciter. Alia potestate. Quod enim potestate excellit,quodq; potentius est,id prius dicitur: eiusmodi est autem id,cuius electionem alterum ac posterius sequatur necesse est, ita vt & illo nõ mouẽte non moueatur,& mouẽte moueatur: at electio principiũ est. Alia* alioqui tam in præteritis,quàm in futuris accipere potuisset primum momentum, quo mundus conditus est, eáque omnia dicere priora tempore, quæ illi momento essent propinquiora.Atque ex opposita ratione patet,quæ sint posteriora tempore.

*Aristotelem non cognouisse initium temporis.*

e *Alia motu.* Quia hoc etiam genus,quod tertium est,satis perspicuè ponitur in cõtextu,illud tantum animaduertendum est,semper priora huius generis dici ex aliquo primo secundũ naturam, quod Aristoteles ait simpliciter & absolutè esse principiũ,idq; propterea euenire, quod primum mouens suapte natura est primum respectu consequentium,tum effectorum, vt patet respectu filij & nepotis,aut eiusdem primum pueri,deinde viri,tum etiam mouentiũ illi subordinatorum,quo pacto se habet primus orbis cœlestis respectu inferiorum orbium.

f *Alia potestate.* Quartum hoc genus,quod etiam mouentium est ea ratione distinguitur à superiori,quod principium in illo est natura,in hoc autẽ electio.

Princeps enim ideo dicitur prior iis, quibus imperat, quia propinquior est principio imperandi, quod est electio seu voluntas, quia ipse mouet cæteros. Ex his patet quænam sint posteriora tam motu naturali, quam potestate.

*Priora ordine.*

g *Alia ordine.* Quintum genus est eorum, quæ dicuntur priora ordine enumerationis à primo, quæ quidem merito ab Aristotele absolutè dicuntur priora ordine. Nam etsi omnia quæ sunt priora, dici possint aliquo ordine priora, vt loci aut temporis, tamen ea peculiari ratione dicuntur priora ordine, in quibus nihil aliud attenditur, quam ordo ipse enumerationis, quæ hoc loco vocatur ratio, vt nimirum secundum dicatur prius quam tertium & tertiũ, quàm quartum, atque ita deinceps, quo pacto ille dicitur ĩ choro prior in quo minor numerus absoluitur facto initio numerationis ab eo, qui dux est & caput chori: in fidib. autẽ ea chorda cẽsetur prior, quæ minori numero distat à media, quam Musici principium faciũt & caput aliarum.

τὰ δὲ g κατὰ τάξιν τάξαντα λέγεται ὅσα πρός τι ὡρισμένον διέστηκε κατὰ τὸν λόγον, οἷον παρασάτης ἑστῶτος πρότερον, καὶ ὁ παρανήτης, νήτης. ὅθεν μὴ καλῶς ὁ κορυφαῖος εἴρηται· ἡ δὲ μέση ἀρχή· ταῦτα μὲν οὖν πρότερα τόπον λέγεται τὸν τρόπον. ἄλλον h δὲ τρόπον, τὸ τῇ γνώσει πρότερον, ὡς i καὶ ἁπλῶς πρότερον. τούτων δὲ ἄλλως τὰ κατὰ τὸν λόγον, καὶ τὰ κατὰ τὴν αἴσθησιν, κατὰ μὲν τὸν λόγον, τὰ καθόλου πρότερα, κατὰ δὲ τὴν αἴσθησιν τὰ καθ' ἕκαστα. καὶ κατὰ τὸν λόγον δὲ, τὸ συμβεβηκὸς τοῦ ὅλου πρότερον, οἷον τὸ μουσικὸν τοῦ μουσικοῦ ἀνθρώπου· ὃ μὲν ἔστιν ὅλου λόγου ἄνευ τοῦ μέρους· καὶ k τοι ὄν γε δέχεται μουσικὸν εἶναι μὴ ὄντος μουσικοῦ τινος. ἔτι πρότερα λέγεται τὰ τῶν προσιέντων πάθη, οἷον συβότης λάτνης· τὸ μὲν γραμμῆς κατὰ αὔξην πάθος, τὸ δὲ ἐπιφανείας. τὰ μὲν οὖν ἄνω πρότερα λέγεται· καὶ ὕστερα· τὰ l δὲ κατὰ φύσιν, ὅσα μὴ δέχεται εἶναι ἄνευ ἄλλων, ἐκεῖνα δὲ ἄνευ ἐκείνων μή, ἢ διαιρέσει ἐχρῆτο ὁ Πλάτων, ἐπεὶ m δὲ τὸ εἶναι πολλαχῶς, πρῶτον μὲν τὸ ὑποκείμενον πρότερον· διὸ ἡ οὐσία πρότερον. ἔπειτα ἄλλως τὰ κατὰ δύναμιν, καὶ κατὰ ἐντελέχειαν. τὰ μὲν γὰρ κατὰ δύναμιν πρότερον φύσει. τὰ δὲ κατὰ ἐντελέχειαν· οἷον, κατὰ δύναμιν μὲν ἡ ἡμίσεια τοῦ ὅλου, καὶ τὸ μόριον τοῦ ὅλου, καὶ n ἡ ὕλη τῆς οὐσίας· κατ' ἐντελέχειαν δ' ὕστερον· διαλυθὲν γὰρ οὐκ ἔστι κατ' ἐντελέχειαν ἔτι.

*Priora cognitione.*

Aliũ autem. Tradit alterum commune genus priorũ, in quo nulla habetur ratio primi cuiusquã. Diuiditur autem genus hoc in duo, nempe in priora & posteriora cognitione, & in priora, & posteriora natura. Quia verò duplex est cognitio, vna per intellectum rationémue, altera per sensum, docet Aristoteles ea quæ sunt priora cognitione, duob. modis posse dici priora, aut ratione, aut sensu: ratione quidem, vt vniuersalia particularibus, partes toto, affectiones priorum affectionibus posteriorum: sensu autem (quæ ratione sunt posteriora) vt particularia vniuersalibus, totum partibus, affectiones posteriorum affectionibus priorum. Atque hoc modo causſæ sunt ratione priores effectis, effecta autem sensu, vt plurimum, priora causſis.

Πρότερον ο δὴ τινα πάντα τὰ πρότερον καὶ ὕστερον λεγόμενα, κατὰ ταῦτα λέγεται. τὰ μὲν κατὰ γένεσιν οὐ δέχεται ἄνευ τῶν ἑτέρων εἶναι, οἷον τὸ ὅλον τῶν μορίων· τὰ δὲ κατὰ φθοράν, εἶον τὸ μόριον τοῦ ὅλου, ὁμοίως δὲ καὶ τἄλλα.

i *Quasi simpliciter prius.* Ait *quasi* quia etsi omnia quæ sunt cognitione priora alicui fortasse videantur simpliciter priora, propterea quod definitiones rerum tradantur per illarum principia, quæ sunt priora simpliciter: tamen ea sola quæ ratione priora sunt, priora simpliciter censeri debent: id quod Aristoteles mox innuit, cùm ait aliter priora esse, quæ ratione priora sunt, aliter quæ sensu.

k *Tametsi.* Quasi dicat, etsi Musicum est ratione posterius homine, vt accidens subiecto, tamen vt est pars hominis Musici, prius ratione est quã homo Musicus.

*Priora natura, & substãtia.*

l *Alia autem.* Tradit alterum speciale genus secundæ diuisionis, nempe eorum quæ dicuntur priora natura, id est, naturali essendi ordine, hæc verò sunt quæ non simul tolluntur cum aliis, sed cum iis cætera, seu (vt dicitur in prædicamentis) *In post prædicam. cap. de*



*modis Priorvs.*

mentis) à quibus ad alia non reciprocatur essendi consequentia. Hac diuisione siue oppositione priorũ & posteriorũ vtebatur Plato, cũ dicebat vniuersalia esse priora singularibus, non ratione tantùm, vt est Aristotelis, veráq; sententia, sed re etiã ipsa. Putabat. n. Plato existentiã vniuersaliũ non pẽdere re ipsa ab existentia singularium, sed contra, existentiam singularium ab existentia vniuersaliũ, ꝙ falsum est. Itaq; primus modus, quo aliqua sunt priora natura, est is quo vniuersalia sunt priora singularibus, & quibuscunque minus vniuersalibus non quidẽ eo modo, quo Plato existimauit, sed quo Aristot. in Prædicamentis intellexit.

m *Quoniam verò.* Adhibet secundum, ac tertium modum, quo aliqua dicuntur priora natura, quos colligit ex ea duplici distinctione, qua ens diuiditur in substantiam & accidentia, & in actũ ac potentiã. Substantia est prior accidentibus, quia ex genere suo potest esse naturaliter sine accidẽtibus, accidentia verò sine substãtia non item, vt ipse docebit libr. 7. potentia verò, & actus ita se habent, vt alterũ altero vicissim prius sit, & posterius: est enim potentia ordine generationis prior, actus vero ordine corruptionis. Nam totum si de ordine generationis sit quæstio, prius est potẽtia, quã actu: contra vero ordine corruptionis prius est actu, quàm iterum sit potentia secundum speciẽ. Et quia cum totum ens est actu, partes non sunt entia actu quasi per se existentes, sed potentia, vt patet in misto, perspicuũ est partes eas, ex quibus ante existentibus sit totum, prius in generatione totius esse actu quam potentia, contrà verò in corruptione, prius esse potentia quàm actu, quæ omnia hic breuiter innuuntur ab Aristotele, latius explicanda lib. 9.

*Cur substantia sit prior accident. b Sen.*

*Alia g ordine. Hæc autẽ sunt, quæ ab vno aliquo definito ratione distant, quo pacto in chorea, is qui secundas tenet prior est eo qui tertium locum obtinet, & in fidibus penultima prior est vltima, illic enim ductor, hic media principium est. Atq; hæc quidem hoc pacto priora dicuntur. Alio h aũt modo quod est cognitione prius quasi i & simpliciter prius Horũ vero aliter priora sunt, quæ ratione, aliter quæ sensu. Ratione n. vniuersalia priora sunt, sensu particularia. Ratione etiam prius est accidens toto ipso, vt musicum homine musico, neque enim tota ratio erit sine parte, tametsi k fieri non potest, vt musicum sit, nisi aliquid sit musicũ. Priores itẽ dicuntur priorum affectiones, vt rectitudo lætitæ: illa enim linea, hæc superficiei per se affectio est. Alia igitur hoc modo priora & posteriora dicuntur: alia l aũt natura, ea inquã omnia, quæ eiusmodi sunt, vt sine aliis esse possint, nõ item sine eis illa, qua diuisione Plato vtebatur. Quoniã m vero esse multis modis dicitur, primo quidẽ subiectũ prius est, quo circa prius est substãtia. Deinde aliter, quæ sunt potẽtia, aliter quæ actu. Quædam enim potentia prius sunt, quædam actu, veluti potentia quidem dimidiata linea, quã tota prius est, pars, quàm totum, & materia, n quàm substantia, actu autem posterius, quandoquidem toto dissoluto, adhuc crit actu.*

*Priora natura, & substãtia.*

*Ac o sane modo quodã omnia, quæ prius & posterius dicuntur, vt hæc ipsa dicũtur. Quædam enim generationis ordine sine aliis esse possunt, quo pacto totũ prius est partibus: alia ordine corruptionis, qua ratione pars prior est toto, eodemq; modo res habet in cæteris.*

n *Et materia.* Placet magis, vt substantiæ nomen hic sumatur pro tota essentia ipsoq; composito, vt Alexander [a] exponit, quàm pro forma, vt quidam [b] volunt. Itaque videtur Aristoteles afferre in exempla partium, primum quidem partes integrantes similares, vt partes lineæ, deinde dissimilares, vt elementa comparatione misti, ac demum essentiales, quarum altera, veterum sententia, erat ens actu, vt aqua aut quid simile, altera accidens adiectum, vt raritas aut dẽsitas. Vnde quod ait partes post dissolutionem esse actu, non de omnibus omnino intelligendum est, sed de integrãtibus & materia, quæ sit ens actu, vel si mauis, de iis partibus, ex quibus ante existentibus res confecta est.

[a] *Com. 20.*
[b] *Alens. in hunc locum. Auen-r. cõment. 16.*

o *Ac sane modo quodam.* Docet omnia genera priorum & posteriorum modo *Genera.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Omnia priora & posteriora ad quod genera reuocari possint.*

aliquo reuocari ad ea, quæ sunt priora & posteriora natura. Nam si quis exemplum sumat in toto integro, & partibus integrantibus, vt in tota aqua, quæ in guttas dissoluenda sit, intelliget totam existere, vt ens completum, nondũ existentibus eo modo partibus: contrà verò ea dissoluta partes existere, vt entia completa, non iam existente tota, quod idẽ modo aliquo potest in reliquis obseruari. Nam cùm priora omnia, quatenus priora sunt, non pendeant ex posterioribus, sed potius posteriora ex prioribus, non dubium esse debet, quin priora modo aliquo esse possint sine posterioribus, cùm interim posteriora sine prioribus non possint. Non meminit autem Aristoteles hoc loco priorum, & posteriorum dignitate, vt in prædicamentis, vel quia dignitas magis popularis res est, quàm philosophica, vel certè quia totum illud genus priorum & posteriorum, reuocari potest ad priora & posteriora secundum potestatem, quod hæc vsitatius modo illo priora & posteriora appellentur.

## CAPITIS DVODECIMI EXPLANATIO.

*De quibus hoc capite Aristoteles disputet.*

POTENTIA [a] *dicitur.* Quoniã extrema parte superioris capitis, cũ de prioribus & posterioribus natura ageretur, sæpè mentio facta est potẽtiæ & actus, itẽque verbi posse, explicat Aristoteles hoc loco primùm quidẽ quot sint potentiarum & potentium genera, deinde quot impotentiarum, & impotentium, tertio loco, quę dicantur possibilia & impossibilia, postremò reuocat omnia, quæ à potentia aut impotentia dicũtur ad primum ac præcipuum genus potentiæ: quæ tractatio, ipsa etiã per se, nõ est aliena ab hoc loco cum pertineat ad distinctionem entis in actum & potentiã. Nã cum ea in quolibet genere reperiatur cõsentaneum fuit rationi, vt explicato primo genere entium, antequam ad secundum fieret transitus, aliqua ex parte traderetur. Dico autem aliqua ex parte, quia luculentior huius diuisionis tractatio ad lib. 9. spectat, vbi simul agetur de actu, qui hoc loco prætermittitur. Tradit ergo Aristoteles initio capitis quattuor genera potentiarum quorum primum ac præcipuum est potentia actiua, cuius definitio sic est intelligenda. Potentia actiua est principium motus, aut mutationis existentis in re diuersa ab ea, in qua ipsum est, aut si existentis in ea, in qua ipsum est, non est tamen illud in ea per se, sed per accidens. Exemplum principij quod est in alia re ab ea, quæ mutatur, est ædificandi facultas: eius autem quod est in eadem, sed nõ per se, est ars Medicinæ, quæ etsi aliquando est in eo qui curatur, non est tamen in illo vt curatur, cũ accidat

*Quattuor potentiarum genera.*

*Definitio actiuæ potẽtiæ*

ΚΕΦ. Ι Β'

Text. 17. Δυναμις [a] λέγεται, ἡ μὲν ἀρχὴ κινήσεως, ἢ μεταβολῆς οὐ ἐτέρῳ, ἢ ᾗ ἕτερον. οἷον, ἡ οἰκοδομικὴ, δυνάμις ἐστὶν, ἡ οὐχ ὑπάρχει οὐ ᾧ οἰκοδομικὸν, ἀλλ' ἡ ἰατρικὴ δύναμις ὅσα, ὑπάρχει ἄρ' οὐ ᾧ ἰατρευόμενῳ, ἀλλ' οὐχ ᾗ ἰατρευόμενῳ, ἡ μὲν οὖν ὅλως, ἀρχὴ μεταβολῆς ἢ κινήσεως, λέγεται) δύναμις ἐν ἑτέρῳ, ἢ ᾗ ἕτερον. ἡ δ' [b] ὑφ' ἑτέρου, ἢ ᾗ ἕτερον. καθ' ἣν γὰρ τὸ πάσχον πάσχει τι, ὅτε μὲν οὖν ἐὰν ὁτιοῦν οἷόν τε ᾖ παθεῖν, δυνατὸν φαμὲν εἶναι αὐτὸ παθεῖν: ὅτε δὲ μὴ καὶ πᾶν πάθῳ, ἀλλ' ἂν ἐπὶ τὸ βέλτιον. ἔτι [c] ἡ τοῦ καλῶς τοῦ ἐπιτελεῖν, ἢ καὶ κατὰ προαίρεσιν. ὥστε καὶ τοὺς μόνον ἂν πορευθῆναι, ἢ ἐπόνησας, μὴ καλῶς δὲ, ἢ μὴ ὡς προήλοντο, δύνασθαι φαμὲν δύνασθαι λέγειν, ἢ βαδίζειν. ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ πάσχειν. ἔτι δόσαι ἕξεις, καθ' ἃς ἀπαθῆ ὅλως, ἢ ἀμεταβλήτως, ἢ μὴ ῥᾳδίως ἐπὶ τὸ χεῖρον συμπεσεῖται, δυνάμεις λέγονται. κλῶται μὲν γὰρ, καὶ σωτῆρες) καὶ κάμπτες) καὶ ὅλως φθαρεῖται, ἃ ᾗ δύναται, ἀλλ' ᾗ μὴ δύναται, καὶ ἐλλειπεντινός ἀπαθῆ δὲ τῶν τοιούτων, ἃ μόλις, καὶ ἥρεμα πάσχει διὰ δύναμιν, καὶ τὸ δύναται, καὶ τὸ ἐχειν πῶς.

Λεγομένης



accidat ei, qui curatur habere in se principium actiuum curationis.

*De quibus potentiis loquatur Aristoteles.*

HIC primum aduerte Aristotelem non loqui de omnibus, ac solis potentiis naturalibus pertinentibus ad secundum genus qualitatis: tum quia illæ nõ semper sunt principia agẽdi, tum etiam quia ars Medicinæ, quæ in exemplũ affertur, non ad secundum, sed ad primum genus qualitatis pertinet. Illud etiam aduerte ea ratione excludi ab hac definitione potentiam passiuam, quia semper est in eo, quod patitur, quatenus tale est. Postremò qualitates motiuas grauium & leuium (vt D. Thomas adnotauit) non comprehẽdi in hac definitione, vt sunt principia motus ipsorum grauium & leuium: hoc enim pacto nec sunt principia motus existentis in alio, sed in eo ipso in quo sunt: nec etiam sunt in illo per accidens, quo pacto ars Medicinæ est in ægroto, sed per se ac necessariò. Itaque non sunt potentiæ actiuæ ipsorum grauium & leuium quæ mouentur, sed passiuæ, de qua re 9. libro disputandum est, & quamquam modo aliquo appellari possunt actiuæ potentiæ instrumentales generantium, nempe quatenus motum

*Qualitates motiuæ grauium, & leuium an hic definiantur.*

## CAPVT XII.

Text. 17. POtentia [a] *dicitur alia quidem principium motus, mutationísve in alio, aut quatenus aliud est. Exempli caussa, ædificandi facultas potentia est, quæ non ineſt in eo, quod*

Tex. 2. *ædificatur: at medendi ars, cùm sit potẽtia, ineſſe quidem potest in eo, qui curatur, verùm non quatenus curatur. Alia igitur potentia dicitur omnino principium mutationis, aut motus in alio, aut quatenus aliud est. Alia verò* [b] *ab alio, aut quatenus est aliud. Qua enim patiens aliquid patitur, eadem interdum quidem, si quiduis possit accipere, pati illud posse dicimus; interdum verò non, si quamuis affectionem, sed si eam quæ in melius ducat. Item* [c] *potentia bene hoc, ac perfectè efficiendi aut per electionem. Nonnunquã enim eas, qui solùm ambularunt, aut dixerunt, non bene tamen, aut non vt decreuerant, nõ dicimus posse dicere, aut ambulare. Quod eodẽ modo accidit in patiendo. Præterea* [d] *omnes habitus, quibus res sunt omnino passionis expertes, aut immutabiles aut nõ facilè in deterius mutabiles, potentiæ dicuntur. Franguntur enim quædã, & conteruntur, & flectũtur, & omnino corrumpuntur non per potẽtiã, sed per impotentiã & defectũ aliquẽ. Ex his aũt ea dicuntur passionis expertia, quæ propter potentiam, & quia possunt, ac modo quodam se habent, vix ac parum patiuntur.*

Cum

grotet, aut vt vincatur, cum id potius videatur impotentia, sed vt vincat, aut sanetur.

c *Item potentiæ.* Tertium hoc genus potentiæ satis apertum est ipso vsu, quæ enim imperfectè facimus, ea sæpè non per potentiam, sed per impotentiã agere dicimur, vt si quis ineptè oret, aut ineleganter ambulet. Idẽ verò accidit in patiendo, vt si quis difficile curetur aut doceatur.

d *Præterea omnes habitus.* Hoc genus potentiæ, quod quartum est, complectitur omnes formas, quæ obstant, ne subiecta mutentur in deterius, aut sunt in

causſa,vt difficilè mutentur,quæ eſt quædam impotentia patiendi detrimentũ, vt inferius patebit: quo pacto ait Ariſtot.in Prædicamentis durum ſignificare potentiam quia obſtat quominus aliquid facilè ſecari poſſit, molle autem impotentiam,quia non obſtat.Hac ſignificatione dicere poſſumus, corpora beatorum poſſe poſt reſurrectionem perpetuo viuere ratione eius qualitatis quam Theologi dotem impaſſibilitatis appellant, ſiue ea in ipſis corporibus ſit, vt [a] quidã volunt,ſiue (q. [b] ab aliis dicitur)in animis exiſtat,quicquid ea tandem ſit.

*Cap. de qualitate.*

[a] *Richard in 4.diſt.9.q.2. Paluld. in 4. diſti. 44.q.2. Cap. ibi.q.2. artic.3.*

[b] *D. Thom. in 4.diſt. 44. q.2.art.1.Dominicus Soto in 4.diſt. 49. q.4.art.5.& alij.*

*Impaſſibilitas dos beatorum,vt poſſit dici potentia.*

*Potens quot modis dicatur.*

c *Cum autem potentia.* Colligit ex traditis generibus potentiarum totidẽ genera potentium.Primo enim modo potens dicitur ex potentia actiua abſolutè, ſiue ea ſit in ipſo, ſiue in aliquo eius inſtrumento,quo pacto dicimus ignem poſſe per ſe naues comburere, hominem verò eſſe potẽtem comburere per ignem.

Λεγομένης [c] δὲ τ δυνάμεως τοσαυταχῶς,καὶ τὸ δυνατὸν ἕνα μὲν τρόπον λεχθήσετ) , τὸ ἔχον κινήσεως ἀρχὴν, ἢ μεταβολῆς καὶ ᾗ τὸ ποητικὸν,δυνατόν τι εἶναι ἐν ἑτέρῳ,ἢ ἢ ἕτερον. ἕνα [f] δὲ ἐὰν ἔχῃ τι αὐτ ἄλλο δυναμιν τοιαύτην: ἕνα δὲ ἐὰν ἔχῃ μεταβάλλὴν,ἐφ' ὅτιοῦν δυναμιν τοιαύτην,εἴτε ἐπὶ τὸ χεῖρον , εἴτε ἐπὶ τὸ βέλτιον.καὶ ᾗ τὸ φθαρτὸν δοκεῖ δυνατὸν εἶναι φθείρεσθαι,ἢ ὃκ ἂν φθαρῶσι εἰ ἦν ἀδύνατον:νῦν δὲ ἔχει τινὰ διαφεσιν καὶ αἰτίαν καὶ ἀρχὴν τοιάυτ τοιάυτ πάθος,ὅτε μὲν ᾗ ζῷ ἔχειν δοκεῖ , ὅτε δὲ ζῷ ἐγερθῆναι τοιάυτον εἶναι εἰ δ' ἡ φθορὰ ἐστιν ἕξις πως,πᾶν ζῷ ἔχειν, εἴη ἄν τι.δμωνύμως δὲ καὶ λεγόμενον τὸ ὄν: ὥστε ζῷ ἔχειν ἕξιν τινὰ καὶ ἀρχὴν,ἐστι δυνατὸν,καὶ ζῷ ἔχειν τῶν τοιάυτ φθορῶν,εἰ ἐνδέχετ) ἔχειν φθοράν.ἕνα [g] δὲ, ζῷ μὴ ἔχειν ἀῦτ δύναμιν, ἢ ἀρχὴν ἐν ἄλλῳ , ἢ ἢ ἄλλο φθαρτικόν. ἔτι [h] δὲ ταῦτα πάντα , ἢ ζῷ μόνον ἂν συμβῆναι γενέσθαι,ἢ μὴ γενέσθαι, ἢ ζῷ καλῶς. καὶ γὰρ ἐν τοῖς ἀψύχοις ἔνι ἡ τοιαύτη δύναμις,οἷον ἐν τοῖς ὀργάνοις.τὴν μὲν γὰρ δύνασθαί φασι φθέγγεσθαι λύραν, τὴν δὲ ᾠδὴν,ἂν μὴ ᾖ σύφωνος.

Ἀδυναμία [i] δὲ ἔστι φθορὰ δυνάμεως , καὶ τῆς τοιαύτης ἀρχῆς ἄφαις τις. ὅια ἔφηται ἢ ὅλως , ἢ ζῷ πεφυκότι ἔχειν , ἢ καὶ ὅτε πέφυκεν ἤδη ἔχειν. ὅθεν γὰρ ὅμοιος ἂν φαίεν ἀδύνατον εἶναι γεννᾶν παῖδα, καὶ ἄνδρα σύνεχίαν.ἔτι [k] δὲ καθ' ἑκατέραν δύναμιν ἐστὶν ἀδυναμία ἀντικειμένη , τῇ τε μόνον κινητικῇ καὶ τῇ καλῶς κινητικῇ.

Καὶ

*Quæ pati poſſunt qua ratione potẽtia dici poſſint.*

di mutationi,qualis eſt ad ægrotandum imbecillitas potentiæ euacuatiuæ.Cæterùm,quia priuationes concipi poſſunt vt habitus (ſiquidem negationes operatione intellectus modo aliquo participare poſſunt rationem entis ) ſubdit Ariſtot.dici poſſe in vniuerſum omnia,quæ in deterius pati poſſunt,id poſſe,quia aliquid habeant:ſiue id inde proueniat,quia habeant verum habitum ac principium,id eſt,veram ac realem entitatẽ,ob quam ſic mutari poſſint : ſiue quia habeant priuationem alicuius impedientis talem paſſionem,eo tamen pacto, quo priuatio haberi poteſt. Neque enim ſimpliciter haberi poteſt, cùm nullius ſit entitatis.

g *Alio verò modo.* Tertio modo dicitur vnumquodque potens, ſi habeat impotentiam patiendi detrimentum ab alio, ſeu (quod idem eſt ) quia per nullam potentiam exiſtentem in alio,aut etiam in ipſo, per accidens corrumpi poteſt, aut quouis modo in deterius mutari,ſiue ſimpliciter,ſiue facilè : dicitur autem hoc



hoc genus potentium ex potentia quarto modo dicta.

h *Porro autem.* Vt tradat quartum genus potentium, quod dicitur ex potentia tertio modo ſumpta, docet omnia,quæ aliquid poſſe dicuntur, nomine potentium appellari, vel quia ſimpliciter aliquid agere aut pati poſſunt, vel quia impedire valeant, quominus aliquid fiat ( quæ pertinent ad tria genera potentium hactenus enumerata ) vel quia non ſimpliciter tantùm atque vtcũmque, ſed rectè etiam agere,aut pati poſſunt, quod pertinet ad quartum, pro quo genere adducit exemplum lyræ.

i *Impotentia verò.* Exponit quid ſit impotentia docétque nihil eſſe aliud, quã priuationem potentiæ iam explicatæ, quouis modo illa dicatur principium,ſiue agẽdi, ſiue patiendi, ſiue non patiendi detrimentũ.Deinde duplicirer eãdem diſtinguit, primũ quidem iuxta tres modos generales priuationis, quorum vnus eſt pura negatio, alter negatio in ſubiecto apto, non tamẽ tempore à natura præſcripto, vt habeatur forma,tertius negatio in ſubiecto apto & tempore à natura præſcripto, vt forma inſit, qui ſolus eſt proprius. Cùm ergo impotentia ſit priuatio potentiæ, primo quidẽ modo dicitur mulus priuatus potentia tum generandi,quæ eſt actiua, tum etiam diſcendi, quæ eſt paſſiua, ſecundo autem infans priuatus vtraq;, tertio verò vir Eunuchus priuatus priori, mente autem captus, poſteriori.

*Impotentia quid ſit, & quotuplex.*

k *Præterea vtrique.* Diſtinguit iterum impotentiam in impotentiam agẽdi ſimpliciter, & bene ſeu perfectè agendi,quæ eadẽ diſtinctio quadrat in impotentiam patiendi, & in eã quę eſt priuatio impotentiæ patiendi detrimentum. Nam cùm inter potentias numerata ſit impotentia patiendi,merito eius priuatio inter impotentias cenſebitur:ſiue impotẽtia patiendi ſumatũr ſimpliciter,cuiuſmodi eſt ea,quam habent ſubſtantiæ ſeparatæ,vt corrumpantur:ſiue cum adiectione,id eſt,bene,aut facile, quo pacto adamas habet impotentiam,vt diuidatur.Erit igitur priuatio huiuſmodi impotentiæ patiendi detrimentum, impotentia quædam, quo pacto impotentia eſt mortalium rerum,quòd non habeant eam impotentiam,vt non lædatur, quam habent immortales.

*Cum [c] aũt potentia tot modis dicatur,potens quoque vno quidẽ modo dicetur id,quod motus, aut mutationis principium habet.Id enim,quod ſtatus effecti uum eſt,potens eſt,vt aliquid ſit in alio, aut quatenus eſt aliud. Alio [f] autem modo,ſi quid alium ipſius talẽ habeat potentiam.Alio ſi potentiã habeat,vt in quiduis,ſiue in deterius,ſiue in melius mutari poſſit,Nã & id quod corrumpitur,potẽtiam habere videtur vt corrumpatur;alioqui non corrumperetur, ſi id eſſet impoßibile:nunc aũt diſpoſitionem quandam,cauſſamq;, & principium eiuſmodi paßionis habet. Interdum enim quia aliquid habet,interdum quid priuatum eſt, tale videtur eſſe.Quod ſi priuatio modo aliquo eſt habitus;omnia propterea quod habeant, aliquid erunt. At ens æquiuocè dicitur ; quare potens aliquid erit, quia & habitum aliquem , ac principium habet ; & quia eius priuationem , ſi tamen priuatio haberi poteſt.Alio [g] vero modo , quia nullam habet eius potentiam,aut principium in alio, aut quatenus aliud corruptionis effectiuũ. Porrò [h] autem hæc omnia dicuntur,aut quia ſolùm contingat fieri aliquid,vel nõ fieri,aut quia bene. Nã & in rebus inanimis huiuſmodi potentia ineſt,veluti in inſtrumentis. lyram enim aliã ſonare poſſe dicunt, aliam non poſſe:ſi ſonora non ſit.*

*Impotẽtia [i] verò eſt potentiæ priuatio,taliſq; principij quædam detractio,quale dictũ eſt,aut ab eo,quòd aptum eſt vt habeat,aut etiã quando aptum eſt, vt tã habeat. Neque enim eodem modo impoßibile quis dixerit,puerum generare, quo virũ Eunuchum. Præterea [k] vtriq; potentiæ eſt oppoſita impotentia, tam ei quæ ſolum mouere , quàm ei quæ bene mouere poteſt.*

Ἀδυνατα

*Impotentia eſt rerũ mortalium , quod non habeant impotentiam vt non lædan tur.*

Ad ve-

*Quæ dicantur impotentia.*

1 Ἀδύνατα *etiam.* Non potuit hoc loco nomen hoc Latinè reddi, quia cum significet tum impotētia, tum etiam impossibilia, quemadmodum vox ἀδύνατα & potentia, & possibilia, vtrunque significationem initio huius periodi complecti voluit Arist. Docet ergo duo esse genera τῶν ἀδυνάτων, primum eorum, quæ dicuntur ab impotentia hactenus exposita, quæ quidem dicuntur impotentia. Alterum eorū quæ quatenus talia sunt, non necessariò dicuntur ab impotētia, sed ab ipsa terminorum aut non conuenientia, aut repugnantia, ab ipsa quidem nō conuenientia, vt Socratem sedere cùm non sedet, à repugnantia verò, vt Socratem esse rationis expertem. Atque hæc dicuntur impossibilia, quo pacto ἀδύνατον sumitur cum possibili opponitur. Quia igitur ex dictis perspicuum erat quotuplex esset impotentia, non fuit opus, vt Aristoteles plura diceret de generibus impotentium.

*Quæ impossibilia.*

m *Impossibile quidem.* Docet hac tertia capitis parte quænam dicātur possibilia & impossibilia, quæ quidem ferè semper sumuntur, vt respondent enūtiationibus, velut hominem sedere, hominem esse rationis expertem: dico autem ferè semper, quia interdum etiā sumūtur sine copula verbi, vt homo sedeus, homo rationis expers. Verum quia in possibilibus, & impossibilibus hoc posteriori modo sumptis semper spectatur ordo ad enūciationem, merito Aristoteles explicationem accōmodat possibilibus & impossibilibus prioris generis. Primùm igitur ait id esse impossibile, cuius contrariū, hoc est, contradictorium necessariò est verum, vt diametrum esse commensurabilem lateri quadratī. Vnde colligitur id quod impossibile est, necessariò esse falsum. Possibile autem, quod est contrarium impossibili, id esse docet, cuius contradictorium non necessario est falsum, veluti hominem sedere, & quia id cuius contradictorium non necessario est falsum, potest esse aut indifferens ad esse, & non esse, quod dicitur contingens, vt patet in exemplo tradito, aut determinatum ad esse (quod dicitur necessarium siue simpliciter, siue ex hypothesi) vt Socratem esse hominem, aut sedere, cùm sedet: aut denique sumi vt commune quid contingenti & necessario. Trifariam diuidit possibile: in possibile commune vtrique, quod vocat non necessariò falsum, in necessariū, quod appellat id quod verum est, & in contingens propriè dictum, quòd cùm verum non sit, potest tamen verum esse: quæ distinctio possibilis in libris etiā de Priori resolutione tradita est.

Καὶ l ἀδύνατα δὲ, τὰ μὴ ἁπλῶς ἀδυνάμει τοῦτο λέγεται, τὰ δ' ἄλλον τρόπον· οἷον, δυνατὸν τε καὶ ἀδύνατον. ἀδύνατον m μέν, ὃ τὸ ψεῦδος ἀναγκης ἀληθές, οἷον τὸ τὴν διάμετρον σύμμετρον εἶναι ἀδύνατον, ὅτι ψεῦδος τὸ τοιοῦτον, καὶ ὃ τὸ ἐναντίον, ὃ μόνον ἀληθὲς, ἀλλὰ καὶ ἀνάγκη, οὗ ἀσύμμετρον εἶναι. τὸ αρα σύμμετρον ὃ μόνον ψεῦδος, ἀλλὰ καὶ ἀναγκης ψεῦδος. τὸ δ' ἐναντίον τούτῳ, τὸ δυνατὸν, ὅταν μὴ ἀναγκαῖον ᾖ τὸ ἐναντίον ψεῦδος εἶναι· οἷον, τὸ καθῆσθαι ἄνθρωπον δυνατόν· ὃ γὰρ ἀναγκης τὸ μὴ καθῆσθαι ψεῦδος. τὸ μὴ οὗ δυνατόν, ἵνα μὴ τόπον, ὥσπερ εἴρηται), τὸ μὲν δὴ ἀνάγκης ψεῦδος σημαίνει· ἵνα δὲ, τὸ ἀληθὲς εἶναι, ἵνα δὲ τὸ ἐνδεχόμενον ἀληθὲς εἶναι.

*Definitio rei impossibilis.*

*Possibilia.*

*Distinctio possibilis.*

*Obiectio ab Aristotele dilnitur.*

n *Quæ autem.* Obiter occurrit obiectioni, qua quis forsan reprehendat distinctionem potentiæ superius positam, quod non videatur complecti omnia potentiarum genera. Nam apud Geometras in qualibet linea recta dicitur esse potentia, vt ex ea ducta in seipsam possit fieri quadratum, vnde sit, vt ipsum etiam quadratum potentiam talis lineæ appellent: at ea potentia nec actiua est, nec

Καὶ n κατὰ μεταφορὰν δὲ, ἢ ἐν τῇ γεωμετρίᾳ λέγεται δύναμις. τοῦτα o μὲν οὖν τὰ δυνατὰ ἢ τῇ δύναμιν. τὰ p δὲ λεγόμενα τῇ δύναμιν, πάντα λέγεται πρὸς τὴν πρώτην μίαν, ἀρχὴ δ' ἐστὶν αὕτη μεταβολῆς ἢ ἄλλῳ ἢ ἄλλο. τὰ μὲν γὰρ ἄλλα λέγεται δυνατὰ, τὰ μὲν ὡς ἔχειν αὐτῶν ἄλλοτι τοιούτως δύναμιν, τὰ δὲ, ὡς μὴ ἔχειν, τὰ δὲ, ὡς εὖ ἔχειν. ὁμοίως δὲ καὶ τὰ ἀδύνατα. ὥστε ὁ κύριος ὁρισμὸς τῆς πρώτης δυνάμεως ἂν εἴη, ἀρχὴ μεταβλητικὴ ἐν ἄλλῳ ἢ ἄλλο.



nec passiua, nec qua res lædentibus resistat, siquidem in rebus mathematicis, quia sunt abstractæ à motu & actione, non possunt tales potentiæ reperiri. Ait ergo Aristoteles, potentiam quæ in Mathematicis vsurpatur, non dici propriè, sed translatitiè, ideo enim linea, dicitur habere potentiam, quia cū mente in se ipsam dicitur (neque enim re ipsa id fieri potest) concipitur ex ea quadratum, ꝙ quidem est quodammodo fieri ex illa quadratum, sed non re vera fieri.

o *Atque hæc quidem.* Docet τὰ ἀδύνατα, posteriori modo sumpta, hoc est possibilia non dici ex potentia vlla, quæ sit vera & realis, sed (quod subaudiendū est) ex ipsa conuenientia, aut non repugnantia terminorum. Obstare tamen videtur id, quod dicimus, hominē sedere esse possibile ex potentia sedēdi, quod idē in plerisque aliis cernere est.

Sed dicendum ita intelligendum esse Aristotelem, quasi dicat possibilia non necessariò dici ex potentia, etiam si in plurimis dicatur. Atq; hac in re distinguuntur possibilia à potentibus, hæc enim quatenus talia sunt (si modo propriè sumantur) necessariò dicuntur ex potentia. vera & reali, de qua est sermo: at possibilia dici possunt ex potentia logica, quæ nihil est aliud, quam ipsa cōuenientia, vel non repugnantia terminorum.

*Quid sit potentia logica.*

Quod autem possibilia non necessario dicātur ex potentia reali ex eo patet, quia cōnexiones per se, vt hominem esse animal, hominem esse disciplinæ capacē, Deū esse actum purum, diametrum esse incōmensurabilem lateri quadrati, etsi sunt possibiles, atque adeò necessariæ, tamen, cùm nullam habeant caussam veram & realem, vt supradictum est, ex nulla vera potentia possibilia appellari possunt.

***Ἀδύνατα l etiam partim ex hac impotentia, partim alio modo dicuntur, vt possibile & impossibile. Impossibile m quidem, cuius contrarium necessario est verum, quo pacto impossibile est diametrum esse commensurabilem, quia hoc falsum est, & cuius contrarium non modo est verum, sed etiam necessarium, nempe esse incommensurabilem. Itaque commensurabilem esse non solùm falsum est, sed etiam necessariò falsum. Possibile autem huic contrarium est, cùm non est necesse falsum esse contrarium, quo pacto possibile est hominem sedere: non enim necessariò falsum est illum non sedere. Possibile igitur vno quidem modo, vt dictum est, id significat, quod non necessariò est falsū, alio autem, verum esse, alio, quod verum esse potest.***

***Quæ n autem in Geometria dicitur potentia, trāslatione dicitur. Atque hæc o quidem ἀδύνατα non ex potentia dicuntur. Quæ p autem dicuntur ex potentia, omnia ad vnam primam dicuntur, hæc autem est principium mutationis in alio, quatenus aliud est. Cætera enim dicuntur posse, partim quod aliquid eorum potentiam habeat, partim quod non habeat; partim quod sic habeat. Eodemque modo se habent τὰ ἀδύνατα. Quare propria primæ potentiæ definitio fuerit, principium mutationis efficiens in alio, quatenus aliud est.***

*Cap. 5. q. 2. sect. 1.*

Maivs dubium est de eo, quod Aristoteles superius innuere videtur, cùm dixit *partim alio modo* nempe impossibilia nō semper dici ex negatione veræ: potentiæ & realis, id enim ea ratione videtur falsum, quia impossibilia ideo talia esse iudicari debent, quia non possunt fieri diuina potestate. Dicendum est tamen verissimum esse, quod Aristoteles innuit. Ea enim quæ simpliciter impossibilia sunt non ideo dicuntur impossibilia, quia fieri non possunt diuina potestate, sed potius ideo non possunt fieri diuina potestate, quia sunt impossibilia, id est, quia sunt repugnantia in se, & contradictionem inuoluunt, vt hominē esse rationis expertem.

*Dubitatio. Dissoluitur. Impossibilia non ideo dicuntur quia non possunt fieri diuina virtute, sed id eo fieri non possunt diuina, quia impossibilia sunt.*

p *Quæ autem.* Docet hac extrema parte capitis omnia tum potentia & possibilia, tum etiam impotentia & impossibilia, quæ ex potentia aut impotentia vera ac reali dicuntur, reduci ad potentiam actiuam, quæ primo loco exposita est. Nam cum potentia passiua ex actiua dicatur, & potentia rectè agendi & patiendi pendeant ex actiua simpliciter, & passiua simpliciter, impotētiæ vero sint

quædam priuationes potentiarum, necessariò efficitur, vt quicquid ex vera ac reali potentia aut impotentia dicitur, ad potentiam actiuam redigatur. Secus dicendum est de iis, quæ non ex reali potentia, aut impotentia dicuntur, sed ex logica, vt dictum est. Quo loco aduerte bis repeti definitionem potentiæ actiuæ sine particula, *aut*, quòd ex proprio loco suppleri facile possit.

## CAPITIS DECIMITERTII EXPLANATIO.

*Cur de quãtitate prius explicet Aristoteles.*

*Quantum* a *dicitur.* Explicata substantia, & iis quæ illius occasione exposita sunt, persequitur Aristoteles cætera prædicamenta. Atque ex absolutis, quæ in substantia inhærent, ideo priori loco de quantitate agit, quia quando cunque qualitas cum quantitate coniungitur, semper quantitas est media inter substantiam & qualitatem, vt merito secũdarium qualitatis subiectum haberi possit. In qua explicanda primum docet, quid sit quantum, seu potius quantitas, deinde tradit eius species, postremò docet quæ sint quanta per se, & quanta per accidẽs: sumi autem hoc loco quantum pro quantitate ex ipsa diuisione perspicuũ est, qua quãtum diuiditur in numerum & magnitudinem, quæ sunt quantitates quædam. Dicũtur porrò quantitates quanta quædam, non quia affecta sint quantitate (quo pacto aliquid dicitur album, quia affectum est albedine) sed quia constant partibus extẽsionis: hac enim de causa pro ratione magnitudinis aut multitudinis partium dicuntur multa, vel pauca, magna, vel parua, Docet igitur quantitatem esse id, quod diuisibile est in ea quæ insunt, hoc est, in partes ex quibus formaliter constat, quarum vtraque (si duas tantum habeat) vel vnaquæque (si sunt plures duabus) vnum quid, & hoc aliquid aptum est esse, id est, apta est, vt designetur extra aliam in ipso toto, quo pacto in binario lapidum designantur separatim duæ vnitates, & in linea duorum palmorum duo palmi. Cùm igitur quantum dicitur esse diuisibile, excluduntur entia indiuisibilia. Cùm additur, in ea quæ insunt, excluduntur corpora mista, quæ etsi diuidi seu potius resolui possunt in elementa, tamen ipsa elementa non existũt formaliter in mistis, sed virtute, vt libro 8 patebit, itémque cætera omnia, quæ quouis alio modo non constant formaliter ex iis, in quæ diuiduntur, vt superiora ex inferioribus. Cùm denique additur *quorum vtrumque, &c.* excluduntur substantiæ compositæ ex materia & forma, quatenus constant huiusmodi partibus, Neque enim materia & forma possunt in ipso toto altera extra aliam separatim demonstrari. Quod si quis quærat, qua particula reiiciantur huiusmodi substantiæ, earúmque qualitates extensæ, vt albedo, quatenus diuidi possunt in partes extensionis, videntur enim nulla ratione excludi: respondendum est, reiici per particulam *diuisibile* sumitur enim pro diuisibili per se, hæc autem non sunt per se diuisibilia in partes extensionis, sed ratione quantitatis, quæ extendit substantiam, cui inest, & qualitates, quæ in ipsa inhærent. Accipiendum quoque est idem verbum, quatenus significat posse rem diuidi, aut re ipsa, aut operatione intellectus, ne excludatur numerus, qui nulla ratione potest reali diuisione

*Quantũ pro quãtitate hoc loco sumi.*

*Quid sit quantitas.*

*Quæ a definitione tradita reiiciãtur.*

ΚΕΦ. ΙΓ'.

Text. 18. Ὅσον a λέγεται τὸ διαιρετὸν εἰς ὄντα πάρχοντα, ὧν ἕκατερον ἢ ἕκαστον, ἕν τι, καὶ τόδε τι πέφυκεν εἶναι. πλῆθος μὲν οὖν τοσόν τι, ἂν ἀριθμητὸν ᾖ, μέγεθος δὲ, ἂν μετρητὸν ᾖ, λέγεται c δὲ πλῆθος μὲν, τὸ διαιρετὸν δυνάμει εἰς μὴ συνεχῆ: μέγεθος δὲ, τὸ εἰς συνεχῆ. μεγέθους δὲ, τὸ μὲν ἐφ' ᾧ συνεχὲς, μῆκος: τὸ δ' ἐπὶ δύο πλάτος: τὸ δ' ἐπὶ τρία, βάθος. τούτων δὲ πλῆθος μὲν τὸ πεπερασμένον, ἀριθμὸς: μῆκος δὲ, γραμμὴ: πλάτος δὲ, ἐπιφάνεια, βάθος δὲ, σῶμα.

Text. 18.

Eri



li diuisione diuidi, quantumcunque enim vnitates re ipsa separentur, semper tamen numerus erit integer, vt si partes ternarij lapidum toto dispergantur. cœlo. Eadem ratione non excluditur quantitas cœli, nec quantitas minimi naturalis eius speciei, quæ minorem quantitatem poscit in minimo naturali, quã cæteræ omnes, vt forsitan terra. Nam etsi hæ quantitates re ipsa diuidi non possunt per caussas naturales, diuiduntur tamen designatione, immo etiam diuidi possunt diuina virtute. Quanquam quod attinet ad quantitates, quæ naturaliter diuidi nequeunt, satis est, quod illis ex ipsa natura quantitatis non repugnet, tametsi ratione subiecti repugnet.

*Quantitatẽ cœli & minimi naturalis esse diuisibiles.*

b *Ac multitudo quidem.* Supposita diuisione quantitatis in multitudinem & magnitudinem (quæ diuisio num immediata & adæquata sit, postea dicemus) ostendit primum multitudinem (nempe rerum permanentium) & magnitudinẽ esse quantitates quasdam, veras nimirum & reales, si modo finitę sint, & illa numerari, hæc sub mensuram cadere possit. Non quòd putet infinitionem repugnare quantitati, aut traditæ rationi quantitatis, vt qui tempus æternum à parte priori, ac proinde infinitum ponat, infinitásque generationes ab æterno præcessisse doceat, eiusmodique definitionem quãtitatis hoc loco tradat, quę infinitis (si dentur) æquè ac finitis conueniat: sed quia cùm existimet multitudinem infinitam rerum permanentium, & magnitudinem infinitã esse res impossibiles, & quasi figmenta quædam ex partibus possibilibus conficta, necesse est dicat eas non esse veras entia, ac proinde nec veras quantitates, quare à definitione quantitatis tradita per ens reale, siue possibile, quod quasi genus

*Multitudinẽ infinitam rerum permanentium, & magnitudinẽ infinitam non esse veras quantitates apud Aristotelem.*

## CAPVT XIII.

Text. 18. *Quantum* a *dicitur, quod diuisibile est in in ea, quæ insunt, quorum vtrumque, vel vnumquodque vnum quiddã, & hoc aliquid aptum est esse. Ac* b *multitudo quidem quantum est quoddam, si numerari possit, magnitudo autem, si sub mensuram caderet. Porro* c *multitudo id dicitur, quod potestate in non continua diuisibile est, magnitudo, quod incontinua. Magnitudinum verò, ea quæ ad vnum continua est, longitudo dicitur, quæ ad duo, latitudo, quæ ad tria, profunditas. Horum autem, multitudo quidem finita, numerus, longitudo: linea, latitudo, superficies, profunditas, corpus dicitur.*

Text. 18.

*Prætesubaudiendum est, excludendas esse.*

c *Porro multitudo id dicitur, quod potestate in non continua diuisibile est, magnitudo, quod in continua.* Docet multitudinem esse id, quod in non continua diuidi potest hoc est, quod mente distingui potest in partes ita componentes totum, vt non cohæreant, siue continuatæ sint inter se in ipso toto, magnitudinem verò esse id, quod hoc pacto diuidi potest in ea, quæ continuata sunt, & cohærentia. Describit deinde longitudinem, latitudinem, & profunditatem, seu potius ex diuisione magnitudinis innuit quo pacto describi possint. Longitudo (vt ex diuisione colligitur) est magnitudo, quæ ad vnum cntinuata est, hoc est, solum ad punctum: latitudo, quæ ad duo, id est, ad punctum & lineam: profunditas, quæ ad tria, ad punctum scilicet lineam, & superficiem. Vel potius hoc modo, longitudo, quæ ad vnum continuata est, hoc est, versus vnam tantum loci positionem: latitudo, quæ versus duas, profunditas, quę versus tres: seu, quod idem est linea est magnitudo vnius dimensionis, superficies, duarum, corpus, trium. Demum describit numerum, lineam, superficiem, & corpus, aitque numerum esse multitudinem finitam, lineam longitudinem finitam, &c. supplendum est enim in cæteris descriptionibus verbum *finita*. Vnde patet apud Aristotelem lineam infinitam, superficiem infinitam, & corpus infinitum fictas esse, non veras quantitates, quemadmodum de magnitudine in communi dictum est. Patet etiam latius accipi in his descriptionibus nomina longitudinis, latitudinis, & profunditatis, q̃ ante pauca verba, quo loco pro finitis tantũ sumebantur.

*Quid sit multitudo.*

*Quid magnitudo.*

*Definitio lineæ, superficiei, corporis*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Quanta per & per accidens.*

d *Præterea alia per se.* Docet quæ nam sint quanta per se, & quanta per accidẽs, traditque duo genera quantorum per se, & totidem quantorum per accidens. Quanta per se sunt ea, quę aut secundum essentiam sunt quãta, vt linea, aut sunt per se affectiones eorum, quæ secundum essentiam quanta sunt, vt longum ac breue. Vtraque enim dicuntur quanta per se, quia quantum ponitur in eorum definitionibus essentia libus, aliter tamẽ ac aliter. Nam in definitionibus priorum ponitur quantum vt intrinsecũ rebus definitis, in definitionibus autẽ & posteriorum, vt eorũ per se subiectum. Itaque vt non solum homo, sed etiam disciplinæ capax dicitur per se animal, ita non solũ species quãtorum, sed etiam eorũ per se affectiones, siue passiones dicuntur per se quanta.

Ετι d τὰ μὴ λέγε῀ καθ' αὑτὰ ποσὰ ἄττα, τὰ δὲ κατὰ συμβεβηκός, οἷον, ἡ μὲν γραμμὴ, ποσόν τι καθ' ἑαυτὸ, τὸ δὲ μέσικὸν, κατὰ συμβεβηκός. τῶν δὲ καθ' αὑτὰ, τὰ μὲν κατ' οὐσίαν ἐστὶν, οἷον ἡ γραμμὴ ποσόν τι (ὃν γὰρ λόγω, τοῦτο τί ἐστι λέγοντι. ποσόν τι ὑπάρχει) τὰ δὲ πάθη, καὶ ἕξεις τοιαύτης ἐστὶν οὐσίας, οἷον, τὸ πολὺ, καὶ τὸ ὀλίγον, καὶ μακρὸν, καὶ βραχὺ, καὶ πλατὺ, καὶ στενὸν, καὶ βαθὺ, καὶ ταπεινὸν, καὶ c βαρὺ, καὶ κοῦφον, καὶ τἄλλα τὰ τοιαῦτα. ἔστι δὲ καὶ τὸ μέγα, καὶ τὸ μικρὸν, καὶ τὸ μεῖζον, καὶ ἔλαττον, καὶ καθ' αὑτὰ, καὶ πρὸς ἄλληλα f λεγόμενα, ἢ ποσοῦ πάθη καθ' αὑτὰ: μεταφέρε῀ δ μᾶλλοι τοῦτα γὰ ὀνόματα καὶ ἐπ' ἄλλα. τῶν h δὲ κατὰ συμβεβηκὸς λεγομένων ποσῶν, τὸ μὲν ὅτως λέγε῀ ὥσπερ ἐλέχθη, ὅτι τὸ μέσικὸν ποσὸν, καὶ τὸ λευκὸν τοῦτο εἶναί πως τυγχάνει, ᾧ ὑπάρχουσι: τὰ δὲ ὡς κίνησις, καὶ χρόνος. καὶ ὅσ' αὖ τοῦτα ποσὰ ἄττα λέγε῀ καὶ συνεχῆ, τοῦτο ἐκεῖνα διαιρετὰ εἶναι, ὧν ὅτι ταῦτα πάθη. λέγω δὲ τὸ κινούμενον, * ἀλλ' ὃ ἐκινήθη. τοῦτο μὲν ποσὸν εἶναι ἐκεῖνο, καὶ ἡ κίνησις ποσὴ, ὁ δὲ χρόνος, τοῦτο τἀυτὸν.

*Text. 19.* * ἀλλ' ὁ ἐκινήθη.

e *Graue ac leue.* Graue ac leue non referuntur inter huiusmodi affectiones per se, iuxta Aristotelis sententiã, qui capite sequenti, & alibi sæpè ea numerat in qualitatibus, sed iuxta placitum eorum qui putabant multitudinem planorum, superficierúmue esse causſam grauitatis, paucitatem autem leuitatis.

*Magnum & paruum quãdo absolutè accipiantur.*

f *Et per sese.* Magnum ac paruum, itémque maius & minus tunc per sese, siue absolutè sumuntur, cum nulla facta actuali comparatione talia censentur, etiã si aliqua comparatio præcesserit, quo pacto dicimus Elephantos esse ex magnis, vel maioribus animalibus, canes autem ex paruis, vel ex minoribus, alioquin nullum eorum videtur posse absolutè accipi, præterquam magnum, idq; quatenus formaliter significat magnitudinẽ, quæ est species, quantitatis, quo pacto magnitudo non est affectio quantitatis, sed quantitas quædam.

g *Tametsi hæc omnia.* Vt si quis dicat magnum aut paruum dolorem, maiorem & minorem scientiam, aut potestatem.

h *Eorum autem.* Quantorum per accidens quædam ideo dicuntur quanta, quia ea quibus insunt, quanta sunt, siue ipsa sint extensa extensione illorum, vt albedo siue non sint, vt ars musica. Vnde cùm dici mus hoc albũ est magnum, hic musicus est magnus, vtraq; enunciatio est per accidens, tametsi posterior est magis per accidẽs. Quędam vero non ideo dicuntur quanta, quia ea quibus insunt, quanta sunt, quasi non habeant ipsa extensionẽ per se, sed ratione illorũ, vt ea quæ iam exposita sunt, sed quia ipsorum extẽsio & diuisibilitas ex aliarum rerum extẽsione & diuisibilitate pendet. Huiusmodi sunt motus, ac tempus. Quã quam enim vtrumque est quantum per se, & continuum secundum essentiam, tamen continuitas motus nascitur ex cõtinuitate magnitudinis, supra quam fit motus, quæ continue pertransitur: & continuitas temporis ex continuitate motus, vt ipse etiam 4. Physi. lib. docet. Quocirca cum ista dicuntur hoc loco affectiones eorum, ex quorum continuitate ipsorum continuitas pendet, impropriè id dictum esse accipiendum est. Quanquam enim tempus modo aliquo est affectio motus, tamen motus non est affectio magnitudinis supra quam fit, nisi admodum impropriè. Multa tamen hoc loco se offerunt dubia, in quibus enodandis necesse est non parum immoremur.

*Quanta per accidens quot ob causas dicantur.*

*Præterea d alia per se quanta quædam dicuntur, alia per accidẽs. Verbi causſa, linea quantum est quiddam per se, musicum autem per accidẽs. Eorum autem quæ per se dicuntur, alia secundum substantiam sunt, quo pacto linea quantum est quippiam (in ratione enim, quæ quid res sit explicat, quantum quid ineſt) alia affectiones sunt, & habitus eiusmodi substantiæ, vt multum, & paucum: longum, & breue, latum, & angustum. altum, & humile, graue, e & leue, ac huiusmodi alia. Sunt etiam magnum, & paruum, maius item, ac minus & per f se se, & inter se comparata quanti affectiones per se, tametsi g hæc nomina ad alia etiam transferuntur. Eorum h autem, quæ per accidens dicuntur quanta alia quidẽ sic dicuntur, quem admodũ dictũ est, & musicũ & album quantum esse, quia id cui insunt, quantum est quiddam: alia vero vt motus, ac tempus. Hæc enim & quanta quædam continua dicuntur, quia illa diuisibilia sunt, quorũ hæc sunt affectiones. Dico autem non id quod mouetur, sed id quod motũ est; Et enim quia illud est quãtũ motus etiã quantus est, tempus autem quia hic quantus.*

*Motus, & tẽpus cur dicantur quanta per accidens.*

*Capite 11. tex. 99.*

## QVAENAM SIT PRIMA AC FORMALIS RATIO QVANTITATIS.

## QVÆSTIO I.

*Refutatio sententiæ eorum, qui formalem rationem quantitatis in eo ponunt, quod sit mensura substantiæ.* SECTIO I.

*De definitione quantitatis triplex sententia.*

VM multæ sint rationes definitionésue quantitatis, quæ ex Aristotele colligi soleant (dicitur enim & mẽsura substantiæ, & id quo res sunt æquales, aut inæquales, & ens finitum, & ens diuisibile in partes, quarũ alia sit extra aliã, seu vt quidam loquuntur, in partes eiusdem rationis) quæri meritò potest, sit ne aliqua earum prima ac formalis ratio quantitatis, an verò aliqua alia quærenda sit. Qua in re tres potissimum extant sententiæ, alij enim id concedunt primæ, alij extremæ, alij vero nulli ex propositis, sed aliam priorem quærendam putant: nemo autem est, qui

*Capr. in 2. d. 18. q. 1. & in 2. distin. 3. q. 1. ad 11. Ian. 5. Met. q. 20.*

*Opusc. 52. ad finem idẽ docet 1. part. q. 29. art. 1.*

qui id tribuat secundæ aut tertiæ, quia apertius traduntur per proprietates, vt Aristoteles quoq; eisdem locis, vnde sumũtur docet.

*Primum.*

PRIMAM sententiam videtur secutus D. Thom. in Opusc. de natura loci, vbi reiectis aliorum opinionibus concludit rationem quãtitatis, quatenus quantitas est, esse rationem mensuræ. Argumenta pro hac sententia tria potissimum videntur esse: vnum quia prædicamenta accidentium distinguenda sunt respectu substantię, quantitas autem potius respicit substantiam, quatenus est eius mensura, quàm quatenus diuisibilis in suas partes. Alterum, quia Aristoteles in prædicamentis ex ratione mensuræ probat orationem esse quantitatem, *mensuratur*, inquit, *syllaba longa ac breui*. Tertium quia species quantitatis potius colliguntur ex ratione mensuræ, quàm diuisibilitatis. Ratio enim, cur locus ponitur in prædicamentis ab Aristotele diuersa species quantitatis à superficie, non est alia, nisi quia superficies

*Prima D. Tho. videtur.*

*Argumenta huius sententiæ.*

*Secundum.*

*Tertium.*

perficies est mensura intrinseca, locus autem extrinseca: quod si diuisibilitas potius attendenda esset, cùm eodē modo locus sit diuisibilis, quo superficies, non distingueretur vtique specie à superficie. Verum hæc sententia non placet, non ea quidem ratione, quia esse mensuram aliis etiam rebus conueniat, vt quidam argumentantur. Duplex enim est mensura: Vna perfectionis, qua perfectissima quæque species cuiuslibet generis dicitur mensura cæterarum: altera extensionis, quam duplicem ponimus. Vna est, quæ metitur per repetitionem siue replicationem, quæ maximè quidem vnitati conuenit (metitur enim vnitas repetitione sua omnes numeros, & omnes res numeratas quoad extensionem numeralem) participatione autem quadam vnitatis aliis etiam rebus accommodatur, vt palmo in metienda vlna, & vnciæ in metienda libra, & hemitonio in metiendis interuallis concentuum musicorum: atque hæc mensura extensionis semper est in eodem genere cum re, quam proximè metitur, saltem reductitiè, quod dixerim propter vnitatem, quæ non est numerus, sed principium numeri. Altera extensionis mensura est, quæ meritur per accommodationem, quo pacto stadium est mensura viæ sibi adequatæ, & vlna eius panni, qui vlnam non excedit. Atque hæc mensura est, quæ in prima definitione quantitatis intelligi debet, quæ certè ita quantitati conuenit, vt aliis rebus non conueniat, nisi per accidens ratione quantitatis adiunctæ, quo pacto vlna lignea metitur columnam, quia quantitas ligni extrinsecus ostendit quanta sit columna. Itaque non ea ratione displicet proposita sententia, quòd ratio mensuræ, quæ in definitione intelligenda est, aliis etiam rebus conueniat, sed quia non est prima ordine naturæ: esse enim mensuram per accōmodationem non est ipsa ratio quantitatis, sed quædam eius proprietas, quemadmodum esse mensuram per repetitionem non est ratio
2. ipsa vnitatis, sed quædam illius affectio, vt diximus ad cap. 6. Accedit quod ratio mensuræ formaliter non est absoluta, sed relatiua: qui autem dicit aliquid esse mensuram materialiter seu fundamentaliter, non explicat quid illud sit, neque enim explicabit naturam albedinis
3. qui dixerit esse mensuram aliorum colorum. Ad hæc mensura, vt est multorum sententia, non omnibus quantitatibus conuenit: neque enim conuenit infinitæ, quam dari contendunt, vt lineæ ac superficiei quibus per gyrum diuiditur columna in infinitas partes proportionales, neque item conueniret motui cœlesti aut tempori, si Mundus ab æterno extitisset, vt Aristoteles putauit. Nam quod quidam cum ipso Aristotele dicunt, vt infinitum dicatur mensura, satis esse si per partes mensuret, non satis est pro responsione, sic enim infinita etiam multitudo esset numerus, cùm per partes numerari possit.

*Non videri probabilem.*

*Duplex mēsura, vna perfectionis.*

*Altera extensionis.*

*Cur non sit probabilis sententia ostenditur.*

*An possit dari aliquid infinitè extensum.*

Sed quicquid dicendum sit de ea quęstione, num aliquid infinitè extēsum dari possit in rerum natura: hoc saltem certū est, posse quantitatem concipi infinitam siue secundum multitudinem, siue secundum magnitudinem, idque sæpè vtile esse Mathematicis. Hinc enim fit, vt Arist. 6. lib. Topic. meritò reprehendat illam rectilineæ definiCap. [illegible] medium non exit ab extremis, quia non conueniat infinitæ,



gnitæ, quæ tamen si non dari, certè concipi potest. Eodémque modo non rectè definietur multitudo, si dicatur numerabilium vnitatum collectio, quod ea infinitæ multitudini non congruat, id quod etiam quoad vtrumque genus quantitatis continuæ ac discretæ, ex Aristotelis sententia perspicuum est, cùm sæpè dicat hanc disiunctionem, finitum esse aut infinitum, esse proprium quantitatis, quod quidem falsò, aut saltem ineptè diceretur, si infinitio quantitati, saltem quatenus concipi à nobis potest, repugnaret. Ita patet non esse approbandam propositam sententiam, nec puto D. Thomam eam secutum esse, cùm iuxta veram intelligi possit, vt inferius patebit.

*3. Phys. ca. 4. textu 24. & aliis plerisq; locis.*

*Ad finem sect. 4.*

Qvare ad primum pro hac opinione argumentum dicendum est: ea quidem ex parte rectè definiri quantitatem, quæ ad substantiā refertur, sed tamen definitionem tradi per affectionem quandam, non per id, quod primo in quantitate cernitur.

*Soluūtur argumenta pro hac opinione posita.*

Ad secvndvm: non colligi ex loco citato traditam definitionem sed hanc potius, quantitas est quæ suis partibus mensuratur: quæ definitio de mensura per repetitionem intelligenda est. Verùm hæc non est quantitatis propria, neque item quātitatem explicat per habitudinem ad substantiam, quod illi in ratione quantitatis necessarium esse dicunt.

Ad tertivm dices: locum nec re vera, nec Aristotelis sententia esse speciem quantitatis, vt infra patebit.

### *Refutatio sententiæ dicentium rationem formalem quantitatis in diuisibilitate consistere.*

### Sectio II.

*Sco. in prædi. q. 17. Capr. in 2. dist. 3. q. 1. ad 11. & dist. 19. q. 1. ad. 2. contra primā conclusionem Sonc. 5. Met. qu. 21. Chry. Iauellus 5. Metap. q. 20. & alij.*

*Secunda opinio Scoti.*

Secvndam sententiam, quæ asserebat rationem formalem quantitatis in eo consistere, quòd sit diuisibilis in partes eiusdem rationis, plerique sunt qui amplectantur, præsertim ex sectatoribus D. Thomæ, qui eam etiam illi adscribunt: eam verò primùm ex eo probant, quia esse diuisibilem in partes eiusdem rationis conuenit per se, ac primò quantitati, substantia enim & qualitates materiales, & cætera omnia, quæ diuiduntur in partes eiusdem rationis, vt aqua, vt candor, & calefactio non diuidūtur per se in huiusmodi partes, sed ratione quantitatis: quantitas autem diuiditur hoc pacto, non ratione alterius, sed ratione sui. Deinde, quia Aristoteles hoc libro, in quo naturas summorum generum perquirit, nullam aliam rationem quantitatis affert, immo etiam species quantitatis ex varia diuisibilitatis ratione constituit: quod non feciſſet, nisi formalem rationem quantitatis in ipsa diuisibilitate positam esse credidisset.

*Probatur 1.*

*2.*

*[Vt quidam apud Niphū 5. Meta. disp. 9.*

Postremò, quia formalis ratio cuiusq; rei est ea, quæ illi primo conuenit ordine naturæ, nulla aūt est, quæ prius naturæ ordine tribui possit quātitati, cū cęteræ omnes, quæ circūferuntur, sint posteriores.

*3.*

*Vt à quibusdam opinio hæc improbatur.*

Svnt quibus hæc sententia ideo nō placeat, quia diuisibilitas equiuocè cōueniat quantitati cōtinuę & discretę. Dicunt enim diuisibile

Universidad de Deusto
Biblioteca



bile esse,soli quantitati continuæ simpliciter conuenire, cùm quantitas discreta ea ratione,qua est discreta,sit actu diuisa, nec sit diuisibilis,nisi quatenus est vnum quodam modo, vt loco, aut conceptu. Quapropter eorum quidam sic intelligunt definitionem Aristoteles, ac si dixisset,quantum esse diuisibile in partes, quæ vel omnes simul sunt aliquid vnum,vt in continuis,vel earum singulæ, vt in discretis: siquidem partes eiusdem continui sunt ipsum continuum, quod est vnum quid:partes autem discreti non sunt vnum, sed multa.

*Impugnatio eiusmodi cur non placet.*

Ea tamen ratione non placet impugnatio, quia non rectè exponit verba illa *quorum vtrumque* neque enim sensus est *quarum partium omnes simul* sed *quarum vtraque per se si totum duabus tantum constet*, vti diximus:neque item illa *aptum est esse* rectè explicantur. Sensus enim non est,quod partes iam sint vnum aliquid, sed quod esse possint per designationem vt exposuimus:alioqui rectè forsitan dicunt quantitatem discretam non esse diuisibilem simpliciter, quia forsitan non est vnum ens per se & simpliciter indiuisum, vt inferius patebit. Alij eam ratione reiiciunt propositam sententiam, quod diuisibilitas, sit relatio quædam, in qua certum est non posse consistere formalem rationem entis absoluti: item quia potentia ad diuisionem est in eo prædicamento, in quo est ipse actus diuisionis, actus autem diuisionis non est in prædicamento quantitatis. Postremò,quia formalis ratio quantitatis est vna,potentiæ autem ad diuisionē tot sunt in quantitate, quot diuisiones in ea fieri possunt, vt in binario est vna, quia vnica tantum diuisione potest diuidi, in ternario duplex, quia duabus,& in qualibet quantitate cōtinua infinitæ, quia infinities. Quod autem tot sint potentiæ ad diuisio..em,quot diuisiones possibiles,ex eo probant,quia iuxta sententiam Arist. 3. Phys. posse ægrotare : & posse sanari non sunt idē,sed plura,quia sanare & ęgrotare plura sunt.

*Aliorum impugnatio.*

*Apud Nyphum ibidē.*

*Ca.1. tex.10.*

*Refellitur.*

Sed quicquid de posterioribus duabus rationibus dicendum sit, certè falsum videtur, quod assumitur in prima : Diuisibilitatem esse relationem,cùm sit absolutum quid,quod potius aptitudo ad diuisionem quàm potentia appellatur. Deinde,quia aptitudo quantitatis ad diuisionem est posterior quantitate,tanquam proprietas quædam illius,ac proinde posterior ratione formali quātitatis. Postremo, quia non rectè exponunt diuisibilitatem quantitatis, cùm eam dicunt esse in partes eiusdem rationis. Qualitates enim, quæ habent latitudinem gradualem, vt constant gradibus eiusdem rationis, ita sunt diuisibiles in partes eiusdem rationis.

*Soluuntur argumenta huius sententiæ*

Quocirca ad primum huius sententiæ argumentum dicendum est : etsi definitio quantitatis eo pacto explicata conueniat quātitati per se ac primo,id est,reciprocè, non tamen inde rectè colligi posse illam esse rationem formalem quantitatis, si quidem definitio quæ traditur per primam proprietatem isto modo conuenit per se primo rei,quæ definitur,nec tamen est ratio formalis illius, vt si dicas,homo animal disciplinæ capax.

Ad secundum sæpe apud Aristotelem explicari naturas rerū per earum proprietates,quod sanè fit hoc loco, cùm in definienda quantitate,



titate,tum in explicanda multitudine ac magnitudine, & insinuanda diuisione quantitatis in vtramque : nec verum esse,quod omnes species collectæ sint ex diuisibilitate, cùm hæ tres linea, superficies,& corpus potiùs collectæ sint ex compositione, siue ex coniunctione partium per terminos communes.

Ad tertium dicendum, & si fortè aliquis non inueniat priorē rationem, tamen satis esse si ostendatur necessariò dandam esse aliam, quæ prior sit quod certè ostensum videtur.

*Vera explicatio quæstionis.*

## Sectio III.

*Sco.5. Meta. quæst.9. Ant. And.5.Met. quæst.10.*

*Tertia sententia Scoti, & sectatorum.*

Tertiam sententiam sequitur hoc loco Scotus, & alij complures tum hic, tum alibi asserentes diuisibilitatem in partes eiusdem rationis esse primam rationem quantitatis, eámque deinde sequi illam, finitum esse aut finitum : tum illam quo aliquid est æquale aut inæquale : postremò esse mensuram substantiæ,proinde nullam ex quatuor definitionibus traditis esse rationem formalem quantitatis,sed aliam priorem omnibus, & quamquam in eo peccāt, quod non rectè exponunt diuisibilitatem quantitatis,quemadmodum nec superioris opinionis auctores:tamen ea ratione rectè sentiunt, quod aliam priorem rationem quærendam existimant, tametsi quænam illa sit minimè tradant. Crediderim igitur rationem formalem quantitatis esse, ens per se extensum : conuenit enim omnibus ac solis quantitatibus, & ex ea primùm manat diuisibilitas in partes extēsionis,nec alia potest reperiri prior. Quòd enim omnibus conueniat,inductione patet,nec alius subit scrupulus nisi de numero qui non videtur extensio, sed multitudo. Ac fateor quidem impropriè numerum dici extensionem. Verùm si extensum esse sumatur pro eo, quòd est habere partem extrà partem, vt suprà exposuimus,æquè illi accommodabitur extensionis nomen ac cæteris quantitatibus,Quod autem solis quantitatibus conueniat:ex eo patet,quia si quid aliud extensum est,non per se sed per quantitatē extensionem habet, vt patet in aqua, in candore, & similibus. Vt enim substantia quia sola per se existit præbet cæteris existentiam, ita quantitas quia per se extensa est:cæteris quoque quæ extensa sunt extensionem confert,sed hoc interest,quod cætera præter substantiam:ita existunt per substantiam,vt ipsa etiam propriam habeant existentiam: cætera autem quæ per quantitatem extensa sunt,non aliam extensionem habēt nisi ipsius quantitatis. Quòd verò ex hac ratione primò oriatur diuisibilitas in partes extensionis,siue quarum alia sit extra aliam luce clarius est, cùm ex eo quòd res habet partes : proximè sequatur posse in eas saltem designatione mentis diuidi. Quod denique non possit reperiri alia prior, ex eo patet, quia hæc ratio est positiua, nec traditur per aliquid pertinens ad aliud Prædicamentum, sed per id quod per se spectat ad Prædicamentum quantitatis:in eodem autem Prædica-

*Quæ sit formalis ratio quantitatis ex vera propriaq; sententia.*

*An numerus propriè dicatur extensio.*

*Quo pacto ex hac ratione formali oriantur passiones quantitatis.*

Universidad de Deusto Biblioteca



mento non dãtur rationes generales plures vna, alioquin plura essent summa genera in eodem Prædicamento. Itaque hæc enunciatio, quantitas est diuisibilis, pertinet ad secundum modum dicendi per se, quemadmodum hæc color est visibilis, vt Aristote. docet 2. lib. de Anima, cap. 7. hæc autem quantitas est extensa, seu potiùs extensio pertinet ad primum. Quamquam si diuisibile sumatur loco eius entitatis quam sequitur diuisibilitas, quemadmodum rationale (quod alioquin significat habens intellectum ratiocinatiuum) sumitur in definitione hominis pro differentia naturæ humanæ, ex qua manat potentia ratiocinandi, nihil erit incommodi si prædicatio hæc quantitas est diuisibilis, dicatur primi modi, quo forsitan sensu intelligendus erit D. Thomas, cùm rationem formalem quantitatis in diuisibilitate constituit: fortè enim hæc non accepit formaliter, sed materialiter, vt cùm alibi [a] dicit ens mobile esse subiectum philosophiæ naturalis, mobile enim non significat formaliter substantiam materialem, quæ naturalis Philosophię subiectum est, sed primam eius passionem, id quod etiam sæpè facit Aristoteles vt cap. 6. [b] huius libri, cùm ait: *esse vnius alicuius numeri principium esse*, satis enim vel ex eodem capite constat esse vnius, siue rationem formalem vnius Aristotelis, [c] sententia non in eo consistere, quod sit principium numeri, sed in eo quod sit indiuisum: sed iccircò id dictum est ab Aristotele (vt idem D. Thomas [d] eo loco exponit) quia esse principium numeri est, quædam proprietas vnius, quæ quidem locum rationis formalis subire potest, quo etiam pacto non erit absurdum, si dicamus sanctum Doctorem, imitatione quoque Aristotelis dixisse rationem formalem quantitatis esse rationem mensuræ, quod mensura per accommodationem sit proprietas quædam quantitatis.

*Quãtitas est diuisibilis pertinet ad secũdum modum dicẽdi per se.*

*Quantitas est extensa ad primum.*

*Text. 66.*

*Ens mobile vt dicatur subiectum Philosophiæ naturalis. Exponitur locus Aristot.*

a *In proœmio lib. de Naturali auscu. & aliis in locis.*

b *Tex. 12.*

c *Hoc lib. ca. 6. text. 12.*

d *Lect. 15.*

*Obiecta quædam contra approbatam sententiam.*

## SECTIO IV.

*Primum argumentum.*

SVNT tamen non leuia argumenta, quæ contra hanc sententiam obiici possunt. Vnum est, quod ex ea sequatur nihil omnino siue substantia sit, siue qualitas, siue quiduis aliud, posse esse extensum sine quantitate, quod ex eo falsum videtur, quia quemadmodum diuina virtute fit, vt conseruetur quantitas panis sine substantia: ita videtur fieri posse, vt conseruetur substantia panis per seipsam, sublata quantitate, quod si fiat, adhuc substãtia suam habebit extensionem, quandoquidem adhuc obtinebit suas partes integrantes, quibus verè ac intrinsecus constabat, ante quàm eius quantitas auferretur. Quod idem argumentũ sumi potest ex candore panis, qui eadem panis quantitate dicitur extensus per accidens.

*Secundum.*

ALTERVM ex approbata sententia effici necessariò negãdum esse id quod in libris de Generatione videmur ostendisse, nec in rarefactione acquiri nouam quantitatẽ, nec in condensatione aliquid præexistentis amitti. Si enim quantitatis natura in extentione consistit, quandocunq; res in tarefactione acquirunt nouam extensionem, non dubium

*1. lib. ad c. 5.*



dubium videtur, quin acquirant nouam quantitatem, eodemq; modo cum in condensatione amittant aliquid præexistentis extensionis, qui fieri potest, vt aliquid quantitatis non amittant.

TERTIÒ nunquam fieri posse, vt quantitas sit non extensa, quod videtur pugnare cum sacro Eucharistiæ mysterio: latet enim sub speciebus panis quantitas corporis Christi quanta est in cœlo, quæ tamen si in sacra Eucharistia extensa esset, occuparet vtiq, locum, atque adeò tantùm quantùm occupat in cœlo, cùm tamen sub illis speciebus nullo pacto locum occupet non solùm circumscriptiuè, sed ne definitiuè quidem, vt Theologi ostendunt.

*Quantitas corporis Christi latet sub specie panis in Eucharistia.*

*D. Tho. 3 p. q. 76. art. 5. Et Doctores in 4. ad dist. 10. & 11.*

VERVM ad primum dicendum, quod quidẽ attinet ad candorem panis, idem sentiendum esse quod de substantia panis: potest enim conseruari, non solùm sine substantia, vt patet ex sacra Eucharistia, sed etiam sine quantitate: tametsi hoc D. Thomas & ferè omnes eius sectatores negant, non tamen hoc pacto erit extensus non solùm per ordinem partium ad dimensiones loci, sed ne per ordinem quidem partium ad totum ipsum candorem, sed habebit suas partes integrantes, quibus erat extensus in pane, confusas inter sese & sine ordine, quemadmodum dicemus de substantia.

*Solutio 1. Candorẽ posse à Deo conseruari extrà omnem substantiam & quãtitatem.*

*D. Tho. quod lib. 7. arti. 10. Idem sensit Herueus in 4. dist. 12. q. 1. art. 2. & alij.*

AD secundum quemadmodum contingens est in calore, vt habeat maiorem aut minorem latitudinem gradualem, quod est intendi & remitti: nec tamen est contingens sed necessarium, vt habeat aliquam latitudinem gradualem, eò quòd calor quantumcumque remissus sit, aliquam necesse est habeat gradualem latitudinem, ita contingens esse in quantitate, vt habeat maiorem aut minorem extensionẽ, quod est extendi & contrahi, nec tamen contingens esse, sed necessarium, vt habeat extensionem aliquam: quandoquidem omnis Quantitas, quantumcumque parua sit, suam necesse est extensionem habeat, seu potiùs essentialiter sit extensio. Sed in hoc est discrimen, quod calor & aliæ qualitates intensibiles, non intenduntur aut remittuntur, nisi noua qualitate graduali accedente: aut veteri vt sic dicam recedente (vt habet verisimilior opinio.) Quantitas autem extenditur & contrahitur, non tantum noua quantitate adueniente, aut veteri recedente, sed etiam nulla noua adueniente, aut recedente veteri: quod alibi ex eo ostendimus, quia noua quantitas in eadem re naturali: nisi cum noua materia aduenire non potest: vetus etiam nisi cum veteri materia non recedit, quod secùs accidit in qualitatibus.

*Quo pacto fiat intensio qualitatum.*

*D. Tho. in 4. d. 10. q. vnica ar. 3. Sco. ibi. q. 1. ar. 2. Ric. ibid. Mai. ibi. q. 3. Ferra. 4. cont. Gent. c. 57. Et communiter Doctores in 4. ad 4. dist. 10.*

AD tertium sic occurres, duplicem esse extensionem quantitatis, vnam quæ dicitur ordo partium in toto: alteram quæ vocatur ordo partium in loco vt D. Tho. Scot. & cęteri Theologi distinguũt. Prior extensio cernitur in quãtitate Socratis. Quatenus alię partes sunt post alias, aut ante illas nulla habita ratione loci, quo pacto caput, manus ac pedes, eorúmque quantitates sunt extremæ partes: cæteræ autem ordine quodam mediæ, idq; quouis modo Socrates se habeat ad locum, siue sedeat, siue cubet, siue ambulet, aut quouis alio modo inflectat membra. Atque hæc extensio dicitur ab Aristotele in Prædicamentis situs partium in toto, proinde cùm ea sit essentialis quãtitatis

*Duplex quãtitatis extẽsio.*

*Vera illarum possit à quantitate separari.*

continuæ permanenti, quam hoc loco appellat magnitudinem, nulla potestate ab illa separari potest. Posterior extensio cernitur in eadem quantitate Socratis, quatenus est coextensa loco, in quo est Socrates, v.g. si Socrates stat, caput, eiúsque quantitas occupant supremam partem loci: pedes autem, eorúmque quantitas infimam, & partes mediæ corporis medias loci partes, contrà verò si contrariam habeat positionem. Atque hæc extensio pertinet ad Prædicamentum Situs, potestq; (cùm posterior sit) virtute diuina separari: tametsi nonnulli ex Theologis minùs probabile id esse putent, Ethnici verò Philosophi impossibile. Quod enim id fieri possit, patet ex corporibus beatorũ, quæ non minus possunt habere plures partes in eadem parte loci, vt duas manus, aut duos pedes: immo & omnes quotquot voluerint, quàm possunt in eodem loco simul esse cum aliis corporibus. Quod ergo obiectum est de sacro Eucharistiæ mysterio, facilè hac ipsa distinctione diluitur. Nam magnitudo corporis Christi tantam habet extensionem prioris generis sub speciebus panis, quantam habet in cœlo. Cæterùm quod attinet ad posteriorem, nullam prorsus sub eis habet, cùm modus existendi in eo sacramento, non sit modus existendi in loco, vt obiectum est.

*Corpora beatorũ possunt habere plures partes in vna parte loci.*

*Duran. in 4. d.44.q.6. Et Palud. ibid.3.*

*Christus Dominus in Eucharistia quã habeat extensionem.*

## QVO NAM PACTO QVANTITAS distinguatur à rebus quantis.

## QVÆSTIO II.

*Opinio Nominalium de identitate quantitatis cum rebus quantis.*

### SECTIO I.

EXPENDENDVM deinde est hoc loco, quonam pacto quantitas distinguatur à substantia, & à cæteris entibus, quæ dicuntur quanta, hæc enim disputatio non modo ad maiorem explicationem eorum quæ dicta sunt, non parum confert, sed etiam ipsa per se digna est, quæ hoc loco non prætermittatur.

*Okam in 4. sent. q. 4. & Quodl. 4. q. 30. & in præd. c. de quantitate, & fusè in tractatu suo de sacramẽto altaris. Gabr. in 4. d. 10. q. vnica, & d. 12. q. 1. ar. 1. Vide eundem lect. 43. super canonẽ eandẽ sententiam tuetur. Adamus in 4. q. 5. & Aureol. apud Capr. in 2. d. 18. q. vnica, art. 2.*

*Exponitur sententia Nominalium.*

SENTENTIA Nominalium est, quantitatem non solùm non distingui realiter à rebus, quæ dicuntur quantæ, vt à lapide, & à candore expanso in lapide: sed ne formaliter quidem, quasi sit alia entitas distincta ab entitatibus illorum, sed vnamquamque earum rerum dici quantitatem quatenus connotatur, seu significatur habere partem extra partem, & quia putant res quas dicimus habere magnitudinem, hoc est, longitudinem, latitudinem, aut profunditatem, ibi solùm habere huiusmodi partes, vbi commensurantur huiusmodi dimensionibus, non esse re vera quantas, qua ratione putant corpus Christi, & eius accidentia corporea non esse quanta in sacramento Eucharistiæ. Argumenta quibus hæc sententia confirmatur hæc sunt præcipua.

*Argumenta huius opin.*

PRIMVM,



*Cap. de substantia.*

PRIMVM quia quod ad magnitudinem attinet, id plànè Aristotelem docuisse volunt in Prædicamentis, cùm dixit maximè proprium esse substantiæ suscipere contraria: id enim inquiunt, verum non esse si magnitudo esset distinctum ens à substantia, & immediatum subiectum accidentium corporalium, vt credunt ij qui quantitatem à substantia distinguunt, quis enim neget magnitudinem lapidis, vicissim subesse contrariis qualitatibus & motibus?

DEINDE quia non sunt à Philosophis multiplicandæ entitates rerum, ac multò minùs res ipsæ, cùm pauciores sufficiunt ad reddendam rationem eorum, quæ rebus accidunt (quo argumento vsus est Aristoteles in Physicis ad ponenda tantùm tria principia rerum naturalium) nihil autem opus est siue re vlla, siue etiam entitate distincta à rebus quantis, vt reddatur ratio effectorum quantitatis, cùm satis sit dicere quamlibet rem quantam per se ipsam habere partem extra partem, & per se ipsam replere locum.

TERTIVM quia quod per seipsum, & per partes suas intrinsecas ita est præsens alicui quanto, vt totum sit præsens toti, & partes partibus, per seipsum habet partem extra partem, ac proinde per seipsum & intrinsecus est quantum: omnis autem substantia naturalis est præsens per seipsam alicui toti quanto (saltem illi quantitati, qua ipsum dicitis informari) & partes item partibus igitur omnis eiusmodi substantia est per se ipsam formaliter & essentialiter quanta: quò fit, vt non sit opus addere aliam entitatem, ac multò minùs rem aliam, per quam sit quanta.

*D. Tho. 3. p. q. 77. arti. 2. & in 4. d. 12. q. 1. ar 1. quæstiũcula 3. Sco. in 2. d. 2. q. 9. & in 4. dis. 12. q. 2. Dur. in 4. d. 12. q. 1. Ric. in 4. d. 12. ar. 1. q. 1. Argen. in 4. d. 12. q. 1. Ægid. Rom. Theorem. 36. & 38. & 39. Capr. in 2. d. 18. q. vnica. Mai. in 4. d. 12. q. 2. Heru. quo. 1. q. 15. Et est communis Doctorũ sententia.*

POSTREMÒ quia quamlibet rem absolutam potest Deus sine eius mutatione locali conseruare sublata alia absoluta posteriori, ac proinde seruare lignum sublata eius quantitate (si res est alia) non mutata substantia ligni: hoc autem dato quærunt, num partes ligni, quæ erant sub partibus sublatæ iam quantitatis, adhuc distent inter se an non, si distant: ergo lignum est quantum sine quantitate illa sublata, quam donabatis, si non distant: ergo mutatæ sunt loco, quod repugnat hypothesi, atque hæ duæ posteriores rationes ad alias etiam species magnitudinis suo modo accommodari possunt.

*Vera sententia de distinctione Quantitatis à rebus quantis.*

### SECTIO II.

IN oppositа sententia sunt D. Tho. Scotus, Durandus, & reliqui omnes Scholastici, quæ vt longè probabilior & doctrinæ Aristotelis, ac penè omnium veterum planè consentanea, à nobis amplectenda est. Sentiunt itaque quantitatem distingui à rebus quantis non modo formaliter, sed etiam realiter, si non ab omnibus, certè à quàplurimis: quod addimus, quia sunt quædam à quibus multi ac meritò quidem probabile putant quantitatem non distingui realiter, eiusmodi est figura globi, à qua volunt magnitudinem eius re ipsa non distingui, sunt etiam alia, à quibus non distinguuntur formaliter, sed modaliter tantùm, vt locus à superficie corporis ambientis.

*Oppositam sententiã esse communem.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Ab Aristot. auctoritate confirmatur.*

HANC sententiam saltem quoad distinctionem formalem, planè supponit Aristoteles tanquam per se notam in disputatione illa quam 1. Physicorum contra Parmenidem & Melissum instituit: ex hoc enim quasi principio, quod substantia, quantitas, & qualitas sint diuersa entia inter se procedit. ille ad eorum sententiam euertendam, vt latè eo loco patet. Docet item in eadem disputatione, & in ea, qua eodem libro Anaxagoram impugnat, substantiam ex se non esse diuisibilem sed ratione quantitatis, quod idem potiori ratione dicendum erit de qualitate, & cæteris quæ dicuntur quanta. Ad hęc vbicunque de Prædicamentis distinctè loquitur, non minùs distinguit substantiam & qualitatem à quantitate, quàm substantiam & quantitatem inter se. Denique non tam sæpè inueheretur in Pythagoricos facientes quam titatem ipsam rerum substãtiam, nisi compertissimum haberet quantitatem esse entitatem diuersam ab entitate substantiæ, eademq; ratione ab entitatibus aliarum rerum, quæ dicuntur quantæ.

*Cap. 2. text. 13. & 15.*

*Ac. 4. tex. 33.*

*Lib. 13. Met. c. 6. aliis in locis.*

*Argumenta pro hac sententia.*

ARGVMENTA quæ pro huius sententiæ confirmatione se offerunt, hæc sunt: Primùm quia quantitas, quatenus quantitas, in alias longè diuersas species diuiditur quàm substantia & qualitas, & quicquid aliud dicitur quantum.

1.

2. DEINDE quia effecta formalia substantiæ, quantitatis, qualitatis & cæterorum sunt planè diuersa inter se, esse inquam per se, esse quantum, esset quale, &c. tum etiam quia si substantia per suam essentiam esse extensa pari ratione per eandem esset qualis, & relata, nullaque omnino esset essentia, siue entitas accidentis, sed sola substantia esset formaliter ens, quare cum substantia distinguatur à qualitate, vt vnum ens ab alio ente quod omnes fatentur, atque adeò ipsi Nominales, non est cur quantitas dicatur nõ distingui formaliter, ac secundum essentiam à substantia & qualitate.

3. ITEM quia lapis pedalis, & lignum pedale dicuntur differre specie quatenus substantiæ, itémque albedo pedalis, & nigredo pedalis quatenus qualitates, nec tamen differunt specie quatenus quanta, quod tamen dicendum esset, si eorum omnium esset eadem essentia.

4. *Quantitatẽ esse per se sensibile.*

ADDE quia substantia non est per se sensibilis, sed per accidens, quantitas autem est per se sensibilis, idque multis sensibus, quàm ob causam dicitur sensibile commune, qualitas verò complectitur omnia sensibilia propria, id est, quæ vno tantùm sensu percipiuntur, quæ vtique vera non essent, si natura & essentia quantitatis, eadẽ esset cum natura substantiæ & qualitatis. Tum etiam quia substantiæ incorporeæ sunt simul in eodem loco cum corporeis, nec alias aliæ expellũt, vt corporeæ corporeas, propter naturalem repugnantiam plurium magnitudinum trinæ dimensionis in eodem spacio: si ergo pluribus substantiis non repugnat naturaliter simul esse in eodẽ loco nisi quia plures huiusmodi quantitates non possunt esse simul, efficitur vt alia sit natura substantiæ, alia quantitatis.

5. POSTREMO quia si quælibet res quãta esset sua quantitas, vt dicunt oppositæ opinionis auctores, cùm in eodem loco sint multę res quantæ, vt in eodẽ puteo est substantia aquæ, & eius humor, & frigus, & perpi-



& perspicuitas, & lumen à Sole productum, atq; adeò omnia adęquatè existant in eodem spacio, planè sequeretur dari plures quantitates trinæ dimensionis in eodem loco, quod naturaliter fieri non potest, & ab Aristotele 4. Phys. omnino creditur impossibile. Mitto quod nec materia & forma lapidis simul existere possunt, cùm illorum sententia materia & forma sint suæ quantitates. Hoc enim etsi illi ea ratione refellere conantur, quod nulla sit ratio, quare magnitudines duarum rerum ex quibus vna essentia constituitur, sese mutuò expellant ex eodem loco: est tamen responsio friuola, ac planè ad euadendum composita, & quæ naturali receptissimoq; principio apertius repugnet quàm vt vel audienda sit. Neque enim propterea impossibile censetur naturaliter plures magnitudines trinæ dimensionis simul esse in eodem loco, quia sint harum, vel illarum rerum magnitudines, sed quia trinæ dimensionis magnitudines. Eodem modo refellenda est eorũ responsio, seu potiùs euasio, cùm dicunt magnitudines qualitatum corporalium, quas volunt distingui realiter à magnitudine substantiæ posse plures simul esse, quia qualitates ipsæ simul sunt cũ substantia, potiùs enim concludere deberent, in quauis re naturali vnam tantùm esse magnitudinem trinæ dimẽsionis, quam vocamus corpus, siue molem, ne plures simul admittere cogerentur. Atque hæc sunt argumenta ex quibus vt minimum formalis distinctio colligitur.

*Nominalium responsio refutatur.*

ADIVNGI autẽ solet ex mysterio sacræ Eucharistiæ vnum aliud quod præcipuum est, & realẽ distinctionem planiùs ostendit. Vt enim incarnatio diuini verbi certam nobis attulit cognitionem distinctionis suppositi à natura in prædicamento substantiæ, quam nemo philosophorum præsenserat: ita sacra Eucharistia eum qui proteruus non sit, planè conuincit vt fateatur realem, & quæ ex ea sequitur, formalem distinctionem quantitatis à substantia, imò etiam à qualitatibus quàm veteres, etsi penè omnes noterant, non tamen ita apertè intelligebant. Argumentum huiusmodi est: in sacra Eucharistia non manet substantia panis, & tamen manet eius quantitas sustinens, ac vniẽs qualitates distinctas realiter, vt candorem, saporem, & similes igitur non tantum à substantia panis, sed etiam à qualitatibus distinguitur quantitas realiter, & quod consequens est formaliter: consequentia perspicua est: antecedens hinc patebit. Quod enim in sacra eucharistia non maneat substantia panis, fides certissimè docet, quod autem maneat eius quantitas non tantum sensibus apertè cernere videmur, sed etiam ex eo facilè probatur: quod alioqui qualitates illæ (quas quidem omnes fatentur distingui realiter, & inter se, & à substantia) essent dissolutæ nec vlla supereſſet ratio, cur mota vna illarum moueretur reliquæ: quandoquidem non potius candor est in sapore, quàm in candore sapor, & ita res habet in cæteris, quò fit vt ad illarũ vnionem, quam ipsis sensibus apertè cernimus, necessariò ibi sit dandum commune aliquod subiectũ omnium, quod omnes sustineat & vniat, quod certè aliud esse nequit, quàm quantitas panis.

*7. Incarnatio Verbi diuini certam nobis attulit cognitionẽ distinctionis suppositi à natura.*

*In Concilio Lateran. sub Innocen. 3. & refertur c. firmiter de summa Trinit. & fide Cathol.*

QVOD si quis dicat illas qualitates vniri virtute diuina sine quãtitate panis, vt quidam volunt, facilè refellitur: cernimus enim hostiam in consecratam

*Responsio quorundam refellitur.*

consecratam calefieri, humectari, & alia accidentia accipere ab agentibus naturalibus, quod planè arguit remansisse ibi aliquid, quod vicem subiecti subeat, alioquin daretur actio sine passione & causæ naturales agerent nullo supposito subiecto, ac proinde crearent, quo pacto accidentia creari possunt, quæ omnia sunt absurdissima. Quod si necessarium ibi est aliquid quod vicem subiecti subeat, illud ipsum satis erit ad vniendas qualitates remanentes, nec opus erit confugere ad diuinam virtutem vnientem. Ita patet quantitatem distingui non solùm formaliter, sed etiam realiter à rebus quantis, si non ab omnibus, saltem à quam plurimis.

*Solutio argumentorum quibus vtuntur Nominales.*

## SECTIO III.

AD primum igitur argumentum aduersæ partis facillima est responsio ex Prædicamentis, quo loco dictum est nihil obstare, quominùs maximè proprium sit substantiæ, suscipere posse contraria, etsi magnitudo ponatur immediatum subiectum multorum contrariorum. Neque enim est subiectum, quod suaptè natura vel recipiat illa, vel sustineat (quo pacto eo loco intelligendum est subiectum contrariorum capax) sed cuius interuentu illa recipiuntur ac sustinentur à substantia. *Cap. de substantia.*

*Vltimâ substantiæ attributum explicatur.*

AD secundum, negandum est solam entitatem, siue essentiam rerum quantarum satis esse ad rationem effectorum quantitatis. Patet enim ex dictis multa in rebus cerni, de quibus negata distinctione quantitatis à rebus quantis, ratio reddi non potest.

*Nonnulli recentiores. Tertij argumenti solutio. Reiicitur.*

AD tertium sunt qui dicant substantiam corporeã habere quandam extensionem partium priorem ipsa quantitate, & cuius interuentu recipiat partes quantitatis. Sed hæc responsio nullo modo est admittenda: tum quia huiusmodi extensio, si daretur esset vera quantitas: tum etiam quia non dissoluit propositum argumentum, si fiat contra eiusmodi extensionem, æquè enim pugnat contra illam, atque contra quantitatem.

*Secunda solutio.*

ALII dicunt substantiam corpoream ea tantùm ratione habere partes integrantes actu, & esse actu totum integrum, quatenus habet quantitatem: proinde eatenus solum totam substantiam esse præsentem toti quantitati, & partes partibus, quatenus est affecta quantitate quemadmodum ea solùm ratione tota est præsens toti albedini, & partes partibus, quatenus est affecta albedine: quatenus autem naturę ac intelligendi ordine præcedit quantitatem (neq; enim putant posse præcedere tempore etiam per diuinam potentiam) neq; actu esse totum integrum, neque habere actu partes integrantes, sed potentia duntaxat. Quare non rectè colligi substantiam corpoream esse per se ipsam, ac essentialiter quantam. *Capr. in 2. d. 18. q. vnica. Sonci. 5. Metaph. q. 19. Ferr. 1. Phy. q. 3. & alij.*

*Refellitur 1.*

VERVM neque huiusmodi responsio placet. Primũ, quia substantia ligni bipedalis præcedens naturæ ordine quantitatem, est realiter illa eadem, quæ per quantitatem susceptam est bipedalis, vt constat: non est



non est autem realiter idem, quod hęc vel illa ipsius pars pedalis, quia totum lignum non est realiter suum diuiduum, nec item id quod est realiter vna pars pedalis, est realiter altera pars pedalis, vt vna dimidietas ligni, altera eiusdem dimidietas: igitur in substãtia ligni, quatenus præcedit naturæ ordine quantitatem, datur aliquid quod sit realiter hæc pars pedalis, & aliquid aliud quod sit realiter illa pars pedalis, quorum neutrum sit tota substantia ligni, ac proinde substantia corporea, priùs natura quàm sit quanta, habet actu partes integrantes.

DEINDE, quia si Deus conseruaret substantiam eiusdem ligni absque quantitate (quod reuera fieri posse non est dubitandum) iam petam, num substantia illa sine quantitate habeat partes, quarum altera fuerit hæc pedalis pars: altera verò illa? an potiùs substantia ligni cœperit per separationem quantitatis esse realiter id ipsum, quo fuit vnaquæque pars pedalis per se, an verò per eiusmodi separationem desierit substantia vtrusq; partis, & remanserit substantia totius sine substantia partium? Atqui fieri non potest, vt manserit substantia totius, perempta partium substantia, neque etiam quisquam dicet substantiam totius per separationem quantitatis cœpisse esse idem realiter, quod hæc pars pedalis per se, & quod illa per se: quandoquidem per separationem quantitatis nulla mutatio facta est in substantia ipsa: ergo necessariò dicendum est, in substantia ligni, & in alia qualibet corporea sine quantitate conseruata, dari adhuc actu plures partes integrantes totam substantiam.

POSTREMO quia si substantia priùs natura esset quàm sit quanta, hoc est, ex sese nullas habet partes integrantes, iã tota accipiet totam quantitatem, & tota quamlibet partem: quemadmodum anima rationis particeps, quia nullas ex se habet partes tota informat totam materiam, & tota quamlibet partem. Nec satisfaciunt qui dicũt substantiam corpoream, etsi ex se non habet partes integrantes actu, tamen habere illas potentia, & tum illas habere actu, cũ est quanta: hoc enim verum est quoad earum quantitatem, non quoad earum substantiam, alioquin quantitas daret esse substantiæ, quod fieri nequit. Quapropter etsi ratione solius quantitatis inhærentis tota substantia sit præsens toti quantitati loci, quæ extrinseca est, & partes item substantiæ partibus loci, tamen priùs natura quàm eius quantitas inhærens locum repleat (accidit enim etiam ipsi quantitati replere locum) tota substantia est præsens, siuè adæquatè coniuncta toti quantitati inhærenti, & partes partibus: quò fit, vt non dissoluatur argumentum.

*In in-est Paulus Venetus cap. 12. suæ Meta. & alij plerique.*

PLACET igitur magis responsio eorum, qui dicunt substantiam corpoream priùs natura quàm sit quanta, habere partes integrantes eiusdem rationis, non tamen partes extensionis, seu vt illi dicunt, habere partem & partem, non tamen partem extra partem. *Vera argumenti solutio ponitur.*

QVOD vt planiùs intelligas, aduerte: quemadmodum gradus qualitatum nullum habent ordinem in subiecto, in quo sunt (neq; enim habent ordinem extensionis, cùm omnes sint simul in eadem parte, neque etiam perfectionis, vt alius sit perfectior alio, aut alius informet alium, cùm omnes æquè perfecti sint, & immediatè informent quamlibet *Quomodo substantia ex se habeat partes integrantes.*

quamlibet partem ſubiecti,vt alibi oſtẽdemus) ſed ea ſolùm ratione poſſunt habere ordinem,quatenus alius poſt alium acquiritur, aut amittitur:ita partes integrantes ſubſtantiarum corporearum,& eorum accidentium,quæ ſunt per accidens extenſa in ſubiectis, nullum habere ordinem ex ſe, & quatenus natura præcedunt quantitatem, ſed per eam habere ordinem in toto, quod nihil eſt aliud quàm vnã eſſe extra aliam. Atque hæ partes ſunt,de quibus loquuntur Philoſophi, cùm dicunt plures eſſe partes materiæ in palmo plumbi, quàm æris, & plus caloris in candẽti ferro,quàm in flamma æqualis extenſionis. Ad argumentum igitur facilè reſpondetur negatione conſequentiæ, habent enim ſubſtantiæ corporeæ per ſeipſas ac intrinſecas partes integrantes, ſed quia eiuſmodi partes non ſunt aliæ extra alias, niſi ratione adiunctæ quantitatis,ideò tales ſubſtãtiæ non ſunt ex ſe quantę.

*Ad quartum vt nonnulli reſpondeant.*

AD quartum alij aliter reſpondent. Sunt in primis qui negent poſſe ſubſtantiam corpoream conſeruari ſine quantitate:tũ quia credunt nulla poteſtate fieri poſſe,vt conſeruetur ſubiectum ſine proprietate, & addunt quantitatem cõtinuam corpoream eſſe proprietatem ſubſtantiæ corporeæ, tùm etiam quia ſi ſubſtantia conſeruaretur ſine quantitate, manebit,inquiunt, quanta ſine quantitate, quod non minùs impoſſibile eſt, quàm ſi maneat alba ſine albedine, imò etiam manebit,& non manebit. Priorem conſequẽtiam ex eo probant quia illa ſubſtantia corporea adhuc manebit extenſa, vt ſi Deus auferat quantitatem ab aqua maris,adhuc ſubſtãtia maris manebit in eodem ſitu, atque adeò ita erit extenſa, vt antea (neque enim confluet ad punctum,cùm nihil expers magnitudinis moueri poſſit, vt Philoſophi dicunt) quò fit, vt maneat quanta ſine quantitate. Poſteriorem verò ea ratione probant, quia neceſſe erit vt ſubſtantia illa maneat diuiſa ſecundum omnem deſignationem poſſibilem, ac proinde maneat & non maneat. Manebit enim,quia id ſupponitur, non manebit autem,quia per huiuſmodi diuiſionem prorſus euaneſcet. Nam ſi quę particula ſubſtantiæ ſublata quantitate permanſerit indiuiſa,non erũt ab illa ſublatæ ſuperficies internæ,quæ particulas illius copulabant, ac proinde nec quantitas quod repugnat hypotheſi.

*Ita Soncinas 5.Met.q.22.*

*Cum Ariſ.6. lib.Phyſ.cap. 4.text.32.& ſequentibus*

*Improbatur ſolutio tradita. Subſtantia abſque quantitate quomodo manſura in loco. Non eſſe mouendam.*

VERVM hæc ſententia non placet, quia nec putamus proprietates eſſe inſeparabiles omninò à ſubiectis, ſi ſint res poſitiuæ, vt hoc ipſo lib.diximus:nec neceſſe eſt,vt ſubſtantia conſeruata ſine quantitate quam habebat,maneeat quanta,& non quanta,aut maneat,& nõ maneat. Sublata enim quantitate ab aqua maris, non erit in primis neceſſe,vt ſubſtantia aquę maneat in eodem ſitu,quandoquidem manebunt partes aquæ ſine extenſione,ac proinde ſine ordine nõ ſolùm ad locum,ſine quo non datur ſitus,ſed etiam ad totum, in quo conſiſtit natura quantitatis continuæ permanẽtis. Si ergo nec locum occupabunt partes aquæ,efficitur,vt nec etiam moueri poſſint,ſiue confluere ad punctum: non erit etiam neceſſe, vt ſubſtantia aquæ euaneſcat, quia non erit neceſſe, vt partes maneant diuiſæ ſubtractione ſuperficierum copulantium partes,ſiquidem partes ſubſtantiæ non copulantur terminis cõmunibus quantitatis,niſi forſitan quatenus ſunt quantæ,

*Cap.5.q.1. ſect.5.*



quantæ,de qua re inferiùs agendum.

*Sot.in Prædica. c.de quantitate.q.2.& plerique alij.*

ALII admittunt poſſe ſubſtantiam ligni conſeruari ſine quantitate, nec interim mutari, ſiue poni in puncto. Cùm autem quæritur, num partes eius ſublata quantitate diſtent inter ſeſe, nécne? concedunt diſtare adhuc, & habere eundem ſitum, quem antea habebant, non tamen per quantitatem quæ ſublata eſt, ſed virtute diuina ſupplente in ea re vicem quantitatis, quemadmodum dicunt copulatas eſſe adhuc partes ſubſtantiæ ſupplente Deo vicem terminorum communium quibus antea copulabantur: concedunt tamen fore hoc pacto, vt ſubſtantia ligni non repleat locum, ſed patiatur ſecum aliam ſubſtantiam quantam in eodem ſpacio. Cùm autem eis obiicitur, extendere ac vnire partes ſubſtantiæ, eſſe effecta formalia quantitatis, Deum autem non poſſe ſupplere vicem cauſarum formaliũ,vt exempli cauſa vicem albedinis in dealbeando, reſpondent hæc non eſſe tam formalia effecta quantitatis,quàm eſt albedinis dealbare,ſed eſſe effecta formalia naturalia, & quodammodo extrinſeca, quæ à Deo ſupernaturali virtute ſine quantitate præſtari poſſunt.

*Alia ſolutio.*

SED neque huiuſmodi reſponſio placet. Primum quia ſi ſubſtãtia illa adhuc eſt formaliter extenſa,verè habet quantitatem,cùm quantitas ſit ipſa extenſio,vt ſuprà dictum eſt:ſi verò iam non eſt formaliter extenſa, nullus relinquitur modus, quo ſit extenſa, niſi potentia quod non eſt eſſe verè extenſum. Deinde quia effecta formalia non ſunt diſtinguenda in naturalia, & ſupernaturalia reſpectu cauſarum formalium,omnia enim ſunt naturalia reſpectu illarum, quamquam reſpectu efficientiũ eo pacto diſtingui poſſint. Tertio,quia nulla cauſat formalis,quatenus formalis poteſt ſuppleri à Deo,etiãſi ſit extrinſecus adiacens,vt locus:neque enim Deus poteſt ſupplere vicem loci in locando,hoc eſt,per ſe ipſum præſtare vt res ſit locata ſine loco. Poſtremò,quia lubricè loquuntur. Cùm enim dicunt effecta illa formalia eſſe quodam modo extrinſeca,videntur ſignificare ea eſſe ſimpliciter intrinſeca,quod tamen admittere formidant.

*Improbatur.*

*Nullam cauſam formalẽ vt talem, ne externã quidẽ à Deo ſupleri poſſe.*

*Idem concedunt Henricus Gandauẽſis Quodl. 7. Caiet. 1.p. q.52.ar.1. Argent.in 3.d.5. q.1.art.1. Ioannes Maior in 4.d.12. q.2. & complures alij.*

DICENDVM eſt igitur,ſi Deus auferat quantitatem à ligno, eiúſque ſubſtantiã conſeruet (quod fieri poſſe cõcedimus) fore,vt partes eius non diſtent loco:ſublata enim quantitate neceſſariò tolletur ordo partium in toto, ac proinde ordo partium in loco,qui eſt illo poſterior,quare non diſtabunt loco partes. Cum autem obiicitur, ergo concedendum erit eſſe mutatas loco,neganda erit conſequentia,non enim ea ratione deſinẽt diſtare loco,quia futurum ſit,vt omnes confluant,ſeu moueantur verò aliquo motu ad punctum,ſed quia deſinẽt eſſe quantæ,ac proinde coextenſæ loco, Itaque ſi Deus auferat quantitatem à ligno eiuſque ſubſtantiam conſeruet,ne continuo eſſe deſinat: vno è duobus modis manere poterit ſubſtantia ligni. Altero in aliquo puncto eiuſdem ſpacij,aut alterius,in eo videlicet quem Deus elegerit.vt enim ſolus Deus nudam ligni ſubſtantiam conſeruaturus eſt, ita ſolus ipſe deſignabit punctum in quo illam conſeruet. Altero in toto eodem ſpacio,aut in alio diuerſo,ſi maluerit:ita tamen vt iam ſubſtantia non ſit tota in toto ſpatio,& partes ſingulæ in ſingulis par-

*Quarti argumenti Germana ſolutio.*

*Subſtantiam ablata quantitate vno è duobus modis manere poſſe.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



tibus spacij (isto enim modo adhuc esset extensa formaliter, quod sine quantitate fieri nequit) sed ita vt tota sit in toto, & tota in qualibet parte. Hoc enim non esse impossibile ex eo patet, quia simile miraculum credimus fieri in corpore Christi quod etsi est substantia suaptè natura subiecta loco, tamen quia ita est in tota hostia sacra, vt non sit subiectum eius quantitatis: totum ibi est in tota, & totum in qualibet eius particula. Vtrouis autem modo conseruetur ligni substantia, non id fiet per verum eius motum, aut partium, sed per hoc solùm quod primum non esse quantitatis in illo subiecto, erit primũ esse totius substantiæ ligni, & omnium eius partium in puncto, aut certè in toto spacio, & in singulis partibus illius nullo facto transitu per medium, sed per hoc solùm quod virtute diuina ponatur tota substantia in puncto aliquo, aut tota in toto aliquo spacio, & in omnibus eius partibus.

*Miraculum corporis Christi existentis in Eucharistia.*

*Num possit à Deo conseruari substantia extra omne punctum & spatium.*

*Caiet.1.p.q. 52.ar.1.Cap. in 2.d.2.q.1. Ferra.3.cont. Gent.cap.68. & alij.*

Quod si quis quærat, num possit ea substantia conseruari se extra omne punctum & spacium, eo modo quo plerique volunt posse creari ac conseruari Angelum aut animam rationalem sine vllo ordine ad locum siue indiuisibilem, siue diuisibilem. Respondendum est, etsi substantiæ immateriales propter earum independentiam à rebus, ac spaciis materialibus hoc modo creari, ac conseruari possent (quod tamen minus probabile est, vt inferiùs ostendemus) tamen substantiam quæ suaptè natura est capax loci naturalis, & circumscriptiui, nullo modo vel creari, vel conseruari posse, nisi in loco, spacióve aut aliquo eius puncto: quod tunc fiet apertius, cum idem de immaterialibus substantiis dicendum esse monstrabimus.

## *QVID NAM SIT VNITAS NVMERALIS.*

## QVÆSTIO III.

*De quo genere vnitatis numeralis, & de quo numero hic differatur.*

### SECTIO I.

*Ordo explicandorum.*

CONSTITVTA generali ratione quantitatis, sequitur vt disquiramus, sintne veræ quantitatis species, eæ omnes quas Aristoteles hoc loco refert, an etiam quę in libro Prędicamentorum enumerantur, & num aliæ in veris speciebus habēdę: & quoniam discreta quantitas, vt à Mathematicis tractari solet, est abstractior continua, & numerus habetur prima huius generis species, videndum est primum quidnam sit numeralis vnitas, cuius multiplicatione numerus efficitur, & qua ratione à transcendente distinguatur.

*Quid sit vnitas transcendens.*

VNITAS transcendens, vt ex iis quæ ad 4. lib. diximus, licet intelligere: nihil est aliud quàm indiuisio, quæ sequitur conceptum obiectiuum entitatis cuiusuis rei siue communis, vt hominis siue singularis, vt Socratis siue completæ, vt compositi naturalis, siue incompletæ, vt formæ substantialis, aut materiæ.

*Cap.3.q.5. Sect.5.*

VNITAS



*Vnitas numeralis duplex.*

VNITAS numeralis duplex est. Altera sequitur quamlibet naturam singularem, aut etiam communē, quatenus à particularibus abstractaest, aut etiam quatenus cōtractionem sui antecedit: cuiusmodi est vnitas huius Angeli, huius hominis, huius albedinis, & huius etiã naturæ genericæ aut specificæ: atque hæc vnitas numeralis opponitur vnitati formali, quæ sequitur quamlibet naturam communem absolutè sumptam, vt hominis, aut animalis, & ratione huius numeralis vnitatis quælibet duo indiuidua, & naturæ etiam communes, vt communes sunt, dicuntur differre numero. Altera sequitur naturam singularem non quamlibet, sed quantitatis continuæ, vt huius, aut illius magnitudinis, quo pacto solæ quantitates continuæ singulares dicuntur differre numero, & ratione earum quæcumque indiuidua illis affecta aut in illis inhærentia.

*In quo conueniant inter se prædictæ vnitates, & differãt à formali.*

IN eo autem conueniunt inter se, ac differũt àformali vnitate hæc duo genera numeralium vnitatum, quòd quicquid numeratur in reb. ratione tãtùm earum numeratur, Naturæ enim communes quæ formalibus vnitatibus affectæ sunt, non conficiunt numerum, nisi ratione earum vnitatũ, quæ illis conueniunt: quatenus à suis singularibus abstractæ sunt, & quasi præcisæ, aut quatenus sui contractionem, diuisionemq́; præcedunt quæ vnitates non formales, sed numerales dici debent quia non sequuntur naturas communes, vt communicabiles sunt, sed vt singulariter ac separatim acceptæ.

*Vt à se inuicē diuersa sint.*

DIFFERVNT autem à se inuicem in eo quòd prior dicitur conficere numerum transcendentem qui per omnia rerum genera vagatur: posterior autem eum qui propriè ad hoc prædicamentum spectat & qui primus numeri nomen obtinuit. Nam qui primi philosophati sunt nominą́que rebus philosophicis imposuerunt, cum non alias res nossent nisi sensibus subiectas, ac magnitudine prædita, earũ tantum vnitatibus vnitatis nomen indiderunt, iisq́ue ad numerum conficiendum vsi sunt. Ac de hoc solo genere vnitatis numeralis nobis sermo futurus est hoc loco, quemadmodum & de eo tantum numero qui eius multiplicatione conficitur.

*Sententia quorundam de vnitate numerali.*

### SECTIO II.

MVLTI sunt qui existiment quamlibet quantitatem continuam singularem habere duplicem vnitatem: vnam negatiuam, quæ in diuisione consistit, & in transcendentibus numeratur: alteram positiuam quæ non est ex transcendentibus & numerum conficit huius Prædicamenti proprium. Quid autem sit positiuum illud in quo ratio huiusmodi vnitatis formaliter posita est, non satis inter eos conuenit.

*Vnitas positiua ex quorundã sententia dici relationem mẽsuræ.*

QVIDAM D. Thomæ sectatores adducti quibusdam eius verbis non rectè intellectis, dicunt esse relationem mẽsuræ, eò quòd natura vnitatis numeralis in hoc consistat, quòd sit mensura numeri. Sed hi

Universidad de Deusto
Biblioteca



non videntur legisse D.Tho.lect.8.huius lib.nec 10.lib.lect.2. quib. in locis apertè ait mensuræ rationem non pertinere ad naturam vnitatis,sed esse eius proprietatem.

*Ex Ægidij sententia est idem cum quantitate continua.*

AEGIDIVS Rom.ait vnitatem numeralem esse idẽre cum quantitate cõtinua,sed differre ratione ab illa,vt actionem à passione. Diuersitatem autem rationũ in eo positam esse existimat,vt eadẽ quantitas quatenus extendit partes substantiæ,dicatur quantitas continua quatenus verò eam perficit in se nulla habita ratione partium,dicatur vnitas numeralis.Verum hæc distinctio nulla est,quia quantitas continua non aliter perficit substantiam, quàm extendendo eius partes. *Ægid.1.sent. dist.24.q.2. ad secundum quæsitum.Et alij apud Her.m.1.d. 24.q.1.art. 1.& apud Argẽ.in 1.d. 24.q.1.art.1.*

*A Capreolo dicitur entitas quædam incompleta consequens quantitatem continuã singularem.*

CAPREOLVS ait vnitatem numeralem esse entitatem quandam positiuam incompletam, quæ consequitur quantitatem continuam singularem, & quasi ex ea nascitur, atque hanc entitatem dicit esse principium numeri, quemadmodum punctus est principium magnitudinis.Sed cum opinio hæc neque vllam rationem reddat, nec reddere posse videatur, cur huiusmodi entitas quam fingit, sequatur quantitates continuas singulares, non autem substantias singulares, aut qualitates, aut alia accidentia singularia, meritò ab aliis D.Tho. sectatoribus reiicitur. *Capr. in 1.d. 24.q.vnica.*

2

*Has sententias non esse consentaneas Arist.doctrinæ.*

PLANE autem contra has opiniones & quasuis alias, quæ dicant rationem vnitatis numeralis esse positiuam, pugnat Aristotelis sententia hoc ipso lib. cap.6. vbi differens de omnibus generibus vnius, *Tex.11.* sic ait: *Vniuersale autem quæcunque diuisionem non habent, ea ratione, qua non habent, vnum dicuntur,*& planius 10.lib.cap.1.vbi enumeratis omnibus modis vnitatis,& apertissimè facta mentione vnius numeralis, *Tex.1.& 2.* ita concludit: *Quapropter esse vnum est indiuisibile esse.*

*Quid senserit D.Thomas in hac quæstione, quidq; re vera sentiendum sit.*

SECTIO III.

*D. Thomam nunquam sensisse vnitatẽ numeralem addere aliquid positiuũ quantitati.*

NEc vero D.Thomas in ea vnquam videtur fuisse sententia vt putauerit vnitatem numeralem addere aliquid positiuum quantitati continuæ numerali,vt quidam existimant, cum in omnibus locis nunc adductis dicat cum Aristotele rationem vnitatis etiam numeralis esse indiuisionem. Quod autem aliàs docet vnum numerale addere aliquid positiuũ supra res,non sic intelligendũ est,quasi existimet addere illud quantitatibus continuis sed substantiis singularibus, quæ hoc vnitatis genere numerantur, vt Socrati,aut huic lapidi. Nam cum Socrates non dicatur vna numero substantia vnitate pertinente ad hoc prædicamentũ,nisi propter indiuisione magnitudinis,qua affectus est,necessariò efficitur, vt eiusmodi vnitas addat Socrati ipsam magnitudinem,quam supponit,& cuius est indiuisio, eodémque modo res habet in cætetis. Quod perspicuè intelliges ex commentariis in superiorem librum,vbi sic ait: *Vnũ verò quod est principium numeri addit suprà substantiam rationem mensuræ quæ est propriæ passio quãtitatis,& primo inuenitur in vnitate,& dicitur* (tale vnum scilicet *Lect.2.*



scilicet) *per priuationem vel negationem,quæ est secundum quantitatem continuam.* Ex quibus verbis duo habes,alterum non dixisse D.Thomam vnum numerale addere aliquid quantitati continuæ, sed substantiæ: alterum apertè docuisse rationem vnius numeralis consistere in indiuisione quantitatis continuæ, ac proinde addere substantiæ, non solùm rationem mensuræ,quæ est proprietas quędam primò conueniẽs vnitati,sed etiam ipsam quantitatem continuam,in cuius indiuisione eius oratio consistit.

*Vera dubitationis explicatio.*

DICENDVM igitur hoc interesse inter vnitatem transcendentẽ, & numeralem posterioris generis,siue huius prædicamenti propriam quod transcendens, sequitur entia omnia sub quocumque obiectiuo conceptu illa concipiantur: at numeralis ea, de qua disserimus, solas quantitates continuas singulares,alioqui vtraque est negatiua,cum in indiuisione formaliter consistat, & quemadmodum alterum genus numeralium continetur sub transcendente, ita & hoc, de quo disputamus. Itaque transcendens vnitas diuidi potest in vnitatem formalem & numeralem in genere:numeralis autem in genere,in numeralem naturarum communiũ, quæ abstractionis & præcisionis appellari potest, & in numeralem singularium, quæ rursus diuiditur in numeralem singularium quantitatum, quæ prædicamentalis dicitur, id est,huius prædicamenti propria, & in numeralem aliarum rerum singularium,quæ quia & in aliis prædicamentis,& extra prædicamenta, hoc est,in Deo cernitur,transcendentis nomen retinet.

*Vnitatis trãscendentis diuisio.*

## *VTRVM NVMERVS SIT VERA quantitatis species.*

## QVÆSTIO IIII.

*De quo numero differendum hoc loco.*

SECTIO I.

*Duplicẽ esse numerum alterum transcendentem alterũ rerum continuarum proprium.*

QVEMADMODVM vnitas in transcendentem, & numeralem diuisa est, ita & numerus in transcendentem, & in eum qui peculiari ratione numerus dicitur,diuidi potest.Nam etsi ex solis,ac omnib. vnitatibus numeralibus numerus aliquis conficiatur,tamen quia vnitates numerales,quibus continuæ quantitates numerantur, peculiari ratione numeralium sibi nomen vendicant:numerus etiam qui earum multiplicatione conficitur, numeri vocabulum velut proprium iure suo posceit, definiriq; potest multitudo finita continuarum quantitatum.

*Definitio numeri de quo est quæstio.*

*Tex.64.* DE hoc numero quasi de eo qui vulgò ac simpliciter dicitur numerus loquitur Aristoteles 3.Physic.cap.6.& 7.cum ait: *Numerum esse diuisione quantitatis continuæ.* Secundo item libro de Anima, cap.6. cum scribit numerum esse sensibile commune, de eodem quoque videtur intelligi,id quod dici solet,numerum esse subiectum Arithmeticæ

*Subiectum Arithmeticæ quodnam sit.*

ticæ, quamquam multi sunt qui dicant Arithmeticum agere de omnibus omninò numeris, quod tamen Aristotelis doctrina videtur respuere. Sæpe enim Aristoteles ait *quantitates, de quibus agunt Mathematici, non esse separatas re ipsa à rebus naturalibus, sed consideratione sola*, quicquid tamen de eo numero, de quo agunt Mathematici, dicendum sit nos de hoc solo in hoc capite disputabimus. *3. Meta. c. 2. tex. 7. & 8. & deinceps.*

*Non videri numerum esse veram quantitatis speciem.*

## SECTIO II.

*Pars negatiua duobus argumentis probatur. Non esse ens reale.*

QVOD igitur numerus non sit vera quãtitatis species duobus argumentis videtur ostendi: vno quod non sit ens reale: altero quod non sit vnum quid per se circumscripta omni operatione intellectus.

QVOD non sit ens reale hunc in modum probatur. Numerus qua ratione est numerus, constat ex vnitatibus, vt perspicuũ est, & ab omnibus concessum: omnis autem vnitas est quædam indiuisio, vt ostensum est, & omnis indiuisio est negatio, seu priuatio: igitur omnis numerus constat negationibus, negationes autem sunt non entia: igitur omnis numerus constat ex non entibus: quo fit, vt ens reale dici non possit. Quod si dicas numerum non cõstare ex ipsis vnitatibus, sed ex quantitatibus continuis singularibus, quibus accidunt vnitates, primum quidem pugnabit cum communi Philosophorum sensu: omnes enim dicunt partes numerorum esse vnitates. Deinde incides in id, quod cupis effugere, cogeris enim concedere numerum non esse verè vnum ens, sed multa entia, vt mox patebit. Præterea partes numeri habent ordinem inter se, vt Arist. in Prædicamentis docet (quod de vnitatibus intelligendum esse eo loco diximus) & vltima vnitas addita priori aut prioibus, complet speciem numeri, & efficit ipsum vnũ quid vt idem docet [a] 8. huius operis lib. eisdémque locis D. Thom. at in rebus circumscripta omni apprehensione intellectus non datur ordo inter vnitates, nec datur certa aliqua vnitas, quæ vltima & quasi forma alterius, aut aliarum dici possit: igitur non datur numerus sine apprehensione intellectus, quo fit, vt non sit ens reale.

*Non dari ordinem inter vnitates extra intellectũ. Numerũ non esse ens per se ostenditur. Prima ratio.*

*Cap. de quantitate.*

[a] *Cap. 3. tex. 10. & c. 6. tex. 15.*

QVOD verò non sit ens per se multis rationibus ostenditur. Prima est. Ex duobus nunquam fit vnum per se nisi illa inter sese vniãtur vnitate continuitatis, vel intentionis, aut alterum sit forma alterius: at vnitates ex quibus constat numerus, neque vniuntur inter sese in aliquid vnum continuum, vel intensiũs, neque vna est forma aliorum. Prior sumptio ex eo patet quia nulla alia succurrit vnionis ratio in vnitatem veræ alicuius essentiæ. Nam vnio solius ordinis, qualis est in exercitu aut domo, aut naui, non satis est ad efficiendum totum, quod verè sit vnius essentiæ. Quamquam ne hoc quidem vnionis genus habent vnitates inter sese, nisi vt ab intellectu apprehenduntur & numerantur: id enim ferendum non est, quod quidam dicunt, vnitates extra intellectum habere quidem per se ordinem prioris & posterioris,



rioris, verùm à nobis eiusmodi ordinem non percipi. Qui enim id fieri possit, cùm omnes sint eiusdem rationis?

*Effugium prima rationis*

AT dices, vt ex duobus entibus fiat aliquid per se vnum, præsertim ex incompletis, cuiusmodi forsitan vnitates esse contendes, non opus esset vt ea vniantur inter sese, aut alterum sit forma alterius, sed satis fore si ambo vniantur in natura totius. Verùm qui hoc pacto responderit, nihil aliud dicet, quàm si apertiùs ita loqueretur, vt ex duobus entibus fiat vna essentia, sat esse, si ea vniantur in eiusmodi essentia, quo quid magis puerile videri possit? Hoc enim ipsum est, quod quærimus: Qui fieri possit, vt ex pluribus rebus fiat aliqua essentia verè vna: quò fit, vt ratio aliqua ex vnione ipsarum partium inter sese reddenda sit, quò nec satisfaciat quæstioni, qui ad ipsam vnitatem totius essentiæ, de qua est controuersia, confugerit. Non ita sanè Aristot. qui 8. lib. cap. 6. cùm proposuisset eam quæstionẽ. Cur ex partibus quiditatis rei, quæ definitioni respondent, vna fieret essentia: nõ satis esse putauit, si diceret, quia vniuntur in vnitate eius essentiæ, cuius sunt partes: id enim ridiculum esse vidit, & apertam principij petitionem (vt vocatur) sed ex vnione ipsarum partium inter sese hanc causam reddidit: *Quia altera*, inquit, *pars vnitur alteria, vt forma materiæ.* *Refellitur.* *Textu 15.* *Cur ex partibus quiditatis fiat vnum per se.*

*Ratio Aristotelica. Secunda.*

SECVNDA ratio est, quia quod est multa simpliciter, non est vnũ simpliciter, ac proinde neque vnum ens per se, vniúsve essentiæ, at numerus est multa simpliciter. Propositio aperta est, quia vnũ & multa, cùm simpliciter accipiuntur, opponuntur inter sese: vnde fit, vt de eadem re dici non possint. Neq; est quod obiicias materiam & formam esse multa simpliciter, vt patet, & tamen esse vnum simpliciter ipsum nimirum compositum, falsa est enim posterior enunciatio. Neq; enim dicendum est materiam & formam esse ipsum compositum, sed constituere compositum, vt ad librum septimum patebit, cùm de toto & partibus disputatio instituetur. Assumptio primùm quidem ex se patet: quis enim neget duos homines numero, vt sunt duo numero, esse multa simpliciter? Deinde perspicua est apud Arist. 3. Phys. cap. 7. vbi ait numerum esse vna plura, quantáve quædam, & ex 10. libro huius operis, cap. 9. vbi affirmat numerum esse multa vna: dixerat autem paulò antè vnum & multa se habere, vt album & alba: igitur cùm alba sint multa simpliciter, efficitur, vt Aristotelis sententia numerus sit multa simpliciter, quod idem sensisse illum ex dicẽdis etiam patebit. *Materia & forma non sunt compositũ, sed ipsum constituunt.* *Textu 68.* *Textu 20.*

*Tertia. Multitudinẽ transcendentem prædicari de numero probatur.*

TERTIA ratio est, quia multitudo transcendens prædicatur de numero huius prædicamenti suo modo essentiali prædicatione: multitudo autem transcendens nõ est vnum per se. Prior sumptio ex eo probatur, quia vt vnitas transcendens se habet ad vnitatẽ numeralem, ita multitudo transcendens ad numerum: at vnitas transcendens suo modo prædicatur essentiali prædicatione de vnitate numerali, cum eam sub se comprehendat, vt superiùs ostendimus. Confirmatur eadẽ sumptio ex Aristotele 10. lib. Metaph. vbi ait: *multitudinem esse, vt numeri genus*, & addit: *Est enim numerus multitudo mensurabilis vno.* Quo loco nomine multitudinis intelligit transcendentem, vt Diuus Thomas & alij interpretes exponunt. Posterior sumptio magis perspicua est, quàm

*Quæstio. 3. Sectio. 3. cap. 9. tex. 21. D. Tho. lec. 8. & plerique alij.*

quàm vt probatione indigeat, probari tamen ex eo potest, quia sola multitudo transcendens est, quæ formaliter efficit res multas simpliciter, nihil enim aliud id efficere potest, nisi fortè entitates ipsæ rerũ: at hoc ea ratione dici non potest, quia vt nullum ens sua entitate formaliter est vnum, sed sua vnitate, sic nulla entia sunt multa suis entitatibus, sed suis vnitatibus.

*Quarta. Cum ex vnitatibus substantiarũ non fiat vnum per se, non fieri etiã ex vnitatibus quantitatum.*

QVARTA ratio est, quia si ex vnitatibus, quę reperiũtur in tribus quantitatibus continuis, constaret aliquid vnum per se, pari ratione constaret ex vnitatibus, quæ sunt in tribus Angelis: at ex his non constat, vt ferè dicunt, qui partem affirmatiuam huius quæstionis defendunt. Prior antecedentis pars ex eo perspicua est, quia si vtræque sunt priuatiuæ: aut vtręque positiuæ, non est cur ex illis constet aliquid vnum per se, & ex his non constet: si verò illæ sunt priuatiuæ, hæ verò positiuæ, atque adeò incompletæ entitates, reddẽda esset causa: cur in Angelis etiã non reperiantur eiusmodi vnitates, quę tamen neutiquã videtur reddi posse. Quamquam nec si ea quidem reddatur, aliquid efficietur. Nisi enim ostendas eiusmodi positiuas entitates verè vniri inter sese ad vnam essentiam constituendã (vt suprà diximus) nunquam propositum conficies: quemadmodum nec continuò concludes materiam & formam efficere compositum vnius essentiæ, si probes eas esse entitates positiuas & incompletas: nec tamen ostendas alteram certo modo vniri cum altera ad vnius essentiæ constitutionem: alioquin concluderes materiam Diui Petri quæ Romæ est, & formam, quæ in Cœlo, nunc efficere vnam essentiã. Vnde fit, vt superuacaneus videatur labor eorum, qui conantur ostẽdere vnitates numerales esse entia positiua & incompleta, vt concludant numerum esse verã quantitatis speciem, dum enim non ostendunt, qua vnione illæ iungantur inter se ad vnius essentiæ constitutionem, nihil omninò efficiunt.

*Quinta. An plura individua numeri sub eadẽ specie dari simul queãt.*

QVINTA ratio est, quia si omnis multitudo quantitatũ continuarum singulariumq; (saltem earum quæ sunt eiusdem speciei infimæ, vt corporum, aut superficierũ) esset per se vnum quid, nunquam aut simul darí possent in vniuerso (etiam diuina potestate) plures numeri siue eiusdem speciei, siue etiam diuersarum in eadem specie quantitatum continuarum, vt plures quaternarij corporum naturalium, aut octonarius simul cum quaternario pertinentes ad hoc prædicamentũ quod est absurdissimũ. Nam quòd id sequatur, ex eo patet, quia cum per diuisionem fiunt plura corpora, aut alia aliis alia ratione adiunguntur (quod continenter fit in rebus quæ gignuntur & intereunt) hoc ipso nouus incipit esse numerus corporũ: ex quo fit, vt cùm semper vnicum sit individuum corporum, contradictionem omnino inuoluat, dari simul in rebus naturalibus plures numeros eiusdem speciei, seu diuersarum in corporibus naturalibus. Nec respõdeas in vno eodemque numero posse contineri multos siue eiusdem, seu diuersarum; vt in quaternario duos binarios, & in quinario binarium cum ternario. Nam si numerus est verè, vnum quid per se, non erunt in eo plures numeri, nisi potestate, quemadmodũ in magnitudine, quia est per se vnum quid non dantur actu multæ magnitudines, quamquam

*Ex pluribus numeris completis non fieri vnum numerum.*

potestate



potestate non solùm dantur plures, sed etiam infinitæ, vnde Aristot. 7. lib. huius operis, cap. 13. sic ait: *Ea quæ actu sunt duo, nunquam actu sunt vnum, sed si potestate duo sunt, sic erit vnum, veluti duplum ex duobus dimidijs potestate constat, actus enim separat.* Quod autem sit absurdissimum vnum tantùm numerum dari posse eiusdem speciei quantitatum in tota rerum vniuersitate ex eo perspicuum est, quia & docti, indocti & multos esse asserunt, vt Philosophi quatuor integra elementa & octo cœlestes orbes stellatos. Qua eadem ratione Aristoteles extremo Physicorum libro, alium quaternarium esse in quatuor canibus, alium in quatuor ouibus, nec vulgus aliter quàm sapientes hac de re loquitur, absurdúsque & ineptus iudicabitur, qui hunc loquendi morem improprium esse dixerit.

*Textu 49.*

*Absurdissimum esse vnum tantùm dari numerũ quantitatum eiusdẽ speciei.*

MITTO argumentum illud ex vnitate subiecti, quo pleriq; vtuntur dicentes fieri non posse, vt accidens sit vnum per se, cuius subiectum non sit per se vnum. Nam etsi hoc pronunciatum ab aduersæ partis auctoribus ea ratione negatur, quod natura accidentis discreti sit, vt plura pro subiecto deposcat: tamen quia hoc ipsum mens capere non omnino videtur, vt vnius accidentis non sit vnũ subiectum, potiùs negandum est discretionem esse differentiam per se quantitatis, ac proinde esse ens per se vnum. 6.

*Quibus rationibus probetur numerum esse veram speciem quantitatis.*

## SECTIO III.

AT numerum esse veram quantitatis speciem hisce argumẽtis videtur ostendi. Primũ quia ratio quantitatis quæcumque tradatur, verè ac proprie conuenit numero, nec tamen vt indiuiduo, aut vt generi summo quantitatum omnium particularium, quare vt veræ speciei quantitatis.

*Argumenta partis affirmantis.*

DEINDE quia si numerus vlla ratione non esset vera quantitatis species, ea maximè non esset, quia non esset aut ens reale, aut ens per se, vt volunt negatiuæ partis auctores: at vtrumque falsum videtur.

*Numerũ esse ens reale, vt probatur.*

NAM quod sit ens reale ex eo primùm probatur, quia est subiectum scientiæ realis, nempe Arithmeticæ: reales enim scientiæ non nisi de subiecto reali differunt. Deinde quia numeri vt cætera entia Mathematica existunt in rebus naturalibus, vt Aristoteles affirmat 6. lib. huius operis, quæ autem in rebus existentiam habent, non dubiũ est, quin realia sint entia. Tertiò quia numerus est sensibile commune vt docet Aristoteles 2. & 3. lib. de Anima, id autem quod sub sensum externum cadere potest, ens haud dubiè reale est.

*Cap. 1. tex. 2.*

*2. de Anim. ca. 6. tex. 64. & 3. lib. c. 1. tex. 132. & 133.*

QVOD verò sit ens per se vniúsve essentię, ex eo primùm constare videtur quia subiectum cuiusque scientiæ subalternãtis debet esse ens per se, vt possit habere definitionem essentialem, per quam proprietates demonstrentur, at Arithmetica quæ agit de numero, scientia est subalternans, vt patet ex priori lib. de Posteriori resolutione. Deinde, quia numerus est quantus per se, vt ex hoc cap. perspicuum est, quie-

*Esse ens per se.*

*Cap. 10. tex. 30.*

quid autem est quantũ per se, non dubium videtur, quin sit ens per se.

*Confirmatur eadem pars auctoritate Aristotelis, & Platonis, & D.Tho.*

His rationibus planè videtur accedere Aristotelis sententia, qui sic vbique loquitur de numero, vt credere videatur esse veram quantitatis speciom. Platonem quoque in Sophista idem sibi persuasisse quis dubitat, Sic enim ait: *Si quid in ordine eorum, quæ sunt ponendum est, id certè est vniuersum numerorum genus.* His adde sententiam veterum Scholasticorum penè omnium, atque in primis D.Thomæ, cuius in diuina & humana Philosophia permagna est auctoritas, tam sæpè enim affirmat numerum esse speciem quantitatis, vt non aliud credere videatur, quàm quod sit vera quantitatis species.

*Arist. in lib. Prædica. c. de quãtitate & 5. Meta. c. 13. txt. 18. & c. 14. tex. 19. & sæpè alibi.*

*Vera propositæ quæstionis explicatio.*

## SECTIO IIII.

*Vnica.*

SCOTVS in primum lib. Sen. ad distinctionem 24. duas refert hac de re sententias. Vnam quæ asserit numerum & esse in rebus, & esse vnum quid per se: alteram quæ ait esse quidem numerum in rebus: cæterum non vt aliquid vnum per se. sed veluti aceruum lapidum, aut frumẽti: quæ sententia in duas rursum (quòd illè paulò pòst videtur innuere) diuiditur in eam quæ ipsam vnitatum multitudinem in rebus existentem formaliter numerum vocat, etsi à nullo intellectu numerante concipiatur, & in eam, quæ non audet eiusmodi multitudinem formaliter appellare numerum, nisi cùm numeratur & apprehenditur ab intellectu quasi vnum quid: hæc enim potestas data est intellectui, vt quæ in rebus sunt multa simpliciter, possit apprehensione sua in vnum cogere, & contra, quę in rebus sunt vnũ, in multa diducere. Sed tamen quia discrimen, quod inter auctores huius posterioris opinionis cernitur, non magni momenti est, & ad verba potius, quàm ad rem videtur spectare: eorum in hac re controuersia prætermissa, duas tantùm in hac quæstione opiniones agnoscamus.

PRIOREM sententiam videtur amplecti Auicenna 3. suæ Met. & D.Thomas 1. parte summæ Theologicæ, q. 11. & 30. & aliis locis, quos refert Capreolus ad 24. distinctionem primi Sent. Eandem plane sequitur Henricus Gandauensis, & in summa, & in Quodlibetis, aliique complures. Quamquam D.Thomas ad calcem lib. 7. huius operis, & lectione 3. lib. 8. ac Ægidius Rom. hoc loco q. 2. asserunt ordinem vnitatum in causa esse, vt numerus sit vnus, & vltimam vnitatem esse velut formam numeri, eique speciem tribuere. Vnde cùm huiusmodi ordo, & vltima vnitas non detur in rebus, nisi vt vnitates mente colliguntur, non dubium est quin aliquam numeri dependentiam ab intellectus apprehensione fateantur, quàm nonnulli Thomistæ completiuam appellant & à D.Thoma concessam esse affirmant. Id quod dicturos fuisse crediderim veteres eos, qui hanc quæstionis partem videntur amplexi, si pressiùs rẽ tractassent. Gandauensis quoque non ita eidem sententiæ adhæret, vt eam non vehementer reformidet.

*Cap. 4. D.Thom. Et Capr. q. 1. concluſ. 5. Henr. 1. p. q. 7. arti. 29. & quodl. 6. Argen. 1. d. 24. q. 1. Sonc. 10. Metaph. q. 7. & alij. In his ſunt Spina defenſione 20. Manzolus du bio 132. & alij quidam.*



midet. Nam cùm ille in eo primùm laborasset, vt ostenderet, cur distinctæ quantitates continuæ vnum ens per se constituant, respondisset; id propterea accidere, quia tota quantitas continua, ex cuius diuisione plures efficiuntur, est vnum ens per se, tandem intelligens rationem hanc parum, seu potiùs nihil momenti habere, (isto enim modo omnes partes rei, quæ fuit vnum quid per se, veluti forma & materia hominis vita defuncti, essent vnum ens per se) in fine concludit numerum esse aliquid in rebus extra intellectum, *licet hoc*, inquit, *difficile sit imaginari secundum quod alibi exposuimus.*

POSTERIOREM sententiam ex recentioribus quidem Scholasticis plurimi amplectũtur, vt Aureolus, Marsilius, Ochamus, Ariminensis Gregorius, Dominicus de Soto in Physicis, & alij complures. Ex antiquioribus verò in eadem planè videtur fuisse Magnus Albertus in 8. Metaph. vbi sæpiùs affirmat numerum, vt extra intellectum est, non esse verè vnum, sed aceruatione, quẽ non dubito D. Thomam & Ægidium re vera sequutos: vt ex dictis patet, etsi à verbis quibus numerus planè dicatur non esse quantitatis species, magis temperarunt. Porrò Scotus cùm priorem iunior secutus fuisset, vt patet ex 9. quæstione earum, quas in hunc lib. scripsit, postea tamen exponens 24. dist. primi Sen. vtrumque recitauit, & sub dubio reliquit, dicturus aliquando latiùs de ea re. Ioannes tamen Bassolus ingeniosus Scoti discipulus eadem distinctione posteriorem amplexus est, & Paulus Scriptor eiusdem Scoti enarrator. Cui sententiæ astipulatur plurimũ illud Commentatoris in tertium Phys. *Numerus est aceruus vnitatum.* quibus verbis interpretari videtur explicationẽ illam numeri, quam tradit Aristot. 10. lib. huius operis, cap. 3. *Numerus multitudo seu pluralitas vnitatum est*, acceptum ex lib. 7. Elementorum Euclidis, quam vsurpant Gregorius Nyssenus in libro de historia sex dierum, & Damascenus in sua Logica.

*Aureol. apud Capr. Ocha. in 1. d. 24. q. 2. Greg. ibid. q. 2. artic. 2. Marsil. in 1. d. 27. artic. 1. Bruxellenſis in Logicam. Sot. in 1. Phy. q. 3. Alber. 8. Metap. tract. 1. cap. 8. D. Tho. in locis paulò antè citatis libri 7. & 8. Ægidius in hunc lib. q. 2. Scot. d. 24. q. vnica. Comm. 68. Textu 4.*

ATQVE hæc posterior nobis etiam verisimilior videtur & Arist. doctrinæ ac sententiæ (vt etiam paulò pòst patebit) accommodatior præsertim cùm rationes quas pro negatiua huius quæstionis parte proposuimus, eam videantur planè concludere. Ita tamẽ eam approbamus, vt consuetum loquendi morem, quo numerum speciem quantitatis esse dicimus, retinendum putemus. Hac enim in re, quemadmodum in aliis quamplurimis, illud Aristotelis in Topicis obseruãdum est, vt vera sapientium in quauis re sententia probata, communi loquendi consuetudini nos accommodemus, atque hanc sententiam meritò secutus est Olauius noster in explicatione primæ partis Diui Thomæ ex qua extant doctissimę assertiones typis mandatæ, quibus ipse defendendis non mediocri Romanæ vrbis celebritate præfuit.

*Martinus Olauius Doctor Pariſiẽſis Societatis Ieſu Preſbyter eximius.*

DICENDVM igitur non esse re vera numerum ens aliquod per se vnum etiam, quatenus ab intellectu numeratur, & in summam colligitur. Nam vt in rerum natura, nihil est aliud quàm multitudo quædam finita est numeralium vnitatum, quæ quidẽ efficit multa simpliciter, non autem vnũ quid, nisi fortè per accidens, vt loco velut in cumulo, aut ordine: vt in exercitu, aut aliquo alio modo: vt verò est in

*Numerus non eſt per ſe vnum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



intellectu numerante,& in ſummam colligente,non eſt vnum niſi ordine & apprehenſione: quæ etſi efficiunt, vt numerus ſine adiectione dici poſſit vnum quid,non tamen efficiunt, vt ſi vnum per ſe, hoc eſt, veræ,vnius eſſentiæ. Poteſt tamen numerus mente collectus dici vnũ quid per ſe,ſi vnum per ſe intelligatur vnũ per ſe ordinatum,non autem vnum per ſe compoſitum,ſiue in vnam eſſentiam conflatum,qua nos locutione vt cæteri ſæpiſſimè vtemur.

*Quo pacto argumenta pro affirmatiua parte quæſtionis vim non habeant.*

## SECTIO V.

ARGVMENTA verò quibus affirmatiua quæſtionis pars confirmabatur, ſi non de conſueto inter Philoſophos loquendi modo,ſed ſentiendi,rémque ipſam accuratiùs expendendi agitur,hoc modo diſſoluenda ſunt.

*Deſcriptiones quãtitatis numero nõ conueniunt.*

AD primum dicendum, deſcriptiones quantitatis traditas verè quidem ac propriè non conuenire numero, quia non conuenit ei id, quod in omnibus quaſi genus intelligendum eſt, nempe ens reale, ac per ſe vnum,vt oſtenſum eſt:vnde nec illa quæ in deſcriptionibus adiunguntur eodem modo conueniunt numero, quo quantitati continuæ.Nam quod ad primam attinet,etſi numerus magis propriè dicitur menſura quàm quantitas continua,quia nimirùm metitur & multitudines & magnitudines,ac tempora & motus,ſaltẽ opera & actione intellectus,aliter tamen eſt menſura,quã quantitas continua : hæc enim eſt menſura extenſionis propriè dictæ : ille verò ſi propriè loquendum eſt,non extenſionis, ſed multiplicationis, hæc eſt menſura ſubſtantiæ,ille non ſubſtantiæ,ſed ſubſtantiarum.

QVOD verò ad ſecundam attinet,nullus eſt numerus,qui per vnã aliquam relationem realem ſit æqualis,aut inæqualis alteri:quemadadmodum quantitas continua,ſed ſolùm ob id dicitur æqualis, quòd totidem vnitatibus conſtet,inæqualis quòd pluribus,aut paucioribus quamquam hoc non conuenit numeris per accidens,ſed per ſe,id eſt, ratione ſuæ qualiſcumque compoſitionis.Si verò tertiam deſcriptionem expendamus,eſt quidem numerus verè & propriè finitus, aut infinitus,cùm ſit verè & propriè finitus,alioqui ne numerus quidẽ eſſet, cùm numerus deſcribatur multitudo finita.Cæterùm quia in numero non datur vltima vnitas niſi apprehenſione intellectus , non eſt finitus numerus ſine aliquo certo,& deſignato,ex natura rei:quemadmodum eſt quantitas continua. Demum quod ad quartam ſpectat , eſt etiam numerus per ſe extenſus,& non ratione alterius,verùm extẽſio numeri non propriè dicitur extenſio (quod etiam vulgus iudicat) ſed potius multiplicatio quædam.

AD ſecundũ dicito,numerum nec eſſe ens reale,nec per ſe vnum: nam prima ratio qua illum eſſe ens reale concludebatur, non probat inſtitutum.Arithmetica enim eſt illa quidem ſciẽtia realis,& agit de rebus, vt diſtinguuntur à ſermone , verùm non agit de rebus quæ ſint entia realia & per ſe. Hac enim ratione diſtinguuntur reales ſciẽtiæ à

*Scientiarum realium & ſermocinaliũ diſcrimen.*

ſermocinalibus



ſermocinalibus,quod ſermocinales de ſermone diſſerũt,reales autem de rebus,hoc eſt, de iis, quæ ſermonis nomine non comprehenduntur,etſi non ſint vera entia realia,& per ſe:quandoquidem multæ ſunt ſcientiæ,quæ etſi inter reales numerantur, non tamen agunt de obiecto quod ſit vnum per ſe ens reale , vt ſcientia de Republica , quam Politicam vocamus,Coſmographia,Muſica,& huiuſmodi aliæ. Quin etiam iuxta eam Philoſophorum diuiſionem , qua ſcientias in reales & rationales diſtribuunt,hoc eſt,in eas quæ agunt de rebus non pendentibus ab operatione intellectus rationiſve & in eas quæ agunt de iis quæ pendent,dici poteſt Arithmeticam hoc quoque modo de rebus agere:concedimus enim numeros in rebus eſſe circũſcripta omni apprehenſione intellectus, quia omnis multitudo finita quantitatum continuarum ſingularium numerus eſt. Quamquam numeri hoc pacto ſpectari non ſunt vnum quid , non ſolùm per ſe compoſitum, ſed ne per ſe quidem ordinatum. Non ita verò concedimus dari in rebus prædicationes, ſubiectiones , definitiones, diuiſiones, collectiones, exordia,narrationes, & cætera: de quibus rationales ſcientiæ diſſerũt quòd hæc neceſſariò pendent ab operatione intellectus.

*Arithmetica verè realis ſciẽtia etiam ſi de numeris agat.*

SECVNDA quoq; ratio nihil conficit.Numerus enim eſt quidem materialiter in rebus naturalibus,at non ens aliquid naturale.

SED nec tertia quicquam concludit. Nam etſi numerus percipitur pluribus externis ſenſibus:non tamen inde efficitur, vt ſit verum ens: tenebræ enim, ſilentium, cœcitas , & aliæ pleræque priuationes percipiuntur ſenſibus externis, nec tamen ſunt vera entia. Percipitur autem numerus , vt eodem loco ait Ariſtot.continui negatione , hoc eſt,cùm percipimus aliqua non eſſe continuata inter ſe, quemadmodum tum percipimus tenebras,cùm lumen abeſſe ſentimus.

*Subiectum ſcientiæ ſubalternantis nõ neceſſe eſt eſſe ens compoſitum, ſed per ſe ordinatum.*

IAM rationes quibus colligebatur numerum eſſe ens per ſe , non omnino rem conficiunt.Non prima quidẽ,quia non opus eſt, vt ſubiectum ſubſtantiæ ſubalternantis ſit ens per ſe compoſitum,cùm ſatis pleriſque ſit, vt ſit modo aliquo per ſe ordinatũ,veluti in Politica, & Militari , perſpicuum eſt enim proprietates , quæ in his & ſimilibus ſcientiis oſtenduntur (veluti poſſe præmiis afficere bonos,& ſupplitiis malos,quæ ſunt Reipublicæ propria:poſſe item aptè inferre bellum ac propulſare,quæ ſunt propria exercitus) non eſſe ſimplices affectiones qualitatéſve,ſed attributa quædam complexa, quæ propria & peculiari ratione multitudini huic & illi cõuenire dicimus.Eodem modo res habet in Arithmetica:agit enim de ſubiecto per ſe ordinato quod habet quidem ſuas quaſquam proprietates , vt eſſe par, aut impar,quę tamen vt non ſunt ſimplices affectiones,ſic non profluunt ab eſſentia aliqua vna , cuius definitione oſtendantur : ſequuntur autem huiuſmodi proprietates numerorum non ſolum vt eſt in mente ordine collectus , ſed etiam vt eſt in rebus ipſis nullo ordinẽ diſpoſitus,rametſi Arithmeticus non agit de numero,niſi ſub eo ordine,quẽ numerus ab intellectu accipit quia nulla ſcientia differit de ſubiecto, quod non modo aliquo ſit per ſe vnum.

NEC verò ſecunda ratio rem oſtendit.Nam etſi numerus non ratione

tam alterius,sed per se est quantus siue extensius, siue etiam extensio quædam,siue discretio,tamen ea extensio ac discretio non est entitas aliqua vna, sed materialiter est ipsæ plures quantitates continuæ singulares: formaliter autem est ipsæ vnitates sine ordine vllo in rerum natura,aut ordine quodam collectæ ab intellectu,vnde non sequitur numerum esse aliquid per se,vniúsve essentiæ.

QVOD verò ad Aristotelis sententiam attiner,dicẽdum est,illum non ausum fuisse apertè excludere numerum à veris generibus huius Prædicamenti, quod inolitam vehementer cerneret consuetudinem Mathematicorum loquentium de numero,quasi de vero quodam rerum genere:sed tamen plerisque in locis multa dixisse,quibus latẽter & artificiosè contrariam sententiam probauit, quale est id quod in Prædicamentis ait: *in partibus numeri esse ordinem*,neque enim id aliter verum esse potest,quàm quatenus numerus apprehenditur ab intellectu,& illud 8.lib.huius operis,cap.3. *Aut numerus*,inquit, *vnum non est, sed velut cumulus,aut si sit,dicendum est, quidnam illud sit,quod ipsum efficit vnum ex multis*,quasi dicat,nisi detur in numero vltima vnitas, quæ sit velut forma præcedentium, non fore numerum vuum quid, quod sanè non fit nisi in mente, atque adeò imperfectè, hoc est, non ratione compositionis, sed solius ordinis, quo mente colligitur. Atque hoc idem innuitur extremo eiusdem lib.capite. Eodem quoq; spectat illud tertij Phys.cap.7. *Numerus est vna, plura, quantáve quædam*, & illud 10.lib.huius operis,cap.9. *Numerus est multa vna,&c.* quæ suprà retulimus, quibus addi possunt alia pleraque quibus Aristotelem ita sensisse non obscurè intelligitur.

*Cap.de quãtitate.* *Textu 10.* *3.Phys.text.68. & 10. Met.tex.20.*

QVOD autem ad Platonem attinet, nemo nescit illum vocasse numeros ipsas rerum sensibilium essentias, quas ponebat à sensibilibus separatas,quo pacto intelligendus est in loco citato:etsi nonnunquam alibi, vt in Theæteto numerorum nomine res ipsas numeratas intelligit, non quantitatem aliquam vnam pluribus rebus quantis additam.

DE Diuo autem Thoma iam diximus, idem reuera illum sensisse, atque Aristotelem.Ea enim est eius consuetudo, vt semper in rebus, quæ fidem non attingunt, illum omnino sequatur, & ipsa loquendi forma, & sententia tenenda. Quo etiam modo crediderim veteres Scholasticos esse intelligendos, qui hanc quæstionem non admodum scrupulosè tractauerunt.Dicamus igitur & nos cum Aristotele, & veteribus Scholasticis numerum esse speciem quantitatis: sed veram sententiam tenentes haud propriè id dici intelligamus.

* * *

NVM



## NVM ORATIO SIT VERA SPECIES QVANTITATIS.

## QVÆSTIO V.

*Videri speciem quantitatis veram.*

### SECTIO I.

CVM in Prædicamento Quantitatis de Oratione disputatur, non est sumendum orationis nomen ità presse ac propriè, vt eam distinguamus à nomine ac verbo,aliisque dictionibus simplicibus, sed quatenus funditur ad omnes voces articulatas, & ex instituto significatiuas. Omnes enim huiusmodi voces videntur habere quantitatem, eámque distinctam à cæteris quantitatibus, etiam si plurimæ earum nullam sententiam significent, siue perfectam, siue imperfectam, vt arma & virum.

*Cap.de quãtitate.*

QVOD igitur oratio hoc pacto sumpta sit vera quantitatis species Aristoteles sanè videtur non tantùm asserere,sed etiam duabus rationibus, quas in Prædicamentis affert, planè demonstrare: vna quod eam sui ipsius partibus, hoc est, syllabis intrinsecus metiamur: altera quia est per se quanta, est enim per se longa ac breuis ratione syllabarum quibus constat: quandoquidem syllabæ non ratione alterius cuiusque rei,sed per ipsas longæ sunt,aut breues. Neque enim dicendum est, syllabam esse longam, quia consumit duo tempora, & breuem quia vnum, sed potiùs consumere duo tempora, quia est longa, & vnum quia breuis.

QVOD autem sit species quantitatis à numero distincta,ea ratione manifestum est, quia nõ variato syllabarum numero variatur propria orationis quantitas,vt patet in Iambo pede,& spondæo: ita patet non videri dubitandum, quin oratio sit vera quædam quantitatis species, eáque discreta & à numero distincta. Nam quod continua quantitas non sit,cùm sit luce clariùs, probare non oportet, atque in hac sententia videntur esse ferè Prædicamentorum libri enarratores, qui non secus de ea loquuntur, atque de quauis indubitata quantitatis specie.

*Anenr. Ammon. Boëtius Simpl.& alij in Prædic.*

### *Non esse veram speciem.* SECTIO II.

POTIVS tamen dicendum est cum Caietano in Prædicamentis,& Magno Alberto hoc loco orationẽ non esse veram speciem quantitatis,quod & Scotus eo loco innuit, cum ait orationem esse quantitatem propter nomen Aristotelis.Atque in primis nonnihil pro hac re est quod Aristoteles hoc loco nullam eius mentionem facit. Deinde his argumentis probatur.Primùm quia syllabæ quocunq; modo spectentur, non efficiunt vnum ens per se,siue vnam aliquam essentiam,

*Orationẽ non esse veram quantitatis speciem probat.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



quemadmodum de numero dictum est, eadem enim est ratio in vtroque. Deinde quia in oratione vel spectantur ipsi plures syllabarum soni aut etiam motus, quibus soni efficiuntur, vel plures motuũ continuitates, vel morulæ quibus pronunciantur, vel ordo syllabarum inter se, vel totius orationis significatio. At plures soni, aut motus simul, non sunt vnum ens per se, sed plura entia, vt plures homines & plures albedines, plures autem morulæ siue tempora, quibus syllabæ pronunciantur, si absolutè quidem sumantur, sunt etiam plura entia, si verò cum quadam proportione inter se, quo pacto re vera sumendæ sunt, vt duæ in spondæo pede cum æqualitate earum inter se, & totidem in Iambo dum proportione dupla posterioris respectu prioris, sunt plura entia per accidens simul iuncta: siquidem quælibet morula cum proportione adiecta est vnum ens per accidens. Denique ordo syllabarum & significatio totius orationis, cùm pendeat ex hominum arbitrio, non efficiunt vnum ens reale, nõ est igitur oratio non solùm ens per se, sed ne reale quidem omni ex parte. Tertiò quia longitudo & breuitas orationis, ex longitudine & breuitate syllabarum conflatur: at cuiuslibet syllabæ quantitas est quantitas continua: vnde fit, vt oratio non sit aliud quàm multarum quantitatum continuarum complexio quæ quantitas vna dici non potest, siue continua, vt patet, siue etiam discreta. Nam ne numerus quidem apud eos qui sentiunt illum esse vnum ens per se, ea ratione est quantitas discreta, quia sit ipsæ plures quantitates continuæ, sed quia est ipsæ plures vnitates. Postremò quia longitudo & breuitas syllabarum sæpe ex significatione pẽdet, vt in voce (Populus) pro hominum multitudine, aut arbore: sæpe etiam nulla habita ratione significationis, sed ex solo vsu & voluntate maiorum, quibus libuit, vt has syllabas longas facerent, illas autem breues: quamquam in hoc discrimine constituendo nonnihil ad naturam literarum & pronunciationis aduerterint, quemadmodum in ipsa nominum impositione sæpè ad naturam rerum significandarum attenderent, vt in nominibus asperi & læuis. Ita patet nulla ratione orationem esse veram quantitatis speciem, sed tantùm vulgò habitam propter vsum Poëticæ, & Musicæ artium, & nonnullum Oratoriæ.

2. 3. 4.

*Oratio cur habita sit quantitatis species.*

*Solutio argumentorum affirmatiuæ partis.*

## SECTIO III.

QVOD ergo Aristoteles in Prædicamentis retulit orationem inter species quantitatis, parùm ad rem facit: eas enim recensuit, quæ species quantitatis habeantur. Itaque non loquitur hac in re ex sua, sed aliorum sententia, iuxta quam intelligendæ sunt duæ rationes, propter quas oratio videbatur vera species quantitatis. Nam ad priorẽ dicendum est, orationem mensurari quidem intrinsecus partibus suis, verùm non partibus, quibus tanquam vnum per se ens constituatur. Ad posteriorẽ verò esse quidem orationem per se longam, aut breuem ratione syllabarum, ex quibus constat, id est, non ratione solius temporis, quod in earum prolatione consumitur,



consumitur, at non esset per se longam aut breuem tanquam vnam quandam simplicem, sincerámque entitatem quantitatis, sed tãquam multarum qualitatum, quantitatumq; ordine quodam ac proportione sibi succedentium aggregationem.

AD eam verò rationem qua illa ostendebatur esse species quędam à numero distincta, non est quod respondeamus. Etsi enim non est formaliter numerus, non tamen est vera & sincera quantitas, sed quędam quasi species quantitatis propter faciliorem vsum multarum artium sic appellata. Atque hoc quidem credibile est sensisse eos, qui illam inter quantitatis species retulerunt.

# AN LINEAE ET SVPERFICIES sint veræ species quantitatis.

## QVÆSTIO VI.

*Non videri species verè ac propriè dictas.*

## SECTIO I.

EXPEDITO priori genere quantitatis quod discretas continet, sequitur vt de posteriori differamus quod omnes continuas complectitur: ac primùm de iis quæ permanentes sunt, & inhærẽt rebus quantis, de primis inquam duabus, linea & superficie. Non enim desunt, qui veras quantitatis species eas non esse existiment. Nam de corpore seu mole corporea, disputatione opus non est, cùm constet apud omnes veram esse quantitatem, etsi nonnulli dubitauerint, essétne distincta à corporea substantia, contrà quos superiùs disputatum est.

*Cur de sola linea & superficie sit quæstio.*

Quæst. 2.

QVOD igitur linea & superficies, verè ac propriè dictæ species quantitatis non sint: ex eo primùm videtur perspicuum, quia si entia sunt, planè videntur incompleta: linea quidem quia videtur forma essentialis superficiei, quæ eius partes essentialiter cõtinuet: superficies autem quia eodem modo partes corporis tanquam earum communis terminus copulet. Vt enim forma substantialis est ens incompletum, quia est suaptè natura formalis pars substãtiæ, ita linea & superficies quia suaptè natura videntur formales partes, illa superficiei, hæc corporis.

*1. argumentũ pro parte negatiua.*

SECVNDO quia ne accidentia quidẽ videntur essẽ etiam incompleta. Accidentia enim omnia, siue completa illa sint, siue incõpleta, habent subiectum cui inhæreant: linea verò & superficies habere non videntur. Nam linearum & superficierum terminantium eadem est natura, quæ copulantium: alioqui differrent specie, haberemusq; duas species linearum, & totidem superficierum, quod nemo opinatur: at lineæ ac superficies copulantes, nullum prorsus subiectũ videntur habere: siquidem inter partes substantiæ, quibus inhærent immediatæ partes superficiei ac corporis, nullæ mediant partes substãtiæ, quibus vt subiectis inhæreant lineæ, ac superficies copulantes. Atque hac

Universidad de Deusto
Biblioteca



eadem ratione punctus non videtur esse accidens, etiam incompletum, cùm nemo substantiam vllam subiectam esse dicat, quæ inter partes lineæ quas copulat, interiecta sit.

3. TERTIO quia non solùm non videntur accidentia, sed ne entia quidem. Nam si entia essent à corpore distincta, eis vtique diuina potestate sublatis manerent partes superficiei omnes disiunctæ omnino à se inuicem, eodémque modo omnes partes corporis, quod fieri omninò non potest: nam quæcumque illæ essent, adhuc essent diuisibiles, ac proinde non omnes, in quas superficies & corpus diuidi possunt, essent actu disiunctæ à se inuicem. Quo eodem argumento probari potest puncta non esse entia vlla, ne eis sublatis maneret linea diuisa in omnes partes.

4. QVARTO quia linea & superficies non dantur, nec dari possunt nisi in rebus naturalibus, quod sæpe Aristoteles contra Platonem ostendit: lineæ autem & superficies si dãtur in rebus naturalibus, omnes sunt infinitæ, ac proinde non ponuntur in Prædicamẽtis, ipso etiã Aristotele iudice qui hoc eodem cap. apertè ait, multitudinem esse quantum quoddam, (id est, quantitatis speciem) si numerari possit, & magnitudinem (quo nomine complectitur lineam, superficiem: & corpus) si mensurari possit. Quòd autem omnes sint infinitæ, ex eo constat quia nulla eiusmodi linearum est, quæ non sit pars maioris lineæ, nulla item superficies quæ non sit pars maioris superficiei. Nam in qualibet superficie ponuntur infinitæ lineę, & in quolibet corpore infinitæ superficies, quemadmodum in qualibet linea infinita puncta omnes autem lineæ quæcumque sunt in eadem specie copulantur inter se siue immediatè, siue mediatè, & similiter omnes superficies, quæcumque sunt in eodem corpore, quod facilè est experiri variis diuisionibus in eodem plano, aut corpore designatis. Vnde manifestum relinquitur, nullam lineam aut superficiem sumi posse in corpore quę non sit pars maioris lineæ aut superficiei, ex qua re sequitur omnem lineam ac superficiem in corpore existentem, esse infinitam. Quamquam & alia ratione poni solent lineæ ac superficies infinitæ quolibet corpore, eæ videlicet quas vocant gyratiuas, quibus infinitæ partes proportionales cuiuslibet columnę sursùm aut deorsùm versus & extrinsecus & intrinsecus copulentur.

*Vt lib. 3. Met. c. 2. text. 7. 8. & 9. Textu 18.*

*Duæ opiniones de linea & superficie.*

## SECTIO II.

*Opinio Durãdi, & Ochami, non esse veras quantitatis species.*

QVATVOR sunt hac in re Philosophorum, Theologorúmque opiniones. Durandus in 2. Senten. asserit lineam & superficiem, siue quæ copulantes ponuntur, siue quæ terminantes non esse veras quantitates, sed quasdam negationes quod idem de puncto existimat. Vult enim punctum nihil aliud esse quàm negationem vlterioris longitudinis, lineã vlterioris latitudinis superficiem vlterioris profunditatis, siue crassitudinis, verbi causa, extremum

*Dist. 2. q. 4.*



tremum punctum lineæ nihil aliud esse, quàm quòd illa vlteriùs non extendatur: medium autem quod pars hæc, quæ cum altera copulatur versus eam vlteriùs non procedat: quod eodem modo de linea & superficie, tum extrema, tum media dicendum putat. Quam eandem opinionem tuetur Ochamus tractatu de sacra Eucharistia.

*Q. 1. & 2.*

*Refutatio.*

SED contra hanc opinionem quod ad lineas & superficies attinet, de quibus quæstio proposita est, hæc se offerunt argumenta. Primùm quia linea & superficies videntur verè & essentialiter extensiones quædam: ergo veræ quantitates & non nudæ negationes. Deinde quia in linea & superficie nihil aliud est positiuum, aliud negatiuum: in linea quidem longitudo positiuum est quippiam, carentia autem vt sic dicam latitudinis negatiuum: in superficie verò latitudo est positiuum: carentia profunditatis negatiuum. Imò linea nihil aliud est, quàm longitudo: superficies verò, ipsa latitudo: quemadmodũ & corpus, ipsa profunditas siue altitudo, vt Aristot. hic expresè ait. Quamquam ergo in linea & superficie fateamur dari negationes quasdam, non videntur tamen ipsæ negationes esse, sed positiua quædam. Quare cum alia entia esse non possint, nisi quantitates, negandum non videtur esse veras quantitates. Postremò quia Geometria auctore Arist. cæterisq; veteribus Philosophis: de his agit tanquam de veris entibus, siue ea sumatur vt agit de omnibus quantitatibus continuis permanẽtibus, seu (quod idem est) de omnibus magnitudinibus, siue vt distinguitur ab Stereometria, quæ agit de solidis siue corporibus.

1.

2.

3.

*Burleus 1. Phys. in text. 15. Soncin. 5. Metap. q. 20. Sotus in præ. cap. de quantitate, q. 2.*

*Opinio Burlei & aliorũ complurium, veras esse quantitatis species, & in corporibus reperiri mediæ actu infinitas.*

BVRLEVS in Physicis, Paulus Soncinas in hunc lib. Dominicus de Soto in Prædicamentis, & alij recentiores non pauci, non modò asseruntlineam & superficiem esse veras quantitatis species, sed etiam affirmant illas & in extremitatibus corporũ reperiri, & in ipsis etiam mediis corporibus, quod idem asserunt de punctis: tametsi non aiunt esse quantitates, sed incompleta quædam entia ad prædicamentum quantitatis reductitiè pertinentia: adduntque ista omnia realiter differre inter se corpora, superficies, lineas & puncta. Itaque aiunt corpus ipsum terminari vna, aut pluribus superficiebus, finitis tamen numero. v. g. globum vna, pyramidem quinque, tesseram sex, & sic cætera: partes verò corporis quas ponũt actu infinitas, copulari infinitis superficiebus. Similiter autem superficiem terminari vel vna linea, vt circularem, vel tribus vt triangularem, vel quatuor vt quadrangularem, & ita deinceps: partes verò superficiei quòd eodem modo infinitæ etiam dicendæ sint copulari infinitis lineis. Denique lineam, si terminos habet, vt recta terminari duobus punctis, lineæ verò partes, siue illa terminata sit (vt quæ dicta est) siue terminis careat (vt circularis) copulari infinitis punctis, iisq; non potentia tantùm, sed actu existentibus in media linea: quo eodem pacto dicunt lineas in media esse superficie, & superficies in medio corpore.

*Impugnatio.*

SED contra hanc sententiam quatenus ponit superficies in medio corpore, & lineas in media superficie, ac demùm puncta in media linea non pauca occurrunt argumenta.

1. PRIMVM quia hæc superuacanea videtur ad copulandũ, siue continuandum,

Universidad de Deusto
Biblioteca



tinuandum: quippe cùm corpus, superficies, & linea sint ex se, & essentialiter continua. Deinde quia nec qualitates habentes latitudinem gradualem indigent termino aliquo communi ad copulandas partes eiusmodi latitudinis. Tertiò quia opinio hæc ponit actu infinita entia in rerum natura, hoc est, simul existentia: at infinitum actu non solùm naturaliter, vt hi ponunt, sed ne supernaturaliter quidem dari posse multò est probabilius.

2. 3.

NEC videntur satisfacere qui dicunt non esse incommodum dari actu infinita entia incompleta si constituant aliquod vnum ens per se, quod actu finitum sit & completum. Linea enim & superficies sunt entia incompleta, si sunt formæ essentialiter continuantes: completa verò, si sunt veræ species quantitatis continuæ: idem verò completum esse & incompletum, natura sua videtur impossibile. Alioqui res omnes quas completas dicimus, æquè dici possent incompletę, quatenus in aliarum compositionem veniunt, vt cœli & elementa, quatenus sunt partes mundi, & homines, quatenus sunt partes Reipublicæ. Dicat enim aliquis mundum & Rempublicam esse entia per se, tametsi constent rebus completis, vt hi dicunt de superficie ac corpore. Nãque eodem modo cœli & elementa, itémque homines & completa entia dici possunt & incompleta, completa quatenus per se sumuntur incompleta quatenus partes completorum entium. Nec oberit quod, ista continuata non sint. Addet enim qui ita dixerit multa esse entia per se, quæ ex ratione sua poscant discretionem partium, ex quibus constent vt de numero dicere solent, qui illum faciunt ens omninò per se. Adde quod isto modo res etiam omnes, quas natura sua incompletas esse affirmamus, æquè in genere completarum numerari possent, veluti materia & forma, differentiæq; omnes & specificæ, & indiuiduãtes. Diceremus enim hæc omnia incompleta esse, quatenus completa entia constituunt: completa verò quatenus per se spectantur. Ita fieret mira quædam generum & specierum confusio in quolibet Prædicamento, & differentiæ omnes ponerentur essentialiter sub genere summo (nempe quatenus completa entia) quod fieri nullo modo sæpe ostensum est.

*Nihil suapte natura completũ esse & incompletũ.*

QVARTO quia si in magnitudine præter extrema indiuisibilia dantur actu media, dabuntur actu in illa partes proportionales copulatæ ac distinctæ inter se per eiusmodi indiuisibilia: ac proinde dabitur deorsum versùs in columna medietas actu distincta ab alia mediatè, & post eam medietas sequentis medietatis, & ita deinceps vsque ad basim. Quare cùm superficies extrema qua columna contingit basim, non possit inhærere pluribus partibus proportionalibus eius ordinis, vt perspicuum est, inhærebit vni tantùm, ac proinde illa erit vltima minorum proportionalium quod impossibile est. Oportet enim illam esse indiuisibilem, vt ampliùs non constaret actu aliis minoribus, an proinde esset pars, & non pars quod est contradictio.

*Partes magnitudinis non esse actu distinctas.*

QVINTO quia cùm aliquid mouetur super quantitatem continuam, pertransiret vtique infinita actu existentia, quod Aristoteles & existimat & ostendit fieri nullo modo posse. Nec aliter ipse simpliciter, &

*8. Phys. ca. 8 tex. 68. et 69.*



*Aliter res põderat lib. 6. c. 1. textu 79.*

ter, & non ad hominem occurrit Zenoni contendenti, si quicquam moueretur, fore vt infinita pertransirentur, nisi quia partes magnitudinis quæ pertransitur, non sunt entia actu, sed potentia duntaxat: nec puncta, quibus illæ dicuntur copulari ac distingui, sunt ibi aliter quàm potestate.

*Cap. 2.*

ACCEDIT quod Aristoteles ait in lib. de Motu animalium, polos mundi nihil esse, indiuisibilia inquam illa in quibus mundus quasi in cardinibus voluitur. Id enim significat cùm ait non esse substantias. Postremò quia frustrà hæc copulantia ponuntur, eáque tam multa & innumerabilia, cùm sine iis omnia salua & integra esse possint vt aliarum opinionum auctores & fautores ostendunt.

*Polos mundi nõ esse entia.*

*Aliæ duæ opiniones.*

## SECTIO III.

*In 2. d. 2. q. 2. articu. 1. in 3. conclusione.*

GREGORIVS Ariminensis, nec credens ista dicenda esse meras negationes, vt habet prima opinio, nec rursùs sibi persuadens esse realiter distincta inter se & à corpore, vt asserit secunda, ita mediam quasi viam inter vtramq; sententiam ingressus est, vt dicat hæc omnia esse realiter ipsum corpus, tametsi connotationibus quarundam negationum formaliter distinguantur, Superficies enim vt ait, nihil aliud est quàm corpus ipsum, vt connotat negationem profunditatis, sed non latitudinis, nec longitudinis, linea item est corpus, vt connotat negationem profunditatis & latitudinis, sed non longitudinis: punctum similiter corpus est, vt connotat negationem profunditatis, latitudinis & longitudinis. Atq; hoc modo concedit lineam & superficiem, de quibus proposita est quæstio esse formaliter distincta entia diuersásque species quantitatis.

*Opinio Gregorij Arimineñsis, esse ea realiter ipsũ corpus, sed connotationibus distingui.*

*Duplex confideratio lineæ & superficiei.*

QVOD vt luculentiùs explicet duobus modis ait lineam & superficiem accipi posse. Vno lineam pro longitudine quadam sine latitudine existente: superficiem pro latitudine cohærente in rerum natura sine profunditate, & hoc modò existimat ista esse mera figmenta, vt quæ nec existant, nec existere in rerum natura possint. Altero lineam pro corpore ipso, considerato quoad longitudinem, non considerata eius latitudine aut profunditate, superficiem pro eodem corpore considerato quoad longitudinem & latitudinem: non considerata eius profunditate, atque hoc pacto ait lineam & superficiem esse vera entia, veráque species quantitatis, quemadmodum & pũctum existimat esse verum quoddam ens acceptum pro ipso corpore considerato, vt alicubi nec est lõgum, nec latum nec profundum, veluti globus in medio, aut vbi contingit planum.

*Refutatio opinionis Gregorij Arimineñsis.*

QVAMQVAM verò hæc Gregorij sententia plausu multorum excipitur, vt quæ omnia incommoda effugere, rémque ipsam, vt est planè exponere credatur, non desunt tamen incommoda, quæ illam videantur efficere & implicatam satis & difficilem.

PRIMVM quia cũ dimidium corporis non sit idem realiter, quod totum

1.

totum corpus,quonam pacto idem erit realiter,quod vlla eius extremitas? At superficies est quædam extremitas corporis duas tantùm habens dimensiones.Gregorius verò ait quamlibet superficiem corporis esse idem realiter quod corpus.

2. Deinde quia cum duo aliqua sunt idem realiter,vbi naturaliter reperitur vnum,ibi potest naturaliter reperiri alterum (vel hac enim ratione non sunt idem realiter tota moles cuiusque corporis,& quælibet eius pars, quia non in eo spacio, in quo naturaliter est hæc eius pars,aut illa ibi naturaliter esse potest ipsa tota moles) at duæ quædã superficies planorum corporum se contingentium reperiuntur naturaliter,& præcisè inter ipsa duo corpora,ac proinde inter duo immediata spacia, nec tamen ipsa corpora inter eiusmodi spacia naturaliter reperiri possunt.

3. Tertio quia si Gregorius dicat superficiem corporis non esse idem realiter,quod corpus absolutè sumptum,sed idem quod corpus quatenus longum & latum,sed non quatenus profundum,nihil aliud dicet,quàm superficiẽ esse idem realiter quod corpus, quatenus corpus est superficies, sed non quatenus corpus:qua in re multa absurda miscentur.Petitur enim hoc pacto quod erat in quæstione,siquidem de eo dubitabatur. Essétne ipsum corpus superficies, quod in hac responsione liberè sumitur. Ineptum quoque est dicere,corpus, quatenus est superficies,esse realiter superficiem. Accedit quòd cùm affirmamus duo aliqua esse idem realiter, neutrius rationẽ formalem explicare,& vt dici solet,specificare solemus,V.G.cum significare volumus actionem & passionem esse idem realiter,non dicimus actionem quatenus est actus agentis,esse idem realiter cum passione, sed absolutè pronunciamus esse idem realiter cũ illa.Specificatio enim rationis formalis eorum,de quibus quæstio est,sintne idem realiter,potiùs ad distinctionem eorum, quàm ad identitatem exprimendam valet.

*Quo pacto aliqua dici soleant esse idẽ realiter.*

Qvarto quia siue corpus sit idem realiter quod superficies,siue non sit,necesse est, vt Gregorius doceat, sitne in eodem corpore vna superficies an plures,quod si plures,sintne externæ tãtùm, an internæ etiam,finitæ numero,an infinitæ.Si enim superficies est ens positiuũ, & species quædam quantitatis (tametsi quæ alicuius negationis connotatione declaretur) parùm refert, sitne idem re ipsa quod corpus, vel sitne vna,an plures in eodem corpore,quemadmodum de relatione & fundamento ex cap.10.perspicuum est, cùm ex eo loco constet sæpè relationes esse plures & vnicum fundamentum, sæpe etiam vnicam relationem & vnicum fundamentum.Ita fit,vt si dicat plures esse formaliter superficies in eodem corpore (vt videtur dicturus) easque non externas tantùm,sed internas etiam,iterùm redeant difficultates contra secundam opinionem propositæ.Neque enim iam satis erit si dicat omnes quotquot ponũtur superficies in eodem corpore, esse re ipsa idem quod corpus alia ratione spectatum, quàm qua corpus est, proinde non esse timendum, ne infinitio earum à quoquam demonstretur.Infinitio enim æquè inducitur, si superficies ponantur in medio corpore formaliter distinctæ,atque si realiter.Quò fit,vt suspicari quiuis



ri quiuis possit Gregorium,si paulò pressius astringatur,facilè ad primam opinionẽ defecturum,vt si non de re ipsa,sed de formalitate superficierum sit sermo,nõ diffiteatur eas,quæ in corpore vel extrinsecus tantum, vel intrinsecus etiam ponuntur, negationes esse potius vlterioris profunditatis,siue totius corporis,siue eius partium,quàm entitates distinctas,quia nimirum etsi incómodum sit dari infinitas entitates in eadem re,nõ sit tamen dari aut fingi negationes infinitas. Atq; eadem argumenta ad lineam suo modo accommodata concludunt lineam non esse idem realiter,atque corpus aut superficiem.

*Creditur Gregorius defecturus ad 1. opinionem.*

Illvd etiam non rectè ait Gregorius,figmenta esse lineam & superficiem,si lineæ nomine intelligatur longitudo quædam, quæ sine latitudine existat,aut existere possit:& superficiei vocabulo latitudo, quæ similiter existat,aut possit existere sine profunditate.

Nam superficies,qua corpus quodque terminatur,latitudo quædam est in corpore existens sine vlla sui ipsius profunditate:linea vero,si non existit actu in corpore, potest tamen diuina virtute extra corpus existere,vt inferius patebit.

*Dari re verã superficiem externam in corporibus.*

Ad hæc,illud non placet,lineã,vt est species quãtitatis,siue ex ratione sua formali esse ipsum corpus consideratũ quoad solã longitudinem,seu quatenus longũ est:& superficiẽ similiter ipsum corpus,vt est latum.Si enim re ipsa non est ipsum corpus,quomodo formaliter illud esse potest sub hac,vel illa consideratione acceptũ?Mitto absurdiora ea quæ de puncto adiungit,vt illud faciat formaliter ens reale.

*D. Tho.opusc. 36.& alibi sæpe.Scot.in 2. d.1.q.3. Gab. ibid. Caiet.3. p. q.4. art.2. & alij complures.*

Denique D.Thomas opusculo de instãtibus,& Scotus ad distinctionem primam secundi Sent.iidémq; Auctores, aliis pleríſq; locis, & eorum fere sectatores,atque adeo veteres Peripatetici,& in primis ipse Aristoteles alia ratione videntur mediam viam tenuisse. In primis voluisse,superficies,lineas,& puncta positiuas esse entitates, non meras negationes.Deinde hæc re ipsa differre, & inter sese, & à corpore,seu mole corporea.Denique esse actu in extremitatibus totius corporis:potentia vero duntaxat in mediis magnitudinibus.

*Opinio D. Tho. & Scoti & veterum Peripateticorum.*

Si quis tamen diligentius rem expendat,nõ immerito de vtraque parte tertiæ eorum assertionis dubitabit. Nam primam & secundam assertionem adeo verisimiles fecerunt ea,quæ contra primam & tertiam opinionem dicta sunt,vt de eis ambigendum minimè videatur.

*Tertia eorum assertio quam sit dubia.*

Qvod igitur hæc nõ dentur actu in extremitatibus corporis,hoc est,vbi terminent & nõ copulent,ex eo perspicuum videtur,quia etsi dantur superficies ita terminantes corpora,vt non etiam ea copulent cum aliis corporibus,vt patet in extrema superficie globi,& cuiúsq; alterius corporis naturalis:tameñ nulla linea,nullúmq; omnino punctum reperiri potest in rebus sensibilibus, quæ sic terminent, vt non etiam copulent. Nam etsi ponamus dari corpora naturalia perfecte cubica,aut pyramidalia,nullum tamen in eis poterit assignari punctũ, aut linea quæ si terminant,nõ etiam copulent.Puncta enim & lineæ, quæ dicentur esse in angulis,si actu quidem ibi sint,ita terminabunt, vt etiam copulent,puncta quidem lineas:lineæ vero superficies:quæ angulos continent,seu quæ in angulum desinunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca



QVOD si hæc non sunt actu in extremitatibus corporis, nõ erunt quoque potestate in medio corpore. Non enim videtur aliud quicquam, esse ista in medio potestate, quàm per diuisionem totius resultare posse in extremitatibus.

*Explicatio quæstionis.* SECTIO IV.

IN re igitur adeo difficili & controuersa, etsi suum cuique opinandi locum relinquere possemus: æquiùs tamẽ est: vt ex iis, quæ in ea partim ab aliis dicuntur, partim se nobis offerunt, ea seligamus, quæ & quàm probabilissima sint, & grauiorum auctorum doctrinæ quàm accommodatissima.

*Prima conclusio lineas & superficies esse entitates reales.*

SIT igitur prima conclusio. Etsi non omnino improbabile videri potest, lineas & superficies esse negationes vlterioris extensionis, seu potius modos quosdã essendi puros, quos eiusmodi negationes consequantur, tamen adeo probabile receptúmque est, esse reales entitates verásque quantitatis species, vt id quasi res omnino certa & indubitata ponendum sit: punctum verò non esse ens reale etiam incompletum quàm probabilissimum est.

*Ratio quorũdam pro prima parte.*

PRIMA pars ex eo suaderi à quibusdã solet, quia vt nulla entitate opus est, siue ad copulandas partes intensionis qualitatũ gradualium, siue ad terminandam totam cuiusque earum latitudinem, vt omnes fatentur; ita par est dicere non esse opus entitatibus vllis, siue ad copulandas partes extensionis quantitatum: siue quibus totæ ipsæ extensiones terminentur. Verùm, qui hanc sententiam sequuti fuerint, animaduertant, necesse est, latè patens discrimẽ esse inter huiusmodi terminos. Nam in terminis qualitatum gradualium, siue intensibilium, neque est, neq; fingi potest latitudo vlla intensiua, vt perspicuum est, at in terminis superficiei & corporis, hoc est in linea & superficie (etiam vt termini sunt) siue ad copulandum, siue ad terminandum, necessaria est latitudo quædam extensiua: quia non indiuisibiliter terminant, sed diuisibiliter & extense, vt patet. Quod cum ita sit, videant necesse est, vndenam linea & superficies extensionem habeant. Nam si ostenderint eas non habere ex se: siue per se, & essentialiter extensionem, sed esse terminos quosdam extensos per accidens & sola extensione corporis, tum demum rectè defendent non esse quantitatis species, sed puros quosdam essendi modos, purósque terminos. Quod si hoc non obtinuerint, sed coacti fuerint admittere lineam esse per se & essentialiter extensam, peculiari nimirum quadam extensione, & similiter superficiem sua quadam extensione propria: necesse erit fateantur esse veras quantitatis species.

*Qua in re sit tota difficultas.*

*Probatio secundæ.*

SECVNDA pars satis confirmata est impugnatione primæ opinionis, eámq; omnes grauiores Auctores, vt certam supponũt, & de qua non sit dubitandum: Adde quod nullam contradictionem implicat, dari siue lineam per se in rerum natura, siue superficiẽ per se & seorsum existentem, quod contra Gregorium dictum est, idque quia non videtur puri termini extensionũ, sed extensiones quædã permanentes ac terminatæ,



ac terminatæ, aut terminabiles; quod si ita est, ergo sunt vera entia, atque adeo absoluta entia, nec alia esse possunt nisi quãtitates quædam.

*Tertia probatio.*

TERTIA pars ex eo probatur, quia nec ad copulandas partes lineæ nec ad totam terminandam vlla entitas requiritur in puncto siue completa, siue incompleta: quemadmodum confessione omnium nec in terminis siue copulatiuis partium gradualium qualitatis (quos quis fingat) siue terminatiuis totius qualitatis, cùm huiusmodi termini non sint extensi & terminabiles, vt sunt linea & superficies, sed inextensi & interminabiles, ac omnino puri termini, & qui nullum esse reale rebus terminatis dare possint.

*Secunda conclusio nullæ indiuisibilia dari actu in mediis magnitudinibus.*

SECVNDA conclusio. Nulla indiuisibilia dantur actu in mediis magnitudinibus, etiam si quis ea omnia faciat meras negationes vlterioris extensionis, aut puros essendi modos. Prior pars ex refutatione secundæ opinionis aperta relinquitur. Posterior ex eo probatur, quia cùm partes magnitudinis non sint actu distinctę inter se, sed potẽtia, nulla earum datur, quę versus aliam habeat actualem negationem vlterioris extensionis, aut versus aliam actu finita sit & terminata: sed sola designatio mentis, aut similis alia id facere potest.

*Tertia conclusio linea & superficies sunt inter se & à mole corporea distinctæ.*

TERTIA conclusio. Linea & superficies iuxta communem verámque sententiam de earum entitate sunt re ipsa distinctæ & inter se, & ab ipsa mole corporea: quamquam si essent negationes, puríque essendi modi dici possent idem re cum corpore: non positiuè tamen, sed negatiuè, quasi non res diuersæ: quod idem de puncto comparatione lineæ dici potest.

PRIMA pars ex impugnatione Gregorij tertię sententię auctoris patet. Secundam & tertiam suadent similes identitates inuentæ apud Aristotelem, tum ea, qua in Physicis materia dicitur idem subiecto, siue re cum priuatione formæ nondum habitæ, quasi dicatur non alia res à priuatione, tum etiam illa qua ens & vnum libro superiori dicuntur vna atque eadem natura, quasi non naturæ vllæ diuersæ.

*Quarta conclusio.*

QVARTA cõclusio. Etsi superficies verè, ac physico more accepta est actu in corpore, tamquam eius extremitas: linea tamen & punctus non sunt actu in corpore vllo, nisi Mathematico more spectata.

*Superficiem esse actu extremitatem corporum.*

*probatio 1.*

PRIMAM partem huius assertionis, iuxta quam opinio quarta simpliciter & absolute vera est, hęc argumenta confirmant. Primum, quia corpus omne, quod in rerum natura est, finitum est vndequaque & terminatum, neque alio termino sic finitum esse potest, nisi termino bifariam diuisibili, qui nullus est aliùs quàm superficies. Deinde, quia corpora perfectè opaca, nec profunditate sua terminant aspectum, nec in ea recipiunt lumen (alioquin iam essent diaphana, non autem omnino opaca) sed in sola extremitate bifariam dimensa, hoc

*2*

*3*

est, in superficie. Tertio, quia locus non est ipsa profunditas corporis continentis: siquidem isto modo locus excederet locatum: sed est sola concaua eius extremitas bina dimensione extensa, quæ cum simul sit cum simili extremitate connexa corporis locati, eique æqualis, locatum non excedit. Quartò, quia figura non est actu in medio corpore, vt Mercurij effigies in medio marmore (quod ait Aristoteles

libro tertio) sed in sola corporis extremitate, qua circundatur, quam superficiem appellamus.

*Non tamen linea aut punctum.*

SECVNDA pars facilè ex eo probatur, quia in quolibet corpore vna est tantum superficies physicè sumpta, qua totum circumscribitur, siquidem omnes eius partes inter se continuatæ sunt: quo fit vt iuxta tertiam conclusionem nulla ibi sit actu linea: quod si actu nulla

*Nisi Mathematicè.*

linea, ergo nullus punctus actu, qui iuxta eamdem conclusionem nunquam est actu in media linea.

TERTIA pars ex eo constat, quia linea & punctus etsi iuxta eamdem conclusionem non sunt actu, & re vera in mediis magnitudinibus, nempe quoad entitates suas (si modo pũctus entitatem habeat) tamen si in eodem corpore dentur actu plures superficies Mathematico more cõsideratæ (quas illi tùm demum plures faciunt, cùm continent perfectos angulos, veluti in tessera sex, in pyramide quinque) necesse est dari modo aliquo lineas actu, quibus actu terminentur & distinguantur eiusmodi superficies: & actu puncta, quibus eodem modo terminentur & distinguantur huiusmodi lineæ: quæ omnia paulò pòst magis explicabuntur.

*Sect. sequenti in solutione. 2. & 3. Argumenti.*

*Primæ difficultatis explicatio.*

## SECTIO V.

*Cur indiuisibilia videantur in mediis magnitudinibus.*

SVNT tamen in hac re non minimæ difficultates, quas explicare oportet, vt ea quæ dicta sunt, melius intelligi, & faciliùs defendi possint: quarum prima est de eo, quod in secunda conclusione dictum est: non esse actu indiuisibilia in mediis magnitudinibus: quatuor enim argumentis potissimum id falsum videtur.

*1. Argumentum.*

VNO, quia quantitas continua dicitur ea, cuius partes copulantur eodem termino communi: quam definitionem ex Aristotele in Prædicamentis desumunt omnes Philosophi, & continua siue continuata dicuntur ea, quorum extrema sunt vnum: quod pronunciatum iidem ex eodem accipiunt, libro 5. Physicorum traditum. Quocirca & ipse Aristoteles libro Physicorum sexto, planè videtur supponere *Cap. 1. & 2.* indiuisibilia esse actu in medio continui: eáque suppositione facta ostendit continuum non constare ex indiuisibilibus, vt quidam veteres existimabant. Quare cùm hoc pacto magnitudo sit quantitas continua, partésque eius non potentia tantùm, sed actu sint copulatæ inter se terminorum communium interuentu, qui vel omnino indiuisibiles sunt, vt puncta, vel secundum latitudinem & profunditatem, vt lineæ, vel secundum profunditatem solam, vt superficies: non dubium videtur, quin puncta sint actu in media linea, lineæ verò in media superficie & in medio corpore superficies.

*2. Argumentum.*

ALTERO, quia quicquid sit de necessitate indiuisibilium ad copulandas partes magnitudinum, certè tactus ipsi indiuisibiles corporum eorúmq; motus per indiuisibilia, vt sphæræ, aut cylindri trãsuersi cùm planum contingunt: aut per illud indiuisibili tactu mouentur, cogere videtur nos, vt & puncta, & lineas in mediis superficiebus corporum se tan-



se tangentium actu esse concedamus. Globus enim tangit planum in puncto, cylindrus autem proiectus in linea, quæ apud Mathematicos res tritæ sunt: globus item nisi per puncta plani moueri non potest, & cylindrus cum trãsuersus aut voluitur, aut raptatur, per lineas tantùm moueri potest, quod ex eorum tactu planè ostenditur: non mouentur enim nisi tangendo, globus autem non tangit nisi in punctis, & cylindrus in lineis. Ita fit vt puncta & lineæ, quæ actu sint, non potẽtia tantùm in media superficie necessariò cõcedenda videantur: alioqui nec dari actu possent huiusmodi tactus ac motus.

TERTIO, quia non aliter vera esse videntur ea, quæ à veteribus 3
Peripateticis Aristotele auctore de existentia indiuisibilium Mathematicorum dicuntur quàm si ea in corporibus existere concedamus. Nam vt illi dicunt, animal & quælibet vniuersalia rerum naturalium figmenta esse, si credantur existere à rebus sensibilibus seiuncta, & tamen concedunt ea re vera in ipsis rebus sensibilibus existere, & ab eis mente separari posse, si concipiantur non conceptis sensibilibus conditionibus (quo sensu Aristoteles ait primo libro de Anima, *Animal aut quoduis aliud vniuersale, aut nihil esse, aut posterius esse*) sic etiã dicunt indiuisibilia Mathematica figmenta esse non res veras, si quis eas ponat à corporibus sensibilibus separata: cùm tamen fateantur ea & in sensibilibus verè existere, & à Mathematicis non ficta, sed vera conceptione apprehendi, abstracta videlicet per intellectum à sensibilibus qualitatibus, quibus in rerũ natura sunt coniuncta. Vnde Aristoteles, & alij Peripatetici cum æquè reprehendant in Platone, quod credat Mathematica ista indiuisibilia existere per se in rerum natura, atq; quòd naturas vniuersales faciat seorsim coherentes, non tamen negant, sed potiùs affirmant vtrumq; genus posse & existere in rerum natura & præcise concipi non conceptis iis, cum quibus reuera coniuncta sunt. Atque in hunc sensum Augustinus ex veteribus Theologis sic scribit in libro de quantitate animæ. *Sola longitudo* (nempe vt à Mathematicis concipitur) *non nisi intelligi animo potest, in corpore inueniri non potest: sed certè* inquit, *cùm ista tria* (longitudinem videlicet, latitudinem, & profunditatem) *esse in araneæ filo intelligis* (absolutè nimirum accepta) *discernis hoc, & quid inter se differant nosti.* Cum ergo punctus & linea numquam reuera sint actu in extremitatibus rerum sensibilium, vt iam ostensum est sectione superiori, vbi de sola superficie id concessimus, efficitur vt veterum confessione habeamus esse ea actu in mediis magnitudinibus: lineam quidem in media superficie, & punctum in media linea.

*Cap. 11.*

QVARTO, quia non videtur dari posse actio vniformiter difformis nisi in media sphæra actiuitatis agentium sint actu superficies, quibus recipiatur ab agentibus dimidium perfectionis formarum, quæ introducuntur. V, G. in medio aëre, qui à lucerna illuminatur dimidium intẽsionis impressi luminis. Si enim in tota aliqua parte aëris sit lumen certæ alicuius intensionis, iam lumen non erit vniformiter difformiter impressum, hoc est, sensim remissus versus finem, quod tamen necessariò concedendum est iuxta illud Philosophorum com-

*4. Argumentum.*

*Vide eumdem lib. 7. super Genesim ad litt. ca. 17.*

mune proloquium: *Agentia omnia fortiùs, ac proinde perfectius agere in ea, quæ propinquiora sunt.*

*Solutio argumentorũ vnde pendeat.*

HÆC difficultas argumentorũ solutione expedietur, Primi quidẽ. si exponamus vnde nam prouenerit, vt in media quantitate continua indiuisibilia esse dicãtur. Secũdi, si explicemus quot, & quibus modis illa reducantur, siue perducantur ad actum. Tertij, si quo pacto ea existere in rerum natura possint doceamus. Quarti si expendamus quænam sit ratio eius actionis, quæ vniformiter difformis appellatur.

*Vnde manarint termini copulatiui quantitatis continuæ.*

PRO solutione primi animaduertendum est, ex consuetudine priscorum Geometrarum emanasse, vt apud Physicos, aliósq; Philosophos in media quantitate continua indiuisibilia esse dicantur. Nam cùm illi duabus de caussis indiuisibilia in mediis magnitudinibus induxissent, vna, vt partes illarum copularent (putabant enim nõ posse quicquam cohærens cõtinuúmve alia ratione ex multis partibus constare) altera, vt essent quasi signa ad infinitas diuisiones ex qualibet magnitudine faciẽdas, quod necessarium erat ad vsum Geometricarum demõstrationum, Philosophi, qui deinde cõsequuti sunt, cùm id esset facillimum, & expeditissimum ad naturam quantitatis continuę intelligendam, eorum loquendi morem consulto retinuerunt. Itaq; à magnitudinibus ad totum genus quantitatis continuæ ascendentes, quantitatẽ continuam sæpe definierunt: Cuius partes eodẽ communi termino copularentur, & cõtinuata ea esse dixerunt, quorum extrema alterius versus alterum essent vnum, ac demum indiuisibilia in mediis quantitatibus, quemadmodum & illi voce tenus asseruerunt. Verùm quo pacto id reuera accipiendum esset, non obscurè declarauit Aristoteles cum aliis locis, tũ vero 8. Physic. libro cum indiuisibilia non actu, sed potentia in media quantitate cõtinua esse dixit, quæ nos quo pacto ad actũ perduci possint mox aperiemus. Finguntur ergo partes continuæ quãtitatis copulari per indiuisibilia & habere illa in se actu vt sint etiam quasi signa quædam ad diuisiones in infinitum faciẽdas:, re autem vera eius partes nec per entitatem vllam tertiam, sed per se ipsę continuatæ sunt, & cohærẽtes inter se, nec signa vlla, quibus actu inter se distinguantur, continent, sed ipsa continua quantitas, ex se habet diuisibilitatem in infinitum, ita vt ex quantumcunque exigua particula possint & aliæ atque aliæ partes, & alia atque alia indiuisibilia, quibus actu terminentur emergere, seu re id fiat, seu sola mentis designatione. Itaque patet solutio primi argumenti.

*Quo pacto Aristoteles eos in media quantitate esse dixerit.*

*Cap. 8. tex. 68. & 69.*

*Triplex modus reducendi indiuisibilia è potentia in actum. Primus.*

AD secundum autem, vt faciliùs respondeatur, animaduertendum est, tribus modis posse indiuisibilia, quæ in mediis magnitudinibus potẽtia sunt, ad actum perduci: vno reali diuisione: altero figuræ conformatione: tertio designatione. Reali quidem diuisione, sola superficies, quæ in medio corpore potentia est naturaliter ad actum reduci potest: quandocunq; enim corpus diuiditur, semper in qualibet portione resultante incipit esse vna superficies, quæ totam circumdat: quare nulla in ea resultat linea: si nulla linea nullum etiam punctum. Sed quia contradictionem nõ implicat diuidi superficiem separatam à corpore, ideo dicere possumus lineam esse potẽtia Logica in superficie



ficie in ordine ad diuisionem realem. Eodémque modo cùm non implicet contradictionem, lineam diuidi separatam à superficie, dicere quoque possumus punctum esse potentia Logica in ordine ad diuisionem realem; proximè quidem in linea, remotè autem in superficie, & remotiùs in corpore. Notam verò fuisse Aristoteli huiusmodi potentiam, alibi ostendimus. Et hoc quidem modo quemadmodum diuiso corpore realiter semper nouæ superficies quoad entitates suas ex potentia ad actum reducuntur: ita & lineæ, & puncta quoad suas entitates reducentur (modo puncta entitatem habeant) si superficies per se, & lineæ per se diuina potestate diuidantur.

*Potentiam Logicam siue absolutam fuisse notam Aristoteli.*

FIGVRÆ autem cõformatione, tunc lineæ ac puncta reducuntur ad actum, cùm corpus, quod nullũ habet angulum, in figuram perfectè angularem conformatur, vt si ex globo, aut oualis figuræ corpore fiat perfectè cubicum, aut pyramidale. Iam enim tunc dabũtur lineæ aut puncta, aut etiam vtraque, quæ actu terminent superficiem aut lineam, verùm isto modo non dabuntur lineæ aut puncta quoad entitates suas, sed quoad negationes vlterioris extensionis superficierum ac linearum, quæ Mathematico more considerantur.

*Secundus modus.*

QVOCIRCA aduerte, si superficies corporum Physicè considerentur, nullum esse corpus, quod non vnam tantum habeat superficiem. Nam & cubicum, seu quadrantale corpus, quod sex superficies habere dicitur, vnam tantum habet Physicè, quia illæ omnes continuatæ sunt inter se vt ex supra dictis patet. Quòd si Physicè ac re vera in quolibet corpore vna tantùm est superficies, qua totũ circundatur: ergo nulla est in eo linea, qua huiusmodi superficies terminetur: si nulla linea, igitur nullum punctum, quo terminetur linea: quare nulla re vera est linea quoad entitatem suam nullúmq; eodem modo punctũ in corpore nisi potentia. Quod si superficies Mathematico more spectentur, cùm Mathematici eas omnes diuersas esse dicant, quæ angulum continent, quæ autem non continent vnam esse asserant: dicendum sanè est etiam apud Physicos Mathematicam consuetudinem vsurpantes, in quibusdam quidem corporibus esse vnam tantum, vt in globo, & in corpore oualis figuræ, in quibusdã vero plures, vt in quadrantali, aut pyramidali. Quod si in corpore eodem plures superficies Mathematico more spectatæ esse possunt, ergo (vt superius argumentabamur) & plures lineæ quibus superficies terminẽtur & distinguantur, & plura item puncta quibus terminentur & distinguantur lineæ. Cùm igitur nec lineæ, nec puncta possint actu esse in corpore quoad entitates suas, quia non possunt esse extrema realiter ac Physicè, reliquum est, vt sint tantùm quoad negationem vlterioris extensionis: linea quidem quatenus superficies, quam terminat Mathematico more, vlterius non procedit, punctus autem quatenus linea eodem modo spectata non amplius extenditur: quæ considerationes satis sunt Mathematico, & Physico etiam Mathematico more differenti, vt plures lineas, pluráque puncta, quemadmodum & plures superficies in corpore eodem esse concedant.

*Duplex consideratio superficiei.*

*Physica.*

*Mathematica.*

*Ad q. 4.*

DESIGNATIONE verò tunc linea & punctus reducuntur ad actum,

*Tertius modus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



actum,cum magnitudo nullum habẽs angulum,radio,aut(quod certius eſt)ſola mentis apprehenſione diuiditur. Si enim hoc pacto magnitudo diuidatur,iam incipiet eſſe actu diſtincta ſaltem obiectiuè: ſi diſtincta,ergo & partes ſuis terminis circumſcriptæ. At non terminis quoad vllam entitatem realem,quæ ibi per ſolam deſignationem eſſe incipiat, ergo quoad ſolam negationem vlterioris extenſionis huius partis verſus illam,& illius verſus hanc:quæ negationes vnum communem terminum vtriuſque quaſi conficiunt.

*De tactu globi & cylindri in plano.*

QVARE Ad ſecũdum argumẽtum, quod attinet ad tactum globi & cylindri in plano,dicendũ eſt globoſum corpus & in cylindri figuram conformatum,nõ tangere planũ in puncto & linea,quæ ſint vera entia realia,ſed in puncto & linea reductis ad actũ per ſolam deſignationem.Quod enim facit deſignatio per radiũ,aut per apprehenſionem mentis,id facit indiuiſibilis quidẽ tactus,globi & cylindri in plano:globi enim tactus eſt indiuiſibilis ſimpliciter,cylindri autẽ ſecundum latitudinem : at deſignatio,vt dictum eſt, non efficit vt punctus, aut linea eſſe incipiant in media ſuperficie quoad entitatem vllam realem,ſed tantùm quoad negationes vlterioris extenſionis alterius partis verſus alteram,quare nec tactus globi aut cylindri.

*Alia tangendi ratio.*

DICI quoque fortaſſe poteſt, globum tangere planum in puncto non formaliter, ſed eminenter exiſtente in media magnitudine, & cylindrum ſimiliter in linea non formaliter exiſtente,ſed eminenter,aut (ſi malis) virtute. Vt enim anima vegetatiua continetur non formaliter ſed eminenter, & virtute in ſenſitiua,& hæc in rationis participe,& vt Ariſtoteles ait,*Triangulus in quadrangulo,& hic in pentangulo*:ita in corpore continetur ſuperficies, & in ſuperficie linea,& in hac punctus non formaliter, ſed eminenter ac virtute. Quare nihil mirum eſt,ſi globus & cylindrus tranſuerſus idem faciant tangendo planum ſine puncto,aut linea formaliter exiſtentibus,quod facerent, per illa ſi formaliter exiſterent.

*Anima vegetatiua & ſenſitiua in rationis participe continentur.*

*De motu eorumdem per planum.*

QVOD verò attinet ad motum eorundẽ corporum per planum,negandum eſt ea non moueri niſi per pũcta, aut lineas:mouentur enim per ſpaciũ corpúſq; ſubiectum,non per vlla indiuiſibilia niſi potẽtia & eminenter virtutéq; exiſtentia in ſuperficie ſubiecti corporis. Cùm autem obiicitur illa non moueri niſi tangendo, cõcedendum id quoque eſt,ſed addendum id fieri non tangendo ſolum puncta aut lineas, ſed corpus aliquod aut ſpacium ſubiectum. Tactus enim,qui fit in toto motu eſt diuiſibilis, quemadmodũ & motus ipſe, diuiſibili autem tactu non poſſunt tangi ſola indiuiſibilia hæc enim quantumcunq; multa eſſent,nunquam diuiſibile quicquam efficerent.

*Obiectio.*

SED eſto, tangant iſta corpus aliquod ſubiectum diuiſibiliter in tempore,quo mouẽtur,vt aërem interiectũ,aut ipſum aëris intermedij ſpacium an in mediis inſtãtibus non tangũt indiuiſibiliter planum ſubiectum? Si indiuiſibiliter,ergo globus deſignat puncta media, & cylindrus tranſuerſus lineas medias. Diximus enim paulò antè idem facere horum tactum indiuiſibilẽ, quod facit deſignatio per radium aut mentis ſolius apprehenſione facta. Quod ſi globus & cylindrus cum



cum mouentur,deſignant media puncta & medias lineas, ergo reduunt ea modo aliquo è potentia ad actum,ac proinde pertranſeunt in tempore finito actu infinita.

*Diluitur.*

DICIMVS ad hæc globum & cylindrum tangere indiuiſibiliter planum ſubiectum in mediis inſtantibus, ſed eum contactum nõ eſſe deſignationem,neque efficere vt puncta & lineę quæ potentia ſunt in plano,reducantur ad actum,ſiue quoad entitatem vllam realem, ſiue quoad actuales negationes vlterioris progreſſus. Neque enim omnis tactus indiuiſibilis eſt deſignatiuus:ſed is ſolus qui fit quieſcendo in ſingulis quæ deſignantur,qua de cauſa non diximus paulò antè. Quod facit deſignatio per radium, aut apprehenſionem mentis, id facere indiuiſibilem tactum globi & cylindri in plano,ſed id facere indiuiſibilem quendam tactum. Tactus enim qui fit dum aliquid continuè mouetur,non diſtinguit in plura,ſed confundit in vnum:quippe cùm ſit vnus tactus continuus, at deſignatio multorum non confundit in vnum, ſed diſtinguit in plura: quò fit, vt neceſſe ſit fieri per plures quietes. Ariſtoteles id probat ea ratione,quia qui deſignat indiuiſibile aliquid in medio plano,illúdve è potentia ad actum reducit per deſignationem,vtitur illo vt duobus,nempe vt fine vnius partis,& principio alterius,quæ fieri non poſſunt niſi in tempore. Faterer quidem, ſi hæc fiant mente ſola poſſe fieri in inſtanti, quia mens in momento poteſt vtrumque apprehendere:ſed oportebit tunc in pluribus deſignandis dari quietes medias,vt fiat diſtinctio deſignatorum,at contactu indiuiſibili fieri non poteſt deſignatio niſi per quietes & tempora diſtincta: alioqui nulla fiet deſignatorum diſtinctio, vt dictum eſt,ac proinde nulla deſignatio.

*Quis nã tactus deſignatiuus ſit.*

*8.Phyſ.c.8. tex.69.*

*Indiuiſibilia quot modis exiſtãt in corporibus ſenſibilibus.*

AD tertium argumentum dicendum eſt,ex dictis manifeſtum eſſe indiuiſibilia,quę à Mathematicis tractantur,punctũ videlicet,lineam & ſuperficiem (quorum primum eſt indiuiſibile ſimpliciter, cætera verò indiuiſibilia ſecundùm vnam, aut plures dimenſiones) duobus modis exiſtere poſſe in corporibus ſenſibilibus,vno quoad entitates ſuas reales (ſi omnia tamen entitatem realem habent) altero quoad negationes vlteriores extenſionis,vel totius corporis,vel vnius partis verſùs alteram. Cùm ergo veteres Peripatetici iſta ponunt in corporibus ſenſibilibus, ſat eſt ſi alterò ex his modis id intelligatur. Nam ſuperficies & quoad entitatem ſuam,& quoad negationem vlterioris extenſionis totius corporis exiſtit in ipſo corpore: cætera verò non poſſunt eſſe in illo,niſi quoad negationes vlterioris extenſionis vnius partis verſùs alteram: lineæ quidem quoad negationem extenſionis vnius partis ſuperficiei Phyſicè ſumptæ verſùs alteram partẽ eiuſdem ſuperficiei: punctum verò quoad negationẽ vnius partis lineæ verſùs alteram eiuſdem lineæ,quod tamen non accidit,niſi cum figuræ conformatione in perfectè angularem,aut deſignatione per radium, aut apprehenſionem mentis,linea & punctus reducuntur ad actum. Quæ omnia ex ſecundi argumenti ſolutione patent.

*Quo pacto veteres Peripatetici intelligẽdi ſunt dicũt ea omnia eſſe inſenſibilibus.*

*Quo pacto nulla Mathematica exiſtant in ſenſibilibus.*

DVO tamen obiter aduertenda hoc loco ſunt. Vnum eſt,quemadmodum Peripatetici aiunt indiuiſibilia Mathematica non exiſtere in

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Quo pacto æque absurdũ sit mathematica atque vniuersalia esse in sensibilibus.*

rebus sensibilibus eo pacto, quo ab eis concipiuntur, ita eos velle, nec corpus ipsum (quod omnifariam diuisibile est) existere eo modo spectatum, quo à Mathematicis concipitur, nempe sine vllis qualitatibus sensibilibus: quò fit, vt hac ex parte nihil interfit inter diuisibilia Mathematica, & indiuisibilia. Alterum est, id quod illi censent, æquè absurdum esse ponere Mathematica separata, atque separata vniuersalia sensibilium rerum: si de existentia quidem per causas naturales id intelligatur, vt ipsi intellexerunt: verùm id esse: at si intelligatur de existentia per diuinam potentiam non esse verum. Nam vniuersalia separare à suis singularibus omninò impossibile est, etiam extra ordinaria Dei potentia: at separare Mathematica à rebus sensibilibus non repugnat diuinæ potestati, cùm Deus possit quamlibet magnitudinem sine subiecto conseruare, nec minùs sine vlla qualitate sensibili.

*Augustinus expenditur.*

Vnde patet Augustinum sic esse intelligendum, vt cùm ait longitudinem siue lineam esse in araneæ filo, per designationem vtique mentis, id verum sit: tametsi quod attinet ad latitudinem & profunditatem absolutè acceptas, & non iam, vt à Mathematicis considerantur, id realiter sit verum.

*In quo posita ratio actionis vniformiter difformis.*

Ad quartum, vt respondeamus, animaduertendũ est actionem vniformiter difformem esse eam in qua nulla pars rei quæ patitur, æquè perfectè suscipit in tota vlla particula formam, quæ ab agente introducitur, sed perfectiùs in quacunque propinquiori, & imperfectiùs in quacunque remotiori, atq; in hoc conueniunt omnes qui loquuntur de hoc genere actionis, & ij qui ponunt indiuisibilia tam in medio quàm in fine cuiuscumque magnitudinis, & ij qui in fine tantùm, & ij denique qui ea funditùs tollunt. At cùm Aristot. in 1. lib. de Generatione dicat: *non posse quicquam indiuisibile alterari.* Si de omni quidem alteratione siue propria, siue impropria id verum esset, nulla præterea foret de hac re inter Philosophos contentio: quippe cùm siue indiuisibilia ponantur in mediis patientibus, siue non ponantur, satis sit id quod dictum est ad rationẽ actionis vniformiter difformis: siquidem indiuisibilia quæcunq; fuerint nihil passura sint ab agentibus. Nunc autem cùm id non videatur vniuersè asserendum (nam etsi certum videtur indiuisibilia non alterari propriè, hoc est, per expulsionẽ contrarij, vt verbi causa, calefieri, impropriè tamen vt illuminari non videtur necessarium) hinc tota difficultas oritur. Nã si corpus perfectè opacũ indiuisibiliter illuminatur extrinsecus, hoc est, non secundùm profunditatem, sed secundùm duas externas dimensiones: cur si diaphanum sit, & totum à lumine penetrari possit, non indiuisibiliter quoque illuminetur in medio, vt quemadmodum totũ ipsum certam recipit intensionem luminis, velut octo graduũ, ita quoque medietas eius remotior dimidium recipiat intensionis, veluti graduũ quatuor? Nisi enim in medio sit indiuisibile aliquid quod hos quatuor gradus suscipiat, non erunt in medietate illa remotiori gradus quatuor, sed quælibet intẽsio citra gradus quatuor. Vel hac igitur ratione quidam inducti sunt, vt in mediis corporibus superficies partiũ copulatiuas, certiq; luminis susceptiuas ponerent, quemadmodum terminatiuæ à

*Quo pacto nihil indiuisibile sit alterabile.*

*Vide tota oriatur argumenti difficultas.*

*Vis argumenti.*

plurimis



plurimis, aut ferè omnibus ponuntur: alij ne copulatiuas admitterẽt, terminatiuas quoque tollerent, negaréntque prorsùs aliquid esse in corporibus indiuisibile siue intrinsecus, siue etiam extrinsecus, quod in diaphanis certam luminis intensionem suscipiat.

*Quid cõmune sit illuminationi cum aliis alteratio nibus.*

*Quid peculiare.*

Dicendvm est igitur ad argumentum, hoc commune esse illuminationi cum quauis alia alteratione vniformiter difformi, quod in qualibet propinquiori parte diaphani recipitur lumen intensius, in qualibet remotiori remissiùs: hoc autem peculiare, saltem respectu propriè dictarum alterationũ, quod in superficie diaphani, qua illud illuminanti contiguum est, tanta recipitur intensio luminis, quanta est in superficie illuminantis, cùm ambæ simul sint: deinceps autem versùs finem sphęræ actiuitatis, si tota illa vnum continuum corpus sit, (veluti aër aut aqua) nullibi reperitur certa luminis intensio, sed citra medium diaphani quæcumq; signatur pars, ea plus habet quàm dimidium luminis, vltrà medium autem diaphani, minùs quàm dimidium. Quo eodẽ modo res habet proportione seruata, si sphœra actiuitatis iuxtà aliam partium rationem diuidatur, vt tertiæ partis, quartæ, quintæ, & cæterarum. Dixi porrò: *si tota sphœra sit vnum continuum corpus*, quia si actu sit diuisum in plura sese contingẽtia, vt sphæra actiuitatis Lunæ aut Solis in elementa, aut etiam in orbes cœlestes: tùm demùm in superficiebus, quibus illa sese contingent, certa erit luminis intensio propter indiuisibilia susceptiua, quæ inter illa erunt. Vnde si vitrum aut crystallus cum permeatur Solis radio, in medietates frangatur, incipiet in nouis superficiebus emergentibus, in medio media esse luminis intensio indiuisibiliter existens, quæ ante fractionem non erat, cùm anteà in qualibet parte medietatis propinquæ soli esset plusquam dimidium luminis, in qualibet autem remotæ medietatis esset minùs quàm dimidium: ipsa autem media luminis perfectio nullibi reperiretur propter defectum indiuisibilis susceptiui. Ita patet non colligi proposito argumento ponendam esse superficiem actu in medio corpore.

*Quantũ interfit inter medium actu diuisum: & non diuisum.*

*Solutio argumenti paulo ante propositi*

Qvod autem paulò antè obiiciebatur: Si totũ ipsum diaphanum certam recipiat intensionem luminis, medietatem eius remotiorem ab illuminante recepturam dimidium luminis, facilè ex dictis refelli potest negatione consequentiæ. Neq; enim par ratio est in medietate vt recipiat dimidium luminis, atque in toto, vt recipiat totum quoddam certum & designatum lumen. Pars enim si continuata est, nõ est actu terminata, vt est totum ipsum, sed potentia duntaxat, quod si diaphanum diuidatur actu, iam erit par ratio, vt dictum est.

*Enodatio secundæ difficultatis.*

## SECTIO VI.

*Quibus argumentis nõ videatur indiuisibilia distinguere & à se inuicẽ & à corpore.*

*1. argumen tũ*

Altera difficultas se offert in tertia propositione, quod in ea dictum sit, lineam & superficiem iuxta communem verámque sententiam de earum entitate, esse re ipsa distinctas & inter se, & ab ipsa mole corporea; Nã si superficies re ipsa à corpo-

re distingueretur, posset vtique auferri à corpore remanente, quod tamen ex eo constat fieri nõ posse, quia etsi auferatur, nunquam tamen fiet vt corpus maneat infinitum, quod si manebit finitum siue terminatum sine superficie, quid opus est superficie distincta realiter ad terminandum, imò etiam distincta formaliter, ita fit vt sit vera entitas distincta ab entitate corporis.

2. DEINDE non magis videtur superficies à corpore distingui, quã à superficie figura: at figura communi ferè consensu non distinguitur realiter à superficie.

3. TERTIO eadem videtur ratio in termino motus, atq; in termino corporis, vt si ille sit idem re cum motu, hic quoque idem sit re cum corpore: terminum verò motus idem esse re ipsa cũ motu, vt calorem cum calefactione, omnes penè asserere videntur. Atque hæc eadẽ tria argumenta valent contra distinctionem realem lineæ à superficie, & puncti à linea, si punctus sit entitas aliqua realis, & superficies, ac linea extra corpus diuina potestate per sese cohærere ponantur, vt actu terminos reales habeant.

4. POSTREMVM argumentum sit. Viuẽs & sensitiuum sunt formaliter distinctæ entitates & inter sese & ab homine, cuius naturã constituunt est. n. homo substantia corporea, viuens, sensitiua, & rationalis) & tamen vitalitas, vt sic dicam, & sensitiuitas non distinguuntur realiter ab homine, ergo etsi longum esse, & latum sint formaliter distinctæ entitates, & inter sese, & à corpore quod constituit) est enim corpus quantitas continua, permanens, longa, lata, & profunda) non continuò colligendum est longitudinem & latitudinem, hoc est, lineam & superficiem distingui realiter & inter se, & à corpore.

SED hæc non difficile diluentur, si ad primum dicatur: Non quicquid realiter ab aliquo distinguitur posse auferri ab illo remanente: præsertim si id quod remansurum est, necessariò debeat remanere tale quale erat cum illo. Nam partes omnes realiter constituentes totum, distinguuntur realiter ab illo, & tamen nulla auferri potest à toto remanente. & omnis forma substantialis distinguitur realiter à materia, cùm tamen multorum [a] sententia auferri non possit à materia remanente sine vlla substantiali forma: proprietates etiam quamplurimæ distinguunrur realiter à subiectis, & tamen multi [b] & graues Auctores sunt qui nulla potestate fieri posse dicãt, vt separentur à subiectis remanẽtibus. At in re proposita multò certius id est. Nam cum corpus non possit esse terminatum sine proprio termino, ac proinde sine superficie, & omne corpus necessariò sit finitum ac terminatum, nullo modo fieri potest, vt ablata superficie corpus in rerum natura cohæreat.

*Nõ quicquid differt realiter ab aliquo posse ab eo remanente separari.*

*Impugnatur inutio negatiua corporis & superficiei.*

*Diserimen terminorum qualitatis & quãtitatum quarum tam.*

AT dicunt remanebit finitum negatiuè, negatione nimirùm sola vlterioris extensionis, quo pacto albedinem dicimus esse finitam. Sed non aduertunt id quod iam dictum est, longè diuersam esse rationem in termino albedinis atque corporis. Nam terminus corporis non solùm est terminus, sed etiam extẽsus terminus secundum latitudinem, & qui veram rationem entis habeat, quemadmodum & ipsum corpus secundum

a *Magister in 2. dist. 12. D. Tho. 1. p. q. 66. arti. 1. & de potentia Dei. q. 4. ar. 1. Henricus in 2. dist. 12. q. 1. Capr. ibid. ar. 3. & alij.*

b *Case. 1. p. q. 3. ar. 3. Capr. in 1. d. 3. q. 3. ad argumenta contra 1. conclusionem & alij.*



secundum profunditatem extensum est, seu potiùs distinguitur à corpore vt ipsa latitudo ab ipsa profunditate: at terminus albedinis ita est terminus vt rationem entis non habeat, sed est mera negatio vlterioris entitatis, aut potiùs merus quidam essendi modus, quem eiusmodi negatio consequitur. Atque eodem modo dicendum est, non posse auferri lineam à superficie recta, si hæc diuina potestate extra corpus existat remanente ipsa recta superficie, etsi linea re ipsa distinguatur à superficie, cuius sit terminus, quod idem dicendum est de puncto comparatione lineæ rectæ separatim existentis (si detur) etsi ille ponatur re ipsa à linea distingui.

*Magis distingui superficiẽ à corpore quã figuram à superficie.*

AD alterum dicendũ, magis distingui superficiem à corpore, quàm figuram à superficie. Corpus enim diuiditur in partes interiores, in quas non diuiditur superficies, qua illud terminatur, at superficies in nullas diuiditur in quas non diuidatur figura.

*Quicquid formæ acquiritur in motu id totum reperiri in termino motus.*

AD tertium dices, non esse parem rationem in termino corporis, atque in termino motus. Nam cùm motus sit acquisitio formæ, quicquid formæ acquiritur in motu, id totum necesse est reperiatur in termino motus: at in termino corporis non potest reperiri, quicquid reperitur in corpore, cùm non reperiantur propriæ corporis partes. Idem sentiendum est de linea, quam dicimus posse terminare superficiem rectam diuina potestate seorsim existentem, quippe cùm linea non diuidatur iisdem partibus realiter constituentibus, quibus diuiditur superficies.

AD vltimum dicendum est, nihil eo confici. Primùm quia non ea sola ratione constituta est distinctio realis inter lineam, superficiem, & corpus, quia linea & superficies sunt entitates distinctæ inter se, & ab ipso corpore (sic enim ineptè id concluſum esset) sed quia ita sunt termini reales linea quidem superficiei, superficies verò corpori, vt non eisdem partibus realibus constitutæ sint, quibus corpus constat, neque vbi illæ existunt naturaliter, ibi præcisè potest corpus naturaliter existere, vt ex dictis patet. Deinde quia homo essentialiter est viuens & sensitiuum: at moles corporea non est essentialiter longa, aut lata, ea nimirùm ratione qua longitudo est idem quod linea & latitudo idem quod superficies, vt Aristoteles docet hoc capite.

*Qua ratione corpus non sit essentialiter longum & latum.*

*Non idẽ esse primam dimensionẽ atque longitudinem, latitudinem & profunditatem.*

*Dimensio quid.*

HÆC vt facilè intelligas, aduerte multos esse qui putẽt idem esse trinam dimensionem, atq; longitudinem, latitudinem, & profunditatem, & cùm linea dicatur esse vnius dimensionis, superficies verò duarum, corpus autem trium existimant illi superficiẽ includere formaliter longitudinem & latitudinem: corpus verò hæc duo, & profunditatem, præsertim cùm à magnis etiam Auctoribus aliquando definiatur, linea, longitudo sine latitudine & profunditate, superficies, longitudo & latitudo sine profunditate, corpus, longitudo, latitudo, & profunditas. Sed non ita res habet, neque graues vnquam Auctores, si quando has definitiones vsurpant propriè ac formaliter loquuntur. Dimensio enim nihil aliud est quàm ratio mensurandi, aut diuidendi magnitudinem, seu potiùs extensio eius ab vna loci positione ad oppositam. Vnde cùm sex sint loci positiones, antè, retrò, dextrà, sinistrà, suprà,

*Quotuplex.* strà, suprà, infrà, tres erunt dimensiones se inuicem secãtes ad angulos rectos, quarum vna tantùm reperitur in longitudine, quam vocamus lineam, duæ tantùm in latitudine quam dicimus superficiem: omnes verò tres in profunditate quam appellamus corpus: tametsi vulgò aliter hæc nomina communiter vsurpantur. Nam in superficie maior dimensio vocatur longitudo: minor verò latitudo, in corpore autẽ iuxtà situm naturalem (veluti in corpore humano) aut localem (vt in lapide) distinguimus altitudinem, profunditatem & crassitiem. Dimẽsio enim inter locum superum & inferum, quatenus sursùm tendit (vt in columna) dicitur altitudo: quatenus verò tendit deorsum (vt in puteo) dicitur profunditas: dimensio autem quæ in transuersum procedit (vt in vtroque) dicitur crassities seu corpulentia, quamquam hæc aliquando contrà vsurpantur, vt cum Poëta ait: *Cælumq; profundum*, & alibi: *In altum vela dabant læti.* Quod si huiusmodi dimensiones sint æquales, tunc arbitraria erit earum appellatio. Vnam enim & eandem licebit vocare longitudinem aut latitudinem, aut profunditatem, vt in globo, vt in corpore omni ex parte quadrato, vt in ciuitate illa cœlesti, de qua Ioannes in Apocalypsi: *Et longitudo*, inquit, *& altitudo, & latitudo eius æqualia sunt.*

*Vulgò quod longitudo, latitudo, & profunditas.*

*Virg. 1. Æneid.*

*Apocal. 21.*

*Rationes formales lineæ, superficiei, & corporis.*

POTIVS ergo rationes formales lineæ, superficiei, & corporis hunc in modum explicandæ sunt, per proprium genus propriásque differentias numero dimensionum significatas. Linea est magnitudo vnius dimensionis: superficies duarum, corpus trium, quo pacto ista definiuntur ab Aristotele cum hoc loco vt diximus in expositione contextus, tum ad initium librorum de Cœlo. Alioqui cũ linea dicitur esse longitudo sine latitudine & profunditate, idem per idem definitur, cum verò superficies dicitur longitudo, & latitudo sine profunditate, corpusq; longitudo, latitudo, & profunditas, non solum definitur idem per idem, sed etiam affirmatur vna species opposita de altera. Superficies enim & longitudo sunt oppositæ species, & similiter corpus & latitudo, vt ex dictis patet.

*1. de Cælo, cap. 1.*

*Exponuntur vulgares definitiones, lineæ, superficiei, & corporis.*

CVM ergo corpus dicitur longum, latum & profundum seu quantitas continua, longa, lata, & profunda, aut vulgari & non Philosophica ratione id accipiendum est, aut sic intelligendum, vt longũ, latum, & profundum vsurpentur pro eo quòd est trifariam dimensum, seu habens trinam dimensionem. Ex qua quidem consideratione etsi colligitur longitudinem & latitudinem, & profunditatem pro trina dimensione acceptas non distingui realiter à corpore, quemadmodum nec à superficie longitudinem & latitudinem pro bina sumptas, nec à linea longitudinem pro vnica, adhuc tamen locus datur, vt Philosophi lõgitudinem, latitudinem, & profunditatem, id est, lineam, superficiem & corpus inter se distincta esse realiter meritò existiment.

*Tertiæ difficultatis explicatio.*

## SECTIO VII.

*Argumentũ quo impugnãtur extrema superficies.*

TERTIA difficultas se offert in quarta propositione, qua parte admittit superficiem actu existentem in corpore tanquam eius extremitatem. Est enim non leuis momẽti quod contra



contra opponatur argumentum ex continua aggeneratione ductum. Nam in inflammatione ligni, aut papyri post minimum ignem generatum, cùm forma ignis continua introductionee serpat, necesse est superficiem totius ignis terminatiuam, in alio & alio instanti aggenerationis esse etiam aliam & aliam, quandoquidem ignis cum ligno aut papyro continuatus esse nequit, vt patet ex iis, quæ ad caput 4. dicta sunt. Cum ergo instantia siue momenta aggenerationis continuæ, immò & cuiuslibet partium eius sint infinita, erunt etiam infinitæ superficies aliæ aliis succedentes in tempore finito, quod ipsum per se absurdum videtur & superuacaneũ, ac parùm conueniens cum iis quæ ad librum secundum dicta sunt de cognitione infinitorum. Si eiusmodi superficies infinitæ sunt: non dubium videtur, quin infinita in tempore finito successiuè cognita esse possint, atque addeò numerata.

*Qui non sentiat difficultatem in argumento.*

HAC difficultate proposita nullam sentire videntur ij qui extremas superficies nihil aliud esse volunt quàm meras negationes, aut modos essendi puros, cum nihil aliud proposito argumento apud eos colligatur, quàm infinitas esse successiuè in igne, qui aggeneratur negationes vlterioris magnitudinis, infinitosq; modos essendi finitionésve in quibus illæ fundentur: ex qua re nihil absurditatis videtur sequi. Cæterùm quia non minor esset absurditas cognitas esse successiuè, negationes infinitas in tempore finito, & numeratas etiam quam si id admittatur in veris superficiebus: retenta communi sententia de entitate extremarum superficierum, dicendum est nihil esse absurdi concedere in igne, qui aggeneratur infinitas superficies successiuè respondentes infinitis instantibus aggenerationis continuæ. Hoc enim non est admittere infinitum aliquid actu existens, vt esset si in media quaque magnitudine infinita indiuisibilia actu existentia ad partes copulandas ponerentur, sed est concedere infinita in potentia, dum aggeneratio continua durat, & infinita actu transacta, cum trãsacta est aggeneratio. Verùm ex hac re non sequitur infinita in tempore finito successiuè cognita esse posse si de distincta & non confusa cognitione id intelligatur: quo pacto id absurdũ esset, quemadmodum & infinita numerata esse. Non sequi autem re vera absurda hæc (quicquid contra ad librum secundum in re simili probabiliter dictum sit) ex eo patet quia etsi infinitæ superficies aliæ aliis succedant non potest tamẽ Angelus, verbi gratia, post cognitionem superficiei minimi ignis geniti distinctè aliquam certam superficiem in aggeneratione partium ante cæteras cognoscere (cum nulla certa signari possit) sed confusè infinitas. Quod si non sequitur posse omnes distinctè cognoscere, ergo nec numerare cum numeratio distinctam numeratorum inter ipsa cognitionem exigat.

*Impugnãtur.*

*Solutio.*

*Cap. 2. q. 2. sectione 3.*

*Ex infinitate successiua superficierum non sequi incõmoda quæ proponũtur.*

SI dicas saltẽ à Deo distinctè cognosci & numerari posse, primùm quidem Deus non cognoscit quicquam successiuè: de qua tamen cognitione loquimur: deinde etsi per impossibile aliquid successiuè cognosceret, non posset tamen sic distinctè cognoscere, aut numerare eiusmodi superficies, quia nulla ponitur esse prima in aggeneratione, ac proinde

*Diluitur obiectio.*

*Deus non cognoscit quicquam successiue.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



ac proinde nulla secunda, nulla tertia, aut quæ ab alio numero denominari possit. Itaque potest Deus omnes distinctè cognoscere, vt re vera cognoscit, sed nec ordine temporis siue cognoscere, siue numerare, cum successiuè non cognoscat, nec simul ita distinctè cognoscere, vt ea numero aliquo comprehendat, cùm sint infinitæ.

*Alia obiectio*

SED vt ad intellectum creatũ redeamus, si obiicias, qui fieri possit vt multitudo aliqua rerum naturaliter fiat, neq; ea tamen ab vllo creato intellectu distinctè intelligi possit, respondendũ est, si de distincta cognitione simultanea, vt ita dicã, & in vno aliquo obiecto cognito fit quæstio, non repugnare intellectui creato distinctam infinitorum cognitionem, quo pacto animæ Christi Domini non repugnat distincta cognitio infinitarum cogitationum futurarũ omnium hominum in Verbo diuino: si vero de successiua (siue ea immediatè habeatur de reb. in se spectatis, siue in obiecto aliquo vno cognito) ex ipsa ratione successionis infinitorum in tempore finito prouenire, vt distinctè cognosci non possint, cùm ne Deus ipse quidem, si successiuè cognosceret, posset immediatè post initium horæ distinctè percipere vllum instans (cùm nullum sit) aut aliquid in eo factum: quodcunque autem distinctè percipiatur post initium horæ, iã necesse est alia infinita reliquisse, quæ vel percepta non sint, vel confusè porcepta.

*Dilutio.*

*Anima Christi cognouit infinita in verbo diuino.*

*Solutionis conclusio.*

ITA patet nullũ incommodum esse, si concedantur, successiuè infinitæ superficies aliæ aliis succedẽtes in adgeneratione ignis, quemadmodum nullum esse diximus admittere infinitos tactus globi, aut cylindri in plano, si super illud moueantur, cùm ex his non sequatur distinctè cognosci, aut designari, aut numerari infinita in tẽpore finito aliúdve simile incommodum. Atque ad normam solutionis propositæ difficultatis, reuocanda volumus ea, quæ ad librum secundum ex alijs diximus, siue in confirmationem, siue in defensionem veræ illius conclusionis: Non posse infinita finito in tempore successiuè cognosci: quam de distincta cognitone, siue humana, siue angelica, siue etiam di uina intelleximus.

*Cap. 4. q. 2. sect. 3. & 5.*

*Dilutio eorum, quæ initio quæstionis proposita sunt.*

SECTIO VIII.

*Responsio ad 1. argumentũ.*

EX his facilè respõderi potest ad quatuor illa, quæ initio quæstionis videbantur ostendere non esse lineam ac superficiẽ veras ac propriè dictas species quãtitatis. Nam quod in primo dicebatur esse entia incompleta, negandum est ex ijs, quibus probatum est contra secundam opinionem, non esse formas copulantes, & more substantialium formarum essentiam continuitatis constituentes, sed tantùm accidentia quædam terminantia, quæque adesse, & abesse possint ab eis, quæ terminantur, vt patet in superficie aquę qua ex vno vase in aliud diuersæ formæ infunditur, & in linea superficiei rectæ, si superficies separata primum sit à corpore, deinde in subiecto ponatur, totaq; eiusextremitas, at pars illius esse incipiat. Atque hoc modo possunt ista separari, quo autem non possint, superius dictum est.

*Quo pacto superficies à corpore & linea à superficie separari possint.*

*Sectio 6.*

ALTERVM



ALTERVM argumentum non solùm nihil lædit eos qui indiuisibilia copulantia de medio tollunt, sed neque etiam eos à quibus illa probantur. Nam indiuisibilia per magnitudines quas terminant habent subiectum, quia in quo sunt ea quæ terminantur, in eo sunt eorum termini. Et quoniam partes corporeę molis sunt in partibus substantiæ subiectæ, si quid partes corporeæ molis copularet, id simul esset in vtraque parte substantiæ subiectæ tanquam vtriusque finis, & vtriusque principium.

*Ad 2. Subiecta indiuisibilium quæ.*

TERTIVM quoque nihil concludit etiam contra eos quibus placet dari indiuisibilia copulantia. Nam etsi illa darentur, & indiuisibilia omnia realiter differant à copulatis partibus, vt ipsi etiam volunt: negandum tamen est, posse auferri omnia manentibus partibus quas copularent. Neque enim possunt manere partes continuæ quantitatis, nisi etiam ipsæ continuæ quantitates sint, & suis egeant copulantibus, si vlla copulantia sunt, siue continuantia.

*Ad 3.*

QVARTVM denique duo assumit quæ neganda sunt. Vnum est, hæc indiuisibilia nec dari re vera, nec dari posse nisi in rebus naturalibus: partim enim dantur in illis, partim nihil repugnat dari extrà illas, vt ex dictis patet. Alterum indiuisibilia copulantia si sunt infinita, non habere in Prædicamentis locum. Est autem hoc falsum, quia infinitio quantitatis non arguit perfectionem infinitam & illimitatam simpliciter, sed certo genere comprehensam, quia (si datur) nihil excluditur à Prædicamentis. Aliunde prouenire potest vt infinita quantitas non sit ponenda in Prædicamentis, nempe si ei repugnet esse in rerum natura, seu (quod idem est) si non habeat rationem veri entis: de qua re alibi disputandum est. Atq; hæc de quantitatibus continuis inhærentibus ac permanentibus dicta sint.

*Ad 4.*

*Quænam infinitio excludat à prædicamentis.*

## SIT NE LOCVS VERA SPECIES QVANTITATIS.

## QVÆSTIO VII.

### *Locum pro spacio non esse veram quantitatis speciem.*

SECTIO I.

NVNC de iis quantitatibus, quæ vel externæ sunt, sed permanentes vel internæ, siue inhærentes, sed successiuæ, vel externæ simul & successiuæ differendum est. Primùm genus est locus, motus secundum, tertium tempus.

*Duæ de loco opiniones.*

AC de loco quoad præsentem disputationem attinet (nam in Prædicamento vbi de eo iterùm agendum est) duæ sunt opiniones, vna Aristotelis de qua sectione 2. breuiter dicemus: altera veterum a quorundam asserentium esse spacium trinæ dimensionis fixum ac immobile, in quo simul, & vt sic dicam, penetratiuè cõtinetur quodlibet corpus, quod spaciũ & plenum dicitur, quatenus in eo continetur corpus, & diceretur vacuũ, si relinqueretur

*Veterum sententia ponentium spacium trinæ dimensionis fixum & immobile.*

a. Philoponin 4. Phys. in sua digressione de loco. Plerique Platonicorum apud Simp. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Vt probent vacuum dari huiusmodi spacium.*

queretur ab omni corpore. Quod enim detur huiusmodi spacium, ex eo perspicuum est quia omne corpus indiget spacio trinæ dimensionis quod tantum sit, quantum est ipsum corpus, siue alio corpore circundetur, vt inferiores cœli & elementa, siue nullo ambiatur corpore vt ipsum totum vniuersum corporeum, quod & nos confessi sumus ad cap. [a] 5. huius libri: esse autem huiusmodi spacium quantitatem continuam permanentem & externam nonnullis argumentis probant. Nam quòd sit continua quantitas, inde perspicuum esse volunt, quia diuisibile est in infinitum, idque in omnem dimensionem sursum, deorsum, & in alias locorum differentias.

*Et esse quantitatem continuam.*

*Phys. in sua digressione de loco in textu 49. Eandem opinionẽ Galeno tribuunt Simpl. & Themist. 4. Phys. in textu 36. Vide eodem loco Aristot.*

a *Q. 1. sect. 1.*

*Esse permanentem.*

Quod verò sit permanens, ea ratione ostendunt, quia est fixum ac immobile. Nam recedentibus ac succedentibus aliis atq; aliis corporibus, semper idem perseuerat, alioqui nullus esset localis motus, qui semper ex aliquo immobili in aliquid immobile progreditur. Nam si termini motus localis ipsi quoque mouerentur, fieri aliquando posset, vt mobile quantumcumque moueretur, non relinqueret tamen terminum à quo, nec perueniret ad terminum ad quem, quæ contradictionem implicant: fieri enim posset, vt æqua celeritate terminus à quo sequeretur mobile, & terminus ad quem illud fugeret.

*Item ex externam quantitatem.*

Quod denique sit quantitas externa ex eo probant, quia non inhæret corporibus, à quibus occupatur, alioqui vel recederet illis recedentibus, ac proinde non esset fixum & immobile, vel ex aliis in alia migraret, quod fieri non potest, si est interna siue inhærẽs quantitas.

*Quid Arist. de proposita opinione serit.*

Hanc sententiam Arist. in libro Prædicamentorum, qui Philosophiæ tyronibus proponitur quasi verã suppositum, dum alibi doceret quid sibi ea de re videretur: quæ enim ille in eo tractatu, cum de quantitate ageret de loco scripta relinquit, de spacio trinę dimensionis planè intelliguntur. Sed in 4. Phys. lib. vbi ex instituto de loco disputauit, multis rationibus ostendit verum & realẽ locum non esse spacium ipsum, sed superficiem concauã corporis continentis locatum

*Cap. de quantitate.*

*Cap. 4. à tex. 30.*

*Assertio quæstioni respondens.*

Nobis tamen quicquid de ea dubitatione sentiendum sit (quod ad prædicamentum Vbi aperiemus) hoc tãtùm ostendendum est hoc loco fieri non posse, vt spatium sit vera species quantitatis. Quod primùm ex eo constat quia non est verũ ens: si enim esset aut increatum ens esset puod in solum Deum conuenit, aut creatum, quod fieri nequit quia spacium non potuit incipere esse: vbicumq; enim nunc est, ibi necessariò semper fuit, semperq; erit. Adde si esset ens, aut substantia esset, aut accidens, at substantia esse non potest quia non innorporea, vt perspicuum est, cùm sit diuisibile, nec corporea, quia constaret materia & forma, quod fieri non posse ipsi etiam eius entitatis assertores concedunt: nec verò accidens: tum quia aut esset sine subiecto, aut ex subiecto in subiectum, hoc est, ex locato corpore in succedens locatum migraret, tùm etiam quia spacium præcedit locatum, accidens verò non præcedit subiectum.

*Spacium non esse ens. Probatur 1.*

2.

*Non esse spacium quantitatẽ.*

Deinde ex eo constat non esse speciem quantitatis, quia si esset quantitas, certè trinæ dimensionis quantitas esset, ac proinde corpus cum corpus definiatur, quantitas trinæ dimensionis. Ex hoc autem primùm



primùm sequeretur non esse speciem quantitatis à corpore distinctam: deinde duo corpora simul esse, quod naturaliter fieri nõ potest, denique cùm omnis quantitas trinæ dimensionis indigeat spacio, in quo sit, iam spacium indigeret alio spacio in quo esset, & illud alio, atque ita deinceps infinita essent æqualia spacia in quolibet eodem spacio: quod non solùm impossibile est, sed etiam superuacaneum cùm vnum sufficiat, si non sit quantitas trinæ dimensionis, sed aptitudo quædam ad illam capiendam.

*Philoponi defensio refellitur.*

*Lo co citato.*

Ad hoc argumentum Philoponus entitatis spacij defensor hunc in modum respondet, duplicem esse quantitatem trinæ dimensionis: vnum materialem, & eam indigere spacio, nec posse simul esse cum alia materiali quantitate, aliam immaterialem, & eam esse spacium, quod quia immateriale est, adæquatum sibi corpus secum admittit.

Sed quæro, cur dicat corpus esse quantitatẽ materialem, spacium immaterialem. Si propterea quòd corpus constet vera materia, spacium verò minimè, iã facit corpus prædicamenti quantitatis substantiam corpoream, ac proinde quantitatem à substantia quanta non distinguit quod suprà impugnatum est. Si propterea quod corpus est verè ac realiter diuisibile: spacium verò non item (dicat enim aliquis illum realem diuisibilitatem in plures nimirùm partes, quæ disiungi à se inuicem possunt, materiam appellasse) cur quæso ait superficiem quoque & lineam esse quantitates immateriales, atque iccircò in cõtactu corporum se compatientes simul? constat enim & ipsas verè ac realiter esse diuisibiles. Quòd si propterea dicit corpus esse quantitatem materialem, spacium verò immaterialem quia corpus est quantitas inhærens materiæ, spacium verò minimè: erit etiam superficies quantitas materialis, quam tamen docet esse immaterialem, ac proinde compatientem secum aliam superficiem, vt dictum est. Quamquam suspicione non caret voluisse Philoponum quantitatem illam trinæ dimensionis, quam spacium appellat rebus locatis inhærere: ait enim iccirco naturam totam horrere vacuum, nullaq; ratione illud ferre posse, ne spacium, id est, quantitas illa trinæ dimensionis, quam ponit à corpore diuersam existat in rerum natura sine vlla re locata, quod nulla alia ratione videbitur dixisse, nisi quia accidens non existit sine subiecto. Alioqui si subiecto non indiget, sed per se existit, cur tantopere reformidat natura tota, ne existat in rebus locatis? Itaq; videtur credere Philoponus quantitatem spacij rebus locatis inhærere. Quod si ita est, vel nolens fateri cogitur spacium esse quantitatem materialem, nec iam vllam superesse rationem, cur non indigeat spacio alio in quo sit, aut cur simul cum corpore possit existere, aut (vt obiter hoc colligamus) cur non possit accidens aliquod è subiecto in subiectum transire: nam & hoc concedat necesse est si quãtitatem spacij rebus locatis sibi inuicem succedentibus inesse existimat.

*Quæst. 2. Sectio. 2.*

*Ex sententia Philoponi locum rebus locatis inhærere.*

*Spaciũ quod à corporibus occupatur, nõ esse realem.*

Non est igitur spacium, quod & corporibus occupatur, & extra cœlum infinitè in omnem partem distentum est, quãtitas vlla vera & realis, sed imaginaria. Non quia ipsum spaciũ ex imaginatione nostra pendeat, quasi nullũ sit vsquam, nisi cum nos illud omnino fingimus:

*quamitatem sed imaginariam.*

sed quia ſpacium quod re vera ſuo modo eſt, ſemperq́; fuit, ac erit, non eſt vera quantitas, ſed ficta quantitas. Quid autem ſit ſpatium ipſum, cùm non ſit ens vllum, difficile eſt explicatu. Poſſumus tamen dicere eſſe capedinem corporum, ſeu aptitudinem ad corpora capienda, quæ maior eſt & minor iuxta quantitatem locandorũ corporum, immò & actu infinita, vt capere poſſit omnia corpora, quæ à Deo in infinitum maiora produci poſſunt, ſeu (quod eodem redit) eſt non repugnantia quędam capiendorum corporum commenſurata corporibus locandis, ita vt in ſpacio ſextarij non repugnet recipi ſextarium vini aut aquæ: repugnet autem recipi naturaliter amphoram aut batum, atque ita in cæteris.

*Explicatur quid ſit ſpaciam imaginarium.*

*Vbinã ſit Spacium ipſum.*

SED quærat aliquis, vbinam ſit illa capedo, ſiue aptitudo, ſiue non repugnantia: oportere enim videtur vt ſit alicubi, ſiue in re aliqua: ſi alicubi, ergo in loco aliquo, & ſic quæritur locus loci, redditúrque diſputatio inepta & puerilis: ſi in re aliqua, iam quæro quænam ſit res illa quod inuenire impoſſibile videtur.

*Reſponſio quorundam impugnatur.*

SVNT qui dicant eſſe in ipſis rebus locatis, ſiquidem in orbe terrarum eſt aptitudo, vt ipſe recipiatur, & ſic in cæteris, quod tamen dicendum non eſt duabus de cauſis. Vna quia hoc pacto non exiſtentibus rebus locatis, non eſſent earum capedines, quod falſum eſt, cùm capedines præcedant res ipſas quæ capiuntur, idq́; ex omni æternitate. Altera quia etſi aptitudo quaſi paſſiua, vt corpora capiantur, eſt in corporibus ipſis, tamen aptitudo capiendi quaſi actiua, quæ propria eſt ſpacij, non poteſt eſſe in capiendis corporibus. Nam corpora non capiunt corpora, ſed capiuntur à ſpacio ſeu capedine ipſa.

*Vera reſponſio*

DICENDVM igitur capedines corporum, ſeu aptitudines, ſiue non repugnantias ad ea capienda, neque eſſe in corporibus locandis, vt oſtenſum eſt, neque etiam alicubi; ſed eſſe id, vbi eſt, quicquid alicubi eſt, vt non ſit neceſſe, ſed ineptum potiùs quærere, vbinam ſint. Nec mirùm quod nec ſint in re aliqua, nec alicubi, cùm negationes puræ non ſint priuationes, vt indigeant ſubiecto, minùs etiam ſint corpora vt locum occupent. Ita patet locum pro ſpacio acceptum non eſſe numerandum in ſpeciebus quantitatis.

### *Nec locum Ariſtotelicum eſſe ſpeciem quantitatis.*

### SECTIO II.

*Altera aſſertio locum Ariſtotelis non eſſe in Prædicamento quãtitatis.*

SED ne locus qui ab Ariſtotele verus & realis conſtituitur, in ſpeciebus quantitatis numerari poteſt. Primũ quia locus Ariſtotelicus, ſuperficies, inquam, qua locatum corpus à corpore ambiente continetur, non reddit formaliter rem quantam, ſed quantam ſupponit, formaliterq́; efficit locatam. *4. Phyſ. ca. 4. à textu 30.*

*Probatur 1.*

DEINDE quia locus vt ſit vnus in Prædicamento Quantitatis, neceſſe eſt vt ſit vna numero ſuperficies, at vt ſit vnus locus, non eſt neceſſe vt ſit ſuperficies vna numero, vt patet in loco nauis, quæ partim circundatur ſuperficie aëris partim aquæ.

*2.*

*3.*

TERTIO qaia in quo Prædicamento reductitiè ponitur motus localis



localis, in eodem ponendus eſt per ſe, ac directò locus qui eſt terminus localis motus: terminum enim & motum qui ad illum terminatur, ad idem prædicamentum pertinere communis Philoſophorum ſententia eſt: at motus localis, vt talis eſt, non ad Prædicamentum Quantitatis pertinet, ſed ad Prædicamentum Vbi, in quo ſunt differentiæ localis motus ſurſum, deorſum, dextrorſum, &c.

*Ita Alenſ. in Met. in ca. 8.*

QVOD ſi dicas locum non acquiri per motum localẽ, ſed exiſtentiam in loco, hanc autem ſolam eſſe in prædicamento Vbi, primùm dabis pari ratione albedinem non acquiri per dealbationem, ſed ſolam exiſtentiam ſub albedine, ſeu habere albedinem: deinde cogeris quærere aliud prædicamentum in quo ponat exiſtentiam ſub albedine, ſeu habere albedinem, aliud in quo ponas albedinem.

*Num exiſtẽtia in loco potius quam locus ipſe per motum acquiritur.*

*Textu 41.*

QVARTO quia immobilitas nõ eſt de ratione vllius quantitatis, cùm tamen ſit de ratione loci, vt docet Ariſtoteles lib. 4. Phyſ. cap. 4. *4.*

QVINTO quia locus Ariſtotelicus & ſuperficies nõ diſtinguuntur niſi tanquam compoſitum & ſimplex, locus enim eſt ſuperficies cum concauitate & immobilitate, ſuperficies autem eſt quantitas duarum dimenſionum, nihilque aliud in ſua ratione includit. *5.*

*Locus Ariſtotelicus, & ſuperficies quo pacto diſtinguantur.*

POSTREMO quia locus eſt ſuperficies externa, ſiue nõ inhærens ei quod denominat locatum: ſuperficies autem ſiue quantitas duarum dimenſionum eſt interna, id eſt, inhęret ei, quod denominat quantum dupliciter dimenſum: at externum & internum etſi variant nonnulla prædicamenta, vt albedo veſtis, & albedo vultus (illa enim denominat dealbatum, & pertinet ad prædicamentum Habendi, hæc autem denominat album, & pertinet ad Prædicamentum Quantitatis) tamen non variant ſpecies eiuſdem Prædicamenti. Ita patet ne locum quidem verum & realem, quique ab Ariſtotele conſtitutus eſt, in ſpeciebus quantitatis eſſe numerandum, vnde neque vllam omninò fecit de eo mentionem hoc loco. Hæc de quantitatibus permanẽtibus dicta ſint, nunc de ſucceſſiuis, ac primùm de motu. *6.*

---

## *SIT NE MOTVS VERA QVANTITATIS ſpecies.*

## QVÆSTIO VIII.

### *Argumenta pro parte negatiua.*

### SECTIO I.

*Motum non eſſe ſpeciem quantitatis. Probatur 1.*

*Cap. de quãtitate.*

MOTVM non eſſe veram ſpeciem quantitatis ex libro Prędicamentorum, & ex hoc ipſo loco in quo de ſpeciebus quantitatis diligentius diſſeritur, apertum videtur. Nã in Prædicamentorum libro, cùm Ariſtoteles numerat ea quæ ſunt per ſe, & non per accidens quanta, nullam facit mentionem de motu: cùm autem producit exempla quantorum per accidens, tùm eodem modo vult motum eſſe quãtum

Universidad de Deusto
Biblioteca



per accidens, quo album & actio sunt quanta, quæ certè nemo dubitat pro esse verè ac propriè quanta per accidens.

2. Hoc etiam loco in quo versamur, planè ait motum esse quantum per accidens, idq; ratione magnitudinis, supra quam fit motus, quod etsi solùm intelligitur de locali motu, tamen par ratio videtur in cæteris.

3. Accedit & hoc argumentum: Motus definitur ab Aristotele 3. Phys. *Actus entis in potentia, vt in potentia est*, in hac autem definitione nulla particula est vniuoca, cùm hæc omnia reperiantur in pluribus prædicamentis: non est igitur motus vniuocus, sed analogus, ac proinde non ponitur per se in Prædicamento vllo. *Cap. 1. tex. 6. & ca. 2. textu 16.*

*Quatuor modis posse motum spectari.*

## Sectio II.

*Quatuor cõsiderationes modus.*

Hæc quæstio etsi difficilis est, non admodum tamen difficilè explicabitur, si quadripartita motus ratio perspecta fuerit.

Animadvertendum igitur motum quatuor modis potissimum spectari posse. Vno vt ab alio in aliud inducitur, quo
1. pacto vocatur actio. Altero contrà, vt in aliquo ab alio accipitur, qua
2. ratione vocatur passio. Tertiò vt est forma imperfecta quæ tendit in
3. perfectionem sub qua consideratione definitur ab Aristotele 3. Phy. cum dicitur: *Actus entis in potentia, vt in potentia est*, & sub eadem peculiari ratione vocatur motus, & à quibusdam forma fluens. Quartò vt
4. continuus est, quo pacto non habet peculiare nomen apud Arist. sed appellatur à quibusdam fluxus formæ. *Locis citatis.*

Ac de prima quidem & secunda consideratione nulla penè est controuersia: omnes enim fermè dicunt motum primo modo spectatum constituere prædicamentum actionis, secundo autem passionis. *In quo sit posita quæstionis difficultas.* Sed de reliquis duabus non mediocris contētio est. Nam cùm forma tendens in suam perfectionem, semper dum in eam tendit, coniuncta sit cum ipsa (vt ita dicam) tendentia seu fluxu, sunt qui negent distinctionem vnius ab altero, dicantq; motum, vt motus est, esse essentialiter continuum, & poni per se in hoc prædicamento, quod non satis alterum ab altero discernant, ipsum inquam fluxum formæ à forma fluente. Quo genere captionis (quæ accidentis appellatur) docti etiam nonnunquam hallucinantur, vt docet Arist. priori Elenchorum libro. Quod igitur hi non rectè sentiant, & qua ratione motus ad hoc prædicamentum pertineat, & quo pacto continuitas se ad motum habeat, iam explicandum est. *Iand. 5. Met. q. 19. & Graciadeus 3. Phys. lect. 1. & quidam recentiores. Cap. 5.*

*Quo pacto motus pertineat ad prædicamentum quantitatis, & qua ratione continuitas motus se habeat ad motum.*

## Sectio III.

*Motũ vt motus est in nullo Prædicamento per se poni, sed reduci ad plura.*

Prima assertio. Motus quatenus, motus nõ ponitur per se in prædicamento vllo, sed reducitur ad plura. Prior pars ex eo primum probatur, quia motus vt motus est, analogum quiddam est, vt sentiunt penè omnes externi auctores, qui sunt alicuius nominis,



*Omnes passim in 3. Phy. textu 4.* nominis, in quibus est Alexander Aphrodisiensis, Ammonius, Themistius, Philoponus, Simplicius, & Arabs Commentator, vt omittam grauissimos ex nostris D. Thomam, Magnum Albertum, Ægidium Romanum, & alios quamplurimos, quod & satis indicant omnes particulæ definitionis. Atque hæc erat tertia ratio pro parte negatiua initio quæstionis proposita. *Probatur 1. Motum esse analogum.*

Deinde quia motus, vt motus est, cùm sit actus imperfectus, hoc est, partim acquisitus, partim acquirẽdus est incompletum quiddam. Neque obest quod tempus etiam, quod omnes completum ens esse affirmant, nunquam totum acquisitum sit, sed semper dum est, partim videatur acquisitum, partim acquirendum. Re enim vera tempus non acquiritur, cùm nunquam totum simul esse possit, sed est mensura acquisitionis temporariæ, quæ mensura in ipsa successione consistit, quemadmodum & continuitas ipsius motus, id est, ipsius actus, seu formæ, partim acquisitæ, partim acquirendæ. *2. Esse quid imperfectum & incompletũ.*

Tertio quia si in aliquo prædicamento per se poneretur motus aut poneretur in prædicamento actionis, aut passionis, aut quantitatis: neque enim aliud succurrit in quo poni posse videatur, nisi quis cum *Cap. 21.* Plotino in lib. 3. de Generibus entis, sentiat constituendũ esse quoddam per se prædicamentum solius motus, & specierum eius, quod ipse facit vnum ex quinque, ad quæ omnia quæ sunt reuocanda existimat, at hæc dici nullo modo possunt. *3.*

Nam quòd non per se ponatur in actione & passione, planè ostendunt diuersæ eorum rationes. Alia est enim ratio motus, alia actionis *Textu 22.* & passionis, vt Aristoteles luculenter tradit 3. Phys. lib. c. 3. quo etiam loco aliud adiungit actionem & passionem inesse motui, vtpote velut eius quasdam proprietates. *Motum non poni per se in actione, aut passione.*

Quod autem neque in quantitate, duabus rationibus probatur. Vna quia esset essentialiter quantitas continua successiua, immo quædam successio: si successio, ergo alicuius rei successio, nec sanè alterius quàm motus: quare motus esset successio suiipsius. Altera quia si esset essentialiter quantitas continua, diuideretur sanè in motus speciales per differentias pertinentes ad prædicamentum quantitatis: at diuiditur per ordinem ad terminos existentes in diuersis prædicamentis. *Tex. 9. & 10.* Inde enim colligit Aristoteles 5. Phys. libro, cap. 1. & 2. tres esse motus speciales ad quantitatem, qualitatem, & locum, quia quantitas, qualitas & locus quæ motu acquiruntur, diuersa sunt etiam toto genere. Quòd demùm non sit constituendum aliquod per se Prædicamentum, in quo motus sit summum genus, eius verò species sint motus speciales, ex eo intelligi potest, quia ne Plotinus quidem, qui vnus sententiæ huius auctor fuit, aliam rationem inuenit qua motum genus summum faceret, nisi quatenus commune quippiam est actioni & passioni: at motus non est actioni & passioni communis, vt earum genus, sed quasi subiectum vtriusque, præsertim cùm actioni & passioni nihil essentiale vniuocum esse possit, sed analogum. Posterior pars assertionis inde ostenditur, quia motus, vt motus est, reducitur ad prædicamenta terminorum quæ plura sunt, non vnum tantùm. *Neque in quantitate. Non esse constituendum nouum prædicamentum motus. Motũ reduci ad prædicamentum terminum.*

Sed

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Obiectio.* SED contra hanc assertionem sic obiicitur. Motus qua ratione est motus, est de genere continuorum, vt tradit Aristoteles initio 3. Phy. *Textus.* ergo est essentialiter continuus, ac proinde per se ponitur in prędicamento quantitatis, vt species quædã quantitatis continuę: quod enim Aristoteles his verbis loquatur de motu, vt motus est, planè constat, cùm eo loco inuestiget definitionem motus.

*Soluitur.* AD hanc obiectionem dicendũ, Aristotelem non dixisse motum esse de genere continuorum, sed esse continuorum, id est, numerari in rebus continuis, quamquam nihil referret si dixisset esse de genere continuorum. Nam eodem modo intelligendum id esset, atque cum dicere solemus cygnum esse de genere candidorum, & hominem de genere bipedum, cùm interim nec cygnus essentialiter sit candidus, nec homo bipes. Itaque hoc solùm significat Aristoteles iis verbis, nullum motum reperiri posse qui non sit continuus: quemadmodum mox subdit fieri etiam non posse, vt detur motus, qui non sit in loco ac tempore.

*Alia obiectio.* OBIICI quoque potest contra eandem conclusionem. Motus, vt motus per se & intrinsecus, successiuũ est quiddam: at successiuum esse est essentialis differentia quantitatis, qua genus quoddam constituitur commune motui & tempori: ergo motus, vt motus est, spectat ad Prædicamentum quantitatis.

*Diluitur.* HVIC obiectioni occurrẽdum est motum, vt motus est, esse per se successiuũ, non tamen in primo modo dicẽdi per se, sed in secundo.

*Motus vt est continuus, constituit distinctam speciem quantitatis.* SECVNDA assertio. Continuitas motus, seu motus quatenus continuus est constituit speciem quandam continuę quantitatis à cæteris distinctam. Hæc assertio ex eo probatur, quia omnis continuitas est quantitas quædam: continuitas verò motus perspicuè distinguitur à continuitate magnitudinis, quæ in lineam, superficiem, & corpus diuiditur, cùm hæc sit per manens, illa successiua. Distingui autem continuitatem motus à continuitate temporis, ex eo primùm patet quia continuitas motus sæpè est magna, cùm temporis est parua, & è contrariò parua cum temporis est magna. Nam cùm motus est celer, tùm continuitas temporis breuis est, continuitas autem motus longa: cum verò tardus, tùm continuitas temporis longa est, motus autem continuitas breuis. Deinde quia continuitas temporis semper est vniformis, motus autem non semper, & ideò tempus suaptè natura est mensura motus, non item motus temporis, nisi aliquando à posteriori, cùm motus vniformis est, & tempus ignoratur.

*Motus continuitatem distingui à continuitate temporis.* EX his patet qua ratione motus ad nullum prædicamentum pertineat, & qua ad prædicamantum quantitatis. Vnde manifestum relinquitur distinctam esse rationem motus, vt motus est ab ea qua continuus est, quod in superiori sectione à quibusdã negari diximus. Quo autem pacto continuitas motus se habeat ad motum (hoc enim non immeritò quærat aliquis) id alia assertione explicemns.

*Continuitatẽ motus esse affectionem, &* TERTIA assertio. Continuitas motus se habet ad motum, vt eius affectio inseparabilis, atq; adeò vt eius proprietas. Quod enim motus dari non possit sine continuitate, ex eo constat quia non alia ratione daretur,



darentur, nisi si fieret per sola quædã instantia certi alicuius temporis quo pacto quidam augmentationẽ fieri putauerunt: at hoc pacto, iam motus non esset vnus motus, ac proinde nec motus, sed multæ mutationes momentaneæ: quiesceret enim mobile inter quælibet huiusmodi instantia, cùm nulla dentur immediata. Quòd verò eius continuitas sit eius affectio, manifestum est, quia est affectio acquisitionis temporariæ, quæ nihil aliud est, quàm motus. Quòd denique sit propria & per se illius affectio, ea ratione probatur, quia sequitur motum, quatenus motus est, & ex illius natura quasi nascitur. Neq; enim motus & eius continuitas sunt duo aliqua disparata, sed alterum sequitur alterum, & quasi ex eo profluit: non profluit autem motus ex sua continuitate, sed continuitas ex motu. *proprietatem ipsius motus.*

*Solutio argumentorum.*

SECTIO IV.

*Sectio 1.* QVARE ad argumenta, quę initio pro parte negatiua quæstionis proposita sunt, respõdendum est. Ad primum non desunt, qui dicant motum, nõ tantùm quatenus est forma imperfecta, sed etiam quatenus continuus, reduci ad prædicamenta. Aiunt enim illum, etiam quatenus continuus est, esse viam quamdam ad aliquid acquirendum, & proinde esse incõpletum quiddam, & reduci ad prædicamentum quantitatis: sed non rectè sentiunt. *Refellitur 1.* Primùm, quia motus, nec quatenus continuus est, nec quatenus tale continuum, est ens incompletum. Non quatenus cõtinuus, quia alioqui omnis continua quantitas esset incompleta. Non quatenus tale continuum, nempe successiuum, quia successiuum, vt tale est, essentialiter continuum est, ac proinde species completa sub cõpleto genere collocata. Deinde, quia continuitas motus non est ipsa via ad aliquid acquirendum, sed illi accidit: non enim est ipsa acquisitio, sed est successio acquisitionis, & proptia eius affectio, nempè ipsius motus, cùm nihil aliud sit motus, quàm acquisitio quędam, vt superius dictum est. *2* Postremò, quia si motus est via quædam, & incompletum quiddam, quia est quippiam successiuum, tempus quoque esset via quædam, & incompletum quiddam, cùm & ipsum sit successiuum: quod non modo cæteri omnes, sed etiam ij ipsi negant. *3*

*Vera argumenti solutio.* DICENDVM igitur Aristotelem non numerasse in Prædicamentis motum inter quanta per se, sed per accidens, quia non alia recensere voluit inter quanta per se, nisi ea, quæ suo tempore species quantitatis habebantur, quæq; apertam & vulgatam præ se ferunt mensuræ rationem, cuiusmodi non est motus. Quamquam cùm numerat motum inter quanta per accidens, forsitan accepit motum, vt motus est. Isto enim modo non dubium est ex dictis motum esse quantum per accidens, cùm continuitas illi sit accidens, hoc est, ad essentiam eius non pertineat.

*Solutio secundi argumenti. Cur Aristot. appellauerit.* AD secundum eodem modo respondere possemus, nisi constaret Aristotelem accepisse hoc loco motum, vt continuus est. Dicendum igitur duobus modis Aristotelẽ accepisse in hoc capite quantum per accidens

*motum quantum per accidens.*

accidens: vno modo propriè, pro eo nimirum, quod non extensione interna sibi, sed aliena extensum dicitur, quo pacto candor dicitur tantæ extensionis, quātæ est superficies, cui inhæret: altero impropriè nempè pro eo, cuius extensio requirit à priori extensionem alterius, quo pacto dicere possemus superficiem & corpus esse quanta per accidens, si verum esset in media superficie esse actu lineas, & in medio corpore superficies, quibus eorum partes copularentur. Nam si hæc sententia esset probanda, non dubiū, quin superficies requireret continuitatem lineæ, & corpus continuitatem superficiei, sine quibus nulla superficies, nullúmque corpus, aut pars corporis esse posset. Cùm ergo Aristoteles ait motum esse quantum per accidens, non priori, sed posteriori modo id accipiendum est. Neq; enim motus sola quantitate magnitudinis, supra quam fit, dicitur quantus, cùm habeat propriam & peculiarem extensionem distinctam ab extensione magnitudinis, sed ideo dicitur quantus propter magnitudinem, supra quam fit, quia extensio motus, vt existat in rerum natura, requirit à priori extensionem eius magnitudinis.

*Idem pænè Scotus hoc loco.*

*Solutio tertij argumenti.*

AD tertium perspicua est responsio ex dictis, cum motus, vt motus est, analogum sit, & insuper incompletum quiddam; sed quoniam definitio motus, vt motus est, haud mediocre negotium Physicis exhibere solet, operæpretium facturi videmur, si ad eam explicandam aliquantulum digrediamur.

*Ad 3. Phys. tex. 6. 16. & 23.*

## QVO PACTO MOTVS, VT MOTVS est, definiatur apud Aristotelem.

## QVÆSTIO IX.

*Quid nomine motus intelligendum sit apud Aristotelem, cum ait motum esse actum entis in potentia, vt in potentia est.*

### SECTIO I.

*Quid sit produci.*

*Quid creari.*

*Quid generari.*

*Quid mutari.*

*Quid moueri.*

ILLVD igitur primum animaduertendum est, quinque hæc, produci, creari, generari seu fieri, mutari, & moueri non parum differre inter se. Nam produci est accipere esse ab aliquo, etiamsi id, quod illud accipit, non aliud numero accipiat, sed vnum & idem, huius contrarium est definere, in iis, quæ principium & finem habere possunt. Creari est accipere aliud ex nihilo, cuius contrarium est annihilari, seu amittere totum esse. Generari autem, seu fieri, ac effici est accipere esse ex aliqua sui parte præexistente, quæ vicem subiecti habeat respectu alterius: cuius contrarium est corrumpi, hoc est, resolui in id, ex quo genitum seu factum est. Mutari est rem aliter habere quàm prius, siue id fiat transeundo in instanti ab vno statu in alterum, siue successiuè. At moueri est mutari successiuè.

DEINDE illud animaduertendum est, rem quæ mutatur, aut etiam



*Lege D. Tho. 1. p. q. 45. art. 2. & 2. contra Gent. cap. 17. & 18. & Ferrar. ibid.*

tiam mouetur, cùm transeat ab vno statu in alterum (quos Philosophi terminos appellant, alterum à quo, alterum ad quem) necessariò existere debere prius sub termino à quo, posterius sub termino ad quem; alioqui quonam pacto dicetur vnquam transisse ex vno in alterum? Quod si ita est, manifestum videtur generationem & corruptionem contrariam, non esse propriè mutationes, aut motus respectu rerum, quæ generantur & corrumpuntur; quandoquidem id, quod generatur, transit à non esse ad esse, & id, quod corrumpitur, ab esse ad non esse, neutrúmque existit sub vtroque termino. Quò fit, vt cùm generatio & corruptio numerantur inter mutationes aut motus, non alia ratione sic appellentur, nisi quatenus conferuntur cum materia subiectóve, ex quo res generantur, & in quod corrumpuntur. Illud enim solum est, quod transit ab vno statu in alium, & sub vtroque termino vicissim existit, tametsi falsa quadam fictione nostra concipimus esse mutationes respectu rerū, quę generātur & corrumpuntur, quia fingimus rem, quæ generatur, prius existere cum priuatione sui esse, posterius autem cum suo esse: cōtrà verò, quæ corrumpitur, prius cum suo esse, posterius cum eius priuatione quæ falsa omnino sunt, & planè cōficta; quemadmodum & ipsam creationem, & annihilationem rerum (quod durius est) fingimus esse mutationes quasdam earum ante esse ad esse, & ab esse, ad non esse, quasi ea, quæ creantur, prius existant sub non esse, & postea sub esse, contráque ea, quæ annihilantur, prius existant sub esse, & postea sub non esse, cùm re vera is transitus non reperiatur à parte rei. Ea enim sola quę creantur incipiunt esse simpliciter, & quæ annihilantur, simpliciter esse desinunt sine vlla mutatione etiam subiecti alicuius: eodem pacto accidit in simplici productione formarum pendentium in suo esse à subiectis, cum virtute caussarum naturalium per mutationem subiectorum esse incipiunt. Nam etsi nec creantur, cùm educantur de potentia subiectorum, neque item generantur, cùm non sint composita ex forma & subiecto, neque omnino mutantur, cùm non prius existant sub non esse, & postea sub esse; tamen imaginamur nos illas mutari à non esse ad esse, perinde ac si à parte rei existentes ante esse, ad illud ex non esse transirent: & similiter cum sine annihilatione, ac corruptione per simplicem quandam definitionem pereunt, fingimus nos eas mutari ab esse ad non esse, perinde ac si in rerum natura is transitus reperiretur. Produci ergo & istæ, & incipere, ac definere dici possunt, creari autem, aut annihilari (cùm naturaliter quidem esse incipiunt aut desinunt) generatiuè, aut corrumpi, aut denique mutari, nisi fictione nostra dici non possunt.

*Duplex terminus motus à quo, & ad quem.*

*Cur generatio, & corruptio inter mutationes numerentur.*

*Ea sola, quæ creantur, incipere esse simpliciter.*

*Formas à materia pendentes neque creari neque generari.*

*Produci tamē & incipere esse dicuntur.*

TERTIÒ animaduertendum est, præter eam differentiam motus & mūtationis, quam tetigimus, vt mutatio possit esse momentanea, motus autem necessariò sit successiuus, ac temporarius, aliam esse nō prætereundam, quòd mutatio momentanea (siue per se intellige, siue per accidens) possit esse tam inter terminos positiuos, quàm inter alterum positiuum, alterum negatiuum, siue priuatiuum, quo pacto materia in generatione aēris transit à forma aquæ ad formam aēris, &

ad priuationem formæ aquæ; in corruptione autem ad formã aquæ, & ad priuationem formæ aëris. At motus necessariò fit inter terminos positiuos, quia transitus à priuatiuo ad positiuum, aut à positiuo ad priuatiuum, non potest fieri in tempore, cùm forma & eius priuatio (intellige simpliciter denominantes) sint immediata in eodem subiecto, nec possit subiectum successiuè vnum deserere, & alterum acquirere, vt sæpè potest, cùm termini sunt positiui. Nam ex nigro in album transitur per fuscum, quod nec album, nec nigrum est: & ex frigido in calidum per tepidum, quod nec calidum est, nec frigidum. Neque id solùm accidit in qualitatibus, sed etiam in quantitatibus & locis, siquidem ex quantitate minore in maiorem signatam transitur per mediam; & ex vno loco in alium, etiamsi immediati sint transitur per locum, qui aut sit omnino alius ab vtroque, aut partem prioris complectatur partem posterioris.

*Mutationem quandã duobus modis posse accipi.*

DENIQVE illud considerandum, mutationem quamlibet siue mometaneam, siue temporariam duobus modis posse accipi, vno pro sola abiectione termini à quo, aut solã acquisitione termini ad quem quæ potest appellari mutatio simplex: altero pro vtraque simul, quæ potest dici mutatio complexa, & significantius verbo Græco, τῆς μεταβολῆς, hoc est, transmutationis quàm Latino motus aut mutationis exprimitur. Transmutationis enim vocabulum vtrumque terminum magis declarat, & eum à quo receditur, & eum ad quem acceditur, cùm vnum post alterum, seu vnum alteri succedere significet.

*In definitione motus Aristotelica quæ mutatio contineatur.*

HÆC cùm ita sint, cùm motus ab Aristotele definitur, sola mutatio temporaria nomine motus intelligenda est, atque adeo ea tantùm quæ inter positiuos terminos exercetur, sub quorum vno partim mobile est, dum mouetur, partim sub altero: sola item mutatio simplex, quod cõplexa, vt ex simplicibus constat, ita ex illis facile intelligatur.

*Obiectio.*

QVOD siquis obiiciat, generationem quoque & corruptionem in definitione cõprehendi ab Aristotele, cùm is æquè vtatur earũ exemplis atque aliarum mutationum, at generationem & corruptionem neque esse mutationes temporarias, neque exerceri inter positiuos terminos; respondendum est, generationem & corruptionem duobus modis accipi posse: vno pro sola introductione & abiectione formæ substantialis: altero pro dispositione, qua paulatim subiectũ præparatur ad eiusmodi formæ introductionem abiectionémve, non quidem quatenus is progressus continuatæ dispositionis ad perfectam dispositionem terminatur) hoc enim pacto nõ differrent generatio & corruptio ab alteratione præcedẽte) sed quatenus terminatur ad formam ipsam substantialem, eiúsve expulsionem. Nam cùm subiectum disponitur, iam quodammodo habet id, ad quod disponitur: magis autem, aut minus, quatenus magis, aut minus ad illud appropinquat. At generatio & corruptio hoc modo sumptæ & temporariæ sunt, vt perspicuum est, & inter positiuos terminos exercentur. Fiunt enim successiuè, vt sæpè scribit Aristoteles, & progrediuntur ab eo, quod minus tale est, ad id, quod magis, & ab eo, quod magis tale est, ad id, quod minus, quemadmodum suo modo augmentatio, & diminutio, intensio,

*Diluitur. Generatio & corruptio dupliciter considerari possũt.*

*Generatio & corruptio quo pacto sint tẽporariæ, & inter positiuos terminos fiant.*



intensio, & remissio: quod sic intelliges. Quæ enim successiuè generantur & corrumpuntur, in principio quidem generationis & corruptionis nec generantur, nec corrumpuntur, multò autem minus genita, aut corrupta sunt: in ipso autem progressu non datur instans, in quo non verè dixeris, id, quod generatur partim genitum esse, partim generandum adhuc. quemadmodum & id, quod corrumpitur, partim corruptum esse, partim corrumpendum adhuc, ac magis & minus genitum, aut corruptum esse, positiui sunt termini, & magis genitum esse, est magis habere esse rei generandæ: contrà verò magis corruptum esse, est minus habere esse rei corrumpendæ.

*Substantiam per se fieri duobus modis.*

SED aduerte alio etiam modo generationem fieri inter positiuos terminos, vt ex dictis patet, veluti generationem aëris ex aqua, & corruptionem eiusdem in aquam: verum hos terminos nõ esse per se terminos generationis & corruptionis, sed per accidens. Duobus enim modis substantia fit per se: vno ex non tali substantia, & tunc substantia fit in instanti, quia inter cnntradictoria non datur medium: altero ex minus tali substantia, nempe ex subiecto minus dispositio, quod iam conferur esse substantia generanda, sed minus quàm cum magis dispositum est: vtroque enim modo generatio est inter certos & determinatos terminos, vt dici possit exerceri per se inter illos, & non per accidens. At cùm vna substantia dicitur fieri ex alia substantia, vt aër ex aqua, tum substantia dicitur fieri per accidens, quia termini non sunt certi & determinati: æquè enim potest aër generari ex igne aut terra, atque ex aqua. Quòd si quædam substantię fiunt ex certis & determinatis substantiis: vt homo ex embryone, & embryo ex semine: tamen quia id non vniuersè accidit, asseruerunt Philosophi in substantiis non fieri vnam ex alia nisi per accidens, quia non fiunt vniuersè ex certis & determinatis: quod idem in corruptione substantiarum obseruandum est. Corrumpuntur enim per se in non tales substantias, & in minus tales: In alias autem substantias non corrumpuntur, nisi per accidens, quia non in certas & determinatas, vt aër non solum in aquam, sed etiam in ignem aut terram: tametsi quædam in certas & determinatas corrumpantur, vt homo in cadauer. Atque hæc de generatione & corruptione substantiarum, quæ sunt generatio & corruptio simpliciter.

*Quando per accidens fieri dicatur.*

*Cur dixerint Philosophi in substãtijs non fieri vnam ex alia nisi per accidens.*

ALIA ratio est in generatione & corruptione accidentium, quæ sunt generatio & corruptio secundum quid. Nam non solùm accidentia fiunt per se ex non talibus, & ex minus talibus, & corrumpũtur in non talia, & in minus talia, quo pacto magis calidum fit ex nõ calido, atq; ex minus calido, & corrumpitur in nõ calidum, & in minus calidum, sed etiam fiunt per se ex aliis accidẽtibus, & corrumpuntur per se in alia accidentia, si modò sint ex iis, quæ ex aliis fieri possint, & in alia corrumpi. Nam cùm omnia accidentia, quę ex aliis fieri, possunt, & in alia corrumpi, habeant cõtrarium, & nunquam fiant nisi ex suis contrariis, aut ex mediis, quæ vicem vnius contrarij comparatione alterius, subeunt, & similiter nunquam corrumpantur, nisi in cõtraria, vel media: sequitur numquam eorum generationem & corruptionem

*Generatio & corruptio accidẽtium expenduntur.*

exerceri inter quoslibet termi nos positiuos indifferenter,sed semper inter certos & determinatos,cuiusmodi sunt contrarij: quod sanè in substantiis euenire nō potest,cùm substantia non sit substantiæ,contraria. *Dixi si modo sint ex iis,quæ ex aliis fieri possint*, propter accidentia, quæ non habent contrarium,cuiusmodi est lumen:semper enim huiusmodi accidentia,cùm absolutè,& non in tanta vel tanta perfectione fiunt,ex non talibus fiunt,veluti luminosum ex non luminoso.

*Nomine motus definiti ab Arist. quo pacto generationes etiam & corruptiones intelligi possunt.*

CVM ergo motus definitur,motus nomine intelligendæ quoque sunt generationes,& fortasse etiā corruptiones,nō tamen generationes,illæ quibus tale ens fit ex non tali,aut vnum ens ex alio ente,neq; item eæ corruptiones,quibus tale ens in nō tale,aut in aliud ens corrumpitur. Nam generationes,quibus tale ens fit ex non tali,vt homo ex non homine,& corruptiones,quibus tale ens in nō tale corrumpitur,vt homo in non hominem,nō sunt successiuæ: quibus verò vnum ens fit ex alio ente,aut in aliud ens corrumpitur,eæ in substantiis quidem sunt mutationes per accidens,vt iam explicatum est, & cōplexa etiam quædam,cùm includant inceptionem vnius,& desitionem alterius,in accidentibus verò etsi non sunt mutationes per accidens,sunt tamen complexæ. Quare intelligendæ sunt generationes illæ,quibus aliquid fit ex minus tali,& forsitan corruptiones,quibus aliquid corrumpitur in minus tale,quod hæ omnes siue generationes,siue corruptiones,& tēporariæ mutationes sint,& simplices etiā,& exerceantur inter positiuos terminos,ac deniq; sint mutationes per se;vt iure cum aliis mutationibus tēporariis simplicibus,ac per se,& quę inter terminos positiuos per se exercētur,definiri ac explicari possint. Cur autem non omnino asseruerim comprehendi corruptiones,inferius patebit. *Sect. 4.*

## *Explicatur definitio motus.*

## SECTIO II.

*Quid actus nomine in definitione motus nonnulli intelligant.*

*Nonnulli recentiores.*

IN ipsa verò definitione sunt qui nomine actus,operationem intelligant,quòd motus sit propria operatio naturę: sed non placet eorum sententia. Primum quia operatio idem est quod actio; siquidem operari agere est, & quæ non habent vim agendi, nec operādi habent:vt materia, quantitas, & relatio:at motus non est formaliter actio, vt dictum est,& omnes concedunt. Deinde,quia si motus, quatenus motus, esset operatio, quicquid moueretur,operaretur necessariò,nulláque potentia,etiam diuina aliter fieri posset. At quis neget posse Deum mouere lapidem sursum,& impedire interim omnem eius operationem sola negatione sui concursus ad illam? Quòd si dicant non posse Deum efficere quominus lapis, dum mouetur sursum, operetur,quia eius motus est eius operatio non actiua sed passiua,iam dabunt motum aliquem esse formaliter passionem: quod non minus falsum est, quàm esse formaliter actionem, cùm non minus accidat motui suscipi ab aliquo, quàm ab aliquo procedere.

*1 Refellitur explicatio.*

*2 Motum, vt motus est, non esse operationē probatur.*

*Aliorum expositio reiicitur.*

ALII sentiunt,nomine actus intelligendū esse actum secundum: verum cùm actus secundus sit operatio, & hac ratione distinguatur ab actu



*Cap. 1. tex. 2.* ab actu primo, quia est forma, vt patet ex 2. libro de Anima, si motus nomine non est intelligenda operatio naturæ, nec intelligendus erit actus secundus.

*Qui ex vera sententia actus nomine in definitione motus intelligendi.*

DICENDVM igitur,intelligendum esse actum eum, qui præcedit primum & secundum,vt primus & secundus loco citato sumuntur,& distinguntur inter se. Sumitur enim actus in ea distinctione pro actu perfecto,quia si sit forma,quæ principiū operationis est, dicitur primus actus,si verò sit ipsa operatio,dicitur actus secundus:& quamuis interdū operatio sit realiter motus,formaliter tamen non est motus: sed vel est actio immanens, quæ sæpè non est verus motus,vt actus scientiæ,vel actio transiens,vt calefactio,quatenus ab agente procedit:nam quatenus accipitur à patiente,non dicitur operatio, sed passio,nec per eam,vt accipitur patiens operatur,sed patitur.

*Dubitatio. Responsio.*

SED quærat aliquis, qui fieri possit, vt actus vllus præcedat primum,cùm nil detur prius primo. Ad quam dubitationem respondendum, non posse quidem dari prius primo absolutè, sed prius primo perfecto,talis autem est actus inchoatus,& nondum perfectus. Vnde non est mirandum, quòd Themistius motum definierit actum primum eius,quod est in potentia,vt in potentia est: accepit enim primum non pro primo ex perfectis, sed pro primo absolutè, qui est actus inchoatus,nec dum absolutus.

*In sua Paraphras. in 3. Phys. cap. 7.*

VERVM aduerte,etsi nomē actus in definitione motus accipitur, seu,vt Dialectici dicunt,supponit pro actu inchoato,& nondum perfecto;tamen non accipi pro illo formaliter,vt nondum perfectus est (hanc enim differentiam actus explicant particulę sequentes) sed absolutè pro actu in commune:quo pacto etsi animal sumitur in definitione hominis pro solis hominibus(nam pro eisdem rebus sumuntur genera,atque differentiæ in definitionibus) tamen non sumitur formaliter pro hominibus,vt homines sunt, sed vt sunt viuentia sensitiua,ne genus in definitione omnia formaliter dicat, quæ continentur in definito,differentiáque nihil formaliter generi adiungat.

*Definitio motus ab Alex. tradita impugnatur. 1.*

*3. Phys. com. suo 8. tex. 7.*

ALEXANDER, vt Simplicius refert,definiens motum,ait esse primam mutationem eius,quod est in potentia,vt tale est:in qua definitione pro actu ponit primam mutationem, sed tripliciter peccat, si contextus non est mendosus. Primùm,quia etsi velit significare iis verbis motum esse mutationem accidentalē & temporariam(semper enim accidentalis aliqua & temporaria, præcedit substantialem & momentaneam,vt dispositio ad illam)non tamen Simplicij verba id explicant,quod opus erat. Deinde,quia non omnis accidentaria mutatio est dispositio ad substantialem,vt patet in augmentatione,& in plurimis motibus secundum locum. Postremo, quia si nomine primæ mutationis intelligitur accidentalis temporaria, cæteræ particulæ redundant,cum idem dicant.

*Quid Simplicius delectione vulgata.*

*3. Phys. co. 6.*

SIMPLICIVS item suspicatur, Aristotelem pro actu scripsisse ἐνεργείαν,non ἐντελεχείαν,vt nos habemus, quod energia significet actū quemlibet, endelechia verò actum perfectum, seu perfectionem aliquam,Sed nō est cur de nostra lectione dubitet:tum quia Aristoteles

*Impugnat.*

in hoc

in hoc ipso cap. indifferenter vnitur nomine ἐντελεχείας, & ἐνεργείας; tum etiam, quia cum actus etiam perfectus, seu perfectio dupliciter haberi possit, & perfectè, & imperfectè, nihil incommodi est, si motus dicatur actus, seu perfectio; modo sequētes particulæ, quænam perfectio illa sit, declarent nimirum inchoata, necdum perfecta.

*Nomine entis in potentia quid intelligēdum in definitione motus.*

SEQVITVR in definitione *entis in potentia, seu eius, quod est in potentia* in qua particula, nomine potentiæ intelligenda est potentia, quæ nondum est expleta per actum: quo pacto dicimus rem calidam non iam habere potentiam ad calorem, etsi alia ratione potentiam habet respectu caloris, nempè eius susceptiuam, quæ non est sublata per calorem, sed perfecta & quasi satiata: hac ergo particula intelligimus motum dici actum, qui partim iam sit, partim nondum sit in subiecto. Nam cùm dicitur *actus illius*, planè significatur inesse illi; cùm verò additur *eius, quod est in potentia*, seu quod potentiam habet ad illum, declaratur nondum plenè illum habere.

*Cur addatur geminatio illa, vt in potentia.*

DENIQVE adiungitur reduplicatio, seu geminatio illa *vt est in potentia*, quia actus inchoatus non habebit rationem motus, si non sumatur, quatenus est inchoatus & vlterius procedit, sed solùm qua ex parte ad præsentem terminū peruenit. Nam si calor, qui introducitur in lignum, ea tantum ratione consideretur, qua certam perfectionem in hoc instanti consecutus est, non habebit sanè rationem motus, seu acquisitionis formæ, sed formæ certæ perfectionis iam acquisitæ. At cum ita accipitur, vt non tantùm spectetur, qua ex parte introductus est, sed etiam qua est immediatè introducendus, iam omnino habebit veram & germanam motus rationem. Dixi *qua est immediatè introducendus* quia si actus quiete interposita ad maiorē perfectionem promouendus sit, iam in hoc instanti erit actus completus & perfectus: tametsi non in tanta perfectione, quātam haberet in fine motus, si is vlterius progrederetur, ac proinde non habebit rationem motus.

*Obiecta contra definitionem.*

## SECTIO III.

*Obiectio 1.*

SVNT tamen, quæ contra propositam definitionem, datámque eius declarationem obiici possint.

PRIMVM se offert parens admodum definitionis obscuritas, quæ tanta est, vt cùm definitio non æquè tantùm nota, sed notior esse debeat re, quę definitur: hęc tam multas tenebras motui affert, vt cùm ea proposita, quid ille sit declarare volumus, tum primùm rem ante satis notam ignorare videamur.

2 DEINDE, diminutio seu decretio quantitatis, & remissio qualitatis non sunt actus inchoati & imperfecti tendentes ad maiorem perfectionem, sed è contrario actus perfecti ad minorem perfectionem progredientes: quod idem de corruptione dici potest, quæ non progreditur ab esse imperfecto ad perfectum: sed à perfecto ad imperfectum, ac omnino ad non esse. Quòd siquis occurrat, motus istos contrarios motibus, vt sic dicam, perfectiuis, nō esse tantæ curæ Philosophis, vt eos Aristoteles comprehendere debuerit in definitione motus

*Vide quæ dicta sunt li. 5. institutionū Dialecticarū cap. 9.*



motus, præsto sunt eorum exempla: quibus Aristoteles continuò ad explicationem definitionis vtitur. Subdit enim exemplum decretionis & corruptionis & nomine alterationis, quod generale est ad motus contrarios in qualitate, æquè remissionem atque intensionem complectitur.

*Cap. 7. Tex. 59. 4. lib. Phys. ca. 5. tex. 45.*

TERTIO motus localis non videtur forma partim acquisita, partim acquirenda: id enim quod mouetur loco, quatenus sic mouetur, nullam formam acquirit, vt Aristoteles docet 8. Physic. Quod si quis dicat locali motu acquiri locum, qui est forma exterius ambiens locatum: quid dicet de motu primi mobilis, quod Aristotelis sententia non continetur loco? Immò etiam de motu inferiorum orbium qui locum non acquirunt, sed semper sunt in eodem? Quid denique de motu quem in vacuo fieri posse certum est? Adde ne in motibus quidem rectis qui in his inferioribus fiunt, locum esse vllum qui dum mobile mouetur, partim ab eo acquisitus sit, partim acquirendus: omnes enim toti simul acquiruntur in instanti, & immediatè post illum deseruntur à mobili. 3

QVARTO, proposita definitio æquè videtur conuenire acquisitionibus rerum ad alia prædicamenta pertinentium, atque ad prædicamenta substantiæ, quantitatis, qualitatis, & Vbi, cùm & plurimæ relationes pedetentim acquirantur: vt similitudo maior & minor: magis etiam agere, ac pati: situs quoque varij, veluti corpore incuruato esse aút erecto, quæ etiam suscipiunt magis & minus, ac denique indutum esse hoc vel illo modo, indui enim nihil aliud est, quàm successione quadam continua informari veste: at motus non reperitur nisi in substantia, quantitate, qualitate, ac Vbi, vt innuunt exempla, quibus Aristoteles in exponenda definitione vtitur: quamquam ne in substantia quidem reperitur propriè, vt idem docet 5. Physic. initio capitis secundi. 4

*Textu 16.*

DEMVM reduplidatio illa, *vt in potentia*, non videtur rectè addita. Nam reduplicationes non adduntur nisi ad exprimendum sensum formalem, vt cum dicente Socrate citharœdum esse magnum, rogamus num quatenus citharœdus: at in definitionibus verba omnia sumuntur formaliter, alioqui non continerent rationem formalem rerum quæ definiuntur. Quid igitur opus fuit addere, *vt in potentia*, seu *quatenus in potentia*, ad explicandum sensum formalem eius, quod dictum erat, *entis in potentia*, cùm formaliter intelligendum esset necessariò? Quod si reduplicatio ab Aristotele addita est ad verbum *actus*, vt sit sensus, motum esse actum entis in potentia: quatenus ipse actus est in potentia: damus profectò motum non esse actum qui insit, sed qui inesse possit, atque adeò concedimus mobile iam tum moueri, cum nihil actus seu formæ habet, dummodò habere possit, quod tamen fieri nequit.

*Dilutio obiectorum.*

## SECTIO IV.

*Dilutio primæ obiectionis.*

SED hæc non admodum difficile dissoluentur. Ad primùm dicimus, motum cognitione simplici esse rem per se satis notam:

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Motũ cognitione definitiua difficile cõprehendi.*

non tamen in commune ſumptum, ſed in ſuis quaſi ſpeciebus, potiſſimùm verò in locali: at cognitione definitiua, præſertim in communem ſumptum, eſſe rem cognitu difficilem, vt ipſe Ariſtoteles docet 3. Phyſ. cap. 2. idq; ea ratione quod eius natura miſta ſit quodam- *Textu 15.*
modo ex actu & potentia, magiſque videatur habere potentiæ, quàm actus, cùm eius terminus, ex quo ſpeciem & rationem ſumit, ſit in potentia, dum res mouetur, non actu. Vnde Plato in Dialogo de Ente, ad genera non entium potiùs quàm entium, motum reducendum exiſtimauit. Non igitur mirùm ſi cognito motu in ſuis quaſi ſpeciebus cognitione ſimplici, tùm primùm illum videamur ignorare, cum nobis illius definitio proponitur. Id enim propterea accidit, quia cognitio diſtincta difficilior eſt quàm confuſa, eorum maximè quæ & analoga ſunt, & valdè generalia: adde naturæ etiam variæ & inconſtantis.

*Dilutio ſecundæ.*

*Num motus obiectiui cõprehendãtur in definitione motus.*

*Deus creauit omnia vt eſſent, non vt eſſe amitterent.*

Ad ſecundum dicito, non parum probabile eſſe, Ariſtotelem in definitione motus comprehendere noluiſſe motus, vt ita dicam, obiectiuos, decretionem ſcilicet, remiſſionem & corruptionem: tum quia non per ſe intenduntur à natura, quæ ſui auctoris conditionem imitatur. (*Creauit enim*, inquit Sapiens, *vt eſſent omnia*, non vt eſſe amit- *Sap. cap. 1.*
terent niſi per accidens & conſecutione quadam) tùm etiam quia ex acquiſitione tanquam ex contrario notiori & nobiliori, facilè abiectio intelligi poteſt. Atque hoc modo exempla decretionis & corruptionis, quibus vtitur Ariſtoteles, non ſunt allata ad exponendam immediatè definitionem motus, ſed ad explicandam naturam eorum motuum, qui contrario progrediuntur modo, atque ij qui propoſita definitione immediatè comprehenduntur. Quòd ſi nomine actus, ſiue perfectionis, quæ in definitione motus qua genus ponitur, intelligantur etiam actus corruptiui, & vt ita dicam perfectiones corruptiuæ: quo pacto dicimus, ea perfectiùs decreſcere, aut remitti, aut denique corrumpi, in quibus maior imperfectio formæ habitæ acquiritur: tum demùm dici poterit hoc genus motuum in definitione tradita comprehendi, exempláque omnia ab Ariſtotele tradita ad eam explicandam immediatè ſpectare.

*Dilutio tertiæ.*

*Ex Ariſtotelis ſententia per motũ localem nullam formã inhærentem per ſe acquiri.*

Ad tertium dicendum, Ariſtotelis ſententiam in loco citato eſſe, per motum localem nullam formam abſolutam, & rei mobili inhærentem acquiri, niſi fortè per accidens, vt cùm ſagitta ex motu calefit: acquiri tamen formam abſolutam extrinſecus quodam modo informantem, nempe locum ipſum Ariſtotelicum, vt in motu recto, aut aliquem modum exiſtendi in illo, vt in motu circulari. Non loquitur enim Ariſtoteles de motu locali, qui in vacuo ſpacióve aliquo inani, virtute diuina fieri poteſt, vt ſi totus hic mundus per inania ſpacia, quæ extra cœlum ſunt, aliò transferretur, ſed de eo qui fieri ſolet in rerum natura, qui ſemper fit ad locum verum acquirendum, aut in vero loco & reali.

Adverte tamen ad motum qui fieri ſolitus eſt, non eſſe per ſe neceſſarium integrum locum, ſed ſatis eſſe locum quoad eam partem, ſupra quam, ſeu vt generalius dicam, iuxtà quam fit motus, vt

V. G. ad



V. G. ad motum anguis ſupra lapidem, aut nauis ſupra mare, ſatis eſt ſuperficies lapidis & maris, quæ infernè anguem, nauémque continent. Nam etſi ſupernè, & ex lateribus deeſſet ſuperficies, nihil minùs illa mouerentur: acquirerent enim paulatim eam ſuperficiem ſuprà quam mouentur. Eadem ratione vt perpendiculum deſcendat iuxta parietem, & formica ſupina moueatur ſub fornicem, ſatis ſunt ſuperficies, non ſuprà quas (ſi propriè loquamur) ſed iuxta quas mouentur, parietis inquam, & fornicis: quandoquidem aliæ partes loci circundantis neceſſariæ non ſunt ad eiuſmodi motus.

*Motus primi mobilis etiã apud Ariſt. vt ſit poſitiuus.*

Qvare cum obiicitur primum mobile non contineri loco, vt in eo moueri poſſit, miſſis nunc variis de hac re opinionibus, concedendum id quidem eſt ſecundum Ariſtotelem, ſi nomine loci intelligatur integer locus: ſed negandum ſi intelligatur locus quoad partem eius neceſſariam ad motum localem: mouetur enim ſupra ſuperficiem conuexam inferioris orbis, à qua infernè continetur, quæ ſuperficies dici poteſt locus primi mobilis, ſi nõ totalis, certè partialis. Nec obeſt quod ea ſuperficies non eſt immobilis, vt ſuper eam primum mobile moueatur acquirendo & relinquendo continenter partem poſt partem: nam etſi non eſt immobilis abſolutè, eſt tamen immobilis quatenus incidit cum ſuperficie, vt ita dicam ſpacij, quæ deſignatur inter ſpacium quod primum mobile occupat, & quod occupat ſecundum mobile: eſt enim ea ſuperficies omnino immobilis, quemadmodum & ſpacia inter quæ deſignatur. Ac ſi ſemper res ipſas vt ſunt, non vmbras rerum philoſophando conſectaremur, dicendum ſanè eſſet locum ad quem, & in quo fit, & quacumque ratione fieri poteſt localis motus, eſſe aut ſuperficiem imaginariam, quæ circundat quodlibet ſpacium aut ſpacium ipſum quod mobile paulatim occupat, vel in quo paulatim mouetur: hæc enim eſt vera & irrefragabilis ſentẽtia de loco, ad motum localem per ſe, & ex neceſſitate requiſito. Verùm quia nec ſuperficies imaginaria quæ circundat quodlibet ſpacium nec ſpaciũ ipſum eſt res vlla vera & realis: iccircò Ariſt. reſpiciẽs ad motus qui fieri ſolent, cernenſq; ſemper in eis acquiri aliquid reale extrinſecum, nempe ſuperficiem corporis continentis, meritò hanc ipſam appellauit locum, non tamen abſolutè, ſed quatenus eſt immobilis, hoc eſt, quatenus incidit in immobilem ſuperficiem imaginariam, qua ſpacium mobilis continetur, quamuis ipſa realis ſuperficies moueatur, & fluat circa mobile, veluti ſuperficies aëris, aut aquæ circa rupem.

*Vera & irrefragabilis ſententia de loco ad motum localem per ſe requiſito.*

*Cur Ariſtot. per externam ſuperficiem definierit motum localem.*

Neque enim probamus ſententiam eorum qui immobilitatem loci conſtituunt in reſpectibus quibuſdam ad ea quæ immobilia ſunt in rerum natura: ad centrum, inquam, terræ, & polos, ſeu vertices mundi. Nam cùm neque iſtæ ſint res veræ ac reales, facillùs eſt reſpicere ad ſuperficies imaginarias ſpacij, quæ tot ſunt, quot loci veri & reales, & non remotæ ab illis: præſertim cùm ſublatis etiam verticibus mundi & centro terræ, adhuc ſuperficies ſpacij ſatis eſſent, vt reales ſuperficies continentes mobile, dicerentur ratione illarum immobiles.

*Loci immobilitas vnde petenda.*

*Quid orbes cœlestes sub primo mobili per motum acquirant.*

Ex his patet quid ad cætera quæ in eodem argumento continentur respondendum sit. Nam orbes cœlestes qui sub primo mobili continentur, etsi non acquirunt nouum locum, acquirunt tamen nouum modum existendi in illo, cùm eorũ partes continenter moueantur, aliúmque & alium situm habeant, tametsi hoc intelligendum est de orbibus iis qui deferentes appellantur: quandoquidem ij omnes sunt concentrici terræ, ac mundo, non de eccentricis & epicyclis, qui locum re vera mutant. Is autem motus qui in vacuo fieri potest, non est per se ac directò considerationis Physicæ, cùm nullus sit in rerum natura: tametsi Aristoteles propter quosdam ineptè philosophantes, qui illum admittunt, aut potiùs necessarium esse dicunt, cogitur de eo peculiarem disputationem instituere. Demùm quod obiicitur de loco vero qui non pedetentim, sed in instanti acquiritur, nihil conficit: iam enim diximus locum qui necessarius est ad motum localem, & qui semper dum mobile mouetur, partim acquisitus est, partim acquirendus esse superficiem, iuxtà quàm fit motus, licet ea non sit totalis locus, sed partialis.

*Eccentricos orbes, & epicyclos mutare locum.*

*Motum in vacuo non esse per se considerationis physicæ.*

*4. lib. Phys. c. 8. à tex. 64.*

*Responsio ad 4. Acquisitio propriè.*

Ad quartum dicito motum vt motus est, seu vt est acquisitio quædam continua non conuenire acquisitionibus formarum, quarum id, quod priùs acquiritur, non manet cum eo quod posteriùs acquiritur. Hoc enim pacto forma dum acquiritur, non est imperfecta respectu sui ipsius, postquam acquisita est, immò dum acquiritur, tunc est: cùm autem acquisita est iam non est, quia vt pedetentim acquiritur, ita pedetentim labitur. Hac de causa dicimus acquisitionem motus & temporis non esse motum, quia id quod motus & temporis priùs acquiritur non permanet cum eo quod posteriùs acquiritur, sed cum ipsa acquisitione continenter fluit. Vnde nec propriè motus, nec tempus dicuntur acquiri, sed formæ ad quas est motus, dicuntur acquiri per motum & in tempore: at quia quantitas quæ priùs in augmentatione acquiritur: permanet cum ea quę posteriùs acquiritur & qualitas quæ in alteratione similiter, eodemque modo existentia in loco priùs acquisita cum existentia in loco posteriùs acquisita (in quem enim locum totalem priùs ingrediuntur partes anteriores, in eundem consequenter ingrediuntur posteriores, nondum egressis anterioribus) iccircò dicimus continuam acquisitionem quantitatis, qualitatis ac loci comprehendi in definitione motus, vt motus est, & esse propriè acquisitiones continuas. Quod idem dicendum est de acquisitione substantiæ ratione præuiarum disputationum.

*Acquisitiones motus, & temporis cur non sint motus.*

*Cur ad relationem, actionem & passionem, ac Quando non fit per se motus.*

Hinc autem iudicare possumus nec ad relationem, nec ad actionem, passionémve, nec ad Quando esse motum propriè dictum, siue vt motus definitus est 3. Phys. tametsi sumpto motu pro qualicumque mutatione, vt nonnunquam sumitur, in omnibus prædicamentis motus concedi possit, quemadmodum & mutatio. Nam quòd ad ista non sit motus propriè dictus: ex eo patet quia relatio quæ priùs acquiritur in motu, non manet cum ea quæ posteriùs acquiritur, vt maior inæqualitas, aut similitudo, aut propinquitas cum minore, aut minor cum maiore: vt patet, alioqui idem simul esset magis, ac minùs inæquale

*Tex. 6. & 16. & 23.*



quale, similiùs & minùs simile, propinquiùs & minùs propinquum. Idem cernere est in actione & passione, ac Quando. Nam nec partes prioris actionis, aut passionis, aut temporis cum posterioribus permanent, quemadmodum nec partes ipsius motus cum quo actio, passio, & tempus re ipsa sunt idem.

At de situ, & Habere alia ratio est. Nam cùm situm esse, nihil aliud sit quàm partes corporis hoc vel illo modo se habere ad partes loci, seu spacij: quemadmodum id quod partes priùs acquirunt spacij permanet cum eo quod posteriùs acquirunt, ita & id quod acquirunt situs. Item cùm Habere idem sit quod substantia aliqua externa aut omnino, aut aliqua ex parte circundari, & quodammodo informari: non dubium est quin id vestis, aut ornamenti, aut armorum, quod priùs applicamus corpori, cùm induimur aut ornamur, aut armamur, permaneat cum eo quod posteriùs apponimus, vt patet: cùm pileum imponimus capiti, aut chirothecas manibus induimus. Non docet tamen Aristoteles speciatim ad hæc duo prædicamenta esse motum, quia situs re vera pertinet ad prædicamentum Vbi, vt superiùs tetigimus & inferiùs ostendemus: licèt vulgari quadam consideratione peculiare prædicamentum conficere videatur. Habitus autem est compositum quippiam ex multis entibus: ex substantia, inquam & qualitate figuræ, quod vt suo modo acquiritur, vnus actus entis in potentia dici non potest. Quòd si habitus pro sola externa substantia circumposita sumatur, habere quidem poterit eius acquisitio rationem motus: verùm is motus ad localem reuocabitur, quia vel acquirens habitum mouebitur ad habitum, vt pes cùm se ingerit in crepidam immotam, vel habitus ad acquirens illum, vt pileus ad immotum caput: vel vtrumque ad locum medium; vt cùm vestem, aut chirothecas induimus, nosmet ad habitum, habitúmque ad nos ipsos applicantes. Dixi porrò huiusmodi acquisitionem substantiæ extrinsecus appositæ reuocandam esse ad motum localem, non autem esse formaliter motum localem: quia neque acquisitio loci pro superficie accepti habet rationem localis motus, nisi quatenus superficies quæ continet locatum est immobilis: quo pacto spectat ad prædicamentum Vbi, ad quod pertinet motus localis.

*In situ, & Habere diuersa ratio ostenditur.*

*Cur non doceat Aristoteles ad sit, & habitum esse per se motum.*

*Cap. 7. q. 2. sect. 5.*

*Prædicamentum habitus esse compositum ex multis entibus.*

*Cap. 2. à tex. 10.*

Aliis rationibus probat Aristoteles in 5. Phys. ad substantiam secundum se, ad relationem, actionem & passionem non esse motum. Ad substantiam quia motus non est nisi inter contraria, substantiæ autem nihil est contrarium. Ad relationem, quia relatio acquiritur sine vlla mutatione subiecti: fieri enim potest vt Socrate non mutato sed solo Platone, Socrates incipiat similis esse Platoni. Ad actionem autem & passionem quia sunt realiter ipse motus. Nam quod ad motum non sit motus, nec ad mutationem, mutatio, ipse luculenter & copiosè ostendit 5. Phys. cap. 2. Cur autem de situ, de Quando & Habere nihil addiderit, ex iis quæ diximus, colligi poterit.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Examinantur obiter duæ rationes Aristotelis, & soluitur quintum argumentum.*

## SECTIO V.

*An rectè probauerit Aristot. ad substãtiam, & relationem non esse motum.*

SED videtur Aristoteles eo loco non rectè probare ad substantiam & relationem non esse motum. Nam quemadmodum substantia contrarium non habet, ita nec lumen, & tamen intensio luminis est verus motus. Relatio item cùm sit forma adueniens & recedens aliter habere facit subiectum, quàm priùs habuerit: quonam pacto dici potest aduenire sine subiecti mutatione. Quod si Aristoteles cum ait relationem aduenire posse sine subiecti mutatione, accipit mutationem pro motu propriè dicto, hoc ipsum erat probandum.

*Explicatio dubitationis propositæ. Substantiæ nihil esse contrarium quo pacto intelligendum.*

HÆC etsi longiori disputatione indigent, tamen pro ratione loci breuiter hunc in modum dilui possunt. Cũ substantiæ negatur quicquam esse contrarium, non solùm de contrario specie diuerso, cuiusmodi sunt calor & frigus, intelligendum est, sed etiam de contrario in eadem specie, quo pacto maior quantitas dicitur contraria minori, & intensior qualitas minùs intensæ. Substantia enim non solùm non habet contrarium specie diuersum, cui vicissim succedat in eodem subiecto: sed etiam quia non haber per se extensionem aut intensionem, non potest haberę contrarium in eadem specie, vt pedetentim acquiri possit. At lumen etsi non habet contrarium priori modo, habet tamen contrarium posteriori, quia potest esse magis & minùs intensum. Vnde & intentio & remissio luminis sunt veræ alterationes, veriq; motus, tametsi interdum negantur esse alterationes, vel quia non sunt alterationes ad generationem ordinatæ, vel quia cum lumen non habeat contrarium priori modo, seu propriè dictum, ex accidenti euenit, vt per motum fiat intensius: nempe quia illuminans pedetentim accedit ad id quod illuminatur. Si enim illuminans à principio motus poneretur, vbi est in fine motus, tota intensio luminis in instanti produceretur quia non habet contrarium propriè dictum, quod intensionem retardet. Atque hæc de priori ratione Aristotelis.

*Mutationis triplex acceptio.*

PRO defensione autem posterioris aduerte, mutationem tribus modis sumi posse. Vno latissimè pro quacunque varietate, qua subiectum aliter habeat quàm priùs, & hoc modo non dubium est, quin ac quisitio cuiuscumque relationis realis sit mutatio, etiamsi nihil sit, 1 quod tunc agat in subiectum: vt si Socrates sanus fiat similis Platoni ægroto, sola medicina agente in Platonẽ. Altero pro sola mutatione, 2. quæ est vera actio & passio: cuiusmodi est sanatio Platonis, ad quam in Platone ac Socrate resultat mutuò similitudo sanitatis. Atque hoc modo volunt grauissimi Auctores, nobisq; placet generationem momentaneam, nempe ipsam formæ substantialis introductionem non esse mutationem: quia in eo instanti iam non agit generans, sed actionem terminat, resultante nimirùm forma ex actione præuia. Dixi autem, *formæ substantialis*, quia momentanea formæ accidentalis introductio,

*D. Thomæ 2. contra Gent. c. 17. ad finẽ.*



actio, quemadmodum potest esse vera actio & passio, vt momentanea illuminatio, ita potest dici vera mutatio in hac significatione. Hoc autem modo verum est quod Aristoteles ait, relationem acquiri posse sine vlla mutatione subiecti, in quo est, nempe sola mutatione alterius. Tertio modo sumitur mutatio pro ea tantùm, quæ non solùm 3. est vera actio & passio, sed etiam verus motus quæ est valdè pressa & restricta mutationis vsurpatio. Possunt hæc distingui in generatione ignis, cùm ex silice in tenebris excutitur. Nam attritio silicis, & attenuatio, ac calefactio particularium, ex quibus scintillæ gignuntur, est mutatio & primo, & secundo, & tertio modo cùm sit vera actio verúsque motus. Inflammatio verò ipsa seu formæ ignis introductio, etsi est mutatio primo modo, non est tamen secundo, nec tertio, quia nõ est actio, sed actionis terminatio. Illuminatio autem aëris circunstantis, etsi est mutatio primo & secundo modo, cùm sit vera actio, nec terminet vllam præcedentem actionem: est quidem mutatio primo & secundo modo, sed tamen non tertio, quia fit in instanti. At similitudo quæ in eodem instanti resultat tam in aëre circunstante, qui tenebrosus erat quàm in aëre qui alibi erat illuminatus, etsi est mutatio primo modo, non tamen est secundo nec tertio, quia vt resultat in aëre quantumcumque remoto sine eius mutatione secundo modo sumpta, ita & in propinquo non ex vi talis mutationis, nisi per accidens.

*In generatione ignis à silice triplex mutationis acceptio ostenditur.*

CVM igitur Aristoteles ex eo probat ad relationem non esse motum, quia relatio potest acquiri sine subiecti mutatione, neque accipit mutationis nomen primo modo, nec falsum assumat, neque item tertio quia incurreret vitium petitionis principij, sed secundo, quo pacto rectè concludit. Nam cùm omnis motus sit actio, licet non vice versa: rectè ostenditur non esse motum ad relationem: quia relatio potest aduenire subiecto sine subiecti mutatione secundo modo sumpta. Sed iam ad institutam argumentorum solutionem reuertamur.

*Explicatio Aristot. cum probat ad relationem non esse motum.*

AD quintum argumentum dicendum est, reduplicationem illam, *vt in potentia*, non esse additam ad verbum *actus*, sed ad verba, *entis in potentia*, vt ex iis quæ ab Aristotele dicuntur perspicuum est. Subdit enim, *vt alterabilis, quatenus alterabile est, &c.* & infrà: *vt mobilis quatenus mobile est, &c.* Quamuis autem verba in definitione formaliter intelligenda sunt: sæpe tamen quia aliter accipi possent, reduplicatione adhibita explicari solent, quod in definitione motus accidit. Nam quia priora definitionis verba sic intelligi possent, quasi diceret Aristoteles motum esse formam eius quod illam habere potest, qua tantùm ex parte illam habet, iccircò additum est, vt in potentia est, hoc est, quatenus adhuc illam habere potest, vt intelligeremus motum non esse actum iam omninò existentem, in re mobili, sed partim existentem, partim qui immediatè pòst, siue continuato progressu ab imperfecto ad perfectum in eo eo existet. Atque hæc de motu dicta sint.

*Quinti argumenti solutio.*

*Definitionis motus declaratio.*

NVM

## NVM TEMPVS SIT VERA SPECIES QVANTITATIS.

## QVÆSTIO X.

*Quod tempus non videatur vera species quantitatis.*

### SECTIO I.

*Argumenta partis negatiuæ.*

QVOD demùm attinet ad tempus, quod Aristoteles in Prędicamentis extremo loco inter species quantitatis numerauit, hæc sunt potissimum argumenta, quæ illud ab hoc prædicamento videntur excludere.

1. PRIMVM quia tempus definitur *numerus motus secundum prius & posterius*, vt patet ex 4. libro Phys. cap. 11. numerus autem non est vera species quantitatis, nisi vulgari quadam ratione, vt suprà dictum est. *Tex. 100. & 101.*

2. SECVNDVM quia si numerus non est excludendus à veris speciebus quantitatis, cùm tempus definiatur numerus talis, saltem non erit tempus quantitas continua, cuius tamen species ab Aristotele in Prædicamentis ponitur.

3. TERTIVM quia si non esset animus, & præcipua eius vis quæ dicitur mens, qua numerarentur partes motus, nullum esset tempus, vt Aristoteles docet eodem Phys. libro, cap. 14. Quo fit, vt tempus non modò non sit species quantitatis, sed ne ens quidem reale, cùm pendeat ab apprehensione intellectus. *Textu 131.*

4. QVARTVM quia tempus est quantum per accidens, vt Aristoteles hoc loco affirmat, nec solùm affirmat, sed etiam ex eo probat, quia ideò est quantum & continuum, quod motus sit quantus ac cõtinuus. Si ergo non est quantum per se, igitur nec vera species quãtitatis. *Textu 18.*

*Quatenus tempus sit vera species quantitatis.*

### SECTIO II.

*Explicatio partis affirmantis.*

PRO explicatione huius quæstionis aduerte, tẽpus duobus modis spectari posse: vno vt est duratio motus absolutè accepta: altero vt est duratio motus finita, certa, & nobis nota, vt sæculum, annus, mensis, dies, hora. Hac distinctione proposita, duabus conclusionibus facilè expeditur quæstio.

*Prima conclusio quæstioni respondens.*

PRIOR conclusio. Tempus priori modo consideratum est vera species quantitatis continuæ. Quæ conclusio ex eo probatur, quia tempus est ens reale per se extensum, ac peculiari ratione continuum. *Ens reale*, quia omnis motus circumscripta quauis apprehensione intellectus habet suam durationem. *Per se extensum, & peculiari ratione continuum*, quia si hæc haberet per accidens, ex eo maximè id proueniret quia esset extensum & continuum sola extensione, ac continuitate motus, cuius est duratio, at non ita res habet. Sępe enim videmus paruam extensionem continuitatémque temporis, cum magna est motus, vt si motus est cæler, sæpè etiam contrà cernimus magnam temporis, cùm parua est motus, vt si motus sit tardus: atque adeò in ipso cœlo, licet motus essent celeriores, aut tardiores, tamen eandem æqua-



æqualitatem suæ extensionis, continuitatísque seruaret. Alia igitur est extensio & continuitas temporis, alia motus: quo fit, vt tempus non sit & continuum extensione ac continuitate motus, sed sua propria & peculiari.

*Vt 3. Physic. 1. text. 2. & lib. 5. Physic. capit. 14. à tex. 129.*

AC de tempore hoc modo considerato intelligitur id, quòd sæpè ait Aristoteles, omnem motum fieri in tempore: siue enim motus sit finitus, vt motus lapidis, siue infinitus, qualem ipse putat fuisse motum cœli, quilibet sublata omni apprehensione intellectus, habet suã durationem atque ita fit in tempore, priori modo sumpto.

*Opinio nõ improbabilis de entitate temporis.*

QVAMQVAM verò non esset improbabile dicere, tẽpus hoc modo spectatum non esse extensionem distinctam ab extensione, & continuitate motus, sed esse illam eãdem, quatenus incidit in continuam extensionem temporis imaginarij quemadmodum locus realis non habet extensionem continuitatémve distinctam à continua extensione superficiei, sed illam eamdem, vt est immobilis, seu, vt incidit in superficiem aliquam imaginariam & signabilem spacij, vt superius diximus: tamen cùm nullum appareat incommodum, ponere vtramq; distinctam, ídque sit philosophica consideratione dignius: non est quòd à conclusione tradita recedamus.

*Indiuisibilia in motu & tẽpore quo pacto dentur.*

ADVERTE tamen quemadmodũ in media magnitudine non dantur indiuisibilia, nisi designatione, ita nec mutatum esse in medio motu, nec instans in medio tẽpore. In hoc tamen est discrimen inter ista: quòd iuxta communem Philosophorum sententiam, in magnitudine finita, & in tẽpore dantur actu indiuisibilia, non solum ex parte finis, sed etiam ex parte principij: in motu autem etsi datur actu mutatum esse ex parte finis, non datur tamen ex parte principij: repugnat enim *à text. 46.* dari primum mutatum esse, vt Aristoteles ostendit 6. Phys. lib. cap. 5. Quamquam verisimilius videtur indiuisibilia, quę dantur actu in fine motus, & in principio & fine temporis, esse entitates aliquas, sed meras negationes vlterioris quidem progressus quoad ea, quæ dantur in finibus motus & temporis: præcedentiæ verò, vt ita dicam, siue antecessionis quoad ea, quæ dantur in principio temporis.

*Secunda conclusio.*

POSTERIOR conclusio. Tempus posteriori modo spectatũ non est vera species quantitatis. Hæc facilè probatur, quia nulla duratio motus est nobis nota, nisi sit animo apprehensa, id autẽ quod pendet ex apprehensione animi, non est ea ex parte vera species quantitatis, cùm ea ratione nõ sit ens reale. De hoc verò tempore vt vulgatissimo *Ca. de quant. a cap. 10. & tex. 88.* loquitur Aristoteles in Prædicamentis cum ait, *Si quis doceat quanta sit actio, tempore sanè eam definiet, annuam videlicet, &c.* Et 4. Phys. lib. a eadẽ de causa de hac potissimum temporis vsurpatione differit.

*Solutio eorum, quæ pro parte negatiua proposita sunt.*

### SECTIO III.

*Soluitur argumentoum partis negatiuæ & explicatur tempore definitio.*

SVPERARE ad primum argumentum pro parte negatiua dicendum est, tempus posteriori modo consideratum esse *numerum motus*, hoc est motum numeratum ab intellectu secundum prius & posterius, quæ sunt partes durationis motus: quo pacto sæculum est motus numerus centũ annis, annus duodecim

mensibus,mensis diebus 30.dies 24.horis,& sic alia minora tempora. Cur autem tẽpus non dicatur motus numeratus secundum quascunq; partes,sed secundũ priores & posteriores,hęc ratio,quia motus habet quasdam partes simul,vt motus totius hominis partẽ motus qua mouetur caput,& partem,qua mouetur pectus,&c. Verùm duratio harũ pattium,cùm simul sit,non constituit tẽpus,sed duratio partium motus sibi inuicem succedentium:vt pars, qua Socrates mouetur in hoc quadrante horæ,& pars qua mouebitur ia proximo quadrante.

*Cur tempus non dicatur numerus quarumcumque partium motus.*

*Lege D.Tho. Simpliciũ,& Themist. 4.Phys.text. 100.& 101.*

3. *An tẽpus appellandum sit numerus.*

Ad secundum dicẽdum,quæstionem esse apud Philosophos num tempus hoc pacto spectatũ simpliciter numerus appellari debeat,nec ne.In qua ij melius sentiunt,qui volunt non simpliciter esse appellandum numerum.Sola enim multitudo quantitatum continuata simpliciter vocatur numerus:partes autẽ durationis motus non sunt multę quantitates,sed solũ concipiuntur vt multæ. Dicitur tamen numerus motus,quasi motus numeratus,aut,vt Scotus ait,quasi mẽsura motus: ait enim numerum in definitione temporis accipi pro mensura.

*Cur dicatur numerus motus.*

3. *Sublata mẽte annus quomodo esset, vel non esset.*

Ad tertium eodem modo respondendum est. Nam si non sit animus,non erit tempus posteriori modo spectatum. Sed quid?Nónne sublato animo,adhuc esset annus,mẽsis, & cætera huiusmodi tẽpora? Essent quidem hæc omnia quoad id,quod materiale est in huiusmodi temporibus,non autem quoad id,quod est formale, Quanquam nec quoad materialia,ista essent distincta inter se,vt diuersa tempora,sed vt partes totius temporis priori modo accepti:cùm tamen ab animo sumantur vt diuersa tempora,& actu distincta inter sese.

4. *Tempus cur dicatuo ab Aristotele quãtum per accidens.*

Quartvm, quod contta vtramque vsurpationem temporis videtur pugnare,ex supradictis facilè dissoluitur.Dicitur enim tempus in loco citato esse quantum per accidens,quasi per aliud:idque ea ratione,quia continuitas temporis pendet à priori ex continuitate motus, quemadmotum & continuitas motus ex continuitate magnitudinis,supra quam fit.

---

## *SIT NE IDEM NVMERO TEMPVS in rebus,quæ mensurantur tempore an diuersum.*

## QVÆSTIO XI.

*De hac materia lege Ocham.in 2.q. 12. Gabr. in 2.dis.2.q.1. Capreo.in 2. distin. 2.q.2. Simp.4.Phy. in text. 102. com.107.& in text.132. & in sua digressione de tempore ad finem.*

### *Quid in hac re satis sit dicere.*

### Sectio I.

*Esse vnũ numerũ tempus quæ ratio suadeat.*

Quærat porrò aliquis sit ne tempus vnum atque idem numero in omnibus rebus,quæ tempore mensurantur, an verò diuersa: rationes enim vtrinque pugnant.

Nam quòd sit numero vnum,planè suadet communis loquendi consuetudo. Dicimus enim in eadem hora alios nasci, alios mori, alios ridere, alios plorare,&c.Quòd si locutionem hanc nõ sic vsurparemus,quasi sensus esset in hac eadẽ numero,sed in hac eadem specie: eodẽ modo dicere



*4.Phys.Alb. Mag.3.Phys. tract.3. c.17. D.Tho. in 4. Phys. in tex. 132. lect. 23. & in 2. d.2. quæst.1.ar.2. Heru. in 2.d. 2.quæst.2. 24.Phys.ca. 14.textu 132. & 134.*

dicere possumus idem animal posse per totam eandem horam dormire & vigilare,calere & algere quia per totam eandem specie.

*Quæ dissuadeat.*

Quod verò non sit vnum numero,sed plura,suadent ea quæ in superiori quæstione diximus.Nam si tẽpus est duratio motus, nec eius modi duratio à motu reipsa differt,vt re vera dicendum est: quot numero motus simul fiunt in mundo , tot numero tempora sint necesse est.Accedit quod a Aristoteles eodem modo vult in diuersis rebus esse idem tempus,quo idem denarius est in decem hominibus & in decem canibus,at in his non est idem denarius numero,sed specie tantũ.

*Dubitationis explicatio.*

In hac dubitatione si id dicere tantùm volumus, quod vtcumque satisfaciat, hac distinctione breuiter respondendum est: re quidem vera multa numero dari simul in rerum natura, vt probat secundum argumentum,eiusq; confirmatio:sed tamen quasi per antonomasiam in solo motu primi mobilis esse tempus, quia motus ille celerrimus est,cæterisq; dominatur, & omnium maximè sibi constat. Atque hac hac posteriori vsurpatione dicere solemus in hac eadem hora alios nasci,alios mori,&c.quod in primo argumento sumpsimus. Semper enim id referimus ad certam moram diurni motus, vt patet ex horologiis manuariis,quibus nos aliquam moram cœlestis motus indicamus.Itaque non simpliciter dicendum est, in solo motu primi mobilis esse tempus indifferenter acceptum pro quouis tempore, cùm vnusquisque motus suam habeat moram durationémve successiuam: alioqui cùm cœlum non mouebatur Iosue duce bellum gerente cum Chananæis, nullus motus qui tunc erat habebat durationem suam.

*Aliter tamen D.Tho. opus. 35. capit. 2. Iosue cap.10.*

*Tempus primi mobilis propter æquabilitatem,primitatémque suam, vt sit mensura primaria, atque vnica.*

Sed tamen si sermo sit de tempore præcipui motus, qui propter primitatem, æquabilitatémque suam potest esse aliorum mensura, dicendum est vnum tantùm numero esse tempus in rebus omnibus, quæ mensurantur tempore: ita tamen vt dicatur esse in motu primi mobilis tanquam mensura eius interna (est enim idem re cum motu primi mobilis) in cæteris autem motibus accommodatione quadam ac denominatione extrinseca. Hoc ferè dici conuenit in hac dubitatione,satisq; vtcumque est propter excellentiam motus primi mobilis cursúmque naturalem in rebus à Deo institutum.

### *Quid in hac re simpliciter dicendum esset.*

### Sectio II.

*Aliud tẽpus esse quærendũ à tempore primi mobilis, quod sit mẽsura.*

Verum simpliciter & absolutè quia primùm mobile potestate diuina celeriùs aut tardiùs moueri potest: immò etiam à motu cessare,vt accidit vnius diei spacio prædicto ducis Iosue tempore, & post diem vniuersalis iudicij eueniet: aliud tempus quærendum est, quo mensurentur omnes motus, quotquot simul fiunt in mundo, & fieri possunt omnésque quietes.

Ac videtur sanè idem dicendum de tẽpore vno & eodem, atque de vno & eodem loco. Vt enim dicimus locum V. G. huius turris semper esse vnum & eumdem, non propter superficiem circundantem, quæ penè continenter est alia atque alia, sed propter spacium

*Idem de tempore vno, ac de loco vno esse dicẽdum.*

extensiuum vnum & idem, quod turris constanter occupat: ita par est dicere simpliciter & absolutè omnes motus, qui simul fiũt, propterea fieri in eodem tẽpore, quia fiũt in eodem spacio successiuo: & quemadmodum, vbi deest superficies, qua corpus circundetur, ipsum nudũ spatium extensiuum, superficiéq; imaginaria, quæ illud circundat habet rationem loci: ita vbi deest motus, ipsum spacium successiuũ, quo mobile nõ mouetur, habet rationem temporis: & hoc est tẽpus, quod per se est necessarium in omni motu, & in omni quiete, siue propria, qualis erit ea, qua cœli quiescent post vniuersalis iudicij diem, siue impropria cuiusmodi fuit illa, quæ mundi creationem præcessit: fuit enim ab omni æternitate, fuitq; à parte posteriori minor aut maior, si Deus ante, aut post mundum condere statuisset.

*Duo esse tempora vniuersalia.*

Ex his colligimus duo esse tempora vniuersalia, quibus mensurantur omnia, quæ tempori subsunt: vnum reale, quod est idem re cum motu primi mobilis, quod D. Paulus appellat tempus sæculare, cum ait, *Non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora secularia.* Et Angelus in Apocalypsi Ioannis, cũ iureiurando confirmat aliquando non amplius tempus futurum: alterum, quod dici solet imaginarium, non quod ab imaginatione pendeat, quasi nullum sit, nisi quatenus illud imaginamur, vt Chimæra, aut sphynx, sed quia nihil reale est, sed sola capedo vt ita dicam, motuũ omnium: quemadmodum locus, qui imaginarius dicitur, nihil est aliud, quàm capedo omnium corporum. 2 *ad Tim. 1. b. Apoc. 10.*

*Tempus reale à tẽpore imaginario complementum accipere.*

Colligimvs etiam, tempus reale à tẽpore imaginario accipere cõplementum suę rationis, quemadmodũ locus realis ab imaginario. Nam vt locus realis accipit immobilitatem à spacio extensiuo, vt ex dictis patet: ita tempus reale accipit peculiarem prioritatem & posterioritatem à spatio successiuo, quod hinc intelligi potest. In omni re successiua datur prius & posterius, alioqui tota simul esset ac proinde non successiua: sed hoc est discrimen in motu & tẽpore, quòd in motu satis est, vt aliquid præcedat, & aliquid sequatur, siue citius, siue tardius: id enim tantùm requiritur, vt forma pedetentim acquiratur: nec minor deambulatio est in ratione motus ea, qua conficitur leuca in semihora, quàm qua conficitur in hora. At in tempore necesse est, vt initiũ & finis, ac proinde media omnia sint, fixa & certa distantia successiua inter se disiuncta: alioqui non erit idem tempus, sed maius aut minus. Si enim duplo remotiores sint termini tẽporis, duplo quoque maius erit tempus: si duplo propinquiores, duplo minus. Itaq; tempus idem nec extendi, nec contrahi potest, cum motus idem & longior interdum sit, interdum breuior pro ratione viriũ mouentis, aut dispositionis rei mobilis.

*Definitio tẽporis exponitur.*

Cùm ergo tẽpus reale definitur esse motus numeratus, siue mensuratus secundũ prius & posterius, necesse est vt prius & posterius sumantur fixa & certa, ac proinde non sumantur ex ipso motu, quatenus motus est, sed ex spacio successiuo, quod ratã semper & certam habet successionem, & quæ nulla potentia, etiã (vt ita loqui liceat) diuina extendi, aut contrahi potest. Nam etsi Deus potest efficere, vt motus Solis in Zodaico celeritate contrahatur, aut tarditate extendatur:



extendatur: attamen vt spacium, quod nunc Sol annuatim conficit, fit minus aut maius, fieri nullo modo potest. Si enim contrahi posset aut extendi, aliud spacium successiuũ quærendũ esset, quo eius contractio aut extensio mensuraretur, & pari ratione aliud rursus, quo huius contractio & extensio, atq; ita deinceps in infinitum: non habet ergo tempus reale propriæ rationis complementum, nisi à spacio successiuo.

*Motus Solis in Zodiaco, vt possit aut protrahi, aut contrahi.*

Illvd etiam hoc loco aduerte, etsi tẽpus reale vnum & idem est in solo primo mobili, vt subiecto inhæsionis, tamen ab aliis inferioribus motibus accipere distinctionem, quam ei animus applicat. Nam à motu Solis distinguitur in dies natutales & artificiales, ac oppositas noctes, in annos, in lustra, in indictiones, in iubilæa, in sæcula. A motu autem lunæ in menses, in accessus & recessus maris, hoc est in moras illas, quibus mare accedit ad nos, & à nobis recedit: eodémq; modo distinguitur in alias partes diei, vt in horas æquales, quibus nos vtimur, & inæquales, quibus Iudæi vtebantur: inæquales, inquã, nõ vnius tantùm diei, sed vnius diei cum horis alterius diei comparatis: in qua horarum æqualium distinctione vmbrarum motu, aut arenæ aquæve cadentis, aut ponderum, aut recurrentium virium vti consueuimus.

*Distinctio tẽporis quæ sit ab animo in dies, annos, lustra, &c.*

*Tempus metiri motum vel accommodatione, vel repetitione.*

Denique illud aduerte, tempus duobus modis posse metiri motum: vno accommodatione sui totius toti motui, quo pacto dies metitur motum diurnum: altero repetitione, qua ratione annus metitur sæculum, mensis annum, dies mensem, hora diem, sempérque minora tempora maiora, in quo genere non datur minima mensura, nisi sensu, aut lege, vt in ponderibus & sonis, cæterisque rebus, quæ in infinitum diuidi possunt.

---

## *QVA RATIONE TEMPVS differat ab æuo & æternitate.*

## QVÆSTIO XII.

*Sententiæ quorundam refutatio:*

### Sectio I.

*Caussa tractandæ quæstionis.*

Qvoniam tempus conuenire dicitur cum æuo & æternirate, quod omnia sint durationes quædam, operæpretium erit, si hæc inter se distinguamus, præsertim cùm necesse sit intelligere, num æuum & æternitas habeant rationem quantitatis, ne vllas quantitatis species à nobis prætermissas esse quis reprehendat.

*Nominalium responsio reiicitur.*

Ac omittenda primum est Nominalium [a] responsio, quod confusione potius, quàm distinctione vtantur. Nam statim respondent, tempus esse ipsum primũ mobile, æuum ipsas res æuiternas, nempe Angelos, animas rationis participes & cætera creata, quæ tempori nõ subsunt, æternitatem esse ipsum Deum. Cùm autem eis obiicitur, nõ quæri ab eis rudi modo res ipsas, sed rationes formales: quibus hæc

[a] *Greg. in 2. d. 2. q. 1. Ocham. in 2. q. 12.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



inter se distinguantur, non minùs importunè ad connotationes quasdam suo more, id est, parum philosophico confugiunt.

*Veterum quorundam sententia, quæ D. Bonauenturæ placuit.*

VETERES quidam Scholastici (quos Diuus Thomas [a] refert, ac Diuus Bonauentura, etsi aliis verbis, tamen eadem sententia sequitur perpensa ipsa rerum natura, ista sic separant. Tempus esse durationem successiuam rei successiuæ, contrà verò æternitatem esse durationem permanentem rei permanentis, æuum autem quasi medium inter hæc esse durationem successiuam rei permanentis: quartam enim complicationem durationis permanentis rei successiuæ, vt planè impossibilem meritò prætermittunt. Quod autem æuum sit duratio successiua rei permanentis (nam cætera perspicua sunt) hunc ferè in modum probant, quia æuum est duratio creaturæ, non cuiusuis tamen, sed eius quæ in se non habet innouationem & veterationem (sic enim loquuntur, hoc est, successionem in suo esse, cuiusmodi est duratio Angeli, animæ rationalis, & materiæ primæ: at duratio cuiuscumque creaturæ necessariò est successiua, quod & testimoniis sanctorum Patrum, & ratione confirmant. Aiunt enim Patres hoc esse proprium Dei, non habere in sua duratione successionem præteriti & futuri. Ratio autem idem omninò ostendere videtur. Nam si in duratione alicuius creaturæ non daretur successio præteriti & futuri, idem esset in illa fuisse ac fore: quare cùm res quæ iam fuit, non possit non fuisse, non posset quoque non fore: ac proinde necessariò esset futura, quod est proprium diuinitatis.

*Vt à suis auctoribus probetur.*

*Primum ex aduersis arguit.*

CONFIRMARI quoque potest eadem sententia aliis quatuor argumentis. Vno quia duratio creaturæ nõ potest esse simul actu & potentia, esset autem crastina duratio V. G. huius angeli, aut animæ rationalis simul actu & potentia, si eadem esset omninò cum hodierna: quatenus enim est crastina, est potentia, quatenus hodierna, est actu.

2. Altero, quia si qua esset duratio creaturæ sine vlla successione, nõ posset vnius duratio maior esse quàm alterius: excessus enim durationis sine successione intelligi nullo modo potest: excessit enim altera res alteram duratione, vel quia cùm simul defierit, priùs illa cœperat, vel quia cum simul cœperit post illam desiit, vel quia priùs cœpit, & posteriùs desiit: vbi autem dãtur priùs & posteriùs duratione, successionem dari nemo dubitat.

3. Tertiò quia Angelus & anima rationalis habent durationẽ æui, vt omnes concedunt: at possunt successiuè habere contrarias affectiones, vt amoris & odij rei eiusdem, eadémque ratione consideratæ. Cùm ergo simul, id est, eadem duratione durationísque parte nulla res possit habere contraria, necessariò efficitur vt eorum duratio successione non careat.

4. Quartò, quia si duratio Angeli esset tota simul & sine successione vlla, cùm angelus duraturus sit in omne tempus futurũ, posset Angelus hodie futura contingentia quãtumcumque longè distantia non modò cognoscere, sed etiã intueri. Hac enim ratione subiicit [b] D. Thomas futura omnia intuitiuæ Dei cognitioni, quòd æternitas diuina sine vlla successione complectatur omne tempus futurum: at cognoscere futura contingentia est proprium Dei, habet igitur duratio Angeli successionem.

*Cognoscere futura cõtingentia Dei est proprium.*

HÆC

[a] *Lege Diuũ Tho. 1. p. q. 10. art. 5. Bonauent. in 2. d. 2. q. 3. Capr. ibidem, q. 2. Caiet. loco citato 1. partis. Hen. de Gãd. Quodli. 5. q. 13. Ægid. in tract. de Mẽsura angelorum. Dur. in 2. d. 2. q. 3. Scot. ibid. q. 1. & alios. Hanc opinionẽ tuetur D. Bonauentura in 2. d. 2. q. 3. Augus. lib. 9. confes. c. 10. & lib. 11. ca. 11. & trac. 5. de Cognitione veræ vitæ ca. 30. tom. 9. & tract. 2. in epist. Ioã. c. 2. Gregor. lib. 2. Moral. ca. 15. & li. 9. c. 26. & lib. 16. ca. 20. & li. 27. cap. 4. Cyrill. Alexã. lib. 7. contra Iulianum. Anselm. in monolog. c. 21. & alij.*

[b] *1. p. q. 14. art. 13.*



*D. Tho. 1. p. q. 10. artic. 5. & quodli. 10. art. 4. Hẽr. de Gãd. quolib. 5. q. 13. Ægid. in tract. de Mensura angelorum. Dur. in 2. d. 2. q. 3. Capr. ibid. q. 2. Caiet. in comment. 1. partis. q. 10. ar. 5. Richar. in 2. d. 2. q. 3 & reliqui fere Scholastici in 2. d. 2*

HÆC sententia, quàm quidam recentiores non parum probabilem existimant, merito à D. Tho. [a] Henrico, Aegidio, Durando, & reliqua fermè schola reiicitur. Primum, quia vbi non datur successio in re, nõ potest dari sncessio in duratione: duratio enim nihil aliud est, quàm continuatio, aut permanentia ipsius esse rei. Dico autẽ, *cõtinuatio*, propter res, quarum esse continenter fluit, *permanentia*, verò propter eas, quarum esse numquam fluit, sed semper idem perseuerat. 1. *Merito explicatam sententiam reiici à schola Theologica.*

DEINDE, quia duratio est mensura ipsius esse rei, mẽsura autem, etsi potest esse indiuisibilis, cùm mensuratum est diuisibile, nempè si illud metiatur per repetitionem, vt vnitas numerum; tamen nũquam potest esse diuisibilis, cùm proprium & immediatum mensuratum est indiuisibile. Tunc enim nec per repetitionem, nec per accommodationem illud metiri potest. Cùm ergo duratio successiua, seu quæ habet in se prius & posterius sit diuisibilis, esse autem permanens, quod non habet in se prius & posterius, sit indiuisibile, efficitur, vt æuum non sit duratio successiua, si esse rei, quod propriè & immediatè mensurat, semper eodem modo permaneat. *Duratio quid.* 2.

*4. lib. Phys. c. 11. tex. 99. & 100. & libro 6. Physic. c. 4. tex. 37.*

TERTIO, quia vt se habet duratio esse successiui ad esse successiuum, ita se habere debet duratio esse permanentis ad esse permanens: at in duratione esse successiui, quæ dicitur tempus, differentia prioris & posterioris nascitur ex differentia prioris & posterioris in esse successiuo, vt docet Aristoteles, cùm ait prius & posterius in tẽpore nasci ex priori & posteriori in motu: igitur si esse rerum quæ mensurantur æuo, non habet prius & posterius, neque ipsum æuum has differentias habere potest. 3.

QVARTO, quia si qua esset ratio, cur duratio V. G. angeli esse successiua, ipsum autem eius esse non esset successiuum, ea maximè videretur esse: quia actio, qua Deus conseruat esse angeli, esset successiua: at non est re vera successiua, quippe cùm esse, quod conseruat, & à quo vnitatem accipit, non sit successiuũ, vt supponitur: ergo fieri non potest vt duratio rei æuiternę sit successiua, esse autem illius permanens. 4. *Actionẽ, qua Deus conseruat esse angeli, non esse successiuam.*

POSTREMO, quia si duratio aliqua haberet partes, quarum aliæ aliis succederent, ipsum autem esse rei, cuius est duratio, non haberet eiusmodi partes: aliqua sanè duratio partialis, immo infinitæ præcedentes desinerent, & infinitæ subsequentes inciperent nullo desinente esse, aut incipiente siue totali, siue partiali: at intelligi nullo modo potest, quod duratio vlla siue totalis siue partialis incipiat aut desinat non incipiente, nec desinente aliquo esse, aut totali, aut partiali, non potest igitur vllo modo fieri, vt æuum sit duratio successiua, si esse rei æuiternæ non habeat aliquam successionem. 5.

QVAMQVAM ergo tempus distinguatur ab æuo & æternitate per hoc, quod est duratio successiua rei successiuæ, non distinguuntur tamen inter se æuum & æternitas, quoad illud sit duratio successiua rei permanentis, hæc autem duratio permanens rei permanentis, cùm ambo sint durationes permanentes, quemadmodum & res, quarum sunt durationes. *Concluditur positam dictionem non esse aptam.*

AD

*Soluitur ratio initio sectionis posita.*

AD rationem autem, quæ pro impugnata distinctione initio proposita est, negare oportet omnem duratinnem creaturæ esse successiuam, Patrésque vniuerse successiuam esse voluisse. Nam cum illi dicũt proprium esse Dei non habere in sua duratione successionem præteriti & futuri, sumenda est duratio pro duratione omnium, quæ in re sunt: est enim Dei proprium, vt nihil in eo sit successiuum, sed omnia permanentia, alioqui in eum caderet mutatio: at in creaturis æuiternis, etsi aliqua sunt permanentia vt earum essentiæ & proprietates: aliqua tamen sunt vel in se, vel sibi inuicem successiua, vt illarum mutationes, & plurimæ operationes. Cum autem obiicitur, si qua esset in creaturis duratio permanens, idem esset in ea fuisse ac fore, supponitur falsum: quandoquidem in duratione permanente non datur fuisse ac fore, seu præteritum & futurum, sed coexistentia cum præterito ac futuro: ita tamen, vt Deus quemadmodum propter suam independentiam non potest non coextitisse præterito, ita etiam non possit non coexistere futuro: creaturæ autem quæ à Deo pendent in fieri & conseruari, etsi postquam coextiterunt præterito, non possint illi non coextitisse, tamen simpliciter & potuerunt non coextitisse præterito, & possunt non coexistere futuro.

*Explicantur Patres dum asserunt esse Dei proprii, vt nõ habeat successiuam durationem. Deo nihil est successiuum, sed omnia permanentia.*

*Soluitur primum ex additis argumentis.*

AD primum verò ex adiunctis argumentis dicendum est, durationem permanentem non diuidi in hodiernam & crastinam, cùm non sit successiua, sed solum coexistentiam illius cum hodierna & crastina: at coexistentia non tantum rei æuiternæ, sed ipsius etiam æterni Dei est successiua, nec in coexistentia vlla cum tempore, idem est præteritum & futurum: sunt enim relationes quædam simultatis. vt ita dicam, cum tempore seu reali, seu imaginario, quarum aliæ aliis succedunt, quemadmodum & partes temporis, ad quas terminantur.

*Solutio. 2*

*Durationes æuiternorum cur maiores dicantur.*

AD secundum dicito, durationes æuiternorum, etsi in seipsis non habent extensionem, vt aliæ intrinsecus sint maiores, aliæ minores, sicut tempora ipsa, tamen quia coexistunt tempori reali aut saltem imaginario, possunt aliæ aliis vtcumque & ex accidenti dici maiores aut minores. Si tamen coexisterent soli instanti (quod nihil repugnat diuinæ potentiæ) tunc nulla esset maior, aut minor non solùm intrinsecus, sed ne extrinsecus quidem.

*3*

*Non omnes æuiternorum actiones mensurari æuo.*

AD tertium dicendum, res æuiternas quoad operationes suas non vniuersè mensurari æuo. Si enim moueant, aut moueantur, is motus mensurabitur tempore hactenus explicato, quod à Theologis dicitur tempus continuum: si verò operentur sine motu, singulæ quidem earum operationum, quia non habebunt intrinsecam successionem, non mensurabuntur tempore, sed aut æuo, aut instanti quodam alterius generis ab instanti temporario. Nam siquæ sunt, quæ suapte natura nunquam deficiãt, cuiusmodi sunt Diui Thomæ, eiúsque sectatorum sententia operationes, quibus substantiæ separatæ seipsas intelligunt, mensurabuntur æuo, quemadmodum & ipsæ earum essentiæ. Si verò suapte natura deficiant, vt approbatio boni & mali, variæque aliarum rerum intellectiones, mensurabuntur instanti quodam, quod possint coexistere, vel instanti temporario, vel etiam vero alicui tempori poterunt



terunt enim vel subitò transire, vt instans temporarium: vel durationem aliquam habere, ac proinde coexistere certo tempori continuo: durare enim nihil propriè dicitur, quod momentaneum est. Quod si loquamur de multis huiusmodi operationibus sibi inuicem succedentibus cùm omnis successio tribuatur alicui tempori, quemadmodum & differentiæ prioris ac posterioris quæ successionem faciunt, mensurabitur quidem earum multitudo tempore aliquo, verùm non continuò, sed discretò quia eiusmodi operationes non continuantur inter se, vt faciant aliquam per se extensionem, sed succedunt sibi inuicem sine continuatione, siue id fiat interiecto tempore aliquo, siue immediatè & nullo interiecto.

*Nihil momentaneum durare proprium dicitur.*

*Quæ actiones tempore discreto mensurentur.*

AD argumentum igitur dicendum est, Angelum & animam rationis participem posse habere successiuè contrarias affectiones, sed tamen in tempore discreto, licet id tempus discretum coexistat æuo Angeli, & animæ eiusmodi affectiones habentium. Itaque angelus & anima eadem duratione permanente possunt habere contraria: non tamen eadem coexistentia & parte coexistentiæ, sed alia & alia.

*Solutio 4. Cur Deus intueatur futura contingentia, non item angelus.*

AD quartum dicito, non quia Deus vtcumque complectitur duratione sua permanente tempus omne futurum, iccircò intueri futura contingentia, sed quia ex se, ac proinde independenter & necessariò illud continet. At angelum non ex se, nec independenter, aut necessariò complecti duratione sua permanente omne tempus futurum, sed quia eius esse (permanens tamen & minimè successiuum) ita conseruatur à Deo in toto futuro tempore, vt possit non conseruari, aut non tandiu conseruari. Vt enim cognitio intuitiua feratur in rem nobis futuram, oportet vt ipsa ex se cõplectatur illud tempus, nec expectet, vt ab alio conseruetur ac iuuetur in posterum: secus est de cognitione abstractiua certa, siue simplici scientia futurorum contingentium, vt alibi patebit.

*Apud D. Th. 1.p.q.10. art. 5. & alios. D. Tho. 1.p.q. 46. art. 2. & omnes Thomistæ. Gab. in 2.d.1.q.3. Greg. ibi. q.3. Idẽ quod attinet ad res incorruptibiles asserit. Duran. in 2. d.1.q.2.*

*Aliã esse rationem de cognitione abstractiua. Aliorũ sententia de distinctione temporis, æui, & æternitatis.*

*Vera explicatio quæstionis.* SECTIO II.

ALII volunt hac ratione distingui tempus, æuum, & æternitatem, quòd tempus habet principium & finem, contra æternitas, nec principium, nec finem: æuum autem veluti medium inter ea habet principium, sed non finem. Quæ sententia etsi vera dicit, potuit tamen aliter res habere, nec per se ista, sed per accidens distinguit. Nam etsi mundus principium durationis habuit: potuit tamen vt plerique volunt non habere quod si non habuisset, certè tempus & æuum angelorum materiæ primæ, ac cœlestium corporum principium non habuissent, sicq; ab æternitate non distinguerentur. Vnde patet, hanc distinctionem, etsi vera dicit, tamen non esse per se, sed per accidens: posset quoque similiter tempus non habere finem, tametsi finiendum est, & contra æuum, quod finiendum nunquam est, finem habere potest: quò fit, vt hac etiam ex parte nec tempus, nec æuum rectè, ac per se distinguantur ab æternitate. Vnde illud manifestum relinquitur, dari potuisse aliud genus du-

*Non omnino satisfacit.*

rationis, quod proposita distinctione non comprehẽditur, nempe habentis finem, sed non principium, si modo res aliqua creata ab æterno effici potuit. Quod si huius distinctionis auctores dicant se non loqui de tempore pro duratione successiua absolutè sumpta, sed de ea quæ à nobis certis finibus comprehenditur, vt de anno, mense, die, hora: neque item se disputare de eo, quod absoluta Dei potentia fieri potest, quo pacto concedimus æuum finiri posse, sed de eo quod poscit ipsa rerum natura, quomodo non conuenit æuo habere finem: primùm quidem omittunt tempus reale, ac præcipuæ considerationis in hac distinctione: deinde si vera est opinio eorum qui volunt mũdum, saltem quoad præcipuas res ab æterno esse potuisse, non minùs aptæ erant æuiternæ, vt ab omni æternitate essent, quàm vt inciperent in tempore. D. Thomas horum distinctione reiecta, hunc in modum ea distinguit. Cùm æternitas sit mensura rei omnino permanentis, quatenus aliquid recedit à permanentia essendi, eatenus recedit ab æternitate. Quædam autem ita recedunt à permanentia essendi, vt non solùm quoad ea quæ ipsis adiuncta sunt, sed etiàm quoad proprias substantias sint transmutabilia, vt ea quæ gignuntur & intereunt: atque horum mensura est tempus, quia tempus non solùm metitur existentiam motus, sed etiam ea quorum substantia est motui obnoxia, hoc est, aliquid patitur à motu. Quædam autem ita recedunt è permanentia essendi, vt ipsa quidem secundum substantiam non transmutentur quasi aliquid à motu patiantur, sed tamen habeant transmutationem annexam, vt corpora cœlestia, & cætera incorruptibilia, angeli videlicet, anima rationalis, & materia prima. Quãquam enim eorum substantia non est transmutationi obnoxia, habent tamen omnia trasmutationem annexam, vt cœli motum localem, & angeli operationes voluntatis aliàs aliis succedentes: atque horum est æuum tanquam medium quippiam inter tempus & æternitatem, quæ suo modo mesurat esse Dei qui non solùm est intransmutabilis quoad substantiam sed etiam quoad omnia quæ nostro intelligendi modo diuinæ substantiæ adiuncta sunt, nempe quoad omnes operationes immanẽtes. Nam quod transeuntes operationes à Deo profectæ mensurentur tempore aut æuo, nihil est incommodi, quemadmodum nec quod transeuntes & immanentes angelorum quæ non mensurantur æuo.

*D. Thomæ sententia.*

*D. Tho. 1. p. q. 10. artic. 5.*

*Hanc distinguendi rationem esse superiori præstantiorem.*

ATQVE est quidẽ hæc distinctio superiori melior & profundior, sed tamen adhuc non videtur rem prorsus attingere. Primùm quia distinguit has durationes ex adiunctis, non ex iis quæ ad ipsam formalem rationem durationum spectant. Quid enim attinet respicere ad operationes, cùm de mensura existentiæ ipsarum rerum, quæ operantur agitur? Præterea etsi res æuiternæ nihil operarentur, adhuc tamen earum durationis mensura distingueretur à tempore & æternitate. Oportet igitur in ea consideratione, qua existentia cuiusque rei præcedit existentiam operationum illius, de eius duratione differere.

*Cur tamen rem prorsus attingere, nõ videatur.*

*Vera & Germana diuisio durationis.*

DVRATIO igitur primũ diuidenda est in permanentẽ & successiuam. Nomine enim durationis in hac diuisione excluditur instans nostri temporis, tametsi impropriè nonnunquam à Theologis duratio appellatur. Duratio autem permanens, aut est dependẽs, aut independens: si independens, est æternitas: si dependens, aut ex se est defectibilis, aut solum per potentiam in alio: si solum per potẽtiam in alio, ita nimirum, vt naturaliter deficere non possit, appellatur æuũ, quod nomine tenus apud Græcos nihil differt ab æternitate: vtrunq; enim à semper existendo appellant ἀΐδια, quod verbum Latini vertunt & æuum, & æternitatem, eodem principio vocabulorum vtẽtes, sed vario fine, vt distinguant durationẽ diuinæ naturæ, à duratione aliarum rerum incorruptibilium: tametsi interdum etiam æterna vocamus ea, quæ errore quorundam initium durationis nec habuerũt, nec habitura sunt, aut disputationis gratia semper fuisse, sempérque fore supponimus: quamquam melius hæc dicuntur ab æterno fuisse, & in æternum fore, quasi veræ æternitati coexistentia. Si verò duratio permanens est ex se defectibilis, cùm illa tempus dici non possit, quia non est successiua, neque item æuum, quia defectibilis ex se: reliquũ est, vt quia transit, nec successiuè transit, instans siue momentum permanens appellari debeat, vt vocatur à Thomist. [a] Sco. [b] haud iure repugnante, qui æui potius nomine appellandam censet. Quod si duratio sit successiua, aut erit continua, vt pote ex partibus successiuis cõposita, & dicitur tempus continuum, de quo Physici [c] agunt: aut discreta, quæ componitur ex partibus non successiuis, sed tamen sibi inuicem succedentibus, & appellatur tempus discretum, de quo Theologi [d] potissimùm: quale est tẽpus, quo D. Tho. sententia mensuratur successio plurium operationum immanentium cuiusque Angeli.

*Lege Simplicium in primũ lib. de Cælo in tex. 100.*

*a Vide D. Tho. opuscul. 36 c. 1. Caiet. 1. p. q. 10. art. 5. Capr. in 2. d. 2. q. 2.*

*b Scot. in 2. d. 2. quæst. 4.*

*c Cũ Arist. in 4. Phys. à capite. 10. & text. 88.*

*d Lege D. Tho. 1. p. quæ. 10. artic. 5. ad 1. & quæ. 53. art. 3. & quolib. 10. arti. 4. Caie. 1. pa. q. 53. art. 3. Capr. in 2. di. 2. quæ. 2. Ægid. tract. de Mẽsura Angelorum. Dur. in 2. d. 2. quæ. 4. Albe. Mag. 1. p. summæ de quatuor coæuis. Henr. de Gãd. quolib. 5. quæst. 13.*

*Quid æui nomen ab æternitatis differat.*

*Num esse substantiarum corruptibilium mensuretur tempore.*

## SECTIO III.

SED est hoc loco non dissimulanda dubitatio, num esse substantiarum corruptibilium mensuretur tempore, an æuo: an vero instanti permanente, quo tempus discretum constat, an aliqua alia durationis mensura. Nam quòd earum generatio & corruptio mensurentur instanti nostri temporis, si sumantur pro ipsa formæ substantialis introductione: aut mensurentur tempore, si accipiantur pro dispositionibus præuiis ad formæ introductionem & expulsionem, res perspicua est.

*Scot. in 2. di. 2. quæst. 4.*

*Scotus opinatur esse rerum corruptibilium mensurari æuo.*

SCOTVS existimat illud mensurari æuo, quia *esse*, inquit, *cuiuscunque substantiæ est permanens*. Existimat enim omnem existentiam creaturæ, quæ non est successiua, sed permenens, mensurari æuo, siue ex se sit defectibilis, siue solum per potentiam in alio.

*Henric. de Gand. quodlib. 5. quæ. 13. Heruæus quodlib. 2. quæst. 12. Duran. in 2. d. 2. quæ. 6. D. Thom. 1. p. quæ. 10. artic. 4. & 1. secundæ q. 31. articul. 1. & de*

*Henricus sentit mensurari modo æui.*

HENRICVS Gandauensis, quia esse substantiæ corruptibilis ita est permanens, vt tandem deficiat, credit durationem illius, qua desicit à ratione veri æui, vocandam esse modum æui.

*Heruæus & Dur. instanti permanente.*

HERVEVS & Durandus propter rationem Henrici, potius volunt illud mensurari instanti permanente, seu temporis discreti, vt operationes Angelicæ immanentes.

*D. Thomas tempore vulgari.*

AT D. Thomas secutus Albertũ præceptorem, ait mẽsurari tempore continuo ac vulgato: quæ sententia nobis probatur. Primùm quia duratio substantiæ viuentium distinguitur in varias ætates: alia

*Approbatio huius sententiæ*

alia enim est herbarum ætas, alia fruticum, alia arborum, & in singulis generibus, siue stirpium, siue animalium varia est ætatis periodus: at ætas tempus est, non æuum, aut instans permanens: in non viuentibus autem etsi non propriè dicuntur ætates, quemadmodum nec iuuentus & senectus, tamen datur in eis nouitas & vetustas, quæ non conueniunt iis quorum esse mensuratur æuo, aut instanti temporis discreti.

*Potent. q. 5. art. 4. Alber. Mag. 1 p. summæ de quatuor coæuis. Eandem sententiam tuetur Cæt. 1. p. q. 10. art. 5. Sencin. 12. Metap. q. 54. & alij.*

*Quæ mensurentur tempore.*

DEINDE quia quorum esse continetur tempore, hoc est, ab eo superatur per repetitionem alicuius partis, ea mensurantur tempore, vt docet Arist. [a] 4. Physi. libro, in rebus autē omnibus quæ gignuntur & intereunt, sumere possumus partem aliquam temporis, quę sæpiùs repetita adæquet totum earum esse ac superet: quod tamen facere non possumus in æuiternis, vt patet, neque etiam in iis, quæ mensurantur instanti permanente: cùm hæc, etsi habent esse coexistens partibus temporis, non habeant tamen esse illis coextēsum, quod tamen erat necesse, vt partes mensurari responderent partibus mensuræ.

a Cap. 12. text. 117.

*Præcipuum eius rei indicium.*

TERTIO, quia quæ aliquid patiuntur à tempore, ea mensurantur tempore, vt idem docet eodem loco (quod intelligendum est quoad esse intimum & non accidentarium) at generabilia omnia & corruptibilia nemo dubitat pati aliquid à tempore quoad suum esse substantiale: disponuntur enim continenter ad corruptionem siue propinquè, siue remotè: idque non modò per qualitates contrarias, aut suas, aut propinquorum entium, cum quibus continenter agendo & patiendo pugnant, sed etiam per ipsum tempus: quantum enim acquirunt præteriti tantùm amittunt futuri. Atque hæc videtur esse ratio, cur Arist. dicat tempus magis esse causam corruptionis quàm generationis. Nam etsi in tempore æquè fiunt generationes atque corruptiones (vnius enim corruptio est alterius generatio, vt idem alibi docet) imò verò corruptiones fiant per accidens, & causa generationum, ipsæ autem generationes per se: tamen quia tempus nunquam accrescit, sed semper decrescit (præteriisse enim non est augeri, sed minui) meritò tempus dicitur corruptionis causa potiùs quàm generationis. Quocirca licet Thales [b] Milesius ea ratione verè dixit tempus esse sapientissimum quod longa experientia rerum pariat scientiam, tamen quia tēpus omnia quæ dedit, iterum repetit iuxta illud: c *Omnia fert ætas, animum quoque*, tandémque omnia sua obliuioni tradit rectiùs dixisse iudicatur ab Aristotele [d] Pythagoricus Paro, cùm tempus indoctissimum appellauit.

*4. Phys. cap. 12. text. 117.*

*Cur dicat Aristoteles tempus magis esse causam corruptionis, quàm generationis.*

*1. lib. de Gen. c. 3. tex. 17.*

*Tempus cur sapientissimus dicatur.*

b *Simonidi eandem sententiam tribuit Simplic. in 4. Physic com. 132.*

c *Virg. Ecl. 10.*

*Existentia compositi substantialis.*

QVARTO quia res quæ mensurantur æuo, aut instanti permanente, nihil vnquam substantiæ, siue internæ entitatis amittunt: at res quę gignuntur & intereunt aliquid aut solius materiæ, aut formæ simul ac materiæ successu temporis amittunt: quod in viuentibus quidem palàm est in non viuentibus autem longo temporis decursu perspicuè deprehenditur. Atque hæc ratio plurimùm confirmat superiorem: ea enim maximè patiuntur à tempore quæ temporis progressu aliquid substantiæ amittunt.

d *4. lib. Phys. cap. 13. textu 128.*

QVINTO quia existentia compositi substantialis resultat cum ipsa essentia



essentia compositi ex coniunctione materiæ & formæ: cùm ergo in iis, quæ gignuntur & intereunt, aliquid saltem materiæ aliquando defluat, necesse est, vt earum existentia aliquam varietatem habeat, ac proinde mensuretur tempore.

*4. Phys. c. 12. tex. 117.*

*Tempus non solu esse mensurā motus, sed etiā quietis.*

SEXTO quia tempus non motus tantùm, sed quietis etiam mensura est, vt Aristoteles ibidem docet (quo loco nomine motus intelligenda est etiam quæcumque varietas rerum mobilium, in qua reperiatur priùs & posteriùs) res autem quæ gignuntur & intereunt, etsi interdum nullam varietatem habent secundum substantiam: semper tamen aut variantur, aut variari possunt, ac proinde aut mouentur eo genere motus secundùm substantiam, aut ab eo verè quiescunt, cùm ad illum naturalem habeant potentiam.

SEPTIMÒ quia si esse eiusdem rei corruptibilis cum actu labitur (veluti in decretione siue propria, siue impropria) mensuratur tempore, cùm autem non labitur actu, non mensuratur tempore, sed alia durationis mensura: idem esse rei habet diuersas suæ durationis mensuras quod dici nequaquam potest.

*Nullam durationē magis ab æternitate recedere, quàm tempus.*

*Locis citatis.*

POSTREMO quia vt argumentatur D. Thomas, Duratio generabilium & corruptibilium maximè recedit ab æternitate: nulla autem duratio magis ab æternitate recedit quàm tempus.

*Cap. 12. tex. 120.*

ACCEDIT plana Aristotelis sententia qui ad finem 4. Phys. scribit quæcunque generabilia & corruptibilia sunt, & omnino quæ aliquando sunt, aliquando non sunt in tempore esse: dixerat autē in tempore esse nihil aliud esse quàm tempore mensurari. Hanc assertionem eo fusiùs confirmaui, quod videam quosdam ex iis qui Diui Thomæ sectatores videri volunt, D. Thomæ sententiam hac in re reformidare potiúsque aut Scoti, aut Hentici, aut Durandi, & Heruei opinionem amplecti.

*Tex. 124.*

*Refutatio contrariæ sententiæ.*

## SECTIO IV.

*Quibus fundamentis moueantur, qui negant esse substantiarū corruptibilū mensurari æuo.*

MOVENT eos primùm duo communia horum omnium Auctorum fundamenta. Alterum est quod esse substantiarum corruptibilium est permanens: id autem quod permanens est, non potest mensurari mensura successiua, vt suprà dictum est contra opinionem D. Bonauenturæ de æuo. Alterum quod existentia substantiarum corruptibilium, etsi semper coniunctum habet motum aut quietem: non dubium tamen est, quin ab vtroque abstrahat, ac proinde priorem aliquam suaptè natura durationis mensuram habeat quàm sit mensura motus & quietis.

*Sect. 2.*

*Cap. 12. text. 118. & 119.*

DEINDE quod Aristotelis asserit 4. Phys. tempus esse mensuram eius, quod mouetur, & eius quod quiescit: illius quidem vt mouetur, huius autem vt quiescit. *Nam alterius*, inquit, *motum, alterius quietem quanta sit metietur: quare id quod mouetur, non à tempore mensurabile simpliciter erit, vt quantum est quoddam, sed vt eius motus est quantus.* Hæc ille. Ex quibus videtur perspicuum, Aristotelis sententiam esse non mensurari tempore ipsum esse rerum corruptibilium, vt antecedit & motum & quietem.

DENIQVE quod Thom. Opusc. de tempore cap. 3. scribit, mobile non mensurari tempore quoad suum esse substantiale, sed solum quoad esse quod habet in motu, *Quod est*, inquit, *suum moueri*: Vnde constare videtur, vbicunque ille ait, esse substantiarum corruptibilium mensurari tempore, non accepisse verbum *esse* pro esse substantiali, sed pro aliquo accidentali.

*Solutio rationum propositarum.*

HÆC tamen non obstant quominus in approbata sententia persistamus. Nam prius eorum fundamentum infirmum esse hac ratione intelliges. Fatemur quidem esse substantiarum corruptibilium esse permanens, vt permanens distinguitur ab eo, quod est esse per se successiuum. Dicimus enim illud tantùm esse per se successiuum, cuius nullæ duæ partes sibi succedentes possunt esse simul, nisi altera in altera includatur: quo pacto motus, & ea quæ per se consequuntur ac comitantur motum, sunt successiua: vt tempus, quod sequitur quemlibet motum, & sonus, qui sequitur certum quendam motum: hoc autem pacto non solum esse cuiusuis substantiæ, sed etiam plurimorum accidentium est permanens, quemadmodum & ipsæ substantiæ & accidentia. At si esse permanens sumatur, vt distinguitur ab eo, quod est siue per se, siue per accidens successiuum, negamus esse substantiarum corruptibilium esse permanens. Nam etsi non est per se successiuum, vt probatum est, tamen potest habere & non habere successionam quamdam ratione partium substantiæ corruptibilis, quæ continuo fluxu possunt aliæ aliis succedere, tametsi interdum omnes simul maneant in toto aliquo tempore. Ac in viuentibus id planè cernitur ratione continuæ nutritionis, qua continuè corruptis aliis atque aliis particulis, aliæ ac aliæ continuè generantur, aut potius aggenerantur. In non viuentibus autem, cùm omnia mutuo inter se agant & patiantur, euenire potest, vt continuò augeantur aut minuantur per iuxta positionem aut detractionem: quod etsi non semper fit, potest tamen fieri & non fieri: datur ergo in ipso esse substantiarum corruptibilium, aut dari potest continua successio prioris & posterioris, si non ratione omnium partium, vt necessario datur in iis, quæ per se successiua sunt: certè ratione aliquarum, propter quam successionem omnia quæ huiusmodi sunt, appellari possunt per accidens successiua.

*Quid sit per se successiuũ.*

*Ita Ferrar. 1. contra Gent. c. 15.*

*In rebus corruptibilibus vt dari possit continua successio, à qua dici possunt per accidens successiua.*

*Alia prioris fundamenti subuersio.*

POTEST etiam simpliciter & sine distinctione responderi, quanquam esse substantiarum corruptibilium est permanens, esse tamen continua quadam varietate mutabile, quemadmodum & ipsas corruptibiles substantias, quod satis est, vt eius duratio sit successiua, ac proinde tempus.

*Posterioris impugnatio.*

POSTERIVS quoque fundamentum infirmum est. Nam etsi existentia substantiarum incorruptibilium abstrahit à motu & quiete non solùm propriè dictis, sed etiam impropriè; hoc est, à continuo etiam defluxu & aggeneratione partium, & opposita quiete vtriusque motus: tamen existentia corruptibilium non abstrahit ab huiusmodi improprio motu & quiete: semper enim aut mouentur eo motu, aut moueri possunt, ac proinde, si non mouentur, quiescunt oppo-



oppòsita quiete: ita non dubium esse quin mensuretur eadem durationis mensura, qua mensuratur is improprius motus, & opposita quies.

*Obiectio contra solutionẽ traditam diluitur.*

QVOD si obiicias, tempus non definiri mensuram motus impropriè dicti, sed propriè, negandum id planè est, modo enim variatio prioris & posterioris sit continua, aut esse possit, sanè mensura eius & oppositæ quietis non alia esse potest, quàm tempus ab Aristotele definitum. Vnde patet, aliquanto latiùs apud Aristotelem sumendum esse motum in definitione temporis, quàm in definitione motus. Cur autem continuus defluxus & aggeneratio partium nõ sit propriè motus, ex libris de Generatione petendum.

*Locus Aristotelis exponitur.*

AD locum Aristotelis ex 4. Physic. dicendum, nomine motus & quietis in iis verbis ietelligendum quoque esse continuum defluxum & aggenerationem partium substantiæ corruptibilis, & quietem oppositam.

*Quid ad locum D. Thomæ citatum.*

AD id autem quod ex D. Thoma affertur, dicendum est nisi ille aliter sensit iunior in citato opus. atque ætate prouectior cum Theologiæ summam conscripsit, totum eum locum qui est sub finem citati capitis sic esse intelligendum. Mobile si consideretur quoad suam essentiam, hoc est, quatenus est huius aut illius essentiæ, non mensurari tempore, quia in quolibet nunc est eiusdem omnino essentiæ, neque alio modo se habet ad illam nunc, quam priùs habuerit. Si verò consideretur quoad suum esse, id est, si spectetur quatenus est in rerum natura, eius quidem esse substantiale non necessariò mensurari tempore, quia esse substantiale corporum incorruptibilium non mensuratur tempore: at eius esse, quod habet in motu, hoc est, quod per motum variatur, siue illud substantiale sit, vt in rebus corruptibilibus, siue accidentarium, vt in omnibus rebus naturalibus (*quod esse*, inquit, *est ipsum moueri*) mensuratur tempore, quia in eo esse necessariò reperitur successio prioris & posterioris. Quod autem ait esse quod res mobiles habent in motu, esse ipsum moueri, de identitate reali dictum esse intelligendum est: motus enim & id quod per motum acquiritur, realiter idem sunt, etsi ratione differant. Itaque si Diuus Thomas idem vtrobique sensit, non sic est intelligendus, quasi velit nullius rei mobilis esse substantiale mensurari tempore, sed non omnium. Alioqui sibi contradiceret in eodem opusculo, cùm paulò antè dixisset, esse rei quiescentis (hoc est quæ actu non mouetur, sed tamen moueri potest) mensurari tempore: quod intelligi non potest quoad esse, quod habet in motu, cum ponatur actu quiescere, sed quoad esse substantiale, quod Aristotelis sententis in omnibus quiescentibus variari potest per accretionem & decretionem substantiæ, saltem impropriè dictas, & omninò per corruptionem. Quicquid tamen de hac re sit, certè in prima parte summæ Theologiæ, q. 10. art. 4. & 5. planè docet esse substantiale rerum corruptibilium mensurari tempore, sic enim ait priori loco: *Esse rerum corruptibilium quia est transmutabile, non mensuratur æternitate, sed tempore: tempus enim mensurat non solùm quæ transmutantur in actu*

*in actu, sed etiam quæ sunt transmutabilia, vnde non solùm mensurat motum, sed etiam quietem.* Posteriori autem loco sic scribit: *Quædam sic recedunt à permanentia essendi, quod esse eorum est subiectum transmutationis, vel in transmutatione consistit, & huiusmodi mensurantur tempore sicut omnis motus, & etiam esse omnium corruptibilium.*

*Accidentia corruptibilia mensurari tempore.*

QVOD autem dictum est de substantiis corruptibilibus, intelligendum est de accidentibus, quæ continua etiam additione, aut detractione partium augeri, aut minui possunt, siue eæ partes sint intensiuæ, siue extensiuæ. Omnia enim talia (modo non loquamur de supernaturalibus, de quibus paulò pòst) quoad suum esse mensurantur tempore continuo, siue existant in substantiis corruptibilibus, siue in incorruptibilibus, quemadmodum id quod dictum est de substantiis incorruptibilibus, intelligendum quoque est de earum accidentibus si variari nequeunt accessione vlla, aut decessione partium, & ex se deficere non possunt, sed per potentiam in alio: mensuratur enim eorum esse non tempore nostro, neque item discreto tempore, nec verò instanti permanente, sed æuo. Quod si accidentia non sint variabilia accessione aut decessione partium, siue intensionis, siue extensionis, & tamen ex se deficere possint, mensurabitur eorum esse instanti permanente, siue eiusmodi accidentia existant in rebus immaterialibus, siue materialibus, siue incorruptibilibus, siue corruptibilibus. Quocirca si actus immanentes substantiarum immaterialium, aut eorum aliqui sunt intensibiles & remissibiles, non video cur eorum esse non mensuretur tempore continuò, quia vel erunt in motu augmenti, aut decrementi, vel in quiete opposita.

*Quo tempore accidentia intẽsionis, & remissionis capacia substantiarum spiritualium mensurentur.*

SI quis autem quærat, num tempus continuum, quo accidẽtia intensibilia & remissibilia substantiarum immaterialiũ nobis videntur mensuranda, sit aliud à tempore, quo mensurantur materialia, negatiuè respondendum est, si respiciamus ad tempora particularia: probabile enim est durationes peculiares rerum, quæ physico differunt genere, specie differre. Quod si tempus sumatur pro tempore communi quo eodem numero mensurantur omnia, quæ subiecta sunt tempori, affirmatiuè respondendum erit. Verùm id tempus non erit mensura intrinseca motus primi mobilis, quo mensurantur corporalia, sed tempus imaginarium, vt vocatur quod commune est materialibus, & immaterialibus, si in eis cernatur successio continua prioris & posterioris. Quòd si velis in suprema substantia immateriali creata dari actum aliquem immanẽtem intensibilem & remissibilem, cuius duratio sit tempus continuum cõmune iis rebus immaterialibus, quę mensurantur tempore continuo, quemadmodum duratio eiusdẽ supremæ substantiæ creatæ dicitur commune æuum omnium æuiternorum, duabus de causis id non placet. Vna, quia satis ad eam communem temporis rationem ipsa imaginarij temporis ratio, vt suprà in rebus etiam corporalibus satis esse diximus. Altera quia cùm is actus, quicumque ille sit, non possit perpetuò intendi aut remitti, non poterit eius duratio esse tempus continuum, quo mensurentur accidentia omnia immaterialium, quæ intenduntur & remittuntur. Oportebit enim

*Q. 11. sect. 2.*



enim vt quies ab eiusmodi motu intensionis & remissione mensuretur ab alio superiori motu, qui nullus erit: quandòquidem ponimus illum esse supremum in eo genere: quies enim ideo dicitur mensurari tempore, quia quandiu tempus aliquod transit, tandiu non mouetur id quod aptum est vt moueatur, quod est per accidens quietem mensurari tempore.

*Lege Philop. in 4. Phys. super text. 117. & 118. Themist. in eundem locum. Simplicium ibidem, com. 122. Ferrar. 4. Phy. q. 5.*

*Tẽpore imaginario quomodo mensurari possint tempore discreta particularia.*

IDEM porrò tempus imaginarium mensura communis esse poterit etiam discretorum temporum particularium, non commune aliquod tempus discretum, quod vt inducant, minùs vtiliter laborant nonnulli. Nam cùm in qualibet parte tẽporis imaginarij dentur differentiæ prioris & posterioris, in quas incidunt momenta temporis discreti: non video cur iis mensurari non possint omnia peculiaria tempora discreta, vt etiam mensurantur omnia continua, nisi quòd alia ratione mensurantur continua, alia discreta: illa sine interruptione, hæc cum interruptione: alioqui necesse foret quærere aliud tempus commune discretum, quo mensurarentur omnia particularia tempora discreta ex continuis temporibus coacta, vt plures motus animalium interrupti per quietes medias: ad quæ tamen discreta tempora mensuranda non quærimus commune aliquod tempus discretum, sed solùm commune continuum per differentias in eo repertas prioris & posterioris.

*Durationes supernaturales explicantur.*

ATQVE hæc de durationibus naturalibus: sunt enim quædam aliæ durationes quæ supranaturales dici possunt, vt visionis beatificæ creatarum mentium, quæ duratio non minùs supra naturam est creatam quàm ipsa visio beatifica. Eadem ratione supranaturalis est duratio luminis gloriæ, gratiæ, charitatis, & aliorum donorum supernaturalium, hoc est, quæ nulli creaturæ naturalia esse possunt, siue sint habitus, siue actus. Quibus autem nominibus hæ durationes appellari debeant, haud magni interest: certè D. Thomas [a] in vltimis scriptis dignius existimat vocare durationem visionis beatificæ creatæ æternitatem particidaram, quàm æuum, vt vocat [b] Scotus: tametsi alibi idem D. Thomas nomine æternitatis participatæ ipsam quoque angelorum & aliorum æuiternorum durationem comprehendat.

*a 1. par. q. 10. art. 5. ad 1. Idẽ docet 3. contra gent. cap. 61.*

*b In quodl. 19. q. 6. in responsione ad 2. dubium.*

*Quo discrimine à naturalibus differant. Duo genera supernaturalium.*

DIFFERVNT porrò hæ durationes à naturalibus specie, quia naturalia & supernaturalia non possunt esse eiusdem naturæ: satis enim patet ex tradita supernaturalium explicatione non accipi à nobis supernaturalium vocabulum pro iis quæ per accidens dicuntur supernaturalia, nempe pro iis quæ etsi naturaliter haberi possunt, non per causas tamen naturales producta sunt, vt Mathematicæ scientiæ diuinitùs infusæ, sed pro iis quæ suaptè conditione supernaturalia sunt, vt gratia, & virtutes, quas vocant Theologicas.

***

*Num omnes durationes rerum ad prædicamentum Quantitatis pertineant.*

## SECTIO V.

SED operæpretium est paucis exponere, an ne durationes rerum omnes ad Prædicamentum quantitatis pertineant.

*Æternitatẽ nõ esse sub genere aliquo.*

AC æternitatem quidem certum est non contineri sub genere aliquo, quemadmodum neque vllum aliud diuinum attributum, quod omnia ex natura rei sint infinitæ perfectionis simpliciter, quemadmodum & ipsa diuina natura, à qua non distinguuntur, nisi consideratione nostra. De tempore autem continuo, si reale sit, & non imaginarium illud quod semper fuit ac erit, nemo dubitat quin ad hoc prædicamentum spectet, idque per se ac directò: est enim ens quoddam per se extensum ac diuisibile secundùm priùs & posteriùs, ac proinde vera quantitas. At æuum cùm sit totum simul in seipso, nec differentiæ prioris & posterioris, nisi quatenus coexistit tempori continuo, in eo reperiantur: seu potiùs in eius coexistentia, quæ est relatio simultatis existentiæ eius cum existentia continui temporis, nec verò in eo cernatur vlla alia extensio intrinseca & essentialis: perspicuum est non pertinere ad hoc prædicamentum.

*Tempus reale esse peculiarem speciem quantitatis.*

*Æuum non pertinere ad prædicamentum quantitatis.*

*Idẽ de instanti dicendum.*

IDEM porrò dicendum est de instanti permanente, quod ideò in durationibus propriè dictis numeratur, quia tempori nostro coexistit. Nam cùm huiusmodi instans ea sola ratione ab æuo distinguatur quòd æuum indefectibile sit natura sua, instans verò permanens ex se possit deficere: quemadmodum æuũ non est per se extensum ac quantum, ita neque instans permanens. Quòd si instans eiusmodi sit, vt subitò transeat, siue id sit terminatiuum temporis continui, siue ab eo alienum (quicquid id tandem sit) magis perspicuum est, non esse per se quantum, cùm ne per accidens quidem, seu per coexistentiam extensum sit.

*Quid sit de tempore discreto sentiẽdum.*

DE tempore autem discreto, siue constet instantibus permanentibus, siue temporibus continuis, non continuatis tamen inter se, addo etiam siue instantibus transeuntibus (nam & in præcisa huiusmodi instantium successione, veluti in momentanea ignis generatione & eius extinctione ratio aliqua temporis cernitur, quam hactenus non tetigimus) non prætereunda dubitatio est, num ad hoc prædicamentum spectet. Nam cùm sit per se successiuum, non dubium videbitur, quin ad hoc genus pertineat. At cùm nihil discretum, quatenus discretum est, sit verè ens per se, vt suprà ostensum est, non apparet cur per se ponendum sit in hoc Prædicamento. *Q. 4. sect. 21*

AD hanc dubitationem respondendum est, etsi tempus discretum quouis ex prædictis modis sumatur, sit per se & non ratione alterius successiuum, tamen quia non est ens per se vnum, sed aggregatione, non



non poni per se in prædicamento vllo. Reducetur autem ad prædicamenta hunc in modum. Si constet instantibus siue permanentibus siue transeuntibas, reducendum erit ad prædicamentum Quando, in quo per se ponuntur durationes non extensæ per se: quicquid tandem sint vtraque instantia, & quocumque modo in rerum natura dentur. Si verò constet temporibus continuis non continuatis inter se alia & alia ratione, reducetur ad vtrumque genus & quantitatis, & Quando. Nam cùm tempus continuum, quatenus tantum aut tantum, seu quatenus aptè redditur ad quæstionem Quandiu: qua propriè quæritur quanta sit duratio (veluti sit ne annua, an menstrua) pertineat ad prædicamentum quantitatis: quatenus autem aptè respondetur ad quæstionem Quando (veluti heri ne, an cras, & vt semel dicam, in qua differẽtia temporis, quáue parte temporis imaginarij) pertineat ad prædicamentum Quando: sanè tempus discretum ex pluribus huiusmodi temporibus non continuatis aggregatum, si tempora priori modo spectentur, reducetur ad prædicamentum quantitatis: si posteriori, ad prædicamentum Quando.

SED vt tandem mittamus disputationem de tempore, quatenus ad prædicamentum quantitatis spectat, diluenda est obiectio quædam, qua videtur concludi, non fuisse illud ponendum distinctam quantitatis speciem à motu. ac loquimur de motu, non vt motus est, seu acquisitio quædam, sed vt continuus est, qua ratione ad quantitatem spectat. Obiectio autem est huiusmodi, Quemadmodum in motu poni solet duplex quantitas, vna, qua sit tantus motus, altera, qua sit tantum tempus (potest enim esse magnum tempus: & paruus motus, & cõtra magnus motus, & paruum tempus) ita in loco duplex quantitas ponenda esset, vna, qua esset tanta superficies, altera, qua esset tantus locus (potest enim superficies, extrinsecus continens magna esse superficies, & paruus locus, vt si contineat spatium pyramidale: aut contrà magnus locus, & parua superficies, vt si contineat spatium rotundum) at in loco vna tantum quantitas ponitur, nempe ipsa extensio superficiei, qua sit & tanta superficies, & tantus locus: ergo & in motu vna tantum quantitas ponenda est, nempe ipsa continuitas motus, qua & tantus motus sit, & tantum tempus. *Obiectio proponitur.*

ERVNT fortasse qui cedant argumento, atque adeo hac similitudine illud confirment, Quemadmodum vt locus sit tantus vel tantus satis est, si contineat tantum spatium permanens, neque ad id alia entitas requiritur ab entitate superficiei: ita vt motus sit tantum tempus, seu (vt propriè loquamur) fiat in tanto tempore, satis erit, si fiat in tanto spatio successiuo, neque ad id alia entitate opus erit à continuitate motus: ergo vt locus non est quantitatis species distincta à superficie nisi vulgi opinione, ita nec tempus à motu, quatenus motus ad quantitatis prædicamentum pertinet. *Inepta approbatio & confirmatio.*

HI tamen non rectè sentiẽt, Reddi enim potest ratio optima, cur in motu necessaria sit duplex quantitas: vna propter quã dicatur tan- *Reiicitur.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



tæ celeritatis aut tarditatis, quæ est quantitas innominata, & potest dici quantitas motus, quia est prima in motu: altera, propter quam dicitur tantæ longitudinis aut breuitatis, quæ posterior est, & appellatur tempus: at in loco, vna tantùm ratio quantitatis satis est: ea nimirùm propter quam superficies dicitur tantæ extensionis. Nam quantitas loci Aristotelici, de quo loquimur, non est vera & propriè dicta quantitas, sed metaphorica: est enim ipsa eiusmodi loci capacitas: at eius capacitas est aptitudo quædam ad capiendum corpus, quæ fundatur in figura ipsius loci seu superficiei concauæ corporis continentis, & dicitur maior aut minor in superficiebus æqualibus pro ratione figuræ magis aut minus accedentis ad rotundam.

*Vera' solutio.* Ad obiectionem igitur neganda est similitudo, seu paritas rationis in loco, atque in motu: locus enim non per quantitatem proximè est tantus vel tantus, sed per figuram, quæ est qualitas: at motus non potest esse tantus vel tantus, nisi per quantitatem. Quare cùm motus alia ratione sit tantus motus, alia tantum tempus, seu in tanto tempore confectus, sit, vt duplex in eo quantitatis ratio atque adeò duplex continuitas reperiri debeat, quæ duplicem conficit speciem. Ad confirmationem verò negandum est id, quod in comparatione supponitur: nempe per ipsam extensionem superficiei solam esse locum, & tantam superficiem, & tantum locum: est enim potius tantus locus per figuram superficiei, quæ est qualitas, non quantitas. Atque hæc de speciebus quantitatis.

*Propter quid locus sit tantus, vel tantus.*

Quod verò attinet ad eius affectiones siue attributa, id solum examinabimus, sit ne maximè proprium quantitatis æquale, & inæquale dici, vt Aristoteles in Prædicamentorum scribit. *Cap. de quantitate.*

## *SIT NE QVANTITATIS MAXIME proprium, æquale & inæquale dici.*

## QVÆSTIO XIII.

### *Argumenta pro parte negatiua.*

### SECTIO I.

*Argumenta partis negatiuæ, ac primum quod nõ omni quantitati attributum competeat.*

ETsi Aristoteles in Prædicamentis affirmatiuam partem quæstionis amplectitur: sunt tamen multa, quibus negatiua potius videatur probanda, quòd esse æquale & inæquale, nec omnibus, nec solis quantitatibus conueniat.

*Primum argumentum.*

Nam quòd non omnis quantitas sit æqualis & inæqualis alteri, sic primum ostendi potest. Si vna quantitas sola in rerum natura existat, ea nec æqualis alteri, nec



nec inæqualis erit, cùm nulla sit alia, cui æqualis aut inæqualis esse possit. Deinde hoc pacto, quia nulli generi, nullique speciei quantitatis conuenit æqualitas & inæqualitas. Etenim nullum superius est æquale aut inæquale suo inferiori, cùm ab eo re ipsa non distinguatur. Quantitas etiam continua nec est æqualis, nec inæqualis discretæ, vt est luce clarius: nec verò aliam reperies speciem, cui conueniat æqualitas aut inæqualitas. Nam etsi species numerorum inter se sunt inæquales, nulli tamen sunt æquales, cùm interim hoc attributum non disiunctione, sed copulatione tradatur. Quod eodem modo dicendum esset de bipedali in commune, de tripedali, & cæteris huiusmodi speciebus, siquis eas (quod falsum est) veras quantitatis species esse contenderet. Tertio occurrit tempus singulare, quòd cùm sit semper vnicum, nulli æquale aut inæquale esse potest: oporteret enim duo minimum tempora simul esse, vt tempus tempori esset æquale, aut inæquale. 2 *Argumẽtum.* 3

Quod verò nec solis quantitatibus æqualitas & inæqualitas conueniat, ex eo primùm probatur (quod quidem sit quartum pro negatiua parte argumentum) quia plurimæ res ad alia prædicamenta pertinentes non possunt dici æquales & inæquales: non eæ tantum, quæ denominantur à veris quantitatibus, vt lapides, colores, figuræ vt à longitudine, latitudine, & profunditate: sed etiam quæ à veris ac propriè dictis quantitatibus denominari nequeunt, vt artes, scientiæ, virtutes. Deinde (quæ sit postrema ratio) quia nemo negabit põdus verissimè dici æquale & inæquale, cum sit verissima rerum mensura. Si ergo est quantitas, immeritò prætermissum fuit in numerandis speciebus quantitatis: sin aliquid aliud (quod potius dicendum videtur) non solis quantitatibus verè ac propriè dicta, & inæqualitas conuenit. *Quod nequo soli quantitati conueniat.* 4 *Argumẽtum.* 5

### *Explicatio quæstionis.*

### SECTIO II.

*Partis affirmantis explicatio, & approbatio.*

Non est tamen negandum, attributum hoc esse maximè proprium quantitatis, omnibúsque & solis quantitatibus ac perpetuò conuenire, dummodo quædam pro eius explicatione adiungantur. Primùm vt esse æquale & inæquale pro pro esse posse accipiantur. Deinde, vt hæc non intelligantur per accidens, hoc est, per aliquid pertinens ad aliud prædicamentum, quo pacto duo lapides ratione quantitatis dicuntur inter se æquales aut inæquales, sed per se, ac ratione sui, quo modo duæ lineæ sunt æquales sibi inuicem aut inæquales, & per eas ipsa quantitas, & continua quantitas, æqualis & inæqualis esse potest. Ad hæc, vt æqualitatis & inæqualitatis nomine non intelligatur æqualitas & inæqualitas metaphorica siue translatitia, sed propria.

*Quæ sint propriè æqualia & inæqualia. Vt nonnulli respondeant.*

SI QVIS autem quærat, quænam sint propriè æqualia & inæqualia, quæque impropriè, seu per translationem dicta, sunt qui respondeant ea dici propriè æqualia & inæqualia, quæ sunt quanta quantitate molis, ea impropriè, quæ quantitate virtutis, qua in re innituntur distinctioni Augustini ponentis duplicem quantitatem, vnam molis, alteram virtutis. *Lib. 6. de Trinit. capit. 7. & 8.*

*Reiicitur distinctio.*

SED hæc distinctio non videtur conuenire omnibus æqualibus & inæqualibus. Nam lineæ, & superficies, & motus, & tempora sunt propriè æqualia & inæqualia: nec tamen quanta quantitate molis, nisi molem impropriè admodum accipias pro extensione quauis: & ipsæ quoque essentiæ rerum inter se dicuntur æquales & inæquales per translationem: nec tamen ratione solius virtutis, hoc est, virium & efficaciæ, sed etiam ipsius essentialis perfectionis, quæ non propriè dicitur virtus. Nec verò Augustinus hanc distinctionem in omni quantitate intellexit, sed in sola magnitudine, quam duplicem posuit molis nimirum & perfectionis, vt videre est sexto de Trinitate cap. 7. & 8.

*Vera dubitationis explicatio.*

POTIVS ergo dicendum est, ea esse propriè æqualia & inæqualia, quæ sunt quanta quantitate propriè dicta, hoc est, quantitate extensionis: ea impropriè, quæ sunt quanta quantitate impropriè dicta, id est, quantitate perfectionis siue accidentariæ, siue essentialis. Quibus expositis perspicuum relinquitur, attributum hoc conuenire omnibus quantitatibus solis ac perpetuo: omnibus quidem & perpetuo, quia non sumitur secundum actum, sed secundum potestatem siue aptitudinem: solis verò, quia nõ per accidens aut impropriè, sed per se ac propriè.

*Diluuntur argumenta initio proposita.*

## SECTIO III.

*Solvitur 1. Argumentũ. 2*

QVARE ad primũ argumẽtum pro parte opposita dicendum, etsi quantitas illa, quæ sola poneretur in rerum natura, nulli esse æqualis aut inæqualis, haberet tamen aptitudinem ad æqualitatem & inæqualitatem.

AD secundum, generibus & speciebus quantitatis in commune non conuenire quidem ipsam æqualitatem & inæqualitatem, sed aptitudinem ad æqualitatem & inæqualitatem, quæ aptitudo reducitur ad actum in singularibus, vt extrema illa substantiæ proprietas suscipiendi contraria.

*3 Prima solutio.*

AD TERTIVM facilè esset respondere, æqualitatem & inæqualitatem num quam conuenire tempori, quatenus vnicum est, sed aptitudinem ad æqualitatem & inæqualitatẽ, nisi æqualitas & inæqualitas ei viderentur repugnare, ac proinde ipsa aptitudo: cui enim actus repugnat, ei aptitudo conuenire non potest.

RESPONDEAT ergo fortasse aliquis, æqualitatem & inæqualitatem



intelligendas esse in hoc attributo sub disiunctione, etiamsi cum copulatione proferantur, id enim valde familiare est Aristoteli. Quo dato, perspicuè videtur dissolui argumentum. Nam quod obiicitur fieri non posse, vt duo tempora simul existant, etsi verum est de temporibus æqualibus, falsum est tamen de inæqualibus: existunt enim simul duo tempora inæqualia, vt hæc hora, hic dies, hic mensis, hic annus.

*Secunda.*

SED cùm tempora quorum alterum in altero includitur, non sint propriè duo tempora, sed vnum & eius pars: ne sub disiunctione quidem videtur propriè hoc pacto sumi attributum hoc respectu temporis, vt nimirùm æquale aut inæquale dicatur alteri tempori.

*Cap. 12. text. 113.*

ALIVS fortasse respondeat dari tempora non solùm inæqualia, sed etiam æqualia, si conferantur non cum aliis temporibus, quæ simul diuersa omninò existere non possunt, vt proximè probatum est, sed cum motibus qui simul decurrunt cum tempore. Docet enim Aristoteles quarto Physicorum libro, & tempus esse mensuram motus, & motum vicissim temporis, quamquam alio & alio modo, vt eo loco exponitur. Quòd si motus & tempus se inuicem metiuntur, ergo dari possunt tempora & æqualia motibus & inæqualia, vt tempus diei naturalis, quod in primo mobili est, collatum cum motu Solis ei adæquato vel inadæquato. Sed cùm inter res diuersarum specierum non propriè fiat comparatio, non propriè quoque sumetur hoc pacto propositum quantitatis attributum.

*Tertia.*

QVARE dicendum attributum hoc non esse arctandum ad realem æqualitatem & inæqualitatem, quæ quidem postulant, vt ea quæ dicuntur æqualia aut inæqualia simul existant, sed comprehendere etiam æqualitatem & inæqualitatem mente conceptas, quas tribuere solemus duabus quibuscumque quantitatibus eiusdem speciei, cùm eas mente comparamus, siue altera tantùm existat in rerum natura, siue neutra. Quo pacto perspicuum est, æqualitatem, & inæqualitatem posse conuenire temporibus inter se comparatis, seu vt veriùs dixerim, partibus temporis, cùm diuisio illa temporis in annum, diem, & cætera huiusmodi non sit diuisio generis in species, aut speciei in indiuidua, sed vnius indiuidui in suas partes. Vnde conseutaneum est, vt aptitudo ad æqualitatem & inæqualitatem, quæ hoc loco tribuitur omnibus quantitatibus, intelligenda sit in ordine ad æqualitatem & inæqualitatem totius vel partis: potissimùm verò si attributum hoc per copulationem intelligendum est quod magis crediderim. Atque in his solutionibus sermo erat de tempore vno numero, quod ponitur in solo motu primi mobilis. Quod si tempus sumatur pro quouis particulari tempore, nempe inhærente, vt ita dicam, in quouis motu (quo pacto tempus non est vnicum, sed quot motus sunt, tot tempora) nihil erit difficultatis in inueniendis temporibus distinctis numero tum æqualibus inter se, tum in æqualibus.

AD

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Quartisolutio.* AD quartum dicito, ea quæ denominantur à propriè dictis quantitatibus (siue inhærentibus sibi, vt lapides à numero & magnitudine siue quibus ipsa inhærent, vt colores & figuræ à superficie suorum subiectorum) dici quidem propriè æqualia, & inæqualia, non per translationem, verùm non per se, sed per accidens.

*Quinti.* AD quintum dicendum est ea quæ non denominantur à propriè dictis quantitatibus, & tamen dicuntur æqualia & inæqualia, etsi per se talia dicantur, non tamen dici propriè, sed per translationem & similitudinem, quam habent cum propriè dictis quantitatibus. Nam quia intensio qualitatum est similis extensioni magnitudinum, & gradus entitatum, quæ in rerum essentiis inueniuntur, sunt similes numeris, vt ait Aristoteles: ideò quemadmodum magnitudines & numeri dicuntur æquales & inæquales, sic quodãmodo qualitates quoad intensionem, & res omnes quoad perfectionem suarum essentiarum. Vnde æqualitas hoc modo est perfecta similitudo in qualitatibus, & perfectà identitas in essentiis rerum.

*8. Metap. c. 3. tex. 10. D. Tho. 1. p. q. 42. art. 1.*

*Cur rerum essentiæ numeris similes dicantur ab Aristotele.*

*De pondere.*

## SECTIO IIII.

*An pondus sit Species quantitatis. Partis affirmantis confirmatio.* AD sextum non desunt qui respondeant pondus propriè dici æquale & inæquale, & esse veram speciem quantitatis, quod quantitas trifariam diuidatur, in discretam, continuam & pondus: quorum sententia hoc pacto confirmari potest.

*Simp. ex Archita, & aliis in Prædicamentis. ca. de quantitate.*

*Prima confirmatio.* PONDVS ratione sui, & vt distinguitur à quantitatibus in hoc capite enumeratis, est æquale & inæquale ponderi: est igitur propriè & per se æquale & inæquale, & ex consequenti species quędam quantitatis à cæteris distincta. Antecedens probatur quia talentum est æquale talento, inæquale autem libræ, non ratione magnitudinis, sic enim res æqualium magnitudinum æqualia haberent pondera, & inęqualium inæqualia, quod falsum est: non item ratione numeri, aut motus, aut temporis, vt patet: igitur ratione sui, & vt distinguitur à quantitatibus enumetatis in hoc capite.

*Secunda.* PRÆTEREA grauitas & leuitas sunt affectiones quantitatis, vt Aristoteles docet hoc loco, non sunt autem affectiones alicuius speciei, quæ hoc capite enumerata sit, igitur ponderis: nulla enim alia occurrit, cui huiusmodi affectiones attribui possint.

*Conclusio negatiua. Primum argumentum.* DICENDVM est tamen nec pondus esse speciem quantitatis, nec propriè dici æquale & inæquale, sed per translationem. Primùm quia quantitas ponderis non consistit in extensione, vt patet ex dictis: sed in intensione: quemadmodum gradualis quantitas caloris, candoris, & aliarum qualitatum: quò fit, vt sit quantitas impropria & translatitia. Deinde quia pondus nihil aliud est quàm grauitas: grauitas autem capite sequenti inter species qualitatis numeratur.

*Sic Alexãder citatus à Simplicio in Prædicam. cap. de quantitate.*

*Secundum.*

QVARE



*Solutio primæ rationis pro opposita sententia.* QVARE ad priorem rationem, qua opinio illorum confirmata est, dicendum est pondus esse quidem per se & ratione sui æquale & inæquale ponderi, vt argumentum probat: verum non propriè, sed per translationem. Ad posteriorem dicito cum D. Thoma eodem loco, grauitatem & leuitatem numerari ab Aristotele inter affectiones quantitatis non ex propria sententia, sed eorum qui dicebant multitudinem superficierum aut atomorum esse causam grauitatis corporum: horum autem paucitatem causam leuitatis.

*Lect. 15.*

*Secunda solutio.*

*Difficultas circa latitudinem gradualem ponderis.* EST tamen non mediocris difficultas de latitudine graduali ponderis seu grauitate: videtur enim non consistere in intensione, sed in extensione. Nulla enim res videtur fieri grauior, nisi accessione nouæ materiæ, nec leuior, nisi decessione veteris, vt ita dicam, quod patet in pomis quæ susceptо nouo succo grauiora fiunt, & veteri expirato leuiora. Quod idem cernere est in non viuentibus: ligna enim arida, & lateres hyberno tempore propter susceptum extrinsecus humorem plus ponderis habent quàm æstiuo, cùm is humor consumptus est: eodemq; modo res habere videtur in cæteris: at ea quæ intenduntur & remittuntur, nulla accedente aut decedente materia, id patiuntur, nisi per accidens, veluti cùm aqua calefit exhalante simul vapore.

*Dissolutio dubitationis.* AD hanc dubitationem dicendum, maiorem & minorem grauitatem duabus ex causis prouenire posse. Vna ex accessione & decessione materiæ, vt in propositis exemplis, tuncq; grauitatem ipsam non esse intensiorem aut remissiorem, sed esse in re grauiori maiorem grauitatis copiam, & vt sic dicam, multitudinem quæ æquiualet in impellendo deorsum maiori intensioni: in re autem leuiori minorem copiam grauitatis, quæ impellendo deorsum, remissius agit. Altera ex eo quod ipsa grauitas intendatur aut remittatur nulla accedente, aut decedente materia: quod quidam accidere dicunt in partibus aëris & ignis elementaris, quas volunt interdum ascendere, interdum descendere intra suas regiones, intensis videlicet siderum vi, aut remissis suis qualitatibus motiuis. Quòd si id sit in superioribus elementis, pari aut maiori etiam ratione id accidet in inferioribus cùm simplicibus, tum mixtis corporibus. Sed iam missa quantitatis longiori disputatione, qualitatem breuiùs explicemus.

## CAPITIS DECIMI QVARTI EXPLANATIO.

*Quot modis dicatur qualitas.*

VALE a *vno modo.* Exponit quot modis dicatur qualitas, traditque primum quattuor qualitatum genera, deinde reuocat omnia ad duo quasi capita. Primum genus est differentia substantiæ, hoc est, qua substantia à substantia, seu potius essentia ab essentia differt, quam proinde essentialem ac specificam appellant: sumitur enim hoc loco nomẽ substantiæ pro essentiæ, quod est vnum ex substantiæ significatis cap. 8. huius libri traditis. Ex eo autem probat Aristoteles essentiales differentias esse qualitates, quia aptè reddũtur ad quæstionẽ Quale est.

*Prima differentia substantiæ.*

*Text. 15.*

ΚΕΦ. ΙΔ'

*Text. 19.*

Ο a ποῖον λέγεται, φανερὸν μὴ τρόπον, ἢ διαφορὰ τῆς οὐσίας. ὁ γὰρ, ποιόν τι ἄνθρωπος ἢ ζῷον: ὅτι λευκὸν: ἵππος δὲ, τετράπουν: ἢ κύκλος ποιόν τι σχῆμα, ὅτι ἀγώνιον: ὡς δὲ διαφορὰς τὰ κατὰ τὴν οὐσίαν ποιότητάς ἐστιν. φανερὸν μὴ πᾶν τρόπον τοῦτον λέγεται ἢ ποιότης, διαφορὰ οὐσίας. ἕνα b δὲ ὡς τὰ ἀνύτατα, καὶ τὰ μαθηματικά. ὥσπερ οἱ ἀριθμοὶ ποιοί τινες. εἶον c οἱ σαυθεῖοι, καὶ μὴ μόνον ἐφ' ἓν ὄντες, ἀλλ' ὧν μίμημα τὸ ὑπίπεδον, καὶ τὸ στερεόν. ἔτοι δ' εἰσὶν, οἱ ποσάκις ποσοί, ἢ ποσάκις

*Cap. de genere.*

*Obiectio.*

At dices, si hæc probatio quicquã efficit, omnes quãtitates fore qualitates, cùm accidẽtia omnia aptè reddantur ad quæstionem Quale est, vt docet Porphyrius in Isagoge. Sunt q respõdeant hoc interesse quòd quãtitates & reliqua accidẽtia etsi reddũtur aptè ad quæstionem Quale est, non tamen ad quæstionem Quale quid est, hoc est, quale secundum essentiam, vt ipsi interpretantur. Cùm igitur Aristoteles hoc loco non simpliciter loquatur de quæstione Quale est, sed de quæstione Quale quid est, vt ex Græco contextu patet, non effici ex probatione Aristotelica, vt quantitates sint qualitates. Verũ hi non aduertunt, quàm sæpè non modo apud Porphyrium in libello citato, sed etiam apud Aristotelem accidentia omnia prædicentur in quæstione Quale quid est, vt alibi monuimus. Itaque illud verbum, *quid*, cùm dicimus quale quid, non significat quale aliquid sit secundum essentiam, sed tantum qualis res sit. Dicẽdum est igitur, cùm Porphyrius ait accidentia omnia aptè reddi ad quæstionẽ Quale quid est, latè admodum sumi quæstionem Quale est, nẽpe quatenus distinguitur à quæstione Quid est: hic autem accipi propriè, pro ea scilicet, quæ nullam aliam secus admittit. Ea enim propriè dicuntur prædicari in quæstione Quale est de propositis subiectis, quæ de iis non alia ratione prædicantur, quo pacto solæ qualitates, siue essentiales sint, siue accidentariæ, dicuntur de iis, quorum qualitates sunt: at quantitates, relationes, & alia sequentium prædicamentorum accidentia ita prædicantur in quæstione Quale est, vt alias quoque habeant prædicandi rationes sibi proprias & peculiares, vt patet ex iis quæ dicta sunt ad c. 7. Quod autem hoc loco non diximus, *quale quid animal est homo, & quale quæ figura circulus*, vt Græcus habet contextus, consulto factũ est à nobis, non solũ vt significaremus nullũ esse mysteriũ in verbo *quid*, cùm in huiusmodi quæstionibus adhibetur, quòd interpretes sæpè faciunt, sed ea potissimum ratione, quia cùm pronomini quale adiungitur nomen, ad quod refertur (vt cùm dicimus quale animal, vel qualis figura) non rectè additur apud Latinos verbum *quid* vt est apertissimum.

*Improbatur.*

*Vera solutio.*

*Quæst. 3.*

*Quæ prprie in quæstione. Quale est prædicentur.*

*Differentias essentiales nõ semper apte reddi ad quæstionẽ Quale est.*

ILLVD porrò animaduertendum est hoc loco, differentias essentiales non semper aptè reddi ad quæstionem Quale est, sed tunc solùm, cùm pronomini Quale adiungitur nomen generis eius rei de qua quæstio proponitur. Neque enim simpliciter quærenti qualis sit homo, rectè respondeas esse rationalem, nec quærenti qualis sit circulus, rectè dixeris esse angulorum expertem: sed cũ quæritur quale animal sit homo, & qualis figura circulus: tum demum ad priorem quæstionem dices esse rationale, ad posteriorem esse angulorum expertem, quã proinde solam quærendi & respondendi rationem meritò hic vsurpat Aristoteles. Qualitas enim essentialis non dicitur qualitas speciei, quam constituit, sed generis,

*Qualitas essentialis cur dicatur esse qualitas.*



generis, cui adiungitur ad constitutionem speciei, cùm semper qualitas, quatenus qualitas est, intelligatur adiecta rei, cuius dicitur qualitas, nec cen[illegible]atur qualitas totius compositi, nisi ratione alterius partis, quam supponit.

*Secundũ genus qualitatis, quo immobilia, & Mathematica cõmẽtur.*

b *Alio modo.* Secundum genus qualitatis, quod iam accidentarium est, nõ essentiale, illud est, quo immobilia & Mathematica dicuntur qualia. Nomine immobilium sæpè Aristoteles complectitur substantias separatas, & res Mathematicas, vt lib. 3. c. 2. at cum hic distinguit immobilia à Mathematicis, immobilium vocabulo videtur intelligere substantias separatas: neque enim dubium est, quin iis omnibus, quæ sunt infra Deũ, qualitates accidentarias attribuat: tametsi quorumdam sententia non existimet substantiarum separatarum qualitates ab earum essentia distinctas. Itaque videtur Aristoteles hoc genere cõprehendere omnes qualitates accidentarias rerum separatarum, siue re ipsa separatæ sint, vt Angeli, & apud Platonem res Mathematicæ: siue considerationis sola, vt hæ ipsæ res Mathematicæ iuxta veram de ipsis sentẽtiã. Quòd autẽ ad verba attinet, cùm audis, *alio modo*, supple ex initio capitis, *qualia sunt*, vt sensus sit, alio modo, siue genere qualitatis (accidentario videlicet) sunt qualia entia immobilia & mathematica. Fuit enim rationi consentaneum, vt post qualitates essentiales primus locus daretur accidentariis rerum abstractarum à materia, siue sensibili & intelligibili, siue sola sensibili.

*Quæ hoc genere comprehendat Aristot.*

## CAPVT XIV.

*Text. 19.*

*Text. 3.*

QVale a *vno modo dicitur differentia substantiæ. Exempli causſa. Quale animal est homo? bipes. Quale equus? quadrupes. Qualis item figura circulus? angulorum expers: quasi differentia, quæ ad substantiam spectat, qualitas sit. Itaque hoc vno modo qualitas dicitur substãtiæ differentia. Alio* b *modo vt immobilia & Mathematica: quo pacto numeri quales quidem dicuntur, vt* c *compositi, & qui non solùm ad vnum sunt, sed eiusmodi etiam, vt eos planum ac solidũ imitẽtur. Hi verò sunt, qui aliquoties quãti, vel aliquoties*

*Cur exempla in numeris attulerit.*

sentaneum, vt post qualitates essentiales primus locus daretur accidentariis rerum abstractarum à materia, siue sensibili & intelligibili, siue sola sensibili.

*Numeri cõpositi apud Mathematicos qui.*

c *Vt compositi.* Prætermissis exemplis earũ qualitatum, quæ sunt propriæ substãtiarum separatarum, quod à nostris sensibus sint remotissimæ, subiicit exempla figurarum in numeris compositis, quod figuræ simplicibus numeris non vniuersè conueniunt, vt patebit. Facilius attulisset exemplum in figuris magnitudinum: propterea tamen fortasse in numeris attulit, quia numeri sunt minus materiales, ac proinde magis abstracti, quàm magnitudines Mathematicæ.

NVMERI compositi dicuntur apud Mathematicos ij, qui coalescũt ex vno, aut pluribus ductibus alicuius numeri in seipsum, vel in alium numerũ: qua ratione quattuor, sex, octo, & duodecim dicuntur compositi: quattuor quidẽ, quia fiunt vno ductu binarij in se ipsum: siquidem bis duo sunt quattuor: sex autem, quia fiunt vno ductu binarij in ternarium aut (quod eodem redit) ternarij in binarium, quod bis tria, vel ter duo conficiant sex: octo verò, quia fiunt duobus ductibus binarij in binarium: quandoquidem bis duo, si bis sumantur, efficiunt octo: denique duodecim, quia fiunt duobus ductibus, binarij in ternarium, aut ternarij in binarium: bis enim tria bis sumpta, aut ter duo bis accepta conficiunt duodecim.

*Numeri simplices qui & primi.*

NVMERI simplices, siue non compositi, qui etiam primi appellantur, non sunt quidem illi, qui ex vnitatibus non componãtur (hoc enim pacto ne numeri quidem essent) sed sunt ij, qui non coalescunt ex ductu numeri in numerum, vt binarius, ternarius, quinarius, & alij infiniti, quos ea ratione Aristoteles hic vocat ad vnum, quòd coalescant ex sola repetitione vnitatis. Ideo autem exempla figurarum non afferuntur hoc loco in simplicibus, quia simplices, cùm non generentur ductu numeri, sed solius vnitatis, non possunt sibi vllam figurã vendicare, si recta ducantur. Nam quemadmodum nulla magnitudo figuram habet, nisi omni ex parte lineã aut lineis claudatur, ita nullus numerus, nisi vndique claudatur numero aut numeris, quod vtique non fiet ducta sola vnitate more puncti ad conficiendam rectam vnitatum seriem. At numeri, qui fiunt vno ductu numeri in numerum (qui vocantur hoc loco aliquoties quanti) quattuor

*Numeri aliquoties quãti.*

*Plani & superficiales cur dicantur.*

clauduntur numeris, vt patet in quaternario & senario: habent enim quattuor latera more superficiei quadratæ, & altera parte longioris. Vnde fit, vt plani & superficiales appellentur, & figuram quadrati, vel altera parte longioris sibi vendicent: quadrati, si fiant ductu cuiusuis numeri in se: altera parte longioris, si ductu vnius in alium, vt videre est in propositis exemplis. Qui autem fiunt duplici ductu numeri in numerum (quos hic vocat Aristoteles aliquoties quantos aliquoties) sex numeris clauduntur necessariò, vt patebit in octo taxillis, si in figuram cubicam, siue quadrantalem conformentur, & in duodecim, si superiori numero addantur quattuor ex vno latere, vt tota figura sit parallelepipeda, quæ altera parte longior est: habet enim vterque numerus sex latera more corporis cubici, aut parallelepipedi. Hinc fit, vt hi numeri solidi appellentur, figurámque cubicam, aut parallelepipedam habeant: cubicam quidem, si gignantur duplici ductu cuiusuis numeri in se: parallelepipedam aũt, si duplici ductu vnius in aliũ.

*Numeri solidi.*

*Dubitatio.*

*Soluitur.*

SED cùm numeri compositi videãtur imitari planum ac solidum, siue superficiẽ & corpus: quærat aliquis, cur potius dicat Aristoteles planum ac solidũ imitari huiusmodi numeros. Nempe, vel quia numeri propter maiorẽ abstractionem, & in ratione mensuræ sũt priores magnitudinibus, vnde & Arithmetica præcedit Geometriam, vel in gratiam Platonis, q ideas numeros esse dicebat, quòd cętera omnia imitarentur.

σάκις ποσοὶ ποσάκις: καὶ [d] ὅλως ὁ παρὰ τὸ ποσὸν ὑπάρχει ᾗ τῇ οὐσίᾳ. οὐσία γὰρ ἑνάστῳ, τὸ ἅπαξ, οἷον τῶν ἐξ ἓν ὁ δίς, ἢ τρὶς [*] ἓν ἐστιν, ἀλλ' ὁ ἅπαξ· ἐξ ᾧ ἅπαξ ἐξ. ἐπὶ [e] ὅσα πάθη τῶν κινουμένων οὐσιῶν, οἷον θερμότης καὶ ψυχρότης, καὶ λευκότης, καὶ μελανία, καὶ βαρύτης, καὶ κουφότης, καὶ ὅσα τοιαῦτα, καθ' ἃ λέγονται ἀλλοιοῦσθαι τὰ σώματα μεταβαλλόντων. ἔτι [f] ἀρετὴ καὶ κακία, καὶ ὅλως τὸ κακὸν, καὶ ἀγαθόν. ἐκεῖνο μὲν οὖν, οὐ τρόποις λέγοιτ' ἂν τὸ ποιὸν, καὶ τὸ τῶν ψα τὸν κυριώτατον. πρώτη μὲν οὖν ποιότης, ἡ τοῦ οὐσίας διαφορὰ τάττης [h] λέτι καὶ ἡ ἐν τοῖς ἀριθμοῖς ποιότης μέρος· διαφορὰ γάρ τις οὐσιῶν ἀλλ' ἢ ὁ κινουμένων, ἢ ἐχ ἢ κινουμένων. τὰ [i] δὲ πάθη τῶν κινουμένων, ἢ κινούμενα καὶ αἱ τῶν κινήσεων διαφοραί. ἀρετὴ [k] δὲ καὶ κακία τῶν παθημάτων μέρος τι: διαφοράς γ' ἀλλήλοις ἃ κινήσεως, καὶ τ' ἐνεργείας, καθ' ἃς ποιοῦσιν, ἢ πάσχουσι καλῶς, ἢ φαύλως τὰ ἐν τῇ κινήσει ὄντα. τὸ μὲν γὰρ ὧδι δυνάμενον κινεῖσθαι: ἢ ἐνεργεῖν ἀγαθὸν: τὸ δ' ὧδι καὶ ἀναγκαῖον. μοχθηρόν. μάλιστα [l] δὲ τὸ ἀγαθὸν, καὶ τὸ κακὸν σημαίνει τὸ ποιὸν ἐπὶ τῶν ἐμψύχων, καὶ τούτων μάλιστα ἐπὶ τοῖς ἔχουσι προαίρεσιν.

γρ. τίσιν.

*Quæ ad secundum qualitatis genus pertineant.*

d *Et omnino.* Sensus est, quicquid absolutum cernitur in substantia numeris compositis subiecta præter ipsam quantitatem, seu vnitatum collectionem, in qua essentia eorum consistit, ad qualitatem huius secundi generis spectat. Ita pertinebunt ad hoc genus non solùm figuræ numerorum compositorum, siue planæ sint, siue solidæ, sed etiam ipsa eorũ peculiaris cõpositio ex ductu numeri in numerum resultans, quæ dispositio quædam videri potest: accidit enim ipsi substantiæ talium numerorum, quippe cùm substantia cuiusque numeri sit ipsum semel, hoc est, in vnica vnitatũ acceptione consistat. Exẽpli causſa, non ideo senarius est senarius, quia fiat ductu binarij in ternarium, aut ternarij in binarium, sed in eo, quod semel, atque vno ductu sumantur sex vnitates, & sic in cæteris. Vnde patet numerum compositum non solum propter figuram, sed etiam propter ipsam dispositionem, quæ fit ductu numeri in numerum, esse numerum cum qualitate accidentaria.

POTEST etiam totus hic locus (& fortasse aptius) à verbis illis, *hi verò sunt qui, &c.* sic exponi, vt prius Aristoteles referat in qualitates ipsas numerorum dispositiones, quæ consistunt in vno aut pluribus ductibus numerorum in numeros. Deinde addat verba illa, *& omnino quicquid, &c.* vt complectatur etiam figuras, quæ sequuntur eiusmodi dispositiones. Alij nonnulli aliter locum exponunt, sed eorum expositio non vsquequaque placet. Num autẽ Aristoteles hoc genere explicando innuerit solum quartum genus qualitatis accidentariæ à se positum in Prædicamentis, quod figuram & formam appellauit, an aliqua etiam ex



ex parte primum, inferius intelligetur.

*Tertium qualitatis genus.*

*Cap. 3. à tex. 14.*

e *Præterea omnes.* Tertium qualitatis genus esse ait affectiones substantiarũ mobilium, quas in Prædicamentis nomine passionum & patibilium qualitatũ complexus est, & ad quas solas. 7. Physi. libro alterationem esse dixit. Cur autem grauitas & leuitas, quæ huc propriè spectant, superiori cap. inter quantitates numeratæ sint, ad eum locum expositum habes.

*Cap. de Qualitate.*

*Quartum genus.*

f *Ex virtute.* Quartum hoc extremúmq; genus, quod Aristoteles in Prædicamentis primum fecit, complectitur virtutem, vitium, & cæteras qualitates, quæ eo loco dicunt habitus & dispositiones, quæ quidem definiri solent qualitates, ob quas res quæq; dicitur bene aut male affecta, cuiusmodi dicuntur esse non solùm virtus & vitium, quæ hic exprimuntur, sed etiam scientia & error, sanitas & morbus, pulchritudo & fæditas, & aliæ similes. Porrò sensus verborũ sic supplendus est. *Ex virtute etiam ac vitio, & in summa, ex bono ac malo dicuntur qualia.*

*quoties quanti aliquoties dicũtur: &* [d] *omnino id, quod præter quãtitatẽ in substantia inest. Substantia, n. cuiusq; est ipsum semel, veluti ipsorũ sex, non quibus, aut ter est, sed qui semel: sex enim semel sex sunt. Præterea* [e] *oẽs affectiones substantiarũ, quæ mouẽtur, vt calor, frigus, albedo, nigredo, grauitas, leuitas, & cætera huiusmodi, quibus corpora, quæ mutãtur, alterari dicũtur. Ex* [f] *virtute etiã ac vitio, & in summa bono, ac malo. Itaq;* [g] *duobus ferè modis quale dici potest, & horum vno potissimo. Prima enim qualitas est differẽtia substantiæ: huius* [h] *aũt pars quædã est ea qualitas, quæ est in numeris: est enim quædam substantiarum differentia, tametsi nõ earum, quæ mouentur, aut certè non qua ratione mouentur. Alia* [i] *verò sunt affectiones eorũ, quæ mouentur, qua ratione mouentur, & ipsæ motuum differentia: virtus* [k] *aũt & vitiũ pars quædam sunt affectionum: significãt enim differẽtias motus & operationis, quibus ea, quæ mouentur, bene aut male agunt, aut patiuntur. Quod enim hoc pacto moueri aut agere potest, bonũ est: quod illo atque contrario, malum. Maximè* [l] *autem bonum ac malum qualitatem in rebus animatis significant, in iis potissimum, quæ electionem habent.*

g *Itaq; duobus.* Reuocat iam quattuor tradita qualitatum genera ad duo quasi capita, quorum primũ ac præcipuũ est differẽtia essentialis: hæc enim cũ natura, quã facit quale, cõstituit speciem, & cæteræ qualitates efficere non possunt.

*Quattuor genera ad duo reuocat.*

h *Huius autem.* Quoniam apud Platonem genera & species rerum, ac proinde differẽtiæ essentiales erant separatæ à rebus sensibilibus, & (quod hinc sequitur) re ipsa immobilia, iccirco Aristoteles quasi secutus eius sententiã, reuocat qualitates accidentales rerum Mathematicarum ad essentiales, eo q; sint accidentales differentiæ rerũ separatarum à motu, quas omnes Plato substantias esse volebat: separatarum, inquam, si non re, vt ille existimabat, certè ratione ac consideratione. Itaque prima duo genera hac ratione conueniunt, quod sunt qualitates rerum immobium, aut certè mobilium, non qua ratione mouentur.

i *Alia verò.* Alterum quasi caput esse docet tertium genus ex quattuor traditis, quod complectitur patibiles qualitates (quas hic communi, quasi peculiari nomine affectiones siue passiones appellat) & eas, q magis proprie dicuntur passiones, quas hic vocat motuũ differentias, q̃ in quodam quasi transitu consistãt.

*Quo pacto habitus omnes, & dispositiones ad motum referantur.*

k *Virtus autem.* Ad hoc secundum caput reuocat Arist. virtutem, vitium, & quæ sunt humanæ naturæ propria: quod idem intelligendum est de cæteris habitibus & dispositionibus rerum naturalium: omnes enim modo aliquo referuntur ad motum siue propriè dictum, siue impropriè, idque aut actiuè, aut passiuè. Ex habitu enim aut dispositione, qua res quæque bene aut male affecta est, prouenit, vt bene aut malè agat aut patiatur. Vnde fit, vt ex hoc vel illo modo agendi aut patiendi colligamus rem bonam esse aut malam. Ex his patet duo posteriora genera hac ratione conuenire inter se, & differre à duobus prioribus, quod aliquo modo ad motum referuntur.

l *Maximè autem.* Nomina boni & mali pro qualitatibus accepta significans habitus

habitus & dispositiones (quæ definiuntur, qualitates bene aut male afficientes subiectum) eas præcipuè, quæ assuetudine comparantur. Quoniam verò res cognitione carentes non assueſcunt, vt traditur initio secundi Ethicorum, iccirco Aristoteles hoc loco docet, bonum & malum maximè significare qualitatem in rebus animatis, hoc est, in animalibus: hæc enim sola ex omnibus rebus naturalibus cognitione prædita sunt. Addit autem, *in iis potissimum, &c.* quia boni & mali vocabulis potissimum significantur virtutes & vitia: at virtutes & vitia, si propriè loquendum est, in iis tantum cernuntur quæ ex electione agunt, quod ea sola sint libera, & quibus debeatur laus & vituperatio, quæ solius veræ virtutis & vitij sunt præmia. Atque hæc sunt, quæ ab Aristotele hoc capite dicuntur: in quibus etsi multa occurrunt, de quibus disputari possit; nos tamen misso primo genere qualitatis hic tradito quod non ponatur per se in prædicamentis, vt ex cap. 7. & 8. huius libri perspicuum est, de ea tantum diuisione qualitatis, quam Aristoteles in Prædicamentis scriptam reliquit; disputabimus, quod in ea Aristoteles solam accidentariam qualitatem quæ peculiare prædicamentum cõstituit, in suas species diuiserit. Qua in re ne longiores simus, tempúsque in minus necessariis rebus conteramus, duo tantum à nobis ex iis, quæ priuatim in Prædicamenta conscripsimus, huic loco ascribenda sunt. Vnum est, an qualitas in eo libro rectè distributa sit ab Aristotele in habitum & dispositionem, potentiam & impotentiam, passionem & patibilem qualitatem, figuram ac formam: hæc enim diuisio ex omnibus, quæ de qualitate tradi possent, maximè probari solet. Alterum qua ratione habitus & dispositio, cæteræque, aliorum membrorum complicationes inter se distinguantur.

*De quibus hoc loco disputandum.*

## RECTE, AN SECVS DISTRIBVTA *sit qualitas ab Aristotele in Prædicamentis.*

## QVÆSTIO I.

### *Argumenta pro vtraque parte.* SECTIO I.

*Non videri rectè distributã Qualitatem.*

QVOD ergo attinet ad priorem quæstionẽ, multa sunt, quæ diuisionem implicatam, atque adeo ineptam esse videantur conuincere.

*Primo.* PRIMVM, quia posteriora tria membra sub primo continentur: omnes enim naturales potẽtiæ, omnes denique figuræ ac formæ sunt qualitates bene aut malè afficientes subiectum: quæ est definitio communis habitui & dispositioni, quatenus peculiari ratione inter se conuenire, & ab aliis membris diuisionis differre dicũtur.

*Secundo.* DEINDE, quia tertium quoque & quartum diuisionis membrũ continentur sub secundo. Nam calor, & frigus durities, & mollitudo, ac cæteræ omnes qualitates tertiæ speciei sunt qualitates, quibus res agunt, aut resistunt: colores enim, qui minimè omnium qualitatum tertiæ speciei ad aliquid efficiendum videntur natura apti, efficiunt veras sui similitudines, quas & per corpora perspicua diffundunt, & in oculos imprimunt: figuræ autem omnes, cùm ad diuidendum aptæ sint aut ineptæ, non est, cur inter potentias & impotentias necessariò etiam ipsæ non numerentur.

*Tertiò.* TERTIO, quia quartũ membrum, sub tertio continetur: efficiunt enim figuræ ac formæ passionẽ in sensu tactus, quod luce est clarius.

*Pars oppositæ quæstionis.* QVOD verò rectè distributa sit qualitas in quattuor prędicta mẽbra, suadet primum Aristotelis auctoritas, deinde omnium, qui post Aristotelem



Aristotelem scripserunt, communis huius prædicamenti explicatio. Nam etsi non desunt, qui plura genera qualitatum esse suspicentur, vt Simplicius & Boëtius in Prædicamentorum commentariis: nemo tamen (quod sciam) aliud genus qualitatis post Aristotelem adiecit, aut ex iis, quæ ab illo constituta sunt, vllum detraxit.

### *Reiicitur quorundam sententia.* SECTIO II.

*Tract. de qualitate cap. 3.*

VETERES quidam, quos Magnus Albertus in Commentariis Prædicamentorum refert, existimabant diuisionem hanc non esse generis in species, sed in modos quosdã accidentarios speciebus qualitatis: proinde non esse diuisionem exactam absolutè, sed quoad modos qualitatum magis tritos & vulgatos, quòd alij cõplures reperiantur. In quam sententiam magis inclinat Scotus in quæst. quas in eundem librũ scripsit, eandémque omnino amplectitur in quartum Sententiarũ librum: duobus potissimum argumentis hi Auctores propositam sententiam sibi persuadẽt.

*Opinio eorũ qui negãt diuisionem qualitatis esse generis in species.*

*De Qualitate. q. 1. d. 8. q. 10.*

*Placuit Scot.*

*Probatur.*

VNO, quia omnia aut plura membra prædicari possunt de vna & eadem qualitate secundum essentiam, vt de eadem figura, quod sit habitus, si tenacius inhæreat: dispositio, si facilè abiiciatur: potentia: si sit ad diuidendum apta: impotentia, si inepta, & ita in cæteris. 1.

ALTERO, quoniam Aristoteles ait initio illius capitis, qualitatẽ multis modis dici: & recensitis omnibus membris in quæ qualitatem distribuerat, mox subdit, alium fortasse modum inueniri posse, sed ferè omnes, qui maximè dici solerent, eos esse, quos enumerauerat. Docet autem Scotus hoc interesse inter speciem & modũ, quòd species addit differentiam essentialem super illud, cuius est species, modus autem solam differentiam accidentalem. 2.

*Refellitur hæc sententia.*

VERVM hæc sententia non placet. Primùm quia alij sunt modi non minus triti ac vulgati, quàm qui tradita diuisione continentur, vt habere contrarium, & non habere, suscipere magis ac minus, & nõ suscipere. Deinde, quia Aristoteles in recensendis membris diuidentibus vtitur nominibus speciei & generis, vt cùm ait: *Atque vna quidem species qualitatis, habitus & dispositio dicitur:* & infrà: *Alterum qualitatis genus est:* & sic deinceps. Quibus verbis satis indicat se non in modos accidentarios, sed in species subalternas qualitatis, & quæ genera sunt & species, qualitatem diuidere. Tertiò quia prædicamentũ qualitatis, quod eo loco conficit, non constat modis qualitatum, sed earum generibus & speciebus. Quartò, quia modi qualitatum non sunt qualitates, sed illarum accidentia, cùm tamen Aristoteles sæpe dicat ac probet, ea, de quibus loquitur in eo capite, esse qualitates. Postremò, quia obiectio illa, quã in extrema parte capitis diluit, ex eo difficultatem habere videbatur, quia habitus & dispositio inter species duorum generum numerantur, & Qualitatis, & ad aliquid. 1. 2. 3. 4. 5.

*Soluũtur argumẽta a prioris sententiæ.*

QVAPROPTER ad primũ argumentũ pro hac sententia dicendũ est, fieri non posse, vt vni & eidem speciei qualitatis plura membra huius diuisionis, quatenus inter se formaliter distinguuntur, cõueniãt. Nam etsi vna, & eadem res possit fortasse esse figura, & habitus, & potentia, &c. de qua re mox differendum est: numquã tamen figu-

ra,

Universidad de Deusto
Biblioteca



ra, vt figura est erit formaliter habitus aut potentia, & ita in cæteris.

*Cur Aristoteles modorum nomine qualitatis species appellarit.*

AD secundum dicito, Aristotelem species qualitatis nomine modorum appellasse, quia genus qualitatis in eis omnibus differentiarũ essentialium adiectione modificatum est, atque contractum. Quod autem postea addit: *alium fortasse modum, &c.* nõ ideò dictum est, quod alios qualitatũ modos esse crediderit, vt putant Simp. & Boët. sed primùm Sophistarum more rẽ non omninò certã asseueranter statueret: deinde vt lectorẽ ad maiorem harum rerum disquisitionem inuitaret.

*Loco citato.*

*Approbatio diuisionis Aristotelicæ, priorq; eius explicatio.* SECT. III.

*Assertio quæstioni respondens.*

DICENDVM igitur diuisionem traditam esse generis in species, valdeq; probabile esse nihil in ea deesse, aut superare, vel argùmentis duobus pro affirmatiua parte huius quæstionis adductis haud difficile quiuis sibi persuadeat. Sed quia multi erunt, qui eius rationẽ poscant, duas aptiores ex omnibus quæ afferri solent proponamus.

*Quæ est sententia Ammonij, & Alexandri, Alberti Mag. in Prædica. c. de qualitate, D. Tho. Cai. & aliorum.*

*Duplex ratio qua species qualitatis colliguntur.*

*Prior ex D. Thoma desumpta.*

PRIOR diuidendi ratio est D. Tho. a 1. secundæ, q. 42. quo loco in hanc sententiã scribit: *Qualitas est modus quidam accidentarius substantiæ, aut igitur comparatur cum natura subiecti, aut cum eius actione & passione, aut cum eiusdem quantitate. Si cum natura subiecti, nempe quatenus illi est consentanea aut dissentanea, conficit primam speciem, quæ habitus & dispositionis nomimbus significatur: habitus quidem si difficilè dimoueatur, dispositio, si facilè. Si verò cum eius actione & passione; aut consideratur, vt est principium actionis, passionisve, aut vt terminus* (sic enim interpretatur D. Thomam Caietanus in Prædicamentorum Commentariis) *si principium constituit secundam speciem: quæ potentia dicitur, si sit principium facile agendi aut resistendi, impotentia si difficilè: si verò vt terminus, hoc est, si motu aliquo acquiratur, in quo propriè actio & passio cernuntur, tertiam conficit speciem, quæ patibilis qualitas vocatur, si diu permaneat: passio verò si breui transeat. Si denique comparatur cum quantitate substantiæ subiectæ efficit quartam speciem: quæ figuræ nomine appellatur, si Mathematicè spectetur, hoc est, nulla habita ratione materiæ sensibilis: formæ autem si physicè, nempe quatenus coharet in materia sensibili, ac materiali.* Hæc ferè est ratio quæ à D. Thoma de diuisione Aristotelica redditur.

*Ita Simpl. & Porph. in prædic. c. de qualitate, & D. Thom. 1. 2. q. 49. art. 2. ad primum. Caiet. & Sot. in Prædicam. de Qualitate.*

*Ordo specierũ ex hac diuidendi ratione quã aptè deducatur.*

EX qua diuidendi ratione colligi potest, quàm aptus ordo in speciebus qualitatis constitutus sit, primo enim loco meritò posita est qualitas vt comparatur cum natura subiecti, quia natura siue essentia est primùm in quauis re. Secundo loco, vt est principium actionis, vnumquodque enim est propter suam operationem, vt Aristoteles docet 2. lib. de Cœlo. Tertiò, vt est terminus eius operationis, quæ est motus. Postremò vt cõparatur cum quantitate subiecti, quę posterior perfectione est, & natura & operatione. Sed contra hanc diuidẽdi rationẽ facere in primis vidẽtur tria illa quæ negatiuã quæstionis partẽ initio confirmabant: deinde hæc alia tria. Cum D. Tho. docet rationẽ qualitatis tertiæ speciei in eo positã esse, vt sit terminus motus, aut incipit motũ presse ac propriè, aut latè: nẽpe etiam pro motu impropriè dicto. Si propriè, ergo amor & odium, & cæteræ passiones animæ non pertinẽt ad tertiã speciem, cũ sint operationes appetitus sensitiui neq; ipsa secundũ se acquirãtur motu. Si latè, ergo habitus & dispositiones & omnes alię qualitates, quę actione qualibet fiunt, pertinent ad tertiam

*Ca. 3. text. 17.*

*Quæ videãtur cum hac diuidendi ratione pugnare.*



tiam speciem, quod ex eo falsum deprehenditur, quod pleræque nec efficiant passionem in sensibus, nec ex passione oriantur, in quo positam esse ait Aristoteles qualitatis tertiæ speciei rationem.

ACCEDIT quod lux Solis est patibilis qualitas, cùm efficiat passionem in sensibus, nec breui transeat: & tamen non est terminus motus siue propriè dicti, siue impropriè. Adde quod esse terminum motus non est in hac diuidendi ratione materialiter sumendum, sed formaliter: alioqui rationem formalem tertiæ speciei à rationibus aliarum specierum non distinguet. Ratio autem termini, vt terminus est, non est ratio ex qua res dicatur qualis sed relata.

*Solnuntur, ac in primis tria argumenta initio quæstionis proposita.*

HÆC tamen haud difficilè diluentur. Nam quod attinet ad prima tria argumenta initio quęstionis proposita: cum eadem res alia & alia ratione pertinere possit ad diuersa prædicamenta, vt idem motus ad prædicamentum actionis & passionis: quid mirum est, si alia & alia ratione pertineat ad diuersas species eiusdem prædicamenti. Itaque nullum est incommodum, si vnus & idem re calor, aut frigus sit habitus aut dispositio: quatenus bene vel malè afficit subiectum: potentia autem aut impotentia, quatenus facilè aut difficilè agere aut resistere potest: patibilis autem qualitas, quatenus per motum acquiritur, & ita in cæteris. Esset autem vel maximum, si qualitas quę re ipsa vna est tantùm, vna etiam & eadem ratione ad diuersas species qualitatis spectaret. Quod si hæc vera sunt, nullam vim habent contra hanc diuidendi rationem tria prædicta argumenta.

AD primum verò aliorum trium dici potest, motum in hac ratione diuidendi presè ac propriè accipi à D. Thoma, proinde eius sententia passiones animæ non pertinere per se ipsas ad tertiam speciem nisi ratione qualitatum sensibilium, quæ simul ipsis passionibus in in corpore fiunt: vt calor, cùm quis irascitur, & frigus cùm timet.

*Passiones animæ, an ad tertiam speciem pertineant.*

AD secundum dicito, lucem Solis iuxta hanc sententiam non pertinere ad tertiam speciem, sed ad primam, quatenus bene afficit subiectum, & ad secundam: quatenus est agendi principium: nec sat esse, quod efficiat passionem in sensibus, vt pertineat ad tertiam eò quòd Aristoteles non tradat eo loco rationem formalẽ tertiæ speciei qualitatis, sed solius impositionis vocabuli: quasi dicat ex eo quidem appellatas fuisse qualitates, quod efficiant passionem in sensibus, aut ex passione aliqua oriantur, tametsi non illis tantùm sed aliis etiam idem conueniat, quemadmodum etsi multis offendiculis lædantur pedes ambulantium: solus tamen lapis à lædendo pede nomen accepit.

*Lux Solis in qua sit species*

AD tertium dicendum est, esse terminum motus, non formaliter, sed materialiter accipiendum esse in hac diuidendi forma: neque inde effici rationem formalem tertiæ speciei non distingui hoc pacto rationibus formalibus aliarum. Nam vt distinguatur satis est, si qualitas ipsa natura sua sit acquisibilis per motum, etsi ratio eius non consistat in eo quòd motum terminet.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Alia ratio diuisionis Aristotelicæ.* SECTIO IV.

*Altera eiusdem diuisionis ratio explicatur.*

POTEST etiam alia ratio eiusdem diuisionis hunc in modum reddi. Qualitas aut est in sola superficie substantiæ, aut etiam interiùs, si interiùs, aut est sensibus subiecta, aut minimè: si sensibus subiecta est patibilis qualitas aut passio. Quod si non est subiecta sensibus, aut est à natura insita, aut acquisita: si insita à natura, est naturalis potentia aut impotentia, si acquisita, habitus aut dispositio. Hanc penè rationem affert Scotus, éstque magna ex parte desumpta ex Simplicio & Ammonio. Iuxta quam cernimus Aristotelem in his tradendis speciebus dignitatis ordinem seruasse. Eas enim primo loco posuit, quibus solis boni effici possumus. Secundò autem illas quæ etsi ex se neminem bonum faciunt, tamen excellentia naturæ suę non subduntur sensibus. Tertio loco sequuntur illæ, quæ etsi subduntur sensibus, non in sola tamen superficie existunt, vt existunt eæ quæ sunt quartæ speciei, quæ proinde ad extremum meritò reiecta est.

*Scotus in prædicam. q. 1. super capite de Quali. Simplic. & Ammo. in Prædi.*

*Ordo dignitatũ in speciebus qualitatis ab Arist. obseruatur.*

*Argumẽtum pro hac diuidẽdi ratione.*

QVOD autem hæc diuidendi ratio sit Aristotelis sententiæ consentanea, ex eo collige, quia 7. Phys. cap. 3. pro eisdem sumit qualitates sensibiles, atque qualitates tertiæ speciei: intelligit autem nomine sensibilium eas quæ singulis tantùm sensibus percipiuntur: sicque excludit figuras & formas, quæ percipiuntur pluribus sensibus. Putat ergo primæ ac secundæ speciei qualitates esse insensibiles, & cùm in secũda ponat insitas, reliquum est etiam, vt in prima ponat acquisitas.

*Textus 15. & 20.*

*Obiectiones contra eandẽ*

1. SED contra hanc quoque diuidendi rationem non desunt, quæ obiiciantur. Primùm enim pulchritudo est in sola superficie substantiæ, & tamen pertinet ad primam speciem, cùm sit habitus quidam, vt Aristoteles docet 7. Physic. cap. 3. Colores etiam in sola superficie videntur esse, vt colligi videtur ex definitione coloris tradita in lib. de Sensu & sensibili, & tamen pertinet ad tertiam speciem, vt in Prædicamentis capite ipso de Qualitate tradit Aristoteles.

*Textu 17.*

2. DEINDE quædam qualitates primæ ac secundæ speciei sunt sensibus subiectæ, vt calor & frigus quæ ab Aristotele eodem loco referuntur in primam speciem, & omninò etiam videntur pertinere ad secundam, cùm sint naturales potentiæ ignis & aquæ. Iamdiu enim è Scholis explosa est opinio illa de qualitatibus insensibilibus elementorum ad calefaciendum, refrigerandum, &c. quas nonnulli in elementis præter calorem, frigus, & alias sensibiles esse existimabant. Econtrariò autem quædam tertiæ speciei qualitates inueniuntur, quæ non sunt subiectæ sensibus, vt passiones animæ, quas tamen adeò perspicuè Arist. in tertiam speciem refert, vt durum videatur admodùm illas excludere.

*Cap. 3.*

3. POSTREMO multa sunt quæ ex duris fiunt mollia, & ex mollibus dura: at durities & mollitudo numerantur ab Aristot. inter qualitates secundæ speciei, quæ cùm natura sint insitæ, expelli nunquam à subiecto possunt. Adde quòd durities & mollitudo sunt qualitates sensibiles: in secunda autem specie non ponuntur iuxta traditam diuidendi rationem nisi insensibiles.

POSSVNT



*Prima solutio obiectionis.*

POSSVNT tamen & hæc facilè refelli. Primum, si dicas, etsi multi credunt pulchritudinem esse verè subiectam primæ speciei qualitatis: tamen propriè, ac per se non modo ad illam non pertinere, sed ne in toto quidem hoc prædicamento per se habere locum, quia non videtur simplex qualitas: constat enim ex apta figura, hoc est, naturæ rei consentanea, & suaui colore vno, aut pluribus, *Pulchritudo*, ait qui dam, *est apta membrorum figura cum coloris quadam suauitate.* Idem dicendum videtur de sanitate, quam etiam Arist. 7. Phys. cap. 3. in exemplum qualitatum primæ speciei refert: si sanitas, vt credibilius est, nõ est qualitas aliqua simplex & insensibilis: quæ ex humorum debita proportione ac temperamento resultet, vt multi etiam putant, sed est ipsum temperamentum, quod ex humoribus constat. Ideo tamẽ hæc in exempla qualitatum primæ speciei referuntur, quia propter quandam similitudinem cum veris & germanis eius speciei qualitatibus, inter eas numerari consueuerunt: idque ea fortasse ratione, quia vt virtus & vitium se ad animum habent, ita pulchritudo & deformitas sanitasq; ac ægritudo ad corpus. Quòd verò ad colorem attinet, dicendum est eum non in superficie tantùm, sed interius etiam inesse, neque aliud colligi ex definitione coloris, quàm quod color, qua ratione aspectum terminat, ita, vt vlterius non progrediatur, in sola superficie existit: de qua re fusius eo loco differunt Peripatetici.

*Tullius. libr. 3. Tusculanarum quæst.*

*Pulchritudinem non esse simplicẽ qualitatem.*

*Neque sanitatem.*

*Calorem & frigus non poni in prima specie qualitatis.*

SECVNDVM dissoluetur, si occurras, calorem & frigus non poni in prima specie qualitatis, nec afferri ab Arist. vt exẽpla dispositionum, quasi ad eam speciem per se ac propriè pertineant, quod Alexander, referente Simplicio, Magnus Alber. & alij non pauci annotarunt sed vt in eis, quod sensibus pateant, planius videamus, quopacto dispositiones, quæ sensibus non subiacent, facilè dimoueantur à subiectis. Passiones verò animæ eodem modo, quo iuxta superiorem diuisionis rationem, dicendum est non pertinere per se ipsas ad tertiam speciem, sed per qualitates adiunctas, quæ sensibus patent, & per quas cognoscuntur, vt ira per ardorem, metus per rigorem, de quibus sæpius Poëtæ: *Ignoscunt iræ*, inquit, de Turno Virgilius, *& duris dolor ossibus ardet*, & alibi de Græcis, *Obstupuere animi, gelidusq; per ima cucurrit Ossa tremor.*

*In lib. Prædicam.*

*Secunda solutio.*

*Passiones animæ quatenus ad tertiã speciem pertineant.*

*Æneid. 9.*
*Æneid. 2.*

*Tertia solut.*

TERTIVM verò diluetur, si respondeas, duritiem & mollitudinem, quæ ab Arist. in exemplum potentiæ & impotentiæ post alia quædam afferuntur, similitudinis tantùm gratia adiungi, vt de calore & frigore dictum est: quòd non obscurè innuit Arist. cùm ait, *his similia sunt durum & molle, &c.* Confirmari hoc potest ex iis, quæ 2. lib. de Gener. scribit Arist. vbi durum, & molle inter qualitates tertiæ speciei refert.

*Cap. 2. tex. 8.*

*Species intelligibiles Angelorum esse in prima specie.*

SIQVIS autem quærat, ad quod genus qualitatis pertineant species intelligibiles, quæ Angelis concreatæ sunt, dicendum est eas pertinere ad primum: quia etsi non sunt acquisitæ & collectæ ex rebus, vt nostræ: sunt tamen à Deo in ipsa creatione infusæ, nec more potentiarum à natura Angelica profluunt: id quod satis est, vt dicantur acquisitæ.

*Conferuntur inter se duæ propositæ diluendi rationes.*

SECTIO V.

*Quid sit hisce duabus diuidendi rationibus commune.*

IN his duabus diuidendi rationibus hoc commune est, quòd non tradantur per veras essentiales differentias, sed per eas, quæ locum verarum subeunt, vt auctores vtriusq; sententiæ annotarunt.

*Quid cuique peculiare.*

HOC autem cuiq; peculiare, quod prior essentia tantum distinguat: posterior autem non modo essentia, sed res etiam ipsas. Nam iuxta priorem eadem res potest esse in diuersis speciebus qualitatis, veluti calor in prima, secunda, & tertia, vt D. Thomas cõcedit. At iuxta posteriorem nulla eadem res ad diuersas species pertinere potest. Qualitas enim, quæ in sola superficie inesse potest, interius inesse non potest: & quæ sensibus subest, non est ex iis, quæ sensibus non percipiuntur: & quæ innata est, non est acquisita, & vice versa. *Loco citato.*

*Vera sit aptior, & magis probabilis Incommoda prioris sententiæ.*

QVAMQVAM verò prior sententia suam habeat probabilitatem, nõnulla tamen ex ea colliguntur, quę fortasse haud facile cõcedentur. In primis enim colligitur scientias & virtutes, quæ motũ intensionis terminant, pertinere ad patibiles qualitates, aut passiones non minus quàm lumen. Deinde nullam assignari posse qualitatem, etiam si simplicissimæ naturæ videatur, vt intellectus aut voluntas, in qua plures essentiæ non cernantur. Postremò, nullã tradi, quæ simpliciter & absolutè cõtineatur sub certa specie, sed semper opus esse distinctione, quæ diuersis rationibus ad diuersas species pertinere declaretur.

NVM autem habitus à dispositione & potentia ab impotentia, patibilis qualitas à passione, & figura à forma specie distinguãtur quòd æquè in vtraque sententia dubium relinquitur, id iam peculiari disputatione expendamus.

---

## *VTRVM HABITVS ET DISPOSITIO & cætera trium membrorum complicationes differant specie nec ne.*

## QVÆSTIO II.

*De habitu & dispositione.*

SECTIO I.

*Pars negatiua quæstionis*

BOETIVS, Albertus magnus, Ægidius Rom. & alij permulti sentiunt habitum & dispositionem non differre specie, sed solo accidentario discrimine perfecti, & imperfecti in eadem specie, vt virum à Puero. Proinde, vt homo potest ex puero in virum euadere non mutata specie: ita eamdem numero qualitatem posse ex dispositione fieri habitum retenta natura numerali eiusdem speciei: quam sententiam hisce argumentis ex Aristotele desumptis sibi persuadent. *In lib. Prædicam.*

PRIMVM



*Capi de Qualit.*

*Suadetur.*

PRIMVM, quia Aristoteles apertè ait in Prædicamẽtis, habitum & dispositionem esse vnam speciem qualitatis, quod verum non esset, si essent plures species contrà diuisę à se inuicem.

DEINDE, quia discrimen, quod inter habitum & dispositionem constituit, planè est accidentarium, nempe, quod habitus sit diuturnior, & difficiliùs dimoueatur, quàm dispositio,

TERTIO, quia idem eodem loco ait, dispositionẽ temporis diuturnitate posse vocari habitũ: quod videmus febri accidere, quę initio morbi facilè, aut non admodum difficilè dimoueri potest, vbi autem diu insedit, sępenumero in hecticam, siue habitualem desinit.

POSTREMO, addunt quidam & illud, quod Arist. scribit ad finẽ explicationis primę speciei, omnem habitum esse dispositionem, non tamen, contra, omnem dispositionem esse habitum: quod in eum sensum videtur accipiendum, vt omnis habitus fuerit aliquando dispositio, nempe cùm imperfectus erat: & tamen non omnis dispositio aliquando futura sit habitus, quia non quęlibet dispositio tandiu durat ac roboratur, vt aliquando habitus euadat.

*Art. 2.*

*Partem affirmantem teste D. Tho. magis esse consonam doctrinæ Aristotelis.*

DIVVS autem Tho. 1. 2. q. 49. ait, magis cõsentaneum esse doctrinę Aristotelis asserere habitũ & dispositionẽ differre specie. Re enim diligentius expensa docet, non in eo existimandum esse discrimen habitus & dispositionis consistere, quòd habitus vtcumq; sit diuturnus, & difficilè expellatur à subiecto, dispositio autem breui transeat, & facilè dimoueatur: sed in eo, quòd has conditiones sibi vendicent natura sua, ac ex propria specie, quæ necessariò diuersa esse debet. Neq; enim species vlla ex natura propria sibi vendicare potest oppositas conditiones, vt diuturua sit & non diuturna, facilè expellatur & non facilè. Itaque ex caussis propriis, ac per se facilè aut difficilè potentibus expulsionem è subiecto, iudicandum esse ait D. Thomas, sit ne qualitas dispositio, an habitus: etsi per accidens aliquando eueniat, vt quæ natura sua facilè abiici potest, diuturna sit, & difficilè abiiciatur, & quę natura sua diuturna est, & difficilè expellitur, ob aliquam aliam caussam facilè dimoueatur.

*Vt probet pro D. Tho. Caietanus hanc esse mẽtem Aristotelis. Primo. Secundo.*

ESSE autem eam mentẽ Aristotelis duobus potissimum argumentis pro D. Tho. probat Caietanus in Prædicamentis. Vno, quia Arist. in afferendis habituũ & dispositionum exemplis, nullam qualitatem numerauit inter habitus, nisi quæ habeat caussas per se difficilis expulsionis ex subiecto, nullã inter dispositiones, nisi quæ per se, & natura sua facilè abiiciatur. Altero, quia idem loco eodẽ perspicuè ait, scientiam esse habitũ, etiã siquis ea mediocriter sit instructus: quod sanè nõ dixisset, si imperfectam scientiã non esse habitũ credidisset: Tertium argumentum desumi potest ex D. Tho. 1. 2. q. 50. quòd Aristot. ibidẽ non audeat dicere, dispositionẽ temporis diuturnitate fieri habitum, sed vocari posse ὡς ἕξιν, hoc est, vt habitũ: quasi apertius diceret consequi posse quidem tẽporis longinquitate modum quemdam & similitudinem habitus, at nunquam re vera posse transire ex dispositione in habitum. Atq; hæc sententia, vt in se verior, & Aristotelis doctrinę accommodatior, nobis semper probata est, & nunc etiam probatur, *Art. 1. ad secundum.*

*Approbatio huius sententiæ.*

*Impugnatio & defensio sententiæ D. Thomæ.*

## SECTIO II.

*Quæ contra eamdem opponi possunt. Primo.*

NON desunt tamen quæ contra eam obiiciantur. Nam præter argumenta, quibus prior opinio confirmata est, alia non leuia se offerunt.

PRIMVM, non videri differentias essentialiter cõstitutiuas habitus & dispositionis, quod habitus natura sua & ex causis per se, aut nullo modo, aut difficilè diuelli possit, dispositio autem facilè. Id enim commune est aliis pleriſque qualitatibus, quæ in habitibus & dispositionibus non numerantur, vt videre est in potentiis naturalibus, & in primis quattuor qualitatibus.

DEINDE, quòd virtutes, quæ in habitibus numerantur ab Arist. tam facilè amittantur, quàm vitia contraria acquiuntur: id quod ex ipsa virtutis natura videtur prouenire, cùm virtus in rebus difficilibus versetur, vt Philosophi vno ore docent.

TERTIO, quod errores numerandi omnino videantur in habitibus, cum scientiis contrarij sint, ac proinde sub eodem proximo genere collocãdi videantur: & tamè natura sua facilè amoueri possunt, cùm innitantur principiis malè intellectis, etsi nonnumquam difficile dimoueantur propter naturam & conditionem subiectorum.

*Soluuntur in primis argumentis prioris sententiæ.*

SED hæc facile diluuntur. Nam in primo prioris sententiæ argumento nihil est difficultatis. Dicuntur enim habitus & dispositio vna species non identitate essentiæ propriæ, sed participatione naturæ communis, qua à cæteris immediatis speciebus qualitatis distinguũtur, quo pacto Porphyrius ait, *plures homines participatione speciei esse vnum hominem.* Quamquam & aliter responderi potest, eodem tamen sensu: cùm Aristoteles dixit habitum & dispositionẽ esse vnam speciem, nomine vnius speciei intellexisse primam, quod patet ex sequentibus: hoc enim ordine numerantur cæteræ species nomine generum. Alterum genus qualitatis est, id est, secundum: tertium genus, quartum genus. Est enim familiare Græcis, familiarius etiam Hebræis nomen vnius pro primo sumere, vt cùm Moses ait, *Factum est vespere & mane dies vnus*, id est, primus.

*Vnum frequẽter accipi solere pro primo.*

*In Isagoge c. de Specie.*

*Genesis. 1.*

AD SECVNDVM dices, actu quidem facilè & difficilè auelli, accidentarium esse habitibus & dispositionibus: at esse tale, vt ex natura ipsa aliud sibi vẽdicet difficilè auelli posse, aliud facilè, non est illis accidentarium, sed essentiale.

AD TERTIVM, iã ex dictis patet dicendum esse, si propriè quidẽ loquendũ est, numquam dispositionem fieri habitũ, aut simpliciter & absolutè vocari habitum, sed vt habitum, quo pacto loquitur Aristoteles: at impropriè posse dici habitum, si temporis decursu in modum naturæ corroborata sit, vt de febri habituali dictũ est. Vnde nata est distinctio, qua habitus & dispositiones apud quosdam diuidi solent in habitus & dispositiones secundum essentiam, & secundum modum: quorum illa ita sunt affecta ad se inuicem, vt nunquam alterum fiat ex altero: hæc verò ita, vt sæpe alterũ in alterũ commutetur.

*Distinctio habitum & dispositionum apud quosdam vsurpata.*

AD quartum dicendum est, durã esse admodũ eam expositionem, omnem



omnem habitum esse dispositionem, id est, fuisse, & tamen non omnem dispositionem esse habitum, id est, fore: præsertim cùm prior harum propositionum sit falsa. Sensus ergo loci est, omnem habitum esse dispositionem sumpto latiùs nomine dispositionis ad significandum commune genus habitus & dispositionis presè acceptæ, quo eodem modo sumit Aristoteles dispositionis verbum in explicando secundo qualitatis genere. Cùm enim primum genus sit innominatum, significari solet nomine huius vel illius speciei latiùs sumpto. Interdum enim dicitur habitus, interdum dispositio, tametsi sæpiùs appellatur dispositio quàm habitus, propter imperfectionem naturæ genericæ, cui aptiùs accommodatur nomen imperfectioris speciei. Est autem dispositio hoc modo accepta qualitas insensibilis & acquisita, quæ si natura sua difficile auellatur, erit habitus: si facilè dispositio presè accepta.

*Vera expositio loci Arist.*

*Definitio primæ speciei generatim sumptæ.*

*Textu 17.* HOC pacto sumitur dispositio 2. Top. cap. 2. cùm Aristoteles ait: *dispositionem esse genus disciplinæ*, & 7. Politicorum cap. 1. cùm scribit: *optimas dispositiones eò esse præstantiores, quò sunt præstantioris subiecti*, & 7. Phys. c. 3. cùm dicit: *habitum esse dispositionem perfecti ad optimum*, id est, naturæ omninò iam perfectæ ad perfectam operationem: non perficitur enim omninò natura (intellige autem per modum naturæ, hoc est, per modum principij, vt excludantur actus) nisi per habitus: potentiæ enim sunt in natura quantumcumque imperfecta: dispositiones autem specialiter acceptæ: etsi perficiunt per modum naturæ, non perficiunt tamen omninò ac perfectè. Aduerte autem obiter, non definiri eo loco habitum vniuersè, sed pro operatiuis tantùm, nec pro omnibus operatiuis, sed pro bonis duntaxat, quas virtutes appellamus.

*Exponitur definitio habitus ex 7. Physicorum.*

*Textu 25.* SIGNIFICATVR etiam nomine habitus idem commune genus innominatum hoc libro, cap. 20. cùm Aristoteles ait: *habitum esse dispositionem qua aliquid bene, aut malè se habet ad se, vel ad alterum.* In hac tamen definitione dispositionis nomen latissimè sumitur: nempe vt est commune quippiam dispositioni partium in toto, quæ pertinet ad prædicamentum quantitatis, dispositioni partium in loco, quæ pertinet ad Prædicamentum situs; & dispositioni huius prædicamenti propriè. Addit autem *bene aut malè*, ad determinandum commune illud ad primam speciem qualitatis. Demique addit: *ad se, vel ad alterum*, vt significentur duo habituum aut dispositionum genera: vnum quo res non disponitur immediatè ad operandum, sed in seipsa: cuiusmodi est sanitas & morbus, & pulchritudo & fœditas in corpore, gratiáque & quorundam sententia peccati macula in anima, tametsi priora exempla non continent simplices qualitates: alterum quò res immediatè disponitur ad operandum.

*Nomine etiã habitus idem commune genus exprimi. Exponitur alia definitio. Triplex dispositio.*

AD primum autem ex adiunctis argumentis dicendum est, natura sua facilè aut difficilè dimoueri posse, non esse differentias essentialiter constitutiuas habitus & dispositionis, quæ nobis ignotæ sunt, sed eas indicare: non absolutè tamen, sed quatenus ipsa cernuntur in genere illo innominato dispositionis latè acceptæ.

*Ad argumenta addita hac ipsa sect. contra approbatam sententiam respondetur.*

AD

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Cur virtutes difficile acquiramus, amittamus facilè.*

*Vitia modo contrario.*

AD secundum dicito, virtutes difficilè acquiri, & facilè amitti in nobis propter deprauationem naturæ, in qua pars sensitiua rationi rebellis est: quemadmodum vitia quæ contra naturam rationalem sunt, ob eandem naturæ deprauationem facile à nobis acquiruntur, & difficile amittuntur, non tamen difficilè acquiri, & facilè amitti spectata natura ipsarum virtutum, & eius, quod in nobis præcipuum est: sunt enim consentaneæ naturæ rationali ex propria ipsarum conditione & natura, vnde est illud quod plerique sapientes scribunt: Congenita nobis esse à natura virtutum semina, quibus si cultus adhibeatur, magnum ex illis prouentum colligendum. Atque id quod dicimus de virtutibus & vitiis in statu naturæ deprauatæ propter peccatum primorum parentum, intelligendum est in statu purè naturali, quem solùm agnouerunt Philosophi: æquè enim nobis difficilis acquisitio, & facilis amissio esset virtutum, si in puris naturalibus nasceremur, atque nunc est, cùm nascimur rectitudine illa primæua naturæ humanæ destituti, qua Dei dono maximo pars sensitiua rationali ad nutum obediebat.

*Naturæ nostræ deprauatio Philosophis fuit ignota.*

*In statu purè naturali idé nobis euenisset.*

*Errorem non esse habitum præsè sumptum.*

AD tertium negandum est, errorem collocari sub eodem proximo genere sub quo scientia. Diuiditur enim primùm dispositio generaliter accepta in habitum & dispositionem specialiter sumptam: deinde habitus in scientias & virtutes, & si quę sunt alia huiusmodi: posteà dispositio in errores, vitia moralia, & aliàs huius generis qualitates. Quòd si quis obiiciat, si vnum contrarium sit habitus, alterum quoque fore habitum: tùm solùm id concedendum est, cùm contraria sunt sub eodem immediato genere, quod non accidit in scientia & errore.

*Obiectio.*

*Soluitur.*

## *De cæteris tribus complicationibus.*

### SECTIO III.

*In cæteris cõplicationibus non dari specificã distinctionem. Probatur in 2. specie.*

DE cæteris tribus complicationibus naturalis potentiæ & impotentię, patibilis qualitatis & passionis, figurę ac formę alia ratio est, atque de habitu & dispositione. Nam quod attinet ad potentiam & impotentiã, siue naturalem vim & imbecillitatem, etsi non desunt qui alteram ab altera specie differre dicant: si quis tamen vel paululũ aduertat animũ, perspicuè intelliget solo accidentario discrimine distingui. Primũ quia naturalis potentia eò loco dicitur qua facilè quæq; res agit aut resistit: impotẽtia autem seu imbecillitas naturalis quę ægrè seu difficilè: facilè autem & difficile aliquid agere, aut alicui resistere, perspicuè cernuntur ad eãdem potentiam specie pertinere, vt facilè & difficilè, seu ægrè videre & audire. Neque enim facultas videndi & audiendi pueri, & senis differunt specie, sed solo vigore & imbecillitate, quod idem perspicuè cernitur in facultate hominis à natura sani, qua facilè morbis resistit, & imbecillitate valetudinarij, qua ægrè & cum difficultate id facit. Deinde quia facultates naturales suis operationibus distinguuntur, ita vt si operationes non differunt specie, neque ipsæ facultates specie differant: quis autem dicat, facilè aut ægrè aliquid agere, aut agenti resistere, differre inter se specie, cùm apertè differant solis gradibus, vt sic dicam, perfectiùs & imperfectiùs agendi aut resistendi?

QVOD



*Obiectio.*

QVOD si quis obiiciat, potentiã audiendi esse impotentiã videndi, & contra potentiam videndi esse impotentiam audiẽdi: at potentias videndi & audiendi differri specie, quemadmodum & earum operationes, ergo potentiam & impotentiam videndi & simpliciter audiendi differre specie, atque ita rem habere in cæteris, negandum est quod assumitur: non enim per potentiam videndi ægrè audimus, aut per potentiam audiendi, ægrè videmus, sed nullo modo per illam quidem videmus, per hanc verò audimus: impotentia autem non dicitur loco citato esse id quo agere non possumus, sed quo non facilè. Ac merttò quidem, nam impotentia illa pura non est ens, sed negatio entis. Itaque potentia ad actum vnius speciei, non est impotentia ad actum alterius speciei: siue impotentia sumatur pro pura impotentta, quæ est non ens, siue pro potentia, qua ægrè agere possumus eundem actum: sed eadem potentia, cùm imperfecta est, & ægrè potest in proprium actum prodire, tum dicitur impotentia seu potiùs imbecillitas.

*Dilu tur.*

*In tertia specie dari distinctionem specificam, vt probari possit ab aliquo.*

QVOD verò attinet ad patibilem qualitatem & passionem, quarum illa diu durat, hæc breui transit: dicat aliquis fortasse idem sentiendum esse de earum distinctione, atque de discrimine habitus & dispositionis. Quamuis enim concedatur, diuturnam durationem & breuem transitum non distinguere specie qualitates huius compli cationis: at tale esset vt sibi vendicet natura sua diuturnitatem, & tale vt ex natura propria breuem transitum: hoc sanè non minùs videtur distinguere specie qualitates huius generis, quàm facilè & difficile dimoueri natura sua à subiecto, distinguit species primi generis. Atque exempla sunt in promptu. Nam sonus campanæ, quia natura sua breui transit, specie distinguitur ab eiusdem colore, qui suaptè conditione diu durat: & lumen productum à Sole apud nos, quia eiusmodi est, vt diu non permaneat, specie distinguitur à luce, quæ soli congenita est, & sic res se habet in cæteris.

*Vera sententia.*

NON ita tamen sentiemus, si rem diligentiùs expendamus. Nam etsi qualitates tertij generis, quæ natura sua diuturnæ sunt, & ex alterius corporis præsentia non pendent, nõ possint eiusdem speciei esse cum iis quæ natura sua breui transeunt, aut pendent ex alterius corporis præsentia: tamen non hoc requiritur ad distinctionem patibilis qualitatis & passionis. Namque in vna & eadem specie ponit Aristoteles discrimen passionis & patibilis qualitatis: vt in rubore ex verecundia emergente, & à natiuitate insito: in pallore item ex metu contracto, & ex ipsa corporis constitutione. Quin etiam lux Solis, quia perennis est, patibilis qualitas dicitur: Lunæ verò quia ex vario aspectu Solis continenter mutatur & interdum terræ interiectu prorsus tollitur, passio est non patibilis qualitas. Non distinguitur ergo passio à patibili qualitate, nisi tanquam à qualitate diuturna breui trãsiens: quod discrimen accidentarium est, non specificum.

*Lux Solis qualitas patibilis. Lunæ passio.*

EADEM ratio discriminis est inter figuram & formam. Nam vna & eadem qualitas resultans ex terminatione magnitudinis, si consideretur Mathematico more, dicitur figura: si physicè dicitur forma. Atque hæc de qualitate sint satis.

## CAPITIS DECIMIQVINTI EXPLANATIO.

*Relatorũ per se tria genera*

AD a *aliquid dicuntur*. Agit de distinctione relatorum: ac primùm quidem de iis, quæ per se referuntur, quorum tria esse genera statim initio constituit, eáque familiaribus exemplis explicat, dicturus postea breuissimè de iis, quæ sunt relata per accidens.

*Expositio relatorum per sua fundamẽta.*

b *Ac prima*. Exponit proposita relatorum genera per fundamenta relationũ, docétque ea relata pertinere ad primum genus, quorum relationes fundantur in numero, aut vnitate, quæ est principium numeri. Cùm autem tribus modis id fieri possit (aut enim altera correlatiuorum relatio fundatur in numero, altera in vnitate, aut vtraque in numero, aut vtraque in vnitate) missò tãtisper tertio modo, priores duos sic explicat. Quædam relatiua huius generis dici ex numero, seu, ꝙ idem est, ratione numeri, idque aut simpliciter id est, indefinitè, aut definitè: & vtrouis modo vel ad ipsos, hoc est, ad numerum indefinitè aut definitè sumptum, vel ad vnum definitè etiam aut indefinitè acceptum. Ea relatiua dicuntur ex numero definitè sumpto, quorum nominibus significatur certa species numeri, cuiusmodi est duplum, cuius correlatiuum est dimidium: significat enim relationem duorũ ad vnum, quæ etiã cõuenit numero respectu numeri, vt quaternario respectu binarij, ga ita se habẽt quattuor ad duo ad vnũ. Ea verò dicũtur ex numero indefinitè sumpto, quorũ nominib. non significatur certa species numeri, sed solũ innuitur multitudo aliqua, cuiusmodi est multiplex, ꝙ est genus dupli: multiplex. n. cuius correlatiuum est submultiplex, significat relationem multorum ad vnum, quæ etiam conuenit numero respectu numeri, vt patet in speciebus multiplicis, duplo scilicet triplo, quadruplo, &c, omnes enim huiusmodi species dicuntur de numero non solum respectu vnitatis, sed etiam respectu numeri: cùm videlicet ita se habet numerus ad numerum, vt numerus ad vnitatẽ, quemadmodum de duplo dictum est: ad ea enim, ad quæ species referuntur, genus etiam referatur necesse est. Atque his duobus exemplis, dupli inquam, & multiplicis vtitur Aristoteles ad explicanda relatiua, quæ numeri ratione ad vnum dicuntur. In quibus exemplis illud intelligendum est, vnum illud, ad ꝙ duplum dicitur, definitum quoque esse ac certum, cùm semper sit dimidium, idémque accidere in aliis speciebus multiplicis. Triplum enim refertur ad tertiam partem, quæ dicitur, subtriplum, quadruplũ ad quartam, quæ dicitur subquadruplum, & sic deinceps. At vnum, ad quod refertur multiplex, non est definitum & determinatum, quia non est certa aliqua pars, vt dimidia, aut tertia, &c. sed aliqua ex partibus indefinitè sumpta.

ΚΕΦ. ΙΕ'.

Text. 20.

Πρὸς [a] τι λεγε), τὰ μ, ὡς διπλάσιον πρὸς τὸ ἥμισυ, καὶ τριπλάσιον πρὸς τὸ τριημόριον, καὶ ὅλως πολλαπλάσιον πρὸς τὸ πολλοστημόριον, καὶ ὑπερέχον πρὸς ὑπερεχόμενον· τὰ δ' ὡς τὸ θερμαντικὸν πρὸς θερμαντόν, καὶ ψυκτικὸν πρὸς ψυκτόν, καὶ ὅλως τὸ ποιητικὸν πρὸς τὸ παθητικόν, τὰ δ' ὡς τὸ μετρητὸν πρὸς τὸ μέτρον, καὶ τὸ ἐπιστητὸν πρὸς ἐπιστήμην, καὶ αἰσθητὸν πρὸς αἴσθησιν λέγεται· [b] διὸ τὰ μ πρῶτα κατ' ἀριθμὸν, ἢ ἁπλῶς, ἢ ὡρισμένως πρὸς αὐτοὺς, ἢ πρὸς ὅν· οἷον, τὸ μὲν διπλάσιον πρὸς ἓν ἀριθμὸς ὡρισμένος· τὸ δὲ πολλαπλάσιον, κατ' ἀριθμὸν πρὸς ἓν· ἔχ ὡρισμένον δὲ, οὗ τόνδε, ἢ τόνδε. τὸ δὲ [c] ἡμιόλιον πρὸς τὸ ὑφημιόλιον κατ' ἀριθμὸν πρὸς ἀριθμὸν ὡρισμένον· τὸ ἐπιμόριον πρὸς τὸ ὑπεπιμόριον ὡσαύτως, ὥσπερ τὸ πολλαπλάσιον πρὸς τὸ ἓν. τὸ δ' [d] ὑπερέχον πρὸς τὸ ὑπερεχόμενον,

Text. 20.

*Genesius in versione Alexandri.*

quod idem dicendum est de sesquitertio, sesquiquarto, & cæteris deinceps speciebus superparticularib. quæ referuntur ad subsesquitertiũ, subsesquiquartũ, & cætera deinceps correlatiua: significat enim sesquitertium tantumdẽ & tertiam partem (quæ est proportio quattuor ad tria) sesquiquartum verò tantumdem & quartam partem (quæ est proportio quinque ad quattuor) & ita deinceps. At superparticulare quoque est genus sesquialterius, sesquitertij, sesquiquarti, & sequentium specierum, cùm significet tantumdem & vnam præterea partem aliquotam, nullam certam partis speciem designando, nec dimidiũ, nec tertiam, quartámue, aut aliam deinceps, quæ ab aliqua numeri specie denominetur: nõ dubiũ est, quin dicatur ex numero indefinito ad numerum indefinitũ quemadmodum de multiplici dictũ est. Nec dubitare quisquam debet de subparticulari, quod est correlatiuum, superparticularis, respondeat ne illi vicissim per numerum an per vnitatem? Nam cùm subparticulare dicatur illud, quòd ab altero vna tantùm aliquota sui parte superatur, necessariò per numerũ dicitur: siquidem vnitas non habet partem, ne iam sit numerus.

c *Sesquialterum*. Quo pacto relatiua dicantur ratione numeri ad numerum docet Aristoteles exemplo sesquialterius & superparticularis, quod est genus sesquialterius. Nam sesquialterum cùm significet tantumdem & dimidiũ, quæ relatio primum cernitur inter tria & duo) refertur ratione numeri definiti ad numerum definitum, nempe ad subsesquialterum, quod est eius correlatiuum:



## CAPVT XV.

Tex. 20.

AD aliquid [a] alia dicuntur, vt duplum ad dimidium, & triplum ad tertiã partem, & in summa multiplex ad multiplicis partem, & exceditur. Alia, vt calefactiuũ ad calefactibile, sectiuũ ad secabile, & vno nomine actiuum ad passiuum. Alia, vt mensurabile ad mensurã, & scibile ad sciẽtiam, & sensibile ad sensum. Ac [b] prima quidem ex numero dicuntur, aut simpliciter, aut definitè ad ipsos, aut ad vnum. Verbi causſa, duplum ad vnum numerus est definitus: multiplex autẽ, ratione quidem numeri ad vnũ dicitur, non tamen definiti, vt huius, aut illius. Sesquialterum [c] verò ad subsesquialterum ratione numeri ad numerum definitum: at superparticulare, ad subparticulare ratione indefiniti dicitur, quemadmodum multiplex ad vnum. Excedens [d] autem ad id, quod exceditur,

*Quinque species excedentis rationali proportione.*

culari & speciebus eius, dicendum est de superpartiente eiusq; speciebus. Species enim superpartientis ratione definiti numeri ad definitum numerum dicũtur: genus autem ipsum ratione indefiniti ad indefinitum. Superparties enim dicitur id, quod continet tantumdem, & aliquot item partes aliquotas non efficientes vnam aliquotam: cuius species sunt, superbipartiens, quod cõtinet tantumdem & duas eiusmodi partes: supertripartiens, quod tantumdem & tres, atque ita deinceps. Vnde patet, idem quoque dicendum esse de reliquis duobus generibus excedentis rationali proportione: quorum alterũ vocatur multiplex superparticulare, alterum multiplex superpartiens, déque eorũ speciebus, quas nunc persequi non est necesse, cùm earum cognitio aliunde petenda sit: sunt enim suo modo composita ex prædictis generibus. Itaque cùm sint quinque species excedentis rationali proportione (quæ sola in numeris excedentibus cernitur) nempe multiplex, superparticulare, superpartiens, multiplex superparticulare, & multiplex superpartiens: primum quidem genus cum suis specieb. dicuntur ratione numeri ad vnum: reliqua verò quattuor, eorumq; species ratione numeri ad numerum: ita tamen vt genera dicãtur ratione numeri indefiniti ad indefinitum numerum, omnes autem species ratione definiti ad definitum.

*Ratio versionis.*

Qvod ad verba attinet, etsi illud ἡμιόλιον indifferens videatur ad significandum id, quod alterum excedit parte aliqua vna aut pluribus, eodémque modo verbum ὑφημιόλιον ad significandum quicquid siue vna tantum, siue pluribus superatur: tamen, quia exempla sesquialterius, & subsesquialterius, quæ Aristoteles præmiserat, ad genera subparticularis, & superparticularis pertinent, quæ vnius tantùm partis excessum aut defectum significant: ideo potius reddidimus verba subparticularis & superparticularis (quod vetus interpres, doctúsque Genesius Sepulueda prudenter fecerunt) quàm subpartientis & superpartientis, quod fecit Bessario.

*Excedens pro quo sumatur hoc loco.*

d *Excedens autẽ*. Excedens non sumitur hoc loco pro adæquato genere quem-

que illarum ſpecierum, quas nunc commemorauimus, ſed pro alio quodam ſuperiori genere, quod complectitur excedentia omnia, ſiue ea rationali proportione, ſiue irrationali ſua correlatiua reſpiciant: verbi cauſſa omnes numeri maiores excedunt minores rationali proportione, quia vnitas eſt communis menſura eorum omnium: at non omnis magnitudo maior excedit minorem eiuſmodi proportione, ſed interdum irrationali. Nam etſi omnis maior magnitudo, quæ denominatur ab ea ſpecie partium, à qua denominatur magnitudo minor, excedit minorem rationali proportione, eo quòd vtraque earum eadem menſura mẽſuretur, quo pacto ſe habet quadrupedalis magnitudo reſpectu bipedalis, aut tripedalis, menſuratur enim pede; tamen quæ ab eadem ſpecie partium denominari nequit, non excedit minorem proportione rationali, ſed irrationali, quo pacto ſe habet diameter quadrati ad latus.

ὅλως ἀόριστον κατ' ἀριθμόν. ὁ δ' ἀριθμὸς σύμμετρον, οὐ μὴ σύμμετρον δὲ ἀριθμὸν λέγεται· τὸ δ' ὑπερέχον πρὸς τὸ ὑπερεχόμενον, τοσοῦτόν ἐστι καὶ ἔτι. τοῦτο δὲ ἀόριστον· ὁπότερον γὰρ ἐτύχθη. ἔστιν ἢ ἴσον, ἢ οὐκ ἴσον. ταῦτά τε οὖν τὰ πρός τι ἅπαντα κατ' ἀριθμὸν λέγεται, καὶ ἀριθμῷ πάθη. καὶ [e] ἔτι τὸ ἴσον, καὶ ὅμοιον καὶ ταῦτα κατ' ἄλλον τρόπον· οὐ γὰρ τὸ φ λέγε) πάντα. ταῦτα μὲν γὰρ, ὧν μία ἡ οὐσία· ὅμοια δ', ὧν ἡ ποιότης μία· ἴσα δὲ, ὧν τὸ ποσὸν ἓν· τὸ δὲ ἓν, τὸ ἀριθμῷ ἀρχὴ. καὶ μέτρον. ὥστε ταῦτα πάντα πρός τι λέγεται. κατ' ἀριθμὸν μὲν, ὅ τὸν αὐτὸν δὲ [f] ποιητικὰ, καὶ παθητικὰ, οὐ δυνάμει ποιητικά τε, καὶ παθητικῶν, καὶ ἐνεργείας τὰς τῶν δυνάμεων, οἷον τὸ θερμαντικὸν πρὸς τὸ θερμαντόν, ὅτι δύνα): καὶ πάλιν τὸ θερμᾶνον πρὸς τὸ θερμαινόμενον, καὶ τὸ τέμνον πρὸς τὸ τεμνόμενον, ὡς ἐνεργοῦντα· τῶν [g] δὲ κατ' ἀριθμὸν, ὃν εἰσὶν ἐνέργειαι, ἀλλ' οὐ δύνασιν ἐνίοις ἐρηται· αἱ δὲ οὐ κίνησιν ἐνέργειαι, οὐκ ὑπάρχουσι. τῶν [h] δὲ οὐ δύναμιν, καὶ οὐ χρόνοις, οὐδὲ λέγονται τὰ πρός τι, οἷον τὸ πεποιηκὸς πρὸς τὸ πεποιημένον, ἢ τὸ ποιῆσον πρὸς τὸ ποιησόμενον· ὅτῳ γὰρ καὶ πατὴρ, ὑφ' οὗ λέγεται πατήρ· τὸ μὲν γὰρ πεποιηκὸς,

Docet ergo Aristoteles, excedens in commune, quod vtrunque genus complectitur, eſſe omnino definitum numero, hoc eſt, neque in ſe, neque in quibuſdam inferioribus ſuis denominari ab eadem ſpecie partium à qua denominatur id quod exceditur. *Numerus enim*, inquit, *commenſurabilis eſt*, nempe cũ quolibet numero: *at illud*, id eſt, excedẽs incommune, *ex non commenſurabili numero, dicitur*, hoc eſt denominari quidẽ poteſt in omnibus ſuis inferioribus, à numero aliquarum partium, à quibus ipſum menſuretur; ſed tamen non ſemper per huiuſmodi partes erit commenſurabile eum eo, quod excedit, quantumcunque paruæ illæ ſumantur: *excedens enim tantundem continet, & aliquid amplius, at hoc*, id eſt, id, quod tantumdẽ continet & aliquid vltra, *indefinitum eſt*, quod mox declarat. *Vt enim*, inquit, *fortè accidit, aut æquale eſt*: id eſt, menſuratur partibus æqualibus iis, quibus menſuratur id, quod exceditur, vt cernere eſt in omnibus excedentibus rationali proportione *aut non æquale* id eſt, non æqualibus, vt patet in excedentibus proportione irrationali.

*Relata quorũ relationes vtraque ex parte fundantur in vnitate. Vnitas in qualitate aut quãtitate vt ſit fundamentũ ſimilitudinis & æqualitatis.*

Quod ad verba attinet illud τὸ μὴ σύμμετρον δὲ ἀριθμὸν λέγεται nos ſic vertimus *illud verò ex non commenſurabili numero dicitur*, quod ſenſus omnino poſtulet, vt adhibeatur dictio *illud* quæ forſitan ex Græco contextu excidit, dicendumque erat τοῦτο λέγε).

[e] *Æquale etiam.* Ex relatis primi generis ea hactenus expoſuit, quorum relationes altera ſaltem ex parte fundantur in numero; nunc explicat ea, quorum relationes ex vtraque parte fundantur in vnitate; tametſi, vt ait, hæc quoque modo aliquo numeri ratione dicantur, quia vnitas eſt principium ac menſura numeri. Quo loco aduerte, ſubſtantiæ nomen accipi pro eſſentiæ, quippe cùm idem ſiue genere, ſiue ſpecie, ſiue numero non minus reperiatur in prædicamẽtis



tis accidentium, quàm ſubſtantiæ. Aduerte etiam, vnitatem qualitatis & quantitatis pro vnitate ſecundum ſpeciem determinatæ menſuræ ſumendam eſſe: neque enim omnia, quæ communicant in genere etiam ſubalterno qualitatis aut quantitatis dicuntur ſimilia aut æqualia, immo neque omnia, quæ communicant in ſpecie infima, niſi hæc ſumatur ſecundum eandem latitudinem intenſionis, aut extenſionis, quo pacto corporea æquè alba dicuntur ſimilia, & æquè longa, æqualia. Illud item animaduertendum relata ea, quæ hactenus explicata ſunt, dici inter ſeſe per exceſſum & defectum, ſiue commenſurabilem ſiue incommenſurabilem; hæc autem per vniformitatem.

*Secũdum relatorum genus.*

[f] *Actiua autem & paſſiua.* Exponit ſecundum genus relatorum, aitque illa per potentiam actiuam aut paſſiuam dici, aut per actiones, quibus huiuſmodi potentiæ in actum reducuntur: effectiua enim & paſſiua per potentiam dicuntur: efficientia verò & patientia per actiones, quibus aliæ potentiæ agunt, aliæ patiuntur, quæ omnia familiaribus exemplis illuſtrat. Itaque eorum hoc genus dicitur formaliter referri, relationib. fundatis in potentiis actiuis aut paſſiuis, aut certè in actionibus, quibus illæ agunt, & hæ patiuntur.

*Generis huius cum ſuperiore collatio.*

[g] *Eorum autem, quæ dicuntur ex numero.* Antequam abſoluat explicationem huius generis, confert illud cum ſuperiore, docétque in relatiuis primi generis nullas cerni actiones, quemadmodum in relatiuis ſecundi. Quamquam enim numeri dicuntur diuidi, atque in ſe ducti efficere numeros quadratos aut cubicos, & alia huiuſmodi agere aut pati; tamẽ cùm hæc omnia mente ac cogitatione tranſigantur, nec re vera attingant ea, quæ numerantur, actiones aut paſſiones numerorum dici non debent, niſi fortaſſe eo modo, quo intellectus dicitur pati à rebus, & res agere in intellectum, vt in libris de Anima traditur. nempe ſine motu: quamquam ne hoc quidem pacto numeri agunt aut patiuntur, cum re vera nihil accipiant, aut producant.

*Numeros nõ eſſe proprie actiuos aut paſſiuos.*

[h] *Iam quæ ex potentia dicantur.* Docet relatiua, quæ ex potentia dicuntur, per differentias etiam temporis præteriti & futuri poſſe diſtingui. Nam etſi ſunt quædam, quæ nullum certum tempus innuunt, vt calefactiuum & calefactibile; plerumque tamen innuunt præteritum aut futurum, vt patet exemplis hic adductis. Non meminit autem in hac diſtinctione eorum quæ adſignificant tẽpus præſens, cuiuſmodi ſunt calefaciens & id, quod calefit, quia huiuſmodi relata ab actu potius, quam à potentia dicuntur. Sed cum ea, quæ innuunt tempus præteritum aut futurum, ab actu etiam præterito, aut futuro dici videantur, cur hæc per potentiam referri dicta ſunt? nempe, quia in his non actus, ſed ſola po-

*exceditur, omnino indefinitum eſt numero. Numerus enim commenſurabilis eſt illud verò ex non commenſurabili numero dicitur: excedens enim ſi conferatur cum eo, quod exceditur, tantùm quid eſt, & eo amplius: at hoc indefinitum eſt: vt enim fortè accidit, aut æquale eſt, aut non æquale. Atque hæc omnia ex numero dicuntur ad aliquid, & numeri affectiones ſunt: Æquale etiam ſimile, atque idem modo alio: ex vno enim dicuntur omnia. Namque eadem ſunt, quorum vna eſt ſubſtantia: Similia quorum vna eſt qualitas: Æqualia, quorum quantitas vna: at vnum numeri principium, ac menſura eſt. Ita fit, vt hæc omnia ad aliquid, illa quidem numeri ratione dicantur, non tamen eodem modo. Actiua [f] autem & paſſiua ex potentia actiua & paſſiua potentiarum [g] actionibus dicuntur, vt calefactiuum ad calefactibile, quia poſſunt: rurſuſque calefaciens ad id, quod calefit, & ſecans ad id, quod ſecatur, quia in actu ſunt. Eorum [g] autem, quæ dicuntur ex numero, actiones non ſunt, niſi quo pacto alibi dictum eſt: certè eis cum motu nullæ conueniunt. Iam [h] quæ ex potentia dicantur ad aliquid, per tempora etiam dicuntur: veluti quod fecit, ad id, quod factum eſt: & id, quod facturum eſt, ad id, quod faciendum: ſic enim & pater filij pater dicitur: hoc enim fecit*

tentia exiſtit in rerum natura, vt fundamentum relationis eſſe poſſit.

l *Sunt etiam nonnulla.* Reuocat ad relatiua, quæ ex potentia dicuntur, ea, quæ dicuntur ex priuatione, potentiæ, vt impoſſibile & inuiſibile: hæc enim etſi reuera non ſunt relatiua; tamen, quia relationum priuationes ſignificant, ad relatiua reduci debent, præſertim cùm habeant quodammodo correlatiua, quæ ſibi ex altera parte reſpondeant: impoſſibile enim alicui impoſſibile dicitur, & inuiſibile alicui inuiſibile.

*Tertium relatorũ genus.*

k *Ea igitur.* Exponit relatiua tertij generis collatione ipſorum cum iis, quæ ad primum & ſecundum genus pertinent. Diſcrimen in eo poſitũ dicitur, quod omnia, quæ pertinent ad primum & ſecundum genus, ideo dicuntur ad aliquid, quia eorum quodque, ideo, ipſum, quod eſt, ad aliud dicitur: non autem, quia aliud ad ipſum, hoc eſt, quia vnumquodque eorum habet fundamentum ſuæ relationis in ſe, & non in ſuo correlatiuo: id quod ex eo patet, quia duplum & dimidium in ſeipſis habent, quare inuicem referantur; eodemq; modo calefaciens & id, q calefit, atque ira res habet in cęteris (quoenim pacto agens habet fundamentum ſuę relationis in ſe, & non potius in patiente, poſt explicabitur) at in iis, quæ ad tertium genus pertinent, aliter dicendum eſt. Etenim menſurabile non dicitur menſurabile perfundamentũ relationis, quod in ipſo ſit, ſed in menſura: id quod docet in ſpeciebus menſurabilis, vt in ſcibili, intelligibili, & aſpectabili ſeu viſibili: quo loco vtitur exemplis eorum, qui putabant intellectum & ſenſum eſſe rerum menſuras. Res enim, quæ ſciuntur, intelliguntur, & videntur, ab actibus ſciendi, intelligendi, & videndi, à quibus realiter non attingnntur, dicuntur ſciri, intelligi, & videri, atque adeo ſcibiles, intelligibiles, & viſibiles.

ALITER poteſt hic locus exponi, vt dicamus hoc intereſſe inter tertium genus & duo ſuperiora, quòd illa ex vtraque parte à ſuis formis habeant denominationem, veluti duplum à duplicitate, dimidium à dimidietate, agens ab actione, & patiens à paſſione. At in tertio genere, etſi vnum denominatur à ſua forma, vt menſura à menſuratione, ſcientia ab actu ſciendi, intellectus ab intelligendi, & viſus à videndi; alterum tamen non denominatur à forma ſua, ſed à ſuo correlatiuo; vt menſurabile à menſura, ſcibile à ſcientia, intelligibile ab intellectu, & viſibile à viſu: quæ expoſitio planior eſt, & menti Ariſtotelis forſitan accommodatior.

*Potentias quatenus tales non referri ad ſubiecta, ſed ad obiecta.*

l *Non eſt autem intellectus ad hoc, cuius eſt intellectus: bis enim idem dictum eſſet.* Docet obiter, intellectum, aſpectum, & alias ſimiles potentias, quatenus eiuſmodi ſunt, non referri ad ſubiecta, quibus inhærent, ſed ad obiecta, circa quæ verſantur; alioqui, quatenus tales ſunt, duplicem eſſentiam haberent, quod fieri nequit,

ωεποικὸς, τὸ δὲ ωέπονθός τ[illegible]ὸ ἔστιν ἐτι ι ολα γὴ γέρυσιν διωάμεως, ὥσπερ τὸ ἀδιώατον καὶ ὅσα ὅτω λέγεται, οἷον ἀόρατον τὰ [k] μὲν ὂν κατ' ἀριθμὸν, καὶ διώαμιν λεγόμενα ωρός τι, τἀῦτα ἐςι ωρός τι, ὡ ὅσπερ ἔστιν ἄλλο λέγεσθ * αὐτὸ ἔστιν, ἀλλὰ μὴ ὡ ἄλλο ωρὸς ἐκεῖνο: τὸ δὲ μετρητὸν, καὶ τὸ ἐπιςητὸν, ἢ τὸ διανοητὸν, ὡ ἄλλο ωρὸς αὐτὰ λέγεσθ, ωρός τι λέγεται. τό, τε γὰ διανοητὸν, σημαίνει, ὅτι ἔστιν αὐτῷ διανοια. ϗ [l] ἐςι δ' ἡ διάνοια ωρὸς τῦτο, ὃ ἔστι διάνοια: δὶς γὰ ταῦτὸν εἰρημένον ἂν εἴη. ὁμοίως δὲ ϗ τινός ἔστιν ἡ ὄψις, ἔχ ὃ ἔστιν ὄψις, καίτοι ἀληθὲς τῦτο εἰπεῖν, ἀλλὰ ωρὸς χρῶμα, ἢ [m] ωρὸς ἄλλο τι τοιῦτον. ἐκείνως δὲ, δὶς τὸ αὐτὸ λεχθήσεται, ὅτι ἔστιν ὄψις, ὃ ἔστιν ἡ ὄψις. τὰ μὲν οὖν καθ' ἑαῦτὰ λεγόμενα ωρός τι, τὰ μὲν ὅτω λέγεται: τὰ [n] δὲ, ἂν τὰ γένη αὐτῶν ἢ τοιαῦτα, οἷον, ἡ ἰατρικὴ τῶν ωρός τι, ὅτι τὸ γένος αὐτῆς ἡ ἐπιςήμη δοκεῖ εἶναι τῶν ωρός τι. ἔτι καθ' ὅσα τὰ ἔχοντα λέγεται ωρός τι, οἷον ἰσότης, ὅτι τὸ ἴσον, καὶ ὁμοιότης, ὅτι τὸ ὅμοιον. τὰ [o] δὲ μὴ συμβεβηκὸς, οἷον, ἄνθρωπος ωρός τι, ὅτι συμβέβηκεν αὐτῷ διπλασίῳ εἶναι, τῦτο δ' ἐςὶ, τῶν ωρός τι: ἢ τὸ λευκὸν, εἰ τῷ αὐτῷ συμβέβηκε διπλασίῳ, καὶ λευκῷ εἶναι.

* *Legendum videtur* ὅπερ ἐστὶν, *vt ſit repetitio Ariſtoteli familiaris in hac materia verbaq; cohæreant.*

*Tertium relatorũ genus.*

k *Ea igitur.* Exponit relatiua tertij generis collatione ipſorum cum iis, quæ ad primum & ſecundum genus pertinent. Diſcrimen in eo poſitũ dicitur, quod omnia, quæ pertinent ad primum & ſecundum genus, ideo dicuntur ad aliquid, quia eorum quodque, ideo, ipſum, quod eſt, ad aliud dicitur: non autem, quia aliud ad ipſum, hoc eſt, quia vnumquodque eorum habet fundamentum ſuæ relationis in ſe, & non in ſuo correlatiuo: id quod ex eo patet, quia duplum & dimidium in ſeipſis habent, quare inuicem referantur; eodemq; modo calefaciens & id, q calefit, atque ira res habet in cęteris (quoenim pacto agens habet fundamentum ſuę relationis in ſe, & non potius in patiente, poſt explicabitur) at in iis, quæ ad tertium genus pertinent, aliter dicendum eſt. Etenim menſurabile non dicitur menſurabile perfundamentũ relationis, quod in ipſo ſit, ſed in menſura: id quod docet in ſpeciebus menſurabilis, vt in ſcibili, intelligibili, & aſpectabili ſeu viſibili: quo loco vtitur exemplis eorum, qui putabant intellectum & ſenſum eſſe rerum menſuras. Res enim, quæ ſciuntur, intelliguntur, & videntur, ab actibus ſciendi, intelligendi, & videndi, à quibus realiter non attingnntur, dicuntur ſciri, intelligi, & videri, atque adeo ſcibiles, intelligibiles, & viſibiles.

ALITER poteſt hic locus exponi, vt dicamus hoc intereſſe inter tertium genus & duo ſuperiora, quòd illa ex vtraque parte à ſuis formis habeant denominationem, veluti duplum à duplicitate, dimidium à dimidietate, agens ab actione, & patiens à paſſione. At in tertio genere, etſi vnum denominatur à ſua forma, vt menſura à menſuratione, ſcientia ab actu ſciendi, intellectus ab intelligendi, & viſus à videndi; alterum tamen non denominatur à forma ſua, ſed à ſuo correlatiuo; vt menſurabile à menſura, ſcibile à ſcientia, intelligibile ab intellectu, & viſibile à viſu: quæ expoſitio planior eſt, & menti Ariſtotelis forſitan accommodatior.

*Potentias quatenus tales non referri ad ſubiecta, ſed ad obiecta.*

l *Non eſt autem intellectus ad hoc, cuius eſt intellectus: bis enim idem dictum eſſet.* Docet obiter, intellectum, aſpectum, & alias ſimiles potentias, quatenus eiuſmodi ſunt, non referri ad ſubiecta, quibus inhærent, ſed ad obiecta, circa quæ verſantur; alioqui, quatenus tales ſunt, duplicem eſſentiam haberent, quod fieri nequit,



quit, tametſi verum eſt, hæc omnia, quatenus accidentia, quædam ſunt, ad ſua ſubiecta referri.

m *Aut ad aliquid tale refertur. Illo verò modò bis idem dicitur: quia aſpectus inquam eius ſit.* Hoc ait Ariſtoteles propter lucem, quæ cùm re vera color non ſit, cadit tamen ſub aſpectum. Itaque obiectum potentiæ videndi eſt aliquid commune colori & luci.

*Obiectum viſuæ potentiæ.*

n *Partim ſi genera eorum ſint talia: quo pacto Medicinæ in iis, quæ genus eſt illius.* Addit alia duo genera relatorum per ſe, quorum alterum eſt eorum, quæ referuntur per ſua genera, vt Medicina per ſcientiam: Medicina enim non dicitur alicuius ſcientia, quod idem in Prædicamentis de Grammatica, & Muſica dictum eſt. Numerantur autem hæc in relatis per ſe, quia cùm genus ſit intimum ſpeciebus, quæcumq; ſpeciebus per genera conueniunt, per ſe illis cõuenire cenſenda ſunt. Alterum genus eſt eorum, quæ per ſua concreta referuntur, vt æqualitas per æquale, & ſimilitudo per ſimile. Nam etſi hæc nõ ſunt relatiua ſed relationes, quibus relatiua referuntur: tamen ratione ipſorum relatiuorum dicuntur relatiua, atque adeo relatiua per ſe, quòd nihil differant ſecundum eſſentiam à relatiuis. æqualitas enim & æquale eamdem eſſentiam dicunt, eodemque modo ſimilitudo & ſimile. Illud tamen aduerte, etſi abſtracta non referuntur niſi ratione concretorum: tamen ratione ſui terminari: terminatur enim paternitas ratione ſui ad filium, & viciſſim filiatio ad patrem: item ſimilitudo huius ſimilis ad illud & illius ad hoc.

*Duo alia genera relatorum per ſe.*

*Primum.*

*Secundum.*

*feçit illud paſſum quid eſt. Sunt* i *etiam nõnulla, quæ ex potentiæ priuatione dicantur, vt impoſsibile & quæcumque hunc in modum dicuntur, veluti inuiſibile. Ea* k *igitur, quæ ex numero aut potentia ad aliquid dicuntur, ea ratione omnia dicuntur ad aliquid, quia id ipſum, quod vnumquodque eſt, alterius dicitur ipſum quod eſt, non autẽ, quia aliud ad illud. at menſurabile, & ſcibile, & intelligibile ideo dicuntur ad aliquid, quia aliud ad ipſa dicitur: nam & intelligibile ſignificat, quod in eo verſetur intellectus. Non* l *eſt autem intellectus ad hoc, cuius eſt intellectus: bis enim idem dictum eſſet. Eodémque modo aſpectu, alicuius aſpectabilis aſpectus eſt, non eius, cuius eſt aſpectus (tametſi hoc verè dicitur) ſed ad colorem, aut* m *ad aliquid tale refertur. Illo verò modo bis idem dicitur: quia aſpectus inquam eius ſit, cuius eſt aſpectus. Quæ igitur per ſeipſa ad aliquid dicuntur, partim hoc modo dicuntur, partim* n *ſi genera eorum ſint talia: quo pacto Medicina in iis, quæ genus eſt illius, eorum, quæ ſunt ad aliquid videtur eſſe. Adde omnia, quorum ratione, ea, quæ ipſa habẽt, ad aliquid dicuntur: quo pacto æqualitas dicitur ad aliquid, quia æquale: & ſimilitudo, quia ſimile. Sunt etiam* o *quæ per accidens dicantur: quo pacto homo eſt ad aliquid, quia accidit ei, vt ſit duplum, quod quidem numeratur in iis, quæ ſunt ad aliquid: aut vero album, ſi accidat eidem rei, vt dupla ſit & alba.*

o *Sunt etiam quæ per accidens dicantur: quo pacto homo eſt ad aliquid.* Adiungit relatiua per accidens, quorum paucis verbis duplex genus tradit. Nam & ſubiectum ratione accidentis, & vnum accidens ratione alterius accidentis dicuntur relatiua, vt patet exemplis adductis in contextu. Vtraque autem merito dicuntur relatiua per accidens, nec ad eſſentiam ſubiecti, nec ad eſſentiam alterius accidentis pertinet.

*Relatorum per accidens duplex genus*

NVM

# NVM DENTVR RELATIONES REALES.

## QVÆSTIO I.

### Argumenta partis negatiuæ.

### SECTIO I.

*Ratio quæstionis tractandæ.*

INTER ea quæ de relatione, ac relatiuis disputanda sunt, illud primùm se offert sitne aliqua relatio realis, quæque non pendeat ab operatione intellectus: an verò omnis relatio sit rationis. Si enim nulla est relatio, quæ ab operatione intellectus non pendeat, ea paucis explicata, quòd nec per se in Prædicamentorum ordines redigatur, nec à primo Philosopho, nisi quasi per transennam tractanda sit, ad alia huius scientiæ magis propria properandum erit. Quòd si re vera dantur relationes reales: operæpretium erit in earum explicatione aliquantulum immorari: præsertim cùm ipsa relationum natura tenuis admodum entitatis sit, & quæ vix cadat sub intellectus aciem.

*Pars negatiua probatur 1.*

QVOD igitur nulla relatio sit realis, multis nec leuibus argumentis videtur ostendi. Primùm quia vel ipsum relationis nomen comparationem significat, nemo autem dubitat comparationem pendere ab operatione intellectus, rem vnam cum altera conferentis.

2. DEINDE quia si relatio aliqua esset realis, haberet sanè extra intellectum causam effectiuam: ita similitudo & æqualitas, quæ haud postremo loco videntur numerandæ in realibus, ab aliquo agente efficerentur: at videmus rem vnam nulla re prorsus in eam agente fieri similem aut æqualem maximè distanti rei. Hinc enim probat Aristoteles 5. Phys. cap. 2. ad relationem non esse motum, *quia accidit*, inquit, *vt alterum relatiuum dicatur altero tantum mutato*, id est, accipiente aliquid ab agente, vt superiùs interpretati sumus.

*Textu 10. Cap. 13. 9.*

3. TERTIO quia inter relationes, eæ maximè videntur dici reales, quibus res dicuntur causæ aliarum, præsertim effectiuæ, quæ tamen non videntur reales. Nam cùm fundamentum earum sit actio, vt vel ipsi relationem realium assertores concedunt, transeunte actione, iam id quod fecit, non erit causa facti: ita transacta actione qua pater filium genuit, aut qua faber sellam confecit, nec ille parens, nec hic auctor sellæ dicendus erit, nisi apprehensione intellectus ex actione præterita rem præsentem denominantis.

4. QVARTO quia æqualitas & similitudo quæ reales dici solēt, alio item argumento non videntur reales, quippe cùm earum fundamentum sit vnitas quantitatis, aut qualitatis existentis in pluribus subiectis, quæ vnitas non potest esse realis. Nam si esset sanè vnitas rei vniuersalis quæ est vniuersalitatis fundamentum, esset realiter in pluribus rebus, ac proinde ipsa vniuersalitas: ita res essent vniuersales sine vlla operatione intellectus. Quid enim quæso est aliud duas substantias esse æquales aut similes, quàm eandem quantitatē aut qualitatem esse in vtraque? Nam si non hoc est, sed est æquales quantitates, aut similes qualitates esse in vtraque, quædam rursus per quid ipsæ quantitates



titates sint æquales, & ipsæ qualitates similes: ad quod aliter responderi non potest, nisi quòd sint æquales per eandem extensionem aut intēsionem in vtraque. Nam si per alia æqualia aut similia sint æquales aut similes, illa quoque erunt æqualia & similia per alia, atque ita procedetur in infinitum.

*Quinto.*

POSTREMO quia relatio totius ad partes, quæ in realibus etiam numeratur, non videtur dicenda realis, nisi quis in eodem toto admittere audeat infinita accidentia realia. Nam cùm pleraque tota infinitis partibus constent, si relationes totius ad partes sunt reales, erūt in quolibet toto eius generis infinitæ relationes reales. Mitto relationes Domini & serui, quas plerique videntur reales facere. Quod enim reales non sint, ipsum dominij & seruitutis fundamentum declarat, quod non est aliud quàm ius siue potestas, vt vnus imperet, & alter pareat, titulo emptionis, alióve simili cōcessa: quæ potestas non à natura est, sed à lege positiua, quæ alia & alia est in alia, & alia Republ. vt legislatori cuique placuit. Ita nullæ videntur esse relationes, quæ meritò dicantur reales.

*Lege Capr. in 1. dist. 30. q. 1. in solu. 8. contra 1. conclusionem.*

### *Approbatio affirmatiuæ partis.* SECTIO II.

*Ad tex. 19. Cap. 10.*

*Qui partem negantem secuti fuerint.*

VETERES nonnulli quorum meminit Auen-Rois in Commentariis 12. lib. huius operis, & Auicenna lib. 3. suæ Metaphysicæ, propositis fortasse aut aliis similibus argumentis permoti, negatiuam partem huius quæstionis amplexi sunt, quos ex recentioribus secutus est Aureolus, vt habes apud Capreolum ad distinctionem trigesimam libri 1. Sent. Negant enim omnes relationem vllam esse realem formaliter, hoc est, vt distinguitur à fundamento, nisi quòd Aureolus id intelligit in relationibus creaturarum: non enim negat relationes quibus personæ diuinæ distinguuntur esse reales.

*Pars affirmatiua exponitur, & probatur in primo genere.*

AT dari relationes reales præter diuinas illas quę sine iniuria fidei orthodoxæ negari non possunt: planè constat in omnibus iis tribus generibus relatorum, quæ ab Aristotele in contextu proponuntur. Nam in primo genere negari non potest res esse realiter maiores, & minores formaliter: quis etiam neget eas esse re ipsa formaliter similes & dissimiles, æquales & inæquales, propinquas loco & remotas? At esse simile aut dissimile, non est esse quale formaliter, & esse æquale aut inæquale, non est idem formaliter, quod esse quantum: ac denique esse propinquum aut remotum nō est formaliter esse in hoc aut illo loco, cùm hæc sint absoluta, & quorum singula vni tantum rei solitariè existenti conuenire possunt: illa autem relata, & quorum singula non conueniunt vni nisi respectu alterius.

*In secundo genere.*

IN secundo etiam genere causæ, quæ actu causant, & ex necessitate existunt actu, vt suo quæque modo concurrant ad effecta, reipsa referuntur ad effecta, si sint accidentium realium capaces: effecta quoque ipsa (quæ omnia accidentibus realibus subesse possunt) re etiam ipsa vniuersè referuntur ad eiusmodi causas. In tertio quoque perspicuum

*In tertio genere.*

est scientias esse reali respectu affectas ad propria scibilia, & sensus ad

Universidad de Deusto
Biblioteca



propria ſenſibilia,& omninò habitus ſiue cognitiuos, ſiue actiuos, & potentias naturales ad ſuos actus,cùm ex ſe, ac ex propriis naturis id habeant:tametſi dubium ſit, ſintne huiuſmodi relationes tranſcendentes,an huius prædicamenti propriæ.Accedit Ariſtotelis,Platonis, & grauiſſimi cuiuſq;,ſeu veteres,ſeu recentiores Philoſophi ac Theologi ſententia, qui omnes quaſi per ſe notum accipiunt entia realia diuidi in abſoluta & relata:ac de relatis multas ſcientias reales ex inſtituto agere dicunt, vt Phyſicam de mutuo cauſarum reſpectu, Mathematicas de æqualitate & inæqualitate,magnitudinem de ſimilitudine & diſſimilitudine figurarum, de diſtantiis & propinquitatibus corporum,& ipſam primam Philoſophiam de ordine rerum omnium inter ſe, qui in compluribus realis eſt, & cuius eſſe ab operatione intellectus neutiquam pendet.

*Confirmatur ab auctoritate.*

*De Relatione, Relatiuo, Correlatiuo,Extremo,Fundamento, Ratione fundandi ac Termino.*

SECTIO III.

*Propoſitio rerũ quæ ſunt explicandæ.*

SED vt hæc meliùs intelligantur, & argumenta partis negatiuæ faciliùs diſſolui poſſint, explicanda ſunt primùm quædam quaſi principia, quibus Philoſophi, ac Theologi in materia relatorum vtuntur:tum tradenda documenta aliquot, quibus reales relationes à relationibus quæ dicuntur rationis diſtinguere poſſimus.

IN hac igitur re vſurpari ſolent vocabula hæc:Relationis, Relatiui ſeu Relati,Correlatiui, Extremi, Fundamenti, Rationis fundandi, Termini: itemq; relatiuorum, quæ dicuntur ſecundum dici & ſecundum eſſe,tranſcendentia & non tranſcendentia,realia & rationis, mutua & non mutua.

*Quid ſit Relatio.*

RELATIO dicitur id quo aliquid formaliter refertur, vt æqualitas & ſimilitudo. Nam etſi duæ res dicuntur æquales ſuis quantitatibus, & duæ ſimiles ſuis qualitatibus: non tamen formaliter, quaſi ipſæ quantitates ex natura ſua ſint æqualitates, aut ipſæ qualitates, ſimilitudines.

*Quid Relatiuum.*

RELATIVVM latè accepto vocabulo dicitur id quod explicari ſolet relatione ad aliud, ſiue talis relatio pertineat ad eius eſſentiam, vt relatio patris ad eſſentiam patris,ſiue non pertineat,vt relatio qualitatis ad eſſentiam qualitatis: non illa quidem qua refertur ad ſubſtantiam,ſed qua refertur ad æquale.Explicatur enim pater relatione ad filium,ad quem eſſentiali ſibi reſpectu affectus eſt:qualitas autem deſcribitur relatione ad quale,cum dicitur qua quidam quales dicuntur,cum interim ad illud non ſit eſſentialiter affecta.

*Correlatiuũ quid.*

CORRELATIVVM eſt relatiuum quodlibet,quatenus alteri relatiuo ex altera parte reſpondet,vt pater filij,& filius patris:itaq; ſola conſideratione differunt relatiuum & correlatiuum.Vnde ſi in numero plurali iſta proferas,planè videbis omnia quæ dicuntur correlatiua, dici poſſe relatiua, non tamen omnia relatiua correlatiua. Nam pater & dominus ſunt relatiua, nec tamen correlatiua: quod idem in cæteris accidit ſi non comparentur cum iis ad quæ referuntur.

EXTRE



*Extremum quid ſit.*

EXTREMVM, quod etiam ſubiectum dicitur, eſt id,quod à relatione denominatur, vt Soprhoniſcus, qui eſt pater, & Socrates, qui eſt filius: ſæpè tamen extremum appellatur ſubiectum, verùm non propriè in omnibus:ſola enim ſubſtantia propriè dicitur ſubiectum: cùm interim non tantum ſubſtantia, ſed etiam accidentia propriè denominentur à relationibus. Dicimus enim, ídque propriè, duas quantitates eſſe æquales, duas qualitates ſimiles, & non tantùm duas ſubſtantias.

*A relationibus interdum denominari accidentia nõ verò ſubſtantias.*

QVIN etiam ſæpè accidentia denominantur à relationibus,cum ſubſtantiæ denominari nequeunt: dicimus enim, duas qualitates eſſe contrarias, & duas relationes eſſe oppoſitas, cùm ſubſtantiæ nec contrariæ, nec alio modo oppoſitæ dici poſſint, Porrò extrema ex eo videntur dicta, quòd non proximè inter ea exerceantur relationes, quemadmodum inter ipſa correlatiua, vt inter duo æqualia aut ſimilia, quatenus talia ſunt: ſed remotè,vt inter duos homines, aut duas quantitates, aut qualitates. Nonnunquam tamen ipſa correlatiua dicuntur extrema,quòd relatio ſiue eiuſdem,ſiue diuerſæ rationis, fit quaſi media inter correlatiua.

*Vnde extrema dicta fuerint.*

*Fundamenti deſinitio.*

FVNDAMENTVM eſt id, quod extremo ſeu ſubiecto eſt cauſſa vt referatur. Sic quantitates ſunt fundamenta æqualitatis & inæqualitatis: qualitates verò ſimilitudinis & diſſimilitudinis: vis gignendi paternitatis: poteſtas coërcendi ſubditos dominatus: ipſæ etiam rerum eſſentiæ ſiue vniuerſales, ſiue ſingulares, ſiue ſubſtantiarum, ſiue accidentium, ſunt fundamenta identitatis, diuerſitatis, & aliarum multarum relationum. Proinde fundamenta relationum non habent peculiare aliquod prædicamentum, ſed in omnibus reperiri poſſunt. Sæpe tamen fundamenta & extrema idem ſunt, vt duæ quantitates æquales, & duæ qualitates ſimiles, & duæ quælibet eſſentiæ diuerſæ: quippe quæ non ſolum denominantur à relationibus, ſed etiam ſibiipſis ſunt cauſſæ vt referantur: quod idem in aliis pleriſque rebus accidit.

*Fundamenta relationum in omnibus prædicamentis inueniri.*

*Ratio fundandi.*

RATIO fundandi,quę ſępe fundamentum proximum appellatur, eſt conditio quædam ſine qua relatio non ſequitur fundamentum. V.G. vnitas quantitatis eſt ratio fundandi, ſeu fundamentum proximum æqualitatis: & vnitas qualitatis, fundamentum ſimilitudinis, quia niſi quantitates ſint vnum ſecundum ſpeciem alicuius certæ dimenſionis, & qualitates vnum ſecundum perfectionem gradualem, aut ſaltem ſpecificam (ſi ſimilitudo imperfecta ſit) nec quantitates erunt æquales inter ſe,nec qualitates ſimiles.

*Terminus, vt hic accipitur quid ſit.*

TERMINVS, vt hic ſumitur,eſt id,ad quod relatiuum directò ac primò refertur:vt filius eſt terminus reſpectu patris, quia pater, qua ratione eſt pater,directò ac primò refertur ad filium,& ſic in cæteris. Quamquam verò omnis terminus ratione aliqua referatur ad relatiuum,cuius relationem terminat: dubitant nihilominus Philoſophi, num ſit terminus eadem ratione qua viciſſim refertur ad illud,an ſub aliqua alia,de qua re inferius diſſerendum eſt.

*De relatiuis secundùm dici & secundum esse, déque transcendentibus & non transcendentibus.*

SECTIO IIII.

RELATIVA secundum dici, latè quidē accepta iuxta eam definitionem, quam Aristoteles in prædicamentis ex veteribus priori loco tradit, sunt ea omnia, quæ aliorum dicuntur, hoc est, relatione ad aliud explicantur. *Cap. de Relatione.*

*Definiuntur relata secundum dici.*

PRESSE tamen sumpta, & vt distinguuntur à relatis secundum esse, sunt ea tantùm, quæ hac sola ratione in relatiuorum numero habentur, quod aliorum dicantur: vt ala, quia dicitur alati, & caput quia dicitur capitati: cùm alioqui, & ala & caput relatiua non sint, sed absoluta entia. Relatiua secundum esse, quæ sola Aristoteles posteriori definitione ex propria sententia in Prædicamentis tradita complexus est, sunt ea, quorum esse ad est aliud se habere, vt pater ad filium, & filius ad patrem. *Relata secundum esse.*

AC priori quidem modo esse relatiua secundum dici, nihil diminuit de vera & proptia ratione relatiui, cùm relatiua etiam secundum esse aliorum dicantur. At posteriori, quo pacto ferè semper à Dialecticis hæc applicatio vsurpatur, non diminuit modo, sed transfert in genus absolutorum.

*Obiectio.*

AT obiiciet aliquis in hunc modum: scientia, sensus, accidens, materia, & forma dici solent relata secundum dici (presse hoc nomine accepto) cùm entia absoluta sint, & tamen non ea ratione sola in numero relatorum habentur, quia aliorum dicantur, sed multò magis, quia aliorum sint (omnia enim essentiali habitudine referuntur ad aliquid: scientia ad id, quod sub scientiam cadit, sensus ad sensibile, accidens ad substantiam, materia ad formam, & forma ad materiam) non omnia igitur relata secundum dici presse sumpta, ea sola de caussa in relatis habentur, quòd aliorum dicantur.

*Quid plerique respondeant.*

HVIC obiectioni maxima Philosophorum pars respondet hasce res non referri ad aliquid essentiali habitudine, sed accidentaria dumtaxat, proinde non haberi in relatis, nisi quia aliorum dicantur. Itaq; aiunt, ista omnia esse omnino absoluta, atque hac de caussa, etsi à nobis in hac vita non cognoscantur sine relatione, posse tamen alias sine vllo respectu iatelligi. At verò D. Thomas & ferè eius sectatores existimant hæc referri essentiali habitudine, sine qua intelligi omnino non possint: quæ opinio nobis probetur. Iuxta eam igitur occurrendū est, scientiam & cætera, quæ diximus non esse propriè ac presse relata secundum dici, sed secundum esse, posse tamen appellari relata secundum dici, quia nō pertinent ad hoc prædicamentum. Atq; hæc sit tertia vsurpatio relatorum secundum dici: quamquam superioris opinionis auctores eam confundunt cum secunda, quod existiment nulla relata secundum esse reperiri extra hoc prædicamentum. *Lege D. Tho. 8. Meta. lect. 1. & quodlib. 9. q. 6. ad tertium & 1. p. q. 15. art. 3. ad tertium, & 1. secundæ q. 53. art. 2. ad tertium 7. Metaphys. lec. 4. & aliis in locis. Caiet. 1. p. q. 77. art. 3. & in lib. de Ente, & essent. cap. 7. q. 15.*

*Opinio D. Thom. approbatur.*

*Soluitur obiectio.*

*Relata transcendentia.*

RELATA transcendentia sunt ea, quorum esse est affecta esse ad aliud, vt ad quippiam prius in aliquo genere causſę hoc pacto refertur scientia ad id, quod sub scientiam cadit: vt philosophia naturalis ad ens natutale, aspectus ad colorem, auditus ad sonum, accidens ab substantiam,



substantiam, & materia ab formam naturalem, viciſſimque forma ad materiam, dicuntúrque transcendentia, quia in omnibus generibus rerum inueniri possunt, vt materia & forma in substantia, scientia & sensus in qualitate.

*Relata non transcendentia. Obiectio.*

RELATA non transcendentia sunt ea, quorum essentia est affecta esse ad aliud, vt ad terminum tantùm, hoc est: non vt ad aliquid prius in aliquo genere causſæ, veluti duplum, dimidium, maius, minus, pater, filius, & similia: dicuntúrque non transcendentia, quia non inueniuntur in omnibus generibus rerū, sed faciunt quoddā per se genus. Quòd si quis obiiciat, essentiā filij in eo positam esse, vt sit affectus ad patrem vt ad causſam sui, & tamen filium non esse relatiuum transcendens, negandum est filium referri ad patrem, vt ad causſam sui formaliter suæve relationis: neq; enim relatio patris est causſa relationis filij, sed homo, qui est pater, est causſa eius hominis, qui est filius. *Soluitur.*

*De relatiuis realibus & rationis, itémque de mutuis & non mutuis.*

SECTIO V.

*Definitio relatiuorum realium.*

RELATIVA realia sunt ea, quorum esse non pendet ab operatione intellectus, hoc est, quæ etiam tum existunt, cùm nullo modo ab intellectu apprehenduntur: vt maius & minus, pater & filius. Relatiua rationis sunt, quorū esse pendet ab operatione intellectus, seu quæ numquam existūt nisi cùm aliquo modo ab intellectu apprehēduntur, vt principale prædicatum & subiectum, & huiusmodi alia. Nam etsi res sunt, quæ principaliter prædicantur & subiiciuntur (voces enim & conceptus non prædicātur, nec subiiciuntur nisi ratione rerum) numquam tamen sese respiciunt, vt prædicata & subiecta, nisi cùm intellectus apprehēdit hanc prædicari, illam verò subiici: aut saltem cùm apprehendit hanc esse illam vt animal prædicare de homine, aut hominem esse animal. Relatiua mutua dicuntur ea, quæ ex vtraque parte sunt realia, aut ex vtraque parte rationis, vt pater & filius, prædicatum & subiectum: nō mutua verò, quæ ex altera parte sunt realia, ex altera rationis, qualia esse dicūtur scientia & scibile, sensus & sensibile, creatura & creator. Nam relationes scientiæ ad scibile, & sensus ad sensibile dicuntur reales, sed scibilis ad scientiam, & sensibilis ad sensum, rationis. Eodémque modo relatio creaturæ ad creatorem realis est, sed creatoris ad creaturam, rationis: quod idem accidit ex parte Dei, quandocunque ipse refertur ad creaturas actu existentes. Sic relatio vnionis naturæ humanæ cum Verbo diuino, numeratur in realibus: sed vnionis Verbi diuini cum natura humana, rationis est: cur autem id accidat suo loco dicetur. *Rationis. Relatiua mutua. Non mutua. Relatio creaturæ ad creatorem realis est, sed creatoris ad creaturam rationis.*

*Quænam relata ex his ad prædicamentum Ad aliquid per se spectent.*

SECTIO VI.

*Cap. de Relatione.*

SED quæret aliquis, quænam ex his relatiuis pertineāt per se ad prædicamētum Ad aliquid. Ad quam dubitationem dicendum est, ea quidem sola pertinere, quæ in posteriori definitione relatorum in Prædicamentis posita continen- *Quæstionum omnia relata ab Aristotele posteriori loco desinita ad hoc prædicamentum spectent.*

tur, cùm sola ea sint relatiua secundum esse. Num autem & ea omnia per se pertineant, quæstio est. Caietanus in Commentariis primæ partis theologiæ Diui Thomæ ad quæstionem 13. ait, Aristotelem posteriori relatorum definitione complexum fuisse relatiua etiam rationis: id quod video Græcos auctores, & ferè Latinos sensisse, dicentes hac definitione comprehendi genus, speciem, & alia huiusmodi, quæ si comprehenduntur, non videbitur dicendum, comprehendantur ne transcendentia, cùm sint realia & verum esse habeant. Itaque iuxta hanc sententiam dicendum erit, relata omnia secundum esse definitione illa comprehendi, ac proinde non omnia, quæ in ea continentur pertinere per se ad prædicamentum Ad aliquid: nec sanè id probabilitate caret.

*Caiet. 1. p. q. 13. art. 7.*

*Simplic. & Damasce. in Prædicam. c. de Relatione, & alij.*

*Obiectio.* SIQVIS autem obiiciat, ergo Aristotelem isto modo non verè distinxisse in eo capite Prædicamentum Ad aliquid à cæteris Prædicamentis: dici potest Philosophum rei difficultate impeditum, reliquisse eo loco imperfectam huius prædicamenti distinctionem: quod ipse haud obscurè videtur significasse extremis verbis eius capitis, & ad finem sequentis, vbi in eandem distinctionem iterum incidit: immo etiam numquam alibi eam omnino absoluisse: quod colligere licet ex hoc ipso loco, in quo versamur. Nam cùm hic satis luculenter de relatiuis differat, nullum tamen proprium quasi characterem eorum, quæ per se ad hoc prædicamentum spectant, apertè tradit.

*Soluitur.*

*Alia solutio. Expenditur definitio relatorum in Prædicamentis tradita secundo loco.* QVOD si hoc minus dignum videatur tanto Philosopho, dici potest posteriori definitione non comprehendi omnia relata secundum esse, sed ea tantùm, quæ sunt realia & non transcendentia. Nam relata rationis reiici possunt per particulam, *quorum esse*, quod verbo esse simpliciter sumpto intelligenda sit vera essentia, siue realis, quam non habent relata rationis. Relata verò transcendentia reiiciuntur per particulam, *aliquid*, seu, *aliud*, si ea sumatur pro termino tantùm: quasi dictum sit, relata esse, quorum essentia est, affecta esse ad aliud, vt ad terminum tantùm, non vt ad causam ipsorum: quo pacto non sunt affecta ad aliud relata transcendentia, vt patet ex dictis. Quam solutionem si magis probas, habes definitionem Aristotelicam, qua distinguas ea, quæ in hoc prædicamento ponuntur á cæteris omnibus.

*Causa eorũ, quæ sunt disputanda.* SED quia in disputationibus sæpè dubitatur, num relationes, de quibus incidit sermo: sint reales, an rationis, nec id ex solis definitionibus relatorum realium & rationis intelligitur: tradenda sunt hoc loco nonnulla documenta, quibus id promptius & facilius colligi possit. Nulla tamen in eis ratio habenda est relationum transcendentium: tum quia ad hoc prædicamentum non spectant, tum etiam, quia à plerisque negantur: tum denique, quia tradenda sunt ex consideratione extremorum fundamentorum & ratione fundandi, quæ in relationibus transcendentibus locum non habent.

*Cur non habenda ratio transcendentium.*

*Documen-*



*Documenta ad internoscendas relationes reales relationibus rationis.*

## SECTIO VII.

*Conditiones relatorum realium.*

PRIMVM documentum. Non potest relatio realis actu exerceri inter duo extrema, nisi ambo sint realia, re omninò distincta, & verè existẽtia. Cur extrema debeãt esse realia: hęc ratio est, quia relationes reales, si sint increatæ, sunt ipsa extrema realia: Si verò creatæ sunt accidentia realia, quæ indigent realibus subiectis. Cur autem debeant esse re omninò distincta: ex eo colliges quia relatio suaptè natura est fundamentum oppositionis relatiuæ, nisi sit ipsa relatiua oppositio: relatio autem realis est fundamentum oppositionis realis: at realis oppositio non datur nisi inter ea quæ sunt distincta realiter: siquidem omnis oppositio distinctionem aliquam secum affert, & realis realem. Dixi autem: *omnino distincta realiter*, quia si aliquo modo non fuerint distincta realiter, non erunt vtique opposita: namque opposita omnia distincta omninò sint necesse est, eo modo quo sunt opposita. Cur autem extrema debeant esse verè existẽtia, inde colliges quia cùm relationes existant in extremis, si extrema non extiterint, neque ipsæ existent.

*Prima vt extrema sint realia.*

*Secunda omnino distincta.*

*Tertia actu existentia.*

*Omnis oppositio parit distinctionem aliquam.*

*Relationes vbi existant.*

*Defectu primæ conditionis quæ non sint reales.* DEFECTV primæ conditionis nulla est relatio realis inter priuationes, vt inter cœcitatem & surditatem: nec inter entia rationis, vt inter relationes prædicati & subiecti, aut generis & speciei: nec inter entia ficta, vt chimæram & Minotaurum, nec inter ens & non ens, vt inter hominem & eam ignorationem, cum qua homo nascitur, & in summa inter quæuis alia quæ non sint entia realia.

*Defectu secundæ.* DEFECTVM secundæ conditionis intelligimus identitatem numeralem non esse realem. Num autem specifica, generica, & analogica reales sint, ex alio documẽto cognosci poterit. Intelligimus etiam inter animal & hominem, inter actionem & passionem, & vt semel dicam inter quæuis alia, quæ solùm formaliter distinguũtur, aut quæuis alia minori distinctione ex natura rei, nõ esse relationem realem. Intelligimus item hunc hominem qui est Grammaticus & Musicus, non differre à se ipso, aut esse sibi dissimilem propter Grammaticam & Musicam relatione reali, quia extrema sunt idem re. Si tamen hic homo sumatur cum his geminationibus, quatenus Grammaticus, & quatenus musicus, dicendum est illum differre à se relatione reali, quia Grammatica & Musica differunt re. Verùm hoc non est absolutè & simpliciter eundem hominem differre à seipso relatione reali, sed Grammaticam & Musicam eiusdem hominis. Intelligimus denique relationem totius ad partem constituentem non esse realem, quia etsi pleraque tota realiter differunt à qualibet eiusmodi parte, non tamen tanquam à re prorsus à se distincta, cùm pars quælibet constituẽs sit aliquid totius, & in eius compositione includatur: partes tamen ipsæ poterunt referri mutuò relatione reali, si fuerint essentiales ac realiter componentes, vt materia & forma, aut certè ex iis integrantibus quæ habent diuersas essentias, vt partes domus.

*Relationem totius ad partes cõstituentes non esse realem.*

DEFECTV tertiæ conditionis nõ est relatio realis inter entia realia,

lis,quæ actu nunc non existunt,vt inter Iudam & Antichristum,neq; inter res existentes & non existentes, vt inter homines qui nunc extant,& eos qui diem obierunt, aut nondum nati sunt.

*Secundũ documentum duas alias conditiones complectens. Prima vt fundamentum sit reale.*

SECVNDVM documentum: Non potest relatio esse realis, nisi eius fundamentum sit reale,& re distinctum à fundamento relationis ex altera parte respondentis. Ratio prioris partis hæc est: quia relatio habet esse à fundamento, vt inferiùs patebit: non potest autem habere esse reale à fundamento, quod reale non sit. Posterior verò ex eo constat quia relationes reales oppositæ, sunt realiter distinctæ: ergo cùm probabilius sit eas esse idem realiter cum fundamentis, vt inferiùs patebit, erunt etiam fundamenta realiter distincta. Ex priori parte colliges nullam aptitudinem, quæ sit non repugnantia, esse fundamentum relationis realis, cum negatio repugnãtiæ non sit ens reale: sed si quando Philosophi dicunt aptitudinem aliquã esse fundamentũ alicuius relationis realis, accipiendum esse nomen aptitudinis pro facultate aliqua reali, quæ sit qualitas, aut aliqua alia vera entitas: vt cùm dicimus potentiam generandi esse fundamentum paternitatis, intelligenda est vis naturalis ad generandum, aut ipsa substantia rei, quæ eam vim habet. Ex posteriori colliges, hanc papyrum candidam, & hanc eius superficiem candidam non esse similes reali aliqua relatione quia candor, qui est fundamentum similitudinis, non distinguitur re in vtraque, sed est vnus & idem numero, id quod etiam dicendum est de duabus superficiebus, si diuina potestate idem numero candor in vtraque poneretur. Hoc documento innixus D. Tho. asserit æqualitatem, quæ inter diuinas personas cernitur, non esse relationem realem, sed rationis, eò quòd magnitudo diuinæ perfectionis, quod est fundamentum summæ illius æqualitatis, non distinguatur re in diuinis personis. Aliter sentit Scotus, cuius argumentis respondet Caiet. ad articulum 1.q.42.1.p. summæ Theologiæ Diui Thomæ.

*Defectu prioris quæ relationes non sint reales.*

*Defectu secundæ.*

*Æqualitas inter diuinas personas an sit relatio realis.*

*Sco. in 1.d.31. q.1. & in Quodl.q.6.*

*Tertium documentum pertinens ad rationem fundandi.*

TERTIVM documentũ. Vt relatio sit realis non opus est, vt ratio fundandi, seu fundamentum proximum sit ens reale, neq; item, vt sit in eadem re, in qua est relatio, sed vt non pendeat ab operatione intellectus. Hoc documentum ex eo patet quia ratio fundandi nõ dat esse relationi, cum id ad fundamentum pertineat, sed est quędam conditio necessaria, vt dictum est. Ex hoc documento intelligimus non esse mirùm quod similitudo, æqualitas, vnio, distantia, paternitas, relatio agentis ad patiens, & aliæ huiusmodi dicantur reales: etsi rationes fundandi harum relationum, aut non sint entia realia: aut non existant in rebus in quibus sunt relationes ipsæ. Nam ratio fundandi similitudinis est vnitas qualitatis: æqualitatis verò vnitas quantitatis, vnionis autem vnitas compositi, distantiæ spacium interiectum, quæ non sunt entia realia: paternitatis autem est actio gignendi præterita, & relationis actu agentis ad patiens actio ipsa seu motus præsens, quarum nec prior est in patre, nec posterior in eo quod actu agit.

*Actionẽ non esse in agẽte. Quartũ documentum.*

QVARTVM documentũ. Relationes quę æquè conueniunt rebus cum actu non existunt, atque cum actu existunt, non sunt reales, sed rationis: ratio documenti est, quia quæ conueniunt rebus, quæ actu non



non existunt, non sunt reales, sed rationis, vt patet ex primo documento: relationes autem quæ aliquando rationis sunt, nunquam reales esse possunt, nec quæ sunt reales, rationis: neque item necesse est, vt extremis hoc genere relationum relatis, aliæ nouæ reales adueniant eiusdem appellationis, cùm priores sufficiant. Ex hoc quasi fundamento collegimus libro superiori relationem boni, seu conuenientis non esse realem, sed rationis, quod esse bonum, sit proprium entis, ac proinde non minùs conueniat rebus, cùm actu non existunt, quàm cum actu existunt. Colligimus similiter, relationes identitatis tũ specificæ, tum genericæ: adde etiam & analogicæ, & oppositarum diuersitatum esse rationis, quia res non minùs sunt eædem in naturis communibus, & diuersæ in propriis, cùm non existunt, quàm cùm existũt. Idem dicendum de relationibus contrarietatis, oppositionis relatiuę, & oppositionis in communi. Nec loquimur hic de identitate generica & specifica formaliter, quia res non sunt eædem, nisi cùm conceptu generico aut specifico apprehenduntur: sed de identitate generica & specifica materialiter, qua res sunt eædem in natura generica aut specifica, sine vlla intellectus operatione. Nam & hæ relationes ex præscripto huius documenti sunt rationis: quia etsi conueniant rebus sine vlla operatione intellectus: non tamen existunt nisi cùm res aliquo modo apprehenduntur.

*Cap.2.q.7. sect.8.ad 3.*

*Variæ relationes rationis ex hoc documento colliguntur.*

a *D.Tho.1.p. q.28.art.1. Capr. in 1.d. 30. q. vnica ad 5. Gregorij argumentum. Cviet. in locum citatũ 1.p. Soncin. 5. Metaphys. q. 35. & cæteri Thomistæ. Eadem sententia est Alensis 5. Met. in tex. 15.*

QVOCIRCA minùs rectè videntur sentire a qui asserunt, huiusmodi identitates esse relationes reales, huic argumento innixi, quia conueniunt extremis realibus realiter distinctis, & in rerum natura existentibus sine vlla operatione intellectus, quæ sunt conditiones in primo documento explicatæ. Quod enim id non rectè colligatur, ex eo patet, quia etsi hæc tria necessaria sunt, vt relationes sint reales, non tamen sunt satis: oportet enim vt non æquè conueniant rebus, cùm non existunt, atque cùm existunt. Alia ratio est de relationibus identitatis contingentis in qualibet forma reali, cuiusmodi sunt relationes similitudinis inter Socratem & Platonem in virtute, in scientia, in agendo, in sedendo, & similibus. Namque hæ relationes etsi conueniunt extremis realibus, re omnino distinctis, & verè existentibus, non conueniunt tamen eisdem cùm non existunt. Dixi *identitatis contingentis*, quia si fuerit necessaria, quales sunt: non solùm identitas in natura generica & specifica, sed etiam in qualibet proprietate, vt similitudo Socratis & Platonis in ridendi facultate (nam & in proprietatibus possunt res dici eædem accidentaliter, licet non contingenter) iam non erit ratio realis, sed rationis, quòd rebus etiam non existentibus conueniat. Qui autẽ fieri possit, vt relatio aliqua rationis conueniat sine operatione intellectus, & tamen non sine operatione intellectus existat (quod non capiunt ij qui identitates genericas & specificas reales faciunt) paulò inferiùs ostendetur.

*Relationes identitatis contingentes vt possint esse reales.*

*Quintum documentum de relationibus Dei ad creaturas.*

QVINTVM documentum. Nulla relatio Dei ad creaturas realis esse potest. Probatur primùm quia creaturæ possunt esse & non esse: proinde si vlla relatio realis ad creaturas esset in Deo, illa quoque pari ratione posset esse & non esse: alioqui daretur relatio realis in-

ter extrema, quorum alterum non existeret quod est contra primum documentum, vnde fieret vt aliquid reale in Deo esset contingens, quod dici nullo modo potest. Deinde quia Deus non est in potentia ad vllum actum realem, cùm sit actus purus realiter, ac in se, licèt nostra cogitatione ac denominatione sit in potentia ad multa, quæ intellectus ei tribuere potest creaturarum comparatione, aut imperfecto intelligendi modo: at si relatio aliqua realis esset in Deo comparatione creaturæ, cùm illa sit actus quidam realis: sanè Deus antequam creasset mundum, fuisset in potentia ad actum realem, atque ita non esset actus purus. Postremò quia alioqui mutaretur Deus, cùm incipit nouam relationem realem habere ad creaturam, non mutatione quidem, quæ sit verus motus, aut vera actio & passio, sed mutatione, quæ satis esset ad hoc, vt verè dici posset Deum aliter nunc se habere per aliquid quod est in ipso, quàm priùs habuit, quod etiam genus mutationis diuinæ immutabilitati repugnat.

*Deus non est in potẽtia ad vllum actum realem.*

*Nominalium opinio.*

Hoc documentũ non admittunt Nominales: volunt enim Deum realiter referri ad creaturas, non relatione aliqua à fundamento distincta, quam nullam esse existimant, sed denominatione reali sumpta ex creaturis. Verùm quia hæc sententia si rectè expendatur, funditùs tollit omne genus relationum, quas nos in his documentis, atq; adeò in tota hac quæstione esse supposuimus: eius impugnationem in quæstionem sequentem reiiciamus, in qua de distinctione relationis à fundamento disputabimus.

*Vide Gregor. Arim. in 1. d. 28. q. 2. art. 1. & seq.*

## *Solutio argumentorum partis negatiuæ.* SECTIO VIII.

*Soluũtur argumenta posita sect. 1.*

IIs ita explicatis, ad primum argumentum negatiuæ partis dicendum est, etsi relationis vocabulum ex vi nominis ipsum referendi seu comparandi actum significat: tamen ex accommodatione, vsúque Philosophorum significare eam habitudinem vnius ad alterum, secundùm quam fit comparatio.

*Multa incipere per actionem qua aliud fit.*

Ad secundum dicendum, non omnia quæ incipiunt esse realiter, incipere esse per actionem peculiarem, quia ipsa, & non quicquam aliud fiat. Multa enim incipiunt esse per actionem qua aliud fit, resultantibus nimirùm ipsis, & quasi pullulantibus, cùm illud propria & peculiari effectione incipit esse: eiusmodi sunt passiones, siue affectiones rerum propriæ ac per se, & ipsæ etiam relationes. Sed hoc est discrimen quod propriæ affectiones reales, cùm absoluta entia sint, non incipiunt esse, nisi cùm earum subiectum verè attingitur actione agentis: at relationes ex suo genere hoc proprium habent, vt possint incipere esse, cùm nulla actio attingit earum subiecta: sed ipsæ quasi pullulant, cùm alibi subiecta sibi correspondentium relationum aliquid patiuntur. Mirabilis quidem res, sed vera tamen, quia ipsa relationum natura id postulat. Dixi: *ex suo genere*, quia quædam relationes sunt, quæ ex sua peculiari ratione indigent passione suorum subiectorum, vt in eis relultent: cuiusmodi sunt relatio filij, discipuli, aucti, alterati, & aliæ similes. Non defit fortasse aliquis, qui plus æquo cedens argumento, dicat pleraſque etiam formas absolutas

*Passiones vt incipiãt esse.*

*Mirabilis relationum natura.*



lutas aduenire subiectis ex eo tantum, quod alia subiecta alibi mutantur, vt cùm similia aut contraria nonnulli absentes per sympathiam, aut antipathiam nonnunquam patiuntur. Verùm id non fine passione vtrorúmque subiectorum euenit, cùm id referendum sit ad causas generales, quæ in diuersis subiectis ob similes aut contrarias dispositiones, similia aut contraria in remotis etiam subiectis operantur: quod vel ipsa sympathiæ & antipathiæ, quasi eiusdem & contrariæ passionis nomina apertè significant.

*Lege Plutarchum in parallelis.*

Ad tertium & quartum satisfacit tertiũ documentum. Nam neq; actio est fundamentũ relationis agentium, neq; vnitas æqualium aut similium, sed ratio fundandi illius, tametsi dici solet fundamentũ proximum. Quodnam verò sit fundamẽtum earum relationum, non conuenit inter omnes. In agentibus quidem, & quæ iam egerunt, dicunt pleriq; esse potẽtiam actiuam, alij ipsam agentiũ formam substantialem, quibus magis assentior, quòd sublata agendi potentia in eo qui genuit, vt si exectus fiat, aut alia ratione impotens, nihil minus remaneat pater: tametsi ipsa substãtialis forma, quia est primum principiũ actiuũ ex internis, nomine potentiæ actiuæ intelligi potuit, ab iis qui agendi potentiam fundamẽtum esse tradiderunt, quemadmodum & ipsam naturam, vim, & facultatem pleriq; appellarunt. In æqualibus verò & similibus fundamentum est ipsa quantitas aut qualitas, quę diuisa quidem est re ipsa in iis, quæ relatione contingenti æqualia sunt aut similia, sed ratione vnita. Non secus dicendum de iisdem specie, genere, & analogia. Est enim fundamentum earum relationum ipsa rei essentia: nisi quod eiusmodi relationes non sunt reales, cùm sint necessariæ, atque æquè conueniant extremis, cùm illa non existunt, atque cùm existunt, vt ex dictis patet.

*Quid nam sit fundamẽtum relationis agẽtium. Itẽque æqualium, aut similium. Formam nomine principij actiui intelligi potuisse.*

*Fundamentũ identitatis genericæ, specificæ, aut analogicæ.*

Ad quintum dices ex primo documento, relationẽ totius ad singulas partes, quicquid alij sentiãt, non esse realem, minus etiã ad omnes partes simul: totum enim & partes non sunt omnino realiter diuersa, cùm totũ omnes includat: referentur tamen ipsę partes ad se inuicem relatione reali, si fuerint essentialiter diuersæ, & re ipsa separabiles saltem diuina potestate, vt materia & forma (etiã cœlorum) accidens & subiectum, paries & tectum. Neque verò vnquam huiusmodi relationes reales erunt infinitæ in eodem toto, quia nullum totum constare potest ex infinitis partibus actu distinctis. Relationes autem dominij & seruitutis concedendum est. ō semper esse reales, saltem ex vtraque parte. Nam etsi in hominibus & bestiis vtraq; ex parte sunt reales, quòd homines natura præsint, cætera verò animalia vel inuita subsint: tamen in hominibus inter se collatis rectè probat argumentũ neutra ex parte esse reales, quicquid Genesius Sepulueda commẽtus sit Indos noui orbis, similéſq; alios barbaros suapte natura aliarum nationum seruos esse: sunt enim omnes homines natura pares, etsi conditio ac educatio alios faciat ad dominãdum, alios ad parendum aptiores. In Deo autem & creaturis, seruitus quidẽ realis relatio est, dominium autem rationis: quod Deo, vt quinto documento compertum est, nulla possit realis relatio aduenire.

*Relationem totius ad singulas partes non esse realem.*

*Partes inter se, relationem realem vt habere possint.*

*Relationes dominij & seruitutis non semper reales.*

*Ita Soncin. 5. Metaph. qu. 25. ad quartum.*

*D. Tho. 3. p. 9. 35. art. 5 Capran primo dist. 50. q. prima in solut. ad oct. auũ contra primã conclusionem*

*In Deo relatio dominij est rationis, seruitutis in rebus creatis realis.*

# QVO PACTO RELATIO REALIS DISTINGVATVR A FVNDAMENTO.

## QVÆSTIO II.

*Variæ opiniones.* SECTIO I.

CVM ergo relationes reales non modo in rerum natura dentur, sed etiam propè infinitæ sint, illud statim occurrit dubium, sint ne re ipsa distinctæ à suis fundamentis, an verò sola distinctione formali ex natura rei, an potius sola consideratione.

*Prima sententia.* QVA in re sunt qui absolutè pronuncient, nullam relationē realē distingui à suo fundamento nisi consideratione. Alij contrariam omnino sententiam probantes asserunt omnem relationem realem (diuinis tamen exceptis) re ipsa à suo fundamento esse distinctam. Sunt etiam qui media quasi incedant via, nec tamen eodem modo sentiant. Nam quidam existimant duo esse genera relationum realium: vnum earum, quæ sunt reales habitudines, siue respectus per se, vel per accidens consequentes fundamenta, quo pacto inhærētia per se conuenit quantitati, per accidens autem tangere aliam quantitatem, atque has dicunt realiter distingui à fundamentis: non tamen vt distinctas entitates, sed vt modos essendi, seu habendi se distinctos ab entitatibus fundamentorum: alterum earum, quæ non sunt respectus reales, immo ne respectus quidem, sed reales denominationes relatiuæ desumptæ ex pluribus rebus, vt esse æquale vel simile, quod nihil aliud esse dicunt, quàm hoc: V. C. esse bicubitum, sicut & illud est bicubitum, vel esse album, sicut & illud est album: quod relationum genus dicunt nec realiter, nec formaliter seu essentialiter distingui à suis fundamentis, sed consideratione sola, & has denominationes aiunt sufficere ad prædicamentum Ad aliquid. Alij verò dicūt in iis quidem relationibus realibus, quarū fundamenta possunt existere sine terminis, distinctionē à fundamentis esse realem, vt in relatione similitudinis: in iis autem, quæ non possunt, distinctionem non esse realem, vt in relatione actualis dependentiæ creaturarū à Deo.

*Secunda omnino opposita.* *Tertia medio insistens.* *Quarta opinio.*

*Quinta & sexta.* DENIQVE sunt qui hac ratione media incedant via inter primam & secundam sententiam, vt in omnibus creatis relationibus absolutè pronuncient distinctionem earum à fundamentis non esse realem: sed ita tamen, vt alij dicant esse modalem, alii formalem ex natura rei. Ita fit, vt sex hac in re sint Philosophorū, seu potius Theologorum, qui hæc pressius tractauerunt, opiniones.

*Impugnatio primæ sententiæ.* SECTIO II.

*Primum fundamentum primæ opinionis.* PRIMA opinio, quæ Ochami est, cæterorúmque Nominalium, tria pro se potissimùm habet fundamenta. Vnum est, non esse multiplicandas siue res, siue rerum essentias, vbi necessitas non cogit: & absoluta entia, si alio & alio modo spectentur, satis esse ad præstanda omnia, quæ alij entibus absolutis, suisque respectiuis conficiunt.

*Ochā in primo dist. 30. q. 1. & d. 31. q. 1. Gregor. in 1. d. 28. quæ. 2. artic. 1.*



*Vide Æg. in primo d. 26. Her. in 1. d. 30. q. 1. Syl. in Conflato. q. 28. qui idē discuntur sentire.* ficiunt. Nam vt albedo per se sumpta facit album, ita cum alia albedine facit simile, nulla prosus sibi adiecta siue re, siue entitate: eodémque modo, vt agendi potentia facit rem qualem, ita cum re, quæ patitur, facit relatam, nulla re aut entitate sibi aduenīente, sed sola re, quæ patitur recipiente actionem ab illa.

*Secundum.* ALTERVM fundamentum est, si relationes sint res, aut entitates rerum distinctæ à fundamentis, fore vt infinitæ propemodum res aut entitates sint in quauis re: innumerabiles inquam similitudines & dissimilitudines, æqualitates & inæqualitates, propinquitates & remotiones aliarum rerum comparatione, quod & incredibile & superuacaneum videtur.

*Tertium.* TERTIVM effugere non posse eos, qui ista siue realiter, siue essentialiter distinguunt, quin admittant fore, vt mutentur res distantissimæ à nobis, & in alio etiam mundo, si esset, ex eo solùm, quòd apud nos aliquid mutetur, quod & per se absurdum videtur, & ab Aristotele aliisque Philosophis negatur.

*Impugnatur opinio Nominalium. 1.* VERVM hæc opinio primum quidem dum omnia facit absoluta, tollit de medio totum genus prædicamenti. Ad aliquid contra Aristotelis, veterúmque Philosophorum sententiam. Deinde minus cohæret cum iis, quæ nos docet orthodoxa fides, qua confitemur diuinas personas relationibus realibus distingui. Nam cùm verum & indubitatum sit dari relationes veras & reales in diuinis, cur non etiam dentur in rebus creatis, quæ illarum imitationes sint, nulla est ratio. Postremò, quia tueri non possunt, quo pacto qualitas, aut quantitas vna solitariè sumpta faciat rem qualem, cùm alia verò faciat relatam, nisi habitudine, siue respectu vnius ad alteram. Nam vt in exemplo similium id expendamus, quemadmodum vna albedo facit vnum album, ita duæ albedines faciunt duo alba, neque aliud quicquam formaliter. Si ergo faciunt duo similia formaliter, ratione vtique alicuius adiuncti ea efficiunt, non ratione absoluti siue vnius, siue multorum. eadem enim erit in iis ratio, atque in duplici albedine: ergo ratione duarum habitudinum seu relationum, quæ consurgunt inter duas albedines. Accedit, quòd vel duæ albedines per modum vnius formæ faciunt Socratem similem Platoni, & iterum ambæ simul Platonem Socrati: aut vna facit Socratem Platoni similem, & altera Platonem Socrati: at ambæ simul non possunt habere opposita effecta formalia, cùm sumantur per modum vnius: ergo cùm Socrates & Plato sunt albi, sola albedo Socratis facit illum formaliter Platoni similem, & sola albedo Platonis Platonem Socrati, nec iam vna cum altera, vt illi dicunt. Denique si respondeant nihil aliud esse Socratem esse similem Platoni secundum albedinem; & Platonem Socrati, quàm Socratem habere albedinem sicut Plato habet albedinem (hoc enim est, ad quod tandem confugiunt) etiam ipso verborum vsu tollunt de medio prædicamentum Ad aliquid: quod tamen Dialecticæ artis, disserendique vsus gratia concedunt. Dicere enim, nihil esse aliud, Socratem esse similem Platoni secundum albedinem, quàm Socratem habere albedinem, sicut

*2. In diuinis dantur veræ & reales relationes.*

Plato habet albedinem, perinde est ac si dicas, nihil aliud est dicere Socratem esse similē Platoni, quàm asserere, sicut hæc est vera, Plato est albus, ita & hanc esse verā, Socrates est albus: quæ sunt duæ ptopositiones pertinentes ad prędicamentū qualitatis, & propter quas non est opus aliud prædicamentum constituere. Non igitur idē sunt ista, nisi cùm dicimus, Socrates habet albedinē, sicut Plato habet albedinem, intelligamus in verbo, *sicut*, mutuā eorum inter se habitudinem relationémve, quæ nulla sit forma absoluta, sed respectus consurgēs ex duplici absoluta forma vnius speciei in vtroque subiecto.

*Ad Nominalium fundamēta quid sit dicendum.*

QVARE ad primum eorum fundamentum dicendum est, non satis esse formas absolutas ad efficiēda omnia, quæ nos absolutis respectiuisq; conficimus, vt ex proxima argumentatione perspicuum est.

AD secundum. Qui sentiunt relationem esse modum quendam essendi, & non entitatem, negant fore, vt propè infinitæ entitates sint in eadem re, etsi concedunt esse infinitos propemodum essendi modos, quod quidem dicent nihil esse incommodi, cùm res ipsæ, que iis modis se mutuò respiciunt, sint propè infinitæ. Qui autem dicunt relationem esse rem distinctam à fundamento, & plerique eorum, qui putant esse entitatem, sentiunt per vnam eamdémq; relationem posse rem vnam referri ad infinita, vt æquale per vnam & eamdem æqualitatem, & simile per vnam & eamdem similitudinem: cæteri autem non putant incommodi quicquam euenire, vt rei eidem accidant infinitæ propè entitates respectiuæ, cùm sint formæ nullius momenti, & pendentes ab infinitis propè terminis.

AD tertium fundamentum ex superius dictis responderi potest, quod Aristoteles, cæteríque Philosophi negant, aduenire semper relationem mutato subiecto, cui aduenit, non de mutatione communissimè dicta, qua vtcumque res aliter habet, quàm prius, sed de ea, quæ est actio & passio intelligendum esse.

*Impugnatio secundæ.*

## SECTIO III.

*Secunda opinio sectatorū D. Thomæ confirmatur. Argumētum 1.*

SECVNDA opinio est Caiet. Capr. Ferra. & ferè antiquiorum Thomistarum, quam iidem D. Tho. attribuūt. Quòd igitur ea sit vera, his argumētis probant. Primum, quia res eadem nō potest simul intendi & remitti; at qualitas sæpè intenditur, cùm relatio in ea fundata remittitur, veluti cum à duobus æquè albis alterum tantùm intenditur: neq; enim id fieri potest, nisi simul similitudo in vtroq; remittatur. *Caiet. 1.p.q. 28.ar.2. Capr. in primo d.30.q.1. Ferrar.4.con traGēt.c.14.*

2. Deinde, quia quæ ita se habēt, vt altero pereunte alterum non pereat, ea realiter idem esse non possunt: at pereūte v.c. relatione similitudinis, sepè non perit fundamentum qualitatis. Tertio, quia multarum relationum fundamentum est substantia, vt vnionis materiæ & formæ in composito substantialis: at 3. substantia nulli rei est accidens, quod etiam Aristoteles docet primo Phys. cap. 3. Postremò, quia si relatio esset idē realiter cum suo fundamento, esset ens per suum fundamentum: quare cùm pleræque relationes *Text.26. & sequentibus.*



tiones fundentur in substantia, nullæ earum essent accidentia, sed per se existerent: quandoquidem substantia non dat esse in hęrentis, sed per se existentis.

*Vt probent eam esse D. Thomæ.*

QVOD autem sit D. Thomæ, ex pluribus locis colligunt: potissimùm quidem ex 1.p.q.28.art.2.vbi sic ait: *Sicut in creatis in eo quod dicitur relatiuè, non solùm inuenitur respectus ad alterum, sed aliquid absolutum ita in Deo, sed aliter. Nam id quod inuenitur in creatura præter id quod continetur sub significatione nominis relatiui, est alia res: in Deo autem non est alia res.* Deinde ex 4.contra Gentes, cap.14.vbi sic scribit: *Relatio realitèr substantiæ aduenies postremum & imperfectissimum habet esse, quia non solùm præexigit esse substantiæ, sed esse aliorum generum, ex quibus causatur.* Tertiò ex q.8.de potentia Dei, art.2.quo loco sic ait: *Substantia creata non potest sibi identificare relationem, quia est definita ad tale genus: in quo differt ab essentia Dei, quæ cùm infinita sit & super omnia genera potuit alia sibi identificare.* Quòd si D. Thomas putat substantiam creatam non posse identificare sibi relationem: ergo multò minùs existimat id posse quantitatem & alia accidentia quæ sunt fundamenta relationum. Postremò ex 1.d.33.q.1.art.1.vbi hæc ferè scripta reliquit: *Relatio creata differt ab increata quod increata nullam facit compositionem cum eo cuius est, relatio verò creata facit.* Quod si relatio creata D. Thomæ iudicio compositionem facit cum eo cuius est: differt igitur eius opinione realiter à suo fundamento.

*Impugnatur eiusmodi sententia.*

HÆC opinio etsi verisimilitudine non caret, minùs tamen probabilis est quàm opposita, nec vbique cum verbis Diui Thomæ congruit. Nam quòd sit minùs probabilis, ex eo primùm patet, quia forma realiter distincta ab eo, in quo recipitur, nunquam acquiritur sine actione noua qua introducatur: nisi esset proprietas, quæ sublato impedimento resultaret in subiecto solius antiquæ actionis virtute, qua productum esset id cuius est proprietas: at relatio sæpe acquiritur sine vlla actione, quæ attingat illud in quo est. Nec dici potest eam resultare in subiecto antiquæ actionis virtute, qua fundamentum productum est: nulla enim relatio potest esse proprietas vllius rei, nisi sit relatio rationis, vt æquè conueniat rei non existenti atque existenti, veluti esse bonum bonitate transcendente, vt superiori libro diximus. Deinde, quia si relatio distingueretur realiter à fundamento, cùm ea sit posterior natura fundamento, neque ipsa in fundamento, aut fundamentum in ipsa includatur, posset Deus conseruare duas albedines, sublata ab eis mutua relatione: at intelligi videtur nullo modo posse dari duas res albas, quæ actu in albedine similes non sint. Accedit quòd vbi satis est distinctio ex natura rei, siue formalis ea sit, siue tantùm modalis, vt re vera hic esse satis ex solutione argumentorum patebit, non opus est inducere distinctionem realem. Postremò quia Aristoteles octauo Phy- 4. sicorum docet per solum motum localem nihil acquiri, quòd infit in re quæ mouetur: at hoc intelligitur de forma distincta realiter à subiecto, cuiusmodi sunt eæ quæ per alia motuum genera acquiruntur.

*Quæ relatio possit esse rei proprietas, quæ non possit.*

*Cap.2.q.7. sect.5.*

1.

2.

3.

*Capite 7. textu 59.*

QVOD

*Non conuenire vbique cũ verbis Diui Thomæ.*

QVOD verò proposita opinio non vbique cum verbis D. Thomæ congruat, ex eo patet, quia in opusculo 48. tractatu de iis quæ sunt ad aliquid, cap. 2. sic planè scribit: *Non est intelligendum, quod similitudo Socratis sit aliqua res in Socrate distincta ab albedine, sed solùm est ipsa albedo, vt se habet ad albedinem Platonis, vt ad terminum. Si enim*, inquit, *similitudo adderet suprà albedinem rem aliquam, nullo modo posset aliqua fieri similis alicui sine sui mutatione, quod est falsum.* Hæc D. Thomas. Neque obest, quod quidam respondent, opusculum citatum non esse D. Thomæ, aliàs enim eo vtuntur, vt D. Thomæ: & loci in quibus D. Thomas contra videtur sentire, ita exponi possunt, vt nihil à citato loco dissentiant.

*Soluuntur argumenta secundæ opinionis.*

QVARE ad primum argumentum dicendum, nihil esse incommodi formam eandem diuersis rationibus simul intendi & remitti: præsertim si vnum ei accidat absolutè, & alterum comparatè, vnum propriè, & alterum impropriè, vt in allato exemplo: esset autem incommodum si vtrumque ei eueniret eadem ratione ac propriè, vt si albedo: quatenus albedo simul intenderetur & remitteretur.

*Quæ formaliter distinguuntur habere distinctas existentias.*

AD secundum negandum est quod assumitur, nam vt vnum maneat, & alterum pereat, satis est distinctio eorum ex natura rei, præsertim si sit formalis & non modalis tantùm. Nam etsi puri essendi modi non habent peculiares existentias, vt propriè produci ac perire possint: tamen quæ distinguuntur formaliter: quemadmodum verisimiliùs habent distinctas existentias, ita propriè vno pereunte alterum manere potest, etsi reali identitate idem sint.

*Accidens vt possit esse idẽ re cum substantia.*

AD tertium dicendum, etsi substantia nunquam est accidens formaliter, quo pacto Aristoteles intelligendus est: tamen realiter posse esse accidens respectiuum. Ad quartum negandum est relationem, etsi est idem re cum suo fundamento habere entitatem & existentiam propriam à fundamento: ita scilicet, vt ipsa existentia fundamenti sit existentia relationis, neque vllam peculiarem habeat relatio: habet enim propriam & essentiam & existentiam, quæ modò sunt, modò non sunt permanente fundamento.

*Explicantur D. Tho. loca.*

LOCVS verò primus ex D. Thoma citatus sic intelligi potest, vt cùm ille ait: *in rebus creatis præter id quod significatur nomine relatiuo, esse rem aliam in Deo autem non esse rem aliam*, sensus sit: in creaturis quidem extremum siue subiectum, quod denominatur à relatione, posse realiter esse distinctum à relatione, quæ formaliter nomine relatiuo significatur: at in Deo idem esse realiter, immò etiam formaliter ex natura rei extremum, quod denominatur à relatione, atque relationem ipsam, neque ibi esse sermonem de fundamento, sed de subiecto siue extremo. Ad locum secundum facilior est responsio ex dictis: concedimus enim relationem realiter aduenire substantiæ, hoc est, sine operatione intellectus, itémque esse relationis præexigere, vt fundamentum aliud esse habeat, non autem vt sit res alia.

AD tertium locum satis constat dicendum esse, non esse eo loco sermonẽ de identificatione reali, sed de formali, qua Deus sibi identificat omnia, quæ de ipso formaliter ex natura rei dicuntur, quo pacto in rebus



in rebus creatis fundamentum non identificat sibi relationem, sed realiter tantùm. Ad quartum locum dices, ea etiam quæ tantùm formaliter differunt, facere posse compositionem, vt naturam generis cum natura differentiæ, quæ componunt speciem. Quocirca hoc esse discrimen inter relationem creatam & increatam, quod increata non facit siue compositionem per se, siue compositionem per accidens cum fundamento, cùm non differat ab eo formaliter: at relatio creata cùm differat formaliter à fundamento facit cum eo cõpositionem per accidens, atque adeò in plerisque relatiuis non solùm facit compositionem formalem cum fundamento, sed etiam realem cum subiecto, nempe vbi subiectum & fundamentum differunt realiter.

*Discrimen inter relationẽ creatam, & increatam.*

## *Impugnatio tertiæ & quartæ.* SECTIO IIII.

*Quæst. 2.*

*Tertia sententia randi.*

TERTIÆ opinionis auctor est Durandus ad 30. dist. 1. sen. tametsi illud denominatione relatiua desumpta ex plurib. rebus absolutis accepit ab Herueo Quodli. 7. quæst. 15. & Quodlib. 10. q. 1. quod idem postea Nominales approbarunt. Confirmatur autem sententia hæc à suis auctoribus ferè impugnatione aliarum, vt non necesse hic sit pro ea vlla argumenta proponere. Verùm quod is non rectè constituat duo illa genera relationum realium: ex eo primùm patet, quia omnis relatio realis est respectus realis, vanaq; est illa realis denominatio ex pluribus rebus absolutis, vt ex impugnatione primæ opinionis perspicuum est: deinde quia si denominatio illa satis esset ad constituenda relatiua Prædicamenti Ad aliquid, non opus esset alio relationis genere, quod vocat respectiuum realium. Nam vt ille putat nihil esse aliud duo alba esse similia quàm vnum esse album, sicut aliud est album: ita ego dicam duo corpora immediatè collocata sese tangere, nihil aliud esse quã vnum esse in hoc loco immediato, sicut & illud est in illo: & hunc hominem esse patrem, & illum filium, idem prorsus esse, atque hunc genuisse illum sicut & ille ab hoc genitus est. Adde quòd nullus respectus per se consequitur fundamentum, nisi sit relatio ratio rationis, & quæ æquè conueniat extremis non existentibus atque existentibus, vt superiùs constitutum est, aut certè sit relatio transcendens, veluti inhærẽtia accidentis, si de aptitudinali agitur: tametsi in transcendentibus non propriè cernitur fundamentũ, vt etiam suprà diximus, at neutra huiusmodi relationũ, siue rationis, siue transcendens ponitur in Prædicamẽto Ad aliquid. Mitto quòd ait nullũ respectum realem esse entitatem distinctam ab entitate fundamenti, sed esse purum quendam essendi, ac se habendi modum: id enim minùs probabile esse, nè dicam alienum à communi Philosophorum sensu, in extrema sententia stabilienda ostendere conabimur. Postremò quòd abutitur nomine distinctionis realis. distinctio enim modi essendi qui non est formaliter res vlla ab ea cuius est modus, non est distinctio realis, sed modalis.

*Refellitur 1.*

1.

2.

3

4.

5.

*Quarta sententia Scoti. Eius fundamentum.*

QVARTA sententia est Scoti in 2. d. 1. q. 5. & in 3. d. 8. q. 1. cuius præcipuum fundamentum illud ipsum est quod in ea proponenda te-

tigimus. *Quorum*, inquit, *vnum perire potest manente altero, ea distingui realiter, quorum autem non potest, ea non distingui realiter.* Sed non est firmum fundamentum cui innititur. Nam cùm sola distinctio modalis satis sit, vt alterum suo modo pereat manente altero (quod patet in veste actu induente, quæ eadem manens, si detrahatur à corpore, iam desinit esse actu indumentum) multò satiùs erit distinctio formalis, quæ distinguit entitates quarum quælibet suum peculiare esse habet: quare siue relatio distinguatur à suo fundamento, vt modus essendi purus ab eo, cuius est modus, siue vt entitas ab entitate, nihil habet firmitatis ratio qua suam Scotus sententiam communit. Nam illa qua etiam vtitur de intensione vnius & remissione alterius eodem tempore quæ arguere videntur distinctionem realem superiùs soluta est. Itaque toto hoc loco relinquitur controuersia inter eos, qui relationem distingui solùm modaliter à fundamento, & eos qui asserunt distingui formaliter, siue vt entitatem vnam ab alia entitate.

*Refellitur.*

*Sect. 3.*

### *Refutatio quintæ & approbatio sextæ.* SECTIO V.

*Quinta opinio recentiorum.*

OPINIO eorum qui sentiunt relationem à fundamento distingui modali distinctione duntaxat, ita vt omnis relatio prædicamenti Ad aliquid, nihil sit aliud quàm purus quidam essendi modus, recentiorũ quorundã est propria: tametsi ex Durando occasionem ita opinandi acceperunt, quòd ille pro comperto id habuerit, si non in omnibus iis quas nos relationes appellamus (cùm multas credat esse relatiuas tantùm denominationes ex pluribus absolutis) certè in iis omnibus quas ipse confitetur esse verè respectus quosdam vt causæ & effectus. Nec sanè ab eorum sententia aliena videntur pleraque verba, dictáque veterum Philosophorum, vt Alberti Magni in hunc librum. Ac denique non facilè refutabitur qui eam defenderit.

*in 1.d.30.q.2*

*Tribus rationibus confirmatur.*

RATIONES pro ea tres potissimùm afferri possunt. Vna, & valdè alienum videatur à veritate, nouam aliquam non dico rem (id enim iam refutatum est) sed entitatem aduenire rei albæ existenti in India ex eo solo quòd hæc aut illa apud nos sit alba. Etenim non tantùm res noua, sed entitas etiam noua, & quæ nouam habet existentiam, videtur non posse aduenire vlli subiecto sine actione aliqua, quæ illud attingat. Altera quòd ex distinctione formali relationis à fundamento videatur planè effici, relationem in communi (loquimur autem de reali) habere duplicem entitatem, duplicemq; existentiam: vnã quatenus accidens qua sit in subiecto, alteram quatenus relatio, qua sit ad terminum, seu respiciat terminum: quod incommodum non euenit si relatio sola modali distinctione distinguatur à fundamento. siquidem illud *Ad* non significabit entitatem vllam, cui peculiaris existentia conueniat, sed purum quendam modum essendi ipsius fundamenti. Tertia quòd ex eadem distinctione formali sequatur relationem, vt relatio est dicere perfectionem distinctam à perfectione fundamenti, quòd multa incommoda secum affert. Ac eam quidem dicere perfect

*Alb. hoc loco tract. 3. ca. 7.*

1.

2.

3. *An relatio dicat perfectionem.*



perfectionem, si distinguitur formaliter à fundamento, ex eo manifestum videtur, quia si loquamur de perfectione trãscendente, cum omne ens sit hoc pacto perfectum, erit etiam relatio perfecta: si verò sit sermo de perfectione formali, cùm omnis relatio, de qua est controuersia sit forma quædam & actus, omníque actus sit quædam perfectio, vt Aristoteles tradit 2. de Anima, cap. 1. erit quoque relatio perfectio, & per eam perficietur fundamentum.

*2. li. de Ani. cap. 1. tex 2. Vide eumdem 3. Phys. ca. 1. text. 5. & c. 2. tex. 25.*

MVLTA verò incommoda consequi, si relatio, vt à fundamento distinguitur, dicat perfectionem, haud leuibus argumẽtis probari potest. Primùm, quia hoc pacto perfectior esset res alba existente in rerum natura alia re alba, cui esset similis, aut etiam nigra, cui esset dissimilis, quàm si nulla existeret, cui esset aut similis aut dissimilis, quod ridiculum videtur. Deinde, quia cùm res eadem propè infinitas relationes habeat, haberet profectò ex genere relationis infinitam penè perfectionem, maiorémq; propè in infinitum, quàm ex genere quantitatis aut qualitatis: cùm tamen relatio etiam realis, vt talis est (loquimur autem de creata) fermè nullius sit entitatis, vt omnes dicunt. Tertiò, quia cùm perfectio sit actus quidam, & actus omnis actuet ac insit, si relatio ex eo quod relatio non actuat, seu non ineat, sed tantùm ad aliud refert, quo pacto perficere, aut perfectio esse potest? Adde quod si relatio esset perfectio quædam, sanè relatum esse, esset quoddam perfectum esse, ac proinde absolutum quippiam, quãdoquidem perfectum esse absolutum est non relatiuum.

*Opinio sextæ magis placet.*

NOBIS tamẽ magis placet, relationes reales ad hoc prædicamentum pertinentes vniuersè distingui à fundamento formali distinctione, quæ erat sexta opinio, ita vt omnes habeant proprium ac peculiare esse tum essentiæ, tum existẽtiæ distinctum ab esse fundamenti: quam sententiam plerique Thomistarum, vt sui Auctoris placitum, veterúmq; cùm Philosophorum, tum Theologorũ doctrinam meritò amplectuntur: quod his rationibus satis videtur cõfirmari. Primùm, quia relatiua, quatenus relatiua sunt, hac ratione apud omnes distinguuntur ab entibus absolutis, quòd absoluta habent esse in se, relatiua autem in ordine, siue habitudine ad aliud. Qua ex distinctione patet, omnes (atque adeo ipsos proximæ opinionis auctores) cùm præsens quæstio in terminis non tractatur planè tribuere entibus relatiuis proprium & peculiare esse distinctum ab esse absolutorum. Deinde, quia veteres omnes de eo disputabãt, num esse relatiuorum in eo esset positum, vt aliorum dicerentur: quam disputationem Plato tetigit, & Aristoteles in Prædicamentis latiùs explicauit, concludens non in eo esse, vt aliorum dicantur, sed vt aliorum sint: ergo proprium & peculiare esse relatiuis concedebant. Tertiò, quia Græci Aristotelis interpretes aiunt, prima quatuor prædicamenta esse syncera entium genera: cætera verò quasdam entium inter se complicationes: qua in re faciunt relatiua vera entia, quemadmodum quanta & qualia, tametsi minimo entitatis gradu. Quartò, quia de primis tantùm quattuor generibus indicauit Aristoteles & in Prædicamentorum libro, & in hoc opere, seriò, vt ita dicam, agendũ esse: quasi

*Chrys. Iauel. 5. Metaph. q. 22. Sot. in Prædicã. cap. de Rela. q. 2. & alij.*

*Probatur argumentis.*

1.

2.

*Arist. in Prædicam. cap. de Relatione.*

3.

4.

Universidad de Deusto
Biblioteca



hæc sola sint vera entia prædicamentalia, cætera modi tantũ entium. Quinto, quia hoc solùm impediret quominus relatiua haberent propriũ & peculiare esse, si quicquid habet esse, haberet illud in se, & non in ordine ad aliud (neque enim aliã rem afferunt oppositæ opinionis auctores) at in aliis generibus dantur res, quæ totum suum esse habẽt in ordine ad aliud, vt materia prima in ordine ad formam, & forma itẽ substantialis in ordine ad materiam primam, immò etiam accidentia omnia, vt accidentia sunt, in ordine ad subiectũ, nisi quòd hęc omnia aliter quàm relatiua huius prædicamẽti terminantur, vt in distinguendis relatiuis transcendentibus à non transcẽdentibus explicatum est. Dixi, *vt accidentia sunt*, quia vt talia accidentia, possunt esse absoluta, & relatiua: absoluta, vt calor, relatiua, vt scientia: non est igitur cur relatiuis huius prædicamenti proprium & peculiare esse negetur,

Quæst. 1. sect. 4.

## *De generatione relationum.*
## SECTIO VI.

*Soluũtur argumenta pro quinta opinione adducta sectione præcedente.*

AD primam igitur pro quinta opinione propositam rationem dicendum est, nullam entitatem accidentariam indigere ex suo genere actione attingente propriũ subiectum, nisi quæ sit absoluta enim sola habet esse in se: nam quę relatiua est, cùm ex duobus pẽdeat, & ex subiecto & ex termino, ac proinde habeat esse in ordine ad aliud: si antea quidem in proprio subiecto fundamentum habeat, nihil ei iam ex parte proprij subiecti deerat, vt in eo resultaret, sed tantùm deerat terminus, quo per actionem producto necesse est, & in subiecto, & in termino duæ sibi respondentes relationes quasi pullulent. Dico autem, *quasi*, quia vbi non est distinctio realis, non est vera productio & germinatio. Atque in hoc potissimùm genere vt Commentator ait, verum est quod Aristoteles [a] 5. Physic. & [b] primo de Cœlo ait, *nihil esse incommodi, si aliquid, quod ante erat, nunc esse incipiat sine generatione sui, mutationéve proprij subiecti.* Quapropter cùm aliquid fit album in India, tum album, quod apud nos est, incipit ei esse simile per similitudinem, quæ in eo quodammodo erat, & simpliciter non erat: quandoquidem fundamentaliter erat, & proxima potentia ad esse, formaliter autem non erat, quod solam existentiam termini expectaret.

*Auen. in primum librũ de Cœlo commẽ. III.*
[a] *Text. 13.*
[b] *Tex. III.*

## *De ipso esse relatiuorum.*
## SECTIO VII.

*Vt quidã ad argumentum respondeant.*

AD secundam, quæ haud facilis est, mira est quorundã sollicitudo, vt inueniant vnde relatio suum esse habeat: intelligunt autem esse tum essentiæ, tum existentiæ. Ac cùm in qualibet relatione reali detur esse In, quod est accidentium commune, & esse Ad, quod est relatorum proprium: dicunt illi relationẽ habere esse In à fundamẽto, esse vero Ad à termino: addúntq; relationẽ non esse realem ex esse Ad, quia illud cõmune est omnibus telationibus & realibus & rationis, sed ex esse In. Siquis autem ab eis quærat, an illud esse, In, quod habet à fundamento, sit distinctum ab esse fundamenti, & illud Ad, quod habet à termino, sit distinctũ ab esse termini, hoc enim est,



est, quod præcipuè quæritur: quidam videntur sentire non esse distinctum, tum quia ab illis caussatur, tum quia esse fundamenti est absolutum, & esse termini extrinsecum, esse autem relationis, nec est absolutum, nec extra ipsum relatiuum. Quod si distinctum est, vt re vera est dicẽdum, supereſt illa dubitatio: cur dicat relationem realem ex ipso Ad non habere vt sit realis: quamquam enim nõ sit realis ex Ad communi: tamen ex tali Ad, quale habent relatiua realia, non dubium est quin sit realis: alioquin relatio realis, vt talis relatio est, nõ erit realis: quandoquidem vt relatio realis sit, vtroque indigeat, & esse in reali, & esse Ad reali, nisi dicamus aliquid reale esse compositum ex esse reali, & esse rationis, quod fieri non potest. Quomodocumq; autem respondeant (possunt enim & rectè, & non rectè hoc suum pronunciatum interpretari) semper restat difficultas in argumento proposita: quod nimirum ex formali distinctione relationis à fundamento sequatur, duplicem entitatem duplicémque existentiam in qualibet relatione reali reperiri: vnam, qua est accidens, & habet esse In: alteram, qua est relatiuum accidens, & habet esse Ad.

*Vera argumenti solutio.*

NEGANDA est igitur ad argumentũ sequela. Nam eadem ratione sequeretur in quantitate, quæ ignis summũ est, & in qualitate similiter duas esse entitates, duásq; earum proprias existentias, vnam quatenus quæque illarũ accidens est, alterã, qua tale accidẽs habet enim quodlibet genus summum & cõmunem rationẽ accidentis, quam cum aliis generibus participat, & peculiarẽ ac suam, quã solis suis inferioribus cõmunicat. Quare cùm eadẽ sit difficultas in omnibus, tametsi maior in relatione, propterea quòd non vtraq; ratio sumitur ex subiecto, vt sumitur in quantitate & qualitate, sed vna ex subiecto, altera ex termino: dicendũ est in omnibus veris generibus summis accidentiũ vnam tantùm esse generalem entitatem, vnámq; ei respondentem existendi rationem: accidens autem, quod cõmune est omnibus, nõ esse simpliciter vnum, sed analogicè, ac quodãmodo vnum, & ex natura rei identificatum cum omnibus iis, in quæ accidentis analogia immediatè distribuitur, cùm autẽ venitur ad relationem, dicendũ est entitatem eius simplicem esse, non cõpositam ex duabus, quarũ altera sit entitas In, altera entitas Ad, sed vnam & eamdẽ habere formaliter hæc duo: non tamen ex natura rei actu distincta, sed potẽtia, seu potius virtute: ita vt simplex illa entitas id præstet simplicitate sua, quod præstaret cõpositione duarum entitatum, si cõposita esset ex natura cõmuni accidẽtis verè vnius rationis, & addita natura differentiæ contrahentis. Quod idem in cæteris generibus summis accidentium proportione seruata dicendum est, quatenus sunt accidẽtia quędam, & in substantia etiam, quatenus est quoddã ens. Distinctio enim eius quod omnibus commune est, ab eo, quod est cuiq; peculiare, etsi est ex natura rei (neque enim pendet ex operatione intellectus) nõ est tamen actualis, sed virtualis, de quo genere distinctionis ad caput 6. nonnihil diximus.

*Genera summa accidentium vnam habere entitatem, & existendi rationem.*

AD tertiam obiectionem vt respondeamus, disquirẽdum est, num relationes huius prædicamẽti propriè dicant perfectionem aliquam, ita vt ipsæ sint perfectiones quædam earum rerum, quibus insunt.

## *SINT NE RELATIONES perfectiones aliquæ rerum.*

## QVÆSTIO III.

*Sententiæ ac rationes pro vtraque parte.*

### SECTIO I.

*Partis affirmatiuæ ratio.*

NON desunt ex recentioribus, qui affirmatiuam huius quæstionis partem hac potissimum ratione amplectantur, quia bonum & perfectum, vt aiunt, idem sunt, relationes autē, cùm sint entia quędam, necessariò sunt bona quædam: tum quia bonum æquè latè patet atq; ens, vt tradit Aristoteles 1. Ethic. cap. 6. & ex Genesis primo colligi potest, vbi Moses, *Vidit Deus*, inquit, *cuncta quæ fecerat, & erāt valde bona*, à quibus sanè relationes excludendæ non sunt, tum quia relationes etiam sunt appetibiles, vt esse patrem, rerúmque multarum auctorem: omnia autem, quæ appetibilia sunt, nemo bona esse negat.

*Bartholomæus Torres de Trin. q. 33. in comment. artic. secundi. Michael de Palatio in 1. Sent. d. 16. disput. 2. & alij plerique.*

SED quicquid sit de conclusione, certè eorum ratio non colligit institutum: nam & falsum assumit, & non sine vitio concludit. Neque enim bonum & perfectum idem sunt formaliter, vt superiori libro probatum est: nec si idem essent, rectè efficeretur proposita ratione relationes esse perfectiones rerum, quibus insunt, quod nunc quærimus, & de quo est controuersia inter Theologos præcipuè: sed solum esse perfectas perfectione transcendente, quemadmodum & bona bonitate transcendente: nisi velis perinde ab eis colligi relationes esse perfectiones rerum, ex eo quòd sunt perfecta quædam, atque si colligas, vestem Æthiopis esse eius albedinem, quia alba est: aut certè impropriè loquaris accepto perfectionis nomine pro re perfecta, quod sæpè fit, vt superiori libro annotauimus: quo tamen modo nunc de perfectione non disputamus.

*Cap. 2. q. 7. sect. 6.*

*Negantem partem esse communem Doctorum.*

ALII omnes quotquot legerim, negatiuam partem quæstionis approbāt: quamquam enim vnus aut alter verbo aliquo affirmatiuam videntur amplecti: tamen vbi de re ex instituto agunt, negatiuæ præcipuè adhærent: non omnes tamen eodem modo suam sententiam confirmant. Nam quidam, ex diuinis relationibus ad eas, quæ huius prædicamenti sunt, progredientes, sic argumentantur. Relationes, quibus diuinæ personæ distinguuntur, non sunt perfectiones, quibus diuina essentia perficiatur: tum quia essentia diuina est infinitè perfecta, tum quia nulla perfectio potest esse in vna persona, quę non sit in alia, ergo relationes, quatenus relationes sunt, non sunt perfectiones rerum: alioqui ipsæ etiam diuinæ relationes perfectiones essent diuinæ naturæ ac personarum: quòd si ita est, nec relationes prædicamentales sunt perfectiones eorum, quibus insunt.

*Vt à quibusdam probetur.*

*Nulla perfectio est in vna persona diuina quæ non sit in alia.*

*Aliorum confirmatio.*

ALII ex ipsa relationum natura hunc in modū sententiam eamdem confirmant. Perfectio debet inesse rei, quam perficit: relationes autem



autem ex eo quòd relationes sunt, non habent vt insint, sed vt aliud referant: nullæ igitur relationes sunt perfectiones.

*Rationes adductas esse parùm firmas.*

VERVM quicquid etiam sit de hac conclusione, sanè rationes haud firmæ sunt. Prior quia etsi relationes, quatenus relationes sunt, non sunt perfectiones rerum (quod dixerim propter relationes rationis quæ nihil re ipsa perficiunt) tamen non inde sequitur eas, quæ huius prædicamenti sunt propriæ non esse perfectiones rerum quibus insunt. Argumentatio enim à communi ad particulare cum reduplicatione non valet negatiuè: vt si dicas, animal quatenus animal, non est rationis particeps, ergo nec hoc animal, quod est homo, quatenus tale animal. Posterior etsi rectè colligeret relationes, vt relationes sunt, non esse perfectiones, quia secundùm communem rationem qua comprehendunt relationes rationis, non insunt rebus, tamen non rectè colligit absolutè nullas relationes esse perfectiones: diuinæ enim reales insunt per identitatem & diuinæ essentiæ, & diuinis personis, prædicamentales verò rebus creatis per inhærentiam, atque hunc in modum diluunt Theologi rationem Gilberti Porretani Pictauorum Episcopi, qui nihil aliud concedens diuinis relationibus quàm quod tribuitur relationi: vt relatio est (nempe aliud respicere) in eum errorem incidit, vt diceret relationes personales non inesse personis per identitatem, vt fides Orthodoxa prædicat, sed esse illis affixas & quasi adhærentes, quod in Concilio Rhemensi sub Eugenio tertio ante quadringentos annos damnatum est.

*Diuinæ relationes per idē titatē insunt diuinæ essentiæ & personis.*

*Ratio Gilberti fallax vt a Theologis diluatur.*

*Vera explicatio quæstionis.*

### SECTIO II.

VM igitur altera ex parte stet communis Philosophorum & Theologorum sententia, qua relationes huius prædicamenti perfectiones esse negantur: ex altera vero pugnet ratio illa sanè irrefragabilis, qua obiicieda probatum est perfectiones esse, quia, inquam, sunt actus quidam, ac formæ quarum proprium est actuare, ac proinde perficere subiectum, eiq; suum esse communicare, explicandum est qua ratione vtrumque verum sit. Ac missa perfectione transcendente, de qua non disputamus (tametsi & hæc partim non dicitur de relationibus, partim dicitur: non dicitur quidem formaliter, quia est formaliter negatio defectus: dicitur autē identicè identitate negatiua, quia non est aliud à re quæ dicitur perfecta: quemadmodum de priuatione & materia tradit Aristoteles) dnobus modis verum est quod tota schola pronunciat: relationes, inquam, non esse perfectiones formales, de quo genere perfectionis tota est controuersia. Vno si relationes sumantur secundum cōmunem relationis notionem, hoc est, quoad ipsum Ad tantùm: certū est enim nihil ex ea parte, vt sic dicam: relationes ponere in rebus, vt eas perficiant. Altero si perfectio formalis sumatur pro ea qua forma ad agēdum accipiendúmve aliquid idonea est: nulla enim relatio est principium aliquid agendi aut patiendi accipiendíve vt omnes fatentur.

*1. Physi. t. 7. textu 66. & 67.*

*Quomodo verum sit relationes non esse perfectiones formales.*

QVOD

*Quo sensu dicant perfectionem.*

QVOD, si perfectio formalis sumatur pro ea quæ nec actiua, nec passiua est, sed quasi otiosa, hoc tantùm habet muneris, vt det aliquod esse subiecto (quam purè formalem appellare possumus) non dubiũ esse debet, quin relationes huius prædicamenti sint perfectiones rebus additæ: dant enim rebus quibus insunt aliquod esse. De quo tamen genere formalis perfectionis, saltem quatenus in relationibus cernitur, parum & quasi nihil siue Philosophi, siue Theologi curarũt: quòd adeò parua sit, vt nulla esse videatur. Dico autem: *quatenus in relationibus cernitur*, quia in absolutis (si in his quoque datur perfectio purè formalis) non parua nonnunquam de ea habetur ratio, vt apud Theologos de charactere eo qui sacro fonte ablutis & initiatis tanquam indelebile signum imprimitur, quem eorum quidam volunt, neque ad agendum, neq; ad accipiendum comparatum esse, alij probabilius oppositum existimant.

*Character qui in tribus sacramentis imprimitur.*

*D.Tho.3.p.q. 63.ar.2.Caiet.ibid.Capr. in 4.d.4.q.1. Palu. ibid.q. 2. Argent.d. 6.q.1.& alij plerique.*

*Perfectio formalis quando censeatur absolutè perfectio.*

SED obiter hic aduertendum est perfectionem formalem, siue ad agendum patiendúmve comparata sit, siue non sit, non censeri simpliciter & absolutè perfectionem formalem, nisi sit naturæ subiecti consentanea, quam nos a superiori libro naturalem appellauimus: tametsi naturalis nomine supernaturalem quoque, & neutram intelligendas esse voluimus, quòd sint naturæ subiecti congruentes, hoc est, non repugnantes: hoc autem dixerim propter actus & habitus, quæ virtutibus earúmque actibus opponuntur & propter qualitates naturalibus qualitatibus suorum subiectorum contrarias: hæc enim etsi sunt formæ eorum, in quibus insunt: tamen non dicuntur simpliciter & absolutè illorum perfectiones, cuiusmodi sunt inter operatiuas aua ritia respectu hominis, & calor respectu aquæ: inter eas verò quæ operatiuæ non sunt, opinione quorundam Theologorum macula peccati quòd eam qualitatem faciant post actum peccati in animo relictã. Vnde mirari nemo debet cur libro superiori formalis perfectionis nomine naturalem tantùm & moralem complexi simus, prætermissis iis formis quæ moralibus perfectionibus aduersantur, & iis etiam reiectis quæ aduersantur naturalibus si sumantur respectu eorum subiectorum quibus noxiæ & infectæ sunt.

*a Cap.2.q.7. sect.6.*

*Cur formalis perfectionis nomine, naturalis tantũ & moralis libro superiori comprehensa.*

*Dubitatio.*

SI quis autem quærat, num quemadmodum qualitatum aliæ simpliciter & absolutè sunt perfectiones formales suorum subiectorum, aliæ verò non nisi secundum quid, seu quatenus qualitates aut formæ vt eodem loco diximus, ita quoque in relationibus eueniat, respondendum est affirmatiuè. Quædam enim sunt consentaneæ suis subiectis, vt animæ dominatus, corpori seruitus: quædam dissentaneæ & repugnantes, vt animæ seruitus, & corpori dominatus. Vnde quemadmodum dominari in animam non est simpliciter & absolutè perfectio corporis: ita nec seruire corpori perfectio animæ, sed tantùm secundum quid, seu quatenus forma quædam relatiua: ex quibus melius intelliges quæ eodem libro boni occasione de perfectione diximus.

*Solutio*

*Solutitur.*



*Solutio tertiæ rationis pro quinta opinione de distinctione relationis à fundamento superiori quæstione proposita.*

## SECTIO III.

*Sect.5.q.2.*

IIS sic explicatis, facilè est rationem illam dissoluere, qua vltimo loco quinta opinio de distinctione relationis à fundamento confirmabatur. Patet enim respondendum esse, relationem quamlibet huius prædicamenti, etsi nõ est perfectio ad operationem actiuè, aut passiuè comparata, esse tamen perfectam perfectione transcendente, & perfectionem formalem puram nisi sit repugnans naturæ subiecti, vt igni esse inferiorem aliquo elemento, & terræ superiorem, idque non tantùm ex eo prouenire, quia quælibet relatio est forma quædam, sed etiam quia est actus quidam, sumpto nomine actus etiam: quatenùs non solùm complectitur omnes formas, sed modo etiam essendi puros. Nam & modi essendi puri sunt quædam perfectiones rerum, veluti actualis existentia, nisi sint dissentaneæ naturæ subiectorum, eisque obsint. Quod ideò dixerim quia etsi relationes essent puri essendi modi iuxta recentiorum quorundam opinionem: non ideò tamen non essent numerandæ in perfectionibus purè formalibus: satis enim ad id foret quòd essent actus quidam naturæ subiectorum consentanei.

*Relatio est perfectio trãscendens, & perfectio formalis puræ nisi sit repugnans naturæ subiecti. Modos essendi puros etiã dicere posse perfectionẽ.*

*Sect.1.*

QVÆ verò contrà obiiciuntur, si ea quæ dicta sunt, considerentur parùm difficultatis habent. Nam cùm id solùm concedamus, relationem esse perfectionem quandam purè formalem & quasi otiosam, nihilque aliud habentem, quàm quod dat aliquod esse, idq; omnium infimum: nihil obstat dicere perfectionem esse hoc perfectionis genere albedinem, si habeat similem quam si sola existat. Quòd verò additur de propè infinitis perfectionibus huiusmodi, nihil magis obest quàm ipsa propè infinita rerum absolutarũ multitudo, inter quas est mutua relatio, si tamen singulæ ad singulas peculiaribus relationibus referuntur, de qua dubitatione paulò pòst agendum: imo vero tanto minùs quanto minoris entitatis est quælibet relatio, quàm quælibet res absoluta. Nam dari vnam penè infinitam perfectionem in re qualibet, si relatio perfectio vlla est, non rectè colligitur quia ne absolutarum quidem rerum multitudo vnam faciunt perfectionem, nisi sint gradus aliqui qui vnam & eandem numero qualitatem constituant, tametsi nec gradus eiusdem qualitatis plures res sunt, sed partes, vt ita dicam rei vnius. Quod autem adiungitur, si relatio perfectio est (nimirùm formalis) fore, vt actus aliquis non insit, negandũ id est. Nam relatio ea de qua loquimur non solùm ad aliud refert, sed etiam informat, non solùm adest, sed etiam inest, vt superiùs ostendimus. Denique neque illud incommodum est vt quoddã perfectum sit relatiuum: nam etsi perfectum in commune, quatenus perfectum est sit absolutum: quemadmodum & ens & accidens: tamen nihil prohibet aliquod perfecti genus, vt tale est esse relatiuum: quemadmodum & quoddam ens & quoddam accidens est relatiuum.

*Soluuntur argumenta oppositæ partis*

*Quæst.2. Sect.7.*

## TERMINENTVR NE RELATIONES terminis absolutis, an relatiuis.

## QVÆSTIO IIII.

### Opinio Scoti. SECTIO I.

§. Respondeo igitur.

LLVD deindeinde non parum controuersum est, terminentur ne relationes terminis absolutis, an relatiuis. Qua in re alij aliter sentiunt. Scotus 1.sent.d.30.q.2.existimat relationes non solùm tertij generis relatorum, sed etiam primi & secundi, terminari absolutis terminis, quod his argumentis probat. Primùm quia quod attinet ad relatiua tertij generis, hoc discrimen eorum ponit Aristoteles à relatiuis primi & secundi, quod in iis quæ ad primum & secundum spectant, datur relatio mutua, hoc est, in vtroque extremo reperitur relatio, qua alterum ad alterum referatur: in iis autem quæ ad tertium pertinent, alterum extremum refertur ad reliquum, at reliquum non refertur ad illud, sed tantùm est aliquid eius, nempe terminus. Exiſtimat id quod in hoc genere relationem terminat, non sub relatione relatiua, sed absoluta id facere.

Scoti opinio. Relationes terminari ab solutis termi nis. Cõfirmatur.

1

5. Metaphy. c.15. tex.20.

2. Deinde quia actus definit potentiam, vt terminat relationem illius: aut ergo terminat vt absolutum, & habetur propositum: aut vt correlatiuum, & sic potentia quoque definit actum, quia correlatiua se inuicem definiunt, vt ait Porphyrius in Isagoge: at potentia & actus non possunt se inuicem definire, quia actus est natura prior potentia, vt tradit Aristo. 9. lib. huius operis: priùs autem non definitur per id, quod est posterius. Tertiò quia relatiua cuiuscumque generis illa sint

Cap. de specie. Cap. 8. tex. 13.

3

quemadmodum cætera omnia quæ definitione explicantur, definiuntur per priora: correlatiua autem nõ sunt priora suis correlatiuis, cum sint simul natura, nullum igitur relatiuum definitur per correlatiuum formaliter, sed per absolutum illud quod est fundamentum relationis ex altera parte sibi respondentis, vt patet per fundamentum filiationis, & filius per fundamentum paternitatis: quòd si non definitur per correlatiuum formaliter, sed per absolutum, ergo nec terminatur: quandoquidem definitio relatiuorum explicandis terminis relationum naturas eorum declarat. Quartò, quia relationes scibilis, creatoris, & aliæ huiusmodi, cùm sint relationes rationis, non conueniunt

4.

rebus, nisi dum actu considerantur: at oppositæ relationes creaturæ, scientiæ, & aliæ similes, cùm sint reales, conueniunt rebus sublata etiam omni operatione intellectus, non terminantur ergo hæ posteriores per illas priores formallter, sed per res absolutas, quibus illæ tribuuntur, alioqui relationes reales penderent à relationibus rationis, ac proinde ab operatione intellectus.

Sententiam hanc ferè ab omnibus reiici, & 1. reprobatur.

VERVM hæc sententia ferè ab omnibus, ac meritò reiicitur, vt enim daremus relatiua tertij generis terminari terminis absolutis, certè vniuersè dicere relatiua omnia terminari absolutis, pugnat & cum ipsa relatorum natura & cum omnium veterum sententia. Nam si paternitas & similitudo Sophronisci patris non terminatur ad Socratem



Socratem filium, vt filius est ac similis, sed vt Socrates: certè cum Socrates prius natura sit Socrates, quàm filius ac similis, non dubium, quin Sophronisc us prius natura sit pater, quàm habeat filium, & prius natura sit similis, quàm habeat similem: quod nemo sanæ mentis dixerit. Præterea, si relatiua non terminantur ad relatiua, sed ad absoluta,

2.

non est necesse ponere correlatiua in definitione relatiuorum: cùm tamen & Aristoteles, & cæteri necessarium id esse iudicent: neq; alia sanè de caussa, nisi vt terminatio relatiuorum intelligatur. Accedit illud Aristotelis pronunciatum in Prædicamentis, cui omnes subscribunt. *Si à seruo auferantur cætera omnia, etiam illud, quòd homo sit*) fingamus enim fieri, quod fieri non potest) *modo seruus relinquatur, adhuc dominus ad illum referetur, & ille vicissim ad dominum.* Quod si auferatur vnũ hoc, quòd seruus sit, & cætera omnia relinquantur, iam illud euenturum, vt alter dominus esse desinat. Mitto, quòd relationes, quibus diuinæ personæ realiter distinguntur inter se, non terminantur ad terminos absolutos, sed relatiuos, cùm absoluta omnia sint communia in diuinis. Quòd si increatæ relationes terminantur relationibus increatis, cur non etiam creatæ creatis terminentur?

Cap. de Relatione.

3

4. Relationes diuinæ terminãtur ad terminos relatiuos.

### Opinio quorundam Thomistarum.

### SECTIO II.

VIDAM Thomistæ, inter quos est Ferrariensis in secundum contra Gent. ad caput vndecimum, etsi repugnant Scoto in primo & secundo relatorum genere: tamen in tertio idem cũ eo sentiunt: dicunt enim in primo & secundo genere relatiua referri ad correlatiua, vt correlatiua sunt formaliter, veluti hoc simile ad illud simile, & illud ad hoc, patrémq; ad filium, & filium ad patrem: at in tertio ex altera quidem parte, ea, quæ ad aliquid dicuntur, referri ad absoluta, vt scientiam ad rem, quæ sub scientiã cadit, veluti scientiam naturalem ad ens mobile: at absoluta etsi viciſſim ad illa dicuntur referri (reciprocantur enim omnia relatiua cum iis, ad quæ referuntur, vt patet ex Prædicamentis) non referri tamen quatenus terminant eorum relationes, sed ex ipsa terminatione absoluta occasionẽ accipere relationes quasdam rationis, quibus absoluta terminantia ad relatiua viciſſim referantur. Nam, quia ens mobile, vt tale est, terminat relationem scientiæ naturalis, inde oritur vt denominetur scibile, quod est denominari relatiuum relatione rationis ad scientiam, & ita in cæteris: eamdem rationem esse dicunt in relationibus, quę ex tempore conueniunt creaturis respectu Dei, quas Theologi ad hoc tertium genus pertinere dicunt. Rationes verò, quibus mouẽtur, sunt prima & vltima earum, quas ex Scoto attulimus.

Opinio Ferrar. & quorumdã Thomistarum ex ponitur nempe relatiua 1. & 2. generis terminari ad terminos relatiuos: sed 3. ad absolutos.

Cap. de ijs, quæ ad aliquid.

Improbatur 1.

SED neque hi rectè sentiunt. Nam vt relationes tertij generis intelligantur ac definiantur, necesse est cointelligere oppositas relationes, vt illi ipsi concedunt: at hoc non esset necessarium, si illæ terminarentur terminis absolutis. Accedit, quòd relatiua tertij generis, & creaturarum ad Deum habent correlatiua: at omnia correlatiua sunt

2.

*Correlatiua vt sint simul natura.*

simul natura in hoc sensu,vt si vnum extremum refertur ad alterum, & alterum quoq; in eodem,vt ita dicam,momento siue signo & temporis & naturæ ad illud vicissim referatur: quòd in his non eueniret, si alterũ terminaretur ad absolutum: præcedit enim natura absolutũ eam relationem,quæ in ipso fundatur. Et quamquam Aristoteles in Prædicamẽtis videtur docere,correlatiua tertij generis nõ esse simul natura:tamen eius sententia,vt à grauissimis Auctoribus explicatur, ea est,vt velit non esse simul natura,si designentur secundum cõmunẽ vsum vocabulorum,quo pacto non rectè designantur eorum correlatiua:sumimus enim scientiã pro ea:qua actu scimus, scibile autẽ pro eo, quod scire possumus: esse autem simul natura si rectè correlatiua designentur,id est,si vtrunq; actu,aut vtrumq; potentia intelligatur. Nam & scibile actu cũ scientia actu,& sensibile actu cum sensu actu, similitérque scibile potẽtia cum scientia potentia,& sensibile potentia cum sensu potentia simul natura sunt,cùm simul conueniant, ac non conueniant suis extremis:hoc enim est esse simul natura,vt inferius exponemus.Sed hoc modo nomina scibilis & sensibilis pro scito & sensu percepto sumẽda sunt,quod etiam Græca vocabula ἐπιστητὸν καὶ αἰσθητὸν significãt:vt nimirum scientia,qua actu scimus,cum re,quæ actu scitur,& scientia,qua scire possumus,cum re,quę sciri potest,eodémq; modo sensus actu sentiens cum re actu percepta sensu, & sensus,quo sentire possumus,cum re,quæ sensu percipi potest,conferantur.Hoc idem sentit D.Thomas 1.p.q.13.art.7.Vbi ait,*vt intelligamus sint ne aliqua simul natura, id tantùm sat esse, si alterum vicißim sine altero intelligi non posßit, idq; accidere in relationibus domini & serui, etiam inter Deum & creaturas,vt in relationibus scientiæ & scibilis,sensus & sensibilis,si rectè designetur.* Adde,quod vt relatio scientiæ,quatenus mensuratur à scibili, percipiatur (hoc enim pacto dicunt scientiam & scibile esse correlatiua) satis est intelligere scibile, quatenus est eius mẽsura,nec necesse est ipsam naturam absolutam rei scibilis percipere, & similiter dicendum de relatione sensus,vt mensuratur à sensibili.Eodémq; modo vt relationes actualis dependentiæ creaturarum à Deo percipiautur,satis est percipere Deum, vt creatorem,conseruatorem, &c. neque enim necesse est intelligere ipsam absolutam Dei naturam: non terminantur ergo relationes reales tertij generis relatorum ad terminos absolutos,sed relatiuos.

*Explicatur Aristot.*

*Cap. de Relatione. Simplic. in Prædicam. cap. de Relat. Porph. apud Boëtium in Prædicamẽt. Ammon. & Auer. ibid.*

*Relatiua tertij generis vt sint simul natura.*

*Relatio scientiæ vt percipiatur, quid sit satis.*

*Itemque relatio creaturæ.*

*Sententia Caietani.*

## SECTIO III.

*Omnia relatiua tertij generis terminari ad sua correlatiua formaliter sumpta.*

CAIETANVS his ferè argumentis permotus asserit quidẽ nulla relatiua etiam tertij generis terminari ad absoluta, sed omnia terminari ad relatiua, quæ sibi altera ex parte respondent,seu quod idẽ est,ad sua correlatiua formaliter sumpta.Verùm in id totus incumbit, vt vtraque faciat modo aliquo realia,ne relatio realis vnius extremi terminetur ad relationẽ rationis alterius extremi,vt ad terminum pendentem ex operatione intellectus:penderet enim & ipsa ab operatione intellectus, ac proinde non esset realis:ait ergo relationem scibilis ab scientiam, & Dei ad creaturam

*In Comment. primæ partis q.13.artic.7.*



creaturam (in his enim videri potest quid in cæteris huiusmodi accidat) esse quidem relationes rationis in se, siue simpliciter & absolutè:& quatenus accipiunt denominationem extrinsecam à realibus, quas terminant,esse quodammodo reales:res enim quę sciuntur,realiter sciri dicuntur,neque alia ratione,nisi quia terminãt relationem scientiæ,quæ realis est:& Deus ideo dicitur realiter creator aut dominus, quia terminat relationem creationis passiuæ, aut seruitutis creaturarum,quæ reales etiam sunt.

*Caietani opinio parum probabilis. Impugnatur. 1.*

Ac est subtilis quidem sententia Caietani,sed tamen parum probabilis,&(vt videtur)frustra excogitata. Quæro enim quo pacto relatio scibilis & creatoris accipiant denominationem extrinsecam à realibus,quas terminant. Nam etsi res, quæ sub scientiam cadit, potest denominari extrinsecus à reali actu sciendi, & Deus à reali actu creandi:tamen nec res,quæ sub scientiam cadit, nec relatio ipsa, qua dicitur scibilis,denominari possunt à relatione,qua scientia refertur ad scibile: eodẽmque modo nec Deus,nec relatio ipsa creatoris seu creantis possunt denominari à relatione, qua creatura refertur ad creatorem:hoc enim discrimen rectè notauit D. Thomas & ante illum Auicenna inter formas absolutas & respectiuas reales,quòd absolutæ possunt & intrinsecus,& sæpè etiam extrinsecus denominare. veluti superficies,modo vt superficies,modo vt locus: at respectiuæ reales non possunt denominare nisi intrinsecus, hoc est, nisi inhæreant rebus, quæ ab eis denominantur, vr paternitas Sophronisco, & filiatio Socrati.

*D. Thom. 2. contra Gent. cap. 13.*

*Discrimẽ inter formas absolutas, & respectiuas.*

*Obiectio.*

Qvod siquis obiiciat,à filiatione Socratis posse etiam Sophronisci denominari non quidem filium, sed filiatum, & Socratem à paternitate Sophronisci non patrem,sed,vt sic dicam, patratum (liberius enim in hac materia fingendi vocabula facultas datur) occurrendum est,posse quidem id effici, sed nihil aliud esse Sophronisci denominari filiatum,quàm dici habere filium, seu (quod idem in materia relatiuorum est) referri ad filium: nihilque aliud est Socratem denominari patratum, quàm dici habere patrem, seu referri ad patrem. Alia ratio est in denominationibus, quæ fiunt à formis absolutis.Nam esse album non est formaliter idem, quod referri ad albedinem, sed affici albedine inhærente: & esse locatum non idem est formaliter,quod eius relationem terminari ad locum, sed est circundari loco quasi forma & perfectione quadam extrinseca.

*Soluitur.*

Adde etiam,aliud esse relatiua rationis posse extrinsecus denominari à relationibus realibus correlatiuorum,quod in hac controuersia nihil facit ad rem:aliud posse habere ab eis realitatem, quod Caietanus probare debuit,nec tamen probat.Nam etsi cõcedamus scibile denominari à relatione scientiæ, & creatorem à relatione creaturæ (denominatione videlicet terminatiua,vt quidam Thomistæ loquuntur) nunquam tamen inde concludetur, relationes ipsas scibilis & creatoris esse reales,sed hoc solùm, quod terminentur relationibus realibus,quod quidem absque extrinseca Caietani denominatione concedimus.Sed demus huiusmodi relationes denominatione

extrinseca esse etiam quodammodo reales, nempe terminatiuè reales si placet: an non supereſt adhuc, quod ad relationes Dei ad creaturas attinet, tota difficultas argumenti communis, propter quod dissoluendum hæc cõmentus est Caietanus? Adhuc enim respondeat oportet, qui fieri possit vt Deus sine operatione intellectus terminet relationem creaturæ, cùm id facere non possit, nisi relatione rationis, quæ sine operatione intellectus dari nequit, cùm tamen eius sententia dari oporteat. Nam si Deus non apprehendatur, vt confert esse creaturæ, nulla relatio erit creantis nisi potentia: quod si potentia tantùm, quomodo oppoſita relatio creaturæ erit actu, si oportet vtramq; existere, vt altera per alteram terminetur, nisi demus posse relationẽ esse actu sine termino actu? Sed ait Caietanus existente relatione reali creaturæ, iam quodammodo existere realiter relationẽ creatoris. Dicat igitur oportet iam quodammodo eam terminare: at quodammodo terminare non est simpliciter terminare: ita fit, vt aut simpliciter interminata maneat relatio creaturæ, aut frustra sit excogitata à Caietano realitas relationum Dei ad creaturas, vt Deo sine operatione intellectus simpliciter conueniat creatorem esse ac Dominum, & cætera attributa ex tẽpore. Aliam esse fortasse dicat rationẽ in relatione scibilis, quia non datur scientia sine apprehensione scibilis, saltem habitu: quo forsitan satis esse putabit, vt detur relatio scibilis ad scientiam.

*Deus si non apprehendatur vt cõfert esse creaturæ, nulla relatio erit creantis,*

*Vera quæstionis explicatio.*

## SECTIO IIII.

*Etiam relata nõ mutua terminari ad respectiua.*

DICENDVM igitur, omnem relationem etiam tertij generis terminari oppoſita relatione, ac proinde non solùm cùm vtraque est realis, sed etiam cum altera tantùm, neq; item solùm cùm vtraque existit actu, sed etiam cùm relatio rationis, quæ reali altera ex parte respondet, non existit actu, dummodo actu conueniat rei, ad quam oppoſita refertur.

AC omnem relationem terminari oppoſita aliqua relatione, iam probatum est contra Scotum: nihil etiam obstare, quòd altera sit realis, altera rationis, necessariò concedendum est si reales tertij generis & creaturarum ad Deum non terminantur realibus, quòd omnes concedunt, iis exceptis, qui Deum ad creaturas realiter referri putant, contra quos superius disputatum est.

*Non necesse esse vt relatio rationis existat ad terminãdã relationem realem.*

NON esse autem necesse relationem rationis, qua realis terminatur, existere actu propria existentia, nempe obiectiua, ad hoc, vt actu realem terminet, ipse etiam Caietanus cogitur admittere, cùm ponat relationem creaturæ terminari relatione creatoris, etiam non existente actu. Neq; obiicias, omnes relationes rationis existere obiectiuè apud Deum, eo quòd Deus actu concipiat omnia modis omnibus, quibus concipi possunt. Primùm, quia id ex accidente euenit. Nam etsi Deus non ageret per intellectum, sed more agentium naturalium vt ignis aut aqua & (quod plus est) nõ haberet intellectum: tamen si rem aliquam totã de nihilo produceret, adhuc in ea daretur relatio

*Etsi Deus non ageret per intellectũ & voluntatem, à creaturis respiceretur.*



relatio creaturæ, nec tamen in Deo esset obiectiuè relatio creatoris. Deinde quia nos loquimur de existentia relationum rationis apud nos, hoc est, apud intellectum nostrum, quemadmodum cùm agimus de existentia relationum generis, speciei, & aliorum vniuersalium, quas dicimus non existere, nisi res vniuersales à nobis concipiantur: etsi certum est eas existere, obiectiuè in intellectu diuino, vt non existunt apud me, si nullam naturam vniuersalem concipiam, cùm apud te qui actu aliquam concipis, iam actu existunt.

*Relationes vniuersales nõ existere, nisi res vniuersales à nobis concipiantur.*

DENIQVE vt relatio rationis actu terminet realem satis esse si actu conueniat rei, ad quam oppoſita refertur, etiamsi ipsa non existat actu, res videtur perspicua. Si enim iam vna conuenit vni extremo, & alteri altera: quid quæso deest ad mutuum referendi exercitium, iam enim datur reciprocatio: quòd si iam mutuò referuntur, ergo iam relatio rationis terminat relationem oppoſitam.

*Quid sufficiat vt relatio rationis terminet realem.*

TOTA igitur difficultas in hoc posita est qui fieri possit, vt relatio rationis non existat actu, & tamen actu conueniat rei ad quam realis oppoſita refertur. Nam etsi prædicata necessaria, siue realia sint, siue rationis, conueniunt actu, etiam cùm ipsa actu non existunt, vt homini esse animal, & aptitudo ad ridiendum, generiq; referri ad speciem. tamen prædicata contingentia non videntur actu conuenire vnquam subiectis actu existentibus, nisi cùm ipsa etiam actu existunt, veluti Grammatica Socrati existenti, nisi cùm ipsa etiam Grammatica Socratis actu existit.

*In quo consistat difficultas rei propositæ.*

*Dissoluitur*

SED ad hoc dicendum est cum prædicata quidem sunt relatiua realia, verum id esse quia si priùs non conueniunt; & postea conueniũt nunquam id euenit nisi per actionem realem attingẽtem vel vtrumque extremum propriè, vel vnum propriè, & alterum resultatione quadam, vt cum Sol duos homines in nigredine facit similes denigrando vtrumque, si ambo erant albi, vel alterum tantùm, si alter albus erat, alter autem niger: at cum prædicata sunt relatiua rationis, non esse id verum vniuersè. Nam cum existentia relationum rationis sit obiectiua quæ sine operatione intellectus dari non potest, si ex parte quidem vnius extremi detur relatio realis, quæ reali terminari non possit, necessariò eam sequetur in altero extremo relario rationis eo modo quo eam sequi potest: at sine operatione intellectus non potest eam sequi secundum existentiam, potest autem secundum conuenientiam: quemadmodum concedimus in prædicatis necessariis, quæ etsi actu non existunt, tamen actu conueniunt subiectis: igitur per hoc tantùm conuenire incipiet vni extremo, quod oppoſita realis, sua reali existentia conuenire incipit alteri extremo, etiamsi ipsa non incipiat sua obiectiua existere. Ita patet omnem relationem terminari oppoſita aliqua relatione, siue reali, siue rationis, nec opus esse, vt relatio rationis qua realis terminatur, actu existat, vt realem terminet, sed tantùm vt actu conueniat: quod tunc primùm accidet, cùm oppoſita realis in rerum natura esse cœperit.

*Solutio*

*Solutio primi argumenti pro opinione Scoti.*

SECTIO V.

*Sect.1. ponitur.*

*Explicatur discrimen ab Aristotele positum inter relata.*

QVARE ad primum argumentum Scoti dicendum est, non in eo constitutum esse ab Aristotele discrimen relatiuorum tertij generis relatiuis primi & secundi, quòd ea quæ ad primum & secundum pertinent, referantur ad correlatiua, quæ autem ad tertium spectãt, referantur ad absoluta: id enim in primis cũ Aristotele pugnat, qui æquè in tertio genere, atq; in primo & secundo correlatiua designauit, immò etiã quemadmodum scripsit, mensuram, scientiam, & intellectum dici ad aliquid, ita etiam apertè asseruit mensurabile, scibile, & intelligibile dici ad aliquid. Deinde, ipsi etiam Scoto contradicit, qui æquè in primo & secundo genere, atque in tertio existimat relatiua terminari ad absoluta, & non ad correlatiua formaliter, vt patrem ad fundamentum filiationis, & filium ad fundamentum paternitatis. Postremò quia si dicat eo pacto discrimen tertij generis à primo & secundo esse intelligendum, vt velit Aristoteles: in primo quidem & secundo relatiua referri ad absoluta, quæ necessariò ad illa vicissim referuntur, cùm se mutuò respiciant relatione reali: in tertio autem referri ad absoluta quæ non necessario ad illa vicissim referuntur, cùm ex altera parte sit relatio rationis, quæ pendet ab operatione intellectus, hoc enim est quod à Scoto quàm probabilissimè responderi potest, falsum est illud quod assumit absoluta ea ad quę relatiua tertij generis referuntur, non necessariò vicissim ad illa referri. Nam si scientia, exempli causa, refertur ad scibile relatione mensurati, necessariò scibile refertur ad illam relatione mensuræ: non potest enim quicquam esse mensuratum, nisi aliquid sit eius mensura. Nec obest quòd scibile non existat, aut etiam ipsa relatio scibilis, quæ est relatio rationis: satis enim est si scibili siue existenti, siue non existenti relatio scibilis conueniat, siue ea etiam existat, siue non existat.

*Argumentũ ex dictis Aristotelis.*

QVID ergo est quod Aristoteles ait, in primo & secundo genere vnumquodque id ipsum quod est alterius dici, non autem quia aliud ad illud: in tertio autem mensurabile, & eius species, vt scibile & intelligibile dici ad aliquid, quia aliud ad ipsa dicitur, nempe mensura ad mensurabile, scientia ad scibile, & intellectus ad intelligibile. Videtur enim planè significare mensurabile, scibile & intelligibile dici relatiua, non quia ipsa referantur, sed quia suis absolutis rationibus relationes mensuræ specierúmque eius terminant, scientiæ nimirùm & intellectus, quæ veterum quorundam sententia (haud vera tamen) dicebantur mensuræ rerum quæ sciuntur & intelliguntur.

*Loco citato*

*Vt à Caietano soluatur.*

CAIETANVS vt huius argumenti vim effugiat, ponit quasi rem certam & indubitatam, Aristotelem non differere hoc loco, nisi de relatiuis realibus: quare etsi scibile & intelligibile sunt relatiua rationis secundum se: tamen quatenus accipiunt denominationem à relationibus realibus scientiæ & intellectus esse realia, & cùm hoc pacto hic tractentur, non mirùm esse si Aristoteles asserat, ea non dici ad aliquid, quia ipsa referuntur ad ipsa.

SED



*Refutatur Caietani solutio.*

SED illud in primis non admittimus, Aristotelem in his tribus generibus tradendis non agere nisi de relatiuis realibus, nisi velit cum præcipuè & eorum gratia de relatiuis differere, quod nihil est ad rem. Namque in omnibus tribus generibus reperias relatiua rationis, vt in primo eadem & diuersa, identitate nimirùm & diuersitate esse ntiali, & quacumque alia necessaria, quod non minùs conueniant rebus non existentibus, quàm existentibus. In secundo relationes facturi & faciendi, vt calefacturi & calefaciendi, & omninò causæ actiuæ & passiuæ, cùm vel neutra existit, vel altera tantùm. In tertio scibile & intelligibile, & cætera omnia, quæ veteres mensurabilia ab iis potentiis cognitiuis, nos mensuras earum vocamus. Nec se protegat Caietanus auctoritate Diui Thomæ, quòd etsi doceat relationes Dei ad creaturas esse rationis, tamen eas extrinseca denominatione videatur facere reales ex oppositis realibus, vt cùm ait: *Deum dici realiter Dominum ex reali subiectione creaturæ ad ipsum, & Christum realiter filium B. Virginis ex reali relatione maternitatis, qua beata Virgo ad ipsum refertur,* vt scribit 3.par.quæst.35.art.5.& aliis locis. Nam cùm duobus modis intelligi possit Deum dici realiter Dominum, & Christum realiter filium beatæ Virginis, vno relatione reali, altero sine operatione intellectus: non priori, sed posteriori modo intelligendus est D.Thomas, quasi dicat Deum sublata etiam omni operatione intellectus dici Dominum ex eo solo quòd realem relationem seruitutis creaturam terminet, terminat autem relatione dominij quæ rationis est, & similiter Christum dici filium beatæ Virginis ex eo solo, quòd realem matris relationem terminet, relatione nimirùm filiationis, quæ apud illum rationis etiam est in Christo, quemadmodum & relatio vnionis naturæ diuinæ, qua relatio vnionis naturæ humanæ cum diuina terminatur: hæc enim fiunt sine vlla operatione intellectus, sed per hoc solùm quòd adueniente creaturis per creationem reali relatione seruitutis, eodem quasi momento naturæ diuinæ aduenit, seu potiùs conuenire incipit Deo relatio rationis dominij, qua relatio seruitutis creaturarum terminatur, siue ipsa relatio dominij obiectiuè existat, siue non existat. Quod idem intelligendum est de relatione filiationis Christi apud D. Thomam & in relatione vnionis naturæ diuinæ cum humana. Atque hæc doctrina D. Thomæ non parùm nostram sententiam confirmat, simulq; viam aperit ad solutionem propositi argumenti.

*Lege D.Tho. 1.p.q.13. art. 7.ad 5. & 3. p.q.35.art.5. & de potẽtia q.7.ar.10. ad 4.& art.11. ad tertium.*

*Exponitur D.Thomas. Deus dicitur Dominus sublata omni operatione intellectus, quia terminat realem creaturarum seruitutẽ & Christus filius B.Virginis, quia realem matris relationem terminat.*

*Vera argumẽti solutio.*

DICENDVM igitur ad locum de quo in argumento est controuersia non negari ab Aristotele iis verbis mensurabile, scibile, & intelligibile dici ad mensuram, scientiam & intellectum, sed tantùm affirmari quod dicatur ad illa, quia illa ad ipsa dicuntur, quod tamen negatum erat in relatiuis primi & secundi generis. Hoc autem ne Aristoteles pugnantia dicere videatur (idem enim hæc videri possunt, mensurabile, scibile, & intelligibile referri & non referri, quia eorum opposita ad ipsa referuntur, atque referri & non referri) duobus modis intelligi potest, vt in exponendo contextu diximus: vno vt loquatur de fundamentis relationum, altero de relatiuorum de-

*Explicandi Aristotelicũ discrimẽ duplex modus.*

nominatione: de fundamentis quidem hoc modo, quod in primo & secundo genere neutrum extremum referatur ad alterum ratione fundamenti existentis in altero, sed vtrumque ratione eius, quod in se habet, veluti duo æqualia aut similia ratione propriæ quantitatis aut qualitatis, & duo quælibet creata, quorum alterum agit, alterum patitur, ratione mutuæ propensionis: agentis quidem ad dandum, patientis verò ad accipiendum, & vtrumque propriè perfectionis gratia: quo pacto omnia sunt inuicem ordinata, seu eiusdem ordinis, vt D. Thomas sæpè loquitur. At in tertio genere id quidem quod re vera est mensuratum, referri ad alterum ratione dependentiæ, quam habet ab altero, vt scientia, quia pendet à scibili, & intellectus ab intelligibili: id autem quod re vera est mensura, non referri ratione vllius dependentiæ quam habeat à mensurato, sed ratione illius ipsius, quam mensuratum habet à mensura: quo pacto mensura & mẽsuratum non sunt inuicem ordinata, siue eiusdem ordinis, sed mensuratum est ordinatum ad mensuram: mensura autem non item ad mensuratum, vt D. Thomas sapienter philosophatur. Neque enim mensura perficitur ex ordine ad mensuratum, sed mensuratum ex ordine ad mensuram: quo pacto Aristoteles tacitè reprehendit veteres eos qui existimabãt res perfici à potentiis & habitibus cognitiuis, ita vt tales crederent esse res quales à nobis iudicantur: cùm contrà res habeat, vt iudicium nostrum verum sit, si conformetur rebus tanquam propriæ mensuræ: falsum verò si ab eis discrepet.

*Res non perfici à potentiis cognitiuis.*

*Vide D. Tho. 1.p.q.13.ar.8. & de Poten. q.7.ar.10. & Quodl.1.ar. 2.& 5.Met. lectio.25. & aliis in locis.*

*Alter modus exponendi Aristotelem.*

ALTER modus quo propositum discrimen intelligi potest, nec repugnans priori, huiusmodi est, vt Aristoteles asserat relatiua omnia primi & secundi generis denominari, seu nomen accipere à propria aliqua ipsorum forma, vt duplum à duplicitate, dimidium à dimidietate, agens ab actione, patiens à passione: at in tertio, id quidem quod re vera & non opinione prædictorum veterum est mensuratum, denominari à forma sua, vt scientiam ab actu sciendi, & intellectum ab intelligendi: id verò quod veram habet rationem mensuræ, denominari à forma alterius: nempe ab illa ipsa à qua suum oppositum denominatur, vt scibile ab ipso eodem actu sciendi, & intellectum ab intelligendi: intelligibile enim vt ait Aristoteles significat quod in eo versetur intellectus.

*Dilutio quarundam obiectionum contra datam solutionem.*

SECTIO VI.

*Prima obiectio.*

SVNT tamen nonnulla quæ contra datam solutionẽ obiici possunt. Vnum est quod in scientia, intellectu & sensu, quæ Arist. facit relatiua tertij generis, nulla videtur esse relatio realis ad scibile, intelligibile & sensibile nisi transcendens. Nam relatio realis huius prædicamenti propria non potest cõuenire vni extremo nisi existente in rerum natura altero extremo, vt ex suprà dictis patet (non dico existente alterius extremi relatione oppositа, sed altero extremo) at scientia, intellectus & sensus referuntur ad sua obiecta, etiam cùm illa in rerum natura non existunt, nisi loquamur de in

*Sectione 4.*



de intellectu & sensu in actu. idq; quoad solam intuitiuam cognitionem, quæ non datur nisi obiecto actu existente. Quò fit, vt nihil sit, cur dicamus ex parte quidem scientiæ, intellectus, & sensus (saltem potentia operantibus, aut si actu, tamen abstractiua cognitione relationes esse reales ad hoc prædicamentum pertinentes: ex parte autem scibilis, intelligibilis, & sensibilis esse rationis.

ALTERVM est, quòd non rectè dictum sit, fundamenta relatiuorum primi & secũdi generis esse in ipsis relatiuis, relatiuorum autem tertij generis esse in iis tantum, quæ habent veram rationem mensurati. Nam si potentia actiua est fundamentum relationis agentis ad patiẽs, in Deo quoque erit fundamentum earum relationum, quibus ex tempore refertur ad creaturas, quas in tertio genere ponimus: nam verius in Deo est agendi potentia, quàm in creaturis agentibus: sin actio est fundamentum dictæ relationis, non erit etiam in ipsis agentibus creatis, quæ sunt relatiua secundi generis, fundamentum relationis, cùm actio non sit in agente vllo, sed in eo, quod patitur. 2.

TERTIVM, quòd ne illud quidem verum sit, denominationes relatiuorum omnium primi & secundi generis sumi ab eorum formis, non item in tertio genere. Agentia enim creata, quemadmodum & increatum, ab ipsa actione, quæ non in agente est, sed in patiente, denominationem accipiunt: calefaciens enim, immo & calefactiuum ab ipsa actione calefaciendi, quæ in patiẽte recipitur, appellationem sumit, & sic cætera eius generis relatiua. 3.

POSTREMO, quod nõ rectè distinxerit Aristoteles hæc tria relatiuorum genera per hoc, quod primum habeat fundamẽtum in quantitate: secundum autem complectatur ea, quorum ratio in agendo & patiendo posita est, siue actio & passio actu sumantur, siue potestate: tertium verò ea contineat, quorum alterum mensura sit, alterum mensuratum. Nam & in qualitate & in substantia fundamentũ habent relatiua pleráque primi generis, vt similia, dissimilia, eadem, & diuersa. Mensura autem si propriè sumatur, nempe pro mensura extensionis, quæ vel magnitudinem vel multitudinem metitur, non dubium est, quin pertineat ad prædicamentum quantitatis: quo fit, vt relatiua, quæ in ratione mensuræ & mensurati fundamentum habent, ad primum genus referenda sint, nec eorum gratia aliud genus constitui debeat. Si verò impropriè sumatur mensura, vt pote pro mensura ipsius esse ac perfectionis rei, agentia quoque & patientia omnia in eo genere ponenda sunt: omnia enim, quæ agunt, siue creata sint, siue increata quasi metiuntur esse ac perfectionem eorum quæ patiuntur, quatenus aliquid ab agẽtibus accipiunt. Nam quæ patiuntur, tantùm accipiunt formę ac perfectionis, quantũ eis conferunt agentia. Immo verò habitus cognitiui, & potentiæ cognoscentes, eorumq; obiecta, quæ quidem ad tertium genus pertinẽt, hac ratione videntur in mensurantium & mensuratorum ratione consistere, quòd obiecta huiusmodi habituum & potentiarum agant, ipsi autem habitus & potentię suo modo patiantur recipiántve: concurrunt enim scibile ad actum sciendi, intellectus ad intelligendi, & sensus ad sentiendi, neq; aliter, 4.

quàm affectiue, siue tantùm per species, quibus repræsentantur, vt in abstractiua cognitione, siue etiam per se ipsa, vt in intuitiua: quo fit, vt non rectè tertium genus à secundo distinguatur, quod secundum con tineat agentia & patientia, tertium verò mensuras & mensurata.

*Quanta sit in his argumentis difficultas.*

*Primi solutio.*

*Aristoteles qua ratione scientiam, intellectum & sensum relatiua 3. generis dixerit.*

SVNT quidem hæc non parum difficilia, & à nemine sic explicata, vt omnis omnino scrupulus eximatur: sed tamen enitendum est, vt quàm probabilissimè ad ea respondeatur. Primũ igitur sic diluẽdum est. Cùm Aristoteles hoc loco ait, scientiam, intellectum, & sensum esse correlatiua tertij generis, non loqui eum de ipsis actibus, ac minimè omniũ de solis actibus intuitiuæ cognitionis: sed de habitu scientiæ, & de ipsis potentiis intelligendi & sentiendi: proinde cùm hæc non minus referantur ad sua obiecta, cùm obiecta non existunt in rerum natura, quàm cum existunt (saltem si sumantur non quatenus sunt cognitiua sui, aut suorum iubiectorum, sed rerum aliarum) fatemur planè eorum relationes non esse reales huius prædicamenti proprias, quæ ad suam existentiam exigunt coexistentiam realem extremorum oppositarum relationum. vt patet ex supradictis, sed esse reales transcendentes, pertinentésq; re vera ad prædicamentum qualitatis: tametsi quatenus explicantur per relationes quasdam rationis ad sua obiecta (mensuratorum inquam ab illis) ad hoc prædicamentum reuocentur. Nec obest quòd Aristoteles de iis agat hoc loco, id est, in ipso prædicamento relatorum explicando, cùm neque hactenus ea tantùm, quæ re vera in prædicamentis substantiæ, quantitatis, & qualitatis ponuntur, commemorauerit, sed ea etiam, quæ vel opinione aliorum, vel reductitiè ad illa spectant. Accedit, quod in nulla prædimentorum materia ita dubiè locutus est Aristoteles, vt in materia relatorum, quod ex ipso Categoriarum libro perspicuum est ad calcem prædicamentorum ad aliquid qualitatísque.

*Aristoteles de relatis quã dubiè locutus. Solutio*

2.

*Potentiæ agendi, & patiendi vt sint fundamenta relationum.*

SECVNDVM hoc pacto diluendum: esse quidem potentiam agendi fundamentum relationis agentium, & potentiam patiendi seu recipiendi relationis patientium, non ipsam actionem & passionẽ tametsi actio & passio à quibusdam dicuntur fundamenta proxima, quòd sint rationes fundandi, & sine quibus potentiæ fundamenta esse non possunt: verùm non quamlibet potentiam agendi esse fundamentum mutuæ relationis agentis ad patiens, sed eam tantùm, quæ ad actionem ordinatur tamquam ad suum finem, qualis est omnis potentia actiua creaturarum. At potentia actiua diuina ad nullam actionem ordinatur tamquam ad suum finem, cùm potius ipsa sit omnium actionum quemadmodum principium, ita etiam finis.

*Potentia actiua diuina ad nullã tãquam ad finẽ ordinatur.*

3.

*Actiones diuinæ cur non sint formæ ac perfectiones Dei.*

TERTIVM sic dissolues: actiones agentium creatorum esse eorum formas & perfectiones, cùm agentia ad eas tanquam ad fines suos ordinentur, vt nunc diximus: proinde cùm agentia ab eis denominentur à suis vtique formis denominari, tametsi aliquando internis, vt si actiones sint immanentes, aliquando externis, vt si actiones sint transeuntes: at actiones diuinas non esse formas & perfectiones Dei, non modo internas, siue inhærentes, sed nec externas quidem, cùm Deus ad nullam actionem suam ordinetur.

AD vlti



6.

AD vltimum dicendum: primum quidem ea ratione relationes primi generis fundari omnes in quantitate principióve quantitatis (subaudi siue prædicamentalis, siue transcendentis) quia nec substantia, nec qualitas, nec quicquam aliud fundat relationem eius generis, nisi quantitatis, principiúve quantitatis rationem aliquam induat. Albedo enim, verbi gratia, non facit similia, nisi quatenus est vna in vtroque: albedo autem & nigredo non faciunt dissimilia, nisi quatenus alia & alia specie qualitas: nam quatenus vna qualitas genere, non dissimilia, sed modo aliquo similia efficiunt. Itaque in primo genere relatiuorum tradendo non tam loquitur Aristoteles de iis, quæ relationum eius generis fundamenta in omnibus prædicamentis esse possunt, quàm de earum rationibus fundandi, quæ omnia ad prædicamentum quantitatis suo modo pertinere docet.

*Qualitas quo pacto sit fundamentũ similitudinis & dissimilitudinis.*

*Mẽsura quomodo hic ab Aristotele sumatur.*

CVM autem ea ratione tertium genus à primo & secundo distinguit, quòd ea sola relatiua contineat. quorum alterum mensura sit, alterum mensuratum, non est sumenda mensura propriè, hoc est, pro mensura extensionis, neque item pro ea mensura essendi, quam agentibus eorúmque formis tribuere possumus, quod tantum esse patientibus prouenìat, quantum ab illis conferatur: sed pro mensura cognitionis, quam veteres illi, quos noua Academia secuta est, in ipsius potentiis cognitiuis esse putabant, Aristoteles verò in earũ obiectis merito cõstituit. Quocirca Alexander hoc loco tertium genus vocat iudicantium & iudicatorum, quorum alterum habitus & potentias, quibus aliquid cognoscimus, alterum eorum obiecta complectitur.

*Alexander Aphrodisiẽsis in tex. 20.*

*Qua ratione dicantur, obiecta mẽsura re habitus et potentiæ.*

QVOD verò additur, ea ratione obiecta habituum & potentiarum cognoscentium dici mensuras, ipsos verò habitus & potẽtias mensurata, quòd illa agant, hæc verò suo modo patiantur, non est admittendum: hac enim ratione non sunt ista adhuc extra secundum genus: sed ea de caussa dicendum obiecta esse mensuras, habitus autem & potentias mensurata, quatenus obiecta suapte natura sunt normæ ac regulę cognitionis veritatísque, habitus autem & potentiæ regulata, siue id fiat agentibus potentiis & habitibus in obiecta, & quasi egredientibus ad illa, vt nonnulli putabant: siue (quod est) agentibus ipsis obiectis in potentias & earum habitus. Poni autem in tertio genere relationes temporales creaturarum ad Deum, & Dei ad creaturas, cùm potius ad secundũ spectare videãtur, tribus rationibus probari potest. Vna, quia omnes secundi generis in mutuis numerari solẽt, quemadmodum & primi, nempe in iis, quæ aut ex vtraque parte sunt reales, aut ex vtraque rationis, cum eæ, de quibus est quæstio, ex parte creaturarum sint reales, ex parte autem Dei rationis. Altera, quia fundamenta illarum sunt eiusdẽ ordinis, harum autẽ non item. Tertia, quia illæ nomen accipiunt ab iis, quæ sunt formæ & perfectiones extremorum, hæ autem etsi ex parte creaturarum appellationem sumunt ab iis, quibus creaturæ perficiuntur; tamen ex parte Dei non accipiunt nomen ab iis, quibus Deus ipse perficiatur, sed à quibus creaturæ, vt superius dictum est. Aut dicendum eiusmodi relationes alia & alia ratione posse poni in secundo & tertio genere: in secundo

*Cur relationes temporales creaturarum ad Deũ, & Dei ad creaturas in tertio relatorum genere ponantur.*

quatenus fundatur in actione & passione; & in tertio quatenus fundamenta correlatiuorum non sunt eiusdem ordinis, & quatenus relationes creaturarum ad Deum sumunt appellationem ab iis, quibus ipsæ perficiuntur, non item relationes Dei ad creaturas ab iis, quibus Deus perficiatur. Quod idem dicendum erit de relationibus vnionis Verbi diuini cum humana natura, & humanæ naturæ cum Verbo diuino, quæ alia & alia ratione ponendæ erunt in primo & tertio. Neque obest, quod huiusmodi relationes non sint relationes mensurantis & mensurati in ea significatione, qua eas intelligendas esse, & ex quibus solis Aristotelem rertium genus concessisse; satis enim est quod aliis rationibus cum illis conueniant, vt alienæ ab eo genere censeri non debeant.

*Vnio Verbi diuini cum humana natura ad quod relationis genus referatur.*

### *Solutio reliquorum trium argumentorum Scoti.*

### SECTIO VII.

*Soluitur secũdum Scoti.*

RELIQVVM est igitur, vt ad reliqua Scoti argumenta respondeamus. Ac secundi facilior quidem est solutio. Actus quidem & potentia cùm nono libro huius operis inter se conferuntur, & actus dicitur natura prior potentia, nõ sumuntur vt relatiua & correlatiua huius prędicamenti, sed potentia sumitur, vt ens absolutum, quatenus absolutũ distinguitur à relatiuo huius prædicamenti proprio, sed tamen vt relatiuum transcendens essentialiter ordinatũ, & propensum ad actum: actus verò, vt prorsus absolutum ex suo genere: tametsi quamplurimi actus dentur essentialiter quoq; propensi ad potentiam, & ab ea pendentes, vel quoad suum esse, vel quoad informationem, vt sunt formæ omnes habentes subiectum. Quare etsi omnis potentia est posterior actu, & per actum tamquam per prius aliquid natura definitur (loquitur enim Aristoteles de potentia, quæ per actum perficitur) tamen non omnis actus definitur per potentiam, sed ij tantùm, qui dependentiam aliquam habent à potentia siue in essendo, siue in informando. Quod cùm fit, tum actus est natura prior, & posterior potentia, non tamen eodem genere caussæ, quia est prior in genere caussæ formalis, posterior in genere caussæ materialis, quo pacto se habent formæ hominis & equi ad materiam. Neq; est incommodum in correlatiuis transcẽdentibus, alterum esse prius natura altero, sed potius necessarium, quod non accidit in correlatiuis huiusce prædicamenti: cùm neutrum eorum sit caussa alterius.

*Potẽtia vt sit actu posterior*

*Vnum relatiuum, vt definiatur per alterum.*

*An definitio tradatur per ea, quæ sunt priora natura.*

ADtertium verò respondendum est, quicquid definitur, definiri per ea, quæ sunt priora natura, quandoquidem definitur per suum genus & differentiam, quæ natura speciem antecedunt: at vnum correlatiuum non poni in definitione alterius tamquam id, quod per alterum defininitur (si propriè loquendum est) sed vt id, ad quod alterum definitur, vt Albertus ait, seu (quod idem est) in ordine, ad quod eius natura per proprium genus propriámque differentiam explicatur.

*In Prædicam. & in Metaphysic. lib. 5. tract. 3. c. 7.*

Verùm



*In Isagoge, c. de Specie.*

Verùm admisso (quod vsu satis tritum est) per omnia rem quamlibet definiri, quæ in definitione adhibentur, negandum est omnia quæ definiuntur, per sola ea quæ sunt priora natura definiri. Namque in definitione vnius correlatiui necesse est ponere alterum, vt ait Porphyrius, eò quòd habitudines eorum inter se ad se inuicem terminentur, nec sine suis terminis intelligi aut explicari possint.

*Vnum relatũ in alterius definitione ponendum.*

*De quibus definitionibus verum sit.*

SED est haud mediocre dubium, de quibusnam definitionibus verum sit Porphyrij pronunciatum. Videmus enim apud Aristotelem sæpe definiri relatiua nulla facta mentione correlatiuorum in eorum definitionibus, vt cùm hoc loco definiũtur eadem, similia & æqualia. *Eadem*, inquit, *sunt ea quorum vna est substantia: similia quorum vna est qualitas: æqualia quorum vna quantitas.* Et in 1. Polyticor. cap. 3. definit Aristoteles seruum, *hominem, qui sui non est*; hoc est, sui iuris, sed alterius: immò etiam ineptum videtur, alterum correlatiuorum per alterum velle declarare, seu propriè quis alterum per alterum definire contendat, seu impropriè. Nam si differentia quæ in definitione relatiui adhibetur sumatur respectu, seu habitudine ad correlatiuum, non magis notam faciet naturam definiti quàm anteà erat, vt si simile definiatur, relatiuum æqualis comparationis respiciens sibi simile, & seruus esse relatiuum æqualis comparationis respiciens Dominum, æquè enim nota aut ignota sunt semper correlatiua: id autem per quod alterum cognoscitur ac declaratur, notiùs illo esse debet.

*Serui hominis definitio*

*Soluitur proposita dubitatio de definiendis relatis per suæ correlatiua.*

*In Isagoge, c. de Genere, & c. de Specie.*

AD hoc dubium dicendum videtur, duplicem esse definitionem relatiuorum: vnam imperfectam & magis ad explicationem significationis pertinentem quàm ad declarationem naturæ definiti, atque hac sola appositione correlatiui ad genus aliquod relatiui compleri, quod fecit Porphyrius, cùm definiuit genus esse, *cui subiicitur species*, & speciem *quæ subiicitur generi*, alteram perfectam, & quæ verè & ex propriis caussis naturam relatiuorum declarat, quo genere vsus est Aristoteles, in definiendis eisdem, similibus, æqualibus, & in definiendo seruo. Nam veræ ac propriæ caussæ naturæ relatiuorum sunt ipsa relationum fundamenta. Sed illud hac in re animaduertendum est, etsi in definitionibus his quas perfectas & absolutas dicimus, non exprimantur correlatiua, non dubium esse tamen quin necessariò intelligenda sint. Cùm enim per fundamenta declarantur ipsarum relationum differentiæ, necesse est intelligere terminos, quibus illæ terminantur, & à quibus peculiarem rationem distinctionemq́; accipiunt qui nulli sunt alij quàm ipsa correlatiua, atque hoc etiam modo verum est id quod Porphyrius ibidem tradit, necesse esse in vtrorumque correlatiuornm definitionibus vtrisque vti, ita vt vel expresè ponenda sint in definitione vtriusque, vel demùm intelligenda.

AD quartum ex dictis patet quid dicendũ sit. Negandum est enim relationes rationis, quæ realibus altera ex parte respõdent non conuenire rebus denominatis, nisi dum actu considerantur. Nam quandocunque in rerum natura dantur reales oppositæ, simul quoque conueniunt rebus denominatis actu existentibus, etsi relationes ipsæ rationis non existunt: sublata nimirùm, saltem per impossibile, vt dicitur,

tur, omni operatione intellectus, cuiusmodi sunt omnes relationes Dei ad creaturas existentes, quatenus actu pendent à Deo. Alia ratio est de relationibus scibilis ad scientiam, intelligibilis ad intellectum, & aliis similibus: quandoquidem oppositæ relationes scientiæ & intellectus, si sermo sit de essentialibus, sunt reales quidē, sed transcendentes, & quæ ad hoc prædicamentum non pertineant: si verò de accidentalibus, nec quæstio sit de relationibus effectorum ad causas efficientes sunt relationes rationis cùm conueniant rebus denominatis non existentibus iis rebus quæ ab oppositis denominantur.

## *NVM IDEM RELATIVVM VNA numero relatione, an pluribus ad plura referatur.*

## QVÆSTIO V.

*Variæ sententiæ in hac quæstione, & impugnatia duarum priorum.*

### SECTIO I.

*Prima opinio*

ALII aliter in hac quæstione sentiunt. Ferè enim Scoti [a] sectatores dicunt, quandocumque relatiuum refertur ad plura, pluribus etiam relationibus illa respicere. Contrà ij qui D. Thomam [b] sequuntur, existimant nunquam relatiuum, nisi vna relatione referri, siue ea ad quæ refertur sint plura, siue vnum. Alij media ingredientes via, hunc in modum quæstionem distinguunt. Si relatiuum plura necessariò exigat, ad quæ referatur, veluti totum plures partes, vna tantùm relatione illa respicere, si verò æquè possit ad vnum tantùm, atque ad plura referri, vt patet æquè ad vnum tantùm, atque ad plures filios, non vna tantùm, sed pluribus relationibus ad plura effectuum esse. Denique ex his tertiis [c] quidam sunt qui existiment cùm idem relatiuum pluribus relationibus plura respicit, tum ex huiusmodi relationibus quasi gradibus confici vnam totalem relationem, quo pacto in qualitate plures gradus vnam totalem qualitatem faciunt V. C. si pater plures habeat filios, aut simile plura similia, plures paternitates vnam numero paternitatem constituere, & plures similitudines vnam numero similitudinem. Alij putant ex pluribus relationibus non fieri vnam, sed omnes manere distinctas in eodem subiecto, siue illæ sint diuersarum specierum, vt relationes eiusdem effectus ad plures causas essentialiter subordinatas inter se, veluti relationes ignis geniti ad ignem generantem & Solem siue eiusdem speciei, vt patris eiusdem ad plures filios.

*Secunda D. Thomæ.*

*Tertia diuersorum auctorum.*

*Impugnatur prima ac secunda sententia.*

Ac prima quidem & secunda sententia non videntur admittēdæ. Prima quia si relatiuū necessariò plura exigat, ad quæ referatur, ita vt vno termino sublato, necesse sit & alterum terminum, & ipsum quoque terminatum de medio tolli, non est cur terminatum ad illa referatur pluribus relationibus: vna enim satis erit ad id præstandum, quia eiusmodi termini erunt partialas, vtpote singuli per se haud sufficientes

a *Scot. in 3. d. 8. q. vnica. Lichet. ibid. Anton. Trō. bet. 5. Metaph. quæst. 7.*

b *D. Tho. 3. p. q. 35. ar. 5. & 3. sent. d. 8. q. 1. artic. 5. & Quodl. 9. ar. 4. Caie. in locum 3. partis. Capr. in 3. d. 8. q. vnica.*

c *Recentiores quidam.*



ficientes ad terminandum. Atque hoc vt reor, non negabit Scotus neque vllus eorum qui consideratius sententiam illius sequuntur. Idem dici potest de relatiuis rationis, de quibus ex instituto in hac quæstione non differimus. Nam & eorum quædam referuntur vna relatione ad plura correlatiua: veluti vniuersale, quatenus relatiuum est ad plura particularia, idq; ex eo quia nulla ratione potest esse vniuersale, nisi respectu plurium partium subiectarum.

*Vniuersale vnica tātum relatione refertur ad particularia.*

SECVNDA quoque sententia multis rationibus non placet. Vna quia si relatiuum æquè ad vnum tantùm, atque ad plura referri potest, negandum non est, horum singula esse posse totalia eius correlatiua, ac proinde illud eorum singula singulis etiam relationibus respicere. Nam si eorum singula non possunt esse totalia illius correlatiua, sed partes vnius correlatiui totalis: ergo nisi sint plura, non terminabitur relatio illius, quod est contra hypothesim. Altera quia correlatiua non solùm in commune, sed etiam in particulari sunt simul natura, ita vt non tantùm pater & filius in commune eam conditionem subeant, sed etiam hic pater & hic filius, quatenus ad se inuicem referuntur: ex singularibus enim hæc affectio in vniuersalibus colligitur: at hic pater non est simul natura cum primogenito filio ratione eius paternitatis, qua respicit secundo genitum: quandoquidem nondum nato secundo, aut iam extincto, adhuc potest referri ad primum, si ille sit superstes: igitur alia ratione respicit hic pater hunc filium, alia illum, & sic in cæteris. Tertia quia perspicuum est, aliter terminari relatiuum reale ad vnum correlatiuum, aliter ad aliud, neque hoc quisquam oppositę opinionis negat: aut igitur aliter quia alio & alio respectu reali, aut quia alio & alio respectu rationis tantùm: non quia alio & alio rationis tantùm, vtrumque enim respicit realiter, nempe habitudine existente in rerum natura sine operatione intellectus (alioqui non esset relatiuum reale) ergo quia alio & alio respectu reali, quod est alia & alia relatione reali. Quarta quia si pater eadem omnino relatione respicit secundum filium, qua respiciebat primùm: ergo nihil noui ei accessit per generationem secundi: quare non erit nouus pater secundi filij, sed antiquus, quod dici nullo modo potest: neque enim ista cohærent, esse antiquum patrem, & noui filij, nisi addas nouo respectu ad illum: quid est autem nouo respectu, nisi noua relatione? Quinta, quia si eadem omninò relatione pater refertur ad omnes filios, quotquot habet, & habiturus est: sanè extincto primo, necdum nato secundo perit illa relatio patris, deinde secundo genito, iterum eadem numero redit: quare datur forma quæ viribus naturæ redeat, quod D. Thomas a cuius ea opinio quam impugnamus esse putatur, non solùm in absolutis entitatibus, sed etiam in relationibus negat. Sexta quia proprietas illa correlatiuorum, si quis vnum definitè nouit, hoc est, certò & determinatè, definitè etiam alterum cognoscit, quam Aristoteles ex accurata relatiuorum definitione colligit: in singularibus etiam & respectu singularium intelligitur, vt idem eo loco docet in duplo & præstantiori. *Nisi enim*, inquit, *cognoscas, cuius rei certa & designatæ* aliquid

*Secundæ impugnatio. Argumentū 1.*

2.

*Etiam relatiua singularia esse simul natura.*

3.

4.

5.

6.

a *Quodl. 4. artic. 5. Vide eundem 4. contra Gent. c. 81. & aliis in locis. In Prædica. de Relat.*

*aliquid sit duplum, & qua sit præstantius, neque illud certa & determinata cognitione intelligit esse duplum aut præstantius, sed incerta & vaga opinione.* Quod si ita est, ergo alia relatione respicit duplum hoc simplum, & alia illud: alia item id quod est præstantiùs respicit hoc deteriùs, seu minùs præstans, alia illud: nam si hoc duplum eadem numero relatione respiceret plura dimidiæ magnitudinis, siue subdupla, nullum eorum per se sumptum determinatè respiceret: quò fieret, vt nisi omnia dimidiæ magnitudinis cognosceret, non cognosceret certa & determinata cognitione illud esse duplum, quod & falsum est, & repugnat hypothesi. Postrema quia nec minùs sufficiens est secunda generatio ad causandam secundam relationem patris, quàm fuit prima ad causandam primam, vt perspicuum est, neque vllum est impedimentum, quò minùs primæ addatur secunda in eodem subiecto: si quid enim impediret, id maximè esset generalis quædam naturæ conditio, quæ nihil facit superuacaneum, cuiusmodi videtur esse duo accidentia solo numero differentia esse in eodem subiecto: at hoc in re proposita accidere non potest. Nam si ex duabus numero relationibus eiusdem speciei conficitur vna tertia, quasi ex diuersis gradibus composita, iam duæ huiusmodi relationes non sunt duo accidentia, sed vnum ex vtraque relatione constitutum, quemadmodum ex duobus gradibus caloris vnus calor. Quod si eiusdem speciei relationes non conficiunt vnam tertiam, sed semper sunt distincta numero accidentia: nec sic quidem euenit quicquam superuacaneum. Ratio enim cur ex quibusdam accidentibus solo numero differentibus aliquid superuacaneum colligitur, si plura in eodem subiecto admittantur, hæc est quia habẽt effectum formalem eiusdem omnino rationis, vt duæ magnitudines vnius palmi: palmare enim quod ab vtraque fit, eiusdem omnino rationis est. at duæ paternitates non habent effectum formalem eiusdem omninò rationis, cùm altera faciat patrem huius, altera patrem illius. Ita patet non esse probandas priores duas opiniones.

7.

*Examen tertiæ opinionis, & approbata posterioris membri.*

SECTIO II.

SVPEREST igitur vt tertiam examinemus, videamusque vtri meliùs sentiant, qui ex pluribus relationibus eiusdem speciei faciunt vnam numero quasi ex diuersis gradibus conflatam: án ne qui illas distincta inter se numero accidentia esse volunt. Ac prioribus valdè videtur fauere Arist. qui cap. 6. huius lib. docet ea esse idem numero quorum materia est vna, & c. 10. quæcumque in eodem subiecto differentiam habent esse speciem diuersa. Hæc enim nulla ratione videntur vera, si demus plures relationes eiusdem speciei in eodem subiecto existentes esse distincta numero accidentia, & non potiùs vnum ex omnibus conflatũ. Fauet etiam non parum id quod prouerbio dici solet, & ab Arist. 1. Phys. vsurpatur, frustrà fieri pluribus quod paucioribus effici potest. Si enim vna numero relatio ex pluribus cõflata satis est, quid opus habemus pluribus numero distinctis? Accedit quòd posteriores infinita propemodum accidentia in eodem subiecto inducunt, similitudines, inquam,

*Textu 12.*
*Textu 16.*

*Tertiæ sententiæ priori membro quæ faueant.*

*Cap. 6. text. 56.*

1.
2.
3.



quam & dissimilitudines innumeras rei eiusdem ad alias toto etiam orbe, vt dicitur, disiunctas, quod priores non faciunt. Denique, quod non sit maior ratio in aliis accidentibus, vt ex multis quasi gradibus vnum conficiatur, quàm in relationibus: præsertim cùm re vera in relationibus, quemadmodum & in qualitatibus detur magis & minus, vt magis ac minus simile & dissimile, vt ipse etiam Aristoteles tradit in Prædicamentorum libro.

4.

*Cap. de Qualitate.*

SED tamen posteriorum sententia, quæ pænè communis est inter eos, qui plures numero relationes eiusdem speciei admittunt in eodẽ subiecto, à nobis amplectenda est. Primùm, quia, vt paulò antè dixi mus, gradus omnes, qui vnum accidens numero conficiunt, veluti vnum numero albedinem aut calorem, sunt eiusdem omnino rationis, & effectum formalem eiusdem omnino rationis sibi vendicant, vt album aut calidum vnius gradus: relationes autem eiusdem speciei terminatæ ad diuersa correlatiua numero non sunt eiusdem omnino rationis, neque effectum formalem eiusdem omnino rationis habent, cùm Socrates alia habitudine, siue respectu sit pater huius filij, alia illius, vt omnes admittunt, tametsi, nõ omnes, quid inde sequatur, satis aduertunt. Deinde quia omnia accidentia, quę ex multis quasi gradibus conficiuntur, recipiunt magis & minus, & quæ pluribus constãt, sunt perfectiora iis, quæ paucioribus: at pater nõ est magis pater, nec perfectius pater, quòd plures relationes paternitatis habeat, sed est plurium filiorum pater: vt enim esset magis ac perfectius pater, oporteret respectu eiusdem esse perfectiorem, quod tamen non sequitur ex filiorum multiplicatione. Postremò, quia etsi quædam relatiua recipiunt magis & minus, vt Aristoteles admittit in simili & dissimili: tamen id non prouenit ex multarum relationum vnione in vnam totalem relationẽ, cùm qualitas quælibet nihil magis similis fit aut dissimilis, si pluribus qualitatibus sit similis aut dissimilis, quã si vni tantùm: sed prouenit ex eo, quod fundamenta magis vnum, aut magis diuersa sunt: inde enim sequitur relatio maioris similitudinis, aut dissimilitudinis. Verùm hoc pacto maior similitudo aut dissimilitudo nõ est relatio aliqua cõflata ex pluribus relationibus minoris similitudinis aut dissimilitudinis, quia relatio minoris similitudinis aut dissimilitudinis non permanet cũ relatione maioris, sed perit succedẽte illa: cùm tamen gradus præcedentes, ex quibus conflatur accidens, quod intenditur & remittitur, simul permaneant cum sequentibus.

*Eiusdem sententiæ alterũ membrum eligitur, Probatur.*

1.

*Sect. præcedente.*

2.

*In Prædicã. cap. de Qualitate.*

3.

*Cur quædam relata suscipiunt magis ac minus.*

*Solutio eorum, quæ pro iis, qui priorem partem huius sententiæ amplectuntur proposita sunt.*

SECTIO III.

QVARE ad primum argumentum pro priorum sententia dicendum est, cùm Aristoteles ait, ea esse vnum numero, quorum materia est vna, non definire omnia, quæ sunt vnum numero sed solas substãtias, nec verò omnes, sed eas, quæ sunt vnum numero sub specie, quod fusè ad eum locum explicauimus: cùm verò ait ea differre specie, quæ in eodẽ subiecto differentiam habent, non de omnibus accidentibus intelligendum est, quod

*Explicatur locus Aristotelis.*

etiam ex citato loco perſpicuè intelliges. Secundũ facile diluitur: eſt enim perſpicuum ex dictis, non ſatis eſſe vnam relationem numero ad efficienda omnia, quæ nos pluribus numero conficimus. Tertium quoque nihil habet momenti: non enim maius eſt incõmodum dari in re eadem prope innumeras relationes eiuſdẽ rationis, quàm vt illi, nóſq; omnes admittimus, idem numero relatiuum terminari ad prope innumeros terminos, præſertim cùm relationes nullius pænè ſint entitatis. Quod demum in vltimo argumento ſumitur, falſum eſt, non eſſe maiorem rationem in aliis accidentibus, vt ex multis quaſi gradibus vnum conficiatur: oppoſitum enim perſpicuè colligitur iis rationibus, quibus aliorum ſententiam confirmauimus. *Cap. 10. q. vnica, ſect. 3. & 4.*

*Explicatio ſententiæ approbatæ.*

ADVERTE autem, etſi concedimus plures relationes ſolo numero differentes poſſe eſſe in eodem ſubiecto: nõ proinde tamen concedendum, poſſe eſſe plures in eodẽ realiter diuerſas, vt Scotus admitit. Nam cùm relatio & fundamentum (remotũ intellige) ſint idem reater, & relationes eiuſdem ſpeciei, quas in eodem ſubiecto damus, idẽ numero fundametum habeãt: neceſſe eſt, vt omnes ſint idem realiter. *Scot. in 3. d. q. vnica. & in 2. d. 1. q. 5.*

*Accommodatur ad D. Th. doctrinam.*

Atque hoc pacto intelligi poſſet D. Thomas, quandocumque ait relationes eiuſdem ſpeciei numquam eſſe plures numero in eodẽ ſubiecto: poſſemus enim dicere, ſic eius verba intelligẽda eſſe, quaſi dicat numquam eſſe plures re in eodem ſubiecto, etſi aliquando ſint plures ratione ratiocinata ſeu cõcepta, quod eſt ex natura rei, veluti in eodẽ patre reſpectu multorũ filiorum, niſi aliquãdo planè docere videatur, numquã eſſe plures niſi ratione ratiocinante ſeu concipiente, hoc eſt, ex ſola operatione intellectus diſtinctionem faciente: quod in patre reſpectu plurium filiorum, & in aliis relatiuis eiuſdem ſpeciei habentibus in rerum natura plura correlatiua, probare non poſſumus. *D. Thom. 3. p. q. 35. artic. 5. & 3. Sen. d. 8. q. 1. art. 5. & quodlib. 9. artic. 4.*

*Num filius diuerſis relationibus vtrũque parẽtem reſpiciat.*

QVÆRAT aliquis hoc loco, num filius aliam relationem habeat ad patrem, aliam ad matrem. Ac cùm pater & mater videantur eſſe diuerſa relatiua non numero tantùm, ſed etiã ſpecie, ſi pater actiuè, mater paſſiuè cõcurrat ad generationem prolis, vt cum Ariſtotele putat D. Thomas: ſanè relatio filij ad vtrumque duplex videbitur eſſe non numero tantùm, ſed etiam ſpecie: quot enim modis vnum oppoſitorum dicitur, tot etiam dicitur alterum. Verùm nõ ita eſt, cùm ſatis ſit, ſi filius vnica relatione vtrumq; reſpicit: ſiue enim mater paſſiuè tantam ad generationem concurrat, ſiue actiuè etiam, quemadmodum & pater, quod cum Galeno aliiſque medicis probabilius credit Scotus, maiórq;. Theologorum pars: cùm filius vnica generatione ab vtroq; gignatur, vnica illum ſequetur relatio geniti ab vtroque. Neque obeſt diuerſitas ſpecifica relationum patris & matris ad filium: ſiue quia pater actiuè, mater paſſiuè concurrat: ſiue quia vterque actiuè cõcurrat, modo tamẽ per ſe diuerſo ab eadem ſpecie facultatis generatiuæ profecto: parentes enim partialiter concurrunt ad generationẽ prolis, quemadmodum duo trahentes lapidem: niſi quod hi tractu actiuo eiuſdem rationis concurrunt, illi autem diuerſæ. Vnde quemadmodũ totum eſſentiale naturale vna & eadẽ relatione reſpicit partes eſſentiales, quæ ſunt materia & forma, licet huiuſmodi partes pluribus relationibus *Ariſtot. 1. de Generat. animal. cap. 20. D. Tho. 3. p. q. 32. articu. 4. 1. Top. c. 13. Galen. in lib. de Semine. Sco. Bonauen. Ocham & alij in 3. d. 4.*

*Quo pacto pater & mater concurrãt ad generationem prolis.*



lationibus ſpecie diuerſis referantur ad totum, propter diuerſum per ſe modum componendi totum: ita filius vnica tantum & ſpecie & numero relatione refertur ad patrẽ & matrem, licet hi referantur ad illũ pluribus numero & ſpecie diuerſis. Nam quod Ariſtoteles ait, quot modis vnum oppoſitorũ dicitur, tot etiam dici alterum, de totalibus, non de partialibus relatiuis intelligendum eſt, vt ex allato exemplo colligi poteſt. Quòd ſi pater & mater diuerſis tantùm numero relationibus reſpiciunt filiũ, minus eſt in re propoſita difficultatis quemadmodum & in duobus trahentibus lapidẽ, & in duabus partibus eadem rarione cõponentibus totum. Cauſſa verò huius rei ea eſt, quam initio tetigimus, quia neceſſariò filius indiget vtroque parente, vt gignatur, quemadmodum totũ pluribus indiget partibus, vt conſtituatur, nec poteſt æquè ad vnum tantùm correlatiuum, atq; ad plura referri: quod idem dicendum de lapide, ſi conferatur cum duobus hominibus, quorum neuter per ſe ſufficiens ſit ad illum trahendum. *Totum vnica relatione reſpicit omnes partes.* *Filius etiam vna vtrũque parentem.*

*Sect. 1.*

*Obiectio.*

QVOD ſiquis obiiciat, filius æquè poteſt habere vnum parentem ſuperſtitem, atque duos, quandoquidem vno extincto alter manere poteſt. Reſpondendum eſt, etſi poſt inchoatam generationem, in cuius initio vterque parens neceſſariò exiſtit, alter moriatur: tamen quia vterque ad generationem neceſſarius eſt, non aliter de relatione filij iudicandum eſſe, quàm ſi vterque parens viueret. Nam quæ habitudo vtroque viuente reſultat in filio reſpectu vtriuſq; propter partialem vtriuſque concurſum, eadẽ omnino extincto eo, qui generare cœpit, in eodem perſeuerat reſpectu eius, qui remanſit.

## *DETVR NE IN HOC PRAEDICAmento genus ſummum.*

## QVÆSTIO VI.

### *Rationes pro vtraque parte.*

### SECTIO I.

*Partis negantis argumẽta. Primum argumentum.*

PECVLIARE eſt huic prædicamento, vt de eius genere ſummo multis nec leuibus de cauſſis iam olim à Philoſophis dubitatum ſit.

QVOD enim nullum in eo detur genus ſummũ, his argumentis videtur cõcludi. Si vllum deretur, aut daretur abſtractum, aut concretum, aut vtroq; modo: cùm tamẽ neutro dari poſſe videatur. Nam quod non detur concretum, ex definitione relatorum oſtendi poteſt: cùm enim relata dicantur ea, quorum eſſe eſt ad aliud affecta eſſe, ſi datur relatum cõmune omnibus particularibus relatis huius prædicamenti, aut illud referetur ad ſe ipſum, aut ad ſuperius aliquid, aut ad inferius, aut certè ad aliquid æquale, quod nec inferius ſit, nec ſuperius. Si refertur ad ſe, eſt vtique relatum rationis, quippe cùm nihil ſit, quod ad ſeipſum reali relatione referri poſſit, quo fit vt non pertineat ad hoc prædicamentum. Si ad aliquid ſuperius aut inferius, ergo cum *In Prædicã. cap. de iis, quæ ſunt ad aliquid.*

id,quod ſuperius eſt,pertineat ad eſſentiam inferioris, aut terminus pertinebit ad eſſentiam relatiui, aut relatiuum ad eſſentiam termini, quod fieri non poteſt. Si verò ad aliquid aliud, quod nec inferius ſit, nec ſuperius,cùm illud debeat eſſe relatiuum( ſiquidem relatiuum eſt relatiui relatiuum)dabuntur duo ſumma genera relatiua,ſicq; fiēt ex relatis duo prædicamenta:naſcetúrq; hinc illud inextricabile dubiū, quænam relata ad quod eorum prædicamentorum pertineant, an ne omnia ad vtrunque:qua etiā ratione ad hoc,qua verò ad illud,& alia ſexcenta,quæ explicari nullo modo poſſunt.Ita videtur in hoc prædicamento non dari genus ſummum,quod concretū ſit.Quod verò nec detur abſtractum,ex dictis colligi videtur apertiſſimè. Nam cum ex quauis relatione liceat afficere relatum,ſeu ad aliquid,iuxta illud Damaſceni, *Ad inuicem habitudo ea quæ ad aliquid facit*,ſi detur relatio,quæ ſit genus omnium relationum particularium huius prædicamenti,dabitur etiam relatum, quod ſit genus omnium particularium relatorum:quare cùm hoc fieri non poſſe oſtenſum ſit,efficitur,vt nec illud ſit aſſerendum.Huc accedit, quòd Ariſtoteles nec in tradendis definitionibus,nec in ſubiiciendis attributis, quicquam ſingulariter de relato aut relatione dixit,ſed plurali numero vbique de relatis diſſeruit: videtur enim hoc ipſo plurali numero vbique retento (quod in nullo alio prædicamento fecit) ſignificaſſe non dari vnum relatum aut relationem commune genus omnium relatorum relationúmve, de quo diſputari poſſit.

*Dictum D. Damaſceni de relatis.*

*Lib. de Dialectica ca. 34. de iis quæ ad aliquid.*

*Secundum principale.*

*Pars affirmans ſuadetur.*

QVOD tamen vel abſtractè,vel concretè,vel vtroq; modo dandū ſit,ipſa prædicamenti ratio oſtēdit. Eſt enim prædicamentū quædam generis ſummi,& eorū quæ ſub ipſo ſunt,naturalis diſpoſitio,vt alibi diximus:quò fit,vt ſi vllum prædicamentum relationis datur,aliquod genus ſummum in eo dandum ſit.Hoc etiam argamento idem perſpicuè videtur cōcludi.Hæ prædicationes,ſunt vniuocæ, & in quęſtione Quid eſt:hæc relatio,illa item eſt relatio, eodémq; modo in cæteris abſtractis,itémq; hoc relatum eſt relatum,illud etiam eſt relatum, & ſic in aliis concretis(modo relationem & relatum pro relatione reali & relato reali accipias)igitur datur relatio cōmunis vniuoca, quæ in quæſtione Quid eſt de omnibus particularibus relationib.huius prædicamenti dicatur relatúmq; cōmune,quod de omnibus relatis eodē modo enuncietur,quæ haud dubiè genera ſumma eſſe neceſſariò dicenda ſunt.Præterea,ab omnibus particularibus relationibus poteſt abſtrahi cōmunis relatio relictis omnibus differentiis,quibus tum indiuidua inter ſeſe,tum etiam ſpecies diſtinguūtur:ex relatione autem communi fit commune relatum,vt dictum eſt,ergo datur vtrumque commune genus huius prædicamenti & abſtractum & concretum.

1. 2. 3.

*Lib. 2. inſtit. Dialect. c. 8.*

*De genere abſtracto huius prædicamenti,déque eius diuiſione,*

## SECTIO II.

IN hac quæſtione dicendum eſt primùm,qua in re conueniant Philoſophi,deinde qua ratione diſſentiant. Quòd ergo attinet ad genus abſtractum, quod eſt relatio, nulla pænè inter eos, qui rectius philoſo-



philoſophati ſunt, contentio eſt. Nam miſſa opinione eorum qui dicunt nullam relationem natura conſtare, ſed omnes fieri collatione intellectus comparantis res alias cum aliis,proinde ea quę ad aliquid dicuntur non conſtituere nouum prædicamentum,ſed aliis omnibus commiſceri, ad eaque reuocari, quam ſententiam Commentator, & Magnus Albertus, Zenoni Eleatæ, & penè omnibus Platone & Ariſtotele antiquioribus adſcribunt,& ex recentioribus Scholaſticis nōnulli ſequuti ſunt,relicta etiam ſententia Nominalium dicentium relationes nihil eſſe aliud quàm denominationes extrinſecas à rebus abſolutis, prætermiſſis quoque iis qui relationes volunt non eſſe entitates, ſed puros quoſdam eſſendi modos, reliqui omnes affirmant huius prædicamenti genus ſummum propriè ac per ſe eſſe relationem realem.Nam quod ſit genus ſummum, ex eo probant,quia prædicatur de omnibus ſpeciebus & indiuiduis relationum realium eadem omnino ratione,& in Quæſtione Quid eſt, vt inductione patet, nec habet ſuprà ſe aliud genus.Eſt autem ratio definitióve relationis realis eſſe id quo aliquid id ipſum, quod eſt formaliter & realiter ad aliud affectum eſt, ſiue proximè, ſiue remotè. Quam diſiunctionem cur addam poſteà patebit. Quòd verò ſit propriè ac per ſe genus huius prædicamenti perſpicuum eſt quia ſola abſtracta pertinet propriè ac per ſe ad prædicamenta accidentium: ita patet ex ſententia eorum omnium qui meliùs philoſophati ſunt dari in hoc prædicamento genus abſtractè ſignificatū quod eſt relatio realis. Nam quod Magnus Albertus ait in Prædicamentis cap. 2.genus generaliſſimū huius prædicamenti magis propriè eſſe Ad aliquid,ſeu relatiuum,minùs autem propriè relationem eo ſpectat, vt ſignificet ſe loqui de his quoad Prædicationem de primis ſubſtantiis, de quibus quidem concreta prædicantur in recto abſtracta in obliquo.

*Dari genus ſummum abſtractum in prædicamento relationis.*

*Alber. Mag. in Prædic. ex Alexandro.*

*Ocha. in 1.d. 30.q.1. & d. 31.q.1. Greg. in 1.d.28.q.2*

*Definitio relationis realis.*

SOLET autem diuidi relatio realis in relationem eiuſdem appellationis & diuerſæ,quæ rurſus diſtribuitur in digniorem & minus dignam. Exempla relationum eiuſdem appellationis comparationíſve (quas recentiores vocant æquiparantiæ) ſint æqualitas, ſimilitudo, diſtantia, amicitia. Diuerſæ autem appellationis ſiue comparationis (quas diſquiparantiæ appellant) ſi ſint quidem ex genere digniorum quas nonnulli ſuperabundantiæ nominant, alij ſuperpoſitionis, ſint paternitas, dominatus, & cæteræ relationes agentium, quatenus in aliud agunt. Si verò ſint ex genere indignorum (quas alij defectus, alij ſuppoſitionis nominant) vt filiatio, ſeruitus, & omnes relationes eorum quæ ab aliquo patiuntur,quatenus patiuntur.Atque hæc de genere abſtracto,déque eius generali diſtributione.

*Diuiſio relationis realis.*

*Lege Damaſcenum lib.de Dialectica,c. 24. & alios.*

*Refutantur quatuor ſententia de genere concreto.*

## SECTIO III.

QVOD verò attiuet ad genus concretum, quod quidem ſi datur,reductiuè ad hoc Prædicamentum pertinere poteſt,quemadmodum & concreta genera aliorum Prædicamentorum ad reliqua Prædicamenta accidentium: hoc conuenit inter omnes, quod modo

*Dari etiam genus ſummū concretum, inter omnes conuenit.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



modo aliquo dandum sit, idque ex eo quòd ex relatione genere summo aliquo modo possit constitui relatum. Sed cùm quæritur quonam pacto illud referatur, non omnes idem dicunt.

*Duplex modus referendi fingi potest circa cõmune relatum. Primus.*

VT igitur totam dissensionem in certa capita referamus, animaduertendum est duobus modis fingi posse communè relatum referri. Vno per seipsum, ita vt, etiamsi fingamus nullum dari inferiùs relatum, adhuc tamen illud referri intelligatur: quo pacto dicimus hominem esse per se rationis participem, quia etsi nullus esset homo ex singulis in quo natura rationalis inueniri posset: semper tamen homini communi quatenus homo est, cõueniret natura rationis particeps.

*Secundus.*

Altero per inferiora, ita vt dicamus, relatum in commune acceptum referri, quia pater & filius, & cætera huiusmodi, quæ sub eo collocantur, referuntur: quo pacto dicimus hominem communem disputare, nasci, mori, &c. quia homines singuli id faciunt, aut patiuntur.

*Subdiuisio primi modi.*

ANIMADVERTENDVM quoque est quatuor ferè modis fingi posse relatum commune referri per seipsum. Vno ita vt referatur quidem, sed tamen non ad terminum. Altero vt referatur ad terminum absolutum. Tertiò vt referatur ad certum aliud relatum. Quarto denique eo pacto, vt referatur ad seipsum.

*Probatur relatum commune nõ posse referri per seipsum, quin respiciat terminum.*

QVOD igitur fieri non possit, vt referatur per seipsum, & tamen non ad terminum, ex ipsa relatorũ tatione ac natura perspicitur quæ in eo est posita, vt ad aliquid affecta sint, hoc est, ad terminum referãtur. Idem colligi potest ex omnibus relatiuorum attributis, in quibus omnibus supponit Aristoteles id quod refertur, ad terminũ aliquem referri. His accedit communis omnium Philosophorum sentẽtia qui ponentes omne quod refertur, referri ad terminum, quærunt, num referantur ad absolutum, an ad relatum, vt relatum est. Quòd verò per seipsum non referatur ad terminum absolutũ, & ex superius disputatis manifestum est, & ex his intelligetur. Primùm, quia nullus terminus absolutus mente designari potest, ad quod relatũ commune terminetur: neque enim dixeris esse substantiam solam, nec solam quantitatem, aliúdve quicquam tale: oporteret enim omnes relatorum terminos sub eo termino contineri, quod nemo ostendet. Deinde, quia si relatum commune refertur ad terminum absolutum, nullum inferiùs relatum refertur ad relatum, vt ad relatum, quod patet quàm sit falsum: particularia enim relatiua, vt pater & filius, ad correlatiua planiùs referuntur, quàm vt probare id necesse sit, quicquid de communi relato aliquis dicat. Antecedens ex eo patet quia quemadmodum relatum inferiùs claudit in quidditate sua relatum superiùs, sic terminus relati inferioris debet claudere in quidditate sua terminum relati superioris. Vnde patet si terminus relati in commune est absolutum quid, oportere vt omnes termini relatorum sub genere absoluto, & nullus sub relatiuo collocetur. Iam quod non referatur per se ipsum ad aliud relatum, hac ratione intelliges, quia aut illud aliud relatum esset reale, aut rationis, quorum tamen neutrum esse potest. Nam si sit reale, non prædicabitur de vllo correlatiuorum rationis, quorum tamen pleraque terminant habitudinem

*In prædica. c. de Relatione.*

*Quæst. 4.*

*Non tamẽ ad absolutum, quod probatur 1.*

*2.*

*Non referri per se ipsum ad aliud relatum.*



dinem relatiuorum realium: si verò rationis, non prædicabitur de vllo correlatiuorum realium, quibus tamen maxima ex parte terminantur relatiua realia. Quòd si dicas esse aliquid commune terminis relatiuis realibus & rationis, præter alia pleraque incommoda, quæ consequentur, non erit commune illud vnus aliquis terminus ab omnibus relatiuorum realium terminis abstractus, cùm nihil vniuocum, ac verè vnum possit esse commune entibus realibus & rationis: quare nec nec ipsum relatiuum reale, quod commune genus huius prædicamenti ponitur, erit verum genus, sed quippiam analogum: quot enim modis dicitur vnum oppositorum, tot etiam dicitur alterum. Adde si relatum commune refertur ad aliud relatum, eò quòd omnibus relatis hoc commune sit, vt ad aliud referantur: pari ratione dabitur aliud relatum communius quod sit genus vtriusque, cùm vtrumque in eo conueniat, vt alterum ad alterum referatur: at hoc fieri non potest si datum concretum est summum genus. Ita patet non referri relatum commune per seipsum ad aliud relatum, cuius tamen sententiæ videtur fuisse Scotus cum iunior scripsit quæstiones in Prædicamenta. Ait enim relatum commune referri ad aliud secundum eandem formam genere, eodémque modo simile commune, & cætera eiusdem appellationis.

*Quæst. 25.*

*Relatũ commune non referri per se ad seipsum probatur.*

QVOD denique nec per seipsum ad se referatur, his argumentis ostendi potest. Primùm quia nullum relatum, quemadmodum neque vlla res alia est aliud à se, vt perspicuum est: omne autem relatum reale refertur ad aliud à se, vt patet ex ipsis relatorum definitionibus. Nam etsi in posteriori definitione non planè dicitur relatorum naturam esse, vt ad aliud affecta sint, sed vt ad aliquid tamen verbum, *aliquid*, pro aliud accipiendum esse: quemadmodum sæpè alibi apud Aristotelem ex priori definitione intelligitur, in qua relatiua definiuntur esse ea quæ aliorum dicantur, quam definitionem omnibus relatis conuenire licet non solis, ipse Aristot. tradita posteriori definitione affirmat.

*1.*

*Verbum, aliquid, in definitione relatorum quam vim habeat.*

*Vt 8. Phys. c. 4. text. 31. & alibi sæpè. In Prædic. c. de iis quæ sunt ad aliquid.*

DEINDE quia omnia correlatiua realia distinguuntur sine operatione intellectus quod dicimus ex natura rei: relatum autem commune non distinguitur à se ipso ex natura rei. Vnde non sunt audiendi qui dicunt relatum commune referri ad seipsum realiter, & tamen non distingui à seipso, nisi vt idem semel acceptum à semet iterum acepto: hæc enim distinctio non est ex natura rei, sed ex apprehensione intellectus. Tertiò quia si relatum commune esset reale correlatiuum sui, etiam hoc relatum, vt hic pater, hoc simile, & cætera particularia essent realia correlatiua sui, quod apertè falsum est: sequela probatur quia inferiora omnia participant naturam superiorum. Postremò quia si relatum commune esset correlatiuum sui, cùm ipsum sit reale, omnia inferiora referrentur ad correlatiua realia, quod falsum esse ex suprà dictis patet, veluti in relatione actualis dependentię creaturæ à Deo: non est igitur relatiuum commune correlatiuum seu terminus relationis suiipsius.

*2.*

*Nonnulli recentiores.*

*3.*

*4.*

*Approbatur & declaratur quinta sententia.*

## SECTIO IV.

*Conclusio quæstioni respondens.* RESTAT vt relatiuum commune non referatur per seipsum præcisè (quod dici solet in suppositione simplici) seu vt antecedit natura omnia inferiora relata, sed per ea inferiora, quæ per seipsa referuntur, v.c. per patrem ad filium, per maius ad minùs, & per cætera huiusmodi. Quod idem dicendum est de simili communi, de æquali communi, & de cæteris relatis eiusdem appellationis, veluti simile commune per hoc simile ad illud simile, & æquale per hoc æquale ad illud æquale. Hæc autem sententia præterquam quod ex dictis patet, à plerisque etiam grauibus auctoribus, etsi est est de re non admodum graui, in hac tamen materia non est prætermissa.

*Probatur ab authoritate veterum Philosophorum.* NAM vt mittam Ioannem Gandauensem in hunc librum, & alios inferioris classis, docet Magnus Albertus in hunc locum veterum Philosophorum sententiam esse, relatum commune exercere suam relationem per inferiora, scribit autem in Prædicamentis nihil aliud esse relationem exercere, quàm referri: & inferiùs affirmat correlatiuum, ad quod refertur relatiuum, esse ipsi pro differentia definiente (hoc est, pro termino differentiæ definientis) vt actu sit relatiuum, id est, vt per seipsum referatur. Ex quibus locis patet, illum & ex propria & veterum opinione sensisse, relatum commune non esse actu relatum, seu per seipsum, sed potentia duntaxat, & per inferiora: contractum verò ad inferiora per aliquam differentiam distinguentem à certo correlatiuo fieri actu, seu per se relatum. Nemo tamen meliùs & subtilius id docuit, quàm Scotus in 1. sent. lib. ad dist. 21. ait enim:

*Ioann. Gand. in 5. Meta, q. 25. Albert. Mag. 5. Met. tract. 3. ca. 7.*

*Ab Scoto optimè explicari eandem sententiam.* *Scot. in 1. d. 21. q. vnica.*

*in omnibus relatis eiusdē appellationis commune relatum secundū se acceptum siue vt commune est, non referri quia vt commune est abstrahitur ab omnibus correlatiuis. Nam cùm relatio realis non sit nisi distincti ad distinctum, commune autem non habeat aliud correlatiuum distinctum à se, ad quod referatur: efficitur vt non referatur, nisi cùm habuerit correlatiuum alterius rationis. Refertur ergo,* inquit, *tale relatiuum per suum inferius, vt simile in commune non refertur per seipsum ad simile, sed per aliquod simile inferiùs, quod potest distingui ab alio simili,* id quod etiam ostendit in differenti.

*Obiectio. Soluitur à Scoto.* QVOD si obiicias, relatiuum commune affert secum cognitionem sui correlatiui communis. *Respondeo,* inquit, *non esse tale correlatiuum eius, vt commune est, nisi ipsum, vt contractum in aliquo inferiori per quod distingui potest à correlatiuo.* Hæc Scotus. In eadem sententia sunt Simplicius & Boëtius, vt ex dicendis perspicuum erit.

*In Prædicā.*

*Quænam relata per seipsa primo referantur.* SED quærat aliquis, quænam relata referantur per seipsa, & non per sua inferiora duntaxat, solàne indiuidua quæ nulla habent inferiora, an etiam alia communia. D. Augustinus in libro Categoriarum sic ait: *Vt hæc Categoria manifestius dignoscatur, hac via est qua debemus aduertere, non rectè dici ad aliquid nisi cùm καθέκαστον πρὸς καθέκαστον ἀναφέρεται, hoc est, singulare ad singulare refertur. Similiter cum dicimus duplum,*

*Cap. 11. de iis quæ sunt ad aliquid.*



*plum, sine dubio non generaliter, sed specialiter hoc duplum dicimus, & huius simpli duplum dicimus: ac propterea tunc verè ad aliquid categoria est, quoties v.g. Socratem Chrysippo dicimus esse vultu consimilem, &c.* Ex quibus verbis satis videtur colligi, eius sententiam esse sola indiuidua relata per se ipsa referri. Potiùs tamen dicendum est omnia illa referri per seipsa, quæ habent correlatiua distincta à se ex natura rei, etiamsi sint vniuersalia, vt patrem etiam in commune ad filium: id quod Scotus aduertit, vt ex dictis eius apparet.

*Soluitur dubitatio.*

*Obiiciuntur & diluuntur nonnulla contra hanc sententiam.*

## SECTIO V.

*Loco citato.* SED obiiciat aliquis contra hanc assertionem hoc pacto, Id, ad cuius essentiā pertinet relatio, refertur per seipsum: sed ad essentiam relati communis pertinet relatio: immò verò relatio communis & relatum commune non differunt nisi sola consideratione intellectus: refertur igitur relatum commune per seipsum, non autem solùm per inferiora. *Obiectio.* 1.

PRÆTEREA, id, quod non refertur per se ipsum, sed per inferiora, potentia tantùm refertur, vt perspicuum est: at relatum commune non refertur potentia duntaxat: isto enim modo non diceretur simpliciter relatum, quemadmodum puer, quia est philosophus potentia, non dicitur simpliciter philosophus, sed potentia philosophus. Cùm igitur simpliciter negari non debeat, relatum commune esse relatum, non dubium videtur, quin per seipsum referatur, & non tantùm per inferiora. 2.

PRO solutione prioris obiectionis animaduertendum est, relationem genus summum, & omnes omnino relationes eiusdem appellationis sine contractione acceptas vt similitudinem in commune, & æqualitatem in commune, esse quidem principia referendi, siue respiciendi, verùm non proxima, sed remota, quemadmodum calor vnius tantùm gradus (si quinque forsitan requiruntur, vt res simpliciter sit calida etsi est principium calendi, nō tamen proximum, sed remotum. Vnde quemadmodum ex calore vnius gradus, & aliis quattuor gradibus additis fit proximum calendi principium: sic ex relatione genere summo, & aliis quibusdam additis differentiis fiunt proxima respiciendi principia: nempe cùm iam constitutæ sunt relationes, quæ efficiant relata distincta ex natura rei à suis correlatiuis, quales sunt omnes species & indiuidua relationum diuersæ appellationis, vt relatio maioris comparationis, paternitas, & hæc paternitas: itémq; omnia indiuidua relationum eiusdem appellationis, vt hæc similitudo, hæc æqualitas, & alia huiusmodi.

ERGO ad priorem obiectionem dicendum est, id ad cuius essentiam pertinet ea relatio, quæ est proximum respiciendi principium, referri per seipsum, vt patrem, filium, hoc simile, & alia huiusmodi, non autem id, quod constituitur relatione ea, quæ est remotum principium: *Solutio prioris.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



cipium respiciendi, quale est relatum commune, simile commune, & alia huiusmodi.

*Relati nomẽ duobus modis posse accipi.*

PRO solutione posterioris illud considerandum est relati nomen duobus modis accipi posse: vno pro eo, quod refertur, quatenus refertur: altero pro eo, quod habet relationem, quatenus affectum est relatione. Neque enim putandum est hæc idem valere, quemadmodum neque idem valent calere, seu esse calidum, atque habere calorem. Nam omne corpus, in quo est calor, est affectum calore: nec tamen omne, quod est affectum calore, calidum est, si calor adeo imperfectus sit, vt simpliciter non possit subiectum denominare. Ex quo fit, vt doceat Aristoteles 2. libro Topicor. non esse bonam con *Cap. 1.* secutionem ab inesse ad denominari: vt si dicas, calor est in aqua, ergo aqua est calida.

*Solutio posteriorís.*

QVARE ad posteriorem obiectionem dicendum est, relatum commune tum potentia, tum etiam actu referri, diuersis tamen rationibus: potentia per seipsum, actu per sua inferiora. Quæ autem hoc pacto sunt potentia talia possunt simpliciter appellari talia, si absolutè accipiantur: vt animal, etsi quatenus natura antecedit differentias, quibus contrahi potest non sit actu rationale, sed potentia, vt Porphyrius docuit: tamen, quia est actu coniunctum cum rationalitate simpliciter & sine adiectione dicitur rationale, cum absolutè sumitur. Quamquam ea, quæ potentia dumtaxat talia sunt, non dicuntur simpliciter talia, quomodo dictum est, puerum esse potentia philosophũ. *In Isagoge c. de Differẽtia.* Quòd si relatum commune non accipiatur absolutè, sed præcisè, hoc est, quatenus natura sua antecedit inferiora, quomodo non refertur actu, sed potentia: non iam simpliciter & sine adiectione appellandum erit relatum iuxta priorem huius concreti expositionem, sed potentia relatum: quamquam posteriori significatione (ea vsurpetur) simpliciter, & sine addito relatum appellari potest: quod idem dicendum est de simili communi & cæteris huiusmodi.

*Relata communia præcisè accepta, quo pacto apud graues Auctores nominentur.*

QVIA tamen hæc relata, vt præcisè & in commune accepta, non possunt appellari relata iuxta priorem concretorum significationem, nisi potentia, posterior autem significatio non est vsurpata: iccirco grauissimi Auctores ita concedunt in hoc prædicamento relatum commune, simile commune, & cætera huiusmodi, vt significent, se cùm de his præcisè acceptis loquuntur, non simpliciter & vsurpata significatione, sed cum addito aliquo, aut insueta locutione ea admittere. Et quidem D. Augustinus ait, ea non rectè nec verè *Aug. in Categ. c. 11.* esse relata, vt patet ex loco paulò superius citato. Magnus Albertus *Albertus 5. Metap. trac. 3. cap. 7. & in Prædic. c. 7.* docet, eorum relationes fuisse appellatas à veteribus relationes *Relationes in esse concepto nõ in esse exercito quænam.* in esse concepto, non in esse exercito: quod equidem credo non alia de caussa eos dixisse, nisi quia relata hoc modo accepta non exercent suas relationes, seu (quod idem est) non referuntur, nisi potentia, & quasi adhuc concepta, vt postea nascantur: hinc enim videtur translatio desumpta. Simplicius verò & Boëtius non audent simpliciter proferre dari relatum in commune: sic enim concludit Simplicius ex sententia multorum. *Itaque ea, quæ ad aliquid sunt, multa erunt*



*erunt secundum multitudinem eorum, quæ habent habitudinem, & dicuntur inuicem (hoc est relatorum) sed secundum vnam habitudinem, quæ similiter in pluribus est, vnum esse intelliguntur: nam ob hoc vnum dicitur esse prædicamentum ad Aliquid.* Ita Simplicius. Boetius hoc modo. *Quod autem Aristoteles ait, ad aliquid verò talia dicuntur, hoc monstrat, non si quantitas per se, & singulariter intelligi potest, eodémque modo substantia, vel qualitas, vel vnumquodque aliorum prædicamentorum, sic & ad aliquid per se & singulariter capi intellectu potest, vt potest, vt dicamus esse ad aliquid & singulariter: quicquid enim in natura relationis cognoscitur, id cum alio necesse est consideretur. Quocirca cùm vnius relatiui nuncupatio mox secum aliud trahat, ad aliquid per se vnum esse non potest.* Hæc Boetius, & alia in eamdem sententiam. Itaque veteres partim cum moderatione aliqua concedunt huiusmodi relata præcisè accepta, partim non audent ea concedere: tum quia, vt paulò antè diximus, non referuntur hoc pacto nisi potentia, & si plus aliquid vis, actu inchoato propter relationes, quibus constituuntur, quæ sunt remota respiciendi principia: tum etiam quia etsi actu habent relationem, & ideo posteriori significatione relata appellari possunt: tamen relatum, seu Ad aliquid pro eo, quod est habens relationem, seu affectum relatione, non est vsurpatum. Possunt tamen hoc modo accepta appellari simpliciter relatiua, quia relatiuum ex vi nominis non significat id, quod refertur, sed id, quod referri potest. *Relatiuum ex vi nominis quid significet.*

*Diluuntur argumenta intio proposita.*

## SECTIO VI.

*Partis affirmantis argumenta soluuntur.*

QVARE ar argumenta pro vtraque parte initio proposita hoc pacto respondendum. Ad primum pro parte affirmatiua dicendum, quemadmodum inter relationes quædam sunt proxima respiciendi principia, quædam remota, sic inter relata quædam esse, quorum essentia est ad aliud proximè affecta esse, qualia sunt pater & filius: alia quorum essentia est affecta esse ad aliud remotè & inchoatè: eiusmodi sunt relatum commune, simile commune, & id genus alia. Quoniam verò ea, quæ referuntur proxima relata, dicendum est, relatum commune non referri prmiò ad vnum aliquid siue superius, siue inferius, sed ad omnes terminos inferiorum relatorum, quæ proximè referuntur, qui quidem termini partim sunt inferiores relato communi, vt pater, filius, & huiusmodi correlatiua realia, partim non sunt inferiores, nec superiores, vt ij, quibus terminantur relationes reales non mutuæ.

*Obiectio.*

AT dices, ergo saltem dicendum est relatum commune pertinere ad essentiam aliquorum terminorũ suorum: quod tamen in argumento non immeritò dictum est fieri nõ posse. Sed hoc facilè dissoluitur. Nam etsi relatum, quod proximè refertur, non possit pertinere ad es- *Diluitur.* sentiam sui termini: nihil tamẽ prohibet quin relatum, quod refertur

remotè & inchoatè, ad eſſentiam ſui termini pertineat: tale enim relatum, vt non per ſeipſum, ſed per inferiora refertur, ſic per inferiora eſt aliud à ſuis terminis. Quod idem dicendum eſt de ſimili communi, & cæteris eiuſdem appellationis. Vnde huiuſmodi relata non comprehenduntur in definitione relatorum, niſi ea intelligatur cum hac diſiunctione, proximè, aut remotè, quaſi ita dicas. Relata ſunt ea, quorum eſſe eſt ad aliud proximè, aut remotè. Num autē Ariſtoteles hanc diſiunctionem ſubaudiendam eſſe voluerit, non ſatis conſtat. Certè proprietas ex definitione collecta videtur ſignificare, ſola relata, quæ proximo reſpiciendi principio referuntur, in ea comprehendi, cùm hæc ſola habeant certos ac præfinitos terminos, ad quos primò referantur, quóſque oporteāt definitè cognoſcere, vt relata definitè cognoſcantur: quamquam ex definitione ſic intellecta facilè totius generis relatorum huius prædicamenti cognitio haberi poteſt.

*An relata communia in definitione Ariſtotelis comprehendantur.*

*Proprietas vltima relatorum quid indicet.*

*In Prædicamentis cap. de ijs, quæ ſunt ad aliquid.*

Ad ſecundum dicendum, ex relatione cōmuni fieri relatum commune: verùm quemadmodum relatio communis non eſt proximum & perfectum reſpiciendi principium, ſed inchoatum & remotum, immò & remotiſſimum: ſic etiam relatum, quod ex ea efficitur: non referri proximè, ſed inchoatè & remotiſſimè: atque hoc quidem relatum non eſſe impugnatum primo argumento, ſed ſolum relatum commune, quod aliquis crederet proximo reſpiciendi principio referri, quòd ſanè non datur.

Ad tertium dicendum eſt, conſuetū eſſe Philoſophis, vt ſæpè cum in ſingulari numero tractare rem aliquam poſſunt, de ea diſſerant in plurali: id quod multis exemplis oſtendi poteſt. Itaq; omnia, quæ hic in plurali numero dicta ſunt, dici potuerunt in ſingulari: vt relatum eſt, cuius eſſe eſt ad aliud affectum eſſe, & cætera eodē modo immutata paululum locutionis forma. Non ea igitur de cauſſa tenuit Ariſtoteles ſemper in hac tractatione mordicus pluralem numerum, quòd putauerit in hoc prædicamento non dari vnum commune genus: ſed forſitan, quia facilius intelligitur totum relatorum genus in plurali numero, quàm in ſingulari.

*Cur Ariſtoteles numero multitudinis hoc prædicamento ſemper vtatur.*

Ad reliqua verò tria argumēta, quæ pro affirmatiua parte quæſtionis propoſita ſunt, quoniam id, quod verum eſt, cōcludunt, non opus eſt vt reſpondeamus. Illud tantum docebimus, quonam pacto relatio dicatur vniuocè, & in quæſtione Quid eſt de omnibus indiuiduis relationibus, hoc enim non caret difficultate. Animaduerte igitur, relationem, quæ vniuocè, & in quæſtione Quid eſt prædicatur de omnibus indiuiduis relationibus, non eſſe relationem, quæ eſt proximum reſpiciendi principium (talis enim relatio eſt analogum quippiam, quemadmodum quoddam animal) ſed eſſe relationem, quæ eſt primum ac remotiſſimum principium reſpiciendi: non tamen ſub ratione remotiſſimi principij (quia hoc pacto non dicitur de inferioribus relationibus) ſed ſub hac ratione, quatenus eſt id, quod aliquid ſecundum ſuum eſſe ad aliud referri poteſt, quę ratio omnibus relationibus conuenit, quatenus communem naturam relationis participant, vt perſpicuum eſt. Idem porrò dicendum eſt de relato reali. Nam quod

*Quonam pacto relatio dicatur vniuocè.*

vniuocè,



vniuocè, & in quæſtione Quid eſt prædicatur de omnibus relatis ſingularibus, non eſt relatum, quod proximè refertur (eſt enim analogū, vt ea relatio à qua denominatiuè dicitur) ſed eſt relatum, quod primò ac remotiſſimè refertur: non tamen ſub ratione primi & remotiſſimi relati, vt de relatione dictum eſt, ſed ſub hac ratione, quatenus eſt id quod ſecundū ſuum eſſe ad aliud referri poteſt, vel quod denominatiuè à relatione dicitur. Quæ ratio conuenit omnibus relatis, quamquam relata quæ proximo reſpiciendi principio conſtituuntur, hoc habent vt non ſolùm ad aliud referri poſſint, propter communem relatorum naturam, ſed etiam ad aliud actu referantur propter peculiarem ac propriam.

*In relato cōmuni idem explicatur.*

Atqve hæc de relatorum genere ſatis ſuperq; fuerint. Nam quæ de relatorum attributis in Prædicamentorum librum priuatim ſcripſeramus, in communia commentataria huius loci paucis omiſſis (vt ferè alia) tranſlata ſunt, nec ſatis cum inſtituto huius operis congruere videntur, tametſi in eis nonnulla ſunt quæ ſi nunc ad incudem reuocaremus iis quæ nunc de relatis diximus accommodanda eſſent.

## QVO PACTO SEX VLTIMA PRÆDICAMENTA A SVPERIORIBVS diſtinguantur.

## QVÆSTIO VII.

*Non eſſe abſoluta cum reſpectibus.*

### Sectio I.

*Cauſa diſputationis ſequentis.*

Quoniam verò expediuimus quatuor prima prædicamenta: quæ præcipua ſunt, & de quibus ſolis cùm Ariſtoteles, tum cæteri Philoſophi fuſiùs diſputant: locus hic videtur poſtulare, vt de cæteris breuiter diſſeramus.

Ac de omnibus ſimul illud in commune operæpretium erit intelligere quæ ſit eorum natura, ſiue quo pacto à ſuperioribus diſtinguantur: quamquam enim ad cap. 7. id explicatum vtcunque eſt, quia tamen non patua eſt de hac controuerſia, neceſſarium videtur, vt eorum à cæteris diſtinctionem luculentiùs retractemus.

Q. 2. ſect 4. & q. 3. ſect. 2. & 3.

*Quatuor de ſex vltimorū prædicamentorū natura ſententiæ.*

Qvatvor in hac re à Caietano in Prædicamentorum librum ſententiæ referuntur. Prima eſt eorum qui ſex vltima genera dicunt eſſe abſoluta quædam ſimul cum reſpectibus; abſoluta, inquam, externa rebus denominatis cum reſpectibus, vel rerum denominatarum externa ipſa: vel externorum ad res denominatas, in hoc enim non ſatis conſtanter loqui videntur huius opinionis auctores. Verbi cauſa, vbi, ſeu eſſe in loco (hoc enim exemplo vt magis perſpicuò libentiùs vtimur) nihil eſſe aliud quàm locum ipſum exterius circundantem cum reſpectu loci ad rem locatam, vt alij volunt, rei locatæ ad ipſum locum.

*Prima eorum qui dicunt ea eſſe abſoluta quædam ſimul cum reſpectibus.*

Ratio

*Ratio primæ sententiæ.*

RATIO qua ducti videntur, hæc est: quia quæ in primis tribus prædicamentis ponuntur, sunt purè absoluta, quæ autem in quarto sunt purè respectiua, seu potiùs puri respectus quidam: igitur vt reliqua sex à superioribus distinguantur, opus est vt sint absoluta simul cum respectibus. Accedere autem videtur Ammonij sententia qui ait: *sex vltima prædicamenta esse quasdam præcedentium prædicamentorum complicationes.* *In Prædicã.*

*Censura de eadem sententia.*

HÆC tamen sententia si credit ipsas aggregationes absolutorum cum respectibus poni in his vltimis prædicamentis, ex iis quæ ad cap. 7. dicta sunt refutata relinquitur: sunt enim aggregationes absolutorum cum respectibus, entia per accidens quæ planè reiecta sunt à prædicamentis: si verò sic intelligenda est vt absoluta externa constituant sex vltima prædicamenta, & relationes ascisçantur ad intelligendum quo pacto externa ipsa sumantur, quatenus hæc prædicamenta constituunt, in quartam opinionem incidunt: si verò contrà putant relationes ipsas ad prædicamenta hæc pertinere, res verò absolutas explicationis gratia adiungi, in secundam aut tertiam incidere videntur, quorum vtrumque ex dicendis patebit. Ita non est, cur hæc sententia aut probetur, aut velut à cæteris distincta referatur. *Q. 5. sect. 2.*

*Expenditur & soluitur ratio.*

NEC certè ratio qua illa inniti videtur, quicquam habet momenti, vt enim hæc à quatuor superioribus distinguamus, satis est si vel ea dicamus ab illis diuersa esse tanquam absoluta externa ab internis absolutis & relatiuis, quod faciunt quartæ opinionis auctores, aut vt dicamus esse relatiua alterius naturæ, quàm sint illa quæ in prædicato relationis ponuntur, vt volunt secundæ ac tertiæ sententiæ assertores. Facilè quoque diluitur illud ex Ammonio quod ea ratione dicat esse complicationes absolutorum cum respectibus, quia etsi natura simplicia sunt, facta tamen collatione quadam externarum formarum cum rebus iis quas quodammodo informant, explicantur.

*Non esse relationes extrinsecas aduenientes, neque aliud relationum genus.*

## SECTIO II.

*Secunda opinio Scoti exponitur, qui dicit ea esse relationes extrinsecus aduenientes.*

SECVNDA opinio est Scoti in 3. Sent. dist. 1. quæst. 1. & aliis locis in quibus asserit sex vltima prædicamenta constitui ex relationibus quibusdam quas primus ipse vocat extrinsecus aduenientes, vt eas distinguat à relationibus Prædicamenti Ad aliquid, quas appellat intrinsecus aduenientes. Discrimen autem inter hæc relationum genera hoc esse ait, quòd intrinsecus aduenientes necessariò ponantur posito fundamento & termino, vt similitudo inter duo quælibet subiecta posita in vtraque qualitate eiusdem speciei: extrinsecus autem aduenientes positis fundamento & termino non necessariò ponantur, vt vnio materiæ cum forma, & rei locatæ cum loco. Fieri enim potest, vt materia & forma existant in rerum natura, nec tamen vnitæ sint, quod in separatione animæ rationalis à corpore accidit, & similiter res, quæ nunc est in hoc loco, sæpè non est in eodem, & ipsa & loco eodem seruatis

*Vt 4. Sent. d. 13. quæst. 1. & Quodlib. 11. art. 4.*

*Accedit ad hanc sententiam Paulus Venetus 5. Metaph. cap. 36. 37. & 39. etsi eiusmodi relationes nõ appellat extrinsecus aduenientes.*

*Similem opinionẽ refert Ocham. in 1. d. 30. q. 2.*



uatis in rerum natura, quod idem in relationibus rei agentis ad eam quæ patitur, & patientis ad agentem passim euenit.

*Vt probetur ab eodem.*

PROBAT autem Scotus suam sententiam hoc potissimum argumento, quia Socratem v.c. esse in loco, neque est locus ipse, nec verò Socrates, sed relatio Socratis ad locum: nihil enim aliud hic inuenitur quod ingressu Socratis in hunc locum acquiratur: eodemq; modo agens nihil aliud agendo habet noui, quàm relationem agentis ad patiens, & cætera similiter. Cùm igitur eiusmodi relationes non sint ex genere earum quæ necessariò consequantur posito fundamento & termino, efficitur, vt optimè distingui possint ab iis quæ in prædicamento relationis ponuntur, dicíq; extrinsecus aduenientes, vt hæc sex vltima prædicamenta constituant.

*Reiicitur Scoti opinio.*

SED neque ista sententia probatur. Primùm quia relationes vniti ad vnitum, & pleræque aliæ sunt ex genere earum, quas Scotus vocat extrinsecus aduenientes, nec tamen locum habent in sex vltimis prædicamentis, vt inductione patebit. *1.* Deinde quia si intrinsecus aduenientes faciunt vnum Prædicamentũ, cur non etiam extrinsecus aduenientes faciunt vnum Prædicamentũ, cur non etiam illæ? Tertiò, quia cùm natura relatorum pertinentium ad prædicamentum Ad aliquid sit ad aliud se habere, seu ad terminum affecta esse, quæ est definitio relatorum eius prædicamenti, si relata à relationibus extrinsecus aduenientibus eiusdem quoque sunt naturæ, cur nõ etiam ad idem prædicamentum pertinebunt? Esse autem illa eiusdem naturæ, ex eo patet, quia non tantùm dicuntur ad suos terminos, sed etiam ex intima ratione sua sunt ad illos affecta, vnde non dicuntur à Scoto relatiua tantùm secundùm dici (quæ omnia sunt simpliciter absoluta sed secundum esse. Quartò quia relationes agentis ad patiens, & patientis ad agens perspicuè ponuntur ab Aristotele in Prædicamento relationis, vt patet ex hoc ipso cap. tantúmq; actio & passio, quæ sunt absoluta quædam reiiciuntur ad prædicamenta agentis & patientis. *4.*

*Textu 20. Cap. 3. textu 21. & 22.*

Quinto quia actio & passio apud Aristotelem 3. Physicor. libro, sunt idem re ipsa: relationes autem agentis ad patiens, & patientis ad agẽs *5.*

*Quæst. 2.*

sunt re diuersa, quemadmodum & ipsum agens & patiens. Nec solutio Scoti in quartum Sent. lib. ad dist. 13. quicquam efficit tam multis afferendis significationibus actionis & passionis, cùm Aristoteles planè constituat prædicamenta agentis & patientis ex actione & passione, quæ sunt idem re, quicquid Scotus comminiscatur, accipi aliquando apud illum actionem & passionem pro relationibus. Postremò quia si relationes agentis ad patiens, & patientis ad agens, cùm sint extrinsecus aduenientes, conficiunt duo prædicamenta à prædicamento Ad aliquid diuersa, cur non etiam relatio locati ad locum, & loci ad locatum, temporis ad rem temporariam, & vice versa, atq; ita in reliquis? *6.*

*Scoti argumentum soluitur.*

AD argumentum verò Scoti facilis est responsio. Nam etsi esse in loco non sit ipse locus, neque etiam res locata, est tamen habere locum: at habere locum non est habere relationem ad locum, sed habere ipsum locum, vt formam quandam extrinsecam, ad cuius circumpositionem

positionem duplex consequitur relatio, vna locati ad locum, altera ipsius loci ad locatum, atque hæc sola forma est quæ per se acquiritur in motu locali, non autem ipsa relatio ad quam [a] Aristoteles planè docet non esse per se motum. Nec [b] satisfacit Scotus, cùm ait Aristotelem non negare per se motum ad relationem, sed ad relationem intrinsecus aduenientem. Nam præterquam quod ea distinctio inaudita est apud Peripateticos, & ex contextu Aristotelis nulla ratione elici potest, sed planè videtur sola euadendi argumenti causa conficta: viam quoque aperit ad reprehendendum Aristotelem, quòd negauerit ad aliud ex vltimis sex prædicamentis, quàm ad Vbi esse per se motum. Si enim ad relationes extrinsecus aduenientes potest esse per se motus, cur non sit etiam saltem ad Prædicamentum Quando & Habendi? Mitto quòd pugnat cum Scoto ratio illa Aristotelis: Propterea ad relationem non esse per se motum, quia sæpè aduenit relatio vni extremo, altero tantùm mutato: potest enim loco aduenire noua relatio locantis, mutata solùm re locata.

*Eiusdem distinctio euertitur.*

a *Lib. 5 Phy. c. 2. text. 10.*
b *Sco. vbi sup. prà.*

*Loco citato.*

*Tertia opinio Capreol refellitur, constitui ex relationibus fundatis in relationibus extrinsecus aduenientib.*

Ex his colligi potest, nec tertiam opinionem, quæ Capreoli est, admittendam esse. Ait enim sex vltima prædicamenta constitui ex relationibus quibusdam fundatis in relationibus iis quas Scotus vocat extrinsecus aduenientes. Putat enim etsi hæ pertinent ad prædicamentum Ad aliquid, quæ tamen in eis fundantur, ad sex vltima spectare. e.c etsi relationes locati ad locum, & loci ad locatum in prædicamento relationis ponuntur: tamen relationem quandam quæ resultat in locato ex eo quòd continetur loco, & à qua locatum dicitur esse hic aut ibi esse eam, quæ hoc constituit prædicamentum. Itaque contra hanc opinionem non est quod disputemus: quia præterquam quod abstrusa est, nec de re quæ ponenda in rerum natura videatur: iisdem ferè argumentis quibus superior refutari potest.

*Capr. in 2. d. 2. q. 1. Eadem Paul. Sõcinas 5. Metaph. q. 41. putat esse probabilem.*

### *Esse formas extrinsecus denominantes.*

### SECTIO III.

*Quarta opinio D. Thomæ doctrinæ magis conueniens de formis absolutis externis.*

RELIQVAM ergo facit Caietanus opinionem quartam, vt D. Thomæ doctrinæ magis consentaneam, de formis absolutis extrinsecus denominantibus, quam illi etiam adscribit Herueus Quodlib. 1. q. 9. & meritò quidem vt ex Commentariis [c] eius in hunc lib. & in 3. Phys. [d] colligi potest. e. c. actionem nihil esse aliud quàm motum, quatenus est actus agentis, & existentiam in loco nihil aliud quàm locum ipsum, quatenus adiacet, & ita in cæteris: nisi quod de passione inferiùs explicandum est, quo pacto dicatur externa forma patientis.

c *Lect. 20.*
d *Lect. 5.*

*Probatur argumentis. Primum argumentum.*

HÆC igitur sententia quæ nobis placet, his argumentis confirmatur. Primum quia ex impugnatione superiorum colligitur. Nam cum ea quæ in his prædicamentis ponuntur, nec sint aggregata ex absolutis & respectiuis entitatibus, vt ait prima, neque item respectus ipsi relationésve, vt tradunt secunda & tertia, nec verò sint entitates



tates absolutæ, quæ rebus denominatis insint (ea enim iam distributa sunt in quatuor prima prædicamenta, neq; alia præter illa ponẽda esse, inferius patebit) supereſt vt sint entitates absolutæ, quæ extrinsecus denominent. Atque hac ratione vsi sumus nos ad caput 7. & plerique vtuntur, cùm in eumdem locum, tum in librum Prædicamentorum.

*Quæst. 2. sect. 3. & 4.*

DEINDE, quia cùm ad hæc prædicamenta cõstituenda satis sint externæ formæ, ea ratione sola, quod extrinsecus, suóque modo dent esse, siue informent, non opus est nouas exquirere entitates, quòd natura superuacanea respuat. 2.

POSTREMÒ, quia Aristoteles [a] planè facit actionem externam formam, nempe in patiente existentem, & extrinsecus denominantẽ: per motum etiam localem, qui ad prædicamentum Vbi reuocatur, nihil aliud per se, quàm locus, acquiritur: id quod etiam Aristoteles [b] 8. Phys. libro cap. 7. his verbis docet. *Sola*, inquit, *latione nihil in iis, quæ insunt ipsi* (hoc est, mobili) *mutatur*, (hoc est, per se abiicitur aut acquiritur) *veluti cùm quid alteratur, & cùm accrescit aut decrescit, in quantitate fit, aut in qualitate mutatio*: quod idem D. Thomas multis in locis luculenter ostendit. Si ergo in his duobus prædicamentis cùm Aristoteles, tum ratio ipsa solas externas formas constituit, non est cur in cæteris quærantur internæ formæ, sed externæ potius, vt proportione seruata, par sit ratio in omnibus. 3.

a *2. lib. de Ani. cap. 2 tex. 139 & 3. Phys. cap 3. tex. 20. & 9. Metaph. ca. 9. tex. 16.*
b *Tex. 59.*

*Vt 1. p. q. 110. art. 3. & in q. 6 de Potẽt. art. 3. & 3. cont. Gent. ca. 82. Vide eundem 12. Metaph. lect. 7.*

*Obiecta contra approbatam sententiam.* SECTIO IV.

*Quinta sententia recentiorum.*

HABENT nihilominus tantam speciem argumenta ea, quæ contra approbatam sententiam obiiciuntur, vt plerique recentiores extra quattuor sententias, quas de hac re Caietanus retulit, quintam sibi ex iis collegerint & constituerint opinionem.

*Suadetur.*

PRIMVM, quia omnia entia realia prædicamentalia, quę in prædicamento substantiæ non ponuntur, sunt accidentia substantiarum, quas denominant: accidentia verò omnia re vera insunt iis rebus quarum sunt accidentia, vt patet ex definitionibus accidentis traditis à Porphyrio, [a] & ex illa, qua Aristoteles [b] in Anteprædicamentis explicat ea, quæ sunt in subiecto, qua non dubium est, quin complecti velit entia omnia, quæ non sunt substantiæ. 1.

a *In Isagoge cap. de Accidente.*
b *Cap. 2.*

DEINDE, quia passio perspicuè inhæret patienti, quod Aristoteles [c] 3. Physic. cap. 3. & aliis locis ex eo probat, quia solum id, in quo est passio, patiatur. 2.

c *Text. 20. & sequentibus.*
d *Text. 28.*
e *Ad tertiũ lib. Physic.*

TERTIO, quia motus omnis est in mobili, vt idem [d] asserit eodem loco, & aliis plerisque: quod si motus localis est in mobili, ergo & id, quod acquiritur per illum, cùm idẽ sint re ipsa motus & id quod per motum acquiritur, vt Physici ostendunt [e] etsi ratione differant: at locus non est in mobili, sed in corpore ambiente locatum: quare id, quod acquiritur per motum localem, & per se ponitur in prędicamento Vbi non est locus, sed absolutum aliquid inhærens mobili, siquidem ad relationem non est per se motus. 3.

QVARTVM, eorum argumentum est, quia si locus constitueret prædicamentum Vbi tamquam forma externa, quæ motu locali acquiritur, 4.

quiritur, mutata superficie ambiente, mutaretur locus: quod falsum est, vt patet in rupe, quæ etsi circundatur aqua decurrentis fluminis, non mutatur tamen loco.

5. QVINTVM, quia re vera id, quod motu locali acquiritur, non est propriè locus ipse, sed loci occupatio.

6. SEXTVM, quia motus localis potest fieri per vacuum: in vacuo autem non sunt superficies, quibus successiuè circundetur mobile.

7. SEPTIMVM, quia id, quo dicimur tantæ vel tantæ ætatis, non est extra nos, & à quo extrinsecus denominetur, sed in nobis ipsis: quo fit, vt in prædicamento Quando non ponantur formæ aliquæ externæ, sed ipsis rebus denominatis inhærentes.

8. OCTAVVM, quia isto modo ea, quę in his prædicamentis ponuntur, non essent diuersa essentialiter neque ab iis, quæ ponuntur in superioribus prædicamentis, neque à se inuicem, quod dici non potest, cùm differant toto genere: id autem sequi, perspicuum videtur: locus enim non est diuersus essentialiter à superficie, sed differunt locus & superficies tamquam idem accidens à seipso, modò sumptum vt inhęrens, modò vt extrinsecus ambiens. Actio item & passio idē sunt cum motu, nec differūt à se inuicem, nisi tamquam idem illatum & acceptum: quod idem de cæteris dici potest. Postremum, quia Gilbertus Porretanus, à quo fusius hæc vltima prædicamenta sex principiorum titulo habemus scripta, planè sentire videtur, ea, quæ in iis ponuntur, non esse extrinseca rebus denominatis, sed inhærentia, & ex illorum adiacentia relicta. *Vbi enim* (vt ait) *est circunscriptio corporis ex loci circunscriptione prouenies. Quando est id, quod ex adiacentia temporis relinquitur.* quod idem in aliis cernere est, prętерquam in actione, quam idem quoque facit extrinsecus denominantem.

*Lib. sex principiorum.*

9.

*Sententia eorum, qui dicunt sex vltima prædicamenta confici ex entitatibus absolutis internis*

His adducti nonnulli sentiunt hæc vltima prædicamenta confici ex entitatibus quibusdam absolutis intrinsecis, siue inhærentibus in rebus, quas denominant, vna excepta actione, quam fatentur extrinsecus denominare: præsertim cùm faciant prædicamentum actionis ex solis actionibus transeuntibus, reiectis actionibus immanentibus ad prædicamentum qualitatis, vt eas plerique superiorum sententiarum auctores reiiciūt. Addunt verò entitates absolutas prædicamentorum Vbi, Scitus, Quando, & Habendi, esse idem re cum subiectis, tametsi ab eis ratione, atque adeo essentialiter differant. Quare, id, quod motu locali acquiritur (etiam si fiat in vacuo) esse entitatem positiuam eamdem re cum quantitate mobilis, sed quidditatiuè diuersam, non locum vllum quocunque fingatur modo: & id, quod temporis decursu in rebus temporariis relinquitur, esse entitatē absolutam, quam in varias ætates diuidere solemus in viuentibus.

*Nonnulli recentiores.*

*Obiectorum solutio.* SECTIO V.

PERSISTENDVM tamen est in approbata sententia Diui Thomæ, quæ eadem est Heruei, [a] Soncinatis, & ferè recentiorum Thomistarum: excipio enim Caietanum ætate iam prouectiorem, qui vbi minus id facere debuit, hoc

a *Heruæ quodl. 5. q. 9. Pauli Soc. 5. Metaph. q. 40. Iauelli 5. Metaph. q. 23.*



[b] *Prima p. q. 16. art. 1.* hoc est, in actione, oppositam ex verbis Diui [b] Th. collegit opinionem in Commentariis primæ partis: quo loco ait, *Actionem transeuntem esse re vera in agente, idq; latuisse Philosophos* in 3. Physicorum de qua re inferius agendum.

*Soluūtur argumenta posita contra quartam opinionem.*

AD primum argumentum dicendum est, sex vltima prædicamenta esse accidentia rerum quas denominant, accepto nomine accidentis non vt à substantia distinguitur, cùm sæpè sint substantiæ, sed vt est accidentarium prædicatum de prima substantia: sed tamen accidentia hoc modo sumpta non semper inhærere rebus, quarum accidentia dicuntur, vt in actionibus transeuntibus apertum est, quę accidentia sunt comparatione agentium: cùm tamen non in ipsis agentibus, sed in rebus, quæ patiuntur, inhæreant: quamquam igitur sed vltima prædicamenta sunt prædicata accidentaria rerum, quas extrinsecus denominant: non est tamen opus, vt in ipsis inhęreant, sed quæcunq; sunt accidentia, hoc est, non substantiæ, ea inhærent in re aliqua, vt locus in corpore circunstante, & sic de cæteris.

*Quo pacto passio sit in patiente.*

AD secundum dicendum est, passionem esse in patiente eo pacto, quo terminus actionis in illo est: terminus autem interdum est in patiente per realem inhærentiam, vt quantitas & qualitas: interdum per solam realem coniunctionem, vt locus. Itaque passionum aliæ per realem inhærentiam, vt accretiones & alterationes, aliæ per solam realem coniunctionem, vt motus locales, in patiente insunt. Vnde cùm Aristoteles docuit, passionem esse in patiente, sic est intelligendus, quasi dixerit, passionem esse in patiente, aut per realem inhærentiam, seu verè in subiecto, aut per solam realem coniunctionem. Nam & vincula pati dicuntur serui, cùm ligantur, & arma milites, cùm induuntur, vasa etiam argentea patiuntur aurum, cùm inaurantur, & tamen ista non inhęrent rebus denominatis quasi subiectis, sed extrinsecus adiacent.

*Quæ superficies sit locus.*

*Quid per motum localem propriè acquiratur.*

AD tertium dicendum, motum localem (quemadmodum & alios motus) non esse idem re ipsa cum mobili, sed cum termino, in quem tēdit motus, hoc est, cum loco, qui quoniam est in mobili per realem coniunctionem, motus etiam in mobili eodem modo esse dicitur.

*Cap. 13. q. 7. sect. 1. & 2. & q. 11. sect. 2.*

AD quartum dicendum est, locum non esse qualemcumque superficiem concauam corporis continentis, sed eam, quæ est immobilis, vt suprà ex Aristotele fusiùs explicauimus: esse autem immobilem ratione superficiei ambientis spacium, in quo est mobile. Quia igitur superficies ambiens spacium est id, quod quasi formale est in loco, superficies autem reales, quæ in eam incidunt, id quod velut materiale: iccirco nihil refert, si mobile nunc sit in hac superficie reali, nunc in illa: dum enim est in eadem superficie, vt sic dicam, imaginaria spacij, semper in eodem loco quiescere censetur, quòd omnes superficies reales in eam successiuè incidentes, vna & eadem in ratione loci esse censeantur.

AD quintum dicendū, vt materia, cùm fit generatio, propriè acquirit formam, & aqua, cùm calefit, propriè acquirit calorem: ita corpus, cùm mouetur secundum locum, propriè locum acquirere, non ipsam

loci occupationem,quæ nihil aliud est, quàm relatio locati ad locũ, aut loci ad locatum.Si enim est aliquid absolutum inhærens locato, & medium inter locatum & locum:pari ratione formæ habitio,vt sic dicam,erit absolutum quippiam medium inter materiam & formam: & caloris possessio erit medium quippiam absolutum inter aquam calidam & calorem,quod ridiculum est, cùm hæc,si non sumatur, vt effecta formalia substantialis formæ & caloris, nihil aliud & re vera, & scholasticorum omnium opinione sint, quàm relationes quædam subiectorum ad formas,vel formarum ad subiecta.

*Difficultatẽ circa motum in vacuo cõmunem esse omnibus opinionibus. Exponitur tamẽ iuxta veram sententiam.*

Ad sextum dicendum est,eius difficultatem communem esse omnibus opinionibus:siue enim id, quod acquiritur in motu locali, sit complicatio ex loco & relatione, siue relatio, siue absolutum accidens inhærens mobili resultans ex circumpositione loci, siue locus ipse:non videtur dari posse motus in vacuo, cùm in eo non detur locus,seu superficies continens locatum.Respondendum est tamen,motum localem in vacuo non esse eiusdem rationis cum eo, qui fit in pleno: hic enim est acquisitio entis reali positiui, quicquid tale ens sit,& ratione eius entis reducitur ad prædicamentum Vbi; at ille non est acquisitio entis realis siue externi,siue inhærentis, sed est acquisitio spacij: quod quidem non est verum ens,vt [a] quidam veteres putabant, sed capedo quædam corporum,quæ est negatio repugnantiæ ad capienda corpora:tametsi dici potest aliquid reale, hoc est, haud pendens ab operatione intellectus, & suo modo necessarium simpliciter in rerum natura,vt suprà [b] diximus.

*Quid alij dicere possint.*

Dicat fortasse aliquis,non spacium ipsum,sed mobile,vt est in alia parte spacij esse terminum sui motus in vacuo, immo etiam in pleno, tametsi in pleno detur alius terminus positiuus, superficies nimirum corporis continentis, quæ est locus prædicamentalis, minimè tamen necessarius ad motum localem, licet necessarius sit ad motum naturalem in pleno.

*Ratio.*

Ratio huius rei esse potest, quia motus localis etsi fiat in vacuo, erit tamen aliquid reale, quia dabitur à parte rei, & directè ac per se erit à caussa mouente, & realiter influente: habebit igitur terminum realem,cuiusmodi non est spacium ipsum,cùm tamen mobile,quatenus est in alia spatij parte,aliquid reale sit.

*Confirmatio.*

Idipsvm confirmari posse videtur ex aggeneratione substantiæ, quæ cernitur in viuentibus perfectis, cum nutriuntur, & ex transsubstantiatione, quæ fit in sacro Eucharistiæ mysterio. Nam & anima ipsa perfectorum animalium, quæ indiuisibilis esse dicitur, est terminus aggenerationis viuentium, quatenus eadem incipit esse in aliis atque aliis particulis materiæ nutrimenti, & Christi Domini corpus videtur esse terminus transsubantiationis in Eucharistiæ sacramento, quatenus incipit esse sacramentaliter sub speciebus præteriti panis.Demum sic argumentabitur aliquis.Cùm motus sit idem realiter cum termino,vt volunt Philosophi, si terminus motus localis in vacuo sit spatium ipsum, quod nihil est, erit is motus idem cum nihilo: erit ergo & aliquid,& nihil aliquid, quia motus: nihil, quia

[a] *Platonici apud Simplicium 4.Physic.in sua digressione de Loco in text. 49. Eandem opinionem Galeno tribuunt Simplicius & Themistius 4. Physi. in tex. 36. Vide eodẽ loco Arist.*

[b] *Ad cap.5. q.1. sect.1.& cap.13. quæst. 7.sect.1.*



quia idem cum nihilo.

*Refutationis primum argumentum.*

Sed facilè ista refelluntur. Primùm quia mobile esse in alia & alia parte spacij,nihil aliud est quàm contineri ab alia & alia, contineri autem aut est referri relatione contenti ad continens, aut extrinsecus affici, & quasi informari, quod est priùs quàm referri relatione contenti,aut ergo terminus motus localis est relatio, ad quam Aristoteles negat esse per se motum, aut est spacium quod occupatur, & à quo continetur mobile, quod solùm ponimus fore per se terminum motus, qui fiet in vacuo. Quòd si quis fingat aliquẽ alium modum essendi mobilis in spacio, qui acquiretur per motum localem: pari ratione alios concedat necesse est, quos sub quantitate & qualitate acquirat mobile in augmentatione & alteratione, & ad quos per se hi motus terminentur:at modus essendi sub tanta quantitate,nihil aliud est quàm esse tantùm, siue affectum tanta quantitate, & modus essendi sub albedine nihil aliud est quàm esse album, siue albedine affectum.quò fit,vt modus etiam essendi in hoc aut illo spacio,nihil aliud sit quàm contineri,& quodammodo affici hac aut illa spacij capedine.

2.

Deinde quia species motus non distinguuntur apud Aristotelem aliósve Philosophos per hoc quòd terminantur ad ipsa mobilia hoc vel illo modo se habentia,sed per hoc quòd terminantur ad hanc vel illam formam,aut quasi formam accidentariam & absolutam acquisitam:ergo nisi velimus omnium Philosophorum consuetudinem repudiare,neutiquam distinguere debemus motum localem à cęteris motibus,per hoc quod terminatur ad ipsum mobile,hoc vel illo modo se habens,sed per hoc quod terminatur ad locum acquisitum, qui in vacuo solum spacium est:in pleno autem superficies corporis continentis contigua mobili quatenus immobilem spacij capedinem circundat.

3.

*Duplex terminus in motu.*

Tertio quia si distinguamus terminum cuiusque motus in totalem & formalem. erit quidem in motu locali qui fiet in vacuo, terminus totalis mobile,vt est in parte spacij acquisita, quemadmodum totalis terminus in augmentatione est mobile ipsum,vt habet tantam quantitatem acquisitam, & alterationis ipsum mobile,vt habet talem acquisitam qualitatem,seu potiùs sunt composita quædam ex mobili & formis acquisitis: siquidem id quòd primò fit in quouis motu & mutatione,non est forma aut quasi forma,nec subiectum,sed compositum ex forma, aut quasi forma, & subiecto, vt docet Aristoteles 7. libro huius operis.Verùm si quæratur terminus formalis,ad hoc tandem veniatur necesse est,vt assignetur aliquid à mobili distinctum, à quo primò desumatur ipsa motuum distinctio, quódque non sit relatio:at hoc in motu locali per vacuum non potest esse mobile,hoc vel illo modo sumptum,sed sola forma, aut quasi forma à mobili acquisita, quæ nihil aliud esse potest,nisi hoc aut illud spacium,quod à mobili occupatur: quemadmodum nec in augmentatione & alteratione est mobile ipsum, etiam hoc vel illo modo spectatum, sed quantitas aut qualitas acquisita.

Qvæ-

*Ad rationem in oppositum.*

QVAPROPTER ad rationem in oppositum dicendum est, motum per vacuum, si detur fore reale quippiam, hoc est, minimè pendens ab operatione intellectus, & à caussa mouente & influente, hoc est, realiter agente in deferendo mobili ex vna parte spacij in alterã: proinde terminum illius fore eodem modo realem, siue haud pendentem ab operatione intellectus, vt diximus, nempe spaciũ, quod acquiretur per eum motum. Quocirca dicere possumus, eum motum, cùm futurus sit acquisitio totius spacij, duabus de caussis fore realem: vna ex parte termini, qui non pendet ab operatione intellectus: altera ex parte mobilis, quod erit ens reale, & reali virtute ponetur per motum in alia spacij parte. Nec certè maiorem realitatem tribuit motui per vacum impugnatus dicendi motus, cùm non magis reale aliquid sit mobile, vt est in alia & alia parte spacij, quàm compositum ex mobili & ipsa simul parte spacij acquisita: præsertim cùm ex coniunctione mobilis cum parte spacij acquisita nulla entitas realis resultet in mobili. Quòd si dicas, resultare modum realem existendi in parte spacij acquisita, hunc ipsum nos concedimus: verùm is modus non est ipse terminus motus, sed sequitur acquisitionem illius, seu potiùs est ipsa eius completa acquisitio: quo pacto modus existendi sub tanta quantitate aut qualitate acquisita, non est terminus accretionis alterationisve, sed est ipsa quantitatis aut qualitatis perfecta acquisitio. Nec verò quicquam efficiunt ea quæ allata sunt ex aggeneratione viuentium & sacræ Eucharistiæ mysterio.

*Ad confirmationem. Anima perfectorũ quomodo sit terminus aggenerationis. Transubstãtiatio duobus modis fieri potest.*

Nam etsi anima perfectorum viuentium est formalis terminus aggenerationis, quæ fit in nutritione: quatenus est in aliis atque aliis partibus materiæ nutrimenti: non est tamen ipsa subiectum aggenerationis, vt patet, sed noua materia nutrimenti susceptì: quò fit, vt exemplum non sit ad rem. Quòd autem ad illud sacræ Eucharistiæ attinet, dicendum si transubstantiatio propriè sumatur, nullum commune subiectum in ea sumi posse quod transeat ex vno esse substantiali in aliud: proinde neque ad rem esse exemplum ab ea desumptum. Quòd si sumatur pro consecratione, qua Christus Dominus virtute verborum Sacerdotis, seu potiùs ipsius Christi, ponitur sacramentaliter, vbi ante non erat, non dubium quin Christus Dominus, quatenus est sacramentaliter sub speciebus præteriti panis, sit terminus transsubstantiationis, verùm non formalis, quem quærimus, sed totalis: formalis enim sunt ipsa accidentia, quæ quasi velamina quædam sacramentaliter contegunt corpus Christi, non multò secus ac locus spaciúmve contegit, ac continet locatum. Nec verò addita argumentatio quicquam efficit. Dicimus enim spacium non esse omninò nihil in hoc sensu, quasi nec sit res vlla, nec capedo rei. Quòd si opponens contendat nihil omnino esse, idem incommodum admittere cogetur, cùm ait motum in vacuo esse modum occupãdi spacium, erit enim modus occupandi nihil, quod quidem nihil est. Aut si dicat esse mobile ipsum, quatenus successiuè occupat spacium, etiam hoc modo cogetur fateri, mobile si in vacuo moueatur, nihil omnino acturum aut passurum. Occupare enim successiuè id quòd nihil est

*Quis nam sit eius terminus.*

nihil



nihil agere aut pati est: quò fiet, vt isto etiam modo motum in vacuo nihil omnino esse fateatur.

SED vt reuertamur ad id vnde digressi sumus, ad septimum ex obiectis dicimus, ex adiacentia temporis præteriti nihil absolutum in nobis relinqui, quod re vera sit inhærens: sed ætates nostras explicari per denominationes à temporibus transactis, nihilq; aliud esse, quàm obnoxios fuisse nos iis temporibus, dico autem obnoxios quia ea quæ nihil à tempore patiuntur, vt sunt substantiæ rerum incorruptibilium, ea nec tempore mensurantur, nec in eis vera cernitur ratio, aut ætatis quam nos in solis viuentibus caducis ponimus, aut recentiæ, vt sic dicam, vetustatisque quas rebus omnibus corruptibilibus tribuere solemus.

*Vide quæ dicta sunt cap. 7. q. 3. sect. 2.*

AD octauum fatemur non esse necesse, vt prædicamenta hæc aut inter se, aut à præcedentibus diuersa sint essentialiter; satis enim est, si eorum modus conueniendi primis subst antiis, easq; denominanda sit diuersus. Nam neque illud est necessarium, vt quę in eis ponuntur, sint verè accidentia, sed vt habeãt se more accidentium modo aliquo informantium, vt ex prædicamento Habendi perspicuum est.

*Quædistinctio inter hæc sex vltima prædicamenta, & quatuor superiora sufficiat.*

AD vltimum, etsi non admittimus quicquid sex principiorum auctor de his prædicamentis scriptum reliquit, & ea quæ obiiciũtur ex definitionibus Vbi & Quando, æquè accommodari possunt opinioni eorum, qui hæc prædicamenta ex relationibus conficiunt, atque eorum qui ex absolutis inhærentibus, tamen id quod ait Vbi prouenire ex loci circunscriptione, & Quando relinqui ex temporis adiacentia in vero sensu accipi posse. Nam cum verba Vbi & Quando, vt in re proposita vsurpantur, concreta sint (idem enim valent, ac si dicas locatum & temporale) nihil aliud est ea relinqui ex adiacentia temporis & loci, quàm esse eorum effecta formalia. At nomina effectorum formalium nihil aliud significant quàm formas ipsas per modum adiacentium, siue illæ inhærentes sint siue extrinsecus denominantes. Atque hæc de sex vltimis prædicamentis in commune dicta sint: nunc priuatim de quibusdam nonnulla explicemus: neque enim omnia percurrere aut necessarium, aut etiam vtile existimamus.

---

## NVM ACTIO TRANSIENS SIT IN AGENTE.

## QVÆSTIO VIII.

*Sententia quorundam.* SECTIO I.

a Sect. 3. b Q. 2. sec. 3.

ITA si ex iis quæ dicta sunt cum in superiori [a] quæstione, tum verò ad [b] cap. 7. perspicuum videtur, actionem transeuntem non in agente esse, sed in eo quod patitur (immanentem enim esse in agente, luce clariùs est) tamen quia viri graues contra senserunt, non erit præter remsi q uæstionem hanc aliquanto pressiùs examinemus.

*Pars affirmans quibus Auctoribus placuerit.*

RAYMVNDVS Lullius Maioricensis qui apud suos Doctoris illuminati nomen inuenit,eam sententiam in suis prouerbiis amplexus est,vt diceret actionem tantùm immanentem,sed etiam transeuntem in agente esse, quam sententiam probat Caietanus in Commentariis primæ partis D. Thomæ ad quæstionem 25. eámque ex quibusdam D.Thomæ locis colligit.Eandem verò sequitur Bartholomæus Torrens in eundem librum aliique nonnulli. *Prouerbiorũ par.2.* *Caiet.q.25. artic.1.*

*Quibus rationibus probari soleat.*

RATIONES pro hac parte hæ sunt fermè. Primùm quia actio quælibet reducit formaliter è potentia in actum non solùm id quod patitur, sed etiam id quod agit: immò priùs consideratione nostra reducit id quod agit, quàm id quod patitur, cùm ex eo quod agens agit, patiens patiatur, actionémve recipiat: perspicuum est autem id quo aliquid formaliter reducitur è potentia in actum, esse perfectionem reducti,& ex consequenti esse in illo. *Quæst.29. ar.1.disp.4.*

1.

2. DEINDE quia quælibet res (loquamur autem de creatis tantum) perfectior est,cùm actu agit,quàm cùm est tantùm in potentia ad agendum, quippe cùm operatio sit finis agentis, seu potiùs existentiæ agentis, iuxta illud Aristotelis in secundo de Cœlo: *Vnumquodque est propter suam operationem*,quod de rebus creatis intelligendum est. Si ergo perfectior est quælibet res creata cum agit, quàm cùm non agit: est igitur actio perfectio illius, ac proinde in ea ipsa inest. *Cap.3.text.17*

3. TERTIO quia causa formalis non est separata ab effectu formali cùm sit idem formaliter,licet modus significãdi vocabulorum vtriusque sit diuersus, vt albedo & album: at actio est causa formalis agentis,vt agens est:non est igitur ab agente separata.

4. QVARTO quia actio & passio sunt formæ oppositæ,cùm oppositas habeant conditiones, non possunt igitur esse simul in patiente: passio autem est in patiente,ergo actio in agente.

5. QVINTO quia impossibile videtur formam esse in aliquo & tamen non illud denominare, si ergo actio transiens esset in patiente, non dubium quin omne patiens diceretur agere,quod saltem in materia prima falsum esse deprehenditur.

6. SEXTO quia omne accidens denominat subiectum aliquid, cui inhæreat, vt patet ex definitione accidentis: veluti superficies aëris continentis, etsi denominat extrinsecus locatum, tamen denominat aërem locantem,vt subiectum cui inhæret:at actio si non denominat intrinsecus rem agentem, nullum subiectum, cui insit denominare potest: neque enim quatenus actio est denominat rem quæ patitur.alioqui omne patiens ageret quod est apertè falsum. *Apud Porph. in Isagoge,c. de Accidẽte.*

7. POSTREMO quia actus in eo esse debet, cuius est actus: constat autem actionem esse actum agentis,vt Aristoteles docet 3.Phy.cap. 2.Ita cogi videtur Aristoteles etiam ipse eam sententiam admittere, vt fateatur omnem actionem in agente esse. *Textus 20.*

*Et auctoritate D.Tho. confirmatur.*

DIVVM autem Thomam idem sensisse,ex quibusdam eius Commentariorum locis videtur perspicuum. Nam in 2.Sent.distinct.40. q.2.artic.4.sic ait: *Cùm actio sit in agente, & passio in patiente, non potest esse*



*esse idem numero accidens actio & passio.*Et secundo cõtra Gent.c.9.*Actio*, inquit, *quæ non est substantia agentis, inest ei, sicut accidens subiecto,& ideo inter nouem prædicamenta accidentis computatur.*Quod idem sæpius asserere videtur in quæstionibus de Potentia & de veritate. In 1.etiam parte q.25.art.1.planè docet,vbi actio distinguitur à potentia actiua, nobiliorem esse actum potentia:at in Deo actionem non distingui à potentia actiua:loquitur autem de potentia actiua:per actiones transeuntes.Dẽnique in eadem parte q.45. art.3. ponit actiones creandi, quæ haud dubiè transeuntes sunt,non esse in creaturis,sed in Deo. *De Poten. q. 7.artic.9. & 10. & de Verita. q. 4.artic.2.*

*Vera sententia.*

## SECTIO II.

*Pars negatiua approbatur.*

SED contrariam sententiam veram esse & amplectendam nonnullis argumentis patet:si modo illud aduertatur, non esse hic quæstionem de relatione agentis ad patiens,vel ad effectum,quam cõstat esse in agente,si realis sit:neq; enim actio siue immanens illa sit:siue transiens,relatio est,cùm relatio nullius sit efficaciæ. Accedit,quòd iam superius contra Scotum ostendimus prædicamenta hæc vltima non relatiua,sed absoluta esse.

*Quæst.7.sectio.1.*

*Argumenta pro hac parte 1.*

PRIMVM igitur ex eo constat, non omnẽ actionem esse in agente quia si actio transiens in agente esset, iam non esset transiens, sed immanens.Neq; enim sat est ad earum distinctionem,si dicas immanentem nihil operis cõfectum relinquere, transeuntes autem omnes aliquid cõficere,quod actione peracta supersit. Nam & actiones immanentes Dei omnia conficiunt, quæcumque facta perseuerant: & plurimæ sunt actiones transeuntes,quibus peractis nihil cõfecti operis relinquatur,vt equitatio,saltatio,& tibiæ cantus, aut citharæ pulsatio.Nec verò in eo positum est earum discrimen, quod immanẽtes non attinguant exteriorem materiam subiectúmve,trãseuntes autem semper circa aliquid diuersum ab agẽte versentur.Nam immanentes non solùm attingunt externa intentionaliter (quod est perspicuum) sed etiam earum quædam attingunt realiter.Diuinæ enim multa efficiunt in rebus creatis:humanæ autem,si non attingunt immediatè,& sine alia potentia executiua res omnino seiunctas,certè suo modo attingunt diuersas realiter in eodem supposito: voluntas enim & appetitus sensitiuus, auctore Aristotele in tertio libro de Anima, tantam vim habent,vt potentias executiuas sui suppositi moueant,veluti tractiuam,impulsiuam,ambulatiuam,& alias similes, quæ ab eis differũt realiter.Reliquum est igitur,vt in eo consistat earũ differentia, quòd immanentes sint in ipso agente formaliter,hoc est in ipsa agendi potentia,transeuntes autem in re,quæ ab agendi potẽtia diuersa sit realiter.Quare si omnis actio esset in agente formaliter, vt exposuimus, nulla omnino esset actio transiens:quod nemo dicat. *Actiones immanẽtes Dei omnia conficiunt, quæcunque facta perseuerant.* *Potentiæ sensitiuæ inter næ vt moueãt executiuas.*

*Aristo.3. de Anima cap. 10. & 12. text. 57. D. Thomas. 1. p.q.81.artic. 3. & q.82. ar.4.ex Anselmo lib. 1. de Similitudin.ca. 1.& prima secundæ,q.19.ar.1. & q.16.art. 4.& 4.*

DENDE, quia si noua actio transiens esset noua entitas absoluta in agente, certè Deus cum cœpit agere in mundi creatione nouam 2.

cœpit habere entitatem absolutam, ac proinde mutatus est. Ignis quoque & aliæ res creatæ, cùm in alias agunt, nouas incipiunt habere in se absolutas entitates, at hæc dicenda nequaquam sunt. Quæro enim à quo ille producantur. Si à patientibus, ergo & omne patiens agit, quod est falsum, & eadem quæstio relinquitur de patiente, quæ de agente, aliquáne entitate absoluta id faciat: quod si à patientibus, quatenus patiuntur, prouenium, iam patiens, quatenus est patiens, agit: quod dici nullo modo potest. Si verò ab agentibus producuntur: iam quæro, an per easdem illas qualitates, quibunt agunt in alias res, an per alias natura priores, quibus agant in seipsa. Si per easdem: ergo ignis prius agit per calorem in seipsum, quàm agat in aquam, quod & ridiculum est & impossibile: ignis enim per calorem nihil aliud, quàm calorem introducit, nisi per accidens & cõsecutiuè, quo pacto dicimus calorẽ exsiccare. Si per alias qualitates, ergo vulgatæ primæ quattuor elementorum qualitates, non sunt re vera primæ: quod ad secundum librum de Generatione falsum esse ostendunt Physici.

TERTIO, quia si omne mouens, cùm mouere incipit, simul etiam inciperet nouam entitatem actionis in se habere: cùm actio, qua mouens mouet, nulla sit alia, quàm motus (ab eo enim id, quod mouet dicitur formaliter mouens) illud absurdum eueniret, vt omne mouens mouendo moueretur: quod fieri non potest, & omnes falsum esse supponunt.

4. POSTREMÒ, quia isto modo res inanimæ agunt actionibus immanentibus, producendo nimirum in se actiones, quibus agant in res alias: at Philosophi nullas agnoscunt actiones immanentes, nisi potentiarum cognoscentium & appetentium. Quòd si entitates huiusmodi absolutæ nõ producuntur re vera, sed per emanationes quasdam resultant in agentibus ad præsentiam patientium, quo pacto dicimus calorem resultare in aqua frigida sublato conseruante calorem: præter quam quod id temerè & sine vlla ratione diceretur, magis cum ratione congruit asserere, rem ad patiendum aptam præsente re ad agendum idonea, nullius alterius entitatis interuentu aliquid ab agente accipere.

*Aristotelis testimonijs confirmatur.*

ACCEDVNT adeo clara Aristotelis testimonia, vt saltem, qui eius doctrinæ non refragantur, planè confiteri debeant, actionem transeuntem non in agente esse, sed in patiente. Nam 3. Physic. cap. 3. *Text. 10.* hoc scriptum reliquit. *Non esse incommodum, eumdem actum esse communem duobus, agenti & patienti: nam agentis*, inquit, *est tamquam à quo patientis autem tamquam in quo, sicut doctio est actus docentis, sed est in ipso discente.* Et secundo de Anima [b] capite secundo sic ait. *Videtur enim* b *Text. 24.* *in patiente, & dispositio agentium inesse actus.* Et paulò [c] inferius. *Vniuscuiusque enim actus in eo, quod potentia existit, & in propria materia aptus natura est fieri.* Et 3. [d] de Anima cap. etiam secundo. *Si igitur motus,* d *Text. 39.* *& actio, & passio est in eo, quod mouetur & patitur (Actiui enim*, inquit, *& motiui actus in patiente fit) non necesse est mouens moueri:* vnde nos tertium argumentum desumpsimus, quo eodem aliis in locis vtitur Aristoteles. Deinde, *Sicut actio*, inquit, [c] *& passio in patiente est, non in* c *Text. 14.* *agente,*



*agente, sic & ipsius sensibilis actus in ipso sensibili existit.* Quo, cum ab Aristotele nihil clarius pro hac sententia dici potuisset, non veritus est Caietanus asserere, sententiam suam quasi occultum aliquid veteres Philosophos latuisse.

*Eamdem sententiam tradit à D. Thomæ.*

DENIQVE D. Thomas, quem vnum ille, vt sequeretur, in oppositam opinionem diuertit, nostram, communémque sententiam perspicuè tradit. Nam 1. p. q. 45. art. 2. nullam aliam entitatem ponit, quæ modo aliquo actionis nomine significetur, quàm motum, qui est in mobili, & relationem, quę est in mouente. Vnde concludit, cùm creatio non sit mutatio, non remanere in creatore ac creatura quicquam aliud, quod nominibus creationis actiuæ & passiuæ declaremus, nisi relationes creantis & creati. Et 2. libro contra Gent. cap. 1. hoc discrimen inter actionem immanentem, & transeuntem constituit, quod immanens est perfectio agentis, transiens autem perfectio patientis, & in eo existens, quod desumpsit ex Arist. 9. [f] libro huius operis. Alia pleraque D. Thomæ dicta collegit Ferrariensis [g] pro hac sententia in eum locum: ex quibus cœcus pænè sit, qui non intelligat, D. Thomam, totum id absolutum, quod actionis transeuntis nomine comprehenditur, in patiente ponere.

f. *Cap. 9. tex. 16.*

g *2. contra Gent. cap. primo.*

### *Solutio argumentorum.*

## SECTIO III.

*Solvuntur argumenta posita pro Caietani sententia.*

AD PRIMVM igitur pro parte opposita dicendum est, etsi illud rectè concludit, actionem esse actum & perfectionem agentis habentis potentiam, seu potentialitatem, vt perficiatur: tamen nõ rectè concludere, esse in agente. Perficiuntur enim agentia creata suis actionibus, non intrinsecus tamen, sed extrinsecus, hoc est, illa ipsa perfectione, qua perficiunt ea, quæ patiuntur, ac recipiunt eorum similitudines: suo enim modo ad perfectionem agentis non habẽtis in se perfectionem illimitatam spectat, quod eius forma quodammodo extẽdatur, & diffundatur in res alias. Vnde patet solutio secundi.

*Agentia creata perfici non solum internis, sed externis etiam formis.*

AD tertium dicendum, caussam formalem intrinsecam, seu verè inhærentem non esse separatam ab effectu formali, at de extrinseca aliam esse rationem. Potest enim esse vel omnino seiuncta, vt respectu agentis remoti, vel immediatè coniuncta, tametsi non inhærens, vt respectu proximi agentis, aut locati.

*Actionẽ, & passionẽ non esse formas oppositas.*

AD quartum negandum est actionem & passionem esse formas oppositas. Nam etsi conditiones agentis & patientis sunt oppositæ relatiuè, ipsum, inquam, inferre & suscipere, quemadmodum dare & accipere: ipsæ tamen conditiones actionis & passionis, nimirum inferri & accipi non opponuntur, sed vni potius & eidem conueniunt. Quamquam enim agens & patiens drstincta sunt (agens, inquam, & patiens actione & passione transeunte, in qua tota est difficultas) forma tamen, quam agens inducit, & patiens recipit, vna prorsus

prorsus atque eadem est, quemadmodum & donum, quod alter amicorum dat,& alter accipit.

*Accidens quo pacto debeat denominare subiectum cui inest.*

AD quintum & sextum,fatemur omne accidens,si tamen sit verũ accidens & non substantia mores accidentis coniuncta, denominare subiectum aliquod,cui inhæreat:nõ tamen illud denominare quauis ratione,sed certa aliqua: quemadmodũ locus etsi denominat aërem circunstantem,cui inhæret,nõ tamen illum denominat locatum, sed locantem. Sic igitur actio transiens, etsi denominat rem diuersam ab agente,cui inhæret:non est tamen necesse, vt eam denominet agentem,sed satis est,si modo aliquo,nempe patientem.

*Ex Aristotelis sententia non omnem actum esse in eo,cuius est.*

AD vltimum dicendum, ipsum quoque Aristotelem negare omnem actum esse in eo,cuius est. Expressis enim verbis sic scriptum reliquit 3.Physic. *At neque alicuius actum in alio esse absurdum est*,& paucis interpositis,*Nec prohibet*,inquit,*vnum duorum eumdem esse,&c.* Ita nihil pænè Aristotelis sententiæ apertius repugnat, quàm actionem transeuntem,seu qua aliquid in aliud re diuersum operatur: in agente esse, vt subiecto. Quod verò ad D.Thomam attinet, dicito, eum in loco citato secundi Sent. loqui de actione & passione, quatenus altera intrinsecus est mala moraliter,altera bona,nempe de volũtate inferendi & sustinendi iniuriam:necesse est,n. vt actio huiusmodi sit in agente,veluti in Iudæis Christum dominum crucifigentibus,quemadmodum passio in patiente, proinde ipsum externum patiendi motum denominari malum,quatenus à mala voluntate infertur, bonum autem,quatenus à bona suscipitur.

*Cap.3.tex. 20.*

*Explcantur D.Thomæ loca.*

*d.40.q.arti. 4.*

*Actio quatenus mala moraliter est in agente.*

NIHIL etiam refert,quod il locis proximè citatis de actione dicat,& vniuersè sentiat,inesse illam agenti,sicut accidens subiecto loquitur enim de inesse siue per veram inhærentiam, siue per denominationem. Id enim planè significant verba illa. *Et ideo inter nouem prædicamenta accidentium computantur.* Aperta enim illius sentẽtia est,[a] eorum pleraque extrinsecus denominare,& ea ratione accidentium naturam suo modo participare:etiamsi eorum extremum vsque adeo à natura accidentis remotum sit vt contineat substãtias more accidentium circumpositas'Si enim de vera inhærentia loqueretur, apertissimè sibi repugnaret,qui sæpe [b] cum Aristotele negat actionem, qua aliquid mouetur,in mouet.te esse,vt subiecto.

a *Ita patet ex ijs quæ dicta sunt q.7. præcedente sect.3.*

*Actionem esse nobiliorem potentia,in quibus,& quomodo intelligendam.*

b *Vt patet ex locis allatis sect.præcedẽte.*

CVM autem docet,vbi actio distinguitur à potentia actiua,nobiliorem esse actionem potentia, non loquitur de potentia actiua per actiones merè transeuntes,cuiusmodi potentiæ sunt calor in calefaciendo,& frigus in frigefaciẽdo,sed de iis,quæ actiuæ sunt per actiones natura sua immanentes,& vi naturali transeuntes,seu,quod idem est,immanentes quoad subiectum,& quoad effectum transeuntes:cuiusmodi potẽtia est appetitus animalium siue rationalis, siue rationis expers in mouendis membris ad nutũ obedientibus. Nam actio merè transiens non potest esse nobilior ipsa potentia,à qua procedit,vt calefactio ligni calore ignis, quæ autem est transiens quoad effectum, & immanens quoad subiectum,si distinguatur quidem ex natura rei à potentia,vt in creaturis, semper est nobilior, quàm potentia, à qua procedit,



procedit,vt actus voluntatis quàm ipsa voluntas, si autem non distinguatur,quod in solo Deo accidit,non potest esse nobilior, quia identificatur cum potentia, à qua nostro intelligendi modo procedit.

*Actionem creandi esse in creaturis quo pacto accipiendum.*

DEMVM vbicumque ille docet actionem creandi, & quascumq; alias quibus in creaturis aliquid agit,esse in Deo non in creaturis,loquitur quidem de actionibus transeuntibus, verùm non de transeuntibus quoad subiectum, sed quoad effectum. Quod vt meliùs intelligas, aduerte non esse negandum, neque id vnquam D.Thomam negasse,actiones merè transeũtes,quibus Deus aliquid in creaturis operatur,vt motum cœli aut lapidis,inesse in ipsis rebus patientibus,sed hoc tamen notandum,sapienter illum addidisse, actionem merè trãseuntem non esse actum & perfectionem respectu Dei agentis, quasi diuina potentia per huiusmodi actiones reducatur è potentia in actũ, quemadmodum reducuntur potentiæ creatæ, sed recurrendum esse ad actus diuinæ voluntatis practicos qui æterni sunt, & nequaquam mutabiles: eósque dicendos esse tantæ efficaciæ, vt pro eo tempore, quod Deus ab æterno statuit hoc vel illud producere, sine vlla ipsorum nouitate hoc vel illud producant. Hos ergo actus,qui immanentes sunt natura sua, transeuntes autem virtute & efficacia, intelligit D.Thomas in Deo agente esse, non in creaturis in quibus operatur.

### *Detur ne in Meo potentia executiua, quæ ratione à diuina voluntate distinguatur.*

## SECTIO IV.

*Durandi opinio affirmãs. D.Thomæ negans. Argumenta partis affirmatiuæ*

EX his intelligi potest quid dicendum sit ad eam quæstionem, sit ne in Deo præter intellectum & voluntatẽ potentia executiua, quemadmodum in nobis, tametsi non re ipsa,vt in nobis est,sed ratione distincta. Duran. in 1.d.38.q.1. cum aliis quibusdam putat distinctã esse. D.autem Thomas 2.lib.cont.Gent.Scotus in 1.Sent.& Caietanus in Commentariis 1.partis, & alij plerique sentiunt non esse distinctam.

*D.Tho.2.cõ. Gent.ca.23. Scot.1.sent.d. 37.q.vnica. Caiet.1.p.q. 25.art.1.*

*1.*

PARTEM affirmatiuam hæc argumenta confirmant. Primùm quia actus intellectus & voluntatis non attingunt realiter obiecta, sed intentionaliter tantùm:esse enim intellectum aut volitum,non est reale aliquid in re intellecta aut volita,sed denominatio extrinseca ab actu intelligendi & volendi,aut relatio rationis resultans in obiecto ex actu intelligendi aut volendi, cùm interim actus potentiæ executiuæ realiter attingat suum obiectum.

*2.*

DEINDE quia actus intellectus & voluntatis sunt ex ratione sua immanẽtes,actus autem executiuę potẽtiæ ex ratione sua trãseuntes.

*3.*

TERTIO quia quem ordinem in creaturis habet intellectus,voluntas & potentia executiua secundum rem, eundem habent in Deo secundum considerationem nostram: in creaturis autem hęc tria sunt distincta realiter, atque adeò inter se ita ordinata, vt intellectus primum approbet, quæ facienda sunt: deinde voluntas ea amplectatur, ac de-

ac demum potentia executiua cõficiat,seu quouis alio modo ad esse perducat:igitur eandem distinctionem, eumdémque ordinem constituere oportet consideratione nostra in intellectu, voluntate, & potentia executiua Dei.

POSTREMO quia potentiæ distinguuntur per actus:actus autem intellectus & voluntatis & potentiæ executiuæ respectu cuiuscumque agentis intellectiui distinguuntur saltem consideratione nostra, ergo & intellectus,voluntas & potentia executiua.

*Partis negantis argumentum 1.*

PARS tamen negatiua his ratioibus probatur. Primùm quia voluntas Dei est efficacissima: non esset autem etiam cõsideratione nostra efficacissima, si cogitaremus eam quasi expectare aliam potentiam ad executionem eorum quæ vellet.

*2. Vbi distinguenda sit potentia executiua à voluntate.*

DEINDE quia vbi potentia executiua est limitata,ibi necesse est eam ponere distinctam à voluntate, quæ in creaturis etiam suo modo illimitata est (multa enim volumus, quæ nullo modo possumus) at vbi executiua potentia illimitata est,quod in Deo confitemur, ibi non est opus,vt eam à voluntate distinguamus.

*3.*

TERTIO quia in diuinis non nisi præstantissima ponenda sunt est autem præstantiùs & diuina natura digniùs quod ipsum velle diuinum sit ex se executiuum omnium, quæ vult quàm si dicamus esse tantum decretiuum & imperatiuum: illud autem diuina Scriptura satis videtur significare, cum omnia quæ fiunt à Deo,soli diuinæ voluntati attribuat.

*4. Etiam in nobis vtrũque appetitum esse suo modo executiuum.*

POSTREMO quia in nobis etiam voluntas ipsa, immò & appetitus sensitiuus sunt potentiæ ex ratione sua executiuæ eius motionis, qua potentiæ motiuæ inferiores mouentur, siue applicantur ad opus, vt superiùs dictum est. Neque enim ad hoc munus ponendæ *Sect. 2.* sunt aliæ potentiæ executiuæ mediæ inter voluntatem appetitúmque sensitiuum & inferiores potentias motiuas: alioqui ad eiusmodi medias potentias applicandas ad proprias operationes, & suo modò mouendas oporteret aliasmedias executiuas potentias ponere, & aliàs rursus ad illas, sicque in ponendis potentiis executiuis nullus esset finis. Si ergo in voluntate creata: & in appetitu etiam sensitiuo tanta est vis, vt per suos actus immanentes suo modo agant aliquid extra se, cur non sit tanta voluntati diuinæ tribuenda, vt ex ratione sua peculiari,omnia quæ vult, agere atque exequi possit, nec sit opus ad eam rem alia potentia,vel sola consideratione ab illa distincta?

*Obiectio.*

DICAT fortasse aliquis, esse in anima nostra quandam potentiam immaterialem, quia ipsa indiget, vt cùm fuerit à corpore separata,possit mouere corpora quibus vti velit, siue ad representandam personam propriam suppositi vita functi, quod plerique animam Samuelis fecisse credunt, siue ad quiduis aliud (meritò enim non probabitur sententia eorum qui volunt animas à corpore seiunctas ne lapillum quidem mouere posse) atque huius potentiæ proprium esse mouere, siue applicare inferiores potentias motiuas organicas sui suppositi ad opus: ac proinde non necesse esse, vt voluntas nostra eam

*Lege D. Thom. 2.2.q.95.ar. 4. & q.174. art.5.ex August.lib.2.ad Simplic. q.3.*





eam motionem,siue applicationem exequatur.

*Potentiã executiuã immaterialem animæ nostræ cõcedendã esse.*

SED respondendum est non esse quidem negandam animæ nostræ eam potentiam, cùm sit per se subsistens, & operatiua extra corpus, nec rationi consentaneum videatur, vt cùm à corpore separata fuerit,careat ea facultate mouendi corpora,quæ substantiis corruptibilibus quantumuis abiectis tributa est: quo pacto & Samuelis & Moysi animæ,vti potuerunt simulachris quibusdam ad representandas illorum personas accommodatis, illa vt ageret cum Saule non longè à montibus Gelboe,hæc cum Christo Domino in monte Thabor. Quin etiam post assumptionem corporum adhuc erit vsus eius facultatis in Beatis, cum sit illorum statui conuenientissimus, vt in quo animę planè subdetur corpus,eiusq; conditionum particeps erit.

*Christus Dominus post resurrectionem quomodo varia loca peragrauerit.*

Ea verò potentia vsus est Christus Dominus, cùm post resurrectionem non progressiuo motu,qui fit organicarum facultatum ministerio,sed subitaneo:& totius simul corporis, qui alia potentia ab organicis indiget, inuisendorum discipulorum causa in varia loca se conferebat.Qua etiam sæpe vti videtur in diuino Eucharistiæ sacramento, veluti cùm ex altari in pium os S.Bonauenturæ reuerentiæ causa celebrare non audentis,& aliarum quarũdam sanctarum fœminarum sacram Synaxim ingenti affectu exoptantium se transtulit. Et Romæ in templo beatæ Pudentianæ Virginis de manibus indigni hæsitantisq; sacerdotis se sustulit, & sacræ hostiæ motu lapidei altaris angulum adussit, eiúsque figuræ effigiem (quam vidimus) in marmoreo pauimento,quasi ignito ferro impressam reliquit.Neque enim in his euentis opus erat,vt sacra hostia,vel ab Angelo, vel immediata Dei actione deportaretur,cum Christus Dominus humana prædictæ potentiæ virtute ad eam rem vti potuerit.

*Christi Domini in Eucharistiæ sacramento mirabiles operationes.*

VERVM eius potentiæ vsus non est necessarius homini in hac mortali vita,cùm satis ei sint potentiæ motiuæ materiales,siue organicæ ad mouendum se & alia corpora quibus vti vult:quemadmodum satis sunt aliis animantibus, quæ non minorẽ sed maiorem sæpe vim habent ad eum motum & in se, & in aliis rebus efficiendum, cùm tamen nullam motiuam potentiam in sola anima cohærentem habere possint. Itaque ea potentia, etsi est vsui animæ separatæ, & corpori etiam glorioso coniunctæ: in nobis tamen otiosa est,dum breue huius vitæ curriculum conficimus. Quare ad id quod obiiciebatur, illud primum respondendum est,non esse in nobis vsum eius potentiæ in hac vita: proinde non per eam applicari potentias organicas ad opus,sed per voluntatem appetitúmque sensitiuum.

*Otiosam esse tamen in vita mortali. Prior solutio. Posterior solutio.*

*Lucæ 2. Lucæ 4. In 4.sent.dist. 10.q.7.*

DEINDE dicendum etsi ea nunc vteremur, quemadmodum Christus Dominus mortalis adhuc videtur vsus, siue cùm puer in templo se à conspectu parentum abstraxit, siue cùm vir factus in montis supercilio è manibus Nazarenorum elapsus est, quod Scotus animaduertit,& nonnunquam sancti homines singulari priuilegio vti creduntur: tamen is vsus nihil aliud esset, quàm applicatio passiua eius potentiæ ad motum,quæ applicatio ab alia potentia,quàm à voluntate fieri nullo modo posset.

ITA patet voluntatem quoque noſtram,& omnino vtrumque appetitum eſſe ſuo modo potentias executiuas,non omnium tamen quę cupiunt, ſed applicationis potentiarum motiuarum inferiorum ad ſuas actiones. Quo autem pacto voluntas & appetitus ſenſitiuus eiuſmodi potentias moueant,vt loquitur Ariſtoteles,ſiue ad opus applicent, fuſioris diſputationis eſt. Illud hoc loco ſit ſatis, nec voluntatem, nec appetitum ſenſitiuum indigere in nobis alia potentia executiua ad applicandas ad propria opera ſubiectas ſibi potentias motrices,vt inde colligamus,mirùm non eſſe ſi diuina voluntas nõ egeat alia potentia vel ſola ratione à ſe diſtincta, vt extra ſe quæ velit exequatur: tametſi multo veriori actione tranſeunti Deus agat extra ſe quàm voluntas & appetitus ſenſitiuus in potentias motiuas inferiores cum illis vtuntur.

*Reiicitur fuſior de hac re diſputatio in aliũ locum.*

*Tertia alia ſententia.*

ERVNT fortaſſe qui propter rationes affirmatiuæ partis fateantur dandam eſſe in Deo potentiam executiuam ratione diſtinctã à potentiis intellectus & voluntatis, & tamen propter rationes negatiuæ velint non eſſe diſtinctam ab actu voluntatis, ſed eſſe ipſam diuinã volitionem practicam,qua Deus omnia efficit: videbitur enim hoc pacto ſeruari diſtinctio inter intellectũ, voluntatem & potentiam executiuam,& tamen hæc tertia,vt non erit prorſus eadem cum prima & ſecunda, ita non erit omninò aliena à ſecunda, ſed ei valdè cognata, quippe quæ erit proprius eius quaſi partus. Id autem confirmabunt ex eo quod omnia quæ de voluntatis diuinæ efficacia dicuntur de actu præcipuè intelligenda ſunt. Verùm non rectè dicent. Primùm quia actus vnius potentiæ non habet rationem alterius potentiæ, ſed rationem actus illius duntaxat, vt paret in creaturis, ex quibus ad creatoris conſiderationem aſſurgimus. Deinde quia actus practicus diuinæ voluntatis non eſt conſideratione noſtra vnicus, ſed multiplex etiam ratione effectorum eiuſdem ſpeciei: potentia autem executiua ſaltem reſpectu eorum,quæ eiuſdem ſpeciei ſunt,non conſideratur vt multa, ſed vt vnum quippiam: alioqui quot ſunt actus, tot eſſent potentiæ, quod pugnat cum ratione potentiæ. Poſtremò quia cùm in nobis etiam (vt dictum eſt) ipſæ vtriuſque appetitus potentiæ ſint executiuæ applicationis inferiorum facultatum motiuarum ad ſuas operationes,nec dicamus actus ipſorum appetituum eſſe potentias eius rei executiuas: non eſt cur negemus ipſam potentiam diuinæ voluntatis habere rationem potentiæ executiuæ omnium diuinarum actionum tranſeuntium, idque ſolis actibus illis tribuamus.

*Refellitur 1.*

*2.*

*3.*

*Concluſio quæſtioni reſpondens. In diuinis nõ eſt potentia executiua præter potẽtiam diuinæ volantatis. Soluũtur argumenta partis affirmatiuæ.*

PATET igitur ex dictis, non opus eſſe aliam potentiam executiuam conſiderare in diuinis præter ipſam potentiam diuinæ voluntatis. Nam cùm actus practici illius non tantùm ſint immanentes, ſed etiam tranſeuntes modo explicato: non dubium eſt quin voluntas diuina,vt voluntas eſt, ſit etiam potentia executiua omnium quæcũque efficit.

QVARE ad primum affirmatiuæ partis argumentum, negandum eſt, actus practicos diuinæ voluntatis ſolùm intentionaliter attingere obiecta practica. Nam etſi actus intellectus nihil reale per ſe ponit



ponit in re intellecta:actus tamen practicus diuinæ voluntatis totam ipſam ponere poteſt in rerum natura. Ad ſecundum ex dictis conſtat practicos diuinæ voluntatis actus,tranſeuntes etiam eſſe. Ad tertium dicendum,etiam in creaturis voluntatem,vt voluntas eſt,eſſe exequutiuam applicationis inferiorum facultatum motiuarum ad ſua opera, vt non mirum ſit,ſi diuina voluntas verius & perfectius ſit actiua omnium extra ſe. Ad quartum dices,actum potentiæ merè exequutiuæ diſtingui ab actu voluntatis:non autem quouis modo exequutiuæ.

---

## *VTRVM PRAEDICAMENTVM VBI omnibus rebus attribuatur.*

## QVÆSTIO IX.

*Argumenta pro vtraque parte.*

### SECTIO I.

QVOD attinet ad prædicamentũ Vbi hoc vnum diſquirendum eſt, attribuatúrne rebus omnibus,an rebus tantùm corporeis:nam pro parte affirmatiua hæc occurrunt argumenta.

*Pars affirmatiua quæſtionis.*

PRIMVM,quòd ea,quę nullibi ſunt,neq; in rerum natura eſſe videantur. Quæ enim in rerũ natura ſunt, quæri etiã meritò & inueniri poſſunt:quę autem inueniuntur,alicubi ſanè inueniuntur. Vnde & via datur ad inuenienda ea, quæ quærimus:quod ſi via,ergo & vbi via finiatur. Deinde,quòd vel maximè videatur Deus alicubi eſſe,cùm dicatur eſſe vbiq;:quòd ſi Deus alicubi eſt,ac proinde huius prædicamenti attributionem ſuſcipit:ergo multò magis cætera omnia, quæ finita ſunt, & certis finibus circumſcripta, Tertiò, quòd ea,quæ nullo modo poſſunt replere locum, alicubi etiam eſſe dicantur,vt puncta,lineæ,& ſuperficies,habent enim ſitum,punctum quidẽ in linea,linea verò in ſuperficie,& ſuperficies in corpore,quod eſt alicubi eſſe:quod ſi habent ſitum, ergo & locum: quandoquidem ſitus nihil eſt aliud,quàm modus exiſtendi in loco. Quod autem de his indiuiſibilibus dicitur,de aliis etiam formis indiuiſibilibus rerum corporearum dici poteſt: etſi enim non replent locum, ſunt tamen ibi,vbi ſunt ſubſtantiæ,quarum ſunt formæ.

*Argumentũ. 1.*

*2.*

*3.*

PRO parte autem negatiua hæc item ſe offerunt. Primùm, quòd eſſe alicubi, & eſſe in loco idem ſint: non omnia autem eſſe in loco, vel [a] ex eo patet, quia locus eſt ſuperficies extrinſecus ambiens, qua ſola corpora comprehendi poſſunt. Deinde, quòd Ariſtoteles planè aſſerat in libris [b] de Cœlo,ſubſtãtias immateriales nec loco,nec tempori ſubiectas eſſe. Tertiò,quòd nihil ſit in loco, niſi aut circumſcriptiuè,vt dicitur,aut definitiuè: Deus autem neutro modo in loco eſſe poſſit. Non circumſcriptiuè, quia ſola ea circumſcribuntur loco, quæ ſunt coextenſa loco,quod nec Deo,nec vlli ſubſtantiæ immate-

*Negatiuæ partis argumentum. 1.*

*2.*

*3.*

a *Ex Ariſt. 4. Phyſi. c. 4. text. 39. & ſequentibus.*

b *Primo lib. de Cœlo c. 9. tex. 100.*

riali conuenit. Nec verò definitiuè, quia sola ea definiuntur loco, quę ita in loco vno sunt, vt extra illum non existant: quod de Deo dici nō potest, qui immensitate sua ita est in quolibet loco, vt sit etiam in cæteris omnibus, quæcumque sint. Quarto, quod iam sit ostensum ad caput 7. Deum non poni in prædicamentis, quod quidem si verum est, fieri non potest, vt prædicamentum Vbi Deo etiam attribuatur: quid enim est aliud rem poni in hoc, aut illo prædicamento, quàm prædicamentum hoc aut illud ei attribui. 4.

*Quæst. 7. Sect. 1. & luculentius ad cap. 8. q. 1. sect. 2.*

*Quædam de ratione existendi in loco.*

## SECTIO II.

*Esse alicubi, quot modis sumatur.*

HÆc quæstio facilè explicabitur, si quædā prius animaduertamus. Primùm, esse alicubi nonumquam impropriè sumi pro eo, quod est esse in re aliqua, quæ impropriè dicatur locus: quo pacto oculi dicuntur esse in capite, & forma in materia, & pars quælibet in suo toto: qui modus ab hac disputatione excludendus est. Propriè verò tum accipi, cùm sumitur pro eo, quod est esse in loco propriè dicto, siue communi tātùm, vt sella in domò, siue peculiari, vt aqua in puteo, siue reali, vt in superficie extrinsecus circundante, siue imaginario, vt vocatur, hoc est, in spacio aliquo: quo pacto mundus est in ea spacij dimensione, quam occupat.

*Quid sit esse in loco circūscriptiuè.*

DEINDE, duobus modis aliquid dici solere esse in loco propriè dicto, vno circumscriptiuè, altero definitiuè. Illud dicunt (& verè sentiunt) esse in loco circumscriptiuè, quod ita est in illo, vt totum sit in toto, & pars in parte: siue illud habeat per se partem extra partem, & per se circumscribatur loco, vt corpus ad prædicamentum quantitatis pertinens: siue per accidens, vt materia, & formæ omnes substantiales, & accidentales, si diuisibiles sint ad diuisionem molis corporeæ: hæc enim omnia dicūtur esse in loco circumscriptiuè partim per se, partim per accidens. Illud autē volunt definitiuè esse in loco, quod ita est in illo, vt extra illum naturaliter non sit: quo pacto non solum ea omnia, quæ sunt in loco circumscriptiuè, sunt etiam definitiuè, sed cætera quoq; omnia, vno excepto Deo Opt. Max. qui loco nullo definiri potest, vt in eo sit, & in alio non sit. Addunt autē naturaliter, quia supernaturaliter non est negādum, rem eamdem creatam posse simul esse in pluribus locis etiam circumscriptiuè, vt plerique volunt.

*Esse definitiuè in loco, quid sit.*

*Deum nō definiri loco.*

*Rem eamdem posse supernaturaliter esse simul plurib. in locis.*

*Scot. in 4. d. 10. q. 2. Gabr. ibi q. vnica, & fusè lect. 40. supra canonem. Ocham in 4. d. 10. q. 4. Marsil. q. 7. Richar. q. 2. Alensis in Sum. p. 4. q. 40. Altisiodor. in 4. d. 10. Petrus de Aliaco in 4. q. 3. & alij.*

SED vt obiter moneam, hæc diuisio non complectitur re vera omnes modos essendi in loco propriè dicto: non solùm quia excipitur modus, quo Deus est in loco, vt dictum est, sed etiam, quia si res eadem creata virtute diuina ponatur in pluribus locis, in nullo iam erit definitiuè, quia ita erit in vno eorum, vt sit etiam in alio: cùm tamen huius diuisionis moderni defensores ita velint diuisionem esse intelligendam, vt Deo excepto, quicquid in loco est, aut circumscriptiuè sit in eo, aut definitiuè. Nec satis erit pro responsione, quod cùm res creata est in pluribus locis, non sit in his omnibus naturaliter. Nam si res in vno fuerit naturaliter, & in alio supernaturali virtute, non erit saltem

*Tit. 4. Phys. tap. 4. tex. 39. & sequentibus.*



saltem in posteriori definitiuè, quia ponitur esse in priori naturaliter: immo neque in priori rectè dicetur esse definitiuè, quia parum referet, quòd in posteriori sit supernaturali virtute, vt dicatur definiri & limitari ad priorem locum. Quòd si nomen loci absoluatur à numero, ita vt omnes loci, in quibus res est, computentur pro vno, résque dicatur esse in omnibus simul definitiuè, quod ita sit in illis, vt non sit extra illos: vacat iam primum particula, *naturaliter*, quam adiiciunt: deinde latenter conceditur Deus esse definitiuè in loco, quia ita est in omnibus, vt non sit extra illos.

*Vera diuisionis explicatio.*

SI ergo diuisio hæc existendi in loco propriè dicto probāda est, ita sanè est intelligenda, vt quicquid in vno tantùm loco finito est, sit in illo, aut definitiuè tantùm (hoc enim re vera est esse in vno tantùm loco) aut etiam circumscriptiuè, hoc est, ita vt totum sit in toto, & pars in parte. Quo iam modo, primùm quidem excluditur Deus à diuiso ipso, vt non sit mirum, si non comprehendatur in membris diuidentibus. Deinde, nullas patimur angustias, si res eadem quouis modo ponatur simul in pluribus locis: dicemus enim in nullo eam esse definitiuè, quòd in alio etiam existat. Quamquam, quia certus locorum numerus, si res simul sit in omnibus pro vno loco haberi potest: poterit illa dici in omnibus simul acceptis definitiuè esse, quia non sit in alio ab illis.

*Deus vt possit dici esse in loco infinito.*

POSTREMO, non negabimus Deum esse in loco, ne cogamur, illum aut circumscriptiuè, aut definitiuè in eo esse confiteri, sed vel dicemus esse in vno infinito, si teneamus id, quod verius esse crediderim, Deum in infinito etiam spacio extra cœlum existere: vel in pluribus finitis, si locorū nomine Aristotelicos intelligamus. Quòd si quis sentiat, Deum non esse extra mundum, spaciúmque quod à mundo occupatur, ea ratione negabit Deum esse definitiuè in spacio mundi, quia si alibi non est, id prouenit ex defectu spatij pleni extra mundum: addétque id solùm intelligi oportere definitiuè esse in loco, quod ita est in loco vno, vt limitatione suæ virtutis non sit in alio: quæ additio necessaria non est, si Deus est actu in quolibet spacio, seu pleno, seu vacuo.

*Vt hac ipsa quæstione sect. 4. ostendetur.*

*Quæst. 7. sect. 1.*

*Immobilitatē esse de ratione loci.*

*Quid sit formale in loco Aristotelis.*

POSTREMÒ, illud in memoriam reuocandum est, quod ad caput decimumtertium explicauimus, de ratione loci esse immobilitatem, eámque ab immobilitate spacij prouenire, quod fixum semper est, neque vlla ratione mutari potest: quod tamen dicere non possumus de creatura vlla, siue de centro mundi, siue de cœli virtutibus, siue de quauis alia, quæ verius rationem rei habeat. Quòd cum ita sit, necesse est dicere, id, quod quasi formale est in loco Aristotelico, qui immobilis superficies corporis continentis esse definitur, esse ipsam verę superficiei immobilitatem, seu potius ipsam spacij superficiem imaginariam, in qua vera loci superficies incidit: proinde solam superficiem spacij satis esse ad rationem loci, quemadmodum ad rtionem motus localis, qui etiam in spacio omnino vacuo fieri potest virtute diuina. quamuis non satis sit ad rationem loci realis & Aristotelici.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Conclusio partis affirmatiuæ, & variæ circa eam sententiæ.*

## SECTIO III.

*Prædicamẽtum Vbi rebus omnibus attribui probatur.*

HIs positis dicendum est, prædicamentũ Vbi, siue loci, omnibus rebus attribui, quæcunque illæ sint. Hæc conclusio probatur. Nam res corporis participes esse in loco circumscriptiuè nemo dubitat, cùm ratione molis corporeæ partem habent: quod idem dicẽdum est de earum materia & formis diuisibilibus, siue substantiales illæ sint, siue accidentales: aut enim per se circumscribũtur loco, vt ipsa moles corporea, aut per accidens, & ratione illius, vt cætera diuisibilia: substantiæ verò separatæ, si creatæ sunt, itémq; humana forma, & accidentia omnia inextensa, etsi nec per se, nec per accidens sunt circumscriptiuè in loco, sunt tamen definitiuè. Intelligè porrò, substantias esse definitiuè in loco, siue diuisibili, qui dicitur compositus, siue etiam indiuisibili, quem simplicem appellant: ita tamen, vt cùm in loco sunt diuisibili, quælibet earum sit tota in toto, & tota in qualibet parte quo pacto dicimus animam rationis participem, etsi qua est alia indiuisibilis, totam esse in toto corpore, & totam in qualibet eius particula. Denique Deus Opt. Max. etsi nec circumscriptiuè, nec definitiuè in loco vllo esse potest: est tamen vbique, hoc est, in omnibus quotcunque sunt.

*Deus est in loco, quia est vbique*

SED quærat aliquis, num omnia semper ac necessariò sint in loco. Quamquam enim de rebus naturalibus & earum partibus & accidentibus nemo dubitat propter quantitatem molis, qua affectæ sunt de substantiis tamen separatis, & earum accidentibus non mediocris dubitatio existit, num semper ac necessariò sint in loco definitiuè. Nam D. Thomæ sectatores [a] volunt, eas non esse in loco, nisi cùm actu operantur operatione transeunte, nec verò qualibet operatione transeunte, contenti sunt, sed ea, quæ fit in loco, hoc est, quæ suscipitur, aut procedit à re, quæ est in loco: fatentur enim, substantiam separatam non esse in loco per operationem transeuntem, nisi agat in rem, quæ est in loco, aut ab ea patiatur. Scotus [b] verò, & alij plerique asserunt, eas esse semper, ac necessariò esse in loco, siue quid agant aut patiantur extrinsecus, siue nihil.

*Num res omnes semper ac necessariò sint in loco.*

*Negantẽ partem asseri à D. Thomæ sectatoribus.*

ARGVMENTVM præcipuum pro opinione D. Thomæ est, quia cùm duplex sit quantitas, vna molis, altera virtutis, & res materiales sint in loco per contactum molis: reliquum est, vt immateriales sint in loco per contactum virtutis: at contactus virtutis est operatio potentiæ agentis in aliud: quò fit, vt si res immateriales non agant aut patiantur extrinsecus, non sint etiam in loco.

*Affirmantẽ ab Scoto, & pleris que aliis. Argumentũ præcipuũ pro D. Thomæ sententia.*

ACCEDIT auctoritas multorum [c] Patrum, qui scribunt, nullibi fuisse Deum ante Mundum conditum, nisi in seipso. Præcipuum vero pro Scoto argumentum est, quia res immateriales, quemadmodum & materiales, prius saltem natura sunt in loco, id est, præsentes loco, quàm in eo operentur: non sunt igitur in loco per operationem, sed per suas ipsarum substantias: nihil enim aliud esse potest, per quod sint in loco: ergo semper ac necessariò.

a D. Tho. 1. p. q. 52. art. 1. Caietan. ibid. Capr. in 2. d. 2 q. 1. Ferrar. 3. contra Gent. c. 68. & alij.

b Sco. in 2. d. 2. q. 9. Gabr. ibid. q. 2. Marsil. & Gre. Arim. ibid. D. Bonauent. in 2. d. 2. ar. 4. Ochã quoli. 1. q. 4. Alensis in 2. d. 2. q. 4. & alij

c Ita Tertullianus aduersus Praxeã. Bernardus de Considerãtione, & alij complures.

*Primarium pro Scoto argumentum.*

*Prima*



*Prima assertio.*

## SECTIO IV.

IN hac controuersia illud nobis durum videtur admodum ne dicam à ratione alienum, substantias separatas nũquam esse in loco nisi per operationem transeuntem, ita vt si hoc pacto non agant, aut patiantur, nullibi omninò sint.

*Argumenta contra priorẽ opinionẽ.*

1. PRIMVM quia etsi communis conceptio sapientum est (vt [a] Boëtius ait) incorporea non esse in loco ab Aristotele definito, idq; circumscriptiuè, vt sunt res corporeæ, tamen & docti & indocti iudicant, quicquid est, alicubi esse, saltem in spacio aliquo, aut spacij alicuius termino: adeò vt ipse etiam Aristoteles [b] qui in libro citato de Cœlo negat, substantias separatas esse extra cœlum, vt in loco à se explicato: affirmet [c] tamen eas ibi esse, felicissimámque in omni sempiternitate vitam ibidem agere, nempe ab omni negotio rerum corporearum liberas. Intellexit enim etsi earum pleræque in mouendis orbibus cœlestibus occupatæ sunt: plurimas esse tamen quæ extra cœlum felicissimo fruantur otio.

a Lib. de hebdomad. c. 1.

b 1. de Cælo, c. 9. tex. 100.

c Ibidem. 1

2. DEINDE vt cum nostris loquamur, quid Angeli continenter agunt in cœlo Empyreo, vbi creati dicuntur à Theologis, & quasi in patria degunt? Quid verò in inferioribus cœlis, cùm per eos ad terras descendunt? Quid denique in eodem templo aut domo, cùm sæpè maxima eorum multitudo adest? Nam quòd quidam dicunt eos præsentia sua ornare locum, quemadmodum viri Principes & magnates suo consessu dicuntur ornare, seu condecorare conuentum hominum concionémque; petitio est aperta, vt dicitur, principij: de hoc enim dubitamus per quam operationem transeuntem præsentes sint, si ad id operatione transeunte indigent. Quòd verò alij excogitarunt satis esse ad eorum præsentiam, si continuam habeant attentionem circa locum cui præsident, aut in quem Dei iussu aliáve ratione conueniunt, nihil habet momenti: dum enim operationem transeuntem exquirunt, immanentem pro transeunte sumunt: attentio enim quantumcumque & qualiscumque sit, semper est actio interior ac immanens. Mitto quòd attentio haberi potest ex loco etiam distanti.

*Capr. in 2. d. 2. q. 1.*

*2.*

3. IAM Deus Opt. Max. ab omni æternitate re vera fuit in eo spacio in quo mundum condidit: in quo tamen nihil agebat, immò & est, & semper fuit, ac erit in infinitis spaciis extra cœlum, vbi nihil agit, nec acturus creditur, alioqui nouum locum acquisisset, cùm creauit mundum, nouumq; acquireret si alibi crearet alium, quod certè sine mutatione ex non loco in locum fieri nequit: & (quod est absurdius) moueretur loco, si mundum hunc aliò per motum localem transferret: acquireret enim etiam ipse ac relinqueret continuè aliud ac aliud spacium quod ad verum motum localem satis esse ipsa vera mundi translatio in aliud spacium argumento esset. Item non minùs est Deus immensus quàm esset corpus actu infinitum: at corpus infinitum esset in toto spacio extra cælũ, est ergo in illo Deus: tametsi alio modo quia corpus esset extensiuè, Deus tamen est sine extensione vlla, vtpote

*3. Deum fuisse atque esse in spacio infinito extra cœlum.*

*Deus quomodo sit immensus.*

*Deus quomodo æternus.*

totus

totus in qualibet eius parte. Adde non minùs Deum esse immensum, quàm æternum: at Deum æternitate sua non modo coexistere tempori reali, quod est in primo mobili, sed etiam coextitisse infinito imaginario præcedenti, & fore, vt coëxistat infinito imaginario futuro, ergo & immensitate sua non modo esse in mundo, sed etiam in infinitis spaciis extra mundum. His adiunge: Si Deus non esset nisi in mundo fore, vt iam esset definitiuè in loco mundi: esset enim in eo & non in alio. Neque enim satis videtur esse quod oppositæ opinionis [a] auctores respondent, non rectè id effici quia Deus possit esse in- a *Argent. in* maiori: hac enim ratione neque anima pueri esset definitiuè in eius corpusculo, quod in maiori aliquando sit futura. Denique sunt multa Sacræ paginæ ac sanctorum Patrum, immò & grauia nonnulla Philosophorum dicta, quibus Deus extra hunc etiam mundum, vbi nihil exteriùs operatur, esse asseritur. Nam 3. Regum [b] sic orat Deum Salomon: *Si cœlum & cœli cœlorum te capere non possunt, quanto magis hæc domus quam tibi ædificaui?* Quæ etiam verba in extollenda dignitate beatæ Virginis vsurpat Ecclesia dum canit: *Quem cœli capere non possunt, tuo gremio contulisti.* In libro quoq; Iob [c] sic ait Sophar Naamathites, vt immensitatem diuinæ naturæ quasi rem certissimam declarat: *Nunquid vestigia pedum eius nosti? Excelsior cœlo est, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognosces? &c.* Isaias [d] item de Dei immensitate sic scribit: *Qui immensus est pugillo aquas, & cœlos palmo ponderauit.* Dionysius etiam Areopagita Apostolorum æqualis in libro de Diuinis nominibus ait: [e] *Deum in mundo, & supra mundum, & circa mundum esse.* Iustinus Martyr in libro [f] de Quæstionibus Christianis à Gentibus positis, earúmque responsionibus scribit: *Deum quia incircumscriptus est, hoc est immensus non indigere cœli domicilio.* Athanasius g contra Sabellij gregales: *Ne requiras*, inquit, *magnitudinem loci tam spaciosam, quæ capere possit Dei magnitudinem.* Origenes [h] in librum Iob sic ait: *Cœlum & terram superos & inferos vniuersa eius replet beatitudo, vniuersa circundat virtus, cuncta continet magnitudo.* Hilarius [i] in Psalmos: *Non corporalibus*, inquit, *locis Deus continetur, neque finibus aut spaciis diuinæ virtutis immensitas coarctatur.* Gregorius Nazianzenus in oratione de Theologia, sic disserendo Dei magnitudinem declarat, vt diuinam naturam, nec tantùm intra mundum, nec solùm extra esse dicat, sed subaudi & intra & extra per infinita spacia diffusam. Theophilus Antiochenus in secundo libro contra Christianæ Religionis calumniatores: *Deus*, inquit, *loco nequaquam circumscribitur, verùm ipse est omnium locus.* Hieronymus in [k] Isaiam hunc in modum scribit: *Ne arbitremur cœlo & terra Dei magnitudinem metiendam.* Et post pauca: *Deus*, inquit, *& forinsecus & extrinsecus, infusus & circumfusus, &c.* Ambrosius l libro primo de Spiritu sancto: *Nec filius*, inquit, *suorum operum locis temporibúsque circumscribitur, nec Spiritus sanctus, &c.* Chrysostomus [m] in Esaiam: *Deus nullis circumscribitur locis, qui enim posset qui nusquam non præsens est?* Denique Diuus Augustinus libro vndecimo de Ciuitate [n] Dei, omnium clarissimè rem hanc explicat: *Quærentibus enim Philosophis, cur Deus certo temporis initio mundum condiderit, hanc*

*Loca sacræ Scripturæ probantia Deũ esse extra hunc mundũ.*

*Patrum testimonia.*

*Dionysij.*

*Iustini.*

*Athanasij.*

*Origenis.*

*Hilarij.*

*Gregorij Nazianzeni.*

*Theophili Antiocheni.*

*Hieronymi.*

*Ambrosij.*

*Chrysostomi.*

*Augustini.*

b *Cap.8.*

c *Cap.11.*

d *Cap.40.*

e *Cap.1. legè eundem ca.9. eiusdem operis.*

f *Ad calcem libri.*

g *Oratione de hac re.*

h *Libro 1. in illa verba:* Cũ venissent Filij Dei & starent coram Domino *quæ habentur cap.2.*

i *in Psal.118. in illa verba:* Prope es tu Domine.

k *In cap.66. Isaiæ.*

l *Cap.10.*

m *In cap.6. Isaiæ, vide eundem hom. 5. in 1. cap. epist. ad Colossen.*

n *Cap.5.*



*hanc similem quæstionem obiicit. Cur potiùs in hoc spacio quàm in alio ex iis, quæ sunt extra cœlum?* tùm paulò inferiùs: *An fortè*, inquit, *substantiam Dei, quam nec determinant, nec distendunt loco, sed eam, sicut de Deo sentire dignum est, fatentur incorporea præsentia vbique totam à tantis locorum extra mundum spaciis absentem esse dicturi sunt, & vno tantùm, atque in comparatione illius infinitatis tam exiguo loco, in quo mundus est occupatam? Non opinor eos in hæc vaniloquia progressuros. Quod igitur*, inquit, *respondent de infinitis extra mundũ locis, cur in eis ab opere Deus esset, hoc sibi respondeãt de infinitis ante mundum temporibus, cur in eis ab opere Deus cessauerit.* Hæc omnia Augustinus. Lege etiam si placet caput 5. libri septimi Cõfessionum eiusdem: vbi, etsi Manichæorum errorem olim suum de Dei corporeitate refert: mirificè tamen creata omnia in eo quasi spongiã in medio mari aqua plenam, & vndique longissimis spaciis circumfusam depingit. Ex quibus patet, non solùm quid in hac re D. Augustinus senserit, sed etiam quid Philosophos, qui de Deo digna locuti sunt, sensisse crediderit, seu potiùs vt certum in ea disputatione posuerit. Ac cùm plures hoc loco afferri possent: nullus tamen meliùs diuinam immensitatem explicauit, quàm Mercurius is qui à magnitudine sapientiæ Trismegistus, hoc est, termaximus appellatus est: ferunt enim dixisse: *Deum esse circulum, cuius centrum vbique esset, circumferentia verò nusquam. Circulum* dixit vt summam eius perfectionem significaret: *habentem verò vbique centrum*, quia vbique est perfectè, hoc est, vbique totus, vel quia à quouis puncto spacij, in quo Deus est Protendantur lineæ in quamlibet partem, omnes erunt suo modo æquales, id est, infinitæ. Denique *nusquam habentem circunferentiam*, qui nullo termino præsentia eius definitur: quod tamen de nulla re incorporea creata dici potest. Si enim materiam informet, ibi tantùm est, vbi est materia: sin verò per se subsistit, non excedit suæ actiuitatis sphæram. Ita patet Deum esse alicubi, vbi nihil operetur extrinsecus.

*Creata omnia in Deo vt sint.*

*Mercurius in libro de Mundo ad Asclepiũ, & refert Alexander Alensis. 1. p. q. 15. membr. 3. & Mai. in 1. d. 37. q. 2. vbi hanc nostram sententiam tuetur.*

*Mercurij testimonium in eandem sententiã. Deus quid sit ex eius sentẽtia.*

Sect. 3.

Qvod autem superiùs ex Patribus allatum est, Deum ante mundum conditum nullibi fuisse nisi in seipso, de existentia in re aliqua vera dictum esse intelligendum est: tametsi impropria locutione, quia nihil propriè dicitur esse in seipso. Hæc cùm ita sint, vel hoc vno argumento, patet saltem non omnes separatas substantias ea sola ratione esse in loco quia in eo operentur.

*Quatuor aliæ assertiones.*

## Sectio V.

*1. assertio. Substantiæ separatæ non sunt in loco per seipsas.*

Illud etiam probandum non est, substantias separatas esse in loco per seipsas, si perinde ipsæ sibi dicantur esse rationes existendi in loco, vt est moles corporea substantiis materialibus, hoc est, ita vt quæque substantia separata certum sibi spacium ita vendicet, vt naturaliter nec in maiori, nec in minori esse possit: quemadmodum substantia materialis ratione suæ extensionis corporeæ, nec maiorem locum naturaliter, nec mino-

rem occupat. Est [a] enim communis omnium Theologorum sententia, substantiam separatam: etsi naturaliter non potest esse in loco quantumcumque magno: posse tamen esse in quantumcumque paruo, atque adeò [b] indiuisibili, hoc est, inter quascumque partes quantitatis & spacij immediatas. Neque in re hac vlla est inter Theologos quidem sint alicuius nominis controuersia.

a D.Tho.1.p q.62. arti.2 Ocha.quodl. 1.q.4. Greg. in 2.d.2.q.2. Mai. in 2.d. 2.q.4. & est cõmunis sententia omniũ excepto Scoto in 2.d.2.q.6.

b Quod vel ipse Scotus cõcedit loco proximè citato.

*Secũda assertio absurdum est dicere substantias separatas esse in loco per suam ipsarum existentiam in loco.*

Iam & illud absurdius est dicere non esse quærendam aliam rationem per quam substantiæ separatæ sint in loco, nisi ipsam earum existentiam in loco: sunt enim [c] qui hoc suffugium inueniant, mirenturq; cur hactenus tanta fuerit de hac re contentio, cùm res sit apertior quàm vt de ea disputari debeat. Vt enim ratio per quam res est alba nulla est alia, quàm ipsa albedo: ita volunt nullam quærendam esse aliam, per quam substantiæ separatæ sint in loco, nisi ipsam existentiam in loco: siue vt alij loquuntur, ipsam applicationem ipsarum ad locum. Sed non vident, duplicem esse rationem formalem, per quam aliquid alicui conuenire dicatur, vnam ex parte prædicati, quæ semper eadem est ex natura rei cum ipso prædicato: quo pacto ratio formalis, cur aliquid sit album, est ipsa albedo, & cur sit in loco, ipsa existentia in loco, nec de hoc quisquam nisi pueriliter dubitaret: alteram ex parte subiecti, de qua graues sæpè incidunt dubitationes, quandocumque ipsum per se subiectum non videtur esse satis, vt sibi vendicet prædicatum: quo pacto dicimus equum esse loco motiuum, quia appetitiuum, & appetitiuum, qui apprehensiuum rei absentis.

c Nonnulli recentiores.

*Insubstantia quatenus talis est, nõ apparet ratio, cur sit in loco.*

Hac igitur de causa, cùm in substantia, quatenus substantia est, non appareat ratio, per quam ipsa sit in loco (neque enim substantia, vt substantia est, sibi videtur vendicare locum) meritò quærunt Philosophi rationem formalem ex parte substantiarum, per quam ipsæ sibi locum postulent: & facilè inuenientes molem corpoream, per quam corporeæ sint in loco circumscriptiuè, sapienter pergunt quærere per quid incorporeæ sint in loco definitiuè, quando circumscriptiuè in loco esse non possunt. Qua in quæstione non est mirandum, cur alij aliter sentiant: mirandum magis non deesse qui in quæstione adeò controuersa tam facilè rem transigant, neque vllam difficultatem sentiant. Itaque qui in hac disputatione concludunt, rationem formalem per quam substantiæ separatæ sunt in loco, esse ipsam existentiam loco, siue applicationem earum ad locum, & extra chorum vagantur, & in vitium tautologiæ & incidunt. Quòd eorum aliqui respondeant, non idem esse applicationem substantiarum ad locum, atque existentiam earum in loco, ne idem pro ratione eiusdem afferant: fatebimur id quidem si nomine applicationis intelligant actionem applicandi, quæcumque illa sit, aut relationem quæ consurgit ex coniunctione substantiæ cum loco: verùm applicatio priori modo non potest esse ratio formalis existendi loco: quippe cùm ea transacta adhuc substantiæ maneant in loco, sed est quasi via ad acquirendum locum, posteriori verò modo applicatio sequitur ipsam existentiam in loco, vt ratio & causa eius à priori esse non possit, quam tamen hoc loco quærimus.

Illvd



*Tertia assertio substantiæ separatæ sunt in loco de seipsis quatenus actiuæ sunt in loco.*

Illvd porrò asserimus, substantias separatas esse in loco per seipsas, quatenus actiuæ sunt in loco, hoc est, in res quæ sunt in loco, aut ab eis pati possunt: quod intellige actione immediata immediatione suppositi. Probatur autem assertio, quia cum nulla appareat ratio, cur substantiæ immateriales sint in loco, propter earum esse, sed propter aliquam operationem, neque illæ egeant loco propter operationes immanentes, vt constat, nec verò propter transeuntes illas quibus aliæ agunt in alias, aut patiũtur ab aliis, cùm ex se non videãtur indigere loco: reliquum est, vt loco indigeant propter eas operationes transeuntes, quibus agunt aut patiuntur in loco, hoc est in res, vel à rebus, quæ sunt in loco, idq; immediatè immediatione suppositi: necesse est enim, vt ea, quę hoc pacto agunt & patiuntur, simul sint, hoc est, in eodem loco, aut saltem in proximo & immediato, vt habet communis a Philosophorum sententia. Cùm ergo substantiæ separatæ propter has tantum operationes indigeant loco, hoc ipsum, quod est, eas esse actiuas aut passiuas hoc operationis genere, assignandum est ex parte ipsarum pro ratione formali existendi in loco.

a D.Tho.1. p.q.8.art. 1.. & 2. contr. Gen.c.68. Et omnes Philosophi cũ Ari. lib.7. Phys.c. 2.tex. 10.& sequentibus. & toto ca.2. item libr. 8. Phys.c.1. tex.8. Sectione præcedenti.

*Cur Deus sit vbique.*

Ac Deus Optat. Max. cùm infinitam habeat vim agendi in loco, nullúmque spacium designari possit, quod excedere agendo non valeat, ex sua operatiua virtute necessariò est in omni spacio, siquidem fieri non potest, vt prius in eo non sit, deinde verò sit, vt ex dictis patet.

*Dari maximum locum, & existentiæ & operationis substãtiarum separatarum.*

Cæteræ verò substantiæ separatæ, quia finitam habent agendi virtutem, nec certum spacium agendo possunt excedere, sunt illæ quidem necessariò in aliquo loco propter agendi vim: quia ordo naturæ postulat, vt cùm statim à principio agere in loco possint, iam inde ab earum creatione sint in loco. Verùm quemadmodum datur maximus locus, in quo earum quæque operari possit: ita datur maximus, in quo existat: qui tamen minor esse videtur illo, in quo potest operari: quandoquidem intelligentia, quæ primum mobile circumagit, non videtur esse posse in tanto spacio, quantum est primi mobilis etiam si ex spacio, vnde illud mouet, se velit per totum quasi diffundere, ac quodammodo extendere. Est autem spatium, quod vnaquæque occupat, cùm creatur, illud omnino, in quo creator eam collocat. Deinceps verò illud, quod quæque occupare vult, non excedendo tamen maximum, in quo esse potest, cùm latissimè patentem operationem exercet.

*Angelum nõ posse simul esse in tãto spatio, in quanto operari potest.*

*Quarta assertio substantiæ separatæ semper ac necessariò sunt in loco.*

Denique illud concludimus, vt motæ dubitationi satisfaciamus, substantias separatas semper ac necessariò esse in loco, quia id poscit virtus operatiua in omnibus: in iis autem quæ creatæ sunt, etiam potentia passiua. Intellige autem nomine virtutis actiuæ, & potentiæ passiuæ, non qualitatem aliquam additam substantiæ, sed ipsam substantiam, quatenus est principium actiuum aut passiuum operationis in loco, seu, quod idem est, operationis materialis: quandoquidem etsi omnis qualitas tollatur, adhuc tamen substantia, quia primo actiua aut passiua est talis operationis, erit in loco. Neq; obiicias fore isto modo vt si substantia nõ esset prædicto modo actiua aut passiua, non esset etiam in loco, ac proinde non necessariò

*Occurritur obiectioni.*

esse in loco: satis enim patet hypothesin esse impossibilem, sicq; impossibile esse non esse substantiam in loco. Atque in hunc sensum rectè concludit ratio Scoti superius adducta.

*Cur substantia rei locatæ non dicatur esse ratio formalis existendi in loco.*

*Sect. 3.*

QVOD si quis quærat cur non dicamus cum Scoto ipsam substantiam rei locatæ esse rationem formalem, cur ea sit in loco, cùm omnis substantia ex se sit actiua aut passiua in loco: respondendum causam esse, quia etsi omnis substantia hoc modo actiua aut passiua est, tamen ipsa ratio substantiæ non id explicat, sed tantùm quod per se, seu non in alio existat, nos autem quærimus rationem formalem, qua apertè cognoscamus cur substantia sit in loco.

*Occurritur quibusdam obiectionibus.*

## SECTIO VI.

*Primum argumentum.*

1. IRIA tamen sunt, quæ contra ea, quæ dicta sunt præcipuè occurrunt. Vnũ est, quòd veteres a Theologi non per principium agendi aut patiendi in loco, sed per ipsam actionẽ passionémue, substantias separatas in loco esse dixerint. Alterum, quòd si per principium, ac proinde per potentiam agendi aut patiendi in loco dicantur esse in loco, cùm earum quæque possit agere ac pati in quouis loco, erit sanè earum quæque in omnibus locis, ac proinde in toto vniuerso: ficque Angeli erunt vbique: quæ opinio reprehenditur in Durando b quasi in fide parum tuta. Tertium, quòd hoc pacto non sit, cur substantiæ materiales dicantur esse in loco, per quantitatem. Nam si principium agendi petendiue in loco, satis est vt ponat substantias immateriales in loco, cùm materiales quoque substantiæ huiusmodi habeant principium: erunt etiam & ipsæ in loco per principium agendi aut patiendi in loco, non per quãtitatem.

a *D. Thom. 1. p. q. 52. ar. 2. Henr. de Gãd. quol. 2. qu. 9. & quolib. 4. q. 17. & alij.*

2. b *In primo d. 37. q. 1.*

*Solutio primi argumenti. Primus sensus sententiæ veterũ Theologorum.*

VERVM hæc non admodum difficilè dissoluentur. Nam ad id quod primum obiicitur, triplici expositione respõderi potest. Quod enim veteres Theologi dicunt substantias separatas per operationẽ transeuntem eámque materialem in loco esse, sic potest intelligi, vt loquantur de operatione, velut de caussa finali, aut quasi finali: substantiæ enim separatæ nec ratione operationum immanentium, nec etiam quarumuis transeuntium, sed earum tantùm, quæ in res materiales exercentur, aut à materialibus proueniunt, loco indigent.

*Secundus.*

*Substantiæ separatæ per operationem in loco esse quomodo dicantur.*

AVT certè sic potest accipi, vt loquantur de existentia in loco per contactum: cum enim duplex tantum sit contactus, alter molis, qui propriè dicitur: alter virtutis, qui impropriè ac metaphoricè: si substantiæ quidem separatæ sint in loco per contactum aliquem, & non nuda præsentia suæ substantiæ, oportet, vt sint in eo per contactum virtutis, non quemlibet tamen, sed alicuius operationis materialis actiuè aut passiuè, ad quam solam exercendam opus est loco: nam per contactum molis in loco esse non possunt, cum molem non habeãt. Atque hoc pacto intelligi potest rario Diui Thomæ superius allata, vt rectè colligat substantias separatas non esse in loco, nisi per operationem transeuntem.

*Sect. 3.*

AVT



*Vide quæ dicta sunt ad c. 6. q. 3. sect. 3.*

*Tertius. Per quod cognoscamus substantias separatas alicubi esse.*

AVT denique sic exponi potest, vt loquantur de existentia substantiarum separatarum in loco, quoad nostram cognitionem, quo pacto loquitur Aristoteles de principio indiuiduationis substantiarum materialium, cùm ait illas indiuiduari per quantitatem: numquam enim cognoscimus substantias separatas alicubi esse, nisi per operationem transeuntem, eámque materialem, quæ ab eis proueniat: vt mẽtes cœlestiũ orbium motrices per motũ ab eis profectũ, & dæmones, quibus energumeni vexãtur per ea, quæ in illis efficiũt. Vnde etiam pari ratione fatemur damnatorum animas esse in centro terræ, quòd fide Orthodoxa teneamus, eas ab igne inferno pati.

*Solutio secundi.*

AD secundum neganda est consequentia. Nam etsi moles corporea est substantiis materialibus ratio existendi in quouis loco: nõ sequitur tamen, substantiam vllam immaterialem esse in omnibus simul locis: immo verò, etsi daretur Angelus tantę virtutis, vt posset simul esse in toto vniuerso: non proinde sequeretur, illum esse in toto vniuerso, si quidem minori etiam se applicare posset. Ergo, quemadmodum dicimus molem corpoream substantiæ naturalis esse rationem formalem, cur ea sit in loco, & tamen, vt sit in hoc aut illo, requirimus actionem ponentis eam hic aut ibi: ita dicimus, principiũ immediatè agendi aut patiendi immaterialiter esse rationem formalem substantiæ separatæ, vt sit in loco: & tamen requirimus actionem, qua ponatur hic aut ibi, nempe vel per creationem, vel per applicationem voluntatis propriæ ad hunc & illum locum.

*Quomodo substantiæ vbique non sint.*

*Duplex modus existendi in loco definitiuè.*

AD tertium vt respondeamus, animaduertendum, dupliciter aliquid esse posse definitiuè in loco. vno modo generali ratione, altero speciali. Generali quidem, quicquid ita est in hoc loco, vt non sit in alio, dicitur esse in eo definitiuè, quocumque modo in eo existat: siue totum in toto, & pars in parte, si partes habet: siue totum in toto, & totum in qualibet parte, quo pacto omnes res creatæ sunt in loco, solúsque Deus Opt. Max. in loco esse non potest: si modo nomine loci finitum spacium, vt par est, aut aliquem eius terminum intelligamus. At speciali ratione id solùm dicimus esse definitiuè in loco, quod ita in eo est definitiuè, vt non sit etiam circumscriptiuè, hoc est vt non sit totum in toto, & pars in parte, sed totum in toto, & totum in qualibet parte: quo iam modo solæ creaturæ indiuisibiles sunt in loco, vt substantiæ separatæ, & anima rationalis: nisi virtute diuina fiat, vt diuisibiles more indiuisibilium in loco ponantur, veluti corpus Domini vbi sunt species sacræ Eucharistiæ. Dico autem potius indiuisibiles, quàm immateriales, vt complectar perfectorum animalium brutorum formas, quæ etsi materiales sunt: tamen à plerisque dicuntur indiuisibiles, ac proinde totæ in totis corporibus ac locis, & totæ in qualibet eorum parte.

*Corpus Domini est in Eucharistia more indiuisibilium.*

*Formæ animalium perfectorum indiuisibiles.*

*Ita D. Tho. 1. par. qu. 76. artic. 8. & 2. contra Gent. cap. 72. Alb. Mag. 2. part. Sum. de homine. & alij.*

*Solutio tertij argumenti.*

AD argumentum igitur dicendum, etsi principium quouis modo agendi patiendíue in loco, satis est, vt quælibet substantiæ sint in loco definitiuè, sumpta definitiua existentia in loco generali ratione: non satis tamen esse, vt sint in loco circumscriptiuè: oportere enim vt per molem corpoream sint totæ in totis locis, & partes earum in

*Substantiæ corporeæ sublata quantitate, quo pacto manebit in loco.*

*Vide quæ scripta sunt ad c. 3. q. 2. sect. 3.*

illorum partibus. Quocirca si à substantiis corporeis auferatur diuina virtute moles corporea, etsi substantiæ ipsæ manebũt in loco definitiuè, non manebunt tamen circumscriptiuè, manebunt enim vel in locis indiuisibilibus, vel totæ in totis locis indiuisibilibus, & totæ in singulis eorum partibus, prout eas virtus diuina in loco posuerit, à qua sola tunc conseruabuntur, ne in nihilum vertantur, sublata ab eis mole corporea. Neque enim audiendi sunt, qui volunt fore, vt sublata mole corporea adhuc maneant totæ in totis locis, & partes in partibus: adhuc enim manerent extensæ, hoc est, habentes partem extra partem, quod solùm fit per molem corpoream.

*Obiectio.* SED obiiciat aliquis, molem corpoream esse proprietatem substantiarum materialium: ergo si Deus ea sublata iterum substantias ipsas propriis naturis relinquat, fore, vt in qualibet earũ resultet propria moles, quod fieri non potest, nisi re vera sint extensæ sine illa: alioqui non resultabit tota moles in tota substantia, & partes etiam in partibus. *Solutio.* Huic obiectioni primùm respondeti potest, dum substãtia corporea indiuisibiliter conseruatur à Deo, aut tota in toto loco, & tota in qualibet eius parte, non relinqui illam propriæ naturæ: cuius rei signum est, quòd eo modo conseruata non potest in eam vllam agens naturale agere: sed opus esse, vt tota ponatur in toto loco, & pars quælibet in aliqua loci parte, quod fieri nequit sine mole corporea. Deinde, aliam esse rationem in mole corporea, aliam in cæteris proprietatibus naturalibus substantiarum materialium. Nam cæteræ, cùm sint qualitates extensæ ad extensionem molis corporeæ, si tollantur aut remittantur hac vna conseruata, possunt naturaliter resultare in substantia suæ naturæ relicta: quia possunt in ea extensiuè pullulare, seu totæ in tota, & partes in partibus. At moles corporea, cùm sit forma ipsa, per quam substantia formaliter est extensa, non potest resultare naturaliter in substantia conseruata in puncto, aut tota in qualibet loci particula: iam enim plures partes molis corporeæ æquales inter se essent in eodem loco adæquato, idque naturaliter, quod fieri non potest.

*Num quantitas diuina virtute ablata iterum ex vi naturæ emanabit.*

*Altera obiectio.* EST & alia obiectio, qua etiam fortè quis contendat, substantiam materialem extensam esse, & habere partem extra partem sine mole corporea. Nam in eo instanti, in quo substantia generatur prius tamen natura, quàm introducatur forma, datur materia extẽsa siue habens partem extra partem sine quantitate vlla. Nam quòd in eo priori (vt loquuntur Scholastici) nulla sit quantitas in materia, ex eo patet, quia omnia accidentia tolluntur cum forma substantiali præcedente, vt probatiores a Philosophi docent. Quòd verò nihilominus materia in eo priori sit extensa, ex eo probatur, quia nec est in loco indiuisibili, nec tota in toto loco diuisibili, & tota in qualibet eius parte, vt est luce clarius.

a D. Tho. prima secundæ q. 52. artic. 2. & secunda secundæ qu. 24. artic. 5. Greg. in 2. d. 12. q. 2. conclusione prima, & alij.

SED neque obiectio hæc quicquam efficit. Nam illa, vt sic dicam, prioritas non facit materiam re vera esse sine quantitate, sed tantùm, posse considerari non considerata quantitate: quemadmodum quòd animal sit prius natura differentiis hominis & bestiæ, non efficit, vt animalis



animalis natura re vera sit sine iis differentiis, sed vt verè considerari possit non consideratis eiusmodi differentiis.

*Responsio ad argumenta initio proposita.*

## SECTIO VII.

*Ad argumẽta partis affirmatiuæ quid dicendum.*

RELIQVVM est igitur vt argumentis initio propositis satisfaciamus, quatenus iis quæ dicta sunt aduersantur.

AC iis quidem quibus affirmatiua quæstionis pars confirmabatur, nihil est quod respondeamus, nisi quòd primũ non rectè sumit ea omnia esse in loco, quæ quæri ac inueniri solent. Nam si quæri propriè sumitur, hoc est, pro inuestigari secundum locum propriè dictum, petitur quod erat probandum: sin metaphoricè pro eo quod est mente inuestigari, non conficitur id quod propositum erat. Multa enim quæruntur posteriori modo & inueniuntur quę non sunt in rerum natura, sed solùm obiectiuè in intellectu, ac proinde nec in loco vllo propriè dicto, vt argumenta plurima, quæ ad disserendum in locis dialecticis quæruntur & inueniuntur. Est etiam quod in tertio argumento animaduerti debeat: etsi omnia quæ in rerum natura sunt, in loco etiam sint, id tamen cum duabus distinctionibus concedendum esse: vna vt sint in loco per se, vel per accidens: altera vt sint in loco diuisibili, aut indiuisibili. Adde impropriè accipi situm ac locum cum dicimus puncta habere situm ac locum in linea, lineam in superficie, & superficiem in corpore.

*Solutio argumentorum partis negatiuæ.*

AD primum verò & secundum parte negatiua dicendum, nihil ea ea concludere, nisi de loco circumscriptiuo.

a Sect. 2. AD tertium iam superiùs a negauimus, quicquid in loco est, aut circumscriptiuè, aut definitiuè in illo esse: vbi etiam adiecimus, quo pacto ea diuisio vt vera sit intelligi possit.

*Deum in nullo prædicamento poni, quomodo accipiendum.*

b Quæst. 7. sect. 1. c Quæst. 1. sect. 2. AD quartum dici potest id quod ad cap. 7. b & luculentiùs c ad 8. definitum est, Deum non poni in prædicamento vllo, in eo sensu accipiendum esse, vt quatenus Deus non ponatur essentialiter sub genere vllo aut specie. Nam nec quatenus homo pro nobis factus est, negari potest illum esse primam substantiam prędicamentalem, vt ad

d Quæst. 7. sect. 5. calcem 8. d capitis ostendimus: nec quatenus Deus excludendus est ab omnibus prædicamentis extrinsecus denominantibus. Dici enim potest agere transeunte actione ad prædicamentum actionis pertinente, vt mouere aliquid aut perficere, & induere etiam personam Regis aut pastoris, quod pertinet ad prædicamentum Habitus, si dignetur ipse per se ornatũ regium, aut pastoris habitum sustinere. Sic ergo nullum est incommodum, si dicatur esse in templo, aut loco alio à quo etsi non circumscribitur, nec definitur, denominatur tamen accidentaria quadam & extrinseca denominatione. Admisso tamen Deum, vt Deus est, in nullo prædicamento poni (hoc enim simpliciter & absolutè dicere oportet) negandum est nihil aliud esse rem poni in hoc aut illo prædicamento, quàm prædicamentum hoc aut illud hoc est, aliquid huius aut illius prædicamenti) dici de illo.

*Deus in templo aut alio loco quomodo sit.*

NVM

## NVM PRAEDICAMENTVM QVANDO EBVS OMNIBVS CONVENIAT, quemadmodum & prædicamentum Vbi.

## QVÆSTIO X.

*Argumenta pro vtraque parte.*

### SECTIO I.

EADEM penè difficultas est in Prædicamento Quando, atque in Prædicamento Vbi, rebúsne omnibus conueniat. Sunt enim pro vtraque parte argumenta non contemnenda.

*Pars affirmatiua probatur 1.*

NAM quod omnia in eo locum habeant, ex eo colligi videtur, quia par ratio videtur esse in tempore, atque in loco, vt quemadmodum omnia dicuntur esse in loco aliquo, ita dicantur esse in tempore aliquo. Nam vt locus, quatenus pertinet ad prædicamentum Vbi, est quippiam externum ac denominans: ita & tempus, quatenus spectat ac Prædicamentum Quando: ea enim ratione qua sunt interna quædam, siue inhærentia ambo pertinent ad Prædicamentum quantitatis. Si ergo externum esse quippiam, in quod omnia incidunt in causa est, vt locus tribuatur rebus omnibus quæcumque sunt: cùm tempus etiam sit tale quiddam externum, tribuetur itidem tempus rebus omnibus, ac proinde prædicamentum Quando. *2.* Præterea quæcumque aliquando sunt, iis omnibus iure accommodatur prædicamentum Quando: de iis enim omnibus quæ aliquando sunt, meritò quæri potest, quando sint, fuerintve, aut futura sint: at omnia quæ sunt aliquando sunt: non dubium igitur quin iis omnibus congruat prædicamentum Quando.

*Partis negatiuæ argumenta. 1.*

QVOD autem contra sentiendum sit, ea ratione primùm quis sibi fortasse persuadeat, quia non suscipiunt attributionem prædicamenti Quando, nisi quæ subduntur tempori: non omnia autem tempori subiecta esse: ex eo constat quia tempori non subiacent, nisi quæ motui sunt obnoxia, hoc est, quæ per motum disponuntur ad interitum. Hac enim ratione Aristoteles, immò & Philosophi omnes ac Theologi asserunt, non modò substantias separatas, sed nec corpora cœlestia subiecta esse tempori, quia quantacumque temporis longinquitate non veterascunt. *2.* Deinde hoc argumento. Ea sola sibi vendicant hoc prædicamentum quorum mensura est tempus: at non omnia mensurantur tempore, sed quædam æuo, aut æternitate, aliáve existendi mensura: non igitur rebus omnibus accommodatur prædicamentum Quando. *3.* Postremò hac ratione. Vt locus, quatenus externè mensurat rei præsentiam conficit prædicamentum Vbi, ita tempus quatenus externè mensurat rei existentiam, constituit prædicamentum Quando, at tempus non mensurat externè existentiam motus primi mobilis, quia est idem re cum illo: ergo non omni motui, ac proinde non omnibus rebus accommodatur prædicamento Quando. Qua eadem ratione ostendi

*Vide Arist. 2. lib. de Cœlo ca. 3. tex. 20. & sequentib. & ca. 9. tex. 100. & lib. 4. 4. Phys. c. 12. text. 117. & aliis in locis. & ibid. Philoponũ, Simplicium Commentatorem & reliquos Philosophi interpretes.*



ostendi potest, nec primo æuiterno accommodari hoc prædicamentum, si quis dicat, in eo collocari æuum, vt est externa mensura æuiternorum: est enim æuum, quo mensurãtur omnia æuiterna, non externum, sed inhærens primo æuiterno.

*Responsio ad quæstionem.*

### SECTIO II.

*Contra sentit Albertus Mag. in Prædicamentis, tract. 4. ca. 1*

IN hac quæstione sit prima conclusio. Verisimile esse quemadmodum prædicamentum Vbi conficitur ex loco dumtaxat, ita prædicamentum Quando confici ex solo tempore. Hęc conclusio probatur. Primum, quia Aristoteles 1. Ethicorum ca. 6. & alibi nonnumquam, quemadmodum vocat prædicamentũ Vbi nomine prædicamenti loci, ita appellat prædicamentum Quando nomine prædicamenti temporis.

*Prima conclusio. Quando prædicamentum ex solo tempore conficitur. Suadetur ex Aristotele.*

*Ca. de Actione & passione.*

Deinde, quia in libro Prædicamentorum ait, hæc duo prædicamenta, simúlque prædicamentum Habendi perspicua esse: non esset autem perspicuum hoc prędicamentum, de quo agimus, si in eo ponerẽtur durationes rerum, quæ non subduntur tempori, sed æuo, aut aliis minus notis ac perspicuis durationum mensuris. *1 2*

*Cap. de iis quæ sine complexione dicuntur.*

Tertiò, quia hoc prædicamentum constituitur ex solis differentiis temporum, præsentis, inquam, præteriti & futuri, vt patet ex iis exemplis, quibus idem in libro Prædicamentorum vtitur, vt heri, inquit, superiori anno. Vnde & Scotus ait, prædicamentum hoc non confici ex genere summo & speciebus, sed ex specie tantum quadam infima. *Ex tempore*, inquit, *quod diuiditur in præsens, præteritum, & futurum.* *3*

Postremò, quia sex vltima prædicamenta non conficiuntur, nisi ex iis, quæ alia ratione ponuntur in aliis prædicamentis, vt patet in loco, qui quatenus superficies, pertinet ad prædicamentum quantitatis. & in actione & passione, quæ ratione formarum, quę inducuntur, aut suscipiuntur, ad superiora prædicamenta spectant: & in indumentis, quę alias ponuntur in prædicamento substantiæ, aut partim in substantia, parim in qualitate. At æuum & alię indiuisibiles durationes non habent locum in alio vllo prędicamento: neque enim sunt substantię aut quantitates. extensionésve, aut qualitates, aut denique relationes: quod de tempore dicere non possumus, cum sit extensio quędam distincta ab extensione motus, vt superius probatum est. Vnde non parum probabiliter sentit Scotus in 2. Sent. dist. 2. quęst. 2. & quolib. 6. nec ęternitatis, nec ęui nomine, aut instantis permanentis significari entitatem vllam, sed existentiam quamdam id se indiuisibilem & inextensam: quę, si est creatarum rerum, ponitur reductitiè in prędicamento, in quo ponitur res ęuiterna, aut quouis alio modo indiuisibiliter permanens. *4*

*Ad c. 13. q. 10. sec. 2. & q. 11. sect. 2.*

*Secunda assertio huius solis accõmodatur hoc prædicamentum quæ cum tempore trasęunt*

Secunda conclusio supposita superiore sit. Iis solis propriè accommodari hoc prędicamentum, quę transeunt cum tempore. Hęc facilè probatur: quia ea sola propriè dicuntur esse in tempore, quæ aliquid patiuntur à tempore, vt tradit Aristoteles quarto

Phyſ. libro. Itaque hoc pacto ſolis corruptilibus conueniet prædicamentum Quando: id quod D. Thomas de omnibus ſex vltimis prædicamentis dicendum exiſtimauit. *cap. 12. Text. 117. Lect. 15.*

*Tertia aſſertio. per coexiſtentiã cum tempore omnia ad Quãdo pertinent.*

Tertia concluſio. Per coexiſtentiã cum tempore ſaltem imaginario, nulla res eſt, cui non poſſit accõmodari prædicamentum Quando. Hæc ex eo patet: quia quædam re vera menſurantur tempore, vt corruptibiles: quædam verò etſi non menſurantur tempore, ſed indiuiſibili aliqua durationis menſura: tamen coexiſtunt vel omni tempori, vt Deus: vel alicui, vt Angeli, eorúmque actiones immanẽtes, ſi non ſubito tranſeant: vel alicui inſtanti temporis, ſi cùm primũ ſunt, tum primum eſſe deſinant. Dicimus enim, Deum ſemper eſſe, ſempérque fuiſſe, ac fore: res autem creatas nunc eſſe, & aliquando non fuiſſe, earúmque plurimas aliquando nõ fore. Item earum quaſdam & fuiſſe ab initio mundi, & fore in perpetuum: ac demũ ea, quæ ſubito tranſeunt, in aliquo temporis momento eſſe, vel tamquam in menſura ſuæ durationis (ſi quo modo ſubito tranſeuntia durationem habere dicantur) vt momentanea generatio: vel tamquam in menſura durationis alienæ, vt momentaneæ intellectiones Angelorum, ſiquas illi habent, quæ noſtris temporis inſtantia non excedant.

*Quarta. omnes durationis entitates ad hoc prædicamentũ pertinent.*

Quarta aſſertio ſit. Si omnis menſura durationis eſt entitas aliqua, omnes excepta æternitate ad hoc prædicamentum pertinere: non tamen quatenus ſunt tantæ aut tantæ extenſionis: tum quia non omnes ſunt extenſæ: tum etiam, quia quæ ſunt extenſę, quatenus extenſæ ſunt, ad prædicamentum quantitatis pertinent: ſed quatenus ſunt in aliqua temporis differentia, aut vni earum pluribúſve coexiſtũt. Hæc concluſio quoad vltimam partem, quæ ſola probationem deſiderat, ex eo patet, quia durationes rerum ſub hac ratione ad nullum aliud prædicamentum ſpectant.

*Dubitatio.*

*Soluitur.*

Sed quærat aliquis, qui fieri poſſit, vt durationes indiuiſibiles conueniant in genere aliquo cum duratione temporis, quæ diuiſibilis eſt. Ad quam dubitationem primùm quidem dicendum, nihil id mirum videri debere, cùm ſubſtantia etiam, quæ genus ſummum eſt, diuiſibilibus & indiuiſibilibus ſubſtantiis communis ſit, & qualitas item eiuſdem differentiæ qualitatibus: ac denique actio & paſſio diuiſibilibus & indiuiſibilibus actionibus ac paſſionibus, ſi in his prædicamentis aliæ actiones & paſſiones præter motus & mutationes temporarias (quod rationi magis conſentaneum crediderim) collocentur. Deinde maioris explicationis gratia dicendum, creatarum rerum durationes non ſpectari in hoc prædicamento, quatenus

*Rerũ creatarum durationes qua ratione ſpectent ad hoc prædicamentum pertineant.*

ſunt extenſæ aut inextenſæ, ſed quatenus ſunt in vna aut pluribus differentiis temporis imaginarij, ſaltem per coexiſtentiam: quemadmodum loci non conſiderantur in prædicamento Vbi, quatenus ſunt diuiſibiles aut indiuiſibiles, ſed quatenus ſunt in hac vel illa parte, aut termino loci imaginarij, quod eſt eſſe in aliqua loci differentia requiſita, ac ſufficienti ad motum localem. Nam hoc ſolùm eſt, quod præcipuè inquirimus, cùm petimus, vbi res ſit, aut quando ſit, qua in dif-



differentia ſpacij aut temporis imaginarij. Fixa enim & ſtabilis differentia loci & temporis, quæ in huiuſmodi quæſtionibus quæritur, ex ſpacio extenſiuo & ſucceſſiuo loci & temporis imaginarij deſumitur, vt ad ca. decimumtertium oſtendimus. Vnde ſi machina mundi recta moueretur, ſanè ignis elementum, etſi eadem ſuperficie contentus eſſet, & in eadem diſtantia ad polos ac centrum mundi perſeueraret: tamen alium locum verè, propriè, ac formaliter moueretur. Eodémque modo, ſi mundus anno vno ſerius creatus eſſet, etſi Adamus nongenteſimo trigeſimo anno ab orbe condito obiiſſet: tamen non eodem tempore mortuus eſſet, quo re vera diem clauſit, ſed ſerius vnius anni ſpacio.

*Quæſt. 7. ſec. 1. & q. 10. ſect. 2. & q. 11. ſect. 2.*

*Solutio eorum, quæ initio quæſtionis propoſita ſunt:*

## SECTIO III.

*Partis affirmatiuæ argumenta diluuntur.*

*sect. 1.* AD argumenta igitur pro priori parte quæſtionis propoſita, admittimus iuxta ſenſum tertiæ concluſionis, rebus omnibus, atque adeò ſemper ac neceſſariò accommodari prædicamentum Quando: verùm haud omnibus propriè, vt prædicamentum Vbi. Nam vt aliquid dicatur eſſe propriè in loco (quicquid alij velint) non eſt neceſſe, vt ſubdatur loco, aut illi commenſuretur, niſi in eo circumſcriptiuè contineatur: at vt propriè ſit in tempore, ac proinde temporarium, neceſſe eſt, vt ei ſubiiciatur, aut illi commenſuretur ac coextendatur. Non accommodabitur tamen ſemper ac neceſſariò prædicamentum hoc rebus omnibus, ſi tempus pro ſolo reali tempore ſumatur: cùm nec Deus, nec creaturæ etiam omnes neceſſariò ſint in tali tempore, etiam per coexiſtentiam.

*Partis negatiuæ rationes ſoluuntur.*

Ad duo verò priora pro altera quæſtionis parte dicendum, rectè ea concludere iuxta ſenſum primæ & ſecundæ concluſionis. Quòd ſi omnium durationum menſuræ ſunt veræ entitates, ac proinde omnes, excepta æternitate, ponuntur in hoc prædicamento iuxta normã quartæ concluſionis: omnibus rebus, præterquam Deo, propriè accommodatur prædicamentum Quando, ídque ſemper ac neceſſariò, dum illæ exiſtunt, quemadmodum prædicamentum Vbi.

Ad tertium verò dicendum eſt, externè menſurare non eſt conditionem neceſſariam eorum, quæ hoc prædicamentum conficiunt: ſed propterea adhiberi in his ſex vltimis prædicamentis externam denominationem, vt ea diſtinguat à ſuperioribus quattuor, quòd illa contineant ſolas formas internas ſiue inhærentes, his vero non repugnet continere formas extrinſecus denominantes: tametſi earum aliquæ poſſint eſſe inhærentes, vt ſunt ferè omnes paſſiones, & multæ actiones, ſi immanentes admittamus: & tempus etiam reale reſpectu motus primi mobilis, ac æuum reſpectu primi æuiterni. Memineris tamen, æuum, & alias indiuiſibiles durationum menſuras, nec poni in hoc prædicamento, vt menſuræ ſunt, quemadmodum nec tempus, ſed vt coexiſtunt vni, aut pluribus temporum dif-

ferentiis: nec propriè dici mensuras, quia *mensura*, vt inquit Aristoteles, *est id, per quod cognoscimus rei quantitatem.*

Ita patet quoad satis est, quibus rebus conueniat prædicamentum Quando, & quo pacto id accidat. Hæc enim diligentius persequi non minus inutile est, quàm superuacaneum: præsertim cùm in his sex vltimis generibus nec vera ratio generum aut specierum, nec accurata prædicamenti ratio magnopere exquirenda sit.

## CAPITIS DECIMI SEXTI EXPLANATIO.

PERFECTVM *a dicitur*] Explicatis præcipuis generibus entium, eorúmque occasione nónullis entium affectionibus (illa enim genera entium, quæ ad vltima sex prædicamenta pertinent, partim propria sunt rerum naturaliú, vt Vbi & Quando: partim tractata sunt in libro de Generatione, vt actio transiens, & passio illi respóndens: partim tractabútur libro nono huius operis, quod dixerim propter actiones immanentes: partim ita sunt parui momenti, vt satis sit de illis obiter in progressu huius libri agere, cuiusmodi sunt Situs & Habere) reliquum est, vt Aristoteles ad finem vsque alias complures entium affectiones persequatur, quarum primo loco occurrit perfectum esse. Docet igitur, tribus modis aliquid posse dici perfectum, quantitate, virtute, & finis consecutione. Quantitate, si nulla ei particula debitæ quantitatis desit: quo pacto corpus humanum dicitur perfectum, cùm nulla ei pars magnitudinis siue ad humanam staturam, siue ad figuram proportionémque membrorum deest: & annus aut mensis perfectus & exactus, si nulla eius particula non sit transacta. Virtute autem [ quæ hic non pro morali tantùm, sed prointellectiua etiam, ac vi naturali sumitur] si in genere aliquo aut specie (quam etiam nomine generis complectitur) à nulla re superetur: qua ratione is medicus aut tibicen dicitur perfectus, qui in ea arte à nemine superatur. Denique finis consecutione, si finem obtineat: quia ratione is orator dicetur perfectus, qui id, quod vult oratione persuaserit: finis enim semper est optimum quid eorum omnium, quæ ratione comparantur.

ΚΕΦ. ιϛ'.

Τέλειον λέγεται, ἐν μὲν ᾧ μὴ ἔστιν ἔξω τι λαβεῖν μηδὲ ἐν μέρει, οἷον χρόνῳ τέλειον ἑκάστῳ, ὅτῳ μὴ ἔστιν ἔξω τι λαβεῖν χρόνου τινὰ, ὃς τοῦτ' ἔστι μέρος ἐφ' ὅλῳ τῷ χρόνῳ. καὶ τὸ κατ' ἀρετὴν ᾧ τὰ εὖ ἔχειν, μὴ ἔχον ὑπερβολὴν πρός τι γένος, οἷον τέλειος ἰατρὸς, καὶ τέλειος αὐλητὴς ὅταν ᾖ τὸ εἶδος τῆς οἰκείας ἀρετῆς μηδὲν ἐλλείπωσιν. οὕτω δὲ μεταφέροντες καὶ ἐπὶ τῶν κακῶν λέγομεν αὐτοὺς, οἰκοφάντην τέλειον, καὶ κλέπτην τέλειον, ἐπειδὴ καὶ ἀγαθοὺς λέγομεν αὐτοὺς, οἷον κλέπτην ἀγαθὸν, καὶ συκοφάντην ἀγαθόν. καὶ ἡ ἀρετὴ τελείωσίς τις ἑκάστου· τότε τέλειον καὶ ἡ ὁσία πᾶσα τότε τελεία, ὅταν ᾖ τὸ εἶδος τῆς οἰκείας ἀρετῆς μηδὲν ἐλλείπῃ μέρος τῆς κατὰ φύσιν μεγέθους. ἔτι οἷς ὑπάρχει τὸ τέλος ἀπλῶς, ταῦτα λέγεται τέλεα, καὶ ὅλως τὸ ἔχειν τέλος τέλεα, ὡς ἐπειδὴ τὸ τέλος τῶν ἐσχάτων τι ἐστὶ, καὶ τὰ φαῦλα μεταφέροντες, λέγομεν, τελείως ἀπολωλέναι, καὶ τελέως ἐφθάρθαι, ὅταν μηδὲν ἐλλείπῃ * τῆς φθορᾶς καὶ *ιϛ'. της

Text. 21.

Hoc loco illud μὴ ἔχον ὑπερβολὴν πρός τι γένος non actiuè sumitur, vt sit sensus



sensus (non habens excessum, siue non excedens) sed passiuè, vt interpretati sumus. Verba autem, πρὸς γένος, non reddidimus [ad genus] sed [in genere] quod comparatio cum iis, quæ sunt in eodé genere, melius & vsitatius hoc pacto exprimatur. Quocirca ipse etiã Aristoteles ad finem capitis repetens eandem sententiam, non scribit, πρὸς ἕκαστον γένος, sed ἐν ἑκάστῳ γένει, id est, in vno quoque genere.

b *Hoc autem modo.*] Docet secundum genus perfecti ad mala etiam per translationem accommodari: id quod argumento sumpto à minore cõfirmat. *Nam & bonum furem*, inquit &, *bonum calumniatorem dicimus, quod minus dicendum videretur.*

c *Atque virtus ipsa.*] Argumento à Coniugatis probat, quod suprà dixerat. Nam si virtus perfectio est, rectè à virtute res dicentur perfectæ.

*Naturalis magnitudinis.*] Hoc est, debitæ quantitatis, non extensiuę tantùm, vt dicitur, (de hac enim iam dixerat in primo genere) sed intensiuæ.

d *Studiosus finis.*] Id est, finis studio & labore dignus. Nam etsi mali homines sibi proponunt fines indignos studio: non est tamen is simpliciter & absolutè finis humanæ actionis, sed prauæ hominis.

Quo loco animaduerti potest distinctio illa non rarò vsurpata apud Scholasticos in finem operationis, & finem operantis, qui sæpè sunt diuersi: quę distinctio specialius ità fieri solet in finem artis, & finem artificis. hoc est, hominis habentis artem. Dico autem, hominis, non artificis, formaliter quia artificis, vt artifex est, idem est finis qui ipsius artis. *Distinctio inter finem operantis & finem operationis vnde sumpta.*

e τέλεα *enim.*] Argumentum ad etymologia vocabuli.

f *Quocirca quia finis.*] Colligit meritò tertium genus perfecti in malis quoque per translationem vsurpari. Quo loco aduerte, mortem, cum sit quædam priuatio. Cùm igitur ratio finis in eo est, non item, cùm fit quædam causa finali hoc conuenire, quòd vtrumque est extremum: hoc autem differre, quòd finis dignus est cuius gratia aliquid fiat, mors, quia mors consistat, vt eius gratia aliquid fit, aut fiat: perspicuum est mortem non pro *Mors improprie finis dicitur.*

a *Euripides.*

b *Philoponus in eũ locum.*

propriè,sed per trãslationem dici finem,idque propter solam priorem conditionem,quam cum fine habet communem. Nam quod à Poëta de quodam vita functo dixit,mortem illum consecutum propter quam genitus esset,risu dignum putat Aristoteles secundo Physicorum cap 2. quamquam id dici poterat de iis,qui ex hac vita sanctè decedunt ratione illius futuræ,ad quam præsens dirigitur.

g *Quæ igitur per se.*] Docet,ea omnia,quæ per se dicuntur perfecta, tribus prædictis generibus contineriiita tamen, vt alia ex eis sint perfecta simpliciter, alia in certo genere. Atque ex primo quidem,Mundus dicitur simpliciter perfectus, quia extra Mundum nulla reperitur quantitas: equus verò in genere suo si nulla ei desit quantitas naturæ equi congruens. Ex secundo autem solus Deus dicetur simpliciter perfectus,quia solus ipse virtute non superatur: Christus autem seruator noster quatenus homo, dicetur perfectus in genere hominum, quia à nemine virtute excediтur. Ex tertio verò, inter homines soli Beati sunt perfecti simpliciter: in hoc autem,aut illogenere particularium finiũ, qui eiusmodi fines consecuti sunt.

καὶ τὸ κακῶς: ἀλλ' ἐπὶ τὸ ἐσχάτου ἦ. διὸ καὶ ἡ τελευτὴ κατὰ μεταφορὰς λέγεται τέλος· ὅτι ἄμφω ἔσχατα. τέλος δὲ καὶ τὸ οὗ ἕνεκα, ἔσχατον. τὰ μὲν οὖν καθ' αὑτὰ λεγόμενα τέλεια, τοσαυταχῶς λέγεται, τὰ μὲν τῷ γένει τὸ μὴ δεῖν ἐλλείπειν, μὴ δ' ἔχειν ὑπερβολὴν οὐ ἐνδέχεται γένει, μὴ δ' εἶναί τι ἔξω, τὰ δὲ ἄλλα ἤδη καθ' αὑτά, τῷ ἢ ποιεῖ τι τοιοῦτον ἢ ἔχειν, ἢ ἁρμόττειν τοιοῦτῳ, ἢ ἄλλως γέ πως λέγεσθαι πρὸς τὰ πρώτως λεγόμενα τέλεια.

Deus solus simpliciter perfectus.

Christus autem quatenus homo est perfectus in genere hominũ.

h *Cætera verò iam.*] Ne quid videatur prætermittere, tradit extremo loco cætera omnia; quæ dicuntur perfecta,esse ac dici: vt statuarius perfectus,quia perfectã continet artem: perfecta imago,quia perfecto exemplari congruit,&c. Quo loco innuit Aristoteles,superiora illa esse perfecta per se primò,hæc verò per illa: tametsi multa sunt,quæ alia & alia ratione vtroque modo perfecta dici possint.

## ΚΕΦ. ΙΖ'.

Text. 22.

Π Ε'ρας a λέγεται τὸ ἔσχατον ἑκάστου: καὶ ὃ b ἐξω μηδὲν ἔστι λαβεῖν *πρῶτον καὶ ὃ εἰσω πάντα πρῶτον καὶ c ὃ ἀρῇ εἶδος μεγέθους, ἢ ἔχον τοῦτο μέγεθος, καὶ d τὸ τέλος ἑκάστου: τοιοῦτον δ' ἐφ' ὃ ἡ κίνησις καὶ ἡ πρᾶξις, καὶ ὅπου ἀφ' οὗ: ὅτὲ δὲ ἄμφω, καὶ ἀφ' οὗ, καὶ ἐφ' ὅ. καὶ τὸ οὗ

*πρώτου

## *CAPITIS DECIMISEXTI EXPLANATIO.*

Terminvs a *dicitur.*] Explicat quot modis dicatur terminus, cuius significatio cõiuncta est cum significatione perfecti,traditque sex termini significata. Vnũ generale ac analogicum,& quinque specialia. Generale describitur vniuscuiusque vltimum. Specialia verò sunt terminus quantitatis continuæ,forma magnitudinis,aut habentis magnitudinem,terminus motus &actionis,causa finalis,& essentia,siue quidditas rei,quatenus quidditatiua definitione explicatur.

b *Extra quod.*] Quidam pro,*primùm*,& Græcè & Latinè legũt,*primi*,quæ lectio si vera est,verbũ ,*primi*, significat id,quod terminatũ est,vt sit sensus,terminum secũdo modo (quæ est prima specialis significatio) esse id extra, siue vltra quod nihil est reiterminatę,&intra,siue circa quod omnia illius cõtinẽtur: intellige autẽ nomine omniũ partes rei terminatę: terminus enim ipsenõ contine

Auenroës Alensis,& alii in eum locũ.



continetur intra se: cùm tamen sit aliquid rei terminatæ,& in ipsa inhæreat, nisi extrinsecus terminet. Verùm, quia ex hac descriptione sequitur, quiddam falsum,nempe orbem Solis esse terminum mundi elementaris, quòd nullum elementum extra illum sit, & omnia intra illum contineantur, aut subaudiendum est verbum *immediatè*,vt nonnumquam fit,quo pacto non Solis,sed Lunæ orbis, seu potius concaua huius superficies, & conuexa ignis erunt termini elementaris mundi: aut potius amplectenda est nostra lectio, quam sequitur Alexander,& optimi quique interpretes, vt sensus sit,terminum id esse, vltra quod nulla pars rei terminatæ primùm accipi potest, & citra quod omnes primùm continentur: hoc pacto nulla subaudita particula excludes orbem Solis à ratione termini elementaris mundi, & cætera omnia, quæ non sunt termini quantitatis continuæ. Nam etsi extra orbem Solis nullum est elementum,& omnia elementa intra illum continentur: nõ tamẽ hæc exclusio & inclusio primùm cernitur in orbe Solis, cùm prius inueniatur in cœlis inferioribus, primùm autem in superficie conuexa ignis. Præterea etsi caput,manus, & pedes vt cumque dicantur termini humani corporis non sunt tamen verè termini, quia nec primùm extra partes illas nihil inuenitur humani corporis, cùm eam exclusionem primum faciant superficies earum partium, neque intra illas contineantur partes omnes, tantùm abest, vt primum intra illas contineantur. Dixi, *quantitatis continuæ*,quia hæc termini explicatio nec primis,nec vltimis vnitatibus numerorum conuenit. Neque enim intra extremas vnitates numerorum continentur omnes eorum partes, cùm & ipsæ extremæ in eorum quoque partibus numerentur. Itaque soli puncto, lineæ, superficiei, instanti, & mutato esse definitio conuenire potest. Atque hæc est Alexandri sententia,nisi quod ait hanc rationem termini non accommodari, nisi terminis magnitudinum quod nobis non probatur.

*sed iam in extremo est. Hac de caussa mors per translationem finis dicitur, quòd vtrumque sit extremum: at finis illud quoque extremum est, cuius gratia aliquid fit. Quæ igitur per se dicuntur perfecta, his modis dicuntur: alia quidem, quia nec eis quicquam deest, quod ad bene habendi rationem spectet, neque in vnoquoque genere superantur, neque aliquid est extra. Cætera verò per hæc iam ipsa dicuntur perfecta, quod tale aliquid aut faciant, aut habcant, aut alicui talium accommodentur, aut aliquo modo ex iis, quæ primò dicuntur, perfecta appellentur.*

## *CAP. XVII.*

Text. 22.

Terminvs a *dicitur vniuscuiusque vltimum & extra* b *quod nihil primum accipi potest, & intra quod omnia continentur primùm. Et* c *quicquid est forma magnitudinis, aut magnitudinem habentis. Et* d *vniuscuiusque finis: quale est id, ad quod motus & actio proficiscuntur,non item id, à quo: tametsi interdum vtrumque, & id, à quo, & id, ad quod, termini appellantur.*

Hoc loco.

Id

c *Et quicquid est forma*] Cùm forma,siue ea sumatur pro specie externa rerum naturalium quæ pulchram & turpem complectitur,siue pro ipsa figura, quæ sequitur quamlibet magnitudinem (etiam mathematicam) termino aut terminis clausam,sit posterior terminis talium siue substantiarum, siue magnitudinum in proxima termini significatione comprehensis, & tamen suo modo terminet: necesse fuit,vt ex ea illud genus termini constitueretur.

d *Et vniuscuiusque finis.*] Finis hoc loco non sumitur pro caussa finali,quę ad

se quentem

sequentem significationem pertinet, sed pro termino motus, vt motus est, hoc est, successiua acquisitio & omnino cuiuscumque actionis: versatur enim omnis actio circa aliquem terminum. Addit autem Aristoteles in hoc genere non comprehendi id, à quo motus & actio proficiscitur (tametsi nonnumquam id vocamus terminum, vt cum dicimus, omnem motum esse inter duos terminos) vel quia non omnis actio habet terminum, à quo, sed ea tantùm, quæ est motus vel mutatio, vt illud, *non item id, à quo*, idem valeat, quod, *non item vniuersè id, à quo*, quod verba sequentia mox declarant, vel quia terminus à quo, vt talis est, non habet ratio nem termini propriè dicti, sed principij, nisi sumatur, vt in eo desinit consultatio, quod Alexander annotauit: in eo enim finitur consultatio, à quo actio inchoãda est: non negamus tamen principium motus esse propriè terminum motus, quatenus motus, est quãtitas quędam, siue quatenus in eo peculiaris quædam ratio quantitatis cernitur: quemadmodũ nec negamus, principium temporis esse propriè terminum temporis: quod intellige iuxta superiorem termini significationem.

*Essentia rei & quidditas cur terminus nuncupetur.*

e *Et substantia ac quidditas.*] Quia cognitio rerum apud nos ab externis accidentibus incipit, & terminatur ad ipsam essentiam, non simplici tantùm conceptu apprehensam, sed in sua genera & differentias distinctam: iccirco quidditas rei, qua tenus definitione explicatur, dicitur terminus: sed & ipsa essentialis definitio eadem termini significatione comprehenditur, vt apud Arist. 1. Topic. ca. 4. tametsi facta etiam translatione à terminis agrorum, ideo definitio, terminus appellari possit, quia rem definitam, quibusdam quasi limitibus circumscribit.

οὗ ἕνεκα. καὶ ἡ c οὐσία ἑκάστου ἡ τὸ τί ἦν εἶναι ἑκάστῳ. τῆς γνώσεως γὰρ τοῦτο πέρας: εἰ δὲ τῆς γνώσεως, καὶ τῶν πραγμάτων. ὡς τε φανερὸν, ὅτι ὅσαχῶς τε ἡ ἀρχὴ λέγεται, τοσαυταχῶς καὶ τὸ πέρας. καὶ ἔτι πλεοναχῶς. ἡ μὲν γὰρ ἀρχὴ, πέρας τι, τὸ δὲ πέρας, οὐ πᾶν ἀρχή. *Hoc loco.*

## ΚΕΦ. ΙΗ.

Τὸ καθ' ὃ λέγεται πολλαχῶς. ἕνα μὲν τρόπον, τὸ εἶδος καὶ ἡ οὐσία ἑκάστου πράγματος: οἷον, καθὸ ἀγαθὸς: αὐτὸ ἀγαθόν. ἕνα δὲ, ἐν ᾧ πρώτῳ πέφυκε γίνεσθαι, οἷον τὸ χρῶμα ἰῷ ἐπιφανείᾳ. τὸ μὲν οὖν πρώτως λεγόμενον καθὸ, τὸ εἶδός ἐστι: δευτέρως δὲ, ὡς ἡ ὕλη ἑκάστου, καὶ τὸ ὑποκείμενον ἑκάστῳ πρῶτον. ὅλως δὲ τὸ καθὸ ἰσαχῶς, καὶ τὸ αἴτιον ὑπάρξει. κατὰ b τί γὰρ ἐλήλυθεν, ἢ, οὗ ἕνεκα ἐλήλυθε, λέγεται: ἢ κατὰ τί παραλελόγισαι ἢ συλλελόγισαι, ἢ, ὅτι τὸ αἴτιον τῶν συλλογισμῶν ἢ παραλογισμοῦ. ἔτι τὸ καθὸ, τὸ κατὰ θέσιν λέγεται. καθὸ ἑστηκεν. ἢ καθὸ βαδίζει: πάντα γὰρ ταῦτα θέσιν σημαίνει ἢ τόπον. ὡς τε c ἢ τὸ καθ' αὑτὸ, πολλαχῶς ἀναγκη λέγεσθαι. ἐν μὲν γὰρ καθ' αὑτὸ, τὸ τί ἦν εἶναι ἑκάστῳ, οἷον ὁ Καλλίας, ἢ τὸ τί ἦν εἶναι Καλλίᾳ. ἐν δὲ, ὅσα ἐν τῷ τί ἐστιν *Text. 23.*

f *Quod si cognitionis.*] Ratio huius consequentiæ est, quia vbi desinit cognitio rei, ibi & res desinit: alioqui nondum esset rei cognitio expleta. Loquitur autem hic Aristoteles de re, vt complectitur accidẽtia omnia, quæ essentiam sequuntur, & de cognitione, quæ fit à posteriori: alioqui potius dicendum foret, quidditatem rei esse principium, accidentia verò terminos tum cognitionis, tum etiam rei.

g *Perspicuum est igitur.*] Docet latius patere nomẽ termini, quàm principiũ. Nam



Nam etsi omnia principia possunt dici termini, etiam ipsum agens & patiẽs, materiáue (sunt enim externi quidam termini, inter quos actio exercetur) non tamen omnes termini dicuntur principia: quod vel in morte ipsa perspicuum est, quæ ita dicitur terminus, vt principium dici non possit, nisi per accidens: quo pacto Sanctorum obitus, natalitia eorum dicuntur propter coniunctionem cum principio sempiternæ vitæ ipsorum futuræ. *Sanctorũ obitus natalitia cur dicatur.*

## CAPITIS DECIMIOCTAVI EXPLANATIO.

*Id etiam, cuius gratia. Et c substantia, ac quidditas cuiusque rei: est enim terminus cognitionis: quod f si cognitionis, & rei quoque. Perspicuum g est igitur: quot modis principium dicitur, tot etiam modis dici terminum, atque adeo pluribus. Est enim principium terminus quidam: at non omnis terminus principium.*

## CAP. XVIII.

*Tex. 23.* SECVNDVM *a quod siue quo, multis modis dicitur: Vno quidem, forma & substantia cuiusque rei. Verbi caussa. Quid est id, quod bonus est bonus: ipsum bonum. Alio verò id, in quo primo aliquid aptum est fieri, vt in superficie color. Itaque id, quo aliquid primo dicitur, forma est: secundo autem loco quod est vt materia cuiusque, & subiectum cuique primum. Atque omnino id, quo tot modis conuenit, quot caussa. Qua b enim ratione venit, aut cuius gratia venit, dicitur: & quo quis vitiosam bonámve ratiocinationem concluſit, aut, quæ bonæ vitiosæve ratiocinationis caussa fuit. Præterea secundum quod situm designat: vt secundum, siue iuxta quid stetit, aut ambulat: hæc enim omnia situm locúmque significant. Quare c & secundum se, siue per se multis modis dicatur necesse est. Vnum enim eorum, quæ per se dicuntur, est cuiusque rei quidditas, veluti Callias, &*

Secundum a *quod siue quo.*] Explicat quot modis vsurpentur hæc verba, *secundum quod*, siue, vt Latini ferè dicunt, *quo*, traditque earum quatuor significationes. Vnam, quatenus accommodantur formæ: atque hæc est omnium prima & præcipua. Alteram, quatenus propriæ materiæ, primóve susceptiuo naturali. Tertiam, vt accommódantur cuique caussę. Quartam, qua ratione certum situm, locúmve designaui: quo pacto dicimus aliquẽ stare, aut incedere secundum Regẽ, seu quod in hac significatione idem est) iuxta Regem.

b *Qua enim ratione.* Quasi dicat, nihil enim interest ad significãdã caussã finalẽ, siue dicas κατὰ τί ἐλήλυθεν, hoc est, qua ratione venerit: ad significandam verò efficiẽtem, perinde est dicere, qua sumptione quis bene aut vitiosè ratiocinatus sit, ac si dicas, quænam bonæ aut vitiosæ ratiocinationis caussa efficiens fuerit.

c *Quare & secundum se.*] Exponit quot modis vsurpari soleant verba *secundũ se* (quod idẽ est) per se, traditque sex eorũ significata. Vnum est, quatenus accommodãtur definitioni respectu rerũ, quibus cõuenit: vt si dicas, Callias est per se animal rationale. Alterũ, quatenus parti definitionis, vt cùm dicimus, Callias est per se animal. Tertiũ, qua ratione vsurpãtur accidẽtia cõparatione proprij susceptiui, aut alicuius partis illius: per quã toti cõueniat: quo pacto

superficies dicitur per se alba. Quartum, vt adaptantur propositionibus immediatis, quarum nulla est caussa: quo pacto homo per se, & non per causſam vllam est homo: tametsi ipse multas causſas habeat etiam internas: vt naturam sui generis, quæ est velut materia, & naturam differentiæ generi adiunctæ, quæ est quasi forma. Quintum, vt conueniunt attributo, quod soli alicui conuenit, quatenus soli conuenit, vt definitioni respectu adæquati definiti: tametsi alia ratione ea attributio ad primam vsurpationē pertineat. Et quoniam hic quintus modus ex solitudine, vt ita dicam prædicādi sumitur, addit Aristoteles sextum, qui desumi potest ex solitudine existendi, qua id dicimus existere per se, quod seperatim & solitariè, hoc est, non in subiecto existit: quo pacto negamus accidentia esse entia per se, substātias autem affirmamus.

Colligit autem Aristoteles multiplicitatē verborum, *secundum se*, siue, *per se*, ex multiplicitate verborum, *secundum quod*, quia multa membra vtriusque distinctionis sunt eadē inter se, nisi quòd in eis verba, *secundum se*, explicitè declarāt id, quod verba, *secundum quod*, implicitè significant. Quo autem pacto hæ vsurpationes verborum per se conueniant cum iis, quæ traditæ sunt priori libro de Posteriori resolutione, non est difficile intelligere. Prima enim & secunda comprehenduntur in prima eo loco tradita: tertia verò latius patet, quàm ibi secunda: cùm complectatur pronunciata non necessaria, potestque ad eam reduci tertia illius loci: quarta deinde & quinta non sunt eo loco propositæ saltem sub ea formā qua hic traduntur: denique sexta eadem est, atque ibi quarta. Itaque latius hoc loco, quàm illo vsurpatio horum verborum traditur.

ὅτιν ὑπάρχῃ. οἷον ζῶον ὁ Καλλίας καθ' αὑτὸ· ὃν γὰρ τῷ λόγῳ ὑπάρχῃ τὸ ζῶον· ζῶον γάρ τι ὁ Καλλίας, ἔτι δὲ εἰ ὂν τῷ αὐτῷ δέδεκται πρῶτον, ἢ τῶν αὐτῷ τινι· οἷον ἡ ἐπιφάνεια λευκὴ καθ' αὑτὴν· καὶ ζῶον ὁ ἄνθρωπος, καθ' αὐτόν· ἡ γὰρ ψυχὴ μέρος τι τῦ ἀνθρώπου ἐν ᾗ πρώτῃ τὸ ζῆν. ἔτι οὗ μή ἐστιν ἄλλο ἐν τι αἴτιον τῦ ἀνθρώπου πολλὰ αἴτια, τὸ ζῶον, τὸ δίπουν· ἀλλ' ὅμως καθ' αὑτὸν ὁ ἄνθρωπος, ἄνθρωπός ἐστι. ἔτι, ὅσα μόνῳ ὑπάρχῃ, καὶ ᾗ μόνῳ· διὸ τὸ κεχωρισμένον, καθαυτό.

## CAPITIS DECIMINONI EXPLANATIO.

DISPOSITIO a *dicitur ordo.*] Exponit simul, quid, & quotuplex sit dispositio, atque dispositionem esse ordinem habētis partes: siue is ordo spectetur secūdum locum, vt in exercitu, cuius alia pars est anterior, alia posterior, alia dextera, alia læua: & in domo, cuius tectum est in supremo loco, fundamentum in infimo, parietes in medio: siue secundum virtutē, vt in arte Dialectica, cuius prima pars virtutis cōsistit in diuidēdo, secūda in definiendo, tertia in colligēdo. & huius prior in inueniendo, posterior in iudicādo: & in prudentia, cuius prima pars pertinet ad consultationē, secunda ad iudiciū, tertia ad imperium: siue secundum formam, hoc est, figuram, vt in statua, & omnino

## CAPVT XIX.

*Dispositio a dicitur ordo habentis partes, aut loco, aut potentia, aut forma. Necesse b est enim vt sit quædam positio, quemadmodum & ipsum dispositionis nomen significat.*

## CAP. XX.

*HABITVS a vno modo dicitur vt actus quidam habentis & habiti, perinde*



omnino in quauis quantitate continua permanente, cuius aliæ partes sunt extra alias, & cum aliis simul existunt in eodem toto: quem ordinem Aristoteles in Prædicamentis appellauit situm partium in toto. Vnde patet, nec ordinem partium temporis, nec orationi, nec essentiæ, cuiusmodi sunt materia & forma, genus & differentia esse dispositionem, nisi per transiationem. Patet etiam, primum genus earum dispositionum, quas Aristoteles hic innuit, pertinere ad prædicamentum situs, secundum ad prædicamentum qualitatis, tertium ad prædicamentum quantitatis: est enim ordo partium in toto differentia quædam constituens magnitudinem, vt in Prædicamentis diximus.

*Cap. de Quālitate.*

*& Callię quidditas. Alterum id omne, quod in quidditate inest: quo pacto Callias per se animal est: in ratione enim illius animal inest. cùm Callias quoddam sit animal. Præterea si quid in seipso susceptum primo, aut in aliquo sui: quo pacto superficies per se est alba, & homo per se viuens, quandoquidem anima pars quædam est hominis, in qua primò inest vita. Præterea id, cuius nulla causſa est alia. Nam etsi hominis multæ sunt causſæ, vt animal, vt bipes: homo tamen per seipsum homo est. Ad hæc quæcumque soli, atque vt soli insunt: quo fit, vt per se sit, quod separatum est.*

Text. 24.

Διάθεσις λέγεται τῦ ἔχοντος μέρη τάξις. ἢ κατὰ τόπον, ἢ κατὰ δύναμιν, ἢ κατ' εἶδος. θέσιν δὲ δεῖ τινα εἶναι, ὥσπερ καὶ τὸ ὄνομα δηλοῖ ἡ διάθεσις.

Text. 25.

Ἕξις λέγεται ἕνα μὲν τρόπον οἷον ἐνέργειά τις τοῦ ἔχοντος, καὶ ἐκομένου, ὥσπερ

C. 4. tex. 9.

Et in hoc libro c. 13. q. 1. sect. 3. & 4.

b *Necesse est enim.*] Probat meritò se dixisse, dispositionem esse ordinem habentis partes: dispositio enim ex vi nominis est multorum positio: positio autem multorum, est ordo eorum quę posita sunt. Quòd si quis obiiciat, ordinem esse relationem, dispositionem verò non significare relationem, sed aliquid pertinens ad prædicamentum quantitatis, aut qualitatis, aut situs, vt dictum est: occurrendum erit, dispositionem, ex vi quidē nominis relationem significare: at ex vsu Philosophorum sæpè accipi pro ente absoluto, cui coniuncta est huiusmodi relatio. Ex qua re fit, vt cùm dispositio hoc loco dicitur ordo, non in sensu formali, sed causſali (quod fieri solet) id accipiendum sit. Fit etiam ex dictis, vt si quæ sunt qualitates, quæ nullas partes habeant earum, quæ dictæ sunt, vt verba mentis, & species intelligibiles, non dicantur dispositiones ex ordine partium, sed ex eo quod bene aut malè afficiunt subiectum: in iis enim, quæ partes habent, primò obseruatum est, quòd benè vel malè afficiant subiecta. Nam cùm partes aliter ac aliter ordinari possunt, si certo quodam modo ordinētur, bene se habet res, si opposito, malè: vt patet in exercitu, domo, complexione humorum, in artibus, scientiis, & similibus.

## CAP. XX. EXPLANATIO.

HABITVS a *vno modo.*] Agit de multiplicitate habitus, docétq; tribus modis habitū vsurpari. Vno pro ipsa, vt ita dicā, habitione alterius rei, hoc est, pro ipso actu habēdi aliquid: quo pacto indutū esse, calceatū, pileatum, & huiusmodi alia dicūtur habitus quidā. Alio pro dispositione, qua aliquid bene aut malè affectū est: siue per se ipsum, hoc est, nulla habita ratione alterius: quo pacto sanitas & pulchritudo sūt boni habitus corporis, morbus autē & fœditas mali: siue quatenus ad aliquid aliud referun: quo pacto scię-

*Habitus tribus modis dicitur.*

tiæ & virtutes sunt boni habitus mentis, errores autem & vitia, mali. Tertio pro quauis parte dispositionis secundo modo dictę, vt pro bona aut mala dispositione oculi aut pedis, quæ est pars bonæ aut malæ dispositionis totius corporis: quamquam interdum eæ partes dispositionum sunt integræ, & non partes aliarum, vt sanitas linguæ in eo, qui toto reliquo corpore laborat.

b *Perinde atque.*] Docet, habitum primo modo sumptum eodem pacto esse medium inter rem, quæ habet, & eam, quæ habetur; quo actio est media inter id, quod agit, & id, quod agitur, seu efficitur. Nã, vt ab actione alterum dicitur agens, alterum actum seu effectum: ita ab actu habendi, alterum dicitur habens, alterum habitum, vt patet in homine & veste, si ea sit indutus: nisi quod in hoc genere, quatenus pertinet ad prædicamentũ Habendi, id quod se habet vt patiens, significari solet verbo actiuæ vocis: id autem verbo passiuæ, quod se habet vt agens. Nam etsi homo indutus quodammodo patitur à veste, & vestis quodammodo agit: tamen homo dicitur habere vestem, vestis autem haberi. Dixi, *quatenus pertinet ad prædicamentum Habendi*, quia non video cur nomine habitus, vt in prima huius capitis parte explicatur, non comprehendantur actus habendi ad alia prædicamenta pertinentes: vt is, quo Rex habet regnum, & fons aquam, & dolium vinum, & locus locatum: qui tamen actus denominant actiuè ea, quo se habent vt agentia; passiuè autem, quæ vt patientia: siquidem illa dicuntur habentia hæc habita.

ωερ b πρᾶξίς τις, ἡ κίνησις. ὅταν γὰρ τὸ μὲν ποιῇ. τὸ δὲ ποιῆται, ἐστι ποίησις μεταξὺ, οὕτω καὶ τὸ ἔχον ⊙ ἐσθῆτα, καὶ τῇ ἐχομένης ἐσθῆτ ⊙, ἐστι μεταξὺ ἕξις ταύτῃ c μὲν δὴ φανερὸν ὅτι οὐκ ἐνδέχεται ἕξιν τινὶ εἶναι. εἰς ἄπειρον γὰρ βαδιεῖται, εἰ τὸ ἐχομένῳ ἔσται ἕξιν τινὶ ἕξις. ἄλλον d δὲ τρόπον ἕξις λέγεται διάθεσις, καθ' ἣν εὖ, ἢ κακῶς διάκειται τὸ διακείμενον, ἢ καθ' αὑτὸ ἢ πρὸς ἄλλο, οἷον ἡ ὑγεία ἕξις τις· διάθεσις γάρ ἐστι τοιαύτη. ἔτι ἕξις e λέγεται, ἂν ᾖ μόριον διαθέσεως τοιαύτης. διὸ καὶ τῶν μερῶν ἀρετὴ, ἕξις τίς ἐστι.

Illud porro animaduertendum est, etsi ex actione, quatenus est actio, & quatenus est motus, hoc est, passio (sic enim rectè exponit nomen motus hoc loco D. Thomas) duo constituantur prædicamenta: nõ tamen id fieri ex actu habendi, qui est medius inter id, quod habet, & id, quod habetur. Nam prædicamentum Habendi ex passiuo habendi actu actiuè significato cõstituitur: actus autem habendi actiuus passiuè significatus nullũ constituit prædicamentum, vt patet ex iis, quæ ad caput 15. dicta sunt. Siquis autem ex similitudine actionis & passionis, qua hic vtitur Aristoteles inferre pergat quemadmodum passio inhæret in patiente, ita actum habendi vestem inhærere homini, qui veste indutus est: concedendũ id erit, modo nomine talis actus intelligat ipsam vestem, vt circumpositam (quo pacto vestis est quodammodo media inter se simpliciter sumptam, & hominem vestitũ) nec putet, omnem passionem verè inhærere in patientibus, sed multa esse, quæ se habent per modum inhærentium, vt ibidem diximus.

*Lect. 20.*

*Quæst. 7. vide etiam quæ dicta sunt c. 7. q. 2. sect. 4.*

c *Quo pacto fieri.*] Vt actio non fit per aliam actionem, nec relatio refertur per relationem: sic habitus siue actus habendi non habetur per alium habendi actum: alioqui idem dicendum esset de illo, & eadem ratione de alio atque alio in infinitum.

d *Alio modo dicitur habitus.*] Habitus in hac significatione sumptus nõ adstringitur

## ΚΕΦ. ΚΑ'.

Tex. 26. Π ΑΘ᾽ μὲν λέγεται, ἕνα μὲν τρόπον ποιότης καθ᾽ ἣν ἀλλοιοῦσθαι ἐνδέχεται, οἷον τὸ λευκὸν, ἢ τὸ μέλαν, ἢ τὸ γλυκὺ, ἢ τὸ πικρὸν, καὶ

*Tex. 26.*

gitur ad eos, qui difficilè remoueri possunt à subiecto: cùm comprehendat omnes dispositiones, quibus aliquid bene aut malè afficitur. Quò fit, vt videatur sumi iuxta originem vocabuli: dictus est enim habitus ex eo, quod res affecta, bene aut male habeat. Itaque cùm dispositio, quatenus est qualitas, duobus modis accipiatur, vt dictum est in Prædicamentis, vno quatenus opponitur habitui oppositione facilè & difficilè mobilis, altero quatenus est genus vtriusque, hoc est, quatenus ea sola ratione spectatur, qua bene aut male subiectum afficit: nomen habitus hoc loco idem significat, quod dispositio posteriori modo sumpta. Neque obstat quod definiatur per dispositionem: latius enim sumitur hoc loco dispositio, quàm vt est qualitas: siquidem non aliter sumitur, quàm qua ratione superiori capite explicata fuit.

*Habitus etymologiæ.*

*De hoc lib. cap. 14. q. 2. sect. 2.*

b *atque actio quædam, aut motus. Nam cùm alterum efficit, alterum efficitur, effectio est media: sic inter eum, qui vestem habet, & vestem, quæ habetur, medius est habitus. Quod* c *igitur fieri non possit, vt hic habitus habeatur, perspicuum est: in infinitum enim procedetur, si rei habitæ habitus haberi posset. Alio* d *modo dicitur habitus dispositio, qua id, quod afficitur, bene aut male afficitur, idq; aut per seipsum, aut ad aliud: quo pacto sanitas est quidam habitus: est enim talis dispositio. Dicitur* e *quoque habitus, si sit huiusmodi dispositionis pars: quo fit, vt etiam virtus partium habitus sit quidam.*

## CAP. XXIV.

Tex. 26. PASSIO *dicitur vno quidem modo qualitas, qua res alterari possunt, vt album, nigrum, dulce, amarum, grauitas, leuitas, & quæuis*

Sed cùm omnis dispositio videatur bene aut malè afficere subiectũ, quærat aliquis cur non potius dictum est, qua res afficitur, detractis illis verbis, *bene vel male*. Cui dubitationi occurrẽdum est, etsi omnis dispositio, quę est qualitas, bene aut male afficiat subiectum: tamen, quatenus pertinet ad prędicamentum quantitatis, non spectari in ea illud bene aut male. Linea v. g. non melius habet, si partes hoc modo dispositæ sint, quàm si alio quouis: id quod in prædicamentorum Situs plerumque accidit, vt patet in situ globi, aut tesseræ. Quod si quis obiiciat, isto modo, stationem, sessionem & alios situs naturales & oppositos esse quosdam habitus, eo quod benè aut malè afficiant subiecta: negandum id est: Situs enim non afficit rem, id est, non significat quicquam absolutum, quod in ea inhæreat: quo tamen pacto afficiendi verbum hoc loco intelligendum est.

*Tex. 24. Quare in definitione habitus bene vel male addatur.*

e *Dicitur quoque habitus.*] Hoc pacto, quemadmodum partes artium & scientiarum sæpe dicuntur artes & scientiæ (quamdam enim partem Dialecticæ vocamus artem diuidendi, aliam definiendi, aliam concludendi, alteram resolutoriam, alteram topicam: itémque aliam partem Philosophiæ naturalis appellamus scientiam de principiis, aliam de cœlo, aliam de anima, vt ipse etiam Aristoteles eam vocat) sic possunt appellari habitus: tametsi ij, qui putant scientias & artes esse simplices qualitates, non id concedunt in plurali numero: quamuis enim concedant, scientiam de anima esse habitum, itémque scientiam de cœlo: non tamen admittunt, scientiam de cœlo, & scientiam de anima esse plures habitus: id quod nobis eur non probetur, dicemus sexto libro.

## *CAPITIS VIGESIMI PRIMI EXPLANATIO.*

Ca. 3. tex. 21 PASSIO *dicitur.*] Exponit quot modis dicatur passio, affértque quatuor huius nominis significata. Primum pro qualitatibus, quibus res al-

terantur: atque hæ omnes ad tertiam qualitatis ſpeciem pertinent, vt patet ex ſeptimo Phyſicorũ: & cùm difficilè amoueantur à ſubiectis, dicuntur patibiles qualitates, vt patet ex Prædicamentis. Secundum pro quauis actione, quatenus ad prædicamentum paſſionis pertinet, præſertim ſi ſit alteratio. Tertium pro iis alterationibus & motibus, quibus infertur nocumentum ſubiecto: potiſſimum verò pro iis, quæ non modo lædunt, ſed etiam moleſtia aut dolore afficiunt. Motus enim, quo ſubſtantia perfruitur, vt quo res augetur, aut natiuum & germanum calorem recuperat, aut in naturalem locum mouetur, non admodum propriè dicitur paſſio, quia nõ lædit, ſed perficit. Multi etiã ſunt motus, qui etſi lædunt: non tamen vulgato ſermone dicuntur paſſiones, quia iucundi ſunt, aut ſaltem non moleſti: vt nimius riſus, nimia ſaltatio, & alia id genus. Quartum pro magnitudinibus calamitatum & rerum triſtium: quo paſſionum genere pati dicuntur, qui orbantur filiis, aut pelluntur patria, aut de magno aliquo dignitatis gradu deiiciuntur. Viri enim fortes & ſtrenui non ducunt in paſſionibus eos motus, qui parum lædunt, aut parum afferũt moleſtiæ, ſed eos, qui inſigne aliquod nocumentum inferunt, nec ſine magno dolore, ſiue corporis, ſiue animi perferri poſſunt. Auenrois ineptè intelligit hoc loco nomine paſſionum primi generis potentias, quæ ad ſecundum genus qualitatis pertinent.

καὶ βαρύτης, καὶ κουφότης, καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα. ἕνα δὲ, αἵ ἐστιν ἐνέργειαι, καὶ ἀλλοιώσεις ἤδη, ἔτι τούτων μᾶλλον αἱ βλαβεραὶ ἀλλοιώσεις, καὶ κινήσεις, καὶ μάλιστα αἱ λυπηραὶ καὶ αἱ βλαβεραί. ἔτι τὰ μεγέθη τῶν συμφορῶν καὶ λυπηρῶν, πάθη λέγεται.

## ΚΕΦ. ΚΒ'.

Στέρησις a λέγεται ἕνα μὲν τρόπον ἂν μὴ ἔχῃ τι ζῶν πεφυκότων ἔχειν. κἂν μὴ αὐτὸ ᾖ πεφυκὸς ἔχειν: οἷον, φυτὸν δμμάτων ἐστερῆσθαι λέγεται. ἕνα δὲ, ἂν πεφυκὸς ἔχειν, ἢ αὐτὸ ἢ τὸ γένος, μὴ ἔχῃ: οἷον, ἄλλως ἄνθρωπος ὁ τυφλὸς ὄψεως ἐστέρηται, καὶ ὁ ἀπάλαξ: τὸ μὲν κατὰ γένος, τὸ δὲ καθ' αὑτό ἔτι ἂν πεφυκὼς, κἂν ὁτιοῦν πέφυκεν ἔχειν μὴ ἔχῃ. ἡ δὲ τυφλότης στέρησίς τις: τυφλὸς δὲ οὐ κατὰ πᾶσαν, ἡλικίαν, ἀλλ' ἐν ᾗ πέφυκεν ἔχειν, ἂν μὴ ἔχῃ. ὁμοίως δὲ καὶ ὧν b ὧν ἂρ ᾖ, καὶ καθ' c ὅ, καὶ πρὸς d ὃ, καὶ e ὡς, ἂν μὴ ἔχῃ πεφυκός. ἔτι ἡ βιαία ἑκάστου ἀφαίρησις, στέρησις λέγεται καὶ ὅσα χῶς δὲ αἱ ἀπὸ τοῦ ἀποφάσεις λέγονται, τοσαυταχῶς καὶ αἱ στερήσεις λέγονται, ἄνισον μὲν γὰρ, τῷ μὴ ἔχειν ἰσότητα πεφυκὸς λέγεται ἀόρατον δὲ, καὶ τῷ ὅλως μὴ ἔχειν χρῶμα, καὶ τῷ φαύλως. καὶ ἄπουν καὶ τῷ μὴ ἔχειν ὅλως πόδας. καὶ τῷ φαύλους. ἔτι καὶ τὸ μικρὸν ἔχειν: οἷον τὸ ἀπύρηνον. τοῦτο δ' ἐστὶ, τὸ φαύλως πως ἔχειν. ἔτι τῷ μὲν ῥᾳδίως, καὶ τῷ μὴ καλῶς οἷον τὸ ἀτμῆσαι, οὐ μόνον τῷ μὴ τεμεῖν, ἀλλὰ καὶ τῷ μὴ ῥᾳδίως, καὶ τῷ μὴ καλῶς. ἔτι, τῷ πάντη μὴ ἔχειν. τυφλὸς γὰρ οὐ λέγεται ἑτερόφθαλμος, ἀλλ' ὃ οὐ ἀμφοῖν μὴ ἔχον ὄψιν, διὸ ζ οὐ πᾶς ἀγαθὸς, ἢ κακὸς ἢ δίκαιος ἢ ἄδικος, ἀλλὰ καὶ τὸ μεταξύ.

ΚΕΦ.

Τex.27.

comm.26. loco nomine paſſionum primi generis potentias, quæ ad ſecundum genus qualitatis pertinent.

## CAPITIS XXII. EXPLANATIO.

P *Rivatio a dicitur.*] Tradit quot modis dicatur priuatio, habita ratione tum rerum, tũ etiam verbo



*& quæuis alia huiuſmodi. Alio modo horum actiones, idemque alterationes. Itémque horum magis eæ alterationes, & motiones, quæ nocumentum afferunt, potiſſimum verò eæ, quæ & moleſtæ ſunt, & lædunt. Ad hæc calamitatum, & rerum triſtium magnitudines paſſiones appellantur.*

## CAP. XXII.

Τex.26. P *Riuatio a dicitur vno quidem modo ſi res aliquid non habeat eorum, quæ apta ſunt vt habeantur, & ſi ipſa non ſit apta, vt illud habeat: quo pacto planta dicitur oculis priuata. Alio verò ſi non habeat, quod vel ipſa, vel genus eius natura habere poteſt: qua ratione aliter homo cœcus priuatus eſt aſpectu, aliter talpa: hæc ratione generis, ille per ſeipſum. Alia ſi & apta ſit, vt habeat: eo autem tempore non habeat, quo natura habere potuit. Cœcitas enim, priuatio quædam eſt, cœcus autem non omni ætate dicitur, ſed ſi aſpectum non habeat, in qua, vt haberet, idoneus erat. Eadem ratio eſt, ſi aliquid non habeat, b quo, per c quod, ad d quod, & quo e modo vt haberet apta erat. Præterea, violenta eiuſque rei ablatio, priuatio dicitur. Ad hæc quot modis negationes ab In, aut ſimili particula inchoantur, tot modis dicuntur & priuationes ipſæ. Inæquale enim aliquid dicitur, quod non habeat æqualitatem, cùm aptum ſit, vt habeat. Inuiſibile, & quod omnino colorem non habeat, & quod vix habeat. Impes etiam, & quod planè non habeat pedes, & quod debiles. Item, quia id, quod habet, exiguum ſit, vt enucleatum. Atque hoc eſt, modo aliquo exiliter habere. Ad hæc, quia*

Τex.10. *non facile, aut non bene: quo pacto aliquid dicitur inſectibile, non ſolum quod non ſecetur, ſed etiam quòd non facilè, aut non bene. Præterea quia nulla in parte habeat: cœcus enim dicitur, non qui luſcus eſt, ſed qui in vtroque oculo aſpectu caret. Quapropter? f non quilibet bonus eſt, aut malus, iuſtus aut iniuſtus, ſed eſt etiam medium quid.*

CAP.

verborum, quæ adeò ſunt perſpicua, vt pauca explicare opus ſit.

b *In quo.*] Hæc verba referuntur ad locum: neque enim dicimus, noctem eſſe in profundiſſimis terræ cauernis, ad quas lumen penetrare non poteſt naturaliter.

c *Per quod.*] Hæc referuntur ad partem, aut potentiam: neminem enim ſurdum dicimus, quod oculis non audiat, aut appetendi vi non intelligat.

d *Ad quod.*] His verbis ſignificatur obiectum, & in ſumma omne id, ad quod res propoſita refertur: neque enim eum dicimus imperitum Medicum, qui careat cognitione rei militaris, ſed qui morbos curare neſciat, aut eum appellamus pupillum qui fratres nõ habeat, ſed qui parentes.

e *Et quomodo.*] Latè patet horum verborum ſignificatio: ex his enim intelligimus, nec cœcum eſſe eum, qui res à tergo poſitas, aut longiſſimè remotas, aut interiecto corpore opaco nõ videat, aut etiam non ita acutè cernat, vt aquila: nec priuatum currendi facultate, ſi non tanta celeritate currat, quanta equus.

f *Quapropter non quilibet.*] D. Thomas credit, hoc conſectarium inferri contra Stoicorum ſententiam, qui inter bonũ & iuſtum abſolutè ac perfectè, & omnino malum ac iniuſtum non agnoſcebant medium. Cùm enim crederent peccata omnia eſſe paria, quantumuis parua viderentur: vbi quis vel minimum quid à virtute deflexiſſet, neceſſe erat

erat fateri illum esse perfectè & absolutè malum. Aristoteles igitur ea ratione inuehitur in eos, quod quemadmodum inter perfectè cœcum & perfectè videntem medius est luscus: sic inter bonum ac iustum perfectè & absolutè, atque eum, qui perfectè est malus & iniustus, medius est is, qui nec perfectè bonus est, nec perfectè malus. Auentois credit Aristotelem significare his verbis, inter habitum & priuationem dari medium, quod non datur inter contradictoria: quod pronunciatum etsi verum est, & latè explicatur libro 10. non videtur tamen hoc loco ab Aristotele ex dictis colligi. *comm.27.*

## CAPITIS XXIII.

*Explanatio.*

HABERE a *multis modis.*] Tradit quattuor habẽdi modos: quorum primus est, quo id, quod dominatur rei, & illam agit, siue ducit ad id, ad quod ipsum habet propensionem, dicitur habere illam: siue id fiat per vim: siue naturali ductu rei, quæ ducitur: quo pacto & tyrannus, & verus Rex, ac pater patriæ dicuntur habere regnum, eo quòd alter vi quadam ducat subiectum sibi populum ad suum priuatum commodum alter naturali ductu populi ad bonũ communitatis: sic etiam febris dicitur habere ægrotum (præsertim cùm non remittitur) eo quod hominem vi quadam illata ad interitum disponat: & homo indutus habere vestem, quia illam ad naturalem vsum accõmodat, eámque quasi naturalem formam confert, dum eam induit: atque ad hunc modum pertinet habere seruum, vxorem, discipulum, pecunias, & huiusmodi alia.

## ΚΕΦ. ΚΓ'.

Ο ἔχειν λέγεται πολλαχῶς, ἕνα μὲν τρόπον τὸ ἄγειν τῇ τῶν αὐτῶ φύσιν, καὶ τῇ τῶν αὐτῶ ὁρμῇ· διὸ λέγεται πυρετὸς τὸν ἄνθρωπον ἔχειν, καὶ οἱ τύραννοι τὰς πόλεις, καὶ τὸν ἐσθῆτα οἱ ἀμπεχόμενοι. ἕνα δ' ὃν ᾧ ἄντι ὑπάρχοι ὡς δεκτικῷ· οἷον ὑδρωπικὸς ἔχει τὸ εἶδος τῶ ἀνδριάντος, καὶ τῇ νόσον τὸ σῶμα, ἕνα δ' ὡς τὸ περιέχον τὰ περιεχόμενα. ἐν ᾧ γάρ ἐστι περιεχόμενόν τι, ἔχεσθαι ὑπὸ τούτου λέγεται, οἷον τὸ ἀγγεῖον ἔχειν τὸ ὑγρὸν φαμὲν καὶ τὴν πόλιν ἀνθρώπους καὶ τὴν ναῦν ναύτας. οὕτω δὲ καὶ ὅλον ἔχειν τὰ μέρη. ἔτι δ τὸ κωλύον κινῆσαι τῇ αὐτῶ ὁρμῇ τι κινεῖσθαι, ἢ πρᾶξαι, ἔχειν λέγεται τοῦτο ἀυτὸ· οἷον κατέχουσι οἱ νόμοι τὰ ἐπικείμενα βάρη, καὶ ὡς οἱ ποιηταὶ τὸν Ατλαντα ποιοῦσι τὸν οὐρανὸν ἔχειν, ὡς συμπέσοι ἂν ἐπὶ τὴν γῆν, ὥσπερ τῶν φυσιολόγων τινές φασι. τοῦτον δὲ τὸν τρόπον καὶ τὸ συνέχον λέγεται· τὰ συνεχόμενα, ἔχειν, ὡς διαχωρισθέντα τῇ αὐτῶ ὁρμῇ ἠναγκάσθη. καὶ τὸ ἐν τινι δὲ εἶναι, ὁμοιοτρόπως λέγεται, καὶ ἐπεμένως τῷ ἔχειν. *Text. 21.*

b *Alio modo.*] Secundus modus habendi est oppositus primo. Quamquam enim Aristoteles his verbis eũ dumtaxat modum exprimit, quo subiectum habet accidens, & omnino materia formam, cuius est susceptiua: subaudiendus est tamen & ille, quo patiens habet agens, à quo patitur, vt populus Regem aut tyrannum: siquidem, vt res est subiecta accidenti, à quo accipit denominationem: sic quodammodo patiens est subiectum agenti, à quo accipit formam.

c *Alio item.*] Tertius modus perspicuus est, ad eúmque ea ratione reuocatur modus habendi partes: quia pars ita quodammodo est in toto, quo locatum in loco: nisi quod locatum est diuisum à loco, pars autem à toto non item, vt Auctor ait quarto Physicorum capite quarto.

d *Præterea id quod.*] Quartus hic modꝰ, quo id, quod alterũ impedit ne suopte nutu *Text.34.*



nutu & propensione moueatur aut agat dicitur habere, seu potius tenere illud potest nonnumquam concurrere cum primo, vt patet in dominatu tyranni, & domini. Differunt tamen ea consideratione, quod habens non consideratur in primo modo vt impediens actionem, aut motum rei, quæ habetur, quo pacto consideratur in quarto, sed vt ducens illam ad id, in quod ipsum intendit.

e *Vt quidam naturales Philosophi.*] Fuerunt ex veteribus Physicis, qui dicerent, cælum tanta celeritate, quantam intelligimus agitari circa terram, ne alioqui in terram ruat: quo pacto aqua vrcei pleni non decidit si celeri motu circumagatur, ore etiam vasis deorsum verso. Si ad hos alludit Aristoteles hoc loco (vt credit Alexander) subaudire oportet in fine periodi, *nisi prohiberetur*, putabant enim prohiberi, non quia teneretur ab Atlante, sed propter celerrimam circa terram vertiginem. Aliter potest etiam locus intelligi, vt nihil aliud significet Aristoteles, quàm fuisse naturales Philosophos, qui fabulæ Atlantis ea ratione fauerent, quatenus dicebant tandem aliquando cælum dissoluendum esse, atque ita quodammodo ruiturum: confusis nimirum rebus omnibus, & ad chaos reductis, vt canit Empedocles. Atque hoc pacto exponit Diuus, Thomas. Quidam Græci codices habent ὡς μὴ συμπέσοι τ' ἂν, id est, ne corruat: verum hæc lectio non congruit cum verbis proximè sequentibus. *Veterũ quorundam physiologorũ de cœli motu delirium.* *In hunc locum.* *Lect. 20.*

## CAP. XXIII.

*Text.28.* HABERE a *multis modis dicitur. Vno suapte natura, aut suapte propensione agere. Itaque febris dicitur hominem habere, & tyranni ciuitates, & induti vestem. Alio* b *modo id, in quo quid, vt in susceptiuo existit: quo pacto as statuæ formam, & corpus morbum habet. Alio* c *item, vt id, quod continet ea, quæ continentur: in quo enim res continetur, ab eo haberi dicitur: quo pacto dicimus vas habere liquorem, ac vrbem homines, & nauem nautas: hunc vero in modum & totum partes habet. Præterea* d *id, quod rem prohibet, ne suapte propensione aut moueatur, aut agat, habere illam dicitur, vt columnæ pondera imposita: quo etiam pacto Poetæ Atlantem fingunt habere cœlum, ac si ruiturum esset in terram, vt* e *quidam naturales Philosophi tradunt. Hoc* f *autem modo & continens dicitur habere ea, quæ continet, vt quæ suopte nutu singula dissiparentur. In* g *aliquo etiam esse similibus modis dicitur, ipsumque habere consequitur.*

CAP.

congruit cum verbis proximè sequentibus.

f *Hoc autem modo.*] Docet, hunc habendi modum aliquando misceri cum tertio, quemadmodum diximus, illum nõnunquam concurrere cum primo. Nam etsi nonnunquam continentia non impediunt motum, & actiones naturales contentorum, vt patet in cœlis, in elementis, in alueis fluminum, & similibus: sæpe tamen id faciunt, vt perspicuum est in columnis, quibus sustinentur pondera, in vasis, quibus continentur res humidæ, in vinculis eorum, quæ ligata sunt: semper tamen ratio continendi distincta est à ratione prohibendi.

g *In aliquo etiam esse.*] Subiicit Aristoteles, quot sunt modi habendi, tot esse existendi in aliquo eo quod hi sequantur illos. Nam quod ab altero habetur, in eo est, à quo habetur, siue vt patiens in potestate agentis, siue vt forma in subiecto, atque ita in cæteris. Ad quos existendi modos facile reuocari possunt *Text.23.* ij, qui habentur quarto Physicorum capite tertio.

## CAPITIS VIGESIMI QVARTI EXPLANATIO.

*Quot modis ex aliquo sit vel fiat aliquid Vt ex toto quatuor modis*

EX a *aliquo esse.*] Docet quot modis aliquid sit, vel fiat ex aliquo: primùm quidem vt ex toto: deinde, vt ea parte illius: postremo, vt post illud. Vt ex toto autem modis quattuor. Primùm, vt ex tota aliqua materia per compositionem, siue illa prima sit, siue vltima, quæ etiam propinqua dicitur: id quod iam sæpius explicatum est.

*Primus.*

b *Alio modo.*] Secundo modo, vt ex toto aliquo, quod primùm mouit: veluti pugna ex contumelia, hoc est, ex inferente cõtumeliam: tametsi hoc pacto particula, *ex*, impropriè sumitur, idémque significat, quod, *Ab*. Qua ratione non dicetur res fieri ex eo, quod secundo loco mouit (vt ex eo, quod illatam contumeliam vendicare voluit) nisi per reductionem: quo pacto nulla erit caussa efficiens, ex qua effectus dici non possit, aut esse, aut fieri.

*Secundus.*

*Tertius.*

c *Alio autem ex eo.* Tertio modo, vt ex toto aliquo composito ex materia & forma: qua ratione aliquid esse, aut fieri ex illo intelligitur per resolutionem. Hoc pacto elementa fiunt ex misto, & versus, qui per se se ex Iliade citantur, dicuntur esse ex Iliade, & lapides ex domo, quæ diruta est.

ΚΕΦ. ΚΔ'.

Ὅσα ἐκ τινος εἶναι λέγεται, ἕνα μὲν τρόπον, ἐξὸ ὄντι, ὡς ὕλης: καὶ τὸ τὸ ὁλιχῶς, ἢ κατὰ τὸ πρῶτον γένος, ἢ κατὰ τὸ ὕστατον εἶδος: οἷον, ἔστι μὲν ὡς, ἅπαντα τὰ τηκτὰ ἐξ ὕδατος: ἔστι δ' ὡς, ἐκχαλκὸς ὁ ἀνδριάς. ἕνα b δ' ὡς ἐκ τῆς πρώτης κινησάσης ἀρχῆς: οἷον, ἐκ τίνος ἡ μάχη: ἐκ λοιδορίας, ὅτι αὕτη ἀρχὴ τῆς μάχης. ἕνα c δ' ἐκ τοῦ σωθέντος ἐκ τῆς ὕλης καὶ τῆς μορφῆς, ὥσπερ ἐκ τοῦ ὅλου τὰ μέρη, καὶ ἐκ τῆς ἰλιάδος τὸ ἔπος, καὶ ἐκ τῆς οἰκίας οἱ λίθοι. τέλος μὲν γάρ ἐστιν ἡ μορφή: τέλειον δὲ, τὸ ἔχον τέλος. τὰ d δὲ, ὡς ἐκ τοῦ μέρους τὸ εἶδος, οἷον ὁ ἄνδρωπος ἐκ τοῦ λίποδος, καὶ ἡ συλλαβὴ ἐκ τοῦ στοιχείου, ἄλλως γε τοῦτο. καὶ ὁ ἀνδριὰς ἐκ τοῦ χαλκοῦ, ἐκ τῆς αἰσθητῆς γε ὕλης ἡ σύνθετος οὐσία: ἀλλὰ καὶ τὸ εἶδος ἐκ τῆς τοῦ εἴδους ὕλης. τὰ μὲν οὖν οὕτω λέγεται.

Τὰ e δὲ ἐὰν κατὰ μέρος τι τούτων τίς ὑπάρχῃ τῶν τρόπων, οἷον ἐκ πατρὸς καὶ μητρὸς τὸ τέκνον, καὶ ἐκ γῆς τὰ φυτὰ, ὅτι ἐκ τινος μέρους αὐτῶν. *Text. 29.*

Ἐκ f δὲ, μεθ' ὑστέρου χρόνου, οἷον ἐξ ἡμέρας νὺξ, καὶ

*Formam esse finem generationis.*

Nam cùm forma sit finis generationis, perfectúmque in rebus, quæ fiunt, id dicatur, quod finem est consecutum: sanè compositum ex materia & forma dicetur perfectum: ac proinde cùm resolutio incipiat à perfecto, quemadmodum generatio ab imperfecto, meritò partes, in quas resoluitur compositum, dicentur fieri ex composito: semper enim particula, *Ex*, innuit primum aliquod principium, vnde fiat progressio,

*Quid perfectum.*

*Quartus*

d *Alio verò vt ex parte.*] Quarto, vt species ex tota parte subiecta speciei, vniuersali nimirum parta non singulari: nihil enim singulare, quatenus singulare est, pertinet ad compositionem speciei, sed potius species ad compositionem singularis. Hoc pacto species dicitur esse tum ex genere & ex differentia, vt homo ex animali & bipede, aut alia potius veriori differentia: tum etiam ex materia & forma in commune sumptis: veluti syllaba secundum speciem, ex elementis siue literis secundum speciem: vt, *Ea*, in commune, ex B. & A. in com-



commune. Nec enim hæc species syllabæ constat ex hoc A & ex hoc B, nisi per accidens, quo pacto statua constat ex ære: accidit enim statuæ in commune sumptæ, quod sit ænea. At substantia composita (quo nomine Aristoteles hic significat singularem substantiam sensibilem) constat per se ex singulari materia, quam ille vocat materiam sensibilem, nonnulli signatam. Atque hactenus de modis, quibus res est, aut fit ex aliquo, vt ex toto, quamuis hoc sit pars illius.

*Thomistæ.*

## CAP. XXIV.

*Text. 29.*

EX a *aliquo esse, vno quidem modo dicitur, ex quo vt materia aliquid est: idque dupliciter, aut ratione primi generis, aut ratione vltimæ speciei. Exempli gratia: Omnia, quæ liquescere possunt, modo quodam ex aqua sunt, modo etiam quodam statua ex ære.* Alio b *modo, vt ex primo principio, quod mouit, veluti: ex quo pugna? ex contumelia, quod ea pugnæ principium fuerit.* Alio c *autem ex eo, quod compositum est ex materia & forma, quemadmodum ex toto partes, ex Iliade versus, & lapides ex domo: forma enim finis est, perfectum autem quod finem habet.* Alia d *verò, vt ex parte species, veluti homo ex bipede, & syllaba ex elemento. Alio enim modo hoc, alio statua ex ære est. Namque ex sensibili materia constat substantia composita: at species ex materia speciei. Atque hæc quidem hoc pacto dicuntur.*

*Alia* c *autem siquis horum modorum ratione alicuius partis conueniat, quo pacto ex patre & matre est soboles, & ex terra stirpes, quia fiunt ex aliqua eorum parte.*

*Alio* f *verò modo, ex eo, post quod aliquid tempore*

*Qua ratione res dicentur esse, vel fieri ex aliquo vt ex parte.*

c *Alia autem siquis horum.*] Tradit quo pacto res dicatur esse, aut fieri ex aliquo, vt ex parte eius, ex quo fieri dicitur: hoc pacto proles dicitur esse ex patre & matre, quasi ex materia: neque enim tota materia parentum constituit prolem, sed quædam eorum partes: eodémque modo plantæ dicuntur esse ex terra & aqua, quod constent non ex tota terra aut tota aqua, sed ex partibus vtriusque: tot autem modis hoc contingere potest, quot sunt caussarum genera. Atque in genere quidem caussæ materialis iam tradita sunt exempla. In efficiente exemplum erit, siquis dicat, bellum Troianum ortum esse ex contumelia à Troianis illata: neque enim ab omnibus Troianis illata fuit contumelia, sed à solo Paride. In genere caussæ formalis dicemus, picturam esse factam ex aliquo exemplari, si fit facta ad imitationem partis. In genere autem caussæ finalis, siquis dicat, mercatores negotiari ex appetitu humanæ felicitatis, quia ex appetitu cuiusdam partis, nempe diuitiarum. Sed hic verbum, *Ex*, quatenus exemplari & fini accommodatur, impropriè admodum sumitur.

f *Alio vero modo.*] Iam ponit modos, quibus aliquid ex aliquo fieri dicitur, quia fit post illud: quos duos esse tradit. Vnus est, si vnum succedat alteri naturali successione motus, vt nox diei, & tempestas tranquillitati. Alter, si casu id accidat, vt si post prandium tonet, aut ex hominum instituto post aliud fieri soleat: ceu Thargelia (qui ludi erant apud Græcos mense Februario in honorem Apollinis exhiberi soliti) post Bacchanalia, quæ mense Ianuario celebrabantur: vt apud nos festum Paschæ, post festum Natalis Domini.

*Duplex modus quo fit aliquid ex aliquo, quia post illud. Thargelia quid.*

## CAPITIS XXV.

### *Explanatio.*

*Quatuor partium genera explicantur.*

*Primum.*

PARS a *vno modo.*] Exponit quot sint partium genera. Primum est earum, quæ dicuntur integrantes, vtpote in quas quantitas secundum extensionem diuiditur: siue illæ metiantur totum, vt vnitas quemuis numerum, binarius cæteros pares, & palmus vlnam (quæ partes dicuntur aliquotæ) siue non metiantur quo pacto binarius est pars ternarij, atque quinarij: & cubitus est pars cubiti cum semisse, & duorum cum dimidio: huiusmodi enim partes, si repetantur, non adæquatè reddunt totum, sed aut excedũt aut non attingunt.

b *Quouis modo.*] Quouis posuit pro vtrouis, vt sit sensus: siue id, in quod diuiditur, metiatur vt dictum est.

c *Ea etiam.*] Secundum genus partium est earum, in quas forma sine quantitate (hoc est, res vniuersalis) in particulares diuiditur: quo pacto species sunt partes generis, & indiuidua speciei. Atque hę dicuntur partes subiectæ, siue subiectiuæ. Ad quod genus partium reuocari possunt partes potestatiuæ, vt vocantur, veluti potentiæ animæ, quatenus anima in eas nonnumquam diuidi solet. Vt enim particularia nõ pertinent ad constitutionem vniuersaliũ, ita nec potentiæ ad constitutionem rerum, quarũ sunt potentiæ. Hoc loco Græci codices pro ἀδ' διαιρεθέη hoc est forma diuidi potest, habent ἄδ' τοῦ ζώου διαιρεθέη, id est, forma animalis diuidi potest. Sed non agnoscunt verbũ τοῦ ζώου seu Bessario: seu Argiropylus seu Antiquus interpres, aliúsve ex recentioribus. Forte scripserat Aristoteles τοῦ ὅλου pro quo irrepsit τοῦ ζώου. Sed tamen vtrumque expungendum esse, concors interpretum versio demonstrat.

*Partes potestatiuæ reuocari ad subiectas.*

*Tertium.*

d *Ea quoque.*] Tertium genus est earũ, quæ dicũtur essentiales Physicę, hoc est,

κὴ δζ οὐδίας χάμών. ὅτι τοῦτο μεῖζα τοῦτο, τούτων δὲ τὰ μὲν τῷ ἔχειν μεταβολὴν εἰς ἄλληλα οὕτω λέγεται, ὥσπερ καὶ τὰ νῦν εἰρημένα: τὰ δὲ, τῷ κὴ τὸν χρόνον ἐφεξῆς μόνον, οἷον δζ ἰσημερίας ἐγένετο ὁ πλοῦς, ὅτι μετὰ ἰσημερίαν ἐγένετο, καὶ ἐκ Διονυσίων Θαργήλια, ὅτι μετὰ τὰ Διονύσια.

### ΚΕΦ. ΚΕ'.

Tex.30. ΜΕΡΟΣ a λέγεται ἓνά μὲν τρόπον, εἰς ὃ διαιρεθέη ἂν τὸ ποσὸν ἔπωσὸν b ἀεὶ γὰρ τὸ ἀφαιρούμενον τοῦ ποσοῦ, μέρος τοῦ ποσοῦ. μέρος λέγεται ἐκεῖνο, οἷον τῶν τριῶν, τὰ δύο μέρος λέγεταί πως. ἄλλον δὲ τρόπον τὰ κατὰ μετροῦντα τῶν τοιούτων μόνον· διὸ τὰ δύο τῶν τριῶν, ἔστι μὲν ὡς λέγεται μέρος, ἔστι δ' ὡς οὔ. ἔτι c εἰς ἃ τὸ εἶδος* διαιρεθείη ἂν ἄνευ τοῦ ποσοῦ, καὶ ταῦτα μέρια λέγεται τούτου. διὸ τὰ εἴδη τοῦ γένους φασὶν εἶναι μέρια, ἔτι d εἰς ἃ διαιρεῖταί τι, ἢ ἐξ ὧν συγκειται τὸ ὅλον, ἢ τὸ εἶδος, ἢ τὸ ἔχον τὸ εἶδος, οἷον, τῆς σφαίρας τῆς χαλκῆς, ἢ τοῦ κύβου τοῦ χαλκοῦ, καὶ ὁ χαλκὸς μέρος (τοῦτο δ' ἐστὶν ἡ ὕλη,* ᾧ ἢ τὸ εἶδος) καὶ ἡ γωνία μέρος. ἔτι e τὰ ἐν τῷ λόγῳ τῷ ὁπωσοῦν ἕκαστον, καὶ ταῦτα μέρια τοῦ ὅλου. διὸ τὸ γένος τοῦ εἴδους καὶ μέρος λέγεται, ἄλλως δὲ τὸ εἶδος τοῦ γένους μέρος.

*γρ. εἶδος τοῦ ζώου.

*γρ. ἐν ᾧ.

### ΚΕΦ. Κς'.

Tex.31. ΟΛΟΝ a λέγεται, οὗ μηδὲν ἄπεστι μέρος ἐξῶν λέγεται τὸ ὅλον φύσει. καὶ b τὸ περιέχον

*pore sequitur: quo pacto ex die fit nox, & serenitate tempestas, quia hoc post illud extitit. Horum autem quædam ita dicuntur, quia alia in alia mutantur, vt quæ nunc dicta sunt: quædam, quia sola temporis consecutione succedunt: quo pacto ex æquinoctio dicitur facta nauigatio, quia post æquinoctium facta est, & ex Bacchanalibus Thargelia, quia post Bacchanalia.*

### *CAP. XXV.*

Tex.30. PARS a *vno modo id dicitur, in quod quantum quouis* b *modo diuidi potest. Semper enim id, quod aufertur à quanto, qua ratione quantum est, pars illius dicitur: quo pacto duo quodammodo dicuntur partes trium. Alio modo ea tantum ex his dicuntur partes, quæ metiuntur: quo fit, vt duo modo quodam sint pars trium: modo autem alio non item. Ea* c *etiam, in quæ forma sine quantitate diuidi potest, partes illius esse dicuntur. Vnde fit, vt species partes generis appellentur. Ea* d *quoque, in quæ aliquid diuiditur, aut ex quibus totum componitur, aut ipsa forma, aut quod formam habet: quo pacto globi ænei, aut æneæ tesseræ non solum æs, quod est materia, in qua forma inest, sed etiam angulus pars est. Præterea* e *quæ sunt in ratione, qua quæq; res declaratur, ea etiam sunt partes totius. Ita fit, vt genus pars etiam speciei, alio autem modo, species pars generis dicatur.*

### *CAP. XXVI.*

Tex.31. TOTUM a *dicitur cuius nulla pars earum abest, ex quibus natura totum nominatur. Et* b *quod ita*



est, in quas totum non secundum extensionem, sed secundum essentiam reali distinctione diuiditur, seu (quod eodem redit) ex quibus rei essentia reali compositione constat: siue illud sit forma ipsa, hoc est, res vniuersales: siue habens formam, hoc est res singulares: quo pacto res naturales, siue vniuersales sint, siue singulares, diuiduntur in materiam primam & formam substantialem: artificiales verò in secundam materiam & figuram: veluti æneus globus in æs & figuram rotundam, & ænea tessera in æs & figuram angularem cubicam.

*Quartum.*

c *Præterea quæ sunt.*] Quartum genus partiũ est earum, quæ dicuntur essentiales Metaphysicę, hoc est, in quas non reali diuisione diuiditur, sed rationis in rebus inuentæ, quę ex natura rei ducitur: quo pacto genera & differentiæ sunt partes specierum: etsi alia ratione species sint partes generum, vt dictum est, atque adeo generalium differentiarum. Ex his pater, omnia genera partiũ pertinere ad constitutionem totius, præter secundum.

## CAPITIS XXVI.

### *Explanatio.*

*Totum quot modis dicatur.*

TOTVM a *dicitur.*] Tradit quot modis dicatur totum, primúmque duas proponit huius nominis significationes. Vna est, qua totum, id solum dicitur, quod est integrum: cui mutilum, seu diminutum opponitur, de quo capite proximo agetur. Hoc pacto homo, cui deest manus, non dicitur totus homo, etsi dicitur totum quoddam corpus: eodémque modo nauis, cui deest gubernaculum, non dicitur tota nauis, etsi dicitur totum quoddã opificium. Itaque in hac significatione totius semper spectatur integritas, quam res sua natura poscit.

b *Et quod continet.*] Hæc altera significatio est generalis, & quæ ad omne genus totius funditur. In qua duo notantur, quę ad totius rationem pertinent.

Vnum est, quod habeat partes: id enim, quod partes non habet, non dicitur totum, nisi nomen totius pro perfecto accipiatur. Alterum est, quòd partes vniantur in ipso, hoc est, sint vnum per ipsam vnitatem totius, qualiscumque ea sit.

Græci codices habent καὶ τὸ περιέχον ἓν, καὶ τὰ περιεχόμενα: nisi quòd in vetusto manuscripto bibliothecæ Catarinæ Mediceæ Galliarum Reginæ abest verbum ἓν. Interpretes neglecto non tantum eo verbo, sed etiam proxima coniunctione omnes vertunt, Et quod continet contenta, vel quid simile: quorum auctoritas nos mouit, vt vtramque dictionem tãquam suspectam, ad marginem reiiceremus.

* καὶ τὰ περιεχόμενα, ὡς ἓν τι ὂν καὶ ἐκεῖνα. τὸ δὲ διχῶς: ἢ γὰρ ὡς ἕκαστον ἓν, ἢ ὡς ἐκ τούτων τὸ ἓν. τὸ μὲν γὰρ καθόλου, καὶ δ τὸ ὅλως λεγόμενον, ὡς ὅλον τι ὄν, οὕτως ε ἐστὶ καθόλου ὡς πολλὰ περιέχον τῷ κατηγορεῖσθαι καθ' ἑκάστου, καὶ ἓν ἅπαντα εἶναι ὡς ἕκαστον οἷον, ἄνθρωπον, ἵππον, θεόν, ὅτι ἅπαντα ζῷα. τὸ f δὲ συνεχὲς. καὶ πεπερασμένον ὅταν ἑνὶ ἐκ πλειόνων, ἢ ὑπαρχόντων, μάλιστα μὲν δυνάμει: εἰ δὲ μή, ἐνεργείᾳ. τούτων g δ' αὐτῶν μᾶλλον τὰ φύσει, ἢ τέχνῃ τοιαῦτα ὥσπερ καὶ ἐπὶ τοῦ ἑνὸς ἐλέγομεν, ὡς οὔσης τῆς ὁ λότητος ἑνότητός τινος. ἔτι, h ἢ ποσὸν ἔχοντος ἀρχὴν, καὶ μέσον, καὶ ἔσχατον, ὅσων μὲν μὴ ποιεῖ ἡ θέσις διαφορὰν, πᾶν λέγεται: ὅσων δὲ ποιεῖ, ὅλον: ὅσα δὲ ἄμφω οὐδέχεται, καὶ ὅλα, καὶ πᾶν. ἐστὶ δὲ τἄυτα, ὅσων ἡ μὲν φύσις ἡ αὐτὴ μένει τῇ μεταθέσει, ἡ δὲ μορφὴ οὔ, οἷον κηρὸς, καὶ ἱμάτιον: καὶ γὰρ ὅλον καὶ πᾶν λέγεται. ἔχει γὰρ ἄμφω. ὕδωρ δὲ καὶ ὅσα ὑγρὰ, καὶ ἀριθμὸς, πᾶν μὲν λέγεται: ὅλῳ δ' ἀριθμὸς οὐ ὅλον ὕδωρ

*γρ. καὶ τὸ περιέχον ἓν, καὶ τὰ περιεχόμενα.

Totum vniuersale.

Totum coniunctum.

Graeci codices habent … Interpretes neglecto non tantum eo verbo, sed etiam proxima coniunctione omnes vertunt, Et quod continet contenta, vel quid simile: quorum auctoritas nos mouit, vt vtramque dictionem tãquam suspectam, ad marginem reiiceremus.

c *Id quod duobus modis* ] Ex vnitate, quam partes habent in toto, colligit duo genera totius Vnum est totius vniuersalis, quod dicitur de pluribus, vt commune de particularibus. Alterum totius coniuncti ex pluribus, de quibus non dicitur, saltem vt commune de particularibus. Complectitur autem totum coniunctum ex partibus tria genera totius, quæ respondent primo, tertio, & quarto generibus partium totius: nimirum integralis & essentialis Physici, & essentialis Metaphysici. Dixi, *saltem vt commune de particularibus*, quia etsi species: vtcumque prædicatur de genere & differentia, ex quibus constituta est: non tamen de illis dicitur, vt commune de particularibus, & quæ minus latè pateant. Ex his perspicuum est, partes totius vniuersalis accipere ab illo vnitatem rationis, quia quatenus sunt partes illius, non re, sed ratione sunt vnum: quemadmodum nec totum vniuersale est vnum re in omnibus suis particularibus, sed ratione sola vt patebit inferius: at partes totius constituti accipiunt à suo toto vnitatem realem: quia quatenus sunt illius partes: re ipsa coniunctæ sunt: ea videlicet vnitate, quam totum re ipsa sibi vendicat in omnibus simul partibus siue illa naturalis sit, siue ab arte, aut consensione animorum inducta.

Ad cap. 28.

Quam vnitatem accipiãt partes totius vniuersalis ab ipso.

Vniuersale vt sint vnum in particularibus.

d *Et quod* ὅλως.] His verbis quasi parenthesi interiecta, docet, ex etymologia totius, quod Græcè est ὅλον, merito vniuersale dici totum quoddam: prædicatur enim ὅλως, quasi dicas totaliter, hoc est omnibus suis particularibus, vnde & τὸ καθόλου dicitur, quasi dicas, quod de toto genere, siue de tota multitudine enunciatur.

Etymologia totius vniuersalis.

e *Ea ratione est familiare.*] Eo spectant verba hæc, vt doceat Aristoteles quo pacto particularia sint vnũ in suo vniuersali, Hac igitur ratione tradit, esse ea in illo vnum, quia illius & nomen, & rationẽ singulatim participant: non autẽ collectim,





collectim, quo pacto multi homines dicuntur esse vnus exercitus, aut vna Respub. Quod autem in exemplis ait. Deum esse animal, ex Platonicorum sententia de quodam Numinum genere intelligendum est.

f *Continuum autem.*] Non sumitur hoc loco continuum pro eo tantùm, quod propriè continuum dicitur. Subdit enim Aristoteles, etsi hæc ratio totius maximè cernitur in ijs rebus, quarum partes sunt potestate in toto, hoc est, non actu multæ res, sed potestate dumtaxat, vt in lapide aut ligno: aliquo tamen modo spectari in ijs, quarum partes sunt actu; hoc est distinctæ res: modo tamen ex ijs fit aliquid vnum compactum coniunctúmve: cuiusmodi sunt tabulæ in naui, ædes in vrbe, & milites in exercitu. Itaque accipit continuum pro eo, quod aut verè continuum est, aut compactum coniunctúmue ex multis. Quòd autem ad verba attinet, cùm dicitur *continuum autem, & finium supplendum est ex dictis, tum dicitur totum.*

*ita continet ea, quæ continentur, vt illa sint vnum. Id* c *quod duobus modis accidit: aut ita, vt vnumquodque sit vnum: aut eo pacto, vt ex ijs vnum constet. Vniuersale enim, &* d *quod* ὅλως, *hoc est totaliter, vt ita dicam, prædicatur (quasi totum quid existat) ea* e *ratione vniuersale est, vt plura continens, quia de vnoquoque prædicatur, & omnia illa sunt vnum, vt singula: veluti homo, equus, Deus, quia omnia sunt animalia. Continuum* f *autem, & finitum cùm vnumquid constat ex pluribus, quæ insunt, maximè quidem potestate: sin minus, actu. Atque* g *horum ipsorum magis sunt talia, quæ natura constant, quam quæ arte, quemadmodum & in vno dicebamus, quasi totalitas vnitas quædam sit. Præterea* h *cùm quantitas principium, medium, atque vltimum habeat: ea quidem, quorum positio non facit differentiam, dicuntur omne: quorum autem facit, totum appellantur: quibus verò vtrumque accidit, in ijs & totum, & omne vsurpatur. Sunt autem hæc ea omnia, quorum natura eadem manet in transpositione, non item forma: veluti, cera, & vestis, & totum enim, & omne dicuntur, quia vtrumque habent. Aqua verò, & humida omnia, itémque numerus, omne quidem dicuntur, totus autem numerus & tota aqua non dicitur, nisi translatio-*

Tex. 8.

Cur ratio totius naturalibus magis, quàm artificiosis conueniat.

Infinitum nõ propriè dicitur totum.

Diuisio totius quanti.

C. 4. tex. 65. & 66.

formaliter vnitas, quæ est negatio: quia tamen in vnitate fundatur, ijs rebus magis conuenit, in quibus maior vnitas cernitur.

h *Præterea cùm quantitas.*] Nomine quantitatis intelligit rem quantam, siue extensam, quatenus talis est: dico autem [quatenus talis est] quia etsi non omnis numerus habet principium, medium, & finem: id tamen non repugnat numero, quatenus est quantus siue extensus: loquitur autem de quanto finito, tum quia tria hæc simul, principium, medium, & finis, repugnant infinito: tum etiam, quia infinitum non propriè dicitur totum, sed potius habet rationem partis, vt 3. Physic. traditur. Diuidit ergo Aristoteles hoc loco totum quantum, aut si magis placet supponit diuisionem illius in tria genera. Primum est eorum, quæ non habent figuram proprijam, sed alienæ facillimè se accommodant, cuiusmodi sunt aqua, oleum, & humida omnia, hoc est, liquida: itémque ea, quę mensuris concauis mensurantur, vt frumentum, cinis, arena, adde & numeros ipsos. In quo toto rerũ genere commutatio partiũ, vaiusq; earũ situs in totis nullã facit differentiã, id est, nihil mutat de re, quod sit

eius

*Secundum.* eius proprium. Secundum est eorum, quę habent figuram propriam, vt plantæ, animalia, domus, nauis, & similia. In quo genere varius situs partium naturas rerum ipsarum mutat, non solùm ex parte formæ propriæ, sed etiam propriæ materiæ: vt si membra animalium conuellantur & alio situ collocẽtur in ipso toto, aut partes nauis commutentur. *Tertium.* Tertium est eorum, quæ etsi non habent figuram propriam: tamẽ semel datam diu, & sine adminiculo alterius retinent, vt cera, æs, plumbum, & alia, quæ liquescere possunt. In quo rerum genere, etsi commutatio partium nihil mutat, quod proprium sit materiæ: tamen mutat formam quasi propriam eorum, vt pote, quam per sese retinent, & à qua sæpè res tota denominatur, vt patet in cera sigillo figurata, in ære in statuam conformato, in panno, qui formam vestis accepit, & similibus.

*Quod totum dici soleat omne.*

Hoc posito, docet Aristoteles, totum in primo genere solere dici omne, non autem totum: quod de vulgatori Græcorum consuetudine præcipuè dictum intellige: dicitur enim omnis hæc aqua, omne hoc frumentum, omnis hæc arena, non tota aqua, totum frumẽtum, aut tota arena, nisi per translationem à rebus propriam figuram habentibus. In secundo autem genere contrà rem habere: neq; enim dicimus omnem hunc hominem ęgrotare, sed totum: neque omnem Hierosolymam concidisse, sed totam: tametsi Cicero sæpè dicit, omne corpus, pro toto corpore, & omnem orationem, pro tota oratione. At in tertio vtrumque verbum vsurpari: dicimus enim & omnem hanc ceram, & totam hanc ceram: eodémque modo & omne, & totum æs, plumbum, similia: cuius rei hæc est ratio: quia verbum, *omne*, significat multitudinem, totum autem constitutionem vnius ex multis, præsertim dissimilibus. At totum primi generis constat similibus partibus, quæ vel sunt actu multa, vt in numero, in arena: aut potentia propinqua, vt in aqua, aut oleo: aut certè potentia remota ita sunt multa, vt resolutio totius in partes non lædat naturam illius: quod in ære, argento, & similibus cernere licet. Totum autem secundi generis, aut est totum dissimilium partium, vt animal, vt corpus humanum,

ἀλλ' οὐ λέγεται, ἀνμὴ μεταφορᾷ. πάντα δὲ λέγεται, ἐφ' οἷς τὸ πᾶν, ὡσεφ' ἑνί, ἐπὶ τούτοις πάντα ὡς ἐπὶ διῃρημένοις: πᾶς οὕτω ὁ ἀριθμὸς, πᾶσαι αὗται αἱ μοναδες.

## ΚΕΦ. ΚΖ'.

Τex. 32. ΚΟλοβὸν δὲ λέγεται τῶν ποσῶν, οὗτο τὸ τυχὸν ἀλλὰ μεριστόν τε αὐτὸ δεῖ εἶναι, καὶ ὅλον. τότε δὲ δύο, οὐ κολοβὰ, θατέρου ἀφαιρουμένου ἴσος (καὶ γὰρ ἴσον τὸ κολόβωμα, καὶ τὸ λοιπὸν ὃ δὲ ποτ' ἐστιν) οὐδ' ὅλως ἀριθμὸς ὀφθείς. καὶ γὰρ τῶν ὑσίαν δεῖ μένειν. εἰ κύλιξ κολοβὸς, ἔτι δεῖ εἶναι κύλικα: ὁ δὲ ἀριθμὸς, οὐκ ἔτι ὁ αὐτός. πρὸς δὲ τούτοις κἂν ἀνομοιομερῆ ᾖ, ὅδε ταῦτα πάντα. ὁ γὰρ ἀριθμός ἐστιν, * ὃς μὴ ἀνόμοια ἔχῃ μέρη, οἷον, δυάδα, τριάδα ἀλλ' ὅλως, ὧν μὴ ποιεῖ ἡ θέσις διαφορὰν, ὅθεν κολοβὸν: οἷον ὕδωρ, ἢ πῦρ: ἀλλὰ δεῖ τοιαῦτα εἶναι, ἃ κατὰ τὴν ὑσίαν θέσιν ἔχῃ ἔτι συνεχῆ. ἡ γὰρ ἁρμονία ἐξ ἀνομοιομερῶν μὲν, ἡ θέσιν ἔχῃ, κολοβὸς δὲ οὐ γίνεται. πρὸς δὲ τούτοις, οὐδ' ὅσα ὅλα, οὐδὲ ταῦτα, ὅταν εἰῶ μορίῳ τερήσῃ, κολοβά. ὃ γὰρ δεῖ ὅτέ τὰ κύρια τῆς ὑσίας, οὔτε τὰ ὅταν εἰῶ ὄντα. οἷον, ἂν τρυπηθῇ ἡ κύλιξ, ὁ κολοβὸς, ἀλλ' ἂν τὸ οἷς, ἢ ἀκρωτηρίον τι καὶ ὁ ἄνθρωπος, ὅν ἐὰν σάρκα, ἢ τὸν ἀπλοῦν, ἀλλ' ἐὰν ἀκρωτήριον: καὶ τοῦτο ὁ πᾶν, ἀλλ' ὃ μὴ ἔχῃ γένεσιν ἀφαιρεθὲν ὅλον. διὰ τοῦτο εἰ φαλακροὶ οὐ κολοβοί.

ΚΕΦ.

* γρ. ὡς.



humanum: aut ita ex similibus constitutum est, vt non sine detrimento naturæ diuidatur in eiusmodi partes: cuius generis sunt os, caro, & alia huiusmodi. Quoniam verò tertium primo & secundo genere participat (primo quidem ex parte materiæ, seu subiecti, quod nihil læditur mutatis in toto partibus: secundo autem ex parte formę, quam fixam, & quasi propriam retinet) meritò in illud vtrumque vsurpari potest, vt & omne ratione materiæ dicatur, & totum ratione formæ.

i *In quibus autem* ] Docet in iis totis posse accommodari verbum *omnia*, partibus, vt diuisis à se inuicẽ (adde saltem potentia propinqua) in quibus verbum, *omne*, accommodatur partibus, vt coniunctis, & aliquo modo vnitis. Sic diximus, quattuor vnitates esse, & omnem hunc quaternarium, & omnes has vnitates: item grana frumenti huius acerui esse, & omnem hũc aceruum, & omnia hæc grana: item partes Oceani esse omnem Oceanum, & omnes aquas Oceani: Non negat tamen Aristoteles, in partibus etiam aliorum totorum idem posse accidere: ædificia enim, ex quibus cõstat vrbs, etsi non dicuntur omnis hęc vrbs sed tota: dicuntur tamen omnia hæc ædificia.

*latione. In quibus autem verbum omne, vt de vno dicitur: in iis, vt diuisis vsurpatur verbum omnia: veluti omnis hic numerus, omnes hæ vnitates.*

## CAP. XXVII.

Τex. 32. *MVTILVM verò dicitur, non quod vis eorum, quæ quanta sunt, sed & partibile, & totum illud sit oportet. Duo enim sunt mutila, altera ablata vnitate (neque enim id, cuius ablatione aliquid fit mutilum, & id, quod superest, æqualia vmquam sunt) neque omnino vllus numerus. Namque substantia permaneat necesse est. Si mutilum sit poculum, adhuc poculum sit oportet: at numerus, non iam idem est. Ad hæc, neque omnia dissimilium partium mutila esse possunt: numerus enim est, qui & dissimiles partes habeat, & binarium, & ternarium. Caterùm nihil omnino eorum, quorum positio differentiam non efficit, mutilum est, veluti aqua aut ignis: sed eiusmodi sint oportet, quæ ratione substantiæ positionem habeant. Itémque continua. Concentus enim ex dissimilibus constat partibus, & positionem habet: mutilus autem non fit. Ad hæc, nec quæuis tota, nec verò hæc, cuiusuis partis priuatione fiunt mutila. Neque enim vel præcipuas substantiæ, vel alias vbiuis existentes abesse oportet. Exempli caussa, si poculum perforetur, non continuò erit mutilum, sed si ansa, aut extremum aliquid, ac prominens auferatur: & homo non si caro, aut splen, sed si aliquid extremum, quod prominet: atque id non omne, sed quod totum sublatum generari non possit: quam ob caussam calui mutili non sunt.*

## CAPITIS XXVII. EXPLANATIO.

*Mutilũ quid dicitur.*

MVTILVM *verò.*] Quoniã mutilũ opponitur priori significationi totius, vt diximus captte superiori, tradit Aristoteles, quæ conditiones requirantur, vt aliquid dicatur mutilum siue diminutum. Nam de parte

quę opponitur toti in ſecunda ſignificatione accepto, cap. 25. dictum eſt. Prima igitur conditio eſt, vt ſit diuiſibile in partes, ex quibus conſtet: quando- *Text. 30.*
*Prima conditio mutili. Secunda.* quidem detractione alicuius partis conſtituentis, non autem ſubiectæ fit res mutila Secunda vt ſit totum, hoc eſt, tanto maius ipſo mutilamine (ſic enim liceat appellare id, cuius ablatione res fit mutila) vt idem adhuc ſecundum ſubſtantiam cenſeri poſſit. Hinc fit, vt nec binarius mutilus eſſe poſſit, quia non poteſt ab illo auferri minor pars, quàm medietas, nec vllus omnino numerus, quia quauis vel minima parte ſublata, nõ manet idem numerus. Tertia, vt eius partes habeant naturalem poſitionẽ, hoc eſt, *Tertia.* ordinem in toto: neque enim hoc loco habere poſitionem in toto, eo modo ſumitur, quo in prędicamentis: alioqui partes concentus non haberent poſitionem in toto concentu: quod tamen hic fatetur Ariſtoteles. Ita fit primùm, vt res ſimilium partium, velut aqua, aut ignis, numquam dicantur mutilæ, quia earum partes manifeſtè carent huiuſmodi ordine. Deinde fit, vt neque etiam quædam diſſimilium, ſi earũ partes non habeant naturalem ordinem in toto, qualis quodammodo eſt omnis numerus, qui cõſtat ex diuerſis ſpeciebus numerorum, vt quinarius: in quinario enim lapidum ex quibuslibet duobus licet facere binarium, & ex quibuslibet tribus ternarium, eodémque modo res habet in cæteris ſimilibus numeris tametſi numerorum exemplum ideo non admodum placet Ariſtoteli, quia *Nullum numerum propriè conſtare ex numero.* nullus numerus propriè conſtat ex numeris, ſed ex vnitatibus, vt ipſe libro 7. docebit. Quarta conditio eſt, vt ſit continuum: hac enim ratione nemo dixerit, concentum eſſe mutilum, niſi per tranſlationem. Atque hæ conditiones requiruntur in re, quæ dicenda eſt mutila. In mutilamine autem, quod ſublatũ eſt, primò requiritur, vt non ſit ex præcipuis partibus, & quibus remotis non maneat res, quale eſt caput in homine. Secundò, vt non ſit vbicumque exiſtens, ſed promineat in re, vt anſa, aut labium in vroeo. Tertiò, vt tota ſublata tota non poſſit rurſus oriri naturaliter, qua de cauſſa nõ dicimus ceruos mutilos, cum cornua depoſuerunt, neque item homines caluos. Nam etſi raro in caluis capilli renaſcuntur: tamen ſpectata hominum natura nihil eſt cur renaſci non poſſint: quamquam Ariſtoteles caluos intelligere potuit ex morbo, qui ſæpè ſanantur.

## ΚΕΦ. ΚΗ'.

Text. 33. Γενος a λέγεται τὸ μὲν, ἐὰν, ᾖ ἡ γένεσις συνεχὴς τῶν τὸ εἶδος ἐχόντων τὸ αὐτὸ: οἷον λέγεται, ἕως ἂν ἀνθρώπων γένος ᾖ, ὅτι, ἕως ἂν ᾖ ἡ γένεσις συνεχὴς αὐτῶν. τὸ b δὲ, ἀφ' ὧν ὧσι πρώτῳ κινήσαντος εἰς τὸ εἶναι. ὅτω μὲν λέγονται οἱ μὲν Ἕλληνες τὸ γένος, οἱ δὲ Ἴωνες, τῷ, οἱ μὲν ἀπὸ Ἕλληνος, οἱ δὲ ἀπὸ Ἴωνος εἶναι πρώτῳ γενήσαντος: μᾶλλον οἱ ἀπὸ τοῦ γενήσαντος, ἢ τῆς ὕλης, λέγονται δὲ καὶ ἀπὸ Πύρθας τὸ γένος, οἷον ἀπὸ Πύρρας. ἔτι c δὲ, ὡς τὸ ἐπίπεδον τῶν σχημάτων γένος τῶν ἐπιπέδων καὶ τὸ στερεὸν τῶν στερεῶν. ἕκαστον δὲ τῶν σχημάτων, τὸ μὲν ἐπίπεδον τοιονδί, τὸ δὲ στερεὸν τοιονδί: τοῦτο δ' ἔστι τὸ ὑποκείμενον ταῖς διαφοραῖς. ἔτι d ὡς ἐν τοῖς λόγοις τὸ πρῶτον ὑπάρχον, ἃ λέ

## CAPITIS XXVIII. EXPLANATIO.

*Quatuor generis significationes. Prima.* GENVS a *dicitur vno modo.*] Quattuor generis significationes traduntur ab Ariſtotele in hoc capite. Prima, atque adeo vulgaris, eſt, qua genus ſumitur pro generatione continua, hoc eſt, non interrupta rerum eiuſdem eiuſdem ſpeciei. Prioris conditionis defectu, non diceretur idem genus hominum à principio mundi ad hoc vſque tempus extitiſſe, ſi omnes qui tũc erant, cùm Noe fabricam arcæ abſoluit generali diluuio periiſſent, & alij rurſus à Deo procreati eſſent. Defectu autem poſterioris, non dicimus continuam generationem mulorum ex equis eſſe idem genus cum equorum genere: quia etſi continenter muli ab equis generantur: nõ ſunt tamen muli eiuſdem ſpeciei cum equis. Aduerte autem non tantum ipſam continuam generationem, ſed etiam ipſas res continenter genitas vocari genus hac prima ſignificatione vt patet ex iis, quæ Ariſtoteles hoc loco & Porphyrius in Iſagoge tradunt. *Cap. de Genere.*

b *Alio modo.*] Secunda generis ſignificatio eſt, qua genus ſumitur pro principio generis primo modo ſumpti: ſiueno mine principij intelligas primum genitorem eiuſdem ſpeciei, aut etiam modo aliquo primam genitricem, ſiue ipſam primam generationem, qua primus genitor, aut genitrix initium dedit multitudini. Hinc fit, vt primus parens interdum appelletur genus, velut cum Poeta inquit, *Nam genus & proauos, & quæ non fecimus ipſi,* & ab illo etiam genus duci dicatur: quæ eſt frequentior huius ſignificationis vſurpatio. Ad hanc ſignificationem reuocatur patria, & ipſa, quæ à patria ducitur origo, vt habes apud Porphyrium in loco citato. Quòd autem ad verba attinet, pro eo quod Ariſtoteles ait, *A quo fuerint tamquam à primo mouente ad eſſe,* nos diximus, [*A quo illa,* &c. redden tes ſuppoſitum verò *fuerint,* quia non dubium eſt, quin Ariſtoteles verbum hoc retulerit ad ea, quæ cùm ſint eiuſdem ſpeciei, continua generatione alia aliis ſuccedunt. Quod idem ſignificat Porphyrius in Iſagoge, cùm de genere diſſerit. Poſſet contextus ita verti, vt diceremus, *A quo illa tamquam à primo procreante fuerint.*, nam mouere ad eſſe, ſeu mouere, vt res ſit, illam producere ac procreare eſt. *Principium generis.* *Ouid. lib. 15. Metamorph.*

c *Item eo modo.*] Tertia ſignificatio eſt, qua genus ſumitur pro genere ſubiecto, qualis eſt ſuperficies reſpectu planarum figurarum, & corpus comparatione ſolidarum: ſunt enim ſubiecta illarum, non autem genera prædicabilia, cùm quantitas non pertineat ad eſſentiam qualitatis, etiam materialis: tametſi ita quodammodo ſubiiciuntur differẽtiis figurarum, quarum ſunt ſubiecta, vt genus prædicabile ſubiicitur differentiis ſuarum ſpecierum, quod inferius patebit. *Genus ſubiectum.*

d *Præterea quod primum.*] Quarta ſignificatio eſt, qua genus ſumitur pro eo, quod refert ad ſpecies, & in earũ definitionibus naturæ ordine primũ ponitur, de iiſq; in quæſt. Quid eſt prædicatur, de quo Philoſophi præcipuè diſſerũt. Aliã explicationẽ addit Ariſto. *Et cuius differẽtiæ,* inquit, *ſunt qualitates,* quaſi dicat: Et cuius immediatè diuiditur per differẽtias, quę faciũt quale quid, *Genus primum vniuerſale definitur.*





## CAPVT XXVIII.

Text. 33. GENVS a *dicitur vno modo, ſi eorum, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, generatio ſit continua, quo pacto dici ſolet, Dum genus hominum erit, hoc eſt, donec eorum fuerit continua generatio. tio. Alio* b *modo id à quo illa fuerint, vt à primo mouente ad eſſe. Sic enim alij* Ἕλληνες, *hoc eſt Græci genere, alij Iones dicuntur, quòd illi ab Helleno, hi ab Ione eorimo genitore ſint orti: magiſque ij, qui à genitore, quàm qui à materia nuncupantur. Nam & à fœmina, veluti à Pirrha genus ducere dicunour. Item* c *eo modo, quo planum genus eſt planarum figurarum, & ſolidarum ſolidum. Vna quæque enim figura zum alia planum tale eſt, alia ſolidum tale: hoc autem eſt, quod differentiis ſubiicitur. Præterea* d *quod primum in rationibus ineſt, quodque in*

*proauos, & quæ non fecimus ipſi,* & ab illo etiam genus duci dicatur: quæ eſt frequentior huius ſignificationis vſurpatio. Ad hanc ſignificationem reuocatur patria, & ipſa, quæ à patria ducitur origo, vt habes apud Porphyrium in loco citato. Quòd autem ad verba attinet, pro eo quod Ariſtoteles ait, *A quo fuerint tamquam à primo mouente ad eſſe,* nos diximus, [*A quo illa,* &c. redden tes ſuppoſitum verò *fuerint,* quia non dubium eſt, quin Ariſtoteles verbum hoc retulerit ad ea, quæ cùm ſint eiuſdem ſpeciei, continua generatione alia aliis ſuccedunt. Quod idem ſignificat Porphyrius in Iſagoge, cùm de genere diſſerit. Poſſet contextus ita verti, vt diceremus, *A quo illa tamquam à primo procreante fuerint.*, nam mouere ad eſſe, ſeu mouere, vt res ſit, illam producere ac procreare eſt. *Ouid. lib. 15. Metamorph.*

c *Item eo modo.*] Tertia ſignificatio eſt, qua genus ſumitur pro genere ſubiecto, qualis eſt ſuperficies reſpectu planarum figurarum, & corpus comparatione ſolidarum: ſunt enim ſubiecta illarum, non autem genera prædicabilia, cùm quantitas non pertineat ad eſſentiam qualitatis, etiam materialis: tametſi ita quodammodo ſubiiciuntur differẽtiis figurarum, quarum ſunt ſubiecta, vt genus prædicabile ſubiicitur differentiis ſuarum ſpecierum, quod inferius patebit. *Genus ſubiectum.*

d *Præterea quod primum.*] Quarta ſignificatio eſt, qua genus ſumitur pro eo, quod refert ad ſpecies, & in earũ definitionibus naturæ ordine primũ ponitur, de iiſq; in quæſt. Quid eſt prædicatur, de quo Philoſophi præcipuè diſſerũt. Aliã explicationẽ addit Ariſto. *Et cuius differẽtiæ,* inquit, *ſunt qualitates,* quaſi dicat: Et cuius immediatè diuiditur per differẽtias, quę faciũt quale quid, *Genus primum vniuerſale definitur.*

quã explicationẽ adhibuit, vt perſpicuè genus à ſpecie diſtingueret: neque enim admodum apertè ſpeciem excluſerat, quod nũc facit. Nam etſi ſpecies diuiditur per differentias in ſua inferiora (dicitur enim de pluribus in quæſtione Quid eſt) non tamen diuiditur per differentias, quæ ſint qualitates, hoc eſt, quæ faciãt quale quid. Habet autem emphaſim, quod Ariſtoteles nominat qualitates cũ articulo ἀποιότητες: ſignificat enim non qualeſcunque, ſed eſſentiales, ſiue quæ ad ſpeciei conſtitutionem pertinent. Nonnulli tamen putant articulo præfixo ſignificari verbum Qualitatis ſubiectum eſſe: Differentiæ verò, prædicatum: quod non eſt ad rem.

ὁ λέγεται ἐν τῷ τί ἐστι, τοῦτο γένος, οὗ διαφοραὶ λέγονται αἱ ποιότητες. τὸ μὲν οὖν γένος, τοσαυταχῶς λέγεται. τὸ μὲν πρῶτον κινῆσαν ἕτερον τῷ εἴδους τὸ δὲ πρῶτον κινῆσαν ἕτερον μορίου, τὸ δ' ὡς ὕλη. ἔστι γὰρ ἡ διαφορὰ, καὶ ἡ ποιότης ἐν τούτοις ἐστὶ τὸ ὑποκείμενον ὃ λέγομεν ὕλην. ἕτερα δὲ τῷ γένει λέγεται, ὧν ἕτερον τὸ πρῶτον ὑποκείμενον, καὶ μὴ ἀναλύεται θάτερον εἰς θάτερον, μηδ' ἄμφω εἰς ταὐτόν: οἷον, τὸ εἶδος καὶ ἡ ὕλη, ἕτερον τῷ γένει καὶ ὅσα καθ' ἕτερον σχῆμα κατηγορίας τοῦ ὄντος λέγεται. τὰ μὲν γὰρ τί ἐστι σημαίνει τῶν ὄντων, τὰ δὲ ποιόν τι. τὰ δ' ὡς διήρηται πρότερον. οὐδὲ ταῦτα ἀναλύεται, οὔτ' εἰς ἄλληλα, οὔτ' εἰς ἕν τι.

e *Itaque genus his modis.* ] Breuius colligit propoſitas ſignificationes, ea de cauſſa rediգens in vnam duas extremas, quæ ſunt Philoſophorum propriæ, quia genus in vtraque eſt ſimile materiæ. Quo loco forraſſe nomine differentiæ intelligit differentiam accidentalem, ad ſignificandum genus ſubiicibile: nomine autem qualitatis, differẽtiam eſſentialem, vt ſignificet genus prædicabile.

*Quæ multitudo dicatur proprie genus.*

*Dei genus ſumus impropriè dictum.*

f *Species eiuſdem* ] Hinc patet, multitudinem deſcendentium ab vno progenitore non admodum propriè dici genus illius nisi ſit eiuſdem ſpeciei cum illo, quemadmodum nec ipſe progenitor, alioqui propriè dicitur illorũ genus, reſpondent enim ſibi mutuo hæ duæ vſurpationes generis tamquam principium, & id, quod ex principio exiſtit. Nam genus ſecũdo modo ſumptum, eſt principium generis primo modo ſumpti. vt Ariſtoteles dixit in explicatione ſecundi Quare minus propriè dictum eſt illud apud Aratum in Phænomenis (quod Paulus refert in Apoſtolorum actis) *Ipſius enim*, hoc eſt, Dei, *& genus ſumus*: quemadmodum & impropriè dictum eſſet, Deum eſſe genus noſtrum, cum non ſit noſtræ ſpeciei. *Cap. 17.*

*Quæ apud Philoſopos diuerſi genere dicantur. Alexandri explicatio*

g *Diuerſa autem genere.* ] Miſſa prima & ſecunda generis ſignificatione quia ad hiſtoricos potius & poetas pertinet, docet duobus modis apud Philoſophos aliqua dici poſſe diuerſa genere, vno iuxta tertiã ſignificationẽ, altero iuxta quartã. Priori modo ea dicuntur genere diuerſa, quorũ primũ, hoc eſt, proximũ ſubiectum (quo pacto exponit Alexander) diuerſum eſt, &c. veluti forma & materia. Quo loco primum ſubiectum videtur accipi pro ſubiecto diuerſitatis, alioqui allatum exemplum non eſſet ad rem, cum materia non habeat ſubiectum, niſi ſic interpreteris, *Quorum primum ſubiectum ſi ſubiectum habeat, &c.* Itaque ſenſus eſt, Diuerſa genera ea eſſe, quæ cùm ſint diuerſa, neque in ſeſe, neque in aliquid tertium phyſicè reſoluuntur, quo pacto docet Ariſtoteles libro 10. Corruptibile & incorruptibile eſſe diuerſa genere: tametſi ratione generis quarto modo ſumpti ſint idem genere Eodem modo dicimus, colores & ſapores, etſi ſunt idem genere prædicabili, quod eſt qualitas: eſſe tamen diuerſa genere ſubiecto, quia eorũ ſubiecta neque in ſeſe, neque in aliquod tertium genus ſubiectũ reſolui poſſunt: Nãque ſubiectũ colorum eſt ſuperficies: ſubiectũ autẽ ſaporum eſt humor: quæ quidẽ neque in ſeſe, neque in tertiũ aliquod ſubiectũ reſoluuntur. Hoc tamen modo nullã ſubſtantiã corruptibilẽ poſſumus dicere diuerſã genere ab alia corruptibili, *Cap. 13. Text. 26.*

*ſubiectũ colorum & ſaporum.*



bili, quia omnes reſoluuntur in eam̃dem materiam primam, quæ omnium formarum, quæ generatione induci poſſunt, capax eſt.

h *Item quæ diuerſa.* ] Diuerſa genere hoc poſteriori modo ea dicuntur, quæ ſunt in diuerſis prædicamentis, vt animal & ſuperficies.

i *Hæc enim neque.* ] Nomine reſolutionis hoc loco non eſt intelligenda reſolutio phyſica, vt in ſuperiori diuerſitate explicanda, ſed metaphyſica, ſeu quæ intellectus operatione perficitur; hoc enim modo tantùm reſoluuntur ſpecies in ſua genera, quaſi in materiã.

*in quæſtione Quid eſt prædicatur, id genus dicitur, cuius differentiæ qualitates dicuntur. Itaque ea genus his modis dicitur: aliud quidem ratione continuæ generationis eiuſdem ſpeciei: aliud autem ratione eius, quod primum mouit ſpecie ſi eiuſdem: aliud verò, vt materia, cuius enim differentia & qualitas eſt, id vti que eſt ſubiectum, quod materiam appellamus. Diuerſa autem genere dicuntur, quorum primum ſubiectum diuerſum eſt, nec alterum in alterum, aut vtrumque in idem reſoluitur: quo pacto forma & materia ſunt diuerſa genere. Item* h *quæcumque diuerſa prædicationis figura eius, quod eſt, dicuntur. Entium enim alia quid res ſint ſignificant, alia quale quid, alia verò, vt ante diuiſims. Hæc* i *enim neque alia in alia, neque in vnum quid reſoluuntur.*

Sed quoniam genus quarto modo vſurpatũ, de quo Philoſophi præcipuè differunt prima eſſe dicitur vniuerſalium ſpecies, nec ſine cæteris ſpeciebus partim omnino, partim perfectè intelligi poteſt, rationi conſentaneum fuerit, vt ex iis, quę Philoſophi de toto vniuerſalium genere variè admodum ſcripſerunt, nobiſque aliàs, cùm de iis meditatiùs ſcriberemus occurerũt ea ſeligamus, quæ & vero ſimiliora, & adVſum accommodatiora exiſtimemus. Hac enim in re maximè videntur multorum ingenia & liberius vagari, & tempus inutilius conterere. Quæ tamen ſiquis dicat ad librum ſeptimum potius explicanda fuiſſe, rectè quidẽ ſentiet, idq; nobis erat in animo. Sed cùm nõ magni referret, quæ cuius rei occaſione in hoc opere explicarẽtur, vt initio huius operis diximus: effecerunt multorum preces, vt in hac controuerſia, quæ pæne quotidiana eſt in ſcholis Philoſophiæ, ea, quæ demum probabiliora exiſtimauimus, haud grauatè huic loco aſcriberemus.

*De Vniuerſalibus diſputatio inſtituitur.*

## QVO PACTO VNIVERSALIA TRACTANda ſint hoc loco. QVAESTIO I.

*Quot modis apud Philoſophos vniuerſale dicatur.* SECTIO I.

VNIVERSALE, ſeu commune latiſſima quidem ſignificatione nihil eſt aliud, quàm vnum quid ad multa pertinens. Sed tamen apud Philoſophos tribus modis potiſſimum vſurpatur: in cauſſando, vt aiunt, in ſignificando, in prædicando. Ex his ſola ea, quæ ad tertium genus pertinent, abſolutè, & ſine adiectione vniuerſalia dicuntur. Cauſſæ enim vniuerſales particularia quædam ſunt entia, vt Sol, vt Deus: ſigna item vniuerſalia, vt conceptus vniuerſales, & nomina vniuerſalia, veluti naturæ humanæ, aut equinæ, res etiam ſingulares ſunt: at ea, quæ de pluribus prædicantur, vt homo, vt equus, communiter ſumpta, abſolutè vniuerſalia, & res vniuerſales appellantur, quod nihil ſingulare in multis numerari poſſit. Quocirca de hoc ſolo tertio genere nobis diſputandum eſt.

*Tribus potiſſimum modis vſurpari vniuerſale.*

*Vniuersalis definitiones*

Sed cùm illud definiatur 7. libro huius operis [a] *quod aptum est, vt in pluribus insit*: in priori autem libro de Interpretatione [b] *quod aptum est, vt de pluribus prædicetur*, & in vtraque definitione loco generis subaudiendum sit, vnum quid, & nomine & ratione, vt patet ex iis, quæ Aristoteles non semel tradit priori eli. de Posteriori resolutione: interdum quidem ita latè sumitur vniuersale, vt analoga etiam complectantur, ea præsertim, quæ proportione propria dicuntur: vt cùm Aristoteles tertio [d] huius operis libro ait, *Ens, & vnum, esse maximè vniuersalia*, & 4. [e] libro, *tot esse species vnius, quot sunt species entis*: & 3. [f] Physic. *tot esse motus species, quot entis species sunt*: interdum verò ita presse, vt sola vniuoca comprehendat, veluti in 4. [g] libro huius operis, cùm scribit. *Ens, & vnum, non esse vniuersalia ac eadem in omnibus*. & primo Ethicorum cap. 6. vbi sic ait. *Cùm bonum æquè atque ens dicatur, constat non esse quicquam vniuersale, ac vnum: Non enim in omnibus*, inquit, *prædicamentis, sed in vno tantummodo diceretur*. Ac meritò quidem hæc sola, si res diligentius expendatur, dicuntur vniuersalia, quia sola vniuoca propriè dicuntur esse vnius rationis. Analoga enim eiusdem quodammodo rationis dici possunt: simpliciter autem & absolutè dici non possunt. Itaque interdum vniuersalia dicuntur, non alia de causa, nisi quia veris vniuersalibus sunt similia: ea præsertim, quæ sunt analoga proportione propria, vt ens, bonum, principium, causa, elementum, natura, motus, & similia, quod ad naturam verorum vniuersalium propiùs accedant, & interdum illis adeo sint affinia, vt vix ab eis discerni videantur. Dixi, *præsertim proportione propria*, quia quæ attributione tantùm analoga sunt, vt sanum animali, & medicamento: aut proportione impropria & translatitia vt risus comparatione hominis, & prati, rarius vniuersalia dicuntur, Hac eadem ratione, hoc est, non simpliciter & absolutè, sed verorum vniuersalium imitatione, vniuersalia dicuntur pleraque entia per accidens, si ea, ex quibus constant, sint per se ordinata inter sese, vt nauis, exercitus, Respublica, Mundus: non autem si per accidens, siue ratione alterius vnum dicuntur, vt cumulus ratione loci, & fascis ratione vinculi. Quamquam enim eorum rationes æquè participentur ab iis, de quibus dicuntur, vt ratio nauis ab hac & illa: ipsa tamen in se non habent veram vnitatem, cùm non sint veræ vnius alicuius naturæ, quæ ex eorum, quibus constant, aggregatione resultet. Quocirca Respublica, quam Aristoteles 8. Ethicorum capite 10. & 3. Polytic. capite 1. facit genus multarum specierum, & Mundus, quem primo de Cælo facit speciem infimam, cæteráque huiusmodi, in nullo prædicamento per seipsa ponuntur, vt percurrenti singula, & consideranti sinceritatem eorum, quæ per se in prædicamentis ponuntur, perspicuum erit. Est & alia ratio, cur dicantur vniuersalia, cùm hæc, tum analoga ipsa: nempe, quia de his etiam ex instituto disserent Philosophi: aliíque artifices, qui nisi de vniuersalibus agere per se non dicuntur. Vnde & de analogis etiam haberi scientiam docuit Aristoteles libro superiori, capite

*Vnum apud Aristotelem quo pacto vsurpetur:*

*Entia per accidens nō simpliciter dicī vniuersalia.*

*Sola vniuoca dici propriè vniuersalia.*

[a] Cap. 13. tex. 45.
[b] Cap. 5.
[c] Cap. 8. tex. 25. & c. 20. c 20. tex. 39.
Idē habes 2. lib. Poster. ca 17. tex. 27. & 1. lib. de Partibus animalium. c. 4
[d] ca. 4. text. 10. & 4. c. tex. 16.
[e] Cap. 2. tex 5.
[f] Cap. 2. tex. 3.
[g] cap. 2. tex. 6.

*Cap. 1. tex. 4.*



*Tex. 2.* pite secundo, quod hæc etiam, vt ait, vna ratione quodammodo dicantur: id quod de entibus per accidens, si in eis aliquis per se ordo cernatur, pari ratione sentiendum est.

*Triplex consideratio & acceptio verorum vniuersalium, & quænam earum hoc loco præcipuè spectetur.* SECTIO II.

MISSIS ergo iis vniuersalibus, quæ vniuoca non sunt, & quorum nomina naturámve vnam haud significant: de iis, quæ verè ac simpliciter vniuersalia dicuntur, triplex est cōsideratio. Nam vt causa, vno modo spectatur quoad esse rei, quæ causa dicitur, vt Sol, quatenus Sol, & homo, quatenus homo, quo pacto dicimus, causam efficientem æquiuocam nobiliorem esse suo effectu: altero, quoad relationem causæ ad effectum: qua ratione dicimus causam & effectum esse simul natura, seséque mutuo ponere, ac tollere: tertio quoad ipsam causandi rationem, quæ est media quædam consideratio, vt quæ supponit primam, & antecedit secundam, & est propria acceptio causæ, vt causa est: quo pacto dicimus, omnem causam esse priorem natura suo effectu & à qua effectus pendeat, de qua distinctione primo libro fusius diximus: ita res suo modo habet in vniuersalibus. Vno enim modo vniuersalia spectantur quoad esse rerum, quæ denominātur vniuersales, vt substantia, quæ summū genus dicitur quatenus substātia est: & animal, quod genus est subalternū, quoad ipsum animalis esse: quo pacto vniuersalia dicuntur perpetua, & quæ per seipsa nec gignātur, nec intereant. Altero quoad relationem vniuersalis ad particulare: qua ratione vniuersale & particulare simul natura sunt, nec alterum sine altero aut esse, aut intelligi potest. Tertio quoad ipsam vniuersalitatis rationem, quæ media est, & vt supponit primam, ita est fundamentum secundæ, propriáque & germana cōsideratio vniuersalis, quatenus vniuersale est: quo pacto sumpto vniuersalis nomine quærunt Philosophi, cohæreant ne vniuersalia in rerum natura, vt Plato sentiebat: an verò in mente solū, vt credit Aristoteles. Hæc enim tam celebris grauísque inter præcipuos Philosophiæ principes controuersia non de rebus ipsis, quæ vniuersales cognominantur, absolutè sumptis intelligitur: cùm apertum sit cohærere illas in rerum natura: non item de iis, quatenus inuicem referuntur relationibus vniuersalitatis & particularitatis: quippe cùm constet non excitari eam quæstionē de illo esse absoluto rerum vniuersaliū, quo simul natura sunt cum suis particularibus: sed de eo quo illis sunt priores aut posteriores, iuxta huius aut illius sententiam. Plato enim creditur existimasse dari res vniuersales ante particularia in rerum natura cum ipsa rerum vniuersalitate, seu communitate, hoc est, ad nullum particulare addictas: vt hominem communem, qui nullus sit ex singulis, sed ex æquo omnes respiciat seiunctus à singulis. Aristoteles autem iudicat, quicquid vniuersale est, vt huiusmodi est, posterius esse suis particularibus, nihílque esse à singularibus separatum, nisi operatione intellectus, cuius hoc munus est, vt quæ in rebus

*Triplex causæ consideratio.*

*Cap. 7. q. 1. sect. 3. & hoc ipso libro ca. 2. q. 2. sect. 2. Vide D. Tho. Quodlib. 8. art. 1. & Scotum in 2. d. 3. q. 1.*

*Tres verorū vniuersaliū acceptiones. Prima. Secunda. Tertia. Germana vniuersalis consideratio. De qua celèbris inter Philosoph. cōtrouersia.*

*Platonis sententia.*

*Aristotelis iudicium.*

rebus coniuncta sunt, ipse seiungat ac secernat.

Atque hoc pacto considerauit Aristoteles vniuersale, cum illud definiuit libro [a] 7. huius operis, *aptum quid vt in pluribus insit*: & in priori [b] de Interpretatione, *aptum vt de pluribus dicatur*: ac demum in [c] libris de Posteriori resolutione, *vnum in multis, & propter multa*.

a cap. 13. Tex. 45. b cap. 5. c Li. 1. c. 18. tex. 34. & c. 20. tex. 39. & lib. 2. c. 18. tex. 27.

*Relationem vniuersalis duo supponere.*

Relatio enim vniuersalis ad particularia duo supponit: alterum est vnitas rei, non nominis tantùm, sed rationis etiam: alterum aptitudo, vt in multis insit per modum identitatis, ac proinde, vt eo pacto de multis dicatur. Nam neque vnitas sine aptitudine, neque aptitudo sine vnitate satis est, vt rem faciat verè ac propriè vniuersalem: siquidem analoga, vt ens, suo modo apta sunt, vt in multis insint: & singulare quodque vt Socrates, non tantum nomine, sed sua etiam ratione est vnum: nec tamen vel analoga, vel singularia sunt vniuersalia: quod analogis desit vera vnitas, & singularibus aptitudo, vt sint in multis, in quibus ipsa videlicet multiplicata sint, & numerari possint, quo pacto aptitudo hæc intelligenda est, vt faciat rem vniuersalem, alioqui diuinam quoque essentiam vniuersalem cogitaremus, ac proinde genus aut speciem comparatione diuinarum personarum. Quãquam eo modo sumi possunt vnitas & aptitudo vt ex vtralibet liceat colligere, rem, cui cõuenit vniuersalem esse, vt patebit inferius.

*Diuinam essentiam nõ esse rem vniuersalem.*

*Ordo tractãdorum.*

Cum igitur hæc sit propria & præcipua vniuersalium, quatenus vniuersalia sunt, consideratio, primùm nos de eorum vnitate, deinde de aptitudine disputabimus, simúlque quo pacto vtraque in definitione prima vniuersalis (quæ præcipua est) sumenda sit, docebimus: tum verò disquiremus: fiant ne vniuersalia actione aliqua intellectus, an res per se ipsæ sint vniuersales: ac demum, ne considerationem relationis vniuersalium ad particularia, & vicissim particularium ad vniuersalia alienam faciamus ab instituto primi Philosophi, paucis exponemũs quænam illæ sint, & quas species contineant: si tamen ante omnia eam dubitationem, quæ has præcedit, quæque facilior est, breuiter expediamus; Resne, an sola nomina sint vniuersalia.

---

## RES AN SOLA NOMINA SINT vniuersalia.

## QVÆSTIO II.

*Nominalium opinio.* SECTIO II.

ETSI ex superiori quæstione facilè intelligitur, res, quæ nominibus significantur, propriè dici vniuersales quod eæ tãtùm in pluribus insint, & propriè de pluribus dicantur (nomina enim nec sunt in pluribus, cùm singularia quædã entia sint, nec de pluribus dicuntur, nisi ratione rerum, pro quibus sumuntur) tamen importunũ quoddam philosophorum genus facit, vt quæstionem hanc discutiamus. Hos antiqui etiam Scholastici, in quibus sunt Albertus Magnus, eiúsque discipulus D. Thomas, antiquiores agnoscunt, & Nominales

*Albert. Mag. in Porphyriũ tract. 1. cap. 1. D. Tho. 1. p. q. 14. art. 15.*



nales appellant, quòd scientias omnes non de rebus vniuersalibus, quas nullas esse putabant, sed de rerum communibus vocabulis haberi existimarent. Occasionem huiusmodi Philosophis dederunt Heraclitus, Antisthenes, & Epicurei, qui cùm singularia omnia fluxa & caduca esse crederent: neque in eis stabile quicquam conciperent, scientiam omnem, certámque rerum cognitionem de mediò tollebant: Quod Nominales ne facerent, scientias omnes, quas negare non ausi sunt, ad nomina communia retulerunt, quod nullam etiam, quemadmodum & illi, communem naturam, quæ per se stabilis esset & constans, in singularibus esse arbitrarentur: quamquam non negarunt, plurima esse singularia stabilia & perpetua, de quibus, quia singularia essent, & quæ haud propriè definiri possent, scientiam quoque propriè haberi noluerunt.

*Nominalium antiquitas vnde dicatur.*

*Qui primi fontes huius fecerũt.*

*Lege Platonem in fine Cratyli. & Arist. 4. lib. Metaph. c. 5. tex. 22.*

*Ocham. in 1. d. 2. q. 4. & in 1. par. suæ Logicæ. c. 14. & 15. & quolib. 5. q. 12. & 13. Gabr. in 1. dist. 2. q. 7. & 8.*

Huius opinionis, veterum Scholasticorum realium industria pœnè iam sepultæ, instaurator fuit Guillelmus Ocham Scoti auditor, homo ingeniosus quidem sed nouarum rerum studiosior, qui apud recentiores Nominales tantùm auctoritatis obtinuit, vt quasi nouam philosophandi viam primus inuenerit, venerabilis inceptoris nomen assecutus sit. At cùm multa sint apud illum & in primum Sententiarum librum, & in opusculis quibusdam philosophicis, tum etiam apud alios eius sectatores argumenta, quibus sola rerum communia vocabula, vniuersalia esse confirmentur, hæc satis erunt hoc loco.

*Ochami ingenium.*

*Argumenta Nominalium.*

Primum, quia nulla res eadem simul esse potest & vniuersalis & singularis: vniuersalis enim, si vlla est, oportet, vt sit eadem in multis, singularis autem non est eadem in multis: quæ contradictionem implicant. Cùm igitur res omnes, quæ in Mundo sunt, singulares sint, (quicquid enim in rerum natura est, aut est Deus ipse, qui est maximè singularis, aut aliquid factum à Deo, quod singulare etiam sit necesse est, cum omnis actio singulare aliquid terminetur) efficitur, vt nulla omnino sit res vniuersalis. 1.

Alterum, quia, vt de rebus corporeis loquamur, nulla omnino est, quæ digito ostendi non possit. Cùm igitur res vniuersales, si vllæ sunt, digito designari nequeant, iam enim essent singulares, efficitur, vt nulla res corporea sit vniuersalis. Quod si res vniuersales sunt incorporeæ, ergo de rebus corporeis dici non possunt, ac proinde nullæ sunt rerum corporearum vniuersales naturæ. 2.

Tertium, quia res vniuersalis, si vlla est in rerum natura existens, & quæ in multis eadem insit, non est vtique certo in loco aut tempore: at quicquid in rerum natura est, certo in loco est aut in tempore: nisi sit Deus ipse, qui immensitate præsentiæ & existentiæ suæ loco & tempore definiri nequit: nulla est igitur res vniuersalis, nisi fortasse Deus, qui tamen, cùm de pluribus differentibus non dicatur, vniuersalis existimari nullo modo potest. Cætera subtiliora Nominalium argumenta ex ipsa rerum vniuersalium ratione ducta, commodius in aliis quæstionibus de hac materia tractandis afferentur. 3.

*Auctoritate Aristotelis eadem opinio confirmatur.*

Ex auctoritate etiam Aristotelis idem conatur ostendere. Tradit enim libro septimo huius operis capit. 13. *genera & species substantiarum non*

*rum non esse substantias*: quod non alia ratione dixisse credunt, nisi quia sunt nomina quædam multis singularibus substantijs communia. Scribit etiam in libro Prædicamentorum, secundas substantias, quas genera & species primarum esse definierat, significare quale aliquid, quod est nominum communium proprium & peculiare. Planius idem videtur colligi ex 4. Politicorum libro ca. 2. vbi sic scribit. *De optimo statu Reip. differere, nihil est aliud, quàm de his nominibus disputare*, nominauerat autem proximè Regnũ & Aristocratiam, hoc est, optimatum administrationem, & eam, quæ communi vocabulo Respublica dicitur.

*Ca. de substantia.*

*Alexandri testimonium.*

Accedit Alexandri Aphrodisei auctoritas, quæ præcipua est apud Peripateticos. Is enim disertis verbis ait in Commentarijs libri 7. huius operis, *ens & vnum mera esse nomina, quæ de rebus prædicantur*. Quod idem pari ratione de substantia, de accidente, cæterisque communibus rerum attributis sentiendum.

*cap. 19. text. 57.*

*Refutatio propositæ opinionis, & oppositæ confirmatio.*

## SECTIO II.

SED Nominales (quod eorum pace dixerim) dum omnem rerum inter se communionem de medio tollunt, nullámque omnino cum alia in natura vlla communi, sed in solis earum communibus vocabulis conuenire dicunt: seipsos Philosophorum choro indignos esse ostendunt. Namque, vt Plato ait in Sophista: *Omnia ab omnibus secernere, & incontinuum est, & hominis Musicæ Philosophiæque prorsus expertis. Incontinuum*, dixit, quia nisi particularium inconstantia & infinitas, rata ac certa communium naturarum conditione quasi colligetur, dissoluta erit & tumultuaria omnis rerum tractatio: *hominis verò Musicæ imperiti*, quia, qui communes naturas ex collatione rerum inter se colligere non valet, is planè ineptus est, vel ad ipsarum vocum sonorúmque conuenientiam percipiendam, in qua tota Musicæ artis peritia continetur. Denique, *Philosophia prorsus expertis*, quia Philosophia, omnísque scientia, quæ propriè hoc nomine censetur, aliquid commune tradit, quod caussa sit eorum, quæ in multis particularibus quæruntur. Nam, vt Aristoteles 1. libro huius operis rectè ait: *Ars medica non quærit quid profuit Calliæ, proprio ac peculiari morbo laboranti, sed quid Calliæ, aliísque eadem communi ægritudine affectis*: quod quidem commune aliquid sit necesse est: nec sanè nomen vllum, sed res communi nomine significata. Itaque vna hæc ratio ex ipsa philosophandi ratione sumitur.

*Perstringuntur Nominales.*

*Prima ratio ex Philosophandi vera ratione deducta.*

*Cap. 1.*

*Secunda, Ex ijs, quæ ab aduersarijs concedantur.*

Altera desumi potest ex aduersariorum concessione. Nam cùm illi dicunt, scientiam haberi de nominibus communibus, vt scientiam de animalibus de animalis nomine, quod omnia animalia significat: non ita sunt mentis inopes, vt velint haberi de hoc tantùm nomine externo, aut interno conceptu formali, quem ego nunc formo, aut de eo solo, quem tu crastina die formabis: cùm non maior sit ratio, cur habeatur de hoc solo, quam de illo tantùm. Nec verò haberi sentient de aggregatione omnium, qui vmquam, & ab omnibus hominibus formari possunt, cùm sint infinita, quæ eorum etiam confessione sub scientiam



scientiam cadere non possunt: sentiant igitur necesse est, haberi de nomine animalis, quod huic nomini animalis & illi, cæterisque similibus commune est. At nomen hoc pacto commune, non solùm est commune signum, quod multa significet, sed etiam res communis, quæ de multis singularibus dicatur. Cùm igitur concedunt, scientiam haberi de nominibus communibus seu vniuersalibus in significando: fateri coguntur haberi de rebus vniuersalibus in prædicando, vniuersaliáque non tantùm esse nomina communia, sed præcipuè res naturásque communes.

*Tertia. Ex nominũ communium significatione.*

Tertia ex ipsa nominum communium significatione ducitur. Nam vt in eodem animalis nomine rem expendamus: hoc nomen, *animal*, non significat totum id, quod in hominis natura continetur, nec totum id, quod in natura bestiæ: cum nihil significet eorum, in quibus homo à bestia distinguitur, vt apertum est: ergo tantùm significat naturam aliquam, in qua homo & bestia conueniunt: non est igitur solùm animalis nomen vniuersale, sed & natura animalis.

*Quarta. Ex vniuoca prædicandi ratione.*

Quarta sumitur ex vniuoca prædicandi ratione. Quod enim vniuocè prædicatur de pluribus rebus significatis per nomen, non est propriè nomen ipsum commune, non item ratio ipsa formalis, quæ nomini respondet: falso enim dicas, Socratem v. c. esse ipsum nominis vocabulum, aut conceptum formalem, quo mens apud se hominem definit: est igitur res alia naturáve, quæ æquè reperitur in omnibus iis, de quibus dicitur. At ea non potest esse singularis: quia quod singulare est, non potest esse in pluribus eo pacto, quo vniuersale in pluribus esse definitur: neque etiam omnia singularia significata simul iuncta, cùm aggregatio omnium non dicatur de singulis: est igitur res aliqua vniuersalis, quæ in illis sit, & de illis dicatur.

*Quinta. Ex definiendi, demonstrandique ratione.*

Quinta ex ratione deniendi & demonstrandi. Neque enim definitio aut demonstratio primò & adæquatè de re vlla particulari significata per nomen commune, quippe cùm vtraque in alias quoque res particulares conueniat: neque item de ipso communi nomine: quia nec definitio, quæ pluribus rebus particularibus conuenit, declarat naturam communis eorum vocabuli: aut demonstratio vllam eius proprietatem ostendit: nec denique fit de tota particularium aggregatione, cùm ea non conueniat singulis, aut de eis dicatur: fit igitur de re vniuersali, quæ æquè inest singulis per identitatem, & de singulis prædicatur.

*Sexta. Ex definitionibus vniuersalis.*

Postrema ex ipsis definitionibus vniuersalis. Nam cùm altera dicat, vniuersale esse id, quod aptum est, vt in pluribus insit, idque per identitatem: altera, quod aptum est, vt prædicetur de pluribus, hoc est, vt in pluribus inesse dicatur (hoc enim est prædicari) nomina autem non insint, aut saltem non sic insunt iis rebus pluribus, quas significant: efficitur, vt non nomina, si propriè loquendum est, sed res nominibus significatæ vniuersalium rationem habeant: tantùm abest, vt sola nomina dicenda sint vniuersalia.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Argumenta conglobata.*

Accedunt ea, quæ communiter de vniuersalibus pronunciantur: vt quòd perpetua sint: quòd difficilia cognitu, quòd opera intellectus à singularibus abstrahantur,& pleráque alia huiusmodi,quæ non de nominibus rerum communibus, sed de communibus earum naturis planè dicta esse intelliguntur.

*Ex Aristotelis disputatione contra Platonem.*

Quibus addenda est celebris ea disputatio, quam Aristoteles lib.7. contra Platonem instituit: in qua cum illo supponit vniuersalia rerum materialium esse veras res,non nomina rerum:sed hoc impugnat,quod ea videatur credidisse per se primò subsistentia extra singularia materialia, cum quibus nomine communicant: vt hominem communem separatum à pluribus hominibus, & communem equum à particularibus equis. *cap.14.& tex.51.*

*Concluditur aduersus Nominales.*

Patet igitur ex his, nulla ratione audiendos esse Nominales, cùm dicunt sola nomina communia in significando esse vniuersalia, cùm potius nullum eorum, si propriè loquendum est, sit vniuersale: sed res solæ, quæ primò iis nominibus significantur. Vt enim iam diximus,nomina communia nec insunt rebus, quas significant, nec de illis prædicantur, seu inesse significantur: sed ea ratione figuratè possunt appellari vniuersalia, quòd signa sint eorum, quæ pluribus insunt, & de pluribus prædicantur, ac pro eis in oratione sumuntur: quo pacto Cæsaris statua appellatur Cæsar, & pro eo colitur. Id quod etiam Aristoteles non obscurè tradit in priori libro de Sophistarum captionibus. *Nam quia res*, inquit, *in disputationem afferre non possumus, nominibus pro rebus,vt signis vtimur, quemadmodum ij, qui calculis rationem subducunt.* Egregia profecto similitudo in re proposita. Vt enim hi collecta calculorum summa dicunt, eam esse summam pecuniarum, de qua ratiocinantur, quia illam repræsentat: ita ij, qui disputant, sumptis nominibus rerum pro rebus ipsis, quòd illas significent, multa verbo tenus dicunt de nominibus rerum (aut potius dicere videntur) quæ non nisi rebus significatis conueniunt. Quòd si pro rebus singularibus,& sensibus subiectis, etiam si coram adsint, necesse est nominibus eorum vti, vt de illis disseramus: quanto magis pro vniuersalibus, quæ, vt loco & tempori, ita sensibus subiecta esse nequeunt, vt in disputationem afferantur? Hinc rectè Adeodatus apud Augustinum in libro de Magistro: *Assentior*, inquit, *tibi sermocinari nos omnino non posse, nisi auditis verbis, ad ea referatur animus, quorum ista sunt signa.* *Cap.1.* *Cap. 1. Lege etiam cap.2. eiusdem operis.*

*Nomina vt sint vniuersalia.*

*Obiectio.*

Quod si quis obiiciat, etsi nomina communia non propriè, sed figuratè, atque adeo valde impropriè dici possint inesse iis rebus pluribus, quas remotè significant: tamen propriè prædicari de illis, cùm in enunciatione de iis affirmentur, ac proinde hac ex parte esse propriè vniuersalia: hoc modo respondendum. Nomina communia non affirmari de rebus in enunciatione, vt quæ affirmantur seu prædicantur, sed vt quibus res per ea significatæ prædicantur: at hoc non est propriè prædicari, sed figuratè: quo pacto legati non propriè ineunt fœdus cum iis principibus, ad quos mittuntur, sed sunt ij, quibus principes ipsi inter se fœdus ineunt. Illud tamen addimus, nomina communia

*Dilutio.*

*Nomina vt sint rerum quas significant signa.*

*Nomina legatis comparantur.*



nia minus impropriè dici vniuersalia ratione prædicandi, quàm inesse ndi. Nam etsi non sunt media, quorum interuentu res vniuersales insint particularibus: sunt tamen media, quibus de illis prædicantur.

*Solutio argumentorum partis oppositæ.* SECTIO III.

AD primum igitur partis oppositæ argumentum dicendum est, res omnes, quæ in mundo sunt, re vera esse singulares, quod rectè probant Nominales: sed tamen earum quasdam, etsi quatenus existunt in rerum natura, singulares sunt:tamen alia ratione esse vniuersales. Hoc enim interest inter res, quæ in mundo sunt, quòd quædam sunt singulares per se, vt Socrates, Plato, & cætera omnia, quæ talia sunt, vt plura eiusdem rationis dari non possint: quædam verò singulares per accidens, vt homo, animal, & alia huiusmodi, quorum nil repugnat dari plura numero eiusdem rationis ac naturæ, vt plures homines, & plura animalia. Hæc enim etsi singulatim à Deo fiunt: tamen ea ratione, quæ naturæ ordine præcedunt sui multiplicationem, aut saltem, quatenus concipiuntur sine ijs differentiis, quibus multiplicantur (de hoc enim proximè disputandum est) vniuersales sunt ac dicuntur. *1. Argumentum Nominalium soluitur.* *Rerumquasdam singulæ res per se, quasdam per accidens.*

Ad alterum dicendum, etsi omnes res corporeæ, quæ sunt singulares per se, digito ostendi possunt: tamen quæ sunt singulares per accidens, primóque & immediatè nominibus communibus significantur, digito ostendi non posse, nisi per accidens & in suis singularibus. Nec rectè hinc colliges, eas esse incorporeas, sed non esse ex iis corporeis, quæ per se loco & tempori subiectæ sunt, vt per se ipsas digito designari possint.

*soluitur secundum.*

Ad tertium dicendum, res vniuersales, etsi per sua particularia singulatim accepta certo loco ac tempori addictæ sunt: tamen per se ipsas in nullo certo esse aut loco, aut tempore. Hoc tamen proprium Dei est, vt per se ipsum ac positiuè in omni loco sit, & in omni tempore, seu potius immensitate præsentiæ ac durationis suæ omnia complectatur & loca, & tempora. Quòd autem Aristoteles ait libro huius operis septimo, *genera & species substantiarum non esse substantias*: non ea ratione dictum est, quasi putauerit esse mera nomina, sed ea potius, quia accepit nomen substantiarum pro primarum substantiarum, vt sensus sit: genera & species substantiarum non esse per se primò subsistentes in rerum natura, vt Plato credidisse videtur, sed subsistentes in iis ipsis, quas nos (vt res habet) primas substantias vocamus. *Dei proprium est esse in omni loco & tempore.* *Aristoteles exponitur.*

*Quo sensu dixerit Aristot. secundas substantias significare quale quid.*

Non ideo quoque dixit Aristoteles in Prædicamentis, secundas substantias significare quale aliquid, quod crederet esse voces, non res: alioqui non dixisset quoque eodem loco, primas substantias significare hoc aliquid, ne videretur sentire, primas substantias non esse res, sed voces, quod est apertè falsum. Ea igitur ratione sic locutus est, quia interdum Philosophi accipiunt nomina rerum pro nominibus nominum: quemadmodum à contrario, nonnunquam vtuntur nominibus nominum pro nominibus rerum, vt in loco ex Politicis cita-

Universidad de Deusto
Biblioteca



to. Sensus ergo prioris loci est: secundas substantias, id est, nomina secundarum substantiarum significare quale aliquid : quo pacto eo loco dicitur, primas substantias, id est, nomina primarum substantiarum significare hoc aliquid. Posterioris autem loci sententia est: de his nominibus, Regni nimirum, & Optimatum potentiæ, & cætera: hoc est de Regno, & Optimatum gubernandi ratione, & eius, quæ simpliciter Respublica dicitur. Phrasis quoque Hebræa est, vt verbum pro rei nomine vsurpetur, veluti secundo libro Regum. *Quod*, inquit, *est verbum, indica mihi*, id est, quænam res accidit. Et apud Lucam. *Videamus*, aiunt, *hoc verbum, quod factum est, quod fecit Dominus, & ostendit nobis*, hoc est, rem hanc à Deo patratam, nobisque renunciatam. *Cap. 1. Luc. 2.*

*Alexander explicatur.* Quod denique Alexander ait, *ens & vnum esse mera nomina*, sic intelligendum est, quasi dicat, ens & vnum (accepto entis nomine, vt existentiam significat) non pertinere ad essentias rerum, vt patet ex adiunctis eius loci. Nec mirum, si homo Peripateticus hunc in modum loquatur, cùm apud Aristotelem in prædicamentis cap. 5. ea, quæ non prædicantur essentiali prædicatione, sed accidentaria: dicantur prædicari solo nomine: & alibi, omnes definitiones, quæ essentiales non sunt, vocentur nominum interpretationes, vt videre licet secundo libro Posteriorum capite septimo, [a] & septimo huius operis capite [b] quarto. [a] *Tex. 7.* [b] *Tex. 14.*

Responderi quoque posset, propterea ens & vnum vocari ab Alexandro eo loco mera nomina, quia nomina entis & vnius nihil verè ac simpliciter vnum significant, quemadmodum & cætera analoga omnia: vt hac ex parte rectè ea coniunxit Aristoteles initio prædicamentorum cum iis, quæ sunt casu æquiuoca. Non ita sanè res habet in vniuocis: neque enim dici possunt mera & quasi inania vocabula, cùm eorum quodque aliquid verè ac simpliciter vnum significet: sed prior responsio magis est ad rem, vt merum nomen sumatur pro eo, cui nulla respondet ratio, definitióve essentialis respectu eius, de quo dicitur.

*Opinio Nominalium, qua ratione ferenda esset.* Hoc tamen ex posteriori responsione colligi potest, ea demum ratione fore, vt Nominalium opinio ferenda aliquo modo esset, si omnia nomina, communia, quæ nos vniuoca putamus, essent verè analoga. Nam cùm id, quod nomine analogo significatur, abstrahi non possit ab analogatis, vt ex superiore libro perspicuum est, ac proinde non sit simpliciter vnum, vniuersale autem, si propriè loquamur debeat esse vnum quid simpliciter: non omnino malè dicerent illi, sola nomina esse vniuersalia: siquidem analogorum quodque, si non ratione significationis, certè ratione vocis simpliciter vnum est. *Cap. 2. q. 1. sect. 4.*

QVÆ



## QVÆ VNITAS SIT RERVM VNIVERSALIUM propria. QVÆSTIO III.

*Qua hac in re difficultatem ingerant.* SECTIO I.

VT igitur rerum vniuersalium vnitatem explicemus, videamúsque quænam vnitas sit propria rerum vniuersalium, vt vniuersales sunt, & quo pacto intelligenda sit vnitas in definitione prima vniuersalium, (alij aliter de hac re sentiunt) alterum nobis supponendum est hoc loco, alterum discutiendum. Supponendum quidem, vt rem certam & indubitatam, esse aliquam vnitatem rerum vniuersalium propriam, hoc est, quæ solis rebus vniuersalibus, quatenus sunt vniuersales, conueniat: ita vt, nec conueniat rebus per se singularibus, vt Socrati aut Platoni, neque etiam rebus vniuersalibus alia ratione, quàm qua vniuersales sunt: in hoc enim nulla est apud Philosophos controuersia. Discutiendum verò, quænam sit ea vnitas, quod non solùm compertum non est apud omnes, sed etiam obscurum & difficile. *Quid supponatur in hac quæstione.* *Quid discutiendum.*

*Duplex vnitas.* Ac cùm duplex dici soleat rerum vnitas, numeralis vna, formalis altera, nó parua est ambiguitas, ad vtrum genus pertineat ea vnitas, quam quærimus. Nam quòd numeralis esse non debeat, ex eo probatur, quia numeralis vnitas, cùm sequatur gradum indiuidualem, propria est rerum singularium. Quòd verò è contrario numeralis sit, inde constare videtur, quia perinde numeramus vniuersalia atque singularia: æquè enim dicimus, hoc genus habere quattuor species numero, atque hanc speciem habere mille numero indiuidua. Quod si naturæ quoque vniuersales numerum conficiunt, non dubium videtur, quin vnitates earum propriè sint numerales. *Difficultatis rationes pro vtraque parte.*

Similis est dubitatio, num illa ad genus formalium spectet. Nam quod sit formalis, ex eo perspicuum videtur, quia vt numeralis dicitur esse propria naturarum communium. Contrà verò non esse formalem, satis hac ratione ostendi videtur, quia vnitas formalis est multiplicabilis in inferioribus, quemadmodum & natura, cuius est propria: vnitas autem rerum vniuersalium propria multiplicari non debet in inferioribus rei, quæ denominatur vniuersalis, alioqui liceret ex ea multiplicata colligere, singularia quoque esse vniuersalia.

*Quid hac in re dicendum.*

## SECTIO II.

*Primæ assertio vnitatum vniuersalium propriam non esse numeralem simpliciter.* SIT igitur hac in re primum pronunciatum. Vnitatem rerum vniuersalium propriam non esse numeralem simpliciter, siue qua numerantur res omnino singulares, vt homines singuli, aut equi. Hoc pronunciatum ex eo facilè probatur, quia ex huiusmodi vnitate non licet colligere rem esse vniuersalem, cùm potius naturæ communes ab hoc genere vnitatis habeant vt sint singulares, atque adeò

tot numero, quot sunt ipsa per se singularia: quo pacto natura humana, quæ in Platone, Socrate, & Alcibiade exiſtit, trina eſt numero, quia ipſi Plato, Socrates, & Alcibiades tres ſunt numero.

*Secunda. vnitatẽ vniuerſalium nõ eſſe ex genere formalium puro.*

Alterum pronuntiatum ſit. Vnitatem rerum vniuerſalium propriam nõ eſſe ex genere formalium, ſaltem puro, & nequaquam miſto. Hoc pronuntiatum ratione illa rectè probatum eſt, quia vnitas formalis multiplicatur in inferioribus cum natura, cuius eſt vnitas, hominis cum homine, & vnitas equi cum equo: cùm tamen vnitas, quæ propria eſt rerum vniuerſalium, vt vniuerſales ſunt, multiplicari nequeat in inferioribus rei vniuerſalis. Si enim vnitas ſpeciei humanæ multiplicaretur numero cum humana natura, tot eſſent ſpecies hominum quot indiuidui homines, ipſiqué homines ſinguli eſſent & indiuidui, & indiuidui in infertores homines. Cur autem dixerim, *ſaltem puro, & nequaquam miſto*, paulò pòſt patebit.

*Tertia. vnitatem vniuerſalium ipſis eſſe particularem*

Tertium pronuntiatum eſto. Eam vnitatem, quam quærimus, eſſe ex genere eatum, quæ ſunt quidem peculiares rerum communium, non propriè tamen illis per ſe conueniunt, niſi quatenus naturæ ordine præcedunt contractionem ſui ad particularia. Prima pars huius pronuntiati ex eo conſtat, quia eiuſmodi vnitas non debet conuenire iis, quæ ſunt per ſe ſingularia: iam enim hæc eſſent vniuerſalia, quod fieri non poteſt. Secunda verò ea ratione probatur, quia vnitates, quæ propriè per ſe conueniunt rebus, quæ denominantur vniuerſales, multiplicantur in inferioribus eiuſmodi rerum: in quibus tamen multiplcari non poteſt vnitas, de qua agimus. Tertia demum inde perſpicua fit, quia vnitas, quam quærimus, debet eſse indiuiſio in plura eiuſdem nominis & rationis: vt patet ex ipſa vniuerſalis definitione: nec tamen debet eſse purè negatiua, cùm debeat ſuponere rem, quæ denominatur indiuiſa. Nec verò debet eſse priuatiua impropria, hoc eſt, quæ ſupponat quidem ſubiectum denominatum, ſed tamen non ſupponat aptitudinẽ illius ad dictam diuiſionem: hac enim vnitate rectè dixeris, Socratem eſse vnum quid, cùm ſit indiuiſus, atque adeò indiuiſibilis in plures Socrates, quem tamẽ nequaquam dixeris eſse rem vniuerſalem: ſed debet eſse priuatiua propria, nempe ſupponens aptitudinem ad diuiſionem prædictam. At hæc vnitas, ſiue indiuiſio non eſt propria rerum communium, niſi quatenus illæ præcedunt contractionem ſui ad particularia. In eo enim ſolo ſtatu ſibi per ſe vendicant quaſi propriam eam aptitudinem, quam habent, vt ſic diuidantur: veluti animal, quatenus præcedit contractionem ſui per rationale & irrationale ad hominem & beſtiam: itémque homo, quatenus præcedit contractionem ſui per differentias indiuiduãtes ad particulares homines. Animal enim, vt contractum eſt per rationale, non habet aptitudinem, vt diuidatur in hominem & beſtiam, homóque vt contractus per differentiam Socratis, non habet aptitudinem vt diuidatur in Socratem & Platonem. Animal autem & homo abſolutè accepta, etſi habent eam aptitudinem: non eam tamen ſibi per ſe vendicant quaſi propriam (alioqui ſuis inferioribus illam communicarent) ſed habent eam per accidens, nempe ratione illius anteceſſionis, qua ſui contra-

*Quænam ſit vnitas quæ in hac quæſtione quæritur.*

*Vnitas vniuerſalium nõ eſt ipſis propria niſi quatenus illa præcedunt cõtractionem ſui ad particularia.*



contractionem multiplicationémque præcedunt. Quod ſi ita eſt, ergo vnitas, quæ huiuſmodi aptitudinem ſupponit, propria eſſe non poteſt rerum vniuerſalium, niſi quatenus illæ naturæ ordine præcedunt contractionem ſui ad particularia. Ita fit, vt hæc ſola vnitas ſiue indiuiſio ſit propria rerum vniuerſalium, quatenus vniuerſales ſunt.

*Quarta aſſertio, vnitas vniuerſaliũ mixta ex formali & numerali dici poteſt.*

Quartum pronunciatum ſit. Vnitatem, de qua eſt controuerſia (quam nos aliquando, vt à formali diſtingueremus, præciſionis appellauimus) ſi ad generalem diuiſionem vnitatis in numeralem & formalem reuocanda eſt, etſi quodammodo miſta ex formali & numerali dici poteſt: tamen numeralem potius appellandam eſſe. Cur autem præciſionis dixerimus, illa eſt ratio: quia non conuenit rebus quæ denominantur vniuerſales, niſi præcisè in eo prioritatis gradu, quo illæ præcedunt contractionem ſui ad ſua particularia. Quòd autem quodammodo miſta dici poſſit, ea ratione intellige: quia, quatenus conuenit ſolis naturis communibus, rationem participat formalis vnitatis: naturæ enim communes ſunt modo ſuo formæ rerum particularium: quatenus autem conficit numerum ipſarum naturarum communium, quem formalis vnitas conficere non poteſt, numeralis quoque rationem habet: formalis enim, cùm tam multiplicata ſit in rebus particularibus, quàm eſt ipſa natura communis, cuius eſt propria, certum numerũ per ſeipſum minimè conficit. Quòd denique potius numeralis appellanda ſit, vt eam ad caput decimum tertium appellauimus: hac ratione patet. Quia quemadmodum numeramus particularia, ita numeramus vniuerſalia, neque alia vnitate, quàm præciſionis: tum etiam, quia non eſt, cur ea vnitas negetur eſſe numeralis, quæ eſt incommunicabilis pluribus. Vt enim communicabilitas ſeu multiplicabilitas in cauſſa eſt, cur formalis vnitas non dicatur numeralis: ita oppoſita incommunicabilitas in cauſſa eſſe debet, cur vnitas præciſionis, numeralis appelletur.

*Cur ea vnitas, præciſionis dicta ſit. Cur miſta dici poſſit quodammodo.*

*Quæſt. 3. ſect. 1.*

*Potius eſſe dicendam numeralem.*

*Duplex vnitas numeralis.*

Erit igitur duplex vnitas numeralis, altera rerum per ſe ſingularium, altera rerum vniuerſalium ſiue naturarum communium.

## *Obiecta quædam.* SECTIO II.

*Obiectiõ contra loquendi modum.*

SEd contra hæc, nonnulla occurrunt: vnum de modo loquendi, cætera de re ipſa.

De modo loquendi illud videtur nequaquam vſurpandum, vt vnitas rerum vniuerſalium propria dicatur numeralis. Si enim homo communis vnitate numerali eſt vnus: igitur eſt vnus numero: ita vnum numero dicetur de pluribus numero, quod fieri nullo modo poteſt: aut ſi non dicetur incurremus in reprehenſionem, qua Ariſtoteles Platonem vrget: ſi homo communis vnus eſt numero, ac proinde de particularibus non dicitur, nihil illum ad eſſentiam particularium hominum pertinere, fruſtráque poni, ſiue, vt particulares in rerum natura ſint, ſiue vt cognoſcantur.

*Lib. 7. Metaphyſ. c. 14. text. 51. & ſequentibus, aliiſque locis.*

*Primum cõtra rẽ ipſam.*

De re autem ipſa illud primum eſt obuium. Ex ipſa definitione vniuerſalis perſpicuum videri res vniuerſales, quatenus vniuerſales ſunt, non aliam vnitatem habere, niſi communicabilem, nempe &

Universidad de Deusto
Biblioteca



nomine,& ratione:hoc enim modo exponit Aristoteles vnum illud, quod in definitione intelligitur. Quòd si ex definitione vniuersalis non alia vnitas colligitur, quàm communicabilis seu multiplicabilis vnitas,vnitas formalis satis est,vt res sit vniuersalis, igitur præter formalem nulla alia ad eam rem quærenda est.

*Secundum. Triplex consideratio rerum quæ sint vniuersales.*

Deinde illud se offert,nullam aliam vnitatem, præter formalem & numeralem rerum singularium propriam, colligi posse ex trina illa consideratione rerum,quæ denominantur vniuersales,tam sæpè apud D.Thomam & alios vsurpata:vt earum quæque spectetur vel absolutè,vt homo,quatenus homo:vel contracta in suis particularibus,vt homo,quatenus hic homo aut ille: vel à suis particularibus abstracta,vt homo,quatenus operatione intellectus aut concipitur, aut solùm repræsentatur sine differentiis, quibus in suis particularibus contractus erat:quandoquidem prius res contracta est, quàm à contrahentibus abstrahatur. Nam homini, quatenus homo est,non alia vnitas videtur cõuenire, quàm formalis:hæc enim sola naturam humanam per se consequitur, & cum ea in particularibus multiplicatur, quemadmodum & cæteræ illius proprietates. Quatenus autem hic homo est aut ille, nulla ei alia vnitas conuenit, nisi vel illa ipsa formalis iam particularis facta, vel numeralis ea, quæ propria est huius aut illius indiuidui, veluti Socratis aut Platonis, à qua homo non per se, sed per accidens, siue ratione adiunctæ differentiæ denominatur vnus. Quatenus verò abstractus est, & quasi auulsus à differentiis,quibus in suis particularibus contractus erat,nulla ei datur noua vnitas:sed hoc tantùm fit per abstractionem, vt liberetur à differentiis contrahentibus,& quod inde sequitur, ab vnitatibus numeralibus,quæ illas consequuntur,& à multiplicatione item sui,formalísque vnitatis propriæ, suæque & naturæ, & vnitatis solitudini, absolutioníque vt sic dicam, restituatur: vbi nullam vides nouam vnitatem naturæ humanæ aduenire, sed antiquum, vt ita loquar, & naturæ, & vnitatis essendi modum restitui. Abstractio enim nihil confert, sed aufert, nisi ipsam,si velis, nuditatem, veluti in homine, cui indumenta abstrahuntur. Ita fit, vt superuacanea sit vnitas illa numeralis,quam præter formalem, & vulgatam numeralem rerum singularium ponimus.

*Auicē. 5. suæ Metap. c. 1. D. Tho. lib. de ente & essentia c. 4. & quodli. 8. art. 1. & de Potent. q. 5. ar. 9. & opus. 42. quod est de Natura generis q. 4. 7. Caie in li. de ente, & essentia cap. 4. Scot. 7. Met. q. 18. Lege etiam cap. in 1. d. 8. q. 2.*

*Tertium.* Demum accedit, quod vel hoc vno argumento perspicuè videtur intelligi,vnitatem formalem esse propriam rerum vniuersalium, vt vniuersales sunt,si sumatur, non vt multiplicata est in particularibus,neque absolutè,sed vt naturæ ordine sui contractionem & multiplicationem antecedit: nihil enim omnino ei deesse videtur, quò minus hoc pacto solis vniuersalibus, vt vniuersalia sunt, conueniat. Facit enim sic accepta naturam & vnam simpliciter, & hoc pacto non multiplicabilem in plures numero: neque enim dantur plures numero naturæ humanæ in eo quasi momento, quo vnitas eius formalis sui contractionem,multiplicationémque antecedit.

*Solutio*



*Solutio eorum, quæ obiecta sunt.*

## SECTIO IV.

*Soluitur obiectum contra modum loquendi.*

SVnt hæc quidem difficilia, sed tamen haud difficilè hunc in modum explicabuntur. Ac illud de loquendi modo,quod minus difficultatis habet, hac distinctione dissoluendum est. Eam vnitatem numeralẽ,quæ simpliciter & absolutè numeralis dicitur, esse illam, quæ gradum indiuidualem consequitur:alteram verò,quam addidimus,non sine adiectione dicendam esse numeralem sed numeralem naturarum communium, quòd gradum rationémve communem cuiusque naturæ communis precisè consequatur. Ergo si homo communis esset vnus vnitate numerali simpliciter & absolutè dicta,tum rectè sequeretur illum esse vnum hominem numero:at non dicimus hominem communem in sua communitate esse vnum hoc genere vnitatis numeralis, sed vnitate numerali naturarum communium. Quocirca rectè quidem dicetur ille vna numero species, & vnum numero vniuersale:vna autem res numero, aut natura vna numero, simpliciter & absolutè dici non poterit. Non est autem incommodum,sed necessarium potius,vt res,quæ est vna numero vnitate numerali naturarum communium,dicatur de pluribus numero simpliciter & absolutè,quæ suo complectatur ambitu:esset autem vel maximum,si vna numero simpliciter & absolutè diceretur de pluribus numero naturis.

*Homo communis vt dicatur vnus numerus.*

*Solutio primi de re ipsa.*

Primum verò de re ipsa hac consideratione soluitur. Cùm vniuersale dicitur vnum nomine & ratione, non aliam quidem vnitatem exprimi,quàm formalem, quæ communicabilis est cum natura,quæ communis denominatur, & cui ipsa per se conuenit: sed tamen ex aptitudine essendi in pluribus, quæ adiungitur, colligi vnitatem quandam incommunicabilem quam præcisionis appellauimus. Vt enim eiusmodi aptitudo multiplicari non potest, quod patebit, ita neque vnitas præcisionis,quæ illam sequitur. Cur autem vnitas formalis ac multiplicabilis in definitione vniuersalis exprimatur, non autem vnitas præcisionis, hæc est ratio. Quia per vnitatem formalem declaratur qualis debeat esse natura, cui conuenit aptitudo essendi in pluribus seu ad sui multiplicationem: neque enim fieri potest,vt aliquid multiplicetur, nisi ipsum in se vnius naturæ sit. Nam si non vnius sit naturæ, sed plurium, iam non verè multiplicabitur, sed erit multa ipsa, quod in æquiuocis & analogis accidit: tametsi analoga,quia vnius quodammodo naturæ ac rationis sunt,quodammodo etiã multiplicari dici possunt. At vnitas præcisionis nõ exprimitur in definitione vniuersalis, quia est proprietas vniuersalitatis, quæ tota aptitudine essendi in pluribus consistit, neque enim necesse est,vt proprietas rei,quæ definitur,in definitione exprimatur.

*Quid verè multiplicari possit.*

*Proprietas rei quæ definitur in definitione non exprimitur.*

*Solutio secundi.*

Alterum autem, exponenda trina illa vulgata naturæ communis consideratione diluetur. Quocirca illud notandum est,ex tribus illis statibus,quibus natura communis spectetur,vel absolutè,vel vt contracta est,vel vt à contrahentibus abstracta:primum dici solere sta-

*Explicatur triplex illa cõmunis naturæ consideratio.*

Universidad de Deusto Biblioteca



tum essentiæ, secundum existentiæ realis, tertium obiectiuæ: quod partim rectè dicitur, partim, vt verum sit, explicatione indiget. Nam quòd primus status rectè dicatur essentiæ, ex eo constat: quia absoluta naturæ communis consideratio (dico autem communis, non quatenus communis est formaliter, sed quatenus talis est, vt cõmunis & vniuersalis denominari possit) nihil prorsus admittit, nisi quod ad essentiam rei pertineat: aut eam secundum se & ante omnem existentiam consequatur: quo pacto homo consideratur vt animal, vt rationis particeps, vt risus capax, &c. Quod item tertius rectè appelletur existentiæ obiectiuæ (subaudi in intellectu) perspicuum est: cum abstractio naturæ communis ab iis differentiis, quibus contracta est, non fiat, nisi per speciem intelligibilem, quia nudata contrahentibus differentiis repræsentatur aut per conceptum, quo eodem pacto concipitur: his enim modis quælibet natura communis intellectui obiici potest, vel habitu scilicet, vel actu. At vt secundus rectè dicatur existentiæ realis, non sic intelligendum est, quasi natura communis per solam realẽ existentiam contrahatur: prius enim generica natura contrahitur per differentias specificas, immo & specifica per differentias indiuiduantes, quã realiter existat: id quod non tantùm naturæ ordine accidit, sed & temporis. Nam ex omni æternitate homo est animal rationis particeps, & Socrates est hic homo: cùm tamen eorũ realis existentia à certo temporis momento cœperit. Neq; enim contractio naturæ communis facta est existente prius natura communi, & accedente deinde differentia contrahente ad compositionem rei particularis, siue specificæ, siue indiuidualis, quo pacto rei naturalis compositio fit ex materia & forma in iis, quæ gignũtur & intereunt, sed ex ipsorum essentiali ordine, & ante omnem existentiam, cùm ab omni æternitate homo constet natura animalis, & differentia rationis participis, & Socrates natura humana, & peculiari differentia indiuiduante. Si tamen is status propterea dicatur existentiæ realis, quia, vt communis natura realiter existat, indiget contractione per differentias indiuiduantes, rectè dicetur: & fortasse contra Platonis existimatam sententiam inuecta est hæc loquendi formula, cùm ille sensisse dicatur, naturas communes specificas nulla indiuiduante differentia contractas per se ipsas existere.

*Vide D. Thom. in libro de ente & essentia cap. 4.*

*Abstractionem fieri per speciem aut conceptum.*

*Aeterna veritas in propositionibus necessariis.*

*An sola prædicata per se primo modo naturis communibus absolute consideratis competant.*

Illud etiam animaduertendum, non deesse auctores, qui sentire videantur, naturis communibus absolutè consideratis nullum per accidens siue contingens prædicatum, nullam etiam proprietatem conuenire, sed ea sola, quæ ad primum dicendi per se modum spectant. Non est tamen cur saltem proprietates excludantur, cùm ipsas naturarum communium essentias comitentur, antequam ad particularia descendant, multò etiam magis antequam à particularibus abstrahantur. Vnde & definitiones & demonstrationes, quæ de naturis communibus absolutè spectatis per se primò traduntur, etsi excludunt accidentia per accidens, non excludunt tamen accidentia per se. Et Porphyrius in Isagoge, quamquam non negat, sed potius innuit, accidentia quinti prædicabilis, quæ primò conueniunt indiuiduis,

*Accidentia quinti prædicabilis conueniunt speciebus per indiuidua & proprietates indiuiduis per species & cur.*

*D. Thom. opusc. 42 ar. 7. & de Ente & essentia cap. 4. Caiet. ibidem, & alij.*

*Cap. de communitatibus.*



duis, conuenire speciebus per ipsa indiuidua: docet tamen, ea, quæ ad quartum prædicabile spectant conuenire indiuiduis per species, neque alia sanè de causa, nisi quia cùm per se dicantur de naturis specificis, illis etiam ante omnem contractionem conueniunt.

*Auicennæ sententia.*

Auicenna initio quinti lib. suæ Metaph. quicquid de cæteris proprietatibus senserit, docere tamen videtur, nullam vnitatem conuenire naturis communibus absolutè consideratis. *Equinitas enim secundum se*, inquit, *est tantum equinitas non vna, non plures.* Quod pronunciatum non semel vsurpat D. Thomas, nec tantum vsurpat, sed etiam ex eo probat in natura humana: quia si secundum se esset vna, ne in pluribus quidem indiuiduis esset plures: si plures, ne in Socrate quidem esset vna. Siquid enim conuenit alicui rei secundum se, fieri non potest, vt eius oppositum vlla ratione eidem conueniat: vt quia homo secundum suam naturam est rationis aut risus capax, nulla homo secundum suam naturam est rationis aut risus expers.

*Lib. de ente, & essenc 4.*

*Expositio Caietani.*

Sed Caietanus vtrumque auctorem sic exponit, vt non loquantur de quauis vnitate, sed tantùm de numerali: & rectè quidem, si particula, *secundum se*, pro, *per se*, accipiant, eo modo, quo, *per se*, sumitur apud Aristotelem, cùm loquitur, de primo & secundo modo dicendi per se. Etenim si communis natura humana esset per se vna numero, ne in pluribus quidem indiuiduis esset plures numero: sin per se esset plures numero, neque in vno tantùm esset vna numero, quia nulli rei conuenire potest oppositum eius, quod ei conuenit per se. At si vnitas sumatur pro vnitate ea, quam Scotus [a] vocat minorem numerali, ipse vero Caietanus [b] formalem appellat: non rectè dicerent seu Auicenna seu D. Thomas, naturam equi aut hominis non esse per se vnam: quælibet enim natura communis absolutè sumpta, siue ante omnem contractionem abstractionémque est per se vna huiusmodi vnitate: quæ nihil est aliud, quàm naturæ multiplicabilis indiuisio secundum proprium gradum, rationémve entis: vt vnitas equi nihil aliud, quàm quod, quatenus equus est, non sit hoc & aliquid aliud, quod non sit hoc, vt superiori lib. diximus.

*In locum cit. de Ente & essen.*

*Lib. 1. Poster. ca. 4. tex. 9.*

a *In 2. d. 2. q. 1. & 7 huius operis q. 13.*

b *In lib. de Ente & essent.*

*Vnitas minor numerali cuilibet naturæ communi vt conueniat.*

Sed in hoc mihi videtur non leuiter peccari, quod particula, *secundum se*, sumitur in probatione pro, *per se*, idque in primo aut secundo modo dicendi per se: cùm accipi debeat pro, *absolutè*, vt accipitur in ipso Auicennæ pronunciato. Nihil enim aliud significat in illo Auicenna, nisi quod equinitas secundum se, id est, absolutè considerata, seu non spectata, vt est in suis particularibus contracta, aut ab eis per intellectum quasi auulsa, nec sit vna numero, nec plures numero.

*Cap. 2. q. 5. sect. 5.*

*Particula secundum se, vt debeat in illo Auicennæ pronunciato accipi.*

Quod si quis respondeat, in idem hoc incidere, quia nihil conueniat naturæ communi absolutè consideratæ, nisi quod ei conuenit per se: falsum id esse, haud difficile demonstrari potest. Multa enim prædicata negatiua conueniunt hominis prius natura, quàm contrahatur per differentias indiuiduantes, quæ prædicata illi non conueniunt per se: vt non existere realiter, non generari, nõ corrumpi, non

*Multa prædicata negatiua homini ante contractionẽ competere.*

ambulare, & alia infinita, vt est luce clarius. Atque ex his est vnitas illa, quam præcisionis, & numeralem naturarum communium appellauimus, cùm ita conueniat naturis communibus absolutè spectatis, vt non conueniat earum indiuiduis: quo pacto conuenit animali, esse indiuisum in plura animalia, & homini, esse indiuisum in plures homines (indiuisione videlicet priuatiua propria, seu supponente aptitudinem, vt sic diuidantur) quorum illud ita conuenit animali absolutè considerato, & hoc homini eodem modo spectato, vt neutrum conueniat eorum particularibus.

*Respondetur ad secùdum. Duplicem vnitatem naturis communibus, absolute sumptis conuenire.*

*Agnoscit à D. Thoma.*

Ex his ergo perspicuum est, quid ad secundum de re ipsa argumentum respondendum sit. Duplex enim vnitas conuenit naturis communibus absolutè consideratis: vna formalis, quam naturæ ipsæ sibi vendicatur per se, suisque inferioribus communicant: altera numeralis earum propria, quam sibi eá ratione præcisè retinent, qua contractionem ad sua particularia naturæ ordine antecedunt, neque eam suis particularibus impertiunt. Atque hanc vnitatem planè agnoscit D. Thomas in libello de Natura generis, eámque docet conuenire naturis communibus, exceptis iis, quas vocat vniuocas, non Physicè, sed Logicè tantùm. Ait enim huiusmodi naturas ante omne esse, quod habent in indiuiduis, & in intellectu, habere quasdam vnitates, quæ cum eis ad inferiora non descendunt: quod idem in eo libello sæpius repetit: addítque, eas naturas hoc modo spectatas non esse entia actu, quia non existunt cum his vnitatibus: sed esse essentias, quia possunt existere per sua indiuidua, à quibus alias vnitates accipiunt, videlicet numerales rerum per se singularium, sine quibus existere non possunt: quemadmodum nec sine differentiis indiuiduantibus, quas huiusmodi numerales vnitates consequuntur.

*Opusc. 42. cap. 7. & 8. & aliis.*

*Rectius Caietano Capreolum & Soncinatem de vnitatibus sensisse.*

Quæ omnia Caietanus videtur aut non legisse, aut non curasse. Rectius sanè Ioannes Capreolus [a] ad tertium Sententiarum, Paulus Soncinas ad librum [b] septimum huius operis. Fatentur enim res, quæ dominantur vniuersales, exceptis iis, quas D. Thomas [c] excipit (de qua exceptione rectè ne adhibeatur, ad caput octauum huius libri nonnihil diximus) vendicare sibi ante omnem existentiam, & in rerum natura, & intellectu quasdam vnitates, quas suis inferioribus non communicant: proinde eas vnitates numquam existere in rerum natura. Nam quemadmodum res vniuersales non existunt in rerum natura, nisi in suis indiuiduis: ita non habent in rerum natura, huiusmodi vnitates, quas tamen haberent, si (quod fieri non potest) existerent à suis indiuiduis seiunctæ: neque enim tunc coniunctæ essent cum differentiis indiuiduantibus, quibus multiplicantur. Atque hactenus de secundi argumenti solutione. Recténe autem D. Thomas, eiúsque omnes sectatores colligant ex proposito Auicennæ pronunciato, naturas communes absolutè consideratas, vt non sunt particulares, sic non esse vniuersales, immo etiam num Auicenna rectè sentiat, qui id perspicuè adiungit, inferius discutietur.

*Vt ex loco citato lib. de ente & essen. colliges.*

a *d. 5. q. 3. art. 3.*

b *q. 40.*

c *Loco paulo antè citato.*

Ad tertium, quod omnium est difficillimum, dicendum est: quemadmodum



admodum natura, quæ denominatur vniuersalis, non per se, nec per suam vnitatem formalem, sed per vnitatem præcisionis additam, est vna numero natura inter communes, & certum facit numerum aliis naturis communibus adiuncta, vt homo cum equo duo numero animalia duntaxat, & cum leone tria: ita quoque ipsam vnitatem formalem, quæ per se conuenit huiusmodi naturis, non per seipsam, sed per suam particularem vnitatem præcisionis adiunctam, esse vnam numero vnitatem formalem inter communes, certúmque facere numerum aliis communibus vnitatibus formalibus additam.

*Tertij argumenti solutio.*

Sed obiiciat aliquis, non esse parem rationem in vnitate formali, atque in natura, quæ denominatur vna. Natura enim, verbi caussa: animalis aut hominis est vniuoca, ac proinde abstrahi potest à suis particularibus, & præcisè sumi: at vnitas formalis, siue animalis, siue hominis, non videtur esse vniuoca, vt præcidi possit à suis particularibus: si enim vniuoca esset, haberet vtique differentias, quibus ad hanc & illam vnitatem formalem contracta esset: quod tamen Aristoteles negat in primo libro de partibus animalium, vbi ait, *priuationum nullas esse differentias*. Intelligit autem nomine differentiarum, differentias per se diuisiuas, & constitutiuas particularium priuationum.

Ad hanc obiectionem dicendum est, vnitatem formalem cuiusque naturæ vniuocæ, vniuocam quoque & ipsam esse, eadémque omnino ratione (eo tamen pacto, quo priuationes rationem habere possunt) suis particularibus vnitatibus conuenire. Verbi caussa, formalem vnitatem naturæ animalis siue animalitatis vnitatibus particularium animalitatum, tam iis, quæ reperiuntur in homine communi, & bestia communi, quàm iis, quæ reperiuntur in singulis hominibus & bestiis: vnitatem verò formalem naturæ humanæ siue humanitatis vnitatibus particularium humanitatum, quæ reperiuntur in particularibus hominibus. Iam enim dictum est, formales vnitates, cùm sint proprietates naturarum communium, multiplicari eum illis in inferioribus, quæ multiplicatio vniuoca esse debet, cùm naturæ ipsæ sunt vniuocæ. Verùm non est necesse, vt quicquid vniuocum est, contrahatur per se, siue per differentias constitutiuas suorum particularium. Nam & differentiæ specierum effectrices vniuocæ sunt, vt sensitiuum & rationale, quod perspicuum est, & omnes concedunt, nec tamen contrahuntur per se ad particularia ipsarum propria & peculiaria, vt sensitiuum ad sensitiuum in homine, & sensitiuum in bestia, aut ad hoc sensitiuum & illud, quæ sunt in singularibus hominibus & bestiis: similitérque rationale ad rationale in Socrate, & rationale in Platone, seu, quod idem est, ad hoc & illud rationale, vt talia sunt. Differentiæ enim specierum effectrices sunt illæ quidem generum diuisiuæ, & specierum constitutiuæ, cæterum non habent alias differentias, quibus ipsæ per se diuidantur, & aliæ inferiores constituantur: sed omnes contrahuntur ad propria & peculiaria ipsarum particularia per illas easdem differentias, per quas diuiduntur species, quas ipsæ constituunt: vt sensitiuum

*Vnitas formalis cuiusque naturæ vniuocæ vniuoca & ipsa est.*

per

Universidad de Deusto
Biblioteca



per rationale & irrationale, quibus animal diuiditur : & rationale per differentiam indiuiduarum huius hominis & illius, quibus diuiditur homo, quæ contractio est per accidens & non per se, siquidem ex contracto & contrahente non fit vnum ens per se. Nam etsi differentiæ specierum effectrices sunt entia per se (quamquam incompleta) tamen ipsæ, vt sunt in inferioribus speciebus & indiuiduis, nō habent rationem entium per se, sed aggregationum quarumdam per accidens ex ipsis differentiis & modis quibusdam essendi in hac, aut illa specie, aut in hoc aut illo indiuiduo. Eodem modo existentia cuiusque naturæ vniuocæ vniuoca & ipsa est, nec tamen per se contrahitur ad existentias particulares naturæ contractæ per vllas differentias, quibus communis existentia diuidatur, & particulares existētiæ eius naturæ constituantur, sed per illas easdem differentias, quibus natura communis per se contrahitur. Itaque existentia naturæ animalis in homine, & existentia illius in bestia, non sunt speciales existentiæ animalitatis, sed aggregata quædam per accidens ex existentia animalitatis, & modis essendi illius in homine & bestia : quod idem dicendum est de existentia humanitatis in singulis hominibus.

Vt igitur differentiæ specificæ, & existentiæ naturarum communium, propriæ & peculiares vniuocæ sunt, & præcisè accipi possunt, suásque habent præcisionis vnitates, & si ipsæ non contrahantur per se sed per accidens, hoc est per differentias naturarum, quas constituunt, aut quibus primò conueniunt: sic vnitates formales naturarum communium sunt vniuocæ, & præcisè accipi possunt, suásque habent peculiares præcisionis vnitates : etsi ipsæ non contrahuntur per se differentia naturarum, quarum sunt propriæ.

Quare cum obiicitur, vnitatem formalem, si sumatur non vt multiplicata est in particularibus, neque absolutè, sed vt naturæ ordine sui contractionem & multiplicationem antecedit, esse propriam rerum vniuersalium, vt vniuersales sunt, nihilque ei deesse quominus iis solis conueniat : concedendum id quidem est, sed addendum, illam non habere hoc ex se, sed ex vnitate præcisionis adiuncta.

*Epilogus quæstionis.* Ex his patet quænam vnitas sit propria rerum vniuersalium, vt vniuersales sunt, & quo pacto vnum in definitione vniuersalis loco generis intelligat. Sumendum est enim, quatenus significat vnitatem formalem, quæ etsi non est propria rerum vniuersalium, est tamen necessariò requisita ad vniuersalitatem, aptitudinémue essendi in pluribus, quam vnitas præcisionis vniuersalium propria consequitur.

QVAE-



## QVAENAM APTITVDO ESSENDI IN pluribus faciat rem vniuersalem.

## QVAESTIO IV.

*Cuiusmodi sit actus essendi in pluribus rerum vniuersalium proprius.*

### SECTIO I.

*Propositio difficultatis.* DE aptitudine verò essendi in pluribus, qua vniuersalia constituuntur, non minor est, quàm de vnitate controuersia: quam vt facilius expediamus, operę pretium erit vt ante omnia explicemus, à quonam actu essendi in pluribus, qui rerum vniuersalium sit proprius & peculiaris, hæc aptitudo dicatur: aptitudo enim omnisque potentia ex actu cognoscitur.

*Actum essendi in multis non esse actū inhærentiæ.* Atque huiusmodi actum non esse actum cohærentiæ seu realis informationis, ex eo paret: quia saltem genera, species, & essentiales differentiæ non hoc modo insunt speciebus, aut indiuiduis, cùm ad eorū constitutionem pertineant: tum etiam, quia formæ inhærentes, vt huiusmodi sunt, non prædicantur de subiectis, quibus inhærent : neque enim dixeris, corpus esse albedinem, aut materiam esse formam.

*Neque actū naturæ in supposito.* Non esse etiam actum naturæ in supposito, vt humanitatis aut animalitatis in Socrate, ex eo constat: quia saltem propria & accidentia quinti prædicabilis non insunt hoc modo suis subiectis, cùm ad eorum subsistentiam minimè spectent: tum verò, quia nec natura per modum naturæ significata prædicatur de supposito, non enim hic homo aut ille est sua ipsa humanitas aut animalitas, vt patet in Christo domino.

*Neque actū existentiæ actualis.* Nec verò esse actum existentiæ actualis in particularibus, vt quidam existimant, ex eo probari potest: quia cùm nihil vniuersale prædicari possit de suis particularibus, nisi in eis insit, sequeretur ex hac opinione, necessarium esse actualem existentiam prædicatorum in subiectis, vt vera sit de illis affirmatio: quod planè falsum est in genere, specie, differentia, & proprio, quæ siue actu existant in suis particularibus, siue non existant, semper de illis verè affirmantur.

*Quis demum sit.* Ne autem plures essendi modos percurramus, de quibus minus probabiliter dubitari potest : sanè actus essendi in pluribus rerum vniuersalium proprius est actus is, quo totum est in partibus, non quibusuis tamen, sed in quibus inest per modum identitatis. Vniuersale enim esse totum respectu eorum, de quibus vniuersè dicitur, & Aristoteles primo Physicorum libro, cap. primo tradit (*vniuersale, inquit, totum est quoddam, quippe cùm multa complectatur vt partes*) & vel ipsa Græca nomina (τῶν καθόλου, καὶ τῶν κατὰ μέρος) satis indicant. Vnde & apud Porphyrium in Isagoge, genus dicitur totum respectu speciei, & vicissim species pars generis, ipsáque species totum comparatione indiuiduorum, quæ vicissim partes speciei dicuntur.

*Vniuersale esse quoddam totum.*

*cap. de specie.*

tur. Identitatem verò totius vniuersalis cum ijs partibus suis, quarum ratione dicitur vniuersale, hoc est, cum suis particularibus, seu partibus subiectis esse necessariam ex eo perspicuum est, quia alioqui non de illis diceretur: prædicari enim nihil est aliud, quàm dicere, hoc est, hoc: quam affirmationem nisi in ijs, quæ sunt idem, falsam esse nemo dubitat. Denique cum duplex sit duorum identitas: vna, qua vtrumque est idem cum altero ratione alicuius tertij, in quo ambo sunt idem, vt homo & equus in animali: altera, qua vtrumque est idem cum altero non ratione alicuius tertij, sed alterum ratione alterius dumtaxat, qua nimirum alterum est alterum: quo pacto Socrates est idem cum homine, quia est homo, & homo idem cum Socrate, quia est Socrates: perspicuum est identitatem vniuersalium cum suis particularibus non esse prioris generis, sed posterioris. Neque enim ad prædicationem eorũ de suis particularibus satis est, si ambo idem sint ratione alicuius tertij (alioqui homo diceretur equus, quia in animali est idem cum equo) sed necesse est, vt vnum sit alterum. Qualis autem debeat esse huiusmodi identitas, qua vnum est alterum, essentialisne, an accidentaria, quidditatiua, an, vt sic dicam, qualitatiua, necessaria, an contingens, id iam ad distinctionem vniuersalium pertinet, de qua disserendum est breuiter, cùm de toto vniuersalium genere disputauerimus.

*Quid sit prædicari.*

*Quæ sit identitas vniuersalium cum suis particularibus.*

*Quid nam sit aptitudo essendi in pluribus per modum identitatis.*

## SECTIO II.

*Non esse potentiam naturalem probatur.*

NOn esse porrò aptitudinem ad huiusmodi actum essendi in pluribus facultatem seu potentiam aliquam naturalem, quæ sit vera qualitas addita rebus, quæ denominantur vniuersales, ex eo satis apertum est, quòd in prædicamento substantiæ, & quantitatis etiam, ac relationis, quatenus ea à prædicamento qualitatis distinguuntur, dantur genera, species, & differentiæ, quod fieri non posset si res non essent vniuersales, nisi per qualitates adiunctas: eodémque modo, vt qualitas, aliũde accidens sit proprium aut accidens quinti prædicabilis, non opus est qualitate aliqua adiuncta, sed quodlibet accidens ipsum per se est aptum aut ineptum, vt sit in pluribus per modum identitatis.

*Opinio Scoti & Caiet. ponentium esse non repugnãtiam.*

Caietanus, Scotus, & cæteri Scholastici, qui pressiùs ista tractare videntur, aiunt hanc aptitudinem esse non repugnantiam, seu negationem repugnantiæ essendi in pluribus. Potéstque id confirmari ex alijs aptitudinibus, quæ non sunt verè entitates rebus additæ: vt ex aptitudine, quam creaturæ ex se ipsis habent, vt existant, quæ nihil aliud esse dicitur, quàm negatio repugnantiæ ad existẽdum, itémque ex aptitudine, quam ipsæ rerum essentiæ ad agendum retinebũt, si ab eis diuina potestate qualitates actiuæ auferãtur: quod fieri posse haud negandum est. Relinquetur enim (si id fiat) in vnaquaque rei essentia à Deo conseruata: non potentia quidem ad agẽdum, quæ vera sit & realis entitas, sed aptitudo quædam, qua res ex se ad quasdam operationes aptæ erunt, quemadmodum ad alias ineptæ, quæ aptit

*Caiet. in lib. de Ente & essent. c. 4. q. 6. Sco. primo Metaph. q. 6. & lib. 7. q. 18. & in 2. d. 3. q. 1. & cæteri ferè Scholastici.*



aptitudo cùm vera entitas esse non possit, nihil aliud esse videtur, quàm negatio repugnantiæ ad agendum, vt in homine ad intelligendum aut ridendum.

*Obiecta contra superiorem sententiam.*

Huic tamen sententiæ illud primum obijci potest, si ea vera est, vniuersalia, quatenus vniuersalia sunt, esse penitus negatiua, Nã cùm ex parte vnitatis negatiua sint, si aptitudo etiam essendi in pluribus est negatio, erunt omni ex parte negatiua, quod videtur incommodum. 1.

*Arist. libr. 9. Metaph. ca. 8. tex. 13. & fuer. Alés. Albert. D. Thom. in eũ locum.*

Deinde, non cohærere ista cum eo quod Aristoteles, & cæteri Philosophi docent, actum & potentiam esse in eodem genere: nam cùm actus essendi in pluribus, positiuum sit quiddam: necesse erat, vt aptitudo, quæ est potentia ad huiusmodi actum, esset positiuum aliquid, non negatiuum. 2.

Denique, cùm repugnantia essendi in pluribus nihil aliud esse videatur, quàm negatio aptitudinis, quam habent indiuidua, vt sint in pluribus, si aptitudo vniuersalium, vt in pluribus insint, negatio talis repugnantiæ sit, erit vtique ea aptitudo nihil aliud, quàm negatio negationis sui ipsius: quod ridiculum est, nec quid aptitudo ipsa sit, declarat, cùm ipsa ad explicationem sui adhibeatur. 3.

*Quo pacto hæc dilui possint.*

Solui quidem hæc possent haud difficilè. Primum, quia nihil videbitur incommodi, si vniuersalia, quatenus talia, non primo nec secundo modo sumpta (quo pacto positiua sunt) sint negatiua, pleráque enim entium attributa, de quibus magna à Philosophis habetur ratio, in negatiuis numerantur, vt ingenitum, immobile, infinitum, & huiusmodi alia.

*Explicatur axioma Aristot. & Philosophorum.*

Secundum, quia cùm actus & potentia dicuntur esse in eodem genere, nihil aliud significatur, quàm potentiam reduci ad genus, immo etiam ad speciem actus: neque enim sensus est, idem genus, eamdémue speciem prædicari de vtroque, cùm id apertè sit falsum. Etsi igitur aptitudo essendi in pluribus sit negatio quædam, actus verò essendi in pluribus positiuum quid: nihil tamen obstat, quo minus illa adhuc reducatur tamquam potentia quædam impropriè dicta (quam logicam appellant) ad suum actum, ad quem ordinatur.

*Quid neget non repugnantia ad essendum in multis.*

Tertium, quia repugnantia essendi in pluribus, quam negat aptitudo ad hunc actum, non est negatio aptitudinis ad illum, sed sumendum est nomen repugnantiæ pro eo, cui repugnat, vt sit sensus, in Socrate v.g. esse repugnantiam essendi in pluribus, id est, aliquid, cui repugnat esse in pluribus, vtpote differentiam aliquam eius indiuiduantem, aut quicquid id demum sit, cui primò repugnat Socratem multiplicari. Quo pacto iam vides, non repugnantiam essendi in pluribus non esse negationem negationis sui ipsius, sed negationem positiui cuiusdam notioris, per quod non repugnantiæ, seu negatio repugnantiæ declaratur.

*Auctoris sententia quæstionisque explicatio.*

*Quæst. 3. sec. 3. Vide etiam quæ dicta sunt cap. 6. q. 7. sect. 2.*

Sed tamen, qui ea legerit, quæ de modis essendi ad caput septimum tradidimus, facilè in animum inducet, aliquid latere sub huiusmodi negatione repugnantiæ, quod positiuũ sit, & in quo potius aptitudo essendi in pluribus constituenda videatur. Dicere enim possu-

*Aptitudinem esse modum essendi potentialem.*

mus hanc aptitudinem esse modum essendi intrinsecum rebus, quæ denominantur vniuersales, hoc est, non per aliam entitatem eis conuenientem: non tamen esse modum essendi actualem, vt est ipse actus essendi in pluribus, multóque minus eam, quam vocamus actualem existentiam, siue in rerum natura siue in intellectu, sed esse modum essendi potentialem, vt etiam est modus essendi cuiusque effectus in sua caussa: ac denique non esse modum esendi omnino inseparabilem, vt sunt necessarium esse & contingens, finitum & infinitum, sed modo aliquo separabilem, vt est modus essendi rerum in suis caussis. Nam quemadmodum res singulares postquam productæ sunt, desinunt esse in suis caussis (vnde & extra suas caussas esse dicuntur) ita res, quæ denominantur vniuersales, si desinant abstrahi à differentijs indiuiduantibus, desinent quoque habere aptitudinem essendi in pluribus suo modo existentem, nempe obiectiuè, qua sola ratione ea aptitudo existere potest.

*Probatur sententia proposita infirmãdis fundamẽtis oppositæ.*

Confirmari hæc sententia potest infirmandis fundamentis oppositæ, duobus enim exemplis innitebatur. Vno, quòd aptitudo, quam res ex se ipsis habent, vt existant, nihil esset aliud, quàm negatio repugnantiæ ad existendum. Altero, quòd illæ etiam aptitudines, quæ in rebus manerent ad proprias actiones, si ab eis diuina virtute propriæ qualitates actiuæ auferrentur, nihil aliud sint, quàm negationes repugnantiæ ad eiusmodi actiones. Vtrumque enim parum habet verisimilitudinis, potiúsque dicendum videtur, has omnes aptitudines esse modos essendi potentiales priorem quidem ad existendum, posteriores verò ad agendum.

*Quid sit in creaturis possibilitas & necessitas essendi.*

Nam aptitudo ad existendum idem est, quod possibilitas rerum: at possibilitas, cùm sit communis necessitati & contingentiæ, quæ omnium confessione sunt modi essendi, modus etiam essendi, non pura negatio repugnantiæ dicenda est. Loquor autem de possibilitate & necessitate, vt de creaturis dicuntur, in quibus re vera necessitas nihil aliud est, quàm incorruptibilitas, siue modus essendi non obnoxius veræ corruptioni, qui modus essendi non repugnat contingentię. Nam in Deo nec possibilitas, nec necessitas est purus essendi modus, quemadmodum nec ipsa existentia, sed omnia ista sunt formaliter ipsa diuina essentia. Addo etiam, possibilitatem & contingentiam non solùm esse puros essendi modos creaturarum, vt de illis dicuntur absolutè, siue cùm existunt, siue cùm non existunt, sed etiam ea peculiari ratione, quatenus nondum existunt. Vt enim dicimus, creaturas, antequam existant, habere quemdam modum essendi potentialem in suis caussis, quem amittunt, cùm primùm existunt, & extra illas esse dicuntur: ita dicere oportet, eas habere quemdam alium essendi modum potentialem ex se ipsis, qui esse definit, cum ei succedit ipsa illarum actualis existentia.

*In Deo quid sit possibilitas, quid necessitas.*

Aptitudines quoque ad agendum, quæ latent sub qualitatibus actiuis, & plures numero relinquerentur in vna eadémque re, si diuina virtute eiusmodi qualitates auferrentur, ex eo patet, non esse puras repugnantiæ negationes, sed earum fundamenta, quia sunt ve-





*Propensio plus aliquid dicit quam non repugnãtia.*

ræ ac naturales propensiones rerum ad agendum. Plus enim est rem habere naturalem propensionem ad aliquid quàm quod illud ei non repugnet: lapidi enim non repugnat ascendere sursum, aut habere figuram Mercurij, nemo tamen dicat illum esse naturaliter propensum ascendendum, aut vt Mercurium repræsentet.

*Scotum & Caietanum non esse ab hac sententia alienos.*

Atque aptitudinem essendi in pluribus esse modum esendi potentialem, quem diximus, verisimile est & Scotum & Caietanum & quicumque alius negatione repugnantiæ illam appellauit, aut reuera sensisse, aut non negasse, quemadmodum omnes fatentur, aptitudinem existendi naturaliter sine subiecto, quæ est substantiarum propria, & aptitudinem existendi in subiecto, quæ est propria accidentium, non esse ipsas negationes repugnantiæ ad sic existendum, sed esse positiuos esendi modos, qui huiusmodi negationum fundamenta sunt, & per eas à posteriori explicantur: tametsi non sunt puri esendi modi, quia sunt formaliter ipsæ substantiarum & accidentium esentiæ, vt ad caput septimum diximus: quod tamen de aptitudine esendi in pluribus dicere non possumus. Si enim aptitudo essendi in pluribus, exempli gratia, hominis esset ipsa esentia, seu ipsum quod quid est hominis: quilibet homo eam aptitudinem haberet ac proinde Socrates dici posset de pluribus numero in quibus esset multiplicabilis: quod fieri nullo modo potest.

*Quæst. 3. sec. 3. Vide etiam quæ dicta sunt ad cap. 6. q. 7 sect. 2.*

*Neque item Aristot. & veteres.*

Aristotelem verò, & veteres Peripateticos idem existimasse, eo argumento probabile est, quia Plato nihil aliud esse dixit, aut dixisse visus est, eam, quam Scholastici vocant vniuersalitatem rerum communium, quàm modum quemdam esendi earum extra singularia in rerum natura: at Aristoteles, eiúsque primi sectatores non ea ratione Platonem reprehendunt, quòd dixerit, esse modum esendi, sed quòd talem modum esendi: cùm existimarent, optimáque ratione sibi persuaderent, nihil esse actu in rerum natura, quod vnum, & idem ad esentiam plurium numero eiusdem rationis pertineret, sed solũ obiectiuè in intellectu, qui est longè alius esendi modus, quem obiectiuè etiam sequitur indeterminatio ad plura numero rationis eiusdem. Ita patet quidnam sit aptitudo esendi in pluribus, de qua est controuersia. Num autem ea sit duplex, vt nonnulli credunt, nunc disquirendum.

*Opinio de duplici aptitudine esendi in pluribus.*

## SECTIO III.

*Quid aptitudo remota apud recentiores.*

QVIDAM recentiores ex Scoto colligunt, eam esse duplicem, remotam vnam, alteram proximam. Remota (vt eam describunt) est aptitudo naturæ communis cum determinatione eius, vel ad vnum particulare tantùm, vt aptitudo naturæ solis cum determinatione ad hunc solem: vel ad plura particularia, vt aptitudo naturæ humanæ cum determinatione ad Socratem, Platonem, & cæteros.

*Quid proxima.*

Proxima verò (vt explicant) est aptitudo naturæ sine determinatione, siue ad vnum, siue ad plura particularia: seu (quod idem est) cum indifferentia ad omnia. Adhibent ad eam rem similitudinem

*In 2. d. 3. q. & 7. Metaphys. q 18.*

*Similitudo materiæ primæ.*

nem materiæ primæ. Nam quemadmodum materia prima, vt habet formam aquæ, non est proximè apta ad recipiendum formam ignis: cùm autem primum aquæ forma expulsa est, tum primum habet aptitudinem proximam, vt formam ignis accipiat: ita natura humana, est determinata ad Socratem per differentiam Socratis, non est proximè apta, vt sit in Platone, aut aliquo alio hominis indiuiduo. At cùm primùm determinatio sublata est (quod per intellectum fieri potest) tum primùm habet aptitudinem proximam, vt sit in omnibus hominibus, cùm sit facta indifferens ad omnes.

Addunt etiam, huiusmodi aptitudines non esse simpliciter diuersas: sed esse vnam & eamdem in quolibet particulari, alia ratione impeditam, alia expeditam, & liberam: impeditam, quatenus natura est determinata per differentiam additam: expeditam, quatenus nulla differentia determinatè contracta est: nec multo secus id accidere, atque cùm dicimus differentiam diuisiuam & constitutiuam esse diuersas, cùm tamen non sint diuersæ simpliciter, sed officio tantùm: nam vna & eadem dicitur diuisiua, quatenus refertur ad genus, constitutiua, quatenus ad speciem.

*Ex Porphyrio in Isagoge ca. de Differ.*

*Confirmatio opinionis vnde potissimũ dependent.*

Tota huius opinionis confirmatio in eo posita est, vt eius auctores ostendant, aptitudinem esendi in pluribus, quę naturis communibus secundum se, siue absolutè acceptis conuenit, conuenire etiam eisdem in suis particularibus, hinc enim oritur tota ratio distinctionis in proximam & remotam. Quod igitur ita res habeat, quattuor potissimum rationibus probant.

*Ratio. 1.* Vna, quia natura absolutè accepta prædicatur de suis particularibus: ergo est in illis: habet igitur in suis particularibus aptitudinem, vt sit in illis.

2. Altera, quia vel naturæ absolutè acceptæ repugnat esse in pluribus, vel minimè: si repugnat, numquam in pluribus erit: si non repugnat, ergo habet in illis non repugnantiam, vt sit in illis, ac proinde de aptitudinem essendi in pluribus.

3. Tertia, quia per vnum actum non tollitur aptitudo ad alium actum priori actui repugnantem, sed impeditur per illum natura subiecta, ne simul subsit posteriori: quo pacto per formam aquæ non tollitur aptitudo huius materiæ ad formam ignis, sed impeditur materia, ne simul habeat formam ignis: & per actum sedendi non tollitur aptitudo Socratis ad standum, sed impeditur Socrates, ne simul stet. Quamuis ergo naturæ humanæ, quæ ex se apta est, vt sit in multis, adueniat determinatio ad Socratem per differentiam Socratis constitutiuam: non tollitur tamen ab ea aptitudo, vt sit in Platone, & quouis alio homine: tametsi impediatur, ne eadem illa natura quę est in Socrate, sit etiam in Platone ac cæteris,

4. Quarta, quia cùm aptitudo naturæ communis sequatur vnitatem aliquam illius, nec tamẽ sequi possit numeralẽ: necesse est, inquiunt, vt quoniam vnitas formalis cuiusque naturæ communis reperitur in quolibet eius particulari, in quolibet etiam reperiatur naturæ ipsius aptitudo: Ita concludunt, in vnoquoq; particulari concedendam esse eam



eam apptitudinem, qua natura communis idonea est, vt sit in pluribus, eamdémque esse & remotam, & proximã: remorant, quatenus natura contracta est per aliquam differentiam adiectam: proximam, quatenus ab ea differentia, cæterísque contrahentibus est liberata & expedita.

*Nullam naturam communem habere in suis particularibus aptitudinem, siue proximam, siue remotam, vt sit in pluribus.*

## SECTIO IV.

*Caietani sententia antefertur.*

*In lib. de Ente & essẽt. c. 4. q. 6. Capreol. libr 3. d. 5. q 3. Soncin. 7. Metaph. quæst. 40 & aliorum.*

OPposita nihilominus Caietani & Thomistarum sententia amplectenda est: cui fortasse non repugnat Scoti opinio: si rectè exponatur, vt inferius patebit. Dicimus ergo, nullam naturam, quæ communis & vniuersalis denominetur, habere in suis particularibus aptitudinem, vt sit in pluribus, siue proximam siue remotam, tametsi in quolibet eorum habeat partialiter (vt sic dicam) actum eius aptitudinis. Id quod in natura humana ac proinde in qualibet alia tribus potissimum rationibus ostendi potest.

*Assertio.*

*Probatur Primo.*

Prima sit. Determinatio & indeterminatio eiusdem rei, & respectu eiusdem, non possunt simul esse in eadem re numero: cùm oppositum sit aperta contradictio: natura humana in quolibet homine est determinata ad illum tantùm: ergo nullo prorsus est indeterminata ad plures, ac proinde in nullo habet aptitudinem, vt sit in pluribus, Assumptio ex eo patet, quia idem est determinatio naturæ communis, atque informatio eius passiua per differẽtiam contrahentem: differentia verò contrahens ad vnum tantùm particulare trahit naturam: siquidem vnum tantùm particulare cum illa proximè constituit. Simili argumentatione vtitur Aristoteles contra Platonem lib. 7. sic ferè concludens. Substantia cuiusque rei propria est cuiusque, neque alij ineſt: vniuersale autem est commune, aptumque vt sit in pluribus: nulla igitur substantia est vniuersalis. Intelligit autem substantiæ nomine substantias per se primò existentes, cuius generis Plato ideas esse putabat.

*Lib. 7. Metaph. c. 13. tex. 45.*

*simili argumento vti Arist contra Platonem.*

At dicet aliquis, indeterminationem naturæ humanæ ad plures homines posse simul esse cum determinatione eiusdem ad Socratem, alia tamen & alia ratione: est enim determinata ad Socratem, quatenus contracta est per differentiam constitutiuam Socratis: indeterminata verò ad plures homines, quatenus naturæ ordine præcedit conttactionem: sic enim nullo modo determinata est ad Socratem, sed indifferens ad omnes.

*Effugium superioris rationis.*

Verum hæc responsio nihil momenti habet. Primùm, quia modo eodem probare posses, Socratem habere simul in se Grammaticam & negationem Gramaticæ: Gramaticam, si eius artis habitum comparauit: negationem verò Gramaticæ, quatenus naturæ ordine antecedit informationem passiuã per habitum Gramaticæ. Cùm igitur nemo sanæ mentis concesserit, in Socrate esse vtrumque simul, & Gramaticã, & negationem Gramaticæ, etiã si alia & alia ratione hæc contradictoria Socrati conueniant: nemo etiã nisi mentis inops

*Euertitur.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



inops affirmauerit, naturam humanam habere simul in Socrate determinationem ad illum, & indeterminationem ad omnes, tametsi hæc ei conueniant diuersis rationibus.

Deinde, quia cùm natura communis existens in suis particularibus spectata, quatenus naturæ ordine præcedit contractionem sui, non consideretur in illis, sed ante illa, sanè qui ita respondent, primùm sibi repugnant: tollunt enim de medio aptitudinem remotam, quam induxerant: quippe cùm eam non aliter ponant, quàm ante ipsa particularia, quo pacto iam est proxima, non remota: est enim cum indifferentia & indeterminatione ad omnia particularia. Deinde extra rem vagantur: neque enim nos concludebamus, naturam humanam, quæ est in Socrate, non habere aptitudinem essendi in pluribus, quod planè esset falsum: sed non habere illam in Socrate, aut alio particulari homine, quod longè est aliud, & omnino verum.

*Secundo.* Secunda ratio. Si natura humana haberet in Socrate aptitudinem essendi in Platone, aut aliquo alio: cùm quicquid est in Socrate, singulare sit, aliqua singularis natura posset esse in pluribus, idque per modum identitatis multiplicata, quod nec fieri, nec intelligi potest, singulare enim est, quod de pluribus per modum identitatis, & cum multiplicatione sui dici non potest, vt superius explicatum est.

*Responsio quorumdam ad superiorẽ rationem.* Dicent fortasse non esse incommodum naturam humanam habere in Socrate aptitudinem essendi in Platone: quia non est per se singularis, vt ipse Socrates, sed per accidens, adiectione videlicet differentiæ constitutiuæ Socratis. Nam etsi illa, vt est in Socrate, non potest esse in Platone: tamen ex se ipsa potest esse in quolibet singulari homine: quia ex seipsa non est singularis, sed ex adiecta singularitatis differentia. *q.3.sect.2.*

*Refellitur.* Facile tamen responsio refutatur: quia natura singularis, siue per se sit singularis, vt natura Socratis, qua Socrates est: siue per accidens, vt natura humana facta hæc in Socrate per differentiam indiuiduantem Socratis, modo tamen singularis sit, nulla omnino potentia, aut etiam intellectu multiplicari potest: quia quod est hoc tantùm numero, ne fingi quidem potest vniuocè hoc & hoc numero. Oportet igitur illam sumere ante aduentum (vt sic dicam) differentiæ contrahentis: aut post abstractionem, denudationémque ab huiusmodi differentia, vt apta sit in pluribus eiusdem rationis esse: at hoc pacto iam aptitudo non est remota sed proxima, cùm habeat coniunctam indeterminationem & indifferentiam ad omnes: quam aptitudinem etiam ipsi confitentur non inueniri in natura vlla singulari, siue ea sit singularis per se, siue per accidens.

*Tertio.* Tertia ratio. Aut aptitudo remota essendi in pluribus, quam oppositæ sententiæ auctores dicunt esse in natura humana facta singulari per accidens, est vna numero in omnibus particularibus, aut plures numero. Si vna numero, ergo aliqua etiam vna numero formalis vnitas est in omnibus: dicunt enim eam aptitudinem sequi vnitatem formalem. At quod in omnibus particularibus hominibus non existat vna &



vna & eadem numero vnitas formalis, non modo multi eorum confitentur, sed etiã ex eo patet: quia id fieri non posset, nisi vna & eadẽ numero natura humana esset contracta per differentias indiuiduantes singulorum, quod fieri non potest. Nam præter alia multa incómoda & absurda, sequeretur, fieri non posse, vt existentibus nunc pluribus hominibus aliquis non existens crearetur, aut remanentibus cæteris aliquis ex viuentibus annihilaretur. Oportet enim nihil extitisse eius, qui crearetur, nihilque remanere eius, qui annihilaretur: quod tamen fieri non posset, si iam ante creationem non existẽtis extitisset in aliis hominibus eadem numero natura humana contracta per eorum differentias indiuiduantes, & post annihilationem existentis remaneret in aliis eadem illa numero natura, quam is per propriam & peculiarem differentiam contractam habuisset. Sin verò aptitudo remota, quam esse dicunt in natura humana facta singulari per accidens, non est vna numero in omnibus, sed tot numero, quot sunt homines indiuidui, cùm illa sit eadem cum aptitudine proxima, vt volunt, tot erunt numero aptitudines proximæ, quot remotæ: nisi quòd eædem quatenus impeditæ, erunt remotæ, quatenus autem expeditæ ac liberæ: erunt proximæ, vt dicunt. Quòd si ita est, tot etiam erunt numero vnitates præcisionis: omnis enim aptitudo proxima essendi in pluribus suam sibi vendicat peculiarem vnitatem præcisionis. Ita fiet, vt nulla supersit vnitas, à qua natura humana dici possit vnum numero vniuersale, & vna numero species.

*Quid soleat ad hoc argumentum responderi.* Mira sunt, quæ ad hoc argumentum responderi solent. Non desunt enim, qui admittant, vnam numero aptitudinem, vnámque numero vnitatem formalem esse in omnibus hominibus, aut potius argumentationis vi admittere cogantur: sed non eodem modo ad id quod de creatione & annihilatione obiicitur, respondent. Nam eorum quidam aiunt, posse quidem hominem non existentem creari, si nullus existat: & existentem annihilari, si nullus maneat, at existentibus antea, & postea remanentibus, non posse: neque id absurdum esse, cum ratio creationis & annihilationis id poscat. Alij non dubitantes, absurda hæc esse vel maxima, ad nouam creationis & annihilationis explicationem confugiunt. Dicunt enim, creationem non esse productionem rei ex nullo omnino ente, sed ex nullo singulari: similitérque annihilationem non esse destructionem existentis in nullum omnino ens, sed in nullũ singulare: quare nihil obesse, quòd nunc nouus aliquis homo creetur ex humanitate eadem communi, quæ in aliis existebat: vel quod aliquis ex iis, qui existunt, annihiletur, remanente nihilominus in aliis eadem communi: quæ sanè vel relatu indigna sunt. Lege, si placet, Burleum in Isagogem Porphyrij, & Capreolum ad quæstionẽ tertiam distinctionis quintæ libri tertij Sententiarum, vbi horum nonnulla, sed perperam Scoto tribuuntur.

Qui verò plures numero aptitudines remotas naturæ humanæ concedunt iuxta numerum particularium: in quibus illa continetur, non parum in eo laborant, vt inueniant vnitatem aliquam, à qua natura humana dicatur, ac sit vnum numero vniuersale, vnáque numero spe

ro ſpecies. Nam alij ſibi videntur ſatisfacere, afferenda vna numero ſpecie intelligibili, vnóve numero conceptu humanæ naturæ præcisè repræſentante naturam ipſam, hoc eſt, ſine differentiis indiuiduantibus. Aiunt enim, naturam ſic repræſentatam dici poſſe vnum numero vniuerſale, & vnam numero ſpeciem ab vna numero ſiue ſpecie intelligibili, ſiue conceptu repræſentante.

*Refutatio.* Sed præſto eſt, quod contrà opponatur: nempe, ſi non aliunde, quàm ab vna numero ſpecie intelligibili, vnóve numero conceptu communi, natura humana dicitur vnum numero vniuerſale, & vna numero ſpecies: cùm plures numero ſiue ſpecies intelligibiles, ſiue conceptus, cùm à diuerſis hominibus, tum etiam ab eodem de humana natura formentur, fore, vt natura quoque humana ſit plura numero vniuerſalia, & plures numero ſpecies.

Opponi quoq; & illud poteſt, ſpecies & cóceptus non poſſe dare formaliter naturæ humanæ, niſi eſſe repræſentati, & quæ illud conſequuntur: at vt aliquid ſit vnũ numero repræſentatũ, non ex vno numero repræſentante diiudicandũ eſt. Fieri enim poteſt, vt vna res numero à pluribus numero repræſentetur: veluti vna numero facies à pluribus numero imaginibus impreſſis in diuerſis numero ſpeculis.

Aliunde igitur oportet, vt natura ſit vnum numero repręſentatum ſine differentiis indiuiduantibus, quàm ab vna numero ſpecie aut conceptu: nempe ab aliqua vna numero vnitate ipſius naturæ repręſentatæ, quæ noſtrum conceptum ſpeciémque præcedat.

*Aliorum reſponſio.* Alij, cùm hanc vnitatem non inueniant, fateantúrque non ſatis eſſe vnitatem numeralem ſpeciei intelligibilis conceptúſque communis, vt natura humana dicatur vnum numero vniuerſale, recurrunt ad ipſam vnitatem formalem naturæ humanæ, non quidem multiplicatam in ſuis particularibus, ſed in commune ſumptam. Dicunt enim, naturam humanam non eſſe dicendam vnum numero vniuerſale, vnámque numero ſpeciem ab aliqua vna numero vnitate (hoc enim eſſe proprium rerum ſingularium) ſed ab vnitate formali in commune, ſeu præcisè ſumpta: atque hanc re vera eſſe vnitatem præciſionis, non aliam vllam, quæ ſit vna numero: & nullo modo multiplicabilis in plures numero, vt nos eam ponimus.

*Refellitur.* Sed non bene rem conſiderant. Nam ne fingi quidem poteſt, aliquid eſſe vnum numero per vnitatem, quæ ipſa ex ſe non ſit vna numero, ſiue ex formalibus, ſiue ex numeralibus: ſiquidem vnum numero nihil eſt aliud, quàm indiuiſibile ſeu immultiplicabile, vt ſic dicam, in plura numero eiuſdem nominis & rationis. Si ergo animal in commune ſeu præcisè ſumptum eſt vnum numero genus, & homo in commune ac præcisè ſumptus eſt vna numero ſpecies: ab vna vtique numero vnitate vtrumque habeat neceſſe eſt, vt eo pacto ſit vnum. At vnitas formalis, ſiue animalis, ſiue hominis, etiam præcisè ſumpta, non eſt vna numero, neque ex formalibus, neque ex numeralibus, vt ipſi rectè dicunt, ergo nec animal præcisè ſumptum, nec homo præcisè ſumptus poteſt dici vnũ numero vniuerſale, aut vna numero natura ex communibus per vnitatem formalem, etiam præcisè ſum

*Vnum numero quid ſit.*



ſumptam, ſed ſolùm per eam vnitatem incommunicabilem, quæ ſequitur quamlibet naturam contrahibilem in ſtatu illo potentiali ſeu aptitudinali, quo illa ſui contractionem antecedit, quam vnitatem præciſionis appellamus.

Patet igitur ex his, naturam humanam non habere in particulari vllo homine aptitudinem eſſendi in pluribus, vanámque eſſe huiuſmodi aptitudinis diſtinctionem in remotam & proximam, cùm vna tantùm ſit numero conueniens humanæ naturæ, antequam ad particulares homines contrahatur, quemadmodum & vnitas præciſionis, quæ vna tantùm numero eſt, immo & ſuo modo numeralis: quod idem dicendum eſt de cæteris aptitudinibus & vnitatibus præciſionis rerum vniuerſalium reſpectu ſuorum particularium.

*Euertuntur fundamenta, & diluuntur argumenta partis aduerſæ.*

## SECTIO V.

FVndamenta verò illa partis aduerſæ de aptitudine cum determinatione, & ſine determinatione ſeu indifferentia, & ſimilitudo item duplicis aptitudinis materiæ primæ, remotæ inquam, & proximæ, quæ remotam quoque ac proximam aptitudinem eſſendi in pluribus naturarum communium inducere videbantur, facilè euerti poſſunt. Nulla enim omnino aptitudo, qua natura idonea ſit, vt in pluribus inſit, dari poteſt ſimul in aliquo particulari cum determinatione eius ad illud, vt fusè probatum eſt: quippe cùm neceſſariò poſcat indeterminationem ſiue indifferentiam ad omnia, in quibus natura ipſa reperiri poteſt.

*Sectione præcedenti.* Neque item ad rem facit ſimilitudo propoſita materiæ primæ. Namque materia prima, cùm vna & eadem numero ſucceſſiuè ſubeſſe poſſit diuerſis ac repugnantibus formis: quandocunque vni earum ſubiecta eſt, habet remotam aptitudinem, vt aliis ſubſit, idque propter diſpoſitiones contrarias diſpoſitionibus aliarum formarũ, quas diſpoſitiones expelli oporteret, vt aliæ formæ inducantur. At natura communis facta ſingularis non poteſt tranſire ab vna differentia contrahente in aliam, ſiue ſucceſſiuè ſubeſſe oppoſitis differentiis (qua ſola ratione fieri poſſet, vt in hoc particulari haberet aptitudinem remotam eſſendi in aliis) ſed ſimul & æquè determinata eſt in omnibus ſuis particularibus immediatis: nec remotam habere poteſt aptitudinem, vt ſit in aliis, niſi comparetur cum inediatis ſiue remotis particularibus, ad quæ per differentias diuiſiuas immediatorum contrahitur.

*Materia prima vna & eadem numero ſubeſſe poteſt diuerſis & repugnãtibus formis.*

*Solutio primæ rationis.* Sed neque additæ rationes quicquam efficiunt, Prima enim, negatione illius poſterioris conſequentiæ diſſoluitur. *Natura communis, abſolutè accepta eſt in ſuis particularibus, ergo habet in illis aptitudinem vt in eis inſit*, ſi ſic intelligatur conſequens, ac ſi apertius dictum eſſet, *ergo habet in quolibet eorum aptitudinem vt ſit in eis omnibus*, quo pacto argumentatio eſt ad rem. Quod ſi ſenſus ſit, *ergo in quolibet eorum habet aptitudinem vt ſit in illo*, verum quidem eſt conſequens, & apta conſequentia, ſed non conficit intitutum.

*Secunda.* Secunda quoque ratio vitiosè concludit. Nam etsi naturæ communi absolutè acceptæ non repugnat esse in pluribus, ineptè tamen colligitur: ergo habet in illis non repugnantiam, vt sit in illis, si sensus sit (vt esse debet) ergo habet in quolibet eorum non repugnantiam, vt sit in pluribus, atque adeo in illis omnibus: transitur enim hoc pacto à ratione habendi absolutè ad rationem habendi hic vel ibi. Namque etsi natura absolutè accepta habet huiusmodi non repugnantiam (id quod aptè colligitur) non habet tamen illam in suis particularibus, nec rectè id concluditur, quod tamen concludere oportebat.

*Solutio quorumdam improbatur.* Mitto hic responsionem quorundam, qui negant hanc consequentiam. Natura communis absolutè accepta non habet repugnãtiam, vt sit in pluribus, ergo habet non repugnantiam, vt sit in illis: quia, vt aiunt, non est apta consequentia à negatiua finita ad affirmatiuam infinitam: veluti si dicas, Antichristus non est albus, igitur est non albus, quòd dicant oportere illum esse, vt sit non albus. Nam quicquid sit de hoc colligendi modo, cùm prædicatum consequentis arguit existentiam subiecti: nihil tamen valet, cùm conuenit subiecto prius natura, quàm existat: quo pacto non repugnantia, seu aptitudo essendi in pluribus conuenit naturis communibus. Concedimus ergo consequentiam, si consequens absolutè sumatur, hoc est, si hoc tantùm colligatur: ergo habet non repugnantiam, vt sit in illis: sed negamus, si addatur limitatio hunc in modum: ergo habet in illis non repugnantiam, vt sit in illis: quo pacto propositum est consequens in argumentatione.

*Tertia. Tribus vitiis tertiam rationem laborare.* Tertia ratio tribus minimùm vitiis laborat. Primum est, quòd supponit aptitudinem essendi pluribus esse simul in Socrate cum determinatione naturæ humanæ ad illum: quod quidem erat in quæstione, nósque falsum esse ostendimus.

Alterum, quòd sumit pro diuersis actibus eiusdem aptitudinis naturæ humanæ determinationem eius ad Socratem & ad Platonem cæteróſq; homines, cùm vnus tantùm sit actus talis aptitudinis: nẽpe esse in pluribus, seu determinatio ad plures homines particulares, atque adeò ad omnes: nisi velis esse diuersos partiales vnum totalem conficientes. Hinc est, quod D. Thomas 3. p. q. 2. art. 5. agens de assumptione humanæ naturæ in Christo, ait, *naturam humanam non habere rationem communis speciei, secundum quod est in vno solo indiuiduo, est secundum quod est abstracta ab omni indiuiduo, vel secundum quod est in omnibus indiuiduis.* Nam quòd rectissimè id dictũ sit, ex eo patet, quia natura humana, quoad aptitudinem non existit, nisi obiectiuè in intellectu abstrahente illam à differentiis contrahentibus: quoad actum verò non existit in vno solo indiuiduo, sed in omnibus simul. Nec verò est eadem ratio de aptitudine, atque de actu, vt etiam sit partialiter in quolibet, totaliter autem in omnibus simul, quemadmodum actus. Nam actus huiusmodi aptitudinis ex ratione sua est in particularibus naturæ aptæ, at ipsa aptitudo ad omnes ex ratione etiam sua antecedit contractionem ad particularia: vnde nec totaliter,

*Natura non habere rationẽ speciei secundũ quod est in vno solo indiuiduo.*

*Discrimen inter aptitudinem, atque eius actum.*



liter, nec partialiter in particularibus esse potest. Quamquam etsi eadẽ esset ratio in aptitudine, atque in actu: illi tamen non loquuntur de aptitudine partiali, sed totali, quam volunt esse in quolibet.

Tertium vitium est, quòd ij, qui ratione propositi vtuntur, credunt, determinationem naturæ humanæ ad Platonem esse actum repugnantem determinationi eius ad Socratem, quod aut falsum est, aut nihil ad rem facit. Nam si natura humana ab eis sumitur absolutè, vt sumenda est, & non, vt facta hæc aut illa per differentias indiuiduantes adiectas: falsum est, determinationem eius ad Platonem esse actum repugnantem determinationi ad Socratem: simul enim natura humana est determinata ad singulos per singulorum differentias. Vnde fit, vt exempla huius materiæ primæ respectu formarum repugnantium, & huius subiecti completi respectu contrariorum accidentium nihil momenti habeant. Quòd si natura humana sumatur, vt est facta hæc per differentiam, constitutiuam Socratis, quo pacto re vera sumenda est, vt proposita exempla aliquid valeant, & quomodo eam accipi extrema verba argumentationis indicant: non est ad rem argume[illegible]tio: agimus enim de aptitudine naturæ communis, non de aptitu[illegible]ne naturæ singularis. Adde, quòd natura humana facta singularis per differentiam Socratis, non solùm impeditur, ne sit in Platone, sed etiam inepta, redditur, seu carens omni aptitudine, vt sit in alio, præterquam in Socrate.

*Quartæ. Quam vnitatem supponat aptitudo, & quæ vnitas aptitudinem.* Quartæ extremæque rationi respondendum est, aptitudinem, quam habet natura communis, vt sit in pluribus, sequi formalem vnitatem, atque adeo naturam ipsam, non per se tamen, sed in statu potentiali ipsius naturæ: seu potius esse statum ipsum potentialem, modúmve essendi potentialem naturæ, vt suprà diximus, coniunctámque esse cum vnitate præcisionis, ita tamen, vt non sequatur illam, sed potius præcedat: supponit enim vnitas præcisionis aptitudinem essendi in pluribus, non aptitudo vnitatem, vt ex eodem loco perspicuum est. Itaque hoc modo res habet. Naturam sequitur per se vnitas formalis: modum autem essendi potentialem naturæ, siue aptitudinem, vt sit in pluribus sequitur vnitas præcisionis. Vnde non mirum est, si vnitas formalis descendat cum natura ad omnia eius particularia, cùm tamen impossibile sit vnitatem præcisionis cum natura descendere: nec sanè alia ratione, nisi quia is modus potentialis aptitudóve simul esse non potest cum natura actuata & determinata: iam enim esset actuata & non actuata, determinata & non determinata.

*Hæc ipsa quæstione sect. 2.*

*Vnitatẽ formalem multiplicari cum natura, non ipsam aptitudinem naturæ, vt sit in pluribus.*

*Obiectio.* Quòd si quis hunc in modum argumentetur. Natura humana non est per se inepta, vt sit in pluribus, ergo est per se apta, vt sit in pluribus, & ex consequenti huiusmodi aptitudo necessariò descẽdit cum natura ad omnia eius particularia: neganda est consequentia: tum quia apertæ sunt plurimæ instantiæ, vt si dicas, superficies nõ est per se alba, ergo est per se non alba, Socrates, non est per se Grammaticus, ergo est per se non Grammaticus, seu Grãmatica priuatus: tum etiam, quia si apta esset consequentia, Socrates quoque esset aptus,

*Solutio.*

vt esset in pluribus: sumpta enim natura humana in concreto, sic liceret argumentari. Homo non est per se ineptus, vt sit in pluribus, ergo est per se aptus, vt sit in pluribus, & ex consequenti Socrates, & quilibet alius homo est aptus, vt sit in pluribus (siquidem omnia, quæ per se conueniunt superioribus, inferioribus quoque directò suppositis conueniunt, atque adeo per se, licet non primò) quo fieret, vt Socrates, non solùm quatenus homo, esset vniuersalis, sed etiam quatenus Socrates: quorũ vtrumque falsum est: Neque enim, vt obiter dicam, hoc solùm negandum est, Socratem, quatenus Socrates est, esse vniuersalem, sed etiam quatenus est homo: si enim quatenus homo est, esset vniuersalis, etiam simpliciter & sine adiectione illa, *quatenus homo*, esset vniuersalis: quia quæ per se conueniunt, etiam simpliciter & sine adiectione conueniunt. Quocirca recte Caietanus annotauit, etsi consequentia aptè procedit à negatiua finita ad affirmatiuam infinitam (subaudi saltem vbi prædicatum consequentis non supponit existentiam subiecti, vt iam diximus) tamen nõ valere addita reduplicatione, seu geminatione per verbum, *quatenus*, aut aliud simile.

*Obseruatio Caietani circa cõsequentiam à finitis ad infinitas.*

*In lib. de ente, & essen. c. 4. q. 6.*

*Epilogus.* Ex his duabus quæstionibus patet, quænam vnitas sit propria rerum vniuersalium, vt vniuersales sunt: quídque sit aptitudo earum, vt sint in pluribus, & quem ordinem hæc duo inter se habeant: itémque an ea vnitas & aptitudo esse possint cum natura communi in suis particularibus. Quo autem pacto naturę ipsæ communes, quæ in particularibus suis particulares etiam sunt, fiant vniuersales: nunc disquirendum.

## NVM RES FIANT VNIVERSALES operatione aliqua intellectus.

## QVÆSTIO V.

*Argumenta pro vtraque parte.*

### SECTIO I.

*Partis negatiuæ argumentum.* NVlla intellectus operatione opus esse, vt res sint vniuersales, ex eo primùm probari potest: quia etsi nulla nunc operatio intellectus esset, adhuc tamen homines inter se specie conuenirent: cum cæteris verò animalibus genere: eadem enim omnino esset eorum conuenientia & discrimen, atque nunc, cùm illa conuenire ac differre concipimus. Quinimo ea ratione verè concipimus, illa partim conuenire, partim differre inter se, quòd nobis etiam nihil de eorum conuenientia ac discrimine cogitantibus ita res habeat.

Deinde, quia cùm homo ante operationem intellectus sit in multis, & omnis aptitudo præcedat suum actum, consequens est, vt potiori ratione ante operationem intellectus aptus sit, vt in multis insit: quod est esse vniuersale.

Tertio, quia omnia, quæ per se rebus conueniũt, necessariò ac proinde ante omnẽ operationẽ intellectus conueniunt, at homini cõuenit per se esse vnũ, cũ vnitas cuiuscũq; rei sit prima eius proprietas:





cõuenit etiã aptitudo, vt sit in multis, cùm ei nihil repugnet in esse in multis: est igitur vniuersalis ante omnem intellectus operationẽ.

Quarto, quia si per operationem intellectus res fierent vniuersales, id est, per species aut conceptus, quibus repræsentatur sine differentiis indiuiduantibus: quot essent huiusmodi species vel conceptus naturæ humanæ, tot essent naturæ humanæ species, quod dici non potest.

Postremo, quia obiectum præcedit actum: vniuersale autem est obiectum intellectus, quemadmodum & singulare est obiectum sensus, vt passim Philosophi asserunt: præcedit igitur vniuersale omnem actum intellectus.

*a* Tex. 66. *b* 11. Posterior cap. 8. tex. 25. &c. 20. tex. 39. *c* Tex. 45. His accedunt ea, quæ Aristoteles ca. 3. lib. 1 superioris, itémque ad calcem librorum *b* de Posteriori resolutione, & capp. 3. libb. 7. *c* huius operis de rebus vniuersalibus pronuntiat, Ait enim primo loco, *genus esse & speciem, per se conuenire rebus, quæ genera & species dicuntur*: quòd si per se, ergo necessariò, & ex consequenti sine operatione intellectus. In secundo autem, vniuersale in omnibus suis particularibus vnum esse: quòd si in illis est vnum, ergo non expectat operationem intellectus, vt fiat in illis vnum: minus etiam aptitudinem, vt in eis insit. In tertio verò loco hac ratione Platonem reprehendit, quòd ponat vniuersalia separatim existere extra sua indiuidua: cùm vniuersale, quatenus vniuersale est, nihil sit aliud, quàm quod aptum est, vt sit in pluribus: non opus est igitur separatione vlla per intellectum, vt res sit vniuersalis.

*Confirmatis eiusdem partis ex Aristotele.*

*Partis affirmatiuæ argumentum.* Contra verò, rem nullam esse vniuersalem, nisi beneficio intellectus, eo argumento primùm probatur, quia aut res sunt vniuersales secundum se, seu (quod idem est) per se: aut per accidens: re autem vera non sunt per se vniuersales: quia cum omnia, quæ per se *1 Post. c. 5. tex. 12. & 13.* conueniunt superioribus, inferioribus quoque omnibus conueniant, vt est Aristotelis sententia ab omnibus recepta: singularia etiam, vt Socrates & Plato essent vniuersalia: quod fieri nullo modo potest, cùm per se sint singularia: sunt igitur per accidens vniuersales: atqui non id eis accidit secundum existentiam realem, cùm hoc pacto omnes singulares sint propter coniunctionem, quam habent cum differentiis indiuiduantibus: ergo secundum existentiam obiectiuam.

Deinde, quia cùm nulla res, quæ habet plura indiuidua, quatenus in eis existit, sit vnum aliquid, sed multa, aut etiam in vllo eorum habeat aptitudinem, vt sit in aliis (natura enim humana, quæ est in Socrate, per nullam potẽtiam potest esse in Platone, cùm propria sit Socratis: nec ab eo vlla virtute seperari possit, vt saltem successiuè sit in Platone: simul enim luce clarius est in vtroque existere non posse) necessariò efficitur, vt si vniuersalis esse debet, modo aliquo separetur à suis indiuiduis, vt & vna tantùm sit, & æquè respiciat omnia sua indiuidua: atqui non potest esse separata secundum realem existentiam, vt Plato finxisse creditur: est igitur vniuersalis, quatenus est separata secundum existentiam obiectam, quæ rebus sola intellectus operatione conferri potest: sensus enim nihil

separat à conditionibus indiuiduantibus.

3 *Solus Deus est æternus, in quo nihil est vniuersale.*

Tertio, quia vniuersalia, nec quatenus talia entia, nec quatenus vniuersalia, sunt æterna (solus enim Deus est æternus, in quo nihil est vniuersale, sed omnino maximè singularia) sunt igitur aliquando facta vniuersalia, aut etiam fiunt: at non possunt fieri vniuersalia actione reali, quæ ad sola singularia terminatur: fiunt igitur actione intentionali: nec certè alia quàm intellectus, qui solus inter facultates ad cognoscendum aptas, ad vniuersalia terminari potest.

Accedit celebre illud Aristotelis pronunciatum in 1. lib. [a] de Ani. *Vniuersale, & quicquid aliud communiter prædicatur, aut nihil esse,* (si de reali nimirum existentis sit quæstio) *aut posterius esse,* hoc est, aut habere existentiam actione intellectus abstrahentis naturam quamlibet communem (sic enim intelligunt Aristotelem grauissimi quique Peripatetici) ex quibus commentator Auenrois [b] satis tritum illud collegit, scriptúmque reliquit, *intellectum facere in rebus vniuersalitatem.*

a *Cap. 1. tex. 8.*
b *Auen. in primum de Aui. comẽt. 8. Lege eundem 12. Metap. cõm. 4. 14. & 28. Alber. Mag. in 1. lib. de Aui. trac. 1. cap. 4. D. Tho. in 1. de Anim. lec. 1. & alios.*

*Primæ opinionis refutatio*

## SECTIO II.

*Prima opinio quæ Scoto attribuitur.*

TRes sunt in hac quæstione sententiæ. Non desunt, qui dicant naturas, quæ pluribus rebus communes sunt, non modo ex se ipsis, & sine operatione intellectus esse vniuersales, sed etiam in suis particularibus habere suam vniuersalitatem, & quæ cum eis simul existat: quam opinionem ascribunt Scoto in secundo Sententiarum distinctione tertia, quæstione prima.

*Non esse hãc Scoto sententiam.*

Atque hi: etsi in priori parte suæ assertionis reprehendi nõ sunt, vt patebit: in posteriori tamen non rectè sentiunt, neque aptè in ea asserenda Scoto vtuntur patrono. Is enim etsi concedit eo loco, naturas communes habere in suis particularibus suam communitatem (loquitur autem de materialibus, quamquam eadem ratio est in materiæ expertibus) perspicuè tamen negat, eas habere in illis suam vniuersalitatem: quod etsi sint communes ante operationem intellectus, non sint tamen vniuersales actu, hoc est, non habeant suam vniuersalitatem actu existentem sine operatione intellectus, vt inferius exponemus. Vnde perspicuũ est, non accepisse Scotum communitatis nomen pro vniuersalitate actu, sed potentia duntaxat.

*Refellitur secunda pars opinionis.*

Verum quòd vniuersalitas rerum non sit ipsis earum particularibus, vt hi volunt, ex superioribus duabus quæstionibus perspicuum est. In eis enim ostendimus, fieri non posse, vt aptitudo essendi in pluribus, in qua consistit vniuersalitas, & vnitas præcisionis, quæ illam sequitur, in particularibus naturæ vniuersalis existant.

*Excusatio. An Scotus attribuerit indifferentiã naturæ in suis indiuiduis existẽti.*

Ea tamen ratione excusationem prętendere possunt in attribuenda Scoto sua opinione, quòd ille non solùm dicat in loco citato, naturas communes habere in suis particularibus vnitatem minorem numerali, sed etiam cum ea coniunctam indifferentiam ad omnia earum particularia. Quod quidem, si reuera sentit, neque expositione aliqua alium sensum habere potest, nisi quem verba præ-



seferunt: dubium non est, quin ponat in particularibus cuiusque naturæ communis non tantùm vniuersalitatem potentia, sed etiã actu: etsi in ea reparum aduertens sibi repugnet. Nam vbi datur indifferentia ad omnia particularia, ibi necesse est & detur aptitudo ad illa, & vnitas præcisionis.

*Lege Lichetum in 2. d. 3. q. 1. Ant. Troma. 7. Metap. q. 7. Ante Andr. Metaph. 8.*

Huc Scoti expositores accurrunt, & varias expositiones afferunt, vt suum Auctorem à falsa sententia, aut à contradictione defendant. Quidam enim satis se putant satisfacere, si ostendant, Scotum nomine vnitatis minoris numerali, quam ponit in particularibus naturarum communium, intellexisse vnitatem formalem, quæ cum qualibet natura communi tamquam peculiaris eius proprietas in suis particularibus multiplicatur: cùm ea enim multiplicata non potest existere vnitas præcisionis, quam ille appellat vnitatem numeralem obiecti communis. Atque ita quidem dicere oportet, vt Scotus rectè sentiat. Verùm indifferentia, quam cum vnitate minore numerali coniungit arguit, illum eius vnitatis nomine, aut non intellexisse, aut intelligere non debuisse vnitatem formalem. Indifferẽtia enim non est coniuncta cum vnitate formali particulari facta, sed cum vnitate præcisionis ante particularia, aut (quod eodem redit) cum vnitate formali in commune sumpta.

*Secunda sectatorũ Scoti expositio.*

Alij dicunt, vnitatem minorem numerali, quam Scotus ponit in particularibus esse quidem ipsam ex se sufficientem, vt natura secundum eam habeat aptitudinem, vt sit in suis particularibus, non tamẽ, vt dicatur de illis omnibus prædicatione dicente, hoc est hoc: quia vnitas illa, quæ existit in Socrate, est propria Socrati per differentiam indiuiduantem Socratis. Sed nõ vident, eamdem esse rationem in aptitudine dicendi passiua, atque in aptitudine essendi: vt natura humana secundum vnitatem minorem numerali, quam habet in Socrate, est apta, vt sit in omnibus suis particularibus, sit etiam apta, vt dicatur de omnibus prædicatione dicente, hoc est hoc, siue prædicatione in recto, quæ etiam per modum identitatis appellatur, & à prædicatione in obliquo, siue dicente, hoc est in hoc, distinguitur: quod si non est apta, vt sic prædicetur, ergo non est apta, vt sic insit.

*Refutatur.*

*Tertia explicatio.*

Alij vtuntur distinctione indifferentiæ in positiuam, & priuatiuam, dicúntque Scotum re vera intellexisse vnitatis nomine vnitatem formalem, verùm non addidisse illi in particularibus indifferentiam positiuam, sed tantùm priuatiuam. Volunt enim indifferentiam positiuam, quam etiam contrariam appellant, esse eam, qua natura ita est exse indifferens ad omnia sua particularia, vt in eo statu cum nulla differentia contrahente coniuncta sit: quod quidem solius intellectus opera fieri posse dicunt, abstrahente nimirum intellectu per speciem intelligibilem, aut conceptum naturam communem ab omnibus differentiis, quibus in rerum natura contracta est. At indifferentiam priuatiuam nihil esse aliud: quàm quod natura ex se non sit addicta ad vllam differentiam contrahentem, licet re vera cum aliqua earum, aut etiam cum omnibus sit coniuncta.

*Duplex apud Scoti sectatores indifferentia.*

*Impugnatur.* Est quidem hæc speciosa distinctio indifferentiæ, sed speciei nihil subest doctrinæ solidæ. Primùm enim, si rectè nominibus contrariæ & priuatiuæ indifferentiæ vtuntur, non minorem oppositionem, sed maiorem potiùs indicat nomen priuatiuæ, quàm contrariæ, cùm priuatiua magis ad contradictoriam accedat. Vnde fit, vt si contraria excludit omnes differentias contrahentes naturam ex se indifferentem: priuatiua quoque, atque adeo potiori ratione illas excludet. Si verò nihil curent propriam vocabulorum significationem, iam quæro quid iuuet ista coniunctio differentiarum determinantium naturam ex se indifferentem cum natura ipsa, vt differentiæ simul sint cum indifferentia, & determinatio, quam faciunt, cum indeterminatione naturę: differentias enim determinantes nihil repugnat, sed maximè etiam congruit simul esse cum natura: at eas esse simul cum ipsa naturæ indifferentia, & determinationem per differentias cum indeterminatione naturæ, omnino repugnat.

Quæro etiam, quid sibi velit illud, *ex se*, siue, *de se*, cùm dicunt, naturam determinatam per differentias esse ex se indeterminatam & indifferentem. Nam si idem est, atque naturam esse per se indifferentem & indeterminatam, ita vt indeterminatio & indifferentia in secundo modo dicendi per se comitetur naturam: iam ea indifferentia & indeterminatio positiua erit, neque vllibi compatietur secum determinationem per vllam differentiam contrahentem. Si verò idem est, atque naturam non per aliquid adiunctum, sed tantùm in statu eius solitudinis seu potentialitatis, quam habet antequam contrahatur per differentias, aut postquam ab eis abstracta & quasi auulsa est, esse indifferentem & indeterminatam (quod re vera dicant oportet) iam fatentur, indifferentiam & indeterminationem non esse simul cum natura contracta & determinatam per differentias contrahentes, sed cum natura nondum contracta, aut iam à contrahentibus abstracta.

Ad hæc, si indifferentiam naturæ abstractæ propterea positiuam, & contrariam appellant, quia natura in eo statu non compatitur secum differentiam vllam contrahentem & determinantem, licet alia ratione omnes compatiatur, cur non etiam vocant positiuam & contrariam eam indifferentiam, quam natura sibi vendicat antequam contrahatur, & simul sit cum indifferentia contrahente: cùm in eo etiam statu nullam contrahentem differentiam compatiatur, etiamsi posterius natura omnes compatiatur, hoc est in suis particularibus.

*Quarta, vera que Scoti expositio.* Alia igitur ratione Scotum interpretari possumus, vt & rectè sentiat, & sibi non repugnet. Ea verò est, vt velit, naturas cõmunes etiam in suis particularibus existentes habere indifferentiam ad omnia sua particularia, eámque re vera esse positiuam & contrariam, vt appellant, siue non compatientem secum determinationem per differentias (nulla enim alia est indifferentia) verumtamen non eam habere in illis, sed ex se, ideſt, ante illa: in statu nimirum potentiali, quo contractionem per differentias antecedunt. Cùm autem subdit, naturas hoc pacto vniuersales non esse vniuersales actu, sed potentia: eũ sensum habere potest, vt significet, eas non habere vniuersalitatem actu existentem ante operationẽ intellectus, sed potentia dumtaxat, quod verissimum est: nam cùm vniuersalitas rerum non possit existere in particularibus earum, vt probatum est (quod esset existere realiter) reliquum est, vt tantum obiectiuè cũ rebus ipsis possit existere. Quare cum obijci non possit, nisi intellectui, vt proxima quæstione patebit: perspicuum est, res non habere vniuersalitatem actu existentem nisi per operationem intellectus.



*Quo pacto actio intellectus ad aptitudines essendi & prædicandi requiratur.* Quocirca non est necesse, vt Scoti expositores ad eam expositionem confugiant, vt dicant, Scotum expectare operationem intellectus, non vt res habeant aptitudinem, vt sint in pluribus, sed prædicentur de pluribus: ad vtramque enim aptitudinem expectat Scotus actionem intellectus, si vtraque sumatur secundum existentiam: ad neutram verò, si ambæ sumantur secundum nudam conuenientiam: naturæ enim communes, quemadmodum ante contractionem sunt aptæ, vt sint in pluribus, ita etiam sunt aptæ, vt prædicentur de pluribus. Sed addunt, hoc esse discriminis, quod ante operationem intellectus, aptitudo, vt sint in pluribus, est proxima suo actui, aptitudo autem, vt prædicentur de pluribus, non est proxima, sed remota: expectant enim res ab intellectu species intelligibiles, aut conceptus, quibus actu sint prædicabiles potentia proxima.

*Quid addant Scotistæ.*

*Quæ ad mentem Scoti dicta sunt, quo pacto accipienda.* Hæc tamen nec omnino vera videntur, nec si sint, ad rem faciunt: Nam, vt lignum est ex se conformabile in statuam potentia passiua proxima, etsi, vt conformetur, à Polycleto expectat artem, qua Polycletus possit ex eo statuam efficere: ita naturæ, quæ denominantur communes, sunt ex se prædicabiles de pluribus potentia passiua proxima, etsi vt prædicentur enunciẽtúrque expectant speciem aliquam intelligibilem conceptúmue, cuius interuentu intellectus id facere possit. Sed esto non vocemus potentiam proximam naturæ, vt prædicetur, nisi cùm eius species aut conceptus est in intellectu, quid inde ad propositam dubitationem? Neque enim quærimus, vtrum naturæ rerum communes sint prædicabiles actu ante operationem intellectus, sed an sint vniuersales actu quod etiam Scotus negat, & nos, quomodo id verum esse possit, exposuimus, illi vero exponere nec curant, nec verò aliter possunt, quàm vt à nobis explicatum est. Ita patet, non rectè sentire primæ opinionis auctores in posteriori parte suæ assertionis, nec re vera Scotum in ea asserenda illis patrocinari.

*Refutatio secundæ opinionis, & approbatio tertiæ.*

## SECTIO III.

*Secunda opinio explicatur.* ALij oppositam omnino sententiam sequuntur: dicunt enim, naturas communes non solùm non habere suam vniuersalitatem in suis particularibus, verùm neque ex seipsis esse vniuersales, sed sola operatione intellectus vniuersales effici. Afferunt autem D. Thomam, & pæne totam Scholasticorum antiquitatem in suæ opinionis confirmationem. Diuus enim Thomas capite quarto libelli de Ente & essentia, non tantùm asserit, sed etiam probat, naturas cõmunes

Universidad de Deusto
Biblioteca



nes nec secundum se, nec vt sunt in suis particularibus, sed vt sunt in intellectu, esse vniuersales, & in eo tantùm obiectiuè sibi vendicare vniuersalitatem: quod Auicennæ etiam & Commẽtarioris auctoritate confirmat. Idem ex veteribus Scholasticis & priores D. Thoma, vt Albertus & Alensis: & posteriores, vt Aegidius & cæteri reales sensisse videtur. *Auicen. 5. lib. suæ Metaph. cap. 1. Auen. primo de Anim. comm. 8. & 12. Meta. comm. 4. & 3. de Ani. comm. 18. Albe. Mag. in prædicamen. Alens. 7. Metaph. in text. 46. Aegid. q. 2. prologi, & primo Sent. d. 19. p. 2. Duram. in 1. d. 3. q. 5. & in 2. d. 3. q. 7. & alij. sect. præcedenti.*

*Non esse omnem ex parte probabilem.*

Sed horum opinio, etsi in priori quoque parte nobis probatur, satisque ex iis quæ dicta sunt, cõfirmata relinquitur: in posteriori tamen, vt superior (nisi aliter, quàm vt sonat exponatur) non placet: est enim ex duabus superioribus quæstionibus perspicuũ naturas cõmunes habere ex se, & ante operationẽ intellectus, & vnitatem præcisionis, & aptitudinem, vt sint in pluribus. Quò fit, vt hac ratione tantùm sint, ac fiãt vniuersales operatione intellectus, quatenus non habent vniuersalitatem actu existentem, nisi obiectiuè in intellectu. Atque hoc pacto intelligendos esse Auctores, quos citant, ex eo primum patet: quia omnia hoc modo aptè cohærent, nullàque repugnantia in tantorum virorum doctrina superest. Deinde, quia facere & fieri ad existentiam referuntur. Vnde cùm illi dicunt, res fieri vniuersales operatione intellectus, nihil aliud voluisse existimãdi sunt, quàm quòd earum vniuersalitas sola operatione intellectus existere incipiat, quandoquidem in rebus particularibus existere non potest, vt in exponenda Scoti sententia diximus. Demum, quia verba, quibus hanc quæstionem proponunt, hæc ferè sunt: Vtrum vniuersalia sint extra animam hoc est, an existant sine operatione intellectus, Tamdémque concludunt, ea quidem, quæ denominantur vniuersalia, esse extra animam, si sint realia, hoc est, existere realiter, si eorum singularia realiter existunt: at ipsam vniuersalitatem nunquam existere, nisi obiectiuè in intellectu.

*Vt debeant citati Autores intelligi.*

*Vera sententia exponitur.*

*Naturas cõmunes extra intellectum esse actu vniuersales.*

*Probatur insuper duobus argumentis.*

Est igitur vera germanáque & omnium vt credere par est, veterum Scholasticorum sententia, naturas communes ex se, & ante eam operationẽ intellectus, qua à suis particularibus abstrahuntur, nempe prius natura, quàm in suis particularibus existant, aut contractæ in eis sint, esse actu & non potentia tantùm vniuersales, tametsi non habent suam vniuersalitatem existentem, nisi cum intellectui sine differentiis contrahentibus obiiciuntur. Quæ sententia etsi ex dictis patet, tamen quoad priorem partem, quæ maiorem difficultatem recentioribus ingerit, duobus item argumentis confirmari potest.

*Primum.*

Vnum est, quia quæ conueniunt rebus per operationem intellectus, sunt posteriora ijs, quæ illis conueniunt, vt existũt in rerum natura, siue, vt dicitur, à parte rei: sed aptitudo earum, vt sint in pluribus, non est posterior, sed prior ipso esse in pluribus, qui est actus conueniens illi à parte rei: non conuenit igitur rebus per operationem intellectus: quòd si aptitudo essendi in pluribus non conuenit rebus per operationem intellectus: ergo nec vniuersalitas, cùm in ea posita sit tota vniuersalitatis ratio. Idem argumentum hunc etiam in modũ proponi potest. Actus essendi in pluribus, qui est fundamentum



*Lege Scot. in Isagog. Porphirij q. 14. & Caiet. ad finem cap. de Genere.*

tum prædicationis de pluribus, non pendet ab operatione intellectus, vt omnes fatentur, ergo nec aptitudo, seu vniuersalitas, quæ ordine naturæ præcedit actum.

2. Alterum argumentum est, quia diuersæ naturæ rerum diuersas quoque habent aptitudines, vt sint per modum identitatis in his aut illis: natura enim animalis non habet aptitudinem, vt hoc modo sit in lapidibus, sed in animalibus: contráque natura lapidis non est apta, vt sit in animalibus, sed in lapidibus. Cùm igitur hæc aptitudinum diuersitas non proueniat ex operatione intellectus abstrahentis naturas communes à suis particularibus, cùm omnes, qualescumque sint, eodem modo abstrahat: perspicuum est eam prouenire ex ipsis rerum naturis: eísque conuenire præcisa omni operatione intellectus, qua à suis particularibus abstrahantur.

*Solutio eorum, quæ initio pro vtraque parte proposita sunt, quatenus veræ sententiæ aduersantur.* SECTIO IV.

*Soluuntur argumenta posita sectione prima.*

QVAPROPTER ad priora argumenta initio quæstionis proposita, quatenus huic sententiæ aduersantur, hunc in modum satisfaciendum est.

1. Ad primum, nihil est quod respondeamus, cùm non loquatur de existentia vniuersalitatis, sed hoc tantùm nitatur ostendere, communionem & discrimen rerum inter se, non pendere ab intellectus apprehensione. *Partis affirmantis.*

2. Secundum quoque rectè concludit, si velit, aptitudinem essendi in multis præcedere suum actum, non quoad existentiam, sed quatenus naturis communibus ante contractionem conuenit.

3. In tertio illud non est verum, vnitatem, quæ propria est vniuersalium, esse primam rerum proprietatem, aut per se conuenire rebus, quæ denominãtur vniuersales, nisi verbum, *per se*, idem valeat, atque, *non per aliud*. Prima enim proprietas cuiúsque rei communis est vnitas eius formalis: hæc verò antecedit præcisionis vnitatem, quæ propria est rei vniuersalis, vt vniuersalis est. Quæ quidẽ præcisionis vnitas, vt neque in primo, neque in secundo modo dicendi per se naturis communibus conuenit: ita nec conuenit per differentias contrahentes, aut intellectum abstrahentem, sed ante omnem contractionem abstractionémque, quod idem dicendum est de aptitudine essendi in multis. *Vnitas præcisionis neque in primo neque in secundo modo per se conuenit naturis communibus.*

4. Quartum in eo peccat, quòd ex multitudine repræsentantium arguit multitudinem repræsentati: quamquam si ex sola repræsentatione res fierent vniuersales, rectè colligeret, vt superius ostẽsum est.

*q. 4. sect. 4.*

5. Extremæ argumentationi concedimus, obiectum proprium & peculiare intellectus, quod est vniuersale, duobus modis præcedere actum intellectus, & quoad naturam rei obiectæ, & quoad vnitatem præcisionis & aptitudinem essendi in multis, quibus præcedit cõtractionem naturæ per differẽtias. Natura enim absolutè sumpta est id, quod obijcitur, vnitas autem & aptitudo est conditio, sine qua non *Vniuersales vt præcedat actum intellectus.*

obiicitur, Non præcedit tamen obiectum intellectus actum illius quoad existentiam vnitatis & aptitudinis, vt dictum est.

*Ad loca Aristotelis.*

Locus verò primo ex Aristo. citatus, pro nobis est, qui fatemur? naturas rerum communes esse per se, idest, non per aliud, immo etiam necessariò, ac proinde sine operatione intellectus genera & species. Secundus item nihil contra nos facit, adeo, vt etiam iis fauere videatur, qui sentiunt eam numero vnitatem, à qua quodlibet vniuersale est vnum numero existere in particularibus illius. Sed re vera non fauet, cùm sic exponendus sit, vt Aristoteles loquatur de vnitate negatiuè sumpta, vt Caietanus ait: sensus enim est, vniuersale non facere in suis particularibus differentiam talis naturæ à non tali: quo pacto animal non facit in homine & bestia differentiam sensitiuæ naturæ, & non sensitiuæ, & homo in Socrate & Platone differentiam naturæ humanæ à non humana. Tertius demum locus non solùm nobis non aduersatur, sed fauet etiam non minimè: sic enim reprehendit Platonem Aristoteles, quòd sentiat vniuersalia separatim existere existentia reali: vt non dicat, vniuersalia, quatenus vniuersalia sunt, existere in suis particularibus: sed totam rationem vniuersalitatis in aptitudine essendi in pluribus constituat: patet autem, hanc aptitudinem præcedere omnem existentiam & realem in particularibus, & obiectiuam per abstractionem ab illis.

*Id lib. de Ente & essentia, cap. 4.*

*Primo Metap. cap. 1. & alijs in locis.*

*Ad argumenta partis affirmatiuæ.*

Ad posteriora verò argumenta, ex dictis ferè patet quo pacto respondendum sit. Sed tamen perspicuitatis gratia ad primum dicendum, res non esse per se vniuersales eo modo, quo Arist. distinguit primum & secundum modum dicendi per se: sed in eo sensu, in quo idem asserit, singularia, vt Socratem & Caillam agere aliquid aut pati per se, idest, non per aliud: vniuersale verò, vt hominem aut animal agere aut pati per accidens, hoc est, per aliud, quod per singularia & agant & patientur. Addendúmque falsum esse, quicquid hoc pacto rebus communibus per accidens conuenit, conuenire illis vel secundum existentiam realē, vel secundum obiectiuam: potest enim eis conuenire ante omnem existentiam siue realem, siue obiectiuam.

*Posse aliquid cōuenire alicui ante omnē existentiā realē & obiectiuam. Secundi solutio.*

Ad secundum dicito? etsi nulla res communis est positiuè vna, aut apta, vt sit in pluribus, quatenus existit in suis particularibus: tamen, vt talis sit, idest, vt habeat vnam duntaxat numero vnitatem, vnámque numero aptitudinem ad sui multiplicationem, nō esse necesse, vt separetur per intellectum à suis particularibus, cùm talis sit prius natura, quàm ad illa aontrahatur, licet non talis existat, nisi per abstrationem à suis particularibus.

*Tertiū. Multa rebus ac æterno vt competant.*

Ad tertium dicendum, æternum esse ac temporale ad existentiam propriè pertinere, quo pacto nihil est æternum, nisi Deus: sed tamen multa conuenire rebus ab æterno, nempe omnia, quæ de illis necessariò prædicantur, etsi nec in primo, nec in secundo modo dicendi per se conueniant. Hoc autem modo conuenit rebus communibus ab æterno esse vniuersales, quatenus ex se potentiam habent: vt per differentias suorum particularium contrahantur, & in eis multiplicentur: fiunt tamen vniuersalia secundum existentiam suæ vniuersalitatis



litatis apud nos, cùm naturas communes à differentiis contrahentibus abstrahimus.

*Ad Aris. & Commentatoris loca.*

Ad ea verò, quæ ex Aristotele & Commentatore allata sunt, haud difficilis est responsio. Loquitur enim Aristoteles in priori pronunciato de vniuersali quoad existentiam vniuersalitatis, quod Commentator exponit in posteriori. Quo autem pacto res in hoc sensu fiant vniuersales, nunc explicandum est.

## AN RES SOLA INTELLECTVS OPERATIONE fiant vniuersales.

## QVÆSTIO VI.

*Quid & quotuplex sit abstractio, & quo abstractionis genere vniuersalia à suis particularibus abstrahantur.* SECTIO I.

*Ordo explicandorum.*

CVM res, quæ de pluribus dicuntur, per abstractionem à suis particularibus fiant prædicto modo vniuersales, explicandum in primis est quid & quotuplex sit abstractio: deinde quo abstractionis genere vniuersalia abstrahantur à suis particularibus: postremò quibus animæ viribus ea fiat abstractio. Ex qua tota disputatione patebit, quid noui rebus abstractis per abstractionem aduenial. Abstrahere nihil est aliud, quàm aliquid ab aliquo modo aliquo separare. Cùm autem multiplex sit abstractio, satis erit, si trifariam, quoad rem præsentem attinet, distinguatur: in realem, negationis, & præcisionis. Realis abstractio est, cùm aliquid ab aliquo re ipsa separamus, quo pacto aurum è terra, & pisces ex fluuio abstrahimus. Cùm autem ea, quæ non permanent, non dicantur separari, sed perire: non dicimus, accidentia, quæ naturaliter remouentur à subiecto, realiter ab eo abstrahi, quia naturaliter sine subiecto cohærere non possunt. Abstractio negationis est, cùm vnum de altero negamus, quę proinde aut vera abstractio est, vt cùm negamus albedinem de coruo, aut falsa, vt cum eamdem negamus de cygno. Abstractio præcisionis tum fit, cum è duobus coniunctis inter se vnum apprehendimus, alterum relinquimus: vt cùm aspectu apprehendimus colorem lactis non apprehensa eius figura. Non dicimur autē potentiis appetitiuis abstrahere vnum obiectum ab alio hoc abstractionis genere, tametsi vnum ab alio distinguimus (sæpe enim verbi caussa color rei placet appetitui, cuius sapor displicet) quia potiùs res, quas appetimus, nos à nobis ipsis quodammodo abstrahunt, & ad se trahunt. Vnde est illud Dionysij, *Amor ecstasim facit*, hoc est, amantem extra se ponit. Et illud quod dici solet, *Anima plus est vbi amat, quàm vbi animat.* Ratio discriminis est, quia apud nos potentiæ apprehensiuæ accipiunt species à rebus, quas apprehendunt, & per eas quodammodo res ipsas ad se trahunt (hinc enim apprehensiuæ dicuntur) & appetitiuæ sunt quædam quasi instrumenta, quibus res appetitæ appetentes

*Quid sit abstrahere.*

*Triplex abstractio realis quid sit.*

*Negationis quid sit.*

*Præcisionis quid.*

*Potentiis appetitiuis, cur non dicamur abstrahere.*

*ca. 4. de Diuinis nominibus.*

ad se

Universidad de Deusto
Biblioteca



ad se trahunt: appetimus enim res, vt sunt in se ipsis: apprehendimus: autem, vt illæ sunt in nobis: ita vt, quemadmodum Aristoteles ait, *etiam sensus ipsi externi obiecta materialia sine materia quodammodo recipiãt*, hoc est, sine plerísque obiectorum materialibus conditionibus, vt candorem niuis sine frigore, & flammam ignis sine calore. *Libr. 2. de Anim. c. 12. text. 121.*

*Quæ abstractio vniuersalibus sit accommodãda.*

Vniuersalia igitur non abstrahuntur à suis particularibus abstractione reali: quia genera, species, & differentiæ sunt omnino idem re cum suis particularibus: propria verò & accidentia, etsi aliquo modo possunt esse diuersa à particularibus subiectis, nempe, si spectentur quoad formalia nominum significata (sæpe enim sunt veræ, ac reales qualitates, aut quantitates) non vniuersè tamen hoc pacto sumpta ab eis distinguuntur realiter: nec sic etiam sunt vniuersalia respectu eorum, cùm de illis hac ratione (hoc est abstractis nominibus) prædicari nequeant: nec denique, si diuina potestate abstrahantur realiter à subiectis, vt intellectus & candor ab hominibus candidis, erunt vniuersalia, sed singularia, & tam multa etiam, quàm erunt ipsa particularia subiecta. Numquam enim efficiet vel ipsa diuina potestas, vt per abstractionem alicuius accidentis seu communis, aliquid vnum siue abstractum, siue concretum in rerum natura per se cohæreat, quod pluribus per sui multiplicationem commune esse possit.

*Nulla virtute fieri posse vt singulare sit commune pluribus multiplicatione sui.*

Non abstrahuntur etiam vniuersalia à suis particularibus abstractione negationis vera, si sint ex quattuor prioribus vniuersalium generibus, cùm & genera omnia, & species, & differentiæ, & propria item necessariò suis particularibus conueniant. Sin autem sint accidentia, quæ quintum genus faciunt: poterunt illa quidem verè sic abstrahi à particularibus subiectis, quia vt de illis verè affirmari, ita & negari possunt: at hæc abstractio non efficit sola, vt quod sic abstractum fuerit, si verè accidens ad quintum vniuersalium genus pertinens: multa enim verè negantur de rebus, quarum accidẽtia esse non possunt, vt làpis de homine, & color de Angelo. Itaque nisi negatio vera supponat possibilem affirmationem, nunquam ea propria erit accidentis quinti prædicabilis. Accedit, quod nec negatio supposita affirmatione possibili, quemadmodum nec affirmatio supposita possibili negatione, efficit, vt id, quod negatur, sit vniuersale, cùm singularia accidentia, vt singularia sunt, hoc pacto negari possint de singularibus subiectis. Itaque, nisi id, quod sic negatur, vt affirmari possit, alia ratione fiat vniuersale: numquam sanè hoc abstractionis genere vniuersale erit.

*Negatio, vt sit accidentis propria, quia supponat.*

*Vniuersalia abstrahi præscindendo.*

Ergo superest, vt vniuersalia abstrahantur à suis particularibus abstractione præcisionis, quæ simplex quoque apprehensio dicitur, qua tenus nimirum apprehenduntur non apprehensis vllis particularium differentiis. Hoc autem fieri posse ex eo patet, quia etsi vniuersalia sunt de ratione particularium, tamen particularia non sunt de ratione vniuersalium. Iam verò cum duplex sit apprehensio simplex: vna habitualis, quæ sit per impressam speciem, qua repræsentatur obiectũ: actualis altera, quæ sit per actum apprehendẽdi, expressamque

*Duplicẽ esse apprehensionem simplicem.*



samque similitudinem (si quando ea per actum apprehendendi cognoscendíue exprimitur) duplex quoque esse poterit abstractio præcisionis vniuersalium: vna habitualis, si fiat per species impressas, & habitualiter inhærentes: altera actualis, si fiat per actum apprehendendi id, quod repræsentatur.

*Num viribus sensitiuis vniuersalia abstrahi possint.*

## SECTIO II.

QVibus autem viribus animæ hæc fiat abstractio, nunc videndũ. Ac oportere, vt fiat apprehensiuis, ex ipsa huius abstractionis explicatione constat. Apprehensiuas autem vires seu potentias, quæ sunt in primo quasi aditu & ingressu animæ nostræ, esse quinque sensus externos, manifestum est: hi enim sunt, quorum opera primã rerum notitiam percipimus. Vnde commune illud Philosophorum proloquium: *Nihil esse in intellectu nostro quod non prius fuerit in sensu*, de sensu externo primùm intelligitur: oportet enim quidquid à nobis intellectu apprehenditur, vel apertè, ac per se obiiciatur externo sensui, veluti figuræ hirci ac cerui, vel inuolutè, ac per aliud, vt ipsa hirci ac cerui substantia, & hircoceruus: hoc est, figmentum ex figura hirci ceruíque compositum, quod quasi per partes apprehenditur, cum hircus ceruúsque apprehensiuæ potentiæ repræsentatur.

*Apprehensiuæ potentiæ, quot, & quæ.*

His ergo sensibus non posse fieri abstractionem vniuersalis à singularibus, duóbus potissimum argumentis apertè constat. Vno, quia nihil percipitur externo sensu, nisi, vt hic & nunc, hoc est, vt addictum certo loco ac tempori: at vniuersale, vt vniuersale est certo tempori aut loco addictum non est. Altero, quia sensibus externis nihil percipimus, nisi intuitiuè (vtimur enim hoc verbo alioqui proprio solius aspectus propter inopiam vocabulorum ad significãdam perceptionem præsentis sensibilis, vt præsens est, à quocunque sensu illa fiat) cùm interim nemo dubitet, abstractiuam perceptionem, quæ nihil curat rei obiectæ præsentiam, intuitiuę perceptioni oppositam esse. Quòd si quis obiiciat, sensus etiam externos in absentia rei sensibilis operationem habere posse, vt cùm ab aspectu Solis, quem attẽtius intuiti sumus, oculos auertimus (videmur enim, quocunque oculos dirigimus, Solem videre, quòd propter relictam in oculis Solis speciem certum est accidere) per facilis est responsio, neque enim id vera visio est, sed deceptio & illusio, ac etiam læsio videndi facultatis. Nihil enim reuera percipit aspectus, sed percipientis more se habet, quod aliquãdiu relinquatur in oculis species rei obiectæ, vt ipse etiam Aristoteles in libro de Insomniis fatetur.

*Externis sensibus fieri vniuersalis abstractionẽ non posse.*

*Obiectio.*

*Soluitur.*

*Nihil absente obiecto à sensu percipi.*

Alterum genus apprehensiuarum potentiarum est sensus communis, qui vnicus est in quolibet animali, & primus ex internis, in primo etiam interiori animæ quasi vestibulo residet, propriámque sedem, & vt Medici vocant, cellulam in anteriori capitis parte habet. Huius officium est omnium externorum sensuum obiecta & operationes percipere ac distinguere: itémque iudicare posse, sit ne eadem res

*Sensus communis.*

*Sedes.*

*Officium.*

sensibilis,an diuersæ, quæ à diuersis sensibus percipiuntur: vt sit ne aliquid idem, an diuersum albedo ac dulcedo: quod nec aspectus ipse per se,nec gustatus facere possunt,cùm ille solùm colorem, hic tantùm saporem percipiat:tum etiam discernere,magis ne operetur animal vno sensu, quàm alio, veluti, acutius ne videat, an audiat, quod nec solus aspectus, nec solus auditus, nec vterque simul præstare potest: sed vnus alius, qui nouerit vtriusque operationes, & quasi communis arbiter earum discrimen diiudicet. Quãquam hoc tertium aut solus,aut præcipuè videtur facere intellectus.

*Cur ita appelletur.*

Quocirca non dicitur communis hic sensus, quòd commune aliquid sensibile à particularibus abstrahat, sed quod communiter omnium sensibilium differentias percipiat. Quod enim nihil commune apprehendat, ex eo patet, quia est quasi centrum externorum sensuum,neq; vnquã in absentia rei sensibilis operationem habere potest,sed semper simul cum externis sensibus rem,vt hic & nunc percipit,hoc est,in eadem rei præsentia & locali,& temporaria.

*Phantasia.*

Tertium genus est phantasia, quam plerique imaginationem appellant, cum tamen Græco phantasiæ vocabulo vti malint,qui Latinè loquuntur. Eáque etiam interior est potẽtia quàm sensus communis:&,vt dici solet,in secunda cerebri quasi cellula sedem habet. Proprium eius munus est, sensibilium species seruare, & in eorum absentia alia ex aliis componere,& in alia diuidere:atque adeo alias sensibiles species ex aliis procreare,vt ex diuersorum animalium figuris tertium quoddam animal fingere, & vnum integrum quasi membratim discerpere,& ex alio alia atque alia producere.

*Vbi resideat. Eiusdem munus.*

*Vt componat & diuidat singularia.*

Quamquam verò hic iam sensus diuidat, ac ex vno multa faciat, non secernit tamen vnquam naturam communem à singularibus differentiis, neque vllam eandem in plures eiusdem rationis multiplicat:sed semper in ipsis singularibus versatur, dum hoc cum illo componit,& hoc ex illo separari,aut quasi nasci ac pullulare apud se fingit.

*Aestimatiuæ nomina.*

Quartum deinde sequitur virium apprehensiuarum genus, quod ex internis sensibus est tertium. Aestimatiuam vocant Philosophi in brutis animantibus, in hominibus verò cogitatiuam, & rationem particularem, vt eam à ratiocinandi facultate intellectúve distinguant: quam etiam in tertia cellula collocandam ferè existimant.

*Sedes. Officium.*

Huius peculiare officium in omnibus animalibus est, ex sensatis insensata percipere,hoc est,ex speciebus, quibus sensibilia per se à superioribus tribus facultatibus percepta sunt, species eorum quæ per se sub sensum non cadunt elicere:quo pacto oues figura lupi conspecta,illum vt inimicum fugiunt,& degustata herba noxia, eam vt noxiam abiiciunt:quod non facerent, nisi ex speciebus figuræ ac saporis inimicitiæ ac nocumenti species elicerent. Sed hoc interest inter homines & bruta animantia,quod id ex quodam naturæ instinctu,& sine vllo discursu brutis animantibus contingit: homines verò etsi in primis ac repentinis moribus multa insensata ex sensatis naturæ instinctu percipiunt:ferè tamen ratiocinatione quadam & discursu

*Discrimen.*

id faciunt.



Huic iam facultati dicat aliquis posse contingere, vt vniuersalia, quæ insensata sunt,à sensatis particularibus abstrahat:sed non ita res habet. Cùm enim adhuc sit materialis potentia, hoc est,organo, corporeo inhærens,nihil nisi vt singulare, addictúmque singulari materiæ percipere potest,quæ ratio eadem valet in omnes potentias sensitiuas,& ab omnibus Philosophis vt communis,& quasi per se nota sententia recipitur. Nisi quod ad eam probandam hoc argumento vtuntur nonnulli, quia principium indiuiduationis, singularitatísve est materia signata:quod argumentum id ponit,quod non ab omnibus conceditur, aut saltem non vniuersè verum est, nec magis euidens aut probabile,quàm sit id, ad quod probandum assumitur.

*Non abstrahit vniuersalia.*

*Thomistæ.*

Quintum genus est memoria & reminiscentia: quod genus duas facultates complecti nonnulli volunt, eíque vltimam cellulam, seu, vt alij vocant,ventriculum attribuunt. Eius particulare munus est in sensatas species seruare, rerúmque per eas meminisse, & cùm non occurrunt, ex aliis, quæ occurrunt, inuestigare, quod reminisci vocant:tametsi hoc in iis etiam, quæ sensatæ sunt,facultatem hanc efficere plerique asserunt. Non posse autem hanc potentiam vniuersalia abstrahere,cùm ex proximè proposita ratione sensibus omnibus communi concluditur:tum verò ea peculiari probatur,quia memoriæ ac reminiscentiæ apprehensio semper est cum differentia temporis præteriti:at nihil vniuersale vlli differentiæ temporis addictum est.

*Memoria sensitiua & reminiscentiæ. Vbinam sit. Munus.*

*Neque hæc potentia abstrahit.*

Cum igitur ex sensitiuis potentiis nulla alia sit apprehensiua,perspicuum est ex dictis,abstractionem vniuersalium non fieri à potentia vlla sensitiua,sed à solo intellectu, quæ vna supereſt apprehensiua potentia. Nam cùm intellectus organo corporeo non sit affixus, nihil iam repugnat, quo minus apprehendere possit naturam communem, non vt est facta hæc aut illa per differentiam contrahentem, sed in sua illa puritate & quasi libertate, qua contractionem antecedit.

*Concluditur, à solo intellectu abstrahi vniuersalia.*

Quod siquis obiiciat, experientia compertum esse, sensitiuas etiam facultates posse apprehendere rem,non vt est hæc aut illa, sed vt certæ duntaxat speciei aut generis: veluti cùm ex loco distanti certo conspicimus aliquem venientem esse hominem, nec tamen adhuc cernimus esse Socratem,vel quempiam alium designatum hominem:aut etiam cognoscimus esse animal tantùm, dubitantes interim cuius speciei sit animal, facilis est responsio ex iis, quæ ad primum librum diximus:semper enim id fit cum apprehensione differentiæ contrahentis,vaga tamen & incerta cognitione. Neque enim abstractè aut hominem aut animal apprehendimus,sed aliquem hominem,vel aliquod animal,quæ singularia vaga dici solent.

*Obiectio.*

*Soluitur.*

*Cap.2. q.3. sect.8.*

## OMNES NE INTERIORES SENSVS, AN vnus tantùm intellectui proximè miniſtret.

## QVÆSTIO VII.

*Argumenta pro vtraque parte.*

### SECTIO I.

SED quoniam ſenſus interiores, etſi vniuerſales naturas abſtrahere non poſſunt, miniſtri tamen ſunt intellectus abſtrahentis & in abſtractione ipſa aliquod munus habent (proponunt enim ea, ex quibus vniuerſales naturæ abſtrahendæ ſunt, quod eſt materiam intellectui abſtrahenti ſubminiſtrare) duo nobis expendenda erunt hoc loco: vnum ſitne conceſſum cuilibet interiori ſenſui, an alicui eorum tantùm, vt intellectui proximè miniſtrare poſſit: alterum, quonam pacto intellectus vtatur eorũ miniſterio ad ſuum munus obeundum. *Duo explicanda.*

Ac omnibus ſenſibus interioribus licitum eſſe, vt proximè intellectui miniſtrent his argumentis perſpicuum videtur. Primum, quia nec ſenſui communi, nec phantaſiæ quicquam deeſt, quò minus id facere poſſit, ille ad intellectus intuitiuam apprehenſionem, hæc ad abſtractiuam: ſi modo intellectus apprehendere debeat ſenſata, hoc eſt, ſenſibilia per ſe. Aeſtimatiua autem, & memoria, cùm inſenſata proponere intellectui poſſint, hæc quidem cum differentia temporis præteriti, illa abſolutè: nihil eſt, quod à proximo intellectus miniſterio in proponendis inſenſatis rebus excludendæ ſint. *Argumentũ partis affirm.* 1

Deinde, quia intellectus, quemadmodum & anima ipſa intellectiua, totius eſt in toto corpore, & totus in qualibet eius parte: hinc enim fit, vt non ſit vni parti, ac proinde vni ſenſui interno propinquior, quàm cæteris: adeo vt, vel ipſi externi ſenſus videantur idonei, vt immediatè intellectui miniſtrare poſſint. 2

Poſtremò, quia ſi ſenſus, qui proximè intellectui miniſtraturus eſt, remotior cæteris eſſe debet ab externis ſenſibus: ſola memoria intellectui per ſeipſam miniſtrabit: quò fiet, vt intellectus ex ſolis rebus præteritis, immo etiam inſenſatis (ſi memoria ſola inſenſata ſeruat) cognitionem accipiat: quod dici non poteſt, cùm ex præſentibus, iſíque etiam ſenſatis plurima colligat. Si verò immediatum miniſterium præſtantiori tantùm deferendum eſt, ſola æſtimatiua, ratióve particularis proxima erit miniſtra: eſt enim omnium confeſſione memorandi ſenſu nobilior. Ita fiet, vt intellectus neque ex præteritis, neque ex ſenſatis quicquã percipiat, ſi æſtimatiua etiam ſenſata omnia prioribus ſenſibus relinquit. 3

*Lib. de Diuin. nomi. cap. 7.* Quòd autem non omnes interni ſenſus, ſed vnus eorum tantùm proximus miniſter intellectus conſtitui debeat: ipſe dignitatis ordo, naturæque ordinata conſtitutio videtur poſtulare: in qua, vt Areopagita Dionyſius ſcribit, omnéſque Theologi quaſi oraculum ſuſpiciunt, *Partis negatiuæ confirmatio.*



ciunt, *ſemper ſupremum infimi attingit infimum ſupremi.* Ita ſola ratio particularis, quæ dignitate ac præſtantia in confinio eſt ſenſus & intellectus, proxima videbitur miniſtra eſſe intellectus.

*Expenduntur opiniones Auicennæ & Auenrois.*

### SECTIO II.

DIfficultas hæc facilè expedietur, nullóque negotio argumentis vtriúſque partis ſatisfiet, ſi re ipſa vnus tantùm ſenſus internus concedatur, & in ſuperiori quæſtione, propoſita ſenſuum omnino internorum diſtinctio non re ipſa, ſed ſola ratione admittatur. Nam quod externi ſenſus proximè intellectui miniſtrent, ſi datur aliquis internus, cui inſeruiant, res perſpicua eſt, & ordini ſubordinatæ, vt ſic dicam, ſeruitutis conſentanea. Quapropter retractanda eſt quadripartita interiorum ſenſuum diuiſio prædicta, preſſiúſque expendendum, ſint ne re vera quatuor ſenſus interni, an verò plures pauciorés ve: etſi plures vno, cui nam eorum tribuendum ſit, vt proximè intellectui miniſtret. *An dentur plures ſenſus interni re ipſa diuerſi, & quot.*

*Auicenna lib. 6. Naturalium p. 4. c. 2. Alber. Mag. in 2. lib. de Anim. tract. 4. c. 7. Ioan. de Gãda. lib 2. de Anim. q 37. Algazel. libello de Ani. & alij.* Auicenna, & Albertus Magnus, aliíque nonnulli, ne fortaſſe internos ſenſus externis pauciores facerent, quinque etiam internos poſuerunt, phantaſiam ab imaginatione non nomine ſolo, ſed natura & re etiam ipſa diſtinguentes. Tametſi in eo diſſentiunt, quòd Auicenna tribuit imaginationi ſolam ſpecierum ſenſatarum conſeruationem: phantaſiæ verò, quam tertio loco ponit, cognitionem per huiuſmodi ſpecies: Albertus verò vtrumque tribuit imaginationi: phantaſiæ verò, quam facit quartum ſenſum internum, & æſtimatiua poſteriorem nobiliorémque aſcribit omnimodam ſpecierum non tantùm ſenſatarum inter ſe, ſed etiam non ſenſatarum cum non ſenſatis, & cum ſenſatis compoſitionem. *Prima ſententia Auicennæ, & Alberti ponentiũ quinque.*

*Refellitur. Nõ eſſe quinque ſenſus internos vt externos.* Sed cùm hi nullam operationum diſtinctionem afferant, quæ ſub quatuor internas iam dictas facultates cadere non poſſit, non eſt cur nobis plures internos ſenſus prædictis quatuor obtrudant. Nec certè numero externorum iure moueri potuerunt, vt parem ei facerent internorum numerum, cùm magis ſit rationi conſentaneum, vt interiores pauciores ſint, quemadmodum & perfectiores: præſertim cum hoc cernamus in rebus aliis, vt quæ ſparſim cernuntur in minus perfectis, collecta ſint in iis, quæ perfectiora ſunt, quod plurimis & illuſtribus patet exemplis.

*Lib. 3. de Ani. com. 6.* Auenrois opinio, quæ communis in ſcholis habetur, quadripartitam facit ſenſuum internorum diſtinctionem, quam in ſuperiori quæſtione ſequuti ſumus. Ex eius aſſertoribus qui minus conſideratè rem explicant, rationem huius numeri reddunt ex quatuor ſuprædictis cellulis ſeu ventriculis ſeu finibus cerebri, vt tot ſint facultates interni ſenſus, quot ſunt prædictæ cellulæ. *Secunda opinio Auenrois ponẽtis quatuor ſenſus internos.*

*Vide Galenum 6. de Vſu partiũ, & Valleſium cõtrouer. me. li. 2. c. 23.* Verum hi cùm ipſis etiam externis ſenſibus pugnant. Cernimus enim in tres tantùm partes diuiſum eſſe cerebrum: in duas anteriores, quarum altera ad dexteram eſt, ad læuam altera, nec vna poſt *Vt à nonnullis perperam explicetur. In quot partes cerebrum ſit diuiſum.*

alteram collocata,quæ etiam vi & natura vna atque eadem censetur: & in tertiam,quæ post vtramque est, vtpote in occipite, & à longè minori magnitudine cerebellum à Medicis appellari solet. Nam transitus is ab anteriori parte capitis ad posteriorem, non pars cerebri,sed communis ianua censendus est,qua vltro citróque comeãt spiritus animales,qui in anteriori parte fabricantur, & ad posteriorem puriores transmittuntur: vnde rursum omnibus sentiendi momendíque facultatibus communicantur.Itaque si ex partibus cerebri naturali dispositione diuersis colligendus est numerus interiorum sensuum,duo potius,quàm quatuor colligendi erant.

*Vesalius lib. 7 de Fabrica corporis hum. cap.1. & 5.*

*Quo pacto à D.Thoma & Auenrois hæc sententia probatur.*

Qui verò meditatius numerum quaternarium constituunt,in quibus sunt D.Thomas & Auenrois, ex eo suam sententiam probant quia facultates,quæ apprænhendunt insensata,diuersæ esse debent ab iis,quibus sola sensata apprehendi possunt. Atque hactenus rectè. Habentur enim hoc ex fundamenta duo genera internorum sensuum,quæ negari non possunt, sed vlterius vtrumque genus in totidem alio eo argumento distinguunt: quia quemadmodum in rebus aliis alia facilè suscipiunt,sed non diu retinent, alia contra diu retinent,sed non facilè suscipiunt (quod ita accidere, impressio sigilli in mollem & duram materiam perspicuè ostendit) ita in sensibus interioribus alius constituendus est,qui facilè recipiat sensatas species,alius,qui diu retineat:quorum prior est sensus communis, qui simul tempore cum sensibus externis suum obiectum percipit, posterior phantasia, quæ in absentia externorum sensibilium sensatas species diu conseruat. Totidémque ponendas esse interiores facultates,ad quas insensatorum species pertineant, eodem argumento probant:vnam,à qua facilè eiusmodi species recipiantur, quam vocamus æstimatiuam:alteram:à qua diu conseruentur, quam dicimus memoriam sensitiuam:proinde priorem cerebri partem, quam diximus duas illas maiores, dexteram & sinistram complecti, in duas quasi portiones diuisam esse volunt,in priorem, quæ magis humida est,& suscipiendis speciebus aptior,& in posteriorem,quæ retinendis est magis idonea.Eodémque modo cerebellum in humidiorem partem,quæ prior sit, & in minus humidam, quæ posterior, distinguendum existimant. Ita efficitur, vt etiam hi Auctores ex distinctione subiecti quadripartitam interiorum sensuum distinctionem suo modo constituant:cùm ex varia dispositione partium, & eius, quæ simpliciter cerebrum dicitur, & eius,quæ cerebellum appellatur,eorum numerum colligant.

*D. Tho.1.p. q.78.art.4. & opusc.43. de Potentiis animæ ca.4. Auer. 3. de Anima com. 6.*

*Improbantur fundamenta horum Auctorum.*

Sed neq; hi rectè suam sententiam videntur statuere. Primũ,quia vna & eadem facultas apprehensiua potest (in vna parte subiecti totalis faciliùs recipere, & in alia faciliùs retinere: quemadmodum idẽ calor melius digerit in imo ventriculo,quàm in summo. Deinde, quia faciliùs & difficilius retinere, non videntur esse munera & officia,quæ satis sint ad distinguendas potentias cognitiuas:tũ quia magis minus ad eandem speciem spectant:tum vel maximè, quia cognitio non in receptione,aut conseruatione specierum,sed in earum

1

2

*Magis & minus non distinguũt species.*

vsu



vsu consistit: vt diuersitate vsus seu operis, non ex facilitate & difficultate recipiendi & retinendi formas, quibus potentiæ vtuntur, earum distinctio colligenda sit.Postremò, quia si horum opinio sic accipiarur, vt alij sensus interiores recipiant species, sed nõ retineant, alij & recipiant & retineant:rectè quidem isto modo, tametsi ex accidenti, colligetur distinctio phantasię à sensu communi: quod hic recipiat species in sola præsentia obiecti, nec eas illo absente retineat, nisi forte ad tempus breuissimum (quod etiam teste Aristotele in sensibus externis accidere diximus) illa autem & recipiat & diu conseruet:at distinctio memoriæ ab æstimatiua colligi non poterit. Nam non solùm memoria, sed æstimatiua etiam & recipit, & diu retinet species: tum quia ponitur in parte minus humida, quàm sit ea, in qua ponitur phantasia, quæ ab eis in priori parte cerebelli collocatur,quod totum maiorem siccitatem, seu temperatiorem humiditatem habet, quàm totum magnum cerebrum, in cuius posteriori parte phantasiam ponunt: tum etiam, quia operatio æstimatiuæ id manifestè indicat duobus argumentis.Vno, quia æstimatiua, cùm ex sensatis speciebus non sensatas eliciat, idque in hominibus sæpe fiat per discursum quemdam, saltem sensatas species diu apud se retineat necesse est.Altero, quia si non retineret species & sensatas, & non sensatas, nisi cùm primùm res obiectas apprehendit: quemadmodum sensus communis: reliquæ deinde operationes, quibus obiectæ res apprehenduntur, & ex alijs in alias discurritur, ad memoriam pertinent, apud quam species seruantur: aut certè æstimatiua id faceret repetitis suo modo à memoria speciebus, quas ad eam quodammodo transmittit, seu (vt rem qualis esset declaremus) genitis identidem nouis speciebus in æstimatiua ex iis, quæ seruantur in memoria,cùm hæc potentiæ ponantur in diuersis partibus cerebelli. At hęc & absurda sunt, & æstimatiuæ dignitati quàm maximè derogant.

*Lib.de Insomniis.c.2.*

*Etiam æstimatiua diu retinet species.*

*Æstimatiua diu apud se species retinet.*

### *Examinatur Galeni sententia.* SECTIO III.

*Tertia de numero sensuũ internorum opinio, quæ est Gal. ponẽtis tres. Impta Galeni de anima rationali sententia.*

GAlenus in libro de differentiis [a] Symptomatum, vt eum interpretatur Franciscus [b] Vallesius vir sanè doctus, nec solùm de Medicinæ arte ac peritia, sed de nobiliori quoque Philosophia benemeritus,tres tantùm ponit facultates apprehensiuas interiores, phantasiam (quam non facit diuersam à sensu communi) rationem, & memoriam. Quem sequitur Nyssenus Gregorius libro quarto de Viribus animæ.Hunc vero numerum facultatum probat Galenus ex tribus speciebus phrenitidis. *Tribus enim*, inquit,*modis tantùm contingit læsa mentem*, hoc est,sensus interiores (præter hos enim nullam ipse aliam interiorem animæ rationalis apprehensiuam facultatem, posuit, vt qui impiè mortalem fecit.) *Nam aut homo errat in cognitione* ideſt, in simplici apprehentione, quo pacto Theophilus putabat se in angulo domus videre tibicines, quos nullos videbat, *aut prauè ratiocinatur*, cùm nec cognitione, nec memoria quicquam erret, vt is, qui vasa vitrea cum cognosceret, propriorúmque nominum

[a] Cap. 3.
[b] Libro. 2. *suarum controuersiarum* c.22. & 23.

*Cap. 6. & 7. Lege etiam Damascenũ lib.2.de fide Orthod.c.17*

*Vide Celium lect. Ant.lib. 9.cap.28.*

necor-

recordaretur? tamen proiiciebat, non inde colligens factum iri, *aut demum memoria.* Addit Vallesius, his tribus facultatibus non diuersas cellulas, aut cerebri totius partes, sed totum cerebrum attribuēdum: tametsi omnes, vt Galenus docet, perfectius operentur in ea parte, quæ cerebellum vocatur, in qua puriores iam sunt spiritus. Nec sanè pro hac sententia parum faciunt ea, quæ contra superiores dicta sunt ad euertendas cellulas, contráque alteram quadripartitam distinctionem partium totius cerebri pro quatuor interioribus sensibus. Nam quod plures potentiæ apprehensiuæ in eadem parte inesse possint, ex ipsis etiam externis sensibus perspicuum est, quorum tactus in eisdem particulis corporis inest, in quibus sunt cæteri.

*Refutatur. Galenus.*

Sed vt mittamus errorem Galeni: rationem intellectúmue ab æstimandi facultate non distinguentis: certè si phantasiam à sensu communi non discreuit, & memoriam quasi diuersam potentiam à ratione seu æstimatiua & à phantasia distinxit, non est cur defendatur, quasi idem cum Aristotele senserit, aut rationi consentanea dixerit. Nam Aristoteles in 3. libro de Anima fusè docet, phantasiam diuersam esse à quolibet sensu, non solùm particulari certi generis sensibilium, sed etiam communi, quique omnium sensibilium differentas discernat. Idque maximè consentaneum rationi est, vt in toto genere facultatum, quæ intuitiuè tãtum, hoc est, in sola præsentia obiecti rem apprehendunt, aliqua sit, quæ obiecta earum omnium inter se distinguat. Neque obest id, quod Vallesius affert, Aristotelem ad finẽ capitis tertij libri tertij de Anima sic planè scripsisse. *Si igitur nihil aliud præter imaginationem habet ea, quæ dicta sunt, sitque id ipsum, quod diximus: imaginatio motus profectò fuerit sensus iam operantis.* Ex quo loco (quem ait oscitanter ab omnibus præteriri) colligit, Aristotelem perspicuè docere, imaginationem, hoc est imaginandi operationem recipi in sensu communi tanquam actum in sua potentia. Hoc inquam, non obest quia hoc modo potius habet Græcus contextus, ἡ φαντασία ἂν εἴη κίνησις ὑπὸ τῆς αἰσθήσεως καθ' ἐνέργειαν γενομένης, ideſt, *Phantasia motus fuerit à sensu iam operante, seu facto in actu.* Quibus verbis non significatur, operationem phantasiæ recipi in sensu communi; sed caussari ab eo tanquam ab agente imprimente speciem in ipsam phantasiæ potentiam. Atque hoc pacto ea verba intelligenda esse, manifestum est ex iis, quæ paulò ante dixerat Aristoteles textu secundum Commentatoris diuisionem 160. ex quo imaginationis definitionem hanc omnes colligunt. *Imaginatio est motus factus à sensu secundum actum.* In qua dicunt, nomine sensus secundum actum siue actu operantis, includi sensum communem, sine quo particulares non operantur, immo præcipuè intelligendum esse communem, qui motus à particularibus simul mouet phantasiam imprimendis in eam phantasmatibus externorum sensibilium similibus iis, quæ ab externis sensibus accipit.

*Ex Aristotele.* *Cap. 3. à tex. 55.* *Tex. 161.* *Exponitur locus Aristotelis.* *Imaginationis definitio exponitur.*

Quod autem nec Aristotelicæ sententiæ, nec rationi consentaneum sit, memoriam ab æstimatiua & phantasia, quasi re vera tres sint animę facultates distinguere, ex his patebit. Aristoteles enim libello

*Galeni distinctionem, neque Aristotelis neque rationi esse cõsentaneam.*



bello de Memoria & reminiscentia scribit, memoriam, hoc est, memorandi actum in ea parte animæ esse, id est, in ea animæ potentia, *Cap. 1.* in qua est phantasia, seu imaginandi actus: Itémque recolere seu memorari nihil aliud esse, quàm phantasmata, non vt phantasmata sunt respicere: non distinxit ergo actum memoriæ ab actu phantasiæ, quasi diuersarum potentiarum actus: quare nec potentiam memorandi à potentia imaginandi. Quòd si extremas phantasiæ & memoriæ facultates vnam facit potentiam: ergo nec æstimatiuam, seu, vt Galenus in nobis rationem appellat, ab extremis duabus quasi diuersam potentiam discernit. Accedit, quòd vbicunque Aristoteles tradit, necessarium esse sensuum internorum ministerium, vt intellectus suum munus obeat, semper species eorum vocat phantasmata, vt intelligamus, nullam aliam reuera facultatem esse inter sensum communem & intellectum præter phantasiam. Quin etiam Galenus ipse lib. 2. de Musculorum motu, manifestè facit vnam eandémque potentiam phantasiam & memoriam, vt de ratione, quam mediam ponit, idem illum existimasse necesse sit: *Pars enim* inquit, *quæ imaginatur, quæcunque ea sit, eadem recordari videtur.* Quem locum durius exponit Vallesius, quàm vt eius interpretationem referre debeamus.

*Phantasiam & memoriã esse apud Galenum vnam eamdémque potentiam.*

Non esse autem eandem facultatum distinctionem rationi consentaneam, ex eo primum patet, quia quæ potentia elicit species insensatas à sensatis, eadem debet per vtrasque cognoscere, & vtrasq; retinere, ex vtrisque etiam aliquid tertium componere, vt Leonem inimicum, & panis vsum salubrem. Quæ consideratio phantasiam & æstimatiuam vnam & eandem esse potentiam manifestè arguit. Quæ item facultas species cùm sensatas, tum etiam insensatas conseruat, eadem ex re vna, cuius recordatur, ad aliam cuius oblita est, inquirendo discurrit, quod est reminisci. Ex quo argumento perspicuum fit, non esse memoriam & phantasiam diuersam potentiam à cogitatiua, rationéve particulari, cuius est omnis huiusmodi discursus.

*Vera sensuum internorum distinctio.*

## SECTIO IV.

*Quarta sententia, duas tantum afferens potẽtias apprehensiuas internas. Probatur ex Arist.*

Dicendum igitur duas, tantum esse interiores potentias apprehensiuas corpori inhærentes, sensum videlicet communem & phantasiam, neque alias posuisse Aristotelem, harum enim tantum mentionem facit in 3. lib. de Anima, vbi de internis potentiis apprehensiuis accuratius, ex institutóque disputauit: neque vnquam cogitatiuam æstimatiuámque nostram à phantasia distinxit. Quod si peculiarem librum scripsit de Memoria & reminiscentia: non putauit tamen memorandi aut reminiscendi actum aut potentiam ab actu & potentia phantasiæ distinctam esse, nisi quatenus absolutam rerum particularium cognitionem (quasi præsentium tamen) vocauit phantasiam (hinc enim phantasia, tanquam ab eo, quod apparet, dicta est) eam verò, quæ coniuncta est cum cognitione præteriti, ap-

*Cap. 2. tex. 136.*

pellauit memoriam & reminiſcentiam, quod diſcrimen accidentarium eſt, verámque potentiarum diſtinctionem efficere non poteſt: niſi contendas dandam eſſe aliam potentiam ſenſitiuam, quæ res apprehendat cum differentia futuri, quod ridiculum eſt: apprehendunt enim vel bruta animantia pleraque ſibi vel commoda vel incommoda cum differentia futuri: vt cùm canis prætento pane aut fuſte, apprehenſóque futuro commodo aut damno, vel adulatur, vel fugit.

*Confirmatio propoſitæ ſententiæ.*

Probatur autem ſententia hæc de vnitate phantaſiæ, æſtimatiuæ, & memoriæ ex iis, quæ ſuperius, præſertim ad calcem ſuperioris ſectionis diximus: & confirmatur ex iis, quæ de intellectu & memoria intellectiua omnes fatemur.

*Intellectus & memoria idem ſunt.*

Dicimus enim, intellectum & memoriam vnam tantùm & eandem potentiam eſſe, quæ ab actu ſeruandi ſpecies appellatur memoria, fæcundúſque intellectus: vt qui poſſit, cùm opus fuerit, in actum intelligendi prodire: ab ipſo autem intelligendi actu dicitur intellectus.

*Diſtinctio ſenſus communis & phantaſiæ.*

Diſtinguuntur autem ſenſus communis & phantaſia & loco, & officio. Loco quidem, quia ſenſus communis in anteriori parte magni cerebri collocatus eſt, vbi abundat humidum, & in quem locum omnium particularium ſenſuum neruuli, quaſi in communem radicem concurrunt: phantaſia verò in toto reliquo magno cerebro & in cerebello ineſt: tametſi in cerebello melius conſeruat phantaſmata, puriúſque & quietius ſuas functiones exercere videtur. Niſi quis (neque id minima probabilitate) dicat, cerebellum officinam eſſe potiùs, in qua animales ſpiritus ad motum adminiſtrandum perfectius præparantur, vt per vicinam nuccam omnibus membris communicentur. Nam de operatione phantaſiæ, cogitationíſque ac memoriæ, haud experimur exerceri illam in cerebello: quippe cùm ex aſſiduo aut vehementi vſu imaginationis cogitationíſque ac exercitationis memoriæ non extremam, ſed mediam capitis partem, in qua poſterior pars magni cerebri eſt, fatigari ſentiamus, quemadmodum ex diuturna aut intenta lectione priorem.

*Cerebellum perficiendorum ſpirituũ officinã eſſe.*

*Duo argumẽta ad harum potẽtiarum diſtinctionem aſtruendam.*

Officio autem diſtingui has potentias, luculenter & copioſè oſtendit Ariſtoteles ſecundo capite libri tertij de Anima, cuius argumentis hæc duo addi poſſunt. Vnum, quòd ſenſus communis præſentia tantùm & loco, & tempore, ſimúlque cum ſenſibus externis apprehendat obiecta: phantaſia verò etiam loco diſtantiſſima, & ceſſantibus antè longo tempore ſenſibus externis. Alterum, quòd communis ſenſus ſenſata duntaxat, vt externi cognoſcat, phantaſia verò ex ſenſatis in ſenſata eliciat, & ex aliis in alia, ſi perfecta ſit, diſcurrat.

*Text. 136.*

*Obiiciuntur aliqua cõtra propoſitam ſententiam.*

*Prima obiectio.*

*Secunda.*

*Tertia.*

*Quarta.*

Sed quid ad Galeni argumentum illud de triplici ſpecie phrenitidis, ex quo triplex ſenſus interior colligi videbatur? Quid ad experientiam, quam habemus de pleriſque, qui imaginandi facultatem habent optimam, peſſimam verò iudicandi, aut contra: An non hinc phantaſiæ & æſtimatiuæ diſtinctio concluditur? Quid etiam ad id, quod plerique valent memoria, iudicio verò & æſtimatione rerum ſunt pænè deſtituti, aut contra? An non hoc memoriæ ab æſtimandi facultate diſtinctionem apertè arguit? Quid porrò ad Ariſtotelem, qui



*Cap. 1.* qui in libello de Memoria & reminiſcentia ſcribit, phantaſma communis ſenſus affectionem eſſe, & imaginari, memorarique paſſiones ſeu affectiones eſſe primi ſenſitiui, hoc eſt, primi ſenſus interni, quẽ ſenſum eſſe communem nemo dubitat. An non his verbis è contrario ſignificat Ariſtoteles, non ſolùm non eſſe tres ſenſus internos, verùm ne duos quidem, ſed vnum tantùm? Cui enim tribuuntur imaginandi & memorandi extremi actus, eidem & media æſtimatio tribuatur neceſſe eſt. Quid denique ad rationem, quæ afferri poteſt ex actibus & obiectis? Si enim potentiæ ex actibus diſtinguuntur, cùm iudicare de operationibus externorum ſenſuum, & componere ſenſata, & elicere inſenſata, ac denique recordari, ſpecie differant: quatuor etiam ſpecie neceſſe eſt potentias eſſe ſenſitiuas internas, quæ has operationes eliciant. Quod ſi ex obiectorum diſtinctione colligenda eſt potentiarum diſtinctio, cum quicquid apprehenditur aut ſit ſenſibile, aut intelligibile, ſanè ſi ex intelligibili vna tantũ ſpecies intellectus concluditur, vnus tantùm ſpecie ſit ſenſus neceſſe eſt, qui circa ſenſibilia omnia verſetur. Quare cùm is externus eſſe nequeat, vnus tantùm ſpecie erit internus ſenſus, quẽadmodum & intellectus.

*Quinta.*

*Soluitur primi argumẽti ex Galeno.*

*Poſſe cãdem potentiã rectè ſe habere quoad vnam ſpeciem operationis, & non quoad aliam.*

Dicimus ad hæc, primum argumentum negatione conſequentiæ diſſolui. Nam etſi tres ſint ſpecies phrenitidis, non eſt tamen neceſſe, vt tres quoque ſint ſpecies interiorum potentiarum, quæ lædantur: ſatis enim ad ſummum eſt, ſi colligatur tres eſſe ſpecies operationum vnius eiuſdémque potentiæ, quæ læditur: poteſt enim eadem potentia rectè habere quoad vnam ſpeciem operationis, & non quoad aliam: immo etiam quoad vnum obiectum & non quoad aliud, etiamſi vtraque operatio ſit eiuſdem ſpeciei: quo pacto plerique felici ſunt ingenio, ſed nullo pæne iudicio, aut contra: alij rectè iudicant in vna materia, & peruersè in alia, aut è contrario: quæ omnia ad vnam & eandem intellectus facultatem pertinere dicimus, qui ratione diuerſarum diſpoſitionum vel ſuarum, vel ſenſuum, vel appetitus non eodem modo ſe habet circa vnam, ac circa aliam operationem, aut materiam.

*Secundi & tertij expediti ſolutio.*

Secundum & tertium ex eodem fundamento refutantur. Aliqua enim diſpoſitio cerebri eſt, quæ plus ſeruiat actibus imaginandi aut memorandi, quàm iudicandi, & contrà: tametſi peruerſitas iudicij ſæpe oritur ex praua diſpoſitione appetitus quaſi infernè illud trahentis ad id, quod cupit.

*Quart. Explicatur Ariſtoteles.*

Quartum ſic diluendum. Ariſtotelis ſententiã eo loco eſſe, phantaſma cauſſari effectiuè à ſenſu communi operante, quod ſæpè aliàs docuerat: verba autem illa, *communis ſenſus affectionem eſſe*, hoc pacto

*Text. 161.*

eſſe exponenda. A communi ſenſu proficiſci, ac per ſpecies ab eo impreſſas effici: quo pacto libro tertio de Anima capite tertio, phãtaſia, ſeu phantaſiæ operatio dicitur fieri à ſenſu actu operante, quia fit per phantaſma impreſſum à ſenſu operante ſimul cum aliquo externo ſenſu. Nomine verò primi ſenſitiui, etſi videatur poſſe intelligi ipſa phantaſia, quæ, vt diximus, eſt præcipua potentia ſenſitiua, cùm nulla ſit magis interna, tamen dicendum eſt, intelligendum eſſe

ipsum sensum communem. Aristoteles enim distinguit eo loco sensum à phantasia: nec vocat sensum, siue sentiuum, nisi eam facultatem, quæ in præsentia tantùm sensibilia percipit: vnde fit, vt nomine primi sensitiui intelligat præcipuum sensum ac proinde communem & vniuersalem sensum, sine quo particulares nihil percipiunt. Dicuntur ergo imaginari & memorari esse passiones primi sensitiui, quia fiunt per phantasmata impressa à primo sensitiuo, aut etiam (quod supplendum est) per alia phantasmata ab eis elicita: quod addiderim propter phantasmata rerum non sensatarum, seu non sensibilium per se, quæ phantasmata ab æstimandi facultate ex sensatorum phantasmatibus eliciuntur.

*Cur imaginari & memorari dicãtur esse passiones primi sensitiui.*

Postremum denique hoc pacto dissoluendum est. Non ex qualicumque distinctione actuum & obiectorum distingui potentias: sæpe enim vna & eadem potentia plures habet actus specie distinctos, & circa plura obiecta specie distincta perspicuè versatur, vt patet vel in ipsis externis sensibus. Visio enim diuersorum specie colorum, & tactus diuersarum specie qualitatum tangibilium, specie quoque differant necesse est, si ipsa rerum natura spectetur.

*Quinti solutio. Non ex quacumque distinctione actuum, & obiectorum distingui potentias.*

Præterea, facultas apprehensiua, quæ ex pluribus specie diuersis aliquid tertium componit, aut ex aliis alia specie diuersa elicit, in aliáve discurrit, actus quoque apprehendendi specie diuersos eliciat necesse est. Neque enim totum distinctè apprehendi potest, nisi & partes apprehendantur: ergo actuum & obiectorum distinctio, qua potentiæ distinguuntur, penes modum agendi potentiarum, & immutandi obiectorum, qui specie distinguatur spectanda est. Hoc pacto colligimus, vnam & eandem esse facultatem diuersos specie colores videndi: quia actus videndi omnes eodem modo exercentur, & ipsi etiam colores specie diuersi eodem modo aspectum immutant: itémque vnam & eãdem esse tangendi facultatem, quia eodem modo sentiantur qualitates tangibiles specie diuersæ. At aspiciendi & tangendi facultates non ponimus vnam esse atque eandem potentiam, quia modi, quibus & ab obiectis immutantur, & ipsæ agunt, specie diuersi sunt, vt patet ex 2. lib. de Anima. Hoc igitur modo colligimus, sensum communem distingui specie à sensibus externis, quia non immediatè, vt illi, sed mediatè circa sensibilia versatur. Tametsi & alia ratio id conuincit, quia cùm omnes sensus externi circa certum genus sensibilium versentur, ipse omnium eorum obiecta percipit: quæ etiam distinctionis ratio cernitur inter omnes apprehensiuas potentias subordinatas inter se: semper enim superior circa plura, quàm inferior versatur. Eodem pacto colligimus, phantasiam distinctam esse à sensu communi: nam & mediatè immutatur ab externis sensibus, quo pacto non immutatur sensus communis: & ad plures res obiectas diffunditur, cùm non modo sensata vt ille, sed etiam insensata percipiat, tametsi singularia sola cognoscat: qua in re superatur ab intellectu, qui non tantùm singularia, siue sensata illa sint, siue insensata, sed etiam vniuersalia percipit.

*Ex modo agendi petendam distinctionẽ, itẽque ex modo immutandi obiectorum.*

*cap. 7. & 11.*

*Vnde colligenda distinctio sensus communis à sensibus externis.*

*Phantasiæ à sensu communi distinctio.*

Quod autem obiiciebatur, cùm ex intelligibili obiecto, vna tantùm



tantùm in nobis intellectus species colligatur, vnam quoque tantùm speciem sensus interioris ex obiecto sensibili colligendam esse: hoc modo diluendum est. Si vim haberet hoc argumentum, fore vt non tantùm ex interioribus facultatibus, sed etiam absolutè vna sola species sensus colligenda esset. Nunc autem, cum apertæ sint quinque species sensuum exteriorum (nisi quis ita ineptiat, vt velit vnum tantùm esse in animali sensum, qui per quinque sensoria quasi per quinque feneſtras sentiat: contra quam puerilem ferè quorumdam opinionem, non est quod in prima Philosophia disputetur) propterea vnus tantùm specie in nobis intellectus colligitur: quia vnus tantùm modus est intelligendi apud nos, vnúsque modus, quo intellectus noster ab intelligibili immutetur. Non immutatur enim nisi à phantasmatibus immediatè, quorum ministerio ei imprimuntur species intelligibiles, nec nisi phantasia simul operante intelligit. Sensus verò non solùm externi, sed etiam interni variè immutantur & operantur, vt ex dictis perspicuum est.

*Cur vnum specie intellectum habeamus.*

Patet igitur ex iis, quæ disputata sunt, duas esse interiores sentiendi facultates: sensum communem & phantasiam, eásque ita subordinatas, vt sola phantasia proximè intellectui ministret.

*Concluditur, solam phantasiam proximè intellectui ministrare.*

*Diluuntur argumenta initio proposita, magisque explicatur res, de qua erat quæstio.* SECTIO V.

PRimum autem illud, quod initio quæstionis proponebatur: nihil deesse communi sensui, quo minus intellectui immediatè ministret: inficiatione diluendum est: deest enim immediatio immutationis. Intellectus enim etiam ad intuitiuam cognitionem non immutatur proximè à sensu communi quemadmodum neque ab externis sensibus, sed à phantasia: concurrentibus tamen simul & communi sensu, & externo aliquo, eo scilicet, quo percipitur id, quod intellectus intuitiuè cognoscit.

Secundum etiam nullas habet vires: nihil enim facit immediatio præsentiæ ad immediationem ministerij. Multæ enim facultates coniunctæ sunt reali ac immediata præsentia, quarum aliæ aliis non ministrant, vt tactus & aspectus. Quamquam ergo & sensus communis & quilibet externorum sensuum immediatè sint præsentes intellectui: quemadmodum & animæ intellectiuæ, quæ tota cum intellectu est in qualibet corporis particula: non inde tamen sequitur, eos immediatè intellectui ministrare.

*Nihil efficit immediatio præsentiæ ad immediationem ministerij.*

Ad tertium dicendum est, consentaneum rationi esse, vt facultas, quæ proximè intellectui ministrat, sit & præcipua inter sensitiuas, & quàm remotissima ab externis sensibus, qui sunt velut primi ianitores intellectus. Atque hoc ipsum est, quod ingerit in hac re difficultatem, si æstimatiua seu (vt in nobis vocatur) cogitatiua, & memoria sint duæ facultates: prior enim præstantissima est, sed non remotissima ab externis sensibus, posterior verò remotissima, sed non præstantissima. At si non sunt duæ, sed & inter se & cum phantasia vna tantùm facultas, vt ostensum est: nihil iam superest difficultatis, cùm

*Sensus externos esse primos tantorum intellectus.*

*sect. 4.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



& præstantissima sit inter sensitiuas, & ab externis sensibus ita remota, vt nulla sit alia remotior.

Ad id denique, quod pro altera quæstionis parte proposuimus, nihil est, quod respondeatur, cùm veram sententiam contineat.

*Maior positæ sententiæ explica tio.*

Sed vt rem apertiùs declaremus, animaduertendum est, phantasiam, æstimatiuam, & memoriam, etsi re ipsa vna sunt: potentia tamen eo modo posse dici tres, quo intellectus & memoria intellectiua in duas nonnunquam diuiduntur apud D. Thomam. Ait enim in quæstionibus de Veritate, nomen potentiæ duobus modis posse accipi. Vno, vt significat principium operationis, quo pacto apud Philosophos ferè sumitur: & hoc modo intellectum & memoriam non esse duas potentias, sed vnam, quia vnum tantùm principium intellectionis. Altero, vt significat certam aliquam alicuius potentię proprietatem: & hoc modo, quia alia proprietas est posse intelligere, alia posse species intelligibiles retinere: iccirco nonnumquam distingui memoriam intellectiuam ab intellectu, vt vnam potentiam ab alia. Hoc igitur eodem modo loqui possumus de phantasia, æstimatiua, & memoria sensitiua, vt dicamus esse vnam, aut tres potentias. Nam si potentia primo modo sumatur, vna tantùm potentia in his cernitur, quia, vt sæpius iam diximus, vna & eadem facultas esse debet, quæ apprehendat sensata, & eliciat insensata, & in nobis ex aliis alia confingat, & in alia suo modo discurrat. Si verò posteriori, tres immo etiam multò plures potentiæ in eis considerantur. Alia enim eiusdem potentiæ proprietas est posse apprehendere sensata, ex qua phantasia dicitur: alia elicere insensata, vnde appellatur æstimatiua: alia species acceptas retinere, ex qua memoria dici potest: tametsi apud Aristotelem hoc nomine vocatur ex proprietate memorandi, hoc est, apprehendendi cum differẽtia temporis præteriti, & in nobis dicitur reminiscentia ex proprietate inuestigandi præterita ex iis, quæ præcesserunt, aut consequuta sunt: cùm etiam dicatur cogitatiua, nec non ratio particularis ex absoluto discursu ex vno particulari in aliud particulare: & ex confingendi licentia, quæ solis etiam hominibus concessa est, commentatio, aut alio significantiori vocabulo appellari posset.

*De Verit. q. 10. art. 3.*

*Quæ loquendi forma phãtasiã æst. & mem. vnam aut tres potentias dicere posimus.*

*Phantasiæ munera & nomina diuersa.*

*Li. de Memoria & reminiscentia cap. 1.*

Ita pater, solam phantasiam, quocunque ea vocabulo nuncupetur & ex quacumque proprietate nomen accipiat, proximè intellectui ministrare posse in abstractione naturarum vniuersalium ex particularibus. Quo autem pacto id fiat, nunc explicandum est.

## QVO NAM PACTO INTELLECTVS vtatur phantasia ad vniuersales naturas abstrahendas.

## QVÆSTIO VIII.

*Refutatio quorumdam opinionis.*

### SECTIO I.

*In quo Peripatetici omnes conueniant.*

OMNES seu Peripateticæ doctrinæ veri sectatores, seu qui tales videri volunt, in hoc conueniunt, vt dicant, intellectum vti phantasia ad primam specierum intelligibilium generationem, Distinguunt enim intellectum in agentem, & patientem siue possibilem: quorum

*Ex Arist. 3. de Anim. ca. 4. & 5.*



rum ille simul cum phantasia species intelligibiles imprimat: hic verò impressas accipiat. Intellectum enim possibilem esse veluti materiam primam omnis formæ intelligibilis natura sua expertem: agentem verò nullam posse imprimere sine phantasia simul concurrente, quemadmodum nec phantasiam sine intellectu agente. Nam quemadmodum intellectus agens: quia est caussa vniuersalis, indiget determinatione phantasiæ tamquam caussæ particularis ad huius, vel illius vniuersalis naturæ abstractionem (eius enim naturæ communis imprimitur species intelligibilis, ad quam pertinet indiuiduum per phantasma repræsentatum) ita phantasia, quia facultas materialis est, & organo corporeo inhæret, agere non potest in intellectum possibilem, qui est immaterialis, nisi ope ac vi intellectus agentis, qui illa ad agendum vtitur. Habet enim se phantasia respectu intellectus agentis more instrumenti, quod ad multa opera eleuatur ab agente principali, ad quæ præstanda neque ipsum per se principale agens, neque ipsum per se instrumentum est idoneum.

*Vide quæ dicta sunt li. 1. c. 2. q. 3 sect. 4. & 5.*

*Opinio ponentium species rerum singularium in intellectu.*

Sed in hoc iam est discrimen, quòd quidam volunt, species intelligibiles primò impressas ab vtroque, nondum repræsentare naturas factas vniuersales, sed vt coniunctas adhuc differentiis indiuiduantibus, quo pacto repræsentantur in phantasmatibus. Tum verò intellectum possibilem informatum huiusmodi speciebus, ipsum per se, & sine ope intellectus agentis aut phantasiæ elicere ex illis alias quasdam, quæ iam solas naturas vniuersales referant. Alij verò dicunt, omnes species intelligibiles, siue quæ primò imprimuntur ab intellectu agente, siue quas intellectus possibilis ex primo impressis elicit, repræsentare naturas communes nulla repræsentata differentia aliáve vlla conditione indiuiduante: ídque accidere propter excellentiam intellectualis naturæ, quæ non admittit species, quarum quælibet ad vnum tantum indiuiduum repræsentandum limitata sit, vt est quælibet species sensitiuæ partis. Hac enim de caussa in substantiis separatis, quarum intellectus excellentior est & elevatior, vnam & eandem speciem intelligibilem repræsentare, & communem aliquam naturam, & omnia eius indiuidua: in hominibus autem per species sensitiuæ partis impleri indiuiduorum repræsentationem, speciebus verò intelligibilibus relinqui solam repræsentationem naturarum communium: cùm autem anima à corpore seiungitur, tum ei infundi species intelligibiles similes iis, quæ sunt propriæ separatarum substantiarum, quibus singularia quoque repræsentantur.

*Opinio ponentium solas vniuersalium.*

*In substãtiis separatis vna & eadem species repræsentat naturam communem & indiuidua*

Ac priores quidem re vera pugnant cum Peripatetica doctrina. Aristoteles enim germanique eius hac in re sectatores, non ea tãtùm de caussa ponunt intellectum agentem, vt eleuet phantasiam ad agendum in intellectum possibilem, sed etiam, vt rem intelligibilem potentia faciat actu intelligibilem, hoc est, actu vniuersalem. In rebus enim materialibus, quarum sola singularia pars sensitiua percipit, proeodem accipiunt nomen actu intelligibilis (hoc est solo intellectu perceptibilis) atque actu vniuersalis: & quemadmodum lumen efficit, vt

*Reiicitur prior opinio. Intellectus agentis officium.*

cit vt, colores, qui actu non apparebant, non solùm appareant, sed etiam sine aliis qualitatibus appareant, ideſt, non apparentibus, verbi causſa, qualitatibus ad tactum aut gustarum pertinentibus, ita volunt intellectum agentem efficere, vt naturæ vniuersales, quæ explicitè non repræsentabantur in sensitiua parte, non solùm repræsententur explicitè, sed etiam repræsententur sine conditionibus indiuiduantibus, quod est esse actu vniuersales, & actu intelligibiles, Sed *cap. 2. q. 3.* quia contra hos ad primum librum disputatum est à nobis, non est quòd hoc loco plura adiiciamus.

*Aliorum opinionis impugnatio.* SECTIO II.

*Opinio asserentiũ phantasmata illustrari ab intellectu fieriq; actu intelligibilia.*

INter eos autem, qui solas species intelligibiles naturarum communium admittunt, non minima contentio est. Sunt enim, qui adducti proposita luminis externi similitudine, qua in tertio libro de Anima vtitur Aristoteles, velint, quemadmodum lumen externum facit colorem actu visibilem non solùm in oculo per speciem in eo impressam, sed etiam in re obiecta per illustrationem coloris: ita intellectum agentem facere naturam actu intelligibilem non solùm in intellectu possibili per speciem in eo productam, sed etiam in phantasmate per ipsius phantasmatis illustrationem: immo verò, quemadmodum colores prius sunt actu visibiles in re obiecta, quàm in potentia: ita naturas communes prius esse actu intelligibiles in phãtasmatibus, quàm in intellectu possibili: nisi quod colores possunt esse prius tempore visibiles in re obiecta: naturæ autem communes non item prius intelligibiles in phantasmatibus, nisi naturæ ordine. Hinc D. Thomas 1. par. q. 80. *phantasmata*, inquit, *& illuminantur ab intellectu agente, & iterum ab eis per virtutem intellectu agentis species intelligibiles abstrahuntur.* Et secundo contra Gentes cap. 77. *Actio*, inquit, *intellectus agentis in phantasmate præcedit receptionem intellectus possibilis.* Quibus ex locis aliisque similibus colligunt non modo Thomistæ omnes, sed alij quoque post D. Thomam Scholastici scriptores, non dubium esse illum, quin D. Thomas velit, intellectum agentem prius natura illuminare phantasmata, quàm eis vtatur ad specierum intelligibilium generationem: & vt Ferrariensis in posteriorem locum adiungit: phantasmata prius natura ab intellectu agente in actu completo constitui, quàm cum illo in intellectum agant possibilem: eo videlicet modo, quo loco res prius saltem natura fiunt visibiles in actu completo per lumen, quàm cum lumine agant in oculum.

*Art. 1. ad quartum.*

*Lege inter alios Caiet. 1. p. q. 85. art. 1. & q. 79. artic. 3. Ferrar. 2. contra Gent. c. 77. Capr. in 2. d. 3 q. 2. Herv. in 2. d. 17 q. 2.*

*Approbatur sententia asserẽtium naturas cõmunes in solo intellectu possibili esse vniuersales.*

Alij verò, quibus assentior, in ea sunt opinione, vt dicant, naturas communes non fieri actu intelligibiles vniuersaléve, nisi in ipso intellectu possibili per species in eo impressas: vanámqae esse & figmẽto similem eam illustrationẽ, qua prius naturæ ordine in phantasmatibus obiectiuè intelligibiles fieri dicuntur: similitudinẽ verò luminis externi, qua vtitur Aristoteles, ea tenus ad rem propositam accommodandam esse, quatenus spectat ad impressionem speciei in potentia, non etiam ad productionem alicuius qualitatis in phantasmate

*3. de Ani. c. 5. tex. 18.*



tasmate obiecto. Itaque etsi lumen externum & ipsum per se illuminat obiectum colorem, & cum colore illuminato producit speciem coloris in oculo: tamen intellectum agentem ita speciem intelligibilem cum phantasmate in intellectum possibilem imprimere, vt qualitatem, qua phantasma illustretur, producere non possit: id quod vel hoc vno argumento perspicuum fiet. Nam si qualitas, qua intellectus agens fingitur illustrare phantasmata, est spiritualis, non *In 2. d. 3. q. 2.* potest illa, ne in transitu quidem (quod perperam Capreolus fieri posse concedit) in corpore, aut corporeo accidente recipi: sin corporalis, quonam pacto aut eleuare potest corporalem formam, vt agat in subiectum spiritualem: aut efficere, vt quæ rem obiectam cum conditionibus indiuiduantibus refert, nudam, & ab eis quasi liberam repræsentet: Nulla enim ratio afferri potest, cur ipsum per se phantasma, cùm eo phantasia vtitur, id facere non possit, si corporali qualitati tanta vis tribuitur.

*Argumentum efficax.*

*1. p. q. 85. art. 1.* Caietanus nouam in hac re comminiscitur distinctionem: ait enim intellectum agentem non formaliter, sed obiectiuè illuminare phantasmata, idque satis esse, vt in eis naturæ communes sine conditionibus indiuiduantibus appareant. Quemadmodum si lumen Solis solùm medium illuminaret, nihilque in obiectum colorem imprimeret: adhuc enim color appareret, vt apparet non apparentibus aliis quamplurimis qualitatibus. Ingeniosa sanè ratio illuminationis, si vera esse posset in re, ad quam accommodatur: quod tamen ille non efficit: oporteret enim medium aliquod intercedere inter intellectum agentem & phantasma, quo illuminato formaliter, siue per qualitatem receptam, illuminaretur phantasma obiectiuè tantùm, quemadmodum in colore fieri posse (saltem diuina virtute) haud dubitauerim: quod tamen interiectum medium inter intellectum agentem & phantasma, neque vllum est, nec fingi potest.

*Caietani distinctio.*

*Refellitur.*

Intellexit Caietanus, hoc sibi obiici posse: respondétque intellectum agentem neque in phantasma, neque in medium aliquod qualitatem vllam producere, vt phantasia obiectiuè illuminetur: sed ipsummet agentem intellectum esse veluti medium lumen inter intellectu possibilem & phantasma, quo phantasma obiectiuè illustratur: perinde atque si fingamus, inquit, lucem corporis lucentis non diffundere lumen in medio, sed approximatam colori illum illustrando visibilem reddere. Tametsi non opus est, vt Caietanus fingat exemplum, cùm reperiatur in igne parieti fornacis contiguo.

*Responsio Caietani.*

Sed quo pacto id, quod ait, intellectui agenti accommodetur, non video. Nam si intellectus agens ipse per se, & sine actione vlla, vt prædictis verbis significatur, est lumen spirituale mediũ, quo phãtasma obiectiuè illuminatur: semper vtique phantasma illuminatũ erit. Ita fiet, vt phantasma dormientis æquè ac vigilantis sit intelligibile in actu, abstractúmque obiectiuè, quod tamen ipse eodem loco negat: scribit enim phantasma dormientis non esse actu inteligibile, sed cum actu illuminatur. Si verò non siue actione aliqua, vt ex his ver-

*Impugnatur.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



bis colligitur,obiectiuè illuminat phantasma: quæro in quid agat illuminando:quídve prius natura per eã actionem producat,quam speciem intelligibilem cũ phantasmate sic illuminato gignat?Ait enim, prius naturæ ordine phantasma illuminari, quàm ab eo cum intellectu agente species intelligibilis producatur. Denique quocumque modo intellectus agens obiectiuè illuminet phantasmata,siue per ipsum,siue actione aliqua: numquam tamen (vt Ferrarienſis Caietano obijcit) naturam sine conditionibus indiuiduantibus repræsentare poterit,cum sit corporeum,& in organo corporeo sedem habeat. *Secundo contra Gent. c. 77.*

*Alia pro Caietano defensio.*

Erunt qui Caietani obiectiuam phantasmatis illuminationem sic exponant,vt phantasma obiectiuè illuminari,nihil aliud fit,quàm ipso vsu, quo intellectui agenti ministrat, eleuari ad agendum ea ratione præcisè, qua naturam communem repræsentat. Dicent enim fortasse,phantasma non ministrare intellectui agenti in producenda specie intelligibili,quatenus totum indiuiduum repræsentat sed tantum,quatenus naturam communem in eo contractam: quo in ministerio iam quidam effectus illuminationis cernetur. Distinguet enim eo pacto intellectus agens in phantasmate naturam communem à conditionibus indiuiduantibus, non secus atque lumen externum, dum vtitur pomo ad producendam eius speciem in oculis, suo modo distinguit in eo colorem à sapore, ac cæteris qualitatibus, quæ sub aspectum non cadunt:efficit enim, vt pomum non quatenus sapore aut odore affectum est,secum agat in aspectum, sed quatenus solo colore. Non ministrare autem phantasma intellectui agenti, seu non concurrere cum illo, quatenus repræsentat totum indiuiduum, sed tantùm, qua ratione repræsentat naturam, quæ in eo contracta est,fortasse ex eo probabunt:quia si concurreret, quatenus totum indiuiduum repræsentat, species quoque intelligibilis totum indiuiduum repræsentaret,vt esset similis phantasmati, à quo producitur.

*Similitudo luminis in pomo.*

*Excluditur defensio.*

Verum hi nec rectè sentient, nec fideliter suum Auctorem exponent. Nam phantasma non concurrere cum intellectu agente, quatenus repræsentat totum indiuiduum,sed tantùm,quatenus naturam in eo contractam,haud verum est. Agit enim phantasma secundum vltimum potentiæ, quemadmodum & cæteræ formæ naturales, quæ non solùm secundum rationes communes,sed etiam secundum proprias & peculiares,immo etiam secundum totam ipsarum perfectionem sunt formalia agendi principia, & quatenus tales sunt, sibi omnino similes conantur inducere: quo pacto Socratis forma secũdum peculiarem ac propriam rationem,perfectionémque est principium generandi sibi similem: & calor huius ignis secundum totam latitudinem gradualem,quam habet, est principium calefaciendi, vt primo [a] libro diximus. Tametsi Socrates non sibi semper omnino similem generat, sed aliquando quattuor tantum digitos habentem filium,aliquando fœminam, quæ ab Aristotele [b] mas læsus dicitur: & ex loco [c] remoto non causſat sibi notitam peculiarem & determinatam,sed tantùm,vt cuiusdam animalis aut corporis:& ignis ex distanti loco non inducit tantum calorem, quantum ipse habet, sed tantò minorem,

*Phantasma vt agat secũdũ vltimum potentiæ.*

a *cap. 2. q. 2. sect. 5. & q. 3. sect. 6.*
b *Libr. 2. de Gener. animal. ca. 3. & lib 4. c. 6.*
c *Loco paulo ante citato. Videetiam lib. 1. cap. 2. q. 3. sect. 8.*



minorem, quantò ipse remotior est à patiente, vt eo loco diximus. Quod si ex dissimilitudine inuenta in effectu restringenda esset formalis ratio principij efficientis,iam nec Socrates,nec ignis, vt agentia perfecta hæc facerent,sed sub minori perfectione considerata, vt similitudo inter effecta & formalia principia efficiendi seruaretur: quod tamen falsum & inauditum est in Philosophia. Quamquam igitur species intelligibilis à phantasmate causata non repræsentet totum indiuiduum,sed tantùm naturam communem, quæ in eo contracta est:non tamen inde colligendum est phantasma concurrere ad illam efficiendam ea præcisè ratione, qua naturam communem repræsentat:sed referendum id est, ad naturam intellectus possibilis, qui similitudines habituales extremè limitatas non admittit: quèadmodum in propositis exemplis dissimilitudo inuenta in effectu non minori perfectioni efficientis causſæ, sed vel defectui materiæ, vel distantiæ patientis ascribitur. Ad hæc, phantasma non generat cum intellectu speciem intelligibilem,nisi vt stat sub actu phtaãsiæ(quod commune esse omnibus speciebus sensibilibus potentiarum inferiorum in gignendis speciebus superiorum,ad primum quoque libr. Cap. 2. q. 3. sect. 8. ostendimus) ergo non generat speciem intelligibilem,nisi quatenus totum repræsentat indiuiduum. Phantasia enim non percipit naturam communem præcisè,sed totum indiuiduum,nec per actum suum producit phãtasma expressum,quod solam nudámque naturam referat:cùm interim magis phantasmati expresso actualique (si datur) quàm impresso & habituali attribuenda sit speciei intelligibilis productio. Ita patet,non ea sola ratione phantasma, concurrere cum intellectu agente,qua naturam communem repræsentat,sed qua totum indiuiduum refert:quod item eodem libro docuimus.

*Intellectum possibilem non admittere species extremè limitatas.*

*Phantasma non gignit speciem nisi vt stat sub actu phãtasiæ.*

*Locis paulo superius citatis.*

Quòd autem nõ rectè Caietanum exposituri sint,qui phantasmatum illuminationem proposito modo exposuerint, ex eo patet: quia etsi vnum esset,phantasma non concurrere cum intellectu agente,nisi præcisè,quatenus naturam communem repræsentat: tamen hic exponendi modus re vera non tradit, illud illuminari nisi per ipsum actum generandi speciem intelligibilem: actus enim concurrendi phantasmatis cum intellectu,non distinguitur ab actu generandi speciem intelligibilem: Caietanus autem asserit, phantasma prius natura illuminari,quàm cũ intellectu agente agendo concurrat. Ait enim, prius natura,quàm species intelligibilis gignatur,obiectũ intellectus possibilis relucere in phantasmate, & apparere sub lumine intellectus agentis,non apparentibus sub eodem lumine conditionibus indiuiduantibus,ac denique esse actu intelligibile.

*Nõ rectè exponi Caietanum.*

*Effugium.*

Quod siquis dicat,prius natura phantasma vniri intellectui agẽti, & assumi ab illo ad generationem speciei intelligibilis, quàm cũ eo speciem generet,non vniri autem,neque assumi, quatenus totum repræsentat indiuiduum,sed tantùm,quatenus naturam in eo contentam:ergo etiam prius natura,quàm cum intellectu agente agat,naturam relucere in phãtasmate,& reliqua accidere, quæ Caietanus asserit:siquis inquam,ita dicat,facilis est refutatio. Vnio enim phantas-

*Tollitur.*

matis cum intellectu agente non fit per aliquid, quod natura præcedat vtriusque concursum, ita vt prius natura vniantur, & posterius agant: sed fit per ipsam actionem communémque concursum vtriusque: nam ea simul agere, est ea vniri, & alterũ assumi ab altero. Causæ enim concurrentes ad eumdem effectum, si antea à se inuicẽ non distabant, solo nouo concursu actionéve communi dicuntur noua vnione vniri, & inferior à superiori assumi: quo pacto calor ignis, qui nihil calefaciebat, noua vnione vnitur igni, & ab eo assumitur ad calorem inducendum in oblatam materiam, & potentiæ motiuæ hominis, qui nihil mouebat, noua vnione vniuntur voluntati, & ab ea ad nouum opus externum efficiendum assumũtur. Alia ratio est, cùm inferior causa distat à superiore, veluti instrumenta manuaria ab artifice: tunc enim vnio & assumptio distinguuntur ab actione, quæ ab vtraque causa fit, cùm oporteat prius inferiorem applicari superiori, quàm vtraque ad commune opus concurrat.

*Vnio & actio in causis indistantibus non differut.*

*Veræ sententiæ explicatio.* SECTIO III.

*Conclusio prædictorum*

PAtet igitur ex his, primùm quidem, illustrationem phantasmatum, quæ necessaria dicitur ad abstractionem naturarum communium, non fieri productione alicuius qualitatis, quæ in ipsis phantasmatibus recipiatur, siue vt illa idonea & habilia reddantur ad agendum in intellectum possibilem, siue vt in eis appareant naturæ communes non apparentibus conditionibus indiuiduantibus. Deinde, non fieri per hoc, quòd ante productionem speciei intelligibilis, & cuiusuis alterius qualitatis, naturæ communes virtute intellectus agentis obiectiuè relucere incipiant in phantasmatibus non relucentibus conditionibus indiuiduantibus. Denique, non fieri per hoc, quòd phantasmata actu eleuentur ad agendum in intellectum possibilem, quatenus repræsentãt naturas communes indiuiduorum, non autem quatenus referunt ipsa integra indiuidua: siue ea eleuatio intelligatur in ipsa actione formaliter, siue ordine quodam naturæ ante actionem, in noua nimirum aliqua vnione, assumptionéve ad agendum: hæc enim omnia dici non posse, ex dictis apertum est.

*Illustratio phantasmatũ ad verum sensum explicatur.*

Potius ergo dicendum, si illustratio phantasmatum, quæ necessaria dicitur ad abstractionem naturarum communium, impropriè sumatur: posse illam quidem præcedere non natura tantùm, sed etiam tempore specierum intelligibilium productionem: si verò propriè, nec tempore, nec natura posse præcedere: tametsi necessariò præcedit naturæ ordine operationem intellectus possibilis.

*Coniunctio phantasiæ cum intellectu quid affert nobilitatis.*

Prima huius assertionis pars ex eo probatur, quia si illustratio phãtasmatum sumatur non pro actione vlla intellectus agentis, sed pro quadam naturali communicatione nobilitatis, quam habent phantasmata humana ex coniunctione phantasiæ cum intellectu agente: quo pacto dicimus illustrem familiam, quæ cum regia sanguinis aut affinitatis nomine coniuncta est, non dubium, quin phantasmata ab ipso eorum ortu sint illustria, habent enim ex eo, quòd humana sunt, eam



eam dignitatem & præstantiam, vt cum intellectu agente, cuius proxima ministra est phantasia, in intellectum possibilem agere possint.

*Capr. in 2. d 3. q. 2. Ferrar. 2. contra Gent. ca. 77. & alij. Capr. loco citato, & alij.*

Atque hoc modo sentiunt nonnulli Thomistarũ intellexisse D. Thomam, prius phantasmata illustrari, quàm cum intellectu agente in productione specierum intelligibilium cooperarentur: quam illustrationem vocant radicalem illuminationem, quod in ipsa phantasiæ quasi radicis suæ cum intellectu agente coniunctione fiat. Vnde eorũ quidam non immeritò probabile existimant, phantasmata hominis de eisdem obiectis differre specie à phantasmatibus aliorum animalium, quòd ex coniunctione nostræ phantasiæ cum intellectu vim habeant & cooperentur agenti, & vt agant in possibilem. In hanc verò sententiam videtur inclinare D. Tho. 1. p. q. 85. ad calcem primi articuli, vbi ait, *phantasmata propterea dici illuminari ab intellectu agente, quia sicut pars sensitiua ex coniunctione cum intellectu redditur virtuosior, ita phantasmata ex virtute intellectus agentis efficiuntur apta, vt ex eis species intelligibiles abstrahantur.*

*Expositio D. Thomæ.*

*Phantasmata hominis, an differant specie à phantasmatis belluarum.*

Secunda pars ex eo constat, quia nulla omnino vera actio intellectus agentis siue tempore, siue natura præcedit eam, qua ab illo generantur species intelligibiles, vt ex dictis patet.

*Lib. 3. de Anim. c. text. 17.*

Tertia verò pars ea ratione confirmatur, quia operatio intellectus possibilis supponit formam intelligibilem, qua operetur: ipse enim ex se quasi materia prima est, vt ait Aristoteles, nihilque agere potest: forma autem intelligibilis est ipsa species intelligibilis.

*Primum cõfectarium.*

Ex secunda parte huius conclusionis illud manifestum est, tum primum illustrari phantasmata vera operatione intellectus agentis, cùm primum species intelligibiles producuntur. Namque tum primùm naturæ, quæ in phantasmatibus contractæ repræsentabantur, incipiunt repræsentari abstractæ, & quasi auulsæ à differentijs contrahentibus, in ipsis quidem speciebus intelligibilibus formaliter, in phantasmatibus autem obiectiuè, quemadmodum & in ipsis indiuiduis, quorum illa sunt imagines. Nam quemadmodum dicimus, intellectum inspicere naturas cõmunes non separatim existentes more Platonico, sed in ipsis earũ indiuiduis, ita dicere debemus, species intelligibiles non repræsentare naturas communes separatim extra sua indiuidua, sed in eis existentes: quare cum phantasmata vicem ipsorum indiuiduorum subeant: in ipsis quoque phantasmatibus quasi obiectis dicere possumus, & intellectum inspicere naturas communes, & species intelligibiles repræsentare.

*Quando phãtasmata primo illustrentur actione intellectus.*

*Quo pacto species intelligibiles naturas repræsentent.*

*Secundum. Naturas cõmunes non esse actu intelligibiles ante specierum generationem.*

Illud etiam perspicuè colligitur, naturas communes non esse actu intelligibiles etiam obiectiuè, ante specierum intelligibilium generationem siue anteceſſio sumatur secundum tempus, siue secundum naturam. Nam idem est esse intelligibile actu, atque actu illustratum lumine producto ab intellectu agente: quod lumen dici potest ipsa species intelligibilis: efficit enim, vt appareat natura communis siue conditionibus indiuiduantibus: in intellectu quidem possibili formaliter, in phantasmatibus autem obiectiuè.

*Caietanum contrariæ sententiæ adhærere.*

Caietanus etsi idem senserat ad caput quartum libelli de Ente

& essentia: tamen ad quæstionem 79. primæ partis in art. 3. mutata
*Argumen tũ* sententia, quam communem vocat, sic ferè argumentatur. *Vt se habent sensibilia ad sensum, ita intelligibilia ad intellectum: at colores prius sunt actu sensibiles per lumen, quàm in sensum species sensibiles imprimant: ergo & phantasmata, quæ ratione naturarum communium erant potentia intelligibilia prius sunt actu intelligibilia per intellectum agentem, quàm in intellectum possibilem, species intelligibiles inducant.*

*Loca D. Thomæ.* Vtitur etiam D. Thomæ auctoritate, tum ex libro 2. contra Gentes cap. 77. vbi expressè dicit, *actionem intellectus agentis in phantasmata præcedere receptionem intellectus possibilis, & in anima nostra esse virtutem actiuam in phantasmata, facientem intelligibilia in actu.* Et cap. 62. vbi ait, *intellectum possibilem pati ab intelligibili. Nec dubium,* inquit, *quin ab intelligibili actu.* Tum etiam ex quæstione 15. de Anima, vbi scribit, *intellectum agentem per phantasmata facta intelligibilia in actu causare scientiam in actu possibili.*

*Solutio. Discrimẽ inter intellectũ & sensum.* Sed argumentum Caietani facilè dissoluitur ex dissimilitudine sensus & intellectus, sensibiliúmque rerum & intelligibilium. Nam etsi inter ea non minima intercedit similitudo: tamen hac ex parte dissimilitudo magna cernitur, quod sensus, antequã quicquam agat, inuenit sensibilia iam facta in actu per lumen externum, vnde omnes colligunt, non esse necesse ponere sensum agentem. At intellectus noster antequam operetur, non inuenit naturas materiales, sibíque proportionatas iam factas intelligibiles in actu: sed necesse est, vt ipse eas faciat actu intelligibiles: quod non aliter præstare potest, quàm producendo earum species intelligibiles: sunt enim hæ quoddam quasi lumen ab eo productum, veluti ab insita & natiua luce animæ intellectiuæ, quo lumine vniuersalia à singularibus seiunguntur. Qua ex consideratione sæpè colligit D. Thomas, si vniuersalia re ipsa separata essent à singularibus, vt Plato existimasse creditur, ac proinde naturæ communes rerum sensibilium essent actu intelligibiles in rerum natura, non fuisse necesse ponere intellectum agentem.

*Cur non sit necesse ponere sensum agentem.*

*1. par. q. 79. art. 3. & de Spiritualibus creatoris art. 9. & alijs plerisque locis.*

*Exponuntur dicta D. Thomæ.* Allata verò D. Thomæ dicta, etsi non minimè Caietano fauent, vt illum prouectiorem ætate non immeritò mutasse sententiam videri possit: tamen in gratiam nostræ communísque sententiæ ita exponi possunt, vt quod D. Thomas ait, *actionem intellectus agentis præcedere receptionem intellectus possibilis*, vel intelligatur de actione impropriè dicta, iuxta primam assertionis partem, vt communicatio nobilitatis, quam intellectus agens suo modo impertit phantasmatibus, actio quædam censeatur, vel de actione, vt consideratione nostra præcedit passionem in eadem specierum intelligibilium generatione. Quod autem scribit, *in anima nostra esse virtutem actiuam in phantasmata*, satis explicatur verbis sequentibus: *Facientem*, inquit, *intelligibilia in actu*: facit enim vera effectione producendis eorum speciebus intelligibilibus, quarum productione non tantum res, sed ipsa quoque eorum phantasmata modo suo fiunt obiectiuè intelligibilia in actu, vt iam explicatum est. Quod verò docet, intellectum pati ab



pati ab intelligibili, atque adeo, ab intelligibili in actu, vt Caietanus colligit, sic exponi debet iuxta tertiam nostræ assertionis partem: vt patiendi verbum non sumatur pro ipsa receptione speciei, sed pro
*Lib. 3. de Anim. tex. 2.* ipso actu intelligendi, qui etiam auctore Aristotele est quoddam pati, caussatur enim etiam effectiuè actus intelligendi ab intelligibili in actu & intellectu possibili: siquidem intellectus possibilis simul cum specie intelligibili, per quam res est facta intelligibilis in actu, producit actum intelligendi, iuxta commune illud Philosophorum pronuntiatum, *A potentia & obiecto paritur notitia*. Neque aliud D. Thomas prædictis verbis docet, quàm prius, saltem natura, rem esse intelligibilem ín actu, quàm intellectam: & quatenus est intelligibilis actu, esse obiectum intellectus agentis, quatenus verò est actu intellecta, esse obiectum intellectus possibilis, actionémque intellectus agentis præcedere actionem intellectus possibilis. Denique in eumdem sensum accipiendum est id, quod ait *intellectum agentem per phantasmata facta intelligibilia in actu caussare scientiam in intellectu possibili.* Intelligit enim nomine scientiæ ipsum sciendi actum, habitúmque (si placet) consequentem, quorum vterque caussatur à specie intelligibili, per quam phantasma fit intelligibile in actu.

*Actum intelligendi caussari effectiuè ab obiecto & intellectu.*

*Vniuersalio-res species à possibili elici.*

Ita patet, qua ratione intellectus vtatur phantasia ad primam naturarum communium abstractionem. Dico autem ad primã, quia naturæ communes ab intellectu etiam possibili abstrahuntur, sed suppositа semper abstractione aliquafacta per intellectum agentem. Nam etsi intellectus agens simul cum phantasia species intelligibiles imprimere potest in possibilem: ipse tamen possibilis ex acceptis speciebus alias vniuersaliores, & abstrusiores, vt sic dicam, elicere potest: vt ex specie hominis speciem animalis, & ex specie proprietatis speciem rei subiectæ: & omnia, quæ quibuscumque speciebus intelligibilibus repræsentantur, non concretè tantùm, sed etiam abstractè concipere.

*Septẽ dubiæ proponuntur. Primum. Anagens, omnium vniuersaliũ species abstrahat. Secundum. An substantiarũ & accidentium. Tertium. An indiuidui vnius species sit satis ad abstractionem. Quartum. Et cuiusnam vagi, an determinati. Quintum. Quando gignatur species.*

*Quorum obiectorum species ab intellectu agente abstrahuntur.*

## SECTIO IV.

SVnt tamen nonnulla, quæ merito aliquis hoc loco roget. Vtrum possit ne intellectus agens omnium naturarum communium species abstrahere tam generalium, quàm specialium. Alterum, an possit non modo species accidentium, sed etiam substantiarum elicere. Quòd si vtriusque generis species elicere potest, num quorundam tantum accidentium aut substantiarum, an verò omnium. Tertium satísne sit phantasma vnius indiuidui, vt ex eo species naturæ communis abstrahatur, an verò pluriũ phantasmata sint necessaria. Quartum, cuiusmodi phantasmatum concursus ad abstractionem requiratur: eorúmne, quæ determinata dicuntur ac certa, an eorum, quæ vaga & incerta. Quintum, an tum saltem, cùm primùm plura genita sunt phãtasmata indiuiduorum eiusdem naturæ cõmunis, statim gignatur species intelligibilis eius naturæ: quid ve aliud vltra requiratur.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Sextum. In quo genere causſæ ſit cõcurſus phãtaſmatum.*

tur. Sextum, in quo genere cauſſæ phantaſmata cum intellectu concurrant, cum in abſtractione ſpecierum, tum verò in earum vſu, vtrũ in genere cauſſæ efficientis, an in aliquo alio. Septimum, quid ad quæſtiones de vniuerſalibus naturis à Porphyrio in Iſagoge prætermiſſis reſpondendum ſit, quando hanc de vniuerſalibus diſputationem libri ſeptimi propriam hoc loco anteuertimus.

*Septimum. Quid ad Porph. quæſtiones dicendum.*

*In proœmio.*

*Explicatio primi dubij.*

Hæc non parum difficilia ſunt fuſiúſque à pleriſque diſputantur. Verum ne longiores ſimus, paucis ea explicare conabimur, præſertim cùm & in hac ipſa diſputatione, & in ſuperiori volumine multa à nobis dicta ſint, ex quibus eorum cognitio magna ex parte colligi poteſt.

*Lib. 1. c. 2. q. 2. & 3. cap. 2. q. 2. ſect. 8.*

Ac primi dubij ſolutio, ex iis, quæ ad 1. librum diſputata ſunt, perſpicua eſt. Oſtendimus enim eo loco, cùm nihil eſt impedimenti, primam abſtractionem, quæ opere intellectus agentis fit, eſſe ſpeciei infimę: cùm verò quid obſtar, poſſe eſſe generis alicuius vel propinquioris vel remotioris: pro ratione minoris maioríſve impedimenti: vt cùm aliquid cernimus ex loco minus magíſve diſtante. Non quòd naturæ communiores, quę ex remotiori loco abſtrahuntur, efficaciores ſint ad agendum, cùm minus perfectæ, minúſque actuales ſint: ſed quia cùm totum indiuiduum ex quouis loco in ſenſum agat, minorẽ efficaciam habet ex remotiori, ac proinde minoris perfectionis effectũ producit. Reliqua ex eodem loco petenda ſunt.

*Secundi. Quæritur poſſit ne phãtaſia noſtra etiam ſubſtãtiarum phantaſmata producere.*

Secundi explicatio ex eo pendet, poſſitne phantaſia noſtra non modo accidentium, ſed etiam ſubſtantiarum phantaſmata producere. Illud enim pro regula habendum eſt, eas tantùm naturas communes abſtrahi ab intellectu agente quarum indiuiduorum propria phantaſmata cum eo concurrunt ad ſpecierum intelligibilium productionem.

*Sententia rerum, qui negant vllum dari phantaſma propriũ ſubſtantiæ.*

Plerique recentiores ſunt, qui velint nullum eſſe phantaſma ſubſtantiæ proprium, ſed omnia eſſe accidentibus & ſubſtãtiis communia: alio tamen ac alio modo: quod ſint accidentium formaliter, ſubſtantiarum autem cõnotatiuè. Verbi cauſſa, phantaſma huius albi hanc albedinem formaliter repræſentare, ſed hanc niuem connotatiuè: cùm enim non repræſentet albedinem, vt abſtractam, ſed vt concretam huic ſubiecto, ipſum quoque ſubiectum innuit. Quocirca cùm nullus ſenſus ſiue exterior, ſiue interior eorum ſententia ſubſtantiam formaliter percipiat, ſed connotatiuè tantùm: intellectus verò agens nullam ſpeciem intelligibilem producat, niſi eius naturæ cuius indiuidua formaliter repræſentatur per phantaſmata: colligunt illi, nullam ſpeciem intelligibilem ſubſtantiæ ab intellectu agente produci: aliam verò eſſe rationem ab intellectu poſſibili, qui ex ſpeciebus intelligibilibus accidentium ſpecies ſubſtantiæ elicere poteſt: quemadmodum æſtimatiua non noſtra tantùm, ſed brutorum etiam animalium ex ſenſatis ſpeciebus ſenſibilibus inſenſatas elicere poteſt. Quamquam eorum nonnulli, ne ab intellectu quidem poſſibili dum eſt in corpore, ſenſibúſque corporis etiam intelligendo obiter vtitur, id poſſe fieri aſſerunt. Quod idem ex ſuperioribus Scholaſticis



a *Scot. in 1. d. 3. q. 1.* b *Cap. 1. q. 2. ſect. 5.* c *Com. 53. Opuſc. 29.*

Scholaſticis Scotus a ſenſerat argumento conſecratæ hoſtiæ ad b 2. librum à nobis ſoluto.

*Auenrois oppoſita ſententia.*

Auenrois c in ſecundum librum de Anima in oppoſita eſt ſententia, quòd exiſtimet, ac planè dicat cogitatiuam, quæ noſtra æſtimatiua eſt, indiuidua omnium prædicamentorum poſſe percipere: cui veteres Scholaſtici ferè ſubſcribunt. In his eſt D. Thomas cùm aliis locis, tum verò in quodam opuſculo de Principio indiuiduationis, vbi hæc fermè. *Obiecta per ſe exteriorum ſenſuum eſſe ſenſibilia accidentia ſiue propria ſiue communia, quidditatem verò, naturámve ſubſtantiæ particularis in particulari, neque eſſe per ſe obiectum ſenſus exterioris, cùm ſit ſubſtantia, neque ad intellectum per ſe pertinere, cùm ſit particularis: atque hinc effici, vt ſit per ſe obiectum æſtimatiuæ noſtræ ſeu cogitatiuæ, quæ ex collatione particularium non modo accidentium, ſed etiam ſubſtantiarum ratio particularis appellatur.*

*In quo etiam eſt D. Thom.*

Hoc cùm nobis ſic vero ſimilius, reſpondendum exiſtimamus: intellectum agentem abſtrahere poſſe corporearum ſubſtantiarum intelligibiles ſpecies, omniúmque aliorum materialium entium, quod eorum omnium poſſint eſſe phantaſmata, quibus formaliter repræſententur, & non connotatiuè tantùm, vt ſunt incorporearum ſubſtantiarum, cæterorúmque entium immaterialium phantaſmata, quorum proinde entium ſpecies per intellectum agentem abſtrahi nequeunt.

*Dari phantaſmata ſubſtantiarum.*

*Et quantitatum.*

Ac dari phantaſmata, quibus quantitates omnes formaliter repræſentẽtur, ex eo colliges: quia vel ipſius temporis, quod difficillimè omnium quantitatem percipitur, dari certum eſt, cùm & bruta etiam animantia temporum differentias diſtinguant: Lege D. Thomam opuſc. 43. vbi idem docet, & inter alia notat, bruta animantia iniuriarum præteritarum meminiſſe, tempúſque futurum vindictæ obſeruare ſolita. Idem porrò dicendum eſſe de qualitatibus, quæ quantitatis interuentu inhærent ſubſtantię, rationi cõſentaneum eſt. Iam relationes formaliter poſſe phantaſmatibus repræſentari, ex eo intelligitur, quia vel brutorum æſtimatiua conuenientiam diuerſitatémque obiectorum percipit: non diſcurſu tamen, vt humana, ſed ſolo naturali quodam inſtinctu, & quaſi ſuggeſtione: quod idem Auctor cùm eodem loco, tum aliis pleríſque docet. Actiones verò & paſſiones phantaſmatibus formaliter referri, nemo dubitauerit, qui ſpeciebus ſenſus communis id muneris cum Ariſtotele in tertio de Anima conceſſerit: quo loco ille ſenſum communem ait non modo ſenſibilium differentias, ſed ipſas quoque operations externorum ſenſuum cognoſcere. Denique de iis, quæ in cæteris prædicamentis ponuntur, cùm æquè familiaria ſint ſenſibus atque ſuperiora, nemo dubitauerit, dari phantaſmata, quibus formaliter repræſententur.

*Cap. 4.*

*Qualitatum.*

*Relationum.*

*Actionũ & paſſionum.*

*Cap. 2. iuxta Græcos à tex. 145. Lege D. Tho. 2. contra Gent. ca. 66.*

*Eorum etiã quæ in cæteris prædicamentis ponuntur.*

*Quæſtio alia.*

Superuacanea fuerit hoc loco ea quæſtio, poſſitne etiam intellectus agens abſtrahere à concretis abſtracta ipſa. Nam ſi quæſtio eſt de abſtractione per ſpeciem: cùm ſpecies intelligibilis, quam intellectus agens cum phantaſmate efficit, ſemper concretè repræ-

*Ferrar. in eundem locum.*

*An poſſit agẽs abſtrahere à concretis abſtracta.*

sentet obiectum,quemadmodum & ipsum phantasma: non est quod quis quærat, num ille abstracta à concretis possit seiungere. Si verò dubitatio est de abstractione per notitiam seu cognitionem:cùm intellectus agentis functio non sit cognoscere,quemadmodum nec pati seu recipere,sed agere:nemo,nisi qui eius naturam ignorauerit, in controuersiam id vocabit.

*Poterit ne id ipsum phantasia.*

Alia ratio est,si id quæratur de phantasia: præsertim cùm dixerimus,æstimatiuam, quæ phantasiæ nomine comprehenditur, percipere differentias temporum,conuenientiámque & diuersitatem obiectorum:immo etiam, sensum communem, qui phantasia inferior est, cognoscere differentias sensibilium, actionésque & passiones: quæ omnia in abstractis numerantur. Sed respondendum est, nullam sensitiuam potentiã abstracta à concretis posse seiungere:sed quemadmodum species sensibiles omnia concretè repræsentant (qua in re speciebus intelligibilibus non sunt dissimiles) ita sensitiuas facultates nihil abstractè cognoscere:maiori enim ad eam rem discernendi facultate opus est,quam vt sensitiuis potentiis conueniat. Communis enim sententia est,abstractum à concreto sola ratione considerationéve distingui,quæ intellectus operatio est. Deinde,vt sensitiuæ omnes potentiæ materiales sunt, & à subiecto in suo esse pendent:ita rationi consonum est,vt nisi cum materia,subiectóque nihil cognoscant. Accedit,quòd cùm magis distinguantur differentiæ indiuiduantes ab ipsis indiuiduis,quàm abstracta à concretis, nempe ex natura rei: potentiæ verò sensitiuæ (quod vero simillimum est) non discernant priora,sed haud parua ad id intellectus attentione opus sit,consequens est,vt nec discernãt posteriora. Itaque æstimatiua cognoscit rem præteritam & futuram,vt præterita, etiam & futura est:ipsas verò per se præteriti & futuri differentias abstractè non cognoscit:& sic res habet in cæteris abstractis. Tametsi nos consuetudine communi, cùm de internorum sensuum cognitione agemus,abstractis nominibus pro concretis vsi sumus.

*Non posse probatur.*

*Abstracta à concretis sola ratione distingui.*

*Vi Caiet. de Ente & esse. c.3. & 7. & Scot. in Prædicam. quæstione. 11.*

*Lege quæ habes supra ad c.7.q.5.sect. 3.*

*De concursu phantasmatum nonnulla.*

## SECTIO V.

*Tertij dubij explicatio.*

TERTIVM dubium hoc pacto explicatur à D. Thoma prima parte q.76.art.2.A diuersis phantasmatibus abstrahi vnam speciem intelligibilem:quod Caietanus in eandẽ partem ad q.85.art.1. videtur sic exponere,vt sentiat,plura phantasmata necessaria esse ad vnius speciei generationem: & clarius in secundum de Posteriori resolutione capit.vltimo,vbi docet, non sufficere ad eam rem vnam cogitatiuæ operationem. Si tamen considerentur ea quæ ad primum huius operis lib.scripsimus,dicendum est:etsi ferè vsu venit, vt ad vnius speciei generationem plura phantasmata concurrant, aut vnum virtute præcedentium præcedentisve alicuius, quo pacto hi Auctores intelligi possunt:tamen si vel vnum sit intensum(loquor autem de expresso phantasmate & actuali,nõ de impresso tantùm seu habituali) vel certè non breui transeat, non esse plura necessaria: quemadmodum

*An vno phantasmate intenso elici posse speciem intelligibilem.*



modum vt aliquid imprimatur in memoria:non satis est qualiscũque vna rei perceptio, sed vel requiruntur plures, vel vna intensa diúve continuata.

*Quarti dubij solutio.*

Ad quartum, ex iis, quæ eodem loco dicta sunt, respondendum est, non esse necessarium ad speciei vllius intelligibilis generationem phantasma determinatum, hoc est,indiuidui determinati: sed satis esse phantasma vagum, quod semper quidem ad speciem naturæ genericæ, sæpe autem ad speciei infimæ concurrit. Immo verò, cùm indiuiduum vagum magis videatur accedere ad conditionem naturæ vniuersalis:aptius fortasse est vagum ad speciem naturæ specificæ,quàm determinatum.

*Cap.2.q.1. sect.4. & q. 3.sect.4.*

*Quinti expositio.*

Quinti dubij solutio haud facilis est. Nam cùm productio specierum intelligibilium per intellectum agentem sit merè naturalis,vt in primi quoque libri commentariis diximus,non videtur sanè aliud ad eam requiri, quàm plurium phantasmatum, vniúsve intensioris aut diuturnioris, sæpiúsve repetiti præsentia. Et tamen si hoc damus, cùm in pueris & amentibus hæc inueniantur cum intellectu agente coniuncta:si ea satis sunt,amentibus quoque & pueris nondum ratione vtentibus abstractio vniuersalium concedenda erit: quod durum & improbabile videtur.

*Num pueris & amentibus abstractio vniuersalium concedenda.*

Dicendum tamen,durum quidem fore,nulliúsque probabilitatis, siquis pueris & amentibus concedat primam vniuersalium abstractionem actualem,hoc est,per actum intellectus possibilis:non item si habitualem, ac per solam speciem impressam: quòd non necesse sit statim actum exercere speciei genitæ conformen, intenta in eis & quodammodò immersa anima rebus particularibus, & sensuum dominatu haud libera. Dico autem primam abstractionem, quia amentes postquam ratione vsi sunt, intellectúmque habuere liberũ ad considerandas naturas rerum sine earum conditionibus indiuiduantibus:nihil impedit, quominus post impeditum rationis vsum in discurrendo,simplices adhuc conceptus forment, quibus præcisè naturæ communes concipiantur:hoc enim non satis est,vt eos sanos esse mente concedamus, laborante adhuc intellectu in ratione rerum consideranda ac reddenda,rectóque discursu faciendo.

*Hæc eadem quæstione sect.2.& 3.*

*Confirmatio eorum, quæ suprà dicta sunt.*

Ex quibus clarius perspicitur id, quod superius diximus: nihil esse,cur quidam velint, non satis esse, si dentur in sensibus interni multa eiusdem speciei aut generis phantasmata, vt ab eis natura specifica aut generica abstrahatur: sed expectandam ad id esse nouam intellectus agentis illustrationem. Quamuis enim ad abstractionem actualem,siue per actum intellectus possibilis expectãdum sit nouum lumen intellectus agentis,quod est ipsa intelligibilis species:ad habitualem tamen,siue per speciem impressam,nihil luminis vltra requiritur:sed satis est ipsa naturalis phantasmatum humanorum claritas, & præstantia ex coniunctione cum intellectu agente naturaliter contracta, ob quam cum illo eõcurrere possunt ad ipsius speciei intelligibilis generationem.

*Ferrar.2. contra Gent. c.77.*

*Sexti dubij explicatio.*

Ad sextum dubium dicendum est, phantasmata potius cõcurrere

cum intellectu agente in genere cauſſæ efficientis, quàm diſpoſitiuæ, quæ ad materialem reducitur: in altero enim harum cauſſarum genere retulimus libro primo, Auctores ponere phantaſmatum cum intellectu agente concurſum', nóſque merito in prius genus magis inclinauimus: eſt enim ea ſententia & communior, vt eo loco diximus, & rationi magis cõſentanea: tum quia phantaſmata in ea actione concurrunt, & vt cauſſæ eſſentialiter ſubordinatæ, ac quodammodo inſtrumentaliter determinantes generalem efficientiam intellectus agentis: & vt obiecta mouentia, quatenus ipſarum rerum externarum locum ſubeunt, vt habes apud Ariſtotelem lib. 3. de Anima, cap. 5. Accedit, quòd alterius opinionis auctores ea potiſſimum de cauſſa in eam inclinant, ne materiale phantaſma in immaterialem intellectum agere admittant: quod vereri non eſt opus, vbi ponitur, materiale agens virtute propria non agere, ſed virtute immaterialis, cui ſubditur.

*Phãtaſmata in genere efficientis cauſſæ concurrere.*

*Cap. 2. q. 3. ſect. 6.*

## QVO PACTO RESPONDENDVM AD eas quæſtiones, quæ à Porphyrio in Iſagoge prætermiſſæ ſunt.

## QVAESTIO IX.

*Solutio primæ.*

### SECTIO I.

*Tres quæſtiones à Porphyrio prætermiſſæ.*

*Prima.*

*Secunda.*

*Tertia.*

RELIQVVM eſt igitur, vt tribus illis quæſtionibus de præcipuis vniuerſalibus reſpondeamus, quas Porphyrius in Iſagoge prætermiſit. Cohæreántne, inquam genera & ſpecies in rerum natura, an in ſolis, nudíſque conceptibus poſita ſint. Síntne corpora, an corporis expertia. Et in rebus ſenſibilibus, an extra illa exiſtant. Ex iis enim, quæ in tota hac diſputatione de vniuerſalibus dicta ſunt, commodè explicari poſſunt.

*In proœmio.*

*Primæ explicatio.*

*De ſolis ſenſibilibus intelligi.*

Quod igitur ad primam attinet, illud in primis animaduertendum eſt, genera & ſpecies accipienda in ea eſſe pro ſolis generibus & ſpeciebus ſubſtantiarum ſenſibilium: quandoquidem Ariſtoteles in ea contra Platonem diſputanda de his ſolis generibus & ſpeciebus loquitur: & reliquæ etiam duæ quæſtiones, quæ de eiſdem rebus planè, de quibus primæ excitantur, de ſolis generibus & ſpeciebus ſubſtantiarum ſenſibilium intelliguntur.

*Lib. 2. Metaph. c. 7. à tex. 25. 7. Metaph. ca. 14. & 15. & aliis in locis.*

*Duobus modis aliquid eſſe in intellectu.*

Deinde, cùm duobus modis aliquid eſſe poſſit in intellectu: vno ſubiectiuè, vt dici ſolet (quamquàm intellectus non eſt propriè ſubiectum, ſed anima, interueniente intellectu) altero obiectiuè quo pacto quicquid actu aut habitu cognoſcitur ab intellectu, dicitur in intellectu exiſtere. Illud etiam conſiderandum, hoc poſteriori modo quæri, ſint ne genera & ſpecies in intellectu, ſiue (vt à Porphyrio dicitur) in conceptibus, qui modus exiſtendi entibus, & non entibus communis eſt.

Denique



Denique intelligendum, eorum, quæ ſunt obiectiuè in intellectu, quædam eſſe in ſolis nudíſque conceptibus, quædam non item. Ea dicuntur eſſe in ſolis nudíſque conceptibus, quæ nec formaliter, ſeu quatenus talia ſunt, exiſtere in rerum natura poſſunt, nec de rebus exiſtentibus in rerum natura prædicari: qualia ſunt Centaurus, Hircoceruus, & cætera figmenta. Ea verò nõ eſſe in ſolis nudíſque conceptibus, quæ aut formaliter exiſtere poſſunt in rerum natura, aut de rebus in rerum natura exiſtentibus prædicari. Quo genere primùm complectimur entia realia: hæc enim, quatenus talia ſunt, poſitiuè exiſtunt in rerum natura. Deinde negationes, quæ velut inhærent entibus realibus, vt eſt cæcitas, ignoratio, & huiuſmodi aliæ: ſiquidem & hæ formaliter, & quatenus tales ſunt, exiſtunt in rerum natura: non tamen poſitiuè, vt entia realia, ſed negatiuè: ea nimirum ratione, in ſubiectis ſuis non exiſtunt formæ, quarum ſunt priuationes. Tertio loco entia rationis, vt eſſe prædicatum, ſubiectum, & ſimilia: itémque negationes, quæ conueniunt rebus veris: non tamen vt exiſtunt in rerum natura, cuiuſmodi eſt vnitas præciſionis, quæ coniuncta eſt cum aptitudine eſſendi in pluribus: hæc enim omnia etſi nec poſitiuè, nec negatiuè poſſunt exiſtere in rerum natura: tamen de rebus veris dici poſſunt. Exempli cauſſa, ſiquis de Centauro cogitet: in ſolo nudóque conceptu exiſtet Centaurus, id eſt, hac ſola & nuda ratione exiſtentiam habebit, quia obiicitur conceptui cuidam: quippe cùm alioqui nec exiſtere in rerum natura poſſit, nec de vera vlla re prædicari. At verò ſi mente concipiat tonitruum: ſi cogiter de ignoratione, cum qua naſcimur: ſi animaduertat, animal prædicari de homine, aut eſſe vnum quid pluribus commune: non dicentur iſta, tonitruum ſcilicet, ignoratio, prædicatum, & communitas, eſſe in ſolis nudíſque conceptibus: quia & plurima tonitrua verè exiſtere ac audiri poſſunt: & extamus nos omnes, in quibus ab ipſo ortu omnium rerum velut inſidet ignoratio, ſiue ſcientiæ negatio, & datur animal in rerum natura, quod quidem dicimus prædicari de homine, & eſſe pluribus commune.

*Quæ in nudis conceptibus eſſe dicantur.*

*Quæ non in ſolis.*

*Senſus primæ quæſtionis.*

Senſus ergo primæ quæſtionis eſt: num genera & ſpecies ſubſtantiarum ſenſibilium aliqua ex parte verè exiſtant in rerum natura (nempe aut formaliter, aut ratione rerum, de quibus dicuntur) an hoc tantùm eſſe habeant, quod mente concipiantur: quaſi cùm ea percipimus, caſſa cogitatione noſmetipſos eludamus: vt cùm fingimus Chimæram, Sphingem, aut aliquid ſimile.

*Prima ſententia quorumdam veterũ, & Nominalium.*

Sententia Heracliti, [a] Antiſthenis, Democriti, Epicureorúmque ac recentiorum [b] Nominalium in hac quæſtione eſt, genera & ſpecies, de quibus quæſtio intelligitur, atque adeo cætera omnia genera & ſpecies, eſſe in ſolis nudíſque conceptibus. Credunt enim, res vniuerſales eſſe fictitias, conceptúſque & nomina vniuerſalia ſignificare immediatè res ſinguiares. Itaque ſentiunt, genera & ſpecies nec exiſtere poſſe in rerum natura, nec dici de veris rebus, ſed ſolùm obiici iis conceptibus, quibus confinguntur ab iis, qui ea ponunt: contra quos ſuperius [c] diſputatum eſt.

a Lege Platonem in fine Cratyli, & Ariſt. 4. lib. Metaph. c. 5. tex. 22.

b Ocham in 1. d. 2. q. 4. & 1. p. Logicæ ca. 14. & 15. & quolib. 5 q. 12. & 13. Gab. in 1. d 2. q. 7. & 8.

c Quæſt. 2.

*Secunda sententia Platonis & Aristotelis. Quid inter eos conueniat, quod interſit.*

At verò Plato & Ariſtoteles communi conſenſu reſpondent èa verè exiſtere in rerum natura, neque eſſe inania cogitata & commenta, vt ſatis apertum eſt ea diſputatione, quam Ariſtoteles lib. 7. [a] contra Platonem inſtituit: in qua hoc conuenit inter eos, quòd vterque ponit genera & ſpecies ſubſtantiarum ſenſibilium in rerum natura: hoc autem intereſt, quòd Plato exiſtimat, ea omni ex parte verè exiſtere, hoc eſt, tam ratione rerum, quæ dicuntur genera & ſpecies, quàm ratione communitatis ac indifferentiæ. Ariſtoteles verò ita docet, res, quæ dicuntur genera & ſpecies, conſtare in rerum natura, vt neget communitatem earum in eiſdem exiſtere: ex quo tamen non efficitur, vt earum communitas, ſeu vniuerſalitas exiſtat in ſolis nudiſque conceptibus, cùm de veris rebus dici poſſit.

[a] *Cap. 14. & 15.*

*Reſpondetur ad primam quæſtionem.*

Itaque reſpondendum eſt genera & ſpecies ſubſtantiarum, quæ ſenſibus percipiuntur, nec ratione rerum, quæ genera & ſpecies dicuntur, nec ratione communitatis earum eſſe in ſolis nudiſque conceptibus: ſed res, quæ his nominibus appellantur, exiſtere formaliter, & quatenus tales ſunt, in rerum natura: ipſam verò earum communitatem, etſi numquam formaliter exiſtit in rerum natura, ſed ſolùm obiectiuè in intellectu, tamen verè dici de rebus, quæ veram, ac realem exiſtentiam habere poſſunt. Quam ſolutionem ipſe quoque Porphyrius innuit in adiiciendis duabus aliis quæſtionibus. Tum quia friuolum eſſet quærere, num genera & ſpecies eſſent corpora, & quæ ſequuntur, niſi illa eſſe conſtaret, vt Boetius annotauit. Tum etiam, quia ipſe verborum contextus apertè ſupponit affirmatiuam partem primæ quæſtionis in excitanda ſecunda: *Etſi exiſtant*, inquit, *corpora ne ſint, an corporis expertia.*

*In Porphyrij proœmiũ.*

*Secundæ ac tertiæ ſolutio.*

## SECTIO II.

*Senſus ſecundæ quæſtionis Porphyrianæ.*

SEcundæ quæſtionis ſenſus eſt. Num genera & ſpecies, qua ex parte formaliter exiſtunt in rerum natura, ſint corpora, an corporis expertia, hoc eſt: conſténtne materia, an non: quod quidem planè de ſolis generibus & ſpeciebus ſubſtantiarum ſenſibilium ambigitur. Nam de generibus & ſpeciebus tam ſubſtantiarum incorporearum, quàm accidentium quis dubitet? Sed verſiones quæ pro verbo, *corpora*, habent, *corporalia*, aut, *corporea*, occaſionem dederunt exiſtimandi, de generibus etiam & ſpeciebus accidentium, quæ corporibus inhærent, excitatam fuiſſe quæſtionem. Itaque ſenſus eſt, vtrum genera & ſpecies horum corporum per ſe exiſtentium, quæ ſenſibus percipimus, ſint etiam corpora nec ne.

*Diſſenſio Ariſtotelis & Platonis.*

*Vera ſecundæ quæſtionis explicatio.*

In hac quæſtione iam diſſentit Ariſtoteles à Platone. Plato enim, ſi Ariſtoteli credimus, in ea eſt ſententia: vt putet, genera & ſpecies huiuſmodi rerum eſſe formas quaſdam omnis materiæ ac mutationis expertes. At Ariſtoteles exiſtimat, ea conſtare materia, ſi non ratione, certè reipſa. Cùm enim credat (id quod eſt veriſſimum) genera & ſpecies non differre à ſuis indiuiduis re ipſa, ſed ratione duntaxat, vt animal & hominem à Socrate: indiuidua autem ſubſtantiarum

*Locis citatis.*



rum ſenſibilium conſtent materia, quemadmodum & mole corporea, ſiue trina dimenſione: non dubium, quin ea quoque re ipſa materia conſtent. Ratione tamen nil obſtat, quominus aliquod genus huiuſcemodi ſubſtantiarum materiæ ſit expers: vt ſubſtantia, quæ eſt genus ſummum, in cuius definitione nulla omnino admittitur materia. Et hæc eſt vera huius quæſtionis ſolutio.

*Tertiæ quæſtionis ſenſus.*

Tertiæ quæſtionis ſententia eſt. Vtrum genera & ſpecies rerum ſenſibilium, qua ex parte in rerum natura formaliter exiſtunt, ſeiuncta ſint à rebus ſenſibilibus, quarum comparatione dicuntur genera & ſpecies: an vero in eis inſint. Quo loco nomine rerum ſenſibilium non ſolùm non intelliguntur ſubſtantiæ materiæ expertes, ſed neque etiam ſenſibilia accidentia: cùm perſpicuum ſit, neque ipſa, neque ipſorum genera aut ſpecies materia conſtare: ſed ſolùm intelliguntur ſubſtantiæ ſingulares, quæ ſenſibus percipiuntur. Verbo autem, *inſint*, intelligenda eſt inexiſtentia generum & ſpecierum in ſuis indiuiduis per modum identitatis, vt in definitione vniuerſalis: non autem vera & propria inhærentia, qualem habent accidentia in ſubiectis. Atque hac de cauſſa videtur Porphyrius addidiſſe verba illa, & *circa eas ſubſiſtant*, ne videlicet genera & ſpecies propriè inhærere in ſuis indiuiduis intelligerentur.

*Nemine rerum ſenſibilium quid in quæſtione accipiatur.*

*Quid Plato reſpondeat.*

Ad hanc quæſtionem reſpondet Plato, genera & ſpecies rerum ſenſibilium eſſe ab eis ſeiuncta: id quod planè cogitur dicere iuxta ſuperioris quæſtionis explicationem. Nam cùm eius ſententia ſint re ipſa omnis materiæ ac mutationis expertia: perſpicuum eſt, non ineſſe ea in rebus ſenſibilibus per modum identitatis: quandoquidem nihil eſt, quod idem re ipſa ſimul ſit materiæ & particeps & expers, aut mobile ſimul & immobile. Ariſtoteles verò ait, non ſolum genera & ſpecies non eſſe ſeiuncta à ſuis ſingularibus, ſed ne vlla quidem vniuerſalia. Docet enim vtroque libr. de Poſteriori reſolutione, vniuerſale eſſe, vnum in multis, & primo lib. de Partibus animalium ſic ait, *Vniuerſalia appellamus ea, quæ in pluribus ſunt*: & ſeptimo li. huius operis definiens vniuerſale, ſic ſcribit, *Vniuerſale dicitur, quod aptum eſt, vt in pluribus inſit*: quo loco apertiſſimè impugnat Platonis ſententiam, quod dixerit: vniuerſalia à ſingularibus eſſe ſeiuncta.

*Primo libr. Poſter. ca. 8. tex. 21. ſecundo lib. Poſter. cap. 18. text. 27. Cap. 4. Capit. 13. tex. 45.*

*Quid Ariſtoteles.*

*Cuiuſdam argumenti, ac dubitationis ſolutio.*

## SECTIO III.

*Argumentum contra ſolutionem tertiæ quæſtionis.*

CVM hac tamen vera ſolutione quæſtionis videtur hoc argumentum pugnare. Genera & ſpecies horum corporum, quæ ſenſibus percipiuntur, re ipſa ſunt corpora, vt in ſoluenda ſecunda quæſtione dictum eſt: nunc autem conceſſimus, ea in his exiſtere: igitur multa corpora ſimul exiſtunt in eodem loco: quod nulla naturæ efficere poteſt. Aut igitur dicendum fuit, genera & ſpecies horum corporum, quæ cernimus, non eſſe corpora: aut certè in his nequaquam exiſtere.

Hoc

*Quid aliqui argumento victi respondeant ad secundam quæstionem.*

Hoc argumento victi nonnulli, respondendum ad secundam quæstionem existimant, genera & species horum corporum non esse corpora. Verùm non est, cur quisquam responsionem datam repudiet. Primùm quia id, quod dici solet, Nullis naturæ viribus fieri posse, vt multa corpora in eodem loco existant, de corporibus re ipsa diuersis, vt aqua & oleo intelligendum est: genera autem & species, etsi quis contendat simpliciter appellanda esse diuersa corpora, non sunt tamen re ipsa diuersa, vt diximus, sed ratione dumtaxat. Deinde, quia nec sunt re vera simpliciter dicenda diuersa corpora, cùm superiora & inferiora non efficiant numerum secundum nomen alicuius eorum: neque enim dicas: animal & hominem esse duo animalia, aut duos homines, neque item hominem & Socratem esse duos homines, aut duos Socrates: & sic de cæteris. Dixi, *secundum nomen alicuius eorum*, quia secundum aliud nomen, non dubiũ est, quin superiora & inferiora possint numerum conficere, vt si dicas, animal & hominem esse duo prædicata, & hominem ac Socratem duo subiecta. Caussa verò huius rei est, quia ea, quæ numerum efficiunt secundum aliquod nomen, debent esse membra diuidentia eius rei, quæ primò significatur eo nomine: at superiora & inferiora non sunt membra diuidentia alicuius rei, quæ in eadem serie collocetur, vt inductione perspicuum est. Atque id, quod de generibus & speciebus substantiarum corporearum dictum est, pari ratione dicendum est de cæteris generibus & speciebus respectu suorum indiuiduorum.

*Duo corpora esse simul nõ posse, de quibus intelligendum.*

*Superiora & inferiora vt non efficiant numerum.*

*Caussæ cur non efficiant.*

*Cur Porphyrius reliquorum vniuersalium in his quæstionibus non meminerit.*

Quòd si quis quærat, cur Porphyrius in his quæstionibus reliquorum vniuersalium mentionem non fecerit, differentiarum, inquam, propriorum & accidentium: non necesse est caussam aliam quærere, nisi quia apud veteres de solis generibus & speciebus hæ dubitationes agitabantur. Dixerat enim se traditurum, quæ apud maiores de quinque vniuersalium generibus differri solerent: è quibus hæc, quia ad altiorem scientiam spectabant, consultò prætermisit. Quamquam & illud dici potest, parem esse rationem de differentiis, atque de speciebus, quæ differentiis complentur: de propriis autem & accidentibus satis esse nosse, num illa, qua ratione sunt genera aut species, existant in rerum natura nec ne, & quæ sequuntur. In his enim quæstionibus non tam habetur ratio communitatum, quàm rerum, quæ communes appellantur, vt patet ex 2. & 3. quæstione, quæ de solis rebus excitantur.

*Epilogus.*

Atque hæc de quæstionibus iis, quarum explicationem Porphyrius omisit, déque toto genere vniuersalium, qua ratione propriè ac præcipuè vniuersalia dicuntur, sint satis. Ex qua tota disputatione perspicuum relinquitur, quid noui rebus vniuersalibus abstractio afferat. Nunc de eisdem, quatenus ad particularia referuntur, quæ minus præcipua vniuersalium consideratio est, pauca dicamus.

QVA-



QVA RATIONE VNIVERSALIA DICANTUR relatiua comparatione suorum particularium.

## QVÆSTIO X.

*Scholasticorum variæ opiniones.* SECTIO I.

*Quattuor primariæ sententiæ de relatione vniuersalium.*

MVLTÆ sunt, variæque Scholasticorum sententiæ de relatione vniuersalium ad sua particularia, quarum pro babiliores ad quattuor quasi capita reuocari possunt: tanta sæpe est in rebus non magni momenti difficultas ac controuersia.

*Prima sententia Caietani.*

Sunt qui dicant, vniuersalia non referri ad particularia, nisi cùm concipiuntur referri: vt cùm quis concipit animal esse genus respectu hominis, & equi, aut hominem esse speciem respectu Socratis & Platonis. Quæ sententia videtur esse Caietani ad 1. p. D. Thom. q. 17. art. 1. *Relatione*, inquit, *rationis non sunt actu, nisi cùm intelliguntur, neque habent aliud esse, quam intelligi.*

Ratio pro hac sententia hæc videtur præcipua: quia quemadmodum, vt relatio realis existat, non est satis, si eius fundamentum realiter existat, sed necesse præterea est, vt ipsa relatio propriam & peculiarem existentiam realem habeat, distinctámque ab existentia fundamenti: ita etiam, vt relatio rationis existat, non debet esse satis, si eius fundamentum obiectiuè in intellectu existat, sed opus est præterea, vt ipsa quoque relatio ab intellectu concipiatur propria & peculiari conceptione: quandoquidem non potest obiici per speciem repræsentantem, cùm entium rationis nullæ sint propriæ & peculiares species intelligibiles, quibus repræsententur.

*Secunda sententia Scoti & aliorum.*

Alij volunt, vt vniuersalia referantur, non opus quidem esset vt concipiantur referri, sed tamen requiri, vt mente de suis particularibus verè affirmentur. Quamquam hoc interest, quòd eorum quidam satis esse dicunt, si quælibet res vniuersalis verè affirmetur de vno particulari: alij verò exigunt, vt simul de pluribus dicatur. Hanc sententiam sequitur Scotus in hunc lib. q. 11. *Falsum*, inquit, *est, quod actu reflexo fiat relatio rationis: fit enim primo actu* (hoc est, directo) *intellectus comparantis hoc ad illud: cùm autem reflectitur intelligendo comparationem vt obiectum, tum non caussatur relatio rationis, sed concipitur.* In qua eadẽ sententia videtur esse D. Thomas in loco citato primæ partis: vbi ait, *relationem rationis esse tantùm in apprehensione rationis conferentis vnum alteri*: non ait, concipientis ipsam comparationem, relationémue, sed conferentis. Ex quibus verbis hoc contra superiorem sententiam argumentum colligi potest. Non idem est aliquid esse, atque concipi, nisi id, quod concipitur, sit aliquid merè confictum, sed prius (saltem natura) vnumquodque est, quàm concipiatur: at relationes vniuersalium ad sua particularia non sunt attributa merè conficta, sed, quæ de rebus, quas dicimus reales, verè affirmentur: ergo prius natura est, eas suo modo esse quàm concipi: sunt autem iam,

*Scotus in 4. d. 2. q. 2. Vide Lichetum in primo d. 3. q. 7. & in 2. d. 1. q. prima §. secundo principaliter. Herueum de Secundis intent. quæstione 2. artic. 3. Figuerium Granatens. suarum Inst. c. 2. § 2.*

*Argumentũ contra superiorem sententiam.*

tum cùm vniuersalia de suis particularibus prædicantur (aut enim hæc prædicantur vt genera, aut vt species, &c.) ergo vt vniuersalia referantur ad sua particularia, non opus est, vt eorum relationes concipiantur, sed satis est, si ipsa de suis particularibus verè affirmentur.

*Tertia sententia recentiorum.*

Sunt etiam quibus, vt vniuersalia referantur ad sua particularia, satis esse videatur, si illa simplici & minimè comparatiuo conceptu sine differentijs contrahentibus apprehendantur; vt si homo præcisè concipiatur, vt homo, & animal, vt animal, etiam si nondum attribuantur suis particularibus: quæ sententia recentiorum ferè videtur esse. Eorum ratio hæc est. Cùm aptitudo essendi in pluribus sit proximum vniuersalitatis fundamentum (sumpto vniuersalitatis nomine pro relationis vniuersalium ad sua particularia) vbi primùm ea aptitudo datur, statim consequitur vniuersalitatis relatio: vt vnaquæque res vniuersalis iam tum est apta, vt sit in pluribus, seu indifferens ad omnia sua particularia, cùm primùm sic concipitur: ergo iam tũ refertur ad sua particularia, nec opus est, vt de illis actu affirmetur.

*Ratio.*

*Quarta sententia.*

Denique sunt *a* qui ne simplicem quidem, & minimè comparatiuam conceptionẽ rerum vniuersalium desiderent, vt illæ ad sua particularia referantur, sed cùm primùm species aliqua intelligibilis ab intellectu agente cum phantasmate producitur, continuo rem, quæ per eam repræsentatur, ad sua particularia referri dicant.

*a Hanc sequi videntur Soncinas 6. Metaphys. q. 18. Hispalensis in 2. d. 19. q. 3. §. quantũ ad tertiũ.*

*Fundamentum.*

Huius opinionis fundamentum idem est, quod superioris. Nam si aptitudo essendi in pluribus, cùm primùm datur, mox secum affert rei vniuersalis ad sua particularia relationem: non dubium est, quin ipsa etiam speciei intelligibilis generatio relationem vniuersalium ad sua particularia suo modo efficiat: res enim, quæ vniuersalis denominatur, non solùm cùm simplici cõceptu apprehẽditur, sed etiam, cùm in specie intelligibili repræsentatur, indiuisa omnino est, indifferénsque omnia sua particularia: innititúrque fundamentum hoc ei pronũtiato, quo D. Thomas vtitur 1. p. q. 75. art. 3. ad primum, cùm ait, intentionem vniuersalis prouenire ex abstractione intellectus. Si enim ita res habet: ergo non solum per cõceptus, sed etiam per species intelligibiles, quibus naturæ communes abstrahuntur, consequuntur res vniuersalitatem.

*Confirmatur ex D. Thoma.*

Quocirca opinio eorum, qui dicunt, species intelligibiles primo & per se esse rerum singularium, distinxit ab hac sententia superiorẽ, quòd ij Auctores credant, solis conceptibus res liberari à cõditionibus indiuiduantibus. Qui autem quartam hanc sententiam amplectuntur, volunt & conceptibus & speciebus ipsis vniuersales naturas ab iis conditionibus exolui: immo verò, prius natura abstractionem hanc secretionémque fieri per species aliquas ab intellectu agente factas, quàm per conceptus elicitos à possibili.

Quid



*Quid in hac re sentiant veteres Aristotelis interpretes.*

## SECTIO II.

VEteres tamen Aristotelis enarratores facilius se ab hac quæstione expediunt: ipsas enim aptitudines, quibus naturæ communes dicuntur aptæ, tum vt insint pluribus, tum vt de pluribus dicantur, relationes vocant. Sic Boetius in Isagogen Porphyrij accommodatè ad artem Dialecticam de vniuersalibus differens, hoc est, de vniuersalibus, quatenus prædicabilia sunt, cùm dixisset, relationem efficere genus, mox, ne aliquis relationis nomine aliquid aliud intelligeret, quàm ipsam aptitudinem ad prædicationem de pluribus, hæc subiicit, *Cùm dicimus animal esse genus, non, vt arbitror, tunc de re ipsa hoc nomen dicitur, sed de ea relatione, qua potest animal ad cætera, quæ sibi subiecta sunt, referri.* Non ait, *qua refertur*, sed, *qua referri potest*, tum addit, *Itaque character quidam est, & forma generis in eo, quod referri ad eas res potest, qua cùm sint plures, & specie differentes, in earum substantia prædicatur.* Ex quibus verbis patet, nihil aliud Boetium nomine relationis generis ad species intellexisse, quàm ipsam aptitudinem, vt certo quodam modo de iis prædicetur. Quod idem alios veteres sensisse de relationibus omnium vniuersalium, quatenus ad Dialecticum spectant, facile est ostendere.

*Ab veteribus ipsas aptitudines dici relationes.*

*Ad cap. de Genere, in secunda editione.*

Sed vt eorum mentem apertius interpretemur, diuidi apud eos potest relatio cuiusque rei vniuersalis in aptitudinalem, & actualem. Aptitudinalis duplex est, quemadmodum & ipsa aptitudo, à qua aptitudinalis relatio eorum sententia non differt: vna, vt sit in pluribus per modum identitatis: altera, vt prædicetur de pluribus, quæ illam sequitur. Actualis item duplex est, fundamentalis altera, ipse, inquam, actus essendi in pluribus (si tamen relatio, nisi valdè impropriè dici potest) altera formalis, quæ est ipsa prædicatio, hoc est, vera affirmatio de pluribus: non actiua tamen, sed passiua: neque enim dicunt, prædicare, sed verè enunciare, esse referri, sed prædicari, siue enunciari.

*Diuisio relationis cuiusque vniuersalis in aptitudinalẽ, & actualem.*

Itaque cùm naturæ communes non habeant ipsis rebus particularibus aptitudinem, siue vt insint, siue vt prædicẽtur de pluribus, sed solùm in mẽte, cùm abstractæ sunt à particularibus, quemadmodum & vnitatem præcisionis, quæ aptitudinem sequitur: neque etiam sint actu prædicata de particularibus, nisi cùm de iis enunciantur: nullo negotio pro his Auctoribus ad quæstionem propositam hunc in modum responderi potest. Si de relatione quidẽ aptitudinali, in qua ratio vniuersalium, quatenus vniuersalia sunt, posita est, quæstio intelligatur: cùm primùm res sunt abstractæ à suis particularibus, siue per species, siue per cõceptus, tũ primũ eis relationẽ huiusmodi aduenire. Si verò quæstio sit de relatione actuali, non fundamentali tamẽ & impropria, quam res habẽt sine operatione intellectus: sed de actuali: tum primùm eis non solùm aduenire, sed etiam conuenire relationem, cùm primùm de illis prædicantur. Atque idem aliquando sensisse Scorum de relatione actuali, quemadmodum & alios quosdam eo

*Lege Scot. in 4. d. 1. q. 2. & 5. Metaph. q. 11. & lib. 7. q. 18. Lycheũ & Paulum scriptorem, Et Bassol. in lib. Sent. loco citato. Trom. 7. Metap. q. 8. & alios.*

*Quo pacto ex mente horum quæstioni sit respondendum.*

posteriores, nonnulli eius interpretes asserunt, qui secundas intentiones apud illum nihil aliud, quàm comparationes quasdam passiuas ab intellectu factas esse volunt.

## *Quid re vera sentiendum.* SECTIO III.

SEd quia ij, qui ista subtilius scrutantur (veriúsne, an non, haud certò admodum cõstat) non contenti ipsa aptitudine seu essendi seu prædicandi, vt vniuersalia faciant relata aptitudinali relatione: neque item prædicatione passiua, vt eadem actuali relatione referant, propriè dictas quasdam relationes in his fundatas agnoscunt: ad quos pertinet iam posita de his relationibus quadripartita respondendi ratio: nos etiam quo pacto id accidat consideremus. Inueniemus enim fortasse, eos, etsi contraria inter se dicere videantur: re tamen expensa omnes idem sensisse, seu potius aliquid ad veram rei explicationem contulisse.

*Vera quæstionis explicatio. Duplex genus relationis.*

Dicere igitur possumus, duo esse genera relationum earum, quæ rebus vniuersalibus, quatenus vniuersales sunt, conueniunt: alio tamen sensu, quàm illi intelligebant: vnum aptitudinaliũ, quod fundatur in aptitudine siue essendi, siue prædicandi de pluribus, alterum actualium, quod fundatur in ipso actu vel essendi in pluribus, vel prædicandi de pluribus. Sunt autẽ huiusmodi relationes habitudines quædã totius ad suas partes, quod & ipsa apud Græcos, τῶν καθόλου, appellatio innuit. & quę Aristoteles & grauissimi quíque philosophi de vniuersalibus dicũt, satis declarant. Aiunt enim, vniuersalia complecti sua particularia, vt totum suas partes: non tamen actu, & in sui compositione eas continere, vt totum essentiale aut integrale, sed potentia: quod in eis insit potentia, vt informentur ijs differentijs, quibus particularia inter se distinguantur, & per eas ad actum & perfectionem trahantur. Vnde & vniuersalia tota quædam potentialia dicuntur ex relatione, quam habent ad sua paticularia.

Sed cùm duplex sit relatio aptitudinalis: vniuersalium vna, quæ fundatur in aptitudine essendi, qua propriè vniuersalia censentur: altera, quæ fundatur in aptitudine prædicandi, ex qua dicuntur prædicabilia: eodémque modo duplex sit actualis relatio, & quę fundatur in actu essendi, & quæ in actu prædicandi: quonam pacto vtriusque generis relationes naturis vniuersalibus conueniant, & ex quo tempore eis adueniant, existentiámve habeant, disquirendum est.

*Relationes aptitudinales perpetuo conuenire.*

Ac si de aptitudinalibus agitur, nobis sanè videntur illæ perpetuò conuenire, quemadmodũ & aptitudo essendi, ac prædicãdi, quas cuique naturæ communi cõuenire diximus, quatenus naturæ ordine contractionem sui antecedit. Si enim proximum fundamẽtum conuenit, & relatio etiam conueniat necesse est. At si sermo sit de actualibus, distinctione opus est. Nam actualis relatio essendi in pluribus, perpetuò conuenit ijs vniuersalibus, quæ vel ad essentiam suorũ particularium pertinent, vel essentias eorum necessariò consequuntur. Quo pacto animal & homo, & differentiæ, quibus vtrumque constituitur,

*Atémque actuales in iis, quæ ad essentiam pertinent, vel eas sequuntur necessariò.*



stituitur, & proprietates item, quæ ex eorum naturis emanant, perpetuò referuntur ad sua particularia, siue vtraque aut quædam eorum existant, siue nulla: quemadmodum & relationes idẽtitatis specierum in suis generibus, & diuersitatis ac differentiæ earum inter se perpetuo illis conueniunt: quòd æquè de non existentibus, atque de existentibus dicantur, vt alibi docuimus. Iis autem vniuersalibus, quæ contingenter de suis particularibus dicuntur: cuiusmodi sunt omnia, ac sola accidentia quinti prædicabilis, tum solum conuenit actualis relatio essendi in pluribus, cùm & ipsa plura existunt, & ipsæ quoque naturæ vniuersalium in eis inexistunt, aut quasi inexistunt: quo pacto tunc album aut sedere Sócrati & Platoni conueniunt, cùm & vterque existit, & in vtroque inexistit albedo & sessio. Actualis verò relatio prædicandi (passiuam intellige, siue prædicati) non conuenit vniuersalibus, nisi cùm illa de suis particularibus, ídque verè enunciantur: sumimus enim in tota hac materia de vniuersalibus prædicationem non pro alia, quàm pro vera de suis particularibus enunciatione.

*Lib. 4. ca. 2. & 7. sect. 8.*

*Non ita tamen res habet in iis, quæ contingenter adueniunt.*

Si verò de his relationibus, non quoad earum conuenientiam, sed quoad existentiam sit quæstio: cùm ea non possit esse realis, sed obiectiua tantùm (nam & relatio inessendi quinti prædicabilis rationis est, etsi sæpe formę ipsæ, à quibus fit denominatio, realiter inhæreãt) dicendum planè est, eas non existere, nisi interueniente operatione aliqua intellectus, siue præsente siue præterita. Quocirca illud animaduertendum est, huiusmodi relationes duobus modis obiici posse intellectui: vno formaliter, ac per se ipsas: altero fundamentaliter, vt dicitur, id est, obiectis tantùm earum fundamentis: quorum vtrumque bifariam quoque potest accidere, vel actu, vel habitu.

*Quid de existentia relationum dicẽdum.*

*Non nisi obiectiuè posse existere.*

*Distinctio.*

Formaliter quidem tum huiusmodi relationes actu obiiciuntur intellectui, cùm intellectus eas ipsas concipit: veluti cùm percipit, animal referri ad hominem & bestiam, vt genus ad suas species, seu vt prædicabile: aut prædicatum quidditatiuum ad ea, quæ specie differunt: habitu autem tum obiciuntur, cùm intellectus habitum eius cognitionis retinet. Atque hoc pacto vera est prima opinio de huiusmodi relationibus superiùs citata, quam Caietanus sequitur: neque enim, vt ipse tradit, aliud esse habent relationes rationis formaliter, seu per se ipsas, quàm intelligi, actu videlicet aut habitu. Contra quam sententiam nihil conficit argumentum illud, prius natura vnumquodque esse, quàm concipiatur: falsum enim id est, non solum in entibus confictis, sed etiam in negationibus & entibus rationis. Negationes enim & entia rationis, etsi per sua subiecta aut fundamenta existentiam aliquam habere possunt, antequam actu aut habitu concipiantur: per se ipsa tamen nullum habent, nisi cùm actu aut habitu concipiuntur: tametsi concipi non possunt sine suis aut subiectis aut fundamentis.

*Vt existant formaliter.*

*Vt habitu.*

*Caietani opinio quo sensu vera.*

*Entia rationis & negationes prius non sunt natura quam concipiãtur.*

Fundamentaliter autem tum obiiciuntur actu, cùm intellectus apprehendit eorum fundamenta siue res denominatas, sic enim accipi volumus hoc loco fundamenti nomen.

*Quando fundamentaliter obiiciantur actu.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



Nam si de relatione vniuersalium actuali sit quæstio, tùm solum ea fundamentaliter obiicitur intellectui, cùm intellectus vniuersale aliquid de suis particularibus enunciat: tum enim solum concipit extrema eius relationis. Neque obest si vniuersale non de omnibus particularibus enuncietur, sed fortasse de vno tantùm ex illis: semper enim prædicatum refertur ad subiectum actuali relatione totius potentialis, quandocumque verè alicui parti subiectæ inesse pronunciatur, etiam si tum non dicatur inesse cæteris. Nam potentia ad cæteras partes in caussa est, vt ea relatio alia nulla esse possit, quàm totius ad suam partem. De hac autem relatione, vera est secunda opinio de relationibus vniuersalium superius posita: & hoc pacto intelligendi sunt D. Thomas & Scotus, cùm ille ait, *relationem rationis esse tantum in apprehensione intellectus conferentis vnum alteri*: hic verò cùm scribit, *relationem vniuersalis fieri actu directo intellectus comparantis hoc ad illud*. Cùm autem ex affirmatione vnius de altero possit habitus, aut habitualis aliqua dispositio in intellectu relinqui, efficitur, vt actualis relatio vniuersalis ad sua particularia non solùm actu, sed etiam habitu fundamentaliter in eo possit existere.

*Qua sensu vera sit secunda opinio Scoti & aliorum.*

*Sect. 1.*

Quod si de relatione aptitudinali sermo fit, vtroque modo ea fundamentaliter obiicitur intellectui: & actu scilicet, nempe concepta præcisè re denominata: & habitu etiam, videlicet repræsentata præcisè re denominata in specie intelligibili, si veram de speciebus intelligibilibus sententiam retineamus. Atque hanc existentiam relationis vniuersalium confirmat ratio & fundamentum ex D. Thoma desumptum, quod tertiæ & quartæ opinionibus commune est. Nam cùm primùm natura communis abstracta est siue per conceptum, siue etiam per speciem intelligibilem: tum primùm intellectui obiicitur res, quæ à relatione aptitudinali denominatur: actui quidem, cùm abstractio fit per conceptum: habitu verò, cùm fit tantùm per speciem.

*De relatione aptitudinali explicatur quo pacto existat obiectiuè.*

*Sect. 1.*

*Dilauntur quædam obiecta.* SECTIO IIII.

*Obiectio prima.*

SED contra hæc illud in primis obiici potest. Si vniuersalia in ipso etiam conceptu simplici, aut specie intelligibili referuntur ad sua particularia: cùm fieri possit, vt eorum particularia non simul intellectui obiiciantur: fore, vt dentur correlatiua rationis, quæ non simul existant, ac proinde non sint simul natura: quod æquè absurdum videtur in genere correlatiuorum rationis, atque in realibus.

*Soluitur. Conditio relatorum, vt sint simul natura, quomodo intelligenda.*

*Quæstio. 4. sect. 4.*

Hæc obiectio ex iis, quæ ad caput 15. huius libri tradidimus, dissolui potest. Diximus enim cum Diuo Thoma, conditionem illam relatiuorum, vt simul natura sint, communem quidem esse correlatiuis omnibus, cùm mutuis, siue realibus, siue rationis, tum etiam non mutuis: quorum alterum reale est, alterum rationis.

Verum non ita intelligendum esse, vtraque se inuicem ponere ac tollere, quasi existente vno, necesse sit alterum existere, aut vno sublato alterum tollere: sed ita, vt cùm relatio vnius vni extremo conue



conuenit, altera quoque alteri extremo conueniat: sin vna non conuenit, nec conueniat altera: siue vtraque existat, siue altera tantùm, siue etiam neutra. Nunc autem ita se res habet, vt quandocumque relatio totius vniuersalis cõuenit naturæ vniuersali, simul etiam relatio partis subiectæ conueniat omnibus eius particularibus: siue vtraque obiectiuè existat, siue altera tantùm, siue etiam natura. Relatio enim aptitudinalis, cum necessariò conueniat, perpetuò conuenit, nec solùm ex eo tempore, quo natura vniuersalis concipitur, aut in specie intelligibili repræsentatur.

*Quæst. vnica.*

*Alia obiectio.*

Illud etiam obiici potest, Scotum planè sentire, relationes rationis non esse in memoria, vt patet ex iis, quæ scribit ad distinctionem 45. primi Sententiarum. Quare, cùm intellectus sola specie intelligibili informatus memoriâ dicatur, non esse cur Scotum in nostra quoque sententia fuisse existimemus: cùm dicimus, vniuersalia in ipsis etiam speciebus intelligibilibus ad sua particularia referri.

*Solutio & explicatur Scotus.*

Verum Scotus intelligi potest de existentia formali relationum, qua nimirum ipsæ per se, & non per sua fundamenta dumtaxat, obiiciuntur intellectui. Hoc enim pacto conceptu aliquo opus est, vt relationes rationis obiiciantur intellectui, cùm nullæ sint propriæ ac peculiares species intelligibiles entium rationis.

*Tertia obiectio.*

Denique illud absurdum, & contra communem Dialecticorum sententiam ex dictis videtur sequi, relationem vniuersalium ad sua particularia, & vicissim particularium ad sua vniuersalia non esse numerandas in secundis intentionibus: veluti relationem generis ad suas species, & specierum ad suum genus. Diximus enim, relationes aptitudinales vniuersalium ad particularia, & particularium ad vniuersalia semper conuenire rebus denominatis, etiam antequam obiiciantur intellectui. At secundæ intentiones, si vera sunt quæ diximus ad cap. 7. huius lib. non solùm non existunt obiectiuè, sed ne conueniunt quidem rebus denominatis, nisi cùm ab intellectu modo aliquo tractantur: quandoquidem ea ipsa ratione rebus conueniunt, quia ab eo tractantur.

*Quæst. 6. sect. 5.*

*Solutio.*

Sed hæc obiectio nihil contra secundarum intentionum explicationem à nobis traditam, veram Dialecticorum sententiam conficit. Fatemur enim sine absurditate vlla, relationes aptitudinales vniuersalium ad particularia, & particularium ad vniuersalia: veluti generis ad speciem, & speciei ad genera, non esse numerandas in secundis intentionibus, sed actuales tantùm: vt prædicati ad subiectum, & subiecti ad prædicatum. Nisi quis rationem secundarum intentionum velit extendere ad ea, quæ conueniunt rebus: non solum quia modo aliquo ab intellectu tractantur, sed etiam, quia tractari possunt, eáque ipsa ratione quia tractari possunt, quo pacto relationes omnium vniuersalium ad sua particularia, & particularium ad sua vniuersalia possunt esse secundæ intentiones, si vniuersalia & particularia sumantur non quatenus vniuersalia & particularia sunt: sed quatenus prædicabilia & subiicibilia: nihil enim dicitur prædicabile, aut subiicibile,

*Non esse in secundis intentionibus numerandas relationes aptitudinales vniuersaliũ.*

nisi

niſi quatenus operatione intellectus in enunciatione prædicari, aut ſubijci poteſt. Quoniam igitur de vniuerſalibus, quatenus relatiua ſunt, quod ſatis erat, & fortaſſe plus, quàm foret, diſſeruimus, iam, quo pacto vniuerſale ipſum in ſuas ſpecies, aut quaſi ſpecies diuidatur, explicemus.

Sed cùm hac in re duo ſint dubia: vnum, ſitne diuiſio adæquata: alterum, an vniuerſale veram generis rationem habeat: vtrúmque diſcutiamus.

## AN DIVISIO VNIVERSALIS IN QVINque eius vulgatas ſpecies adæquata ſit.

### QVAESTIO IX.

*Diuiſionem videri inadæquatam.* SECTIO I.

*Non eſſe quinque vniuerſalia, ſed pauciora probatur.*

NON eſſe hanc diuiſionem adæquatam, ſed vel deficere vel ſuperare, haud leuia argumenta confirmant.

Pauciora enim eſſe membra, quàm quinque, primùm quidem ex proprietate vniuerſalium videtur colligi, hoc eſt, ex aptitudine ad prædicationem. Tria enim tantum eſſe prædicabilia, ex ternario prædicatorum numero, quæ ab Ariſtotele in Topicis traduntur, Proprij, Generis, & Accidentis, concludi videtur. Nam cùm nihil prædicabile dicatur, niſi quòd prædicatum eſſe poteſt: ſi tria tantùm prædicata ſunt, non plura ſanè quàm tria prædicabilia dicenda erant. *Libr. primo cap. 3.*

*Secundo.* Deinde ex iis, quæ Ariſtoteles tradit in primo libro de Partibus animalium: *Eorum*, inquit, *quæ ratione vniuerſali nullam differentiam recipiunt, alia analogia, alia genere, alia ſpecie rationem communitatis complent.* Ex quo loco vel tria vniuerſalium genera colligimus: vel ſi analoga reiiciamus, quod non ſint verè ac propriè vniuerſalia, duo tantum membra diuiſionis ſuperſunt, generis, inquam, & ſpeciei, quæ in veris vniuerſalium formis numerari debeant. *Cap. 5.*

*Tertio.* Denique ex differentia proprij & communis: cùm enim proprium ſit, quod vni tantùm conuenit: commune autem, quod pluribus tribuitur, commune autem & vniuerſale idem ſint, fieri non poſſe videtur, vt proprium in ſpeciebus vniuerſalis numeretur. *Secundò.*

*Plura eſſe quàm quinque probatur. Prima ratio.*

Contra verò in plura membra, quàm in quinque vulgata diuidendum eſſe vniuerſale, his rationibus oſtendi videtur. Primum, quia quemadmodum aptitudo ad prædicationem de differentibus ſolo numero diſtinguit ſpeciem à genere, quod prædicatur differentibus ſpecie: ita etiam diſtinguere debet differentiam ſpecialem à generali, & proprium item, ac accidens ſpecialia à generalibus. Quare cùm genus & ſpecies ponantur duæ ſpecies vniuerſalis: erunt præter eas ſex aliæ ponendæ, quæ cùm illis octonarium numerum conficiant.

Deinde, quia etſi demus, ea, quæ prædicantur in quæſtione Quid eſt, eodem modo referri in omnibus prædicamentis ad ea, de quibus ſic prædicantur: itémque omnia, quæ prædicantur in quæſtione



ſtione Quale eſt ſecundum eſſentiam (omnia enim eodem modo videntur dici de iis, ad quorum quidditatem eſſentiámque pertinent) tamen ea, quæ in diuerſis prædicamentis dicuntur in quæſtione Quale eſt ſecundum accidens, non eodem modo reſpiciunt ſubiecta: alia enim dicuntur in quæſtione Quantum eſt: alia in quæſtione Quale eſt peculiari & propria qualitatis: alia in quæſtione Ad quid refertur, & ſic in cæteris. Sunt enim hæ prædicandi rationes primò diuerſæ inter ſe, cùm non conueniant ſecundum eſsentiam in ratione aliqua vniuoca prædicandi de iis, quibus accidunt. Quòd ſi ita eſt, multò plures prædicabilium vniuerſaliúmque ſpecies emergunt ex diuiſione proprij & accidentis, quæ in prædicamenta accidentium diſtribuantur.

*Tertia.* Tertio, quia alia quædam videtur eſse prædicabilia, quæ in quinque vulgatis non comprehendentur: vt definitiones, & quæ vaga indiuidua dicuntur: vt animal rationis particeps, & quidam homo. Quod enim verè ſint prædicabilia & vniuerſalia, ex eo probatur, quia ratione eadem dicuntur de pluribus.

*Eſſe tamen re vera adæquatam.* SECTIO II.

*Pars affirmatiua quæſtionis explicatur.*

PRo huius rei explicatione illud intelligendum eſt, non quæri à nobis hoc loco, ſitne ita adæquata vniuerſalium diuiſio in quinque vulgatas ſpecies, vt ſub vniuerſali nulla ſit alia ſiue ſuperior ſiue inferior ſpecies: quaſi quæreremus, num quinque vulgatæ ſpecies & proximè diuidant vniuerſale, & ipſæ etiam in alias ſpecies diuidi nequeant: improprius enim hic eſt, & inuſitatus propoſitæ dubitationis ſenſus: ſed quærimus, num plures, pauciorésve ſint ſpecies vniuerſalis ſibi inuicem oppoſitæ, ſiue, vt ita dicam, contrà diuiſæ: licet aliæ fortaſſe ſub vniuerſali ſuperiores ſint, inferiorésve. Quo pacto quæri ſolet, num diuiſio qualitatis in quattuor vulgata genera ſit adæquata: etſi conſtet, alia quamplurima eſſe inferiora genera, & forſitan aliquis contendat, alia eſſe ſuperiora. Eodem modo quærunt Philoſophi, num corpora ſimplicia, ex quibus: vt primis partibus, conſtat. Mundi machina, adæquatè diſtribuantur in quinque, an verò ſint quatuor tantum, quæ vulgo elementa dicuntur, quamuis, ſi quinque ſunt, nihilominus quintum corpus in alias corporis ſpecies diuidatur. *Senſus quæſtionis.*

*Vnde colligetur, adæquatam eſſe diuiſionem.*

Dicendum igitur, ex quattuor diuiſionibus, quæ in re hac vſurpari ſolent (nempe eorum, quæ prædicantur, in ea, quæ neceſsariò & contingenter dicuntur: in ea, quæ eſsentiali prædicatione, aut accidentaria: in ea, quæ in quæſtione Quid eſt, aut Quale eſt: in ea, quæ differunt ſpecie, aut ſolo numero: quarum tres ſumuntur ex modo prædicandi: quarta ex differentia eorum, de quibus fit prædicatio) haud obſcurè colligi, adæquatam eſſe propoſitam diuiſionem. Nam variè coniunctis inter ſe membris diuidentibus, quinque tantùm fiunt ſpecies vniuerſalis, quæ totam vniuerſalis aptitudinem exhauriunt: tametſi aliquis contendat, alias eſse ſuperiores ſub vniuerſali, aut inferiores. Vniuerſale enim aut prædicatur neceſsariò de ſuis particularibus, aut

*colligitur numerus vniuerſalium.*

non necessariò, siue contingenter: si contingenter, est accidens si necessariò, aut prædicatur essentiali prædicatione, aut accidentaria: si accidentaria, est proprium: si essentiali, aut prædicatur in quæstione Quid est, aut in quæstione Quale est: si in quæstione Quale est, differentia dicitur: si in quæstione Quid est, aut prædicatur de iis, quæ differunt specie, aut de iis, quæ solo numero: si de iis, quæ solo numero, est species: si de iis, quæ specie, est genus. Sunt igitur quinque species vniuersalis, quæ ordine conuerso numerantur genus, species, differentia, proprium, & accidens.

*Altera colligendi ratio.*

Idem colliges sumpto initio à secunda diuisione hoc modo vniuersalia, aut essentiali prædicatione dicũtur, aut accidentaria: si essentiali, aut in quæstione Quid est, aut in quæstione Quale est: si in quæstione Quid est, aut sunt genera: si de differentibus specie dicantur, aut species, si de solis differentibus numero: si verò in quæstione Quale est, sunt differentiæ: quod si accidentaria dicuntur & necessaria, sunt propria: si contingenti, accidentia.

*Tertia forma colligendi.*

Qui ex tertia quoque diuisione inceperit, idem efficiet. Aut enim vniuersale prædicatur in quæstione Quid est, aut in Quale est: si in quæstione Quid est, ac de differentibus specie, genus est: si de differentibus solo numero, species: quod si in quæstione Quale est, aut essentiali prædicatione aut accidentaria: si essentiali, differentia est: si accidentaria, aut necessaria aut contingenti: quo pacto, aut est proprium, aut accidens.

*A Porphyrio etiam quartam colligendi rationem iniri potuisse.*

Porphyrius quidem à quarta etiam inchoare potuit, qui in Isagoge, differentias & accidentia omnia, queadmodum & genera de differentibus specie prædicari docuit: propria verò æquè, ac species de differentibus solo numero. Qua verò ratione nec de differentiis & accidentibus specialibus, nec de propriis generalibus loquutus sit, eius interpreres explicare solent. Nos certè, qui omnes vniuersalium formas complecti volumus, à quarta diuisione inchoare non possumus nisi differentias, propria, & accidentia in generalia & specialia, quasi in species diuidamus. Vniuersalia enim si de differentibus specie dicuntur, aut in quæstione Quid est prædicantur, & sunt genera: aut in quæstione Quale est, & sunt differentiæ generales, si dicantur essentialiter: aut propria generalia, si dicantur accidentaliter & necessariò: aut accidentia generalia, si accidentaliter & contingenter: si verò de differentibus solo numero, aut sunt species, si prædicentur in quæstione Quid est: aut differentiæ speciales, si prædicentur in quæstione Quale est, & secundum essentiam, aut propria specialia, si in quæstione Quale est accidentaliter & necessario: aut accidentia specialia, si in quæstione Quale est accidentaliter & contingenter. Quo pacto etsi non quinque tantùm vniuersalium formæ, sed octo colliguntur: semper tamen adæquata est diuisio in quinque vulgatas, quod differentiæ generales & speciales sub differentia: propria verò & accidentia generalia & specialia, sub propria & accidente comprehendantur.

*Quo pacto octo Vniuersalia colligi possint.*

Quærat aliquis, cur non vsi nmus hoc loco diuisione eorum, quæ prædicantur, in ea quæ prædicantur incompletè, & quæ incompletè

*Vt à Boetio in Isagoge Porphyrij ad capi. de Specie. Alb. ibidem tract. 2. ca. 9. Scoto ibid q. 12. & 27. & Aegidio ibid. ad cap. de Genere.*



tè: præsertim cùm à grauibus Auctoribus Boetio, Alberto Magno, Scoto, Aegidio, & ferè recentioribus vsurpetur.

Sed respondendum, propterea id factum à nobis non esse, quia diuisio hæc, etsi est vtilis ad distinguenda prædicabilia, quæ dicuntur essentialiter, & meritò vsurpari solet in distinguendo genere ab specie, vt inferius [a] patebit, tamen non complectitur omnia vniuersalium genera, vt complectuntur quatuor iam dictæ diuisiones. Id enim dicitur prædicari completè, quod totam naturam particularium apertè significat: quo pacto sola species infima prædicatur de suis individuis: id verò prædicari incompletè, quod apertè non significat totam, sed partem: quo pacto sola genera & differentiæ specierum effectrices prædicantur siue de speciebus, siue de individuis, vt perspicuum est. Nam propria & accidentia nec completè prædicantur, neque incompletè, cùm neque totam naturam particularium, nec partem eius apertè significent: tametsi totam non modo communem, sed etiam particularem innuunt, siue implicitè significant: alioqui de illis non prædicarentur. Itaque non possent membra huius diuisionis cum quatuor prædictarum membris complicari ad omnia vniuersalium genera colligenda, nisi eis adderemus membrum tertium: eorum scilicet, quæ nec completè neque incompletè prædicantur: quo pacto propria & accidentia de suis partibus subiectiuis dicuntur. Verùm aucta hoc modo diuisione proposita, & obscurior fieret vniuersalium collectio, & non alia genera vniuersalium, quàm quæ dicta sunt, colligerentur.

[a] *quæst. 12. sect. vltima.*

*Prædicari complete & incomplete quid dicatur.*

*Solutio argumentorum, quæ contra proposita sunt.*

## SECTIO III.

*Soluitur primum eorum, quibus pauciora suadebantur.*

NEc verò cogunt nos argumenta initio proposita, vt eam inadæquatam dicamus. Nam primum eorum, quibus pauciores species ponendæ videbantur, facilè diluitur explicato instituto Aristotelis in loco citato, quod non est aliud, nisi tradere communes locos, quibus argumenta Dialectica eruantur. Et quia loci, ex quibus tractatur quæstio generis, inseruiunt tractandis quæstionibus speciei & differentiæ propter eorum cum genere affinitatem: voluit Aristoteles initio eius libri in enumerandis prædicatis Dialecticis species & differentias ad prædicatum generis reuocandas.

*Secundum duobus modis soluitur.*

Alterum argumentum duobus modis dissolui potest. Vno, sola vniuersalia completa, vniuersalium nomine eo loco intelligenda esse: proinde non mirum, si differentiæ omissæ sunt: propria verò & accidentia, etsi quatenus propria & accidentia sunt, non fuerunt commemorata: non fuisse tamen omnino prætermissa, cùm alia ratione aut genera, aut species esse possunt, nempe, quia ad sua inferiora referuntur. Altero vniuersale presse accipi eo loco, nempe pro iis, quæ vniuoca & essentiali prædicatione dicuntur: at genus & speciem latè: genus quidem pro iis, quæ vniuoca & essentiali prædicatione de differentibus specie prædicantur, species verò pro iis, quæ eodem prædicationis genere dicuntur de differentibus solo numero: hoc enim pacto differentiæ generales, generis nomine comprehendi potuerunt, & speciei nomine speciales.

*Tertium. Proprium & commune opponi ex vi nominis, non semper tamè re ipsa.*

Denique tertium sic diluitur. Proprium & commune ex vi nominis opponi inter se, vt rectè probatum est, re autem ipsa aliquando non opponi. Nam etsi proprium, quod vni tantùm singulari conuenit, commune non sit & vniuersale, id tamen, quod vni tantùm communi tribuitur, pluribus singularibus conuenire potest, ac proinde vniuersale esse. Huiusmodi autem est proprium, quod in speciebus vniuersalis numeratur: tametsi neque hoc modo vniuersale est, quatenus ad id vnum refertur, cuius est proprium, vt inferius patebit.

*Soluuntur ea, quibus plura vniuersalia videbatur ostendi.*

Primum verò eorum, quibus videbantur plures species constituendæ, nihil contra adæquationem propositæ diuisionis facit. Nam etsi daremus, differentiam, proprium, & accidens in alias deinde species subdiuidi (de qua re inferius agendum est) non tamen inde concluderetur, plures esse species vniuersalis contra diuisas inter se, inferiora enim non faciunt numerum, cum suis superioribus, ac proinde eis haud contra diuiduntur.

*Primum.*

*Quæst. sequenti. Vide quæst. seq sect. 3. solut. ad vltimum.*

*Secundum.*

Eodem modo respondendum est ad secundum, quod contendebat vnum tantum esse specie proprium, neque vnum tantum accidens specie.

*Tertium.*

Ad tertium dicendum est, definitionem etsi ex æquo dicatur de pluribus, non tamen numerari in prædicabilibus seu vniuersalibus, quia complexum est quiddam. Qui enim prædicabilia in quinque genera distribuunt, non de complexis, sed de incomplexis loquuntur. Adde, quod definitio non dicitur ratione eadem prædicari de pluribus, sed ipsa est ratio, secundum quam definitum de pluribus prædicatur. Definitionis enim, seu rationis huius vel illius non datur alia definitio, siue ratio, sed datur definitum. Numeratur tamen in Topicis inter prædicata seu prædicabilia Dialectica, quemadmodum & descriptio, quæ propriorum quoddam genus est Dialectici non excludunt prædicata complexa, sed omnia admittunt, de quibus, & ex quibus disputatio esse potest: tametsi non admittunt in prædicamentorum ordines, nisi quæ incomplexa sunt, vt prima elementa disserendi tradant.

*Prædicabilia debere esse incomplexa.*

*Indiuidua vaga an eadem ratione prædicentur. Caietanus affirmat.*

Quod verò attinet ad indiuidua vaga, sunt qui asserant, illa eadem ratione prædicari de pluribus, vt quemdam hominem de singulis hominibus, proinde esse vniuersalia, cum determinatis indiuiduis collata. Aiunt enim, hoc, quod dico, quidam homo, non significare formaliter, nisi naturam humanam cum modo particulariter existendi: etsi autem differentiæ indiuiduantes, quibus natura humana particulariter existit, non conueniunt inter se ratione eadem: ipsum tamen modum particulariter existendi eadem ratione conuenire omnibus hominibus. Quocirca potuisse quidem indiuiduum vagum explicari à Porphyrio inter alia prædicabilium genera: sed tamen prætermissum fuisse in explicatione, quia non fuerat numeratum in præfatione.

*Caiet in Isagog. Porphy. ad cap. de Specie, & alij.*

*Sed refellitur tamen.*

Hæc tamen sententia non placet. Primùm, quia indiuiduum vagum non significat modum existendi, sed modum essendi: quemadmodum species vaga (licet enim ita loqui) vt quidam color: aut genus vagum, vt quædam qualitas (sumpta particularitatis nota, vt significat partem subiectam

*Primo.*



subiectam specialem aut generalem) non significant existendi modos, sed essendi: dicuntur enim ista omnia non de existentibus tantùm, sed etiam de non existentibus: habentibus tamen particularem essendi modum.

*Secundo*

Deinde, quia si per modum existendi intelligunt modum essendi, ostendere eos oportet, quo pacto is verè fit vniuocus, & qui abstrahi possit à singulis modis essendi eiusdem, vt volunt, rationis. Nam etsi natura humana, quæ est in singulis hominibus contracta, abstrahi potest à naturis singulorum, modus tamen, quo ipsa particulatim est in singulis hominibus, à singulis modis particulatim essendi in illis abstrahi non potest.

*Tertio Indiuiduum vagum non esse natura sua aptum vt prædicetur.*

Tertio, quia indiuiduum vagum non est natura sua aptum, vt prædicetur, sed vt subijciatur. Constat enim voce ex natura communi, & signo particulariatis, quod non prædicato, sed subiecto adhibetur: quemadmodum nec signum vniuersalitatis, vt Aristoteles tradit in priori libro de Interpretatione. Si quando autem libeat indiuiduum vagum de subiecto aliquo enunciare: vt si dicas, Socratem esse aliquem hominem: tum signum particulare fit pars prædicati, redditque illud complexum, vt propositi exempli sensus sit, Socratem esse hominem particularem: complexa autem non numerantur in vniuersalibus, de quibus in Prædicamentis agitur.

*Quarto.*

*Indiuidua. vaganè posse notari signo vniuersali*

Accedit, quod quicquid vniuersale est, notari potest & vniuersalitatis, & particulariatis signo: cum & copulatiuè coniunctimque pro omnibus suis particularibus, & disiunctiuè ac disiunctim pro hoc aut illo accipi possit. At quidam homo, & cætera vaga indiuidua notari non possunt huiusmodi signis. Nemo enim dicat, omnem quemdam hominem, aut quemdam aliquem hominem esse hoc aut illud. Vnde coliges, aliud esse dicere particularem hominem, aliud quemdam hominem: cùm hoc prædictis signis notari non possit, illud autem aptè eis notetur. Rectè enim dicimus, omnem hominem particularem esse animal, & aliquem hominem particularem esse Grammaticum. Ita non est, cur vaga indiuidua numerentur inter vniuersalia.

*a Vt Ammonius, & Boetius ad definitionem generis apud Porphyr. Simplic. ad definitionem æquiuocorum in prædicam. Albert. ibid. tract. 2. cap. 9. Auic. in sua Logica. c. 7. Clypeus Thomist. q. 16. b Scot. in Porphyr. q. 8. Tartare. in Prædicabilib. q. 2. & alij.*

## SIT NE VNIVERSALE VERVM GENVS comparatione quinque vulgatarum eius specierum.

## QVÆSTIO V.

*Oppositæ vt videntur, sententiæ* SECTIO I.

*Negantem partem veteribus placuisse. Affirmantem Scoto.*

IN hac quæstione, quæ qualitatem propositæ diuisionis spectat, opponi videntur graues Auctores. Nam Græci [illegible], & ex Arabibus Auicenna, atque ex Latinis Boetius, Magnus Albertus, & ferè D. Thomæ sectatores sentiunt, vniuersale non esse verum genus quinque vulgatarum specierum, quæ illi tribuuntur: Scotus[b] verò, eiusque doctrinæ studiosi, alique ex recentioribus verum genus esse volunt.

*Probatur vnico argumento.*

Scoti ratio hæc vna est, quia vniuersale eodem nomine eadémque ratione dicitur de genere & cæteris quatuor contra diuisis speciebus: nulla enim definitio de vniuersali traditur, quæ non æquè omnibus conueniat. Quòd si vniuersale nomine eodem, eadémque ratione dicitur de singulis (quod est vniuocè) non dubium est, quin de iis dicatur, vt genus de suis speciebus: quandoquidem constat, non dici de illis vt speciem de suis indiuiduis, aut, vt differentiam de iis, quæ sub specie à se constituta collocantur, aut denique vt proprium, accidénsve de suis subiectis.

*Pro parte negante tria argumenta.*

*Primum.*

Aliorum autem sententiæ tria potissimum existunt argumenta. Vnum, quia vniuersale, quatenus vniuersale est, non dicit actum, sed aptitudinem: vnde & per aptitudinem, vt insit, aut vt prædicetur, definiri solet: aptitudo autem, quam dicit, aut est negatio repugnantiæ, aut modus essendi potentialis, quem sequitur eiusmodi negatio, vt suprà explicatum est: quorum neutrum veram generis rationem habere potest; negationes enim non entia quædam sunt: *non entis autem*, vt inquit Aristoteles extremis pænè verbis quarti Topicorum libri, *nullæ sunt species omnino.* Vnde & primo libro de Partibus animalium fic ait: *Priuationis, qua priuatio est, nulla est differentia. Non enim*, inquit, *fieri potest, vt vlla sit species non entis, vt impedati aut impennati.* Quæ omnia rectè dicuntur ab Aristotele: genus enim omne, ac species, & differentia essentiam habeant necesse est: cùm in essentiis rerum particularium, de quibus essentialiter dicuntur, contineantur, neque id, quod est, ex eo, quod non est, constare possit. Modi autem essendi, si puri sunt (qualis esse debet aptitudo essendi in pluribus) cùm etiam non sint, sed modi essendi tantùm, neque essentiam vllam componere possunt, vt genera dicantur, neque ex essentia vlla componi: alioqui essentiæ quædam essent, ne essentia ex non essentiis constaret, & ens ex non entibus.

*Negationes generis & species esse possint.*

*Quæst. 4. sect. 2.*

*Priuationis & non entis nullæ sunt species.*

*Cap. 3.*

*Modos essendi purùs non posse.*

*Secundum argumentum.*

Alterum argumentum est, quia vniuersale, quatenus vniuersale est, non ex æquo dicitur de quinque vulgatis speciebus, sed analogicè quod ex vtraque eius definitione colligi potest. Si enim vterque actus, & quo prædicatur de pluribus, & quo ineſt pluribus, analogicè dicitur: non dubium, quin vtraque aptitudo, ac proinde vtraque definitio analogicè dicatur.

Primum quidem, quia prædicatio vniuoca, quæ in ea definitione intelligitur, est analoga prædicationi essentiali & accidentariæ. Nam prædicatio essentialis dicitur simpliciter vniuoca: accidentaria verò non nisi secundum quid, vt doctè annotauit Caiet. in explicanda definitione vniuocorum ab Aristotele tradita. Quocirca numquam Aristoteles (quod equidem meminerim) nomine vniuocæ prædicationis accidentariam complectitur, sed potius in prædicamentis, cùm de substantia disserit, apertè negat, accidentia, quæ in nouem posterioribus prædicamentis ponuntur, dici de substantiis nomine & ratione, quod est vniuocè. Et initio ferè secundi Topic. perspicuè opponit vniuocæ prædicationi, qua prædicantur genera, species, & differentiæ, prædicationem denominatiuam qua prædicantur propria & accidentia.

*Nomine prædicationis vniuocæ apud Aristotelem solam essentialem intelligi.*

*Cap. 2.*



dentia. Ratio verò huius rei est, quia quæ prædicantur denominatiuè, quamquam prædicantur nomine: si tamen absolutè ac simpliciter loquendum est, non prædicantur ratione: eo quod in his ratio prædicati non est ratio subiecti, vt in 1. libr. Prædicamentorum explicari solet. Deinde: quia ratio seu definitio, quæ in conceptu prædicationis vniuocæ continetur, analoga est definitionibus substantiarum & accidentium, vt Aristoteles latè docet septimo libro huius operis, immo etiam definitionibus rerum, quæ in diuersis quibúsque prædicamentis ponuntur. Quocirca Boetius in exponenda definitione æquiuocorum, eodémque loco Simplicius ex Iamblico, affirmant genus summum dici æquiuocè seu non vniuocè de decem summis generibus, neque alia ratione: nisi quia ratio seu definitio non vniuocè, sed analogicè rebus diuersorum prædicamentorum conuenit. Postremò quia prædicationes vulgatarum specierum vniuersalis non conueniunt vniuocè inter se: minus enim conuenit prædicatio accidentalis cum prædicatione essentiali, quàm prædicationes accidentales inter se, vt est luce clarius: at hę, etiamsi prædicatorum realium sint, non conueniunt vniuocè, sed analogicè tantùm, cùm per has distingui soleant à posteriori accidentium prædicamenta.

*Ca. 4. tex. 14 & ca. 1. text. 19.*

*Ratio. Denominatiua non prædicari ratione propriè dicta.*

*Actu essendi in pluribus non esse vniuocum.*

De actu autem, quo vniuersale pluribus ineſt, idem probari potest totidem argumentis. Nam cùm modus essendi in pluribus sit fundamentum, & adæquata causa modi prædicandi de pluribus, si modus prædicandi quo vniuersalia dicuntur de pluribus, non vniuocus est, sed analogicus, & ipse modus essendi in eisdem, analogicus sit necesse est.

*Tertium argumentum principale. An sub vniuersali dentur species subalternæ.*

Tertium argumentum est, quia si differentię omnes, quibus quinque vulgatę vniuersalium species constituuntur, & inter se distinguuntur, sunt specierum effectrices, pauciores earum constituent alias species superiores sub vniuersali, quod idem accidit in differentiis, quibus homo constituitur. Nam quia corporeum, animatum, sensitiuum, & rationale cum substantia constituunt hominem: ideirco sola prima cum substantia constituit corpus: addita verò secunda, constituit corpus animatum seu viuens: addita autem tertia, constituit animal. Sic ergo cùm genus definitur, vniuersale, quod prædicatur necessariò, essentialiter, in quæstione Quid est de differentibus specie, aut (si analis) incòpletè, sanè vniuersale, quod prædicatur, necessariò erit vna species sub vniuersali: quod autem prędicatur necessariò & essentialiter, erit alia species huic subiectæ: quod denique prædicatur necessariò, & essentialiter, & in quæstione Quid est, erit alia inferior species quæ solum genus & speciem complectatur. At si hoc damus, miram facimus confusionem in speciebus vniuersalium. Licebit enim pari ratione cõstituere alias interiectas species inter differentiam, proprium, & accidens, & ipsum vniuersale, quæ cum prædictis intermediis cohærere non possint. Vnam eius, quod prędicatur in quæstione Quale est, quæ sit superior differentia proprio accidente: alteram eius, quod prædicatur accidentaliter, quæ sit huic quidem subiecta, superior autem proprio tantùm & accidenti. Quo dato, quæram, num vniuersale, quod prædicatur

catur necessariò, sit superius aut inferius, eo quòd prædicatur in quæstione Quale est, an verò ab eo disparatum. At non potest dici disparatum, quia quædã prædicantur in quæstione, Quale est, quę prædicantur necessariò: & quædam vicissim prædicantur necessariò, quæ prædicantur in quæstione Quale est. Nec verò potest dici superius aut inferius, quia neque omne vniuersale, quod prædicatur in quæstione Quale est, prædicatur necessariò: neque omne, quod prædicatur necessariò, prædicatur in quæstione Quale est. Eodémque modo quæram, num vniuersale, quod prædicatur necessariò, sit superius aut inferius eo, quod prædicatur accidentaliter, an potius ab eo disparatum, quorum similiter neutrum dici potest. Nam aliquod vniuersale prædicatur necessariò, quod prædicatur accidentaliter, & vicissim aliquod accidentaliter, quod necessariò: nec tamen quicquid prædicatur accidentaliter, prædicatur necessariò: aut quicquid prædicatur necessariò, prædicatur accidentaliter. Demum quæram, num vniuersale, quod prædicatur essentialiter, sit superius aut inferius eo, quod prædicatur in quęstione Quale est: an potius dicendum sit, esse ab eo disparatum, cùm nihil horum dici posse eodem modo colligatur.

*Refellitur superioris argumenti occupatio.*

Nec satisfaciet, qui dixerit, has quidem differentias ex modo prædicandi sumptas, non esse specierum effectrices, sed eas, quæ sub eis latent ad modum essendi spectantes. Nam præterquam quod hæc responsio nullam vim habet, sumpto vniuersali, vulgatísque eius speciebus, quatenus prædicabilia sunt: par ratio confusionis cernitur in speciebus interiectis, si quærantur latentes earum differentiæ pertinentes ad modum essendi, atque sumptis iis, quæ ad modum prædicandi spectant eodem enim modo probari potest, eas certum aliquem inter se ordinem habere non posse.

*Quid sentiendum in hac quæstione.* SECTIO II.

*conciliantur explicatæ sententiæ.*

SI quis tamen conciliandi varias multorum sententias studiosus fuerit, vtrosque Auctores rectè sentire haud difficilè ostendet, Scotus enim, & qui eum sequuntur, rectè videbuntur dixisse, si loquuti sunt de vniuersali, eiúsq; speciebus, quatenus relatiua sunt formaliter, Nam cùm genus, species, & cætera tria referantur ad sua particularia relatione quadam rationis, quæ est relatio totius ad partes subiectas: relatio autem quælibet sit quædam entitas: non dubium videtur, quin ex relationibus omnium generum abstrahi possit entitas quædam communis, in qua omnes eiusmodi relationes conueniant, quatenus sunt relationes generum ad suas species: eodémque modo ex relationibus omnium specierum ad sua indiuidua, alia communis entitas, & sic ex cæteris: ac demum ex communi relatione generis, in qua conueniunt genera omnia, & ex communibus relationibus cæterorum quattuor, vna quædam generalis entitas, in qua conueniant omnia vniuersalia, quatenus sunt vniuersalia.

*Vniuersale vt relatiuũ est, formaliter esse vniuocum.*

*Fundamentaliter acceptum non esse.*

At cæteri omnes, qui asserunt vniuersale non esse re vera genus, non loquuntur de vniuersali eiúsque vulgatis speciebus, quatenus relatiua



ua sunt formaliter, sed fundamentaliter tantum: quæ est propria & Germana consideratio cuiusque vniuersalis, quatenus vniuersale est, id est: vnum quid aptum, & vt sit in multis, & de multis dicatur. Quemadmodum sæpius diximus, propriam & Germanam considerationem caussæ, vt caussa est, non esse quatenus refertur ad effectum, & est cum illo simul natura, sed quatenus habet aliquam rationem caussandi respectu illius, in qua relatio caussæ fundatur, quæ caussandi ratio consistit in eo, vt ab illa pendeat effectus tamquam ab eo, quod prius natura est, vt patet ex iis, quæ ad caput 2. explicata sunt.

*Lib. 1. c. 7. q. 1. sectio 3. & hoc eodem c. q. 1 sect 2. Quæst. 12. sect 3.*

Nec videtur magis cum ratione pugnare, relationem vniuersalis ad particulare esse vniuocam relationi generis & cæterorum: & tamen vnitatem & aptitudinem, in quibus fundatur esse analogã diuersis vniuersalibus: quàm relationem realem caussæ ad effectum vniuocam esse specialibus caussæ relationibus sub se contentis, & speciẽ esse quamdam prædicamentalium relationum, etiam si caussandi ratio in commune, in qua illa fundatur, non sit vniuoca, sed analoga diuersis caussarum generibus, vt omnes concedunt.

*Non obstare fundamenti analogiã relationis vniuocationi.*

Quocirca si simpliciter & absolutè loquamur, résque ad viuum resecetur, dicendum est, vniuersale nõ esse genus quinque vulgatarum eius specierum, sed analogum quid respectu earum: quemadmodum de caussa, quatenus caussa est, comparatione quattuor vulgatorum generum, in quæ diuiditur, Philosophi tradunt. Atque hoc probãt rationes, quæ pro negatiua quæstionis parte propositæ sunt. Ratio autem Scoti, quæ affirmatiuam suadet, simpliciter quidem falsum assumit, cum vtraque definitio vniuersalis ex analogicis constet partibus, vnitatis, inquam & vtriusque aptitudinis nominibus. Ea tamẽ ratione assumptum est verum, quatenus insinuat genus & differentiam constitutiuam eius lationis, quæ in ea vnitate & aptitudine fundatur, vniuocè conuenire relationi generis & cæterorum quattuor.

*Totius quæstionis germana explicatio*

*Ratio Scoti expenditur.*

Quòd si sermo sit expressè de vniuersali, quatenus relatiuum est, vel res populariter magis, quàm accurata consideratione tractetur, non est negandum, vniuersale esse genus generis & cæterorum quattuor. Nam & relatio totius ad partes subiectas ferè dici solet vniuocè conuenire, & in quæstione. Quid est relationibus generis, speciei, & cæterorum, ipsa quoque communitas seu vniuersalitas, quæ est aptitudo essendi in pluribus fundamentúmque relationis, tantam habet cum natura verorum generum similitudinem, vt vniuersale, quatenus tale est, pro vero genere vsurpari possit. Hac enim in re obseruandum est illud, quod Aristoteles in Topicis [a] ait: *in vsu nominum sequendam esse communem consuetudinem: in iudicio autem de rebus auscultandam esse sapientium sententiam.* Et illud, quod 4. [b] eiusdem operis libro idem tradit: *Quia difficile est*, inquit, *distinguere à genere id quod sequitur* (hoc est, quod vniuersè dicitur de re) *& non reciprocatur, vtendum quidem est illo, vt genere: sed tamen si ab altero proponatur pro genere, non semper, vt genus admittendum est.* Id quòd prudenter adiungit quia securius est, in respondendo nihil admittere, nisi quod ad incudem, vt ait, probari possit. Vnde etsi Scotus clarius, quàm cæteri ex veteribus scholasticis de vni-

*Aptitudo essendi in pluribus, quo pacto genus dici nequeat.*

a *Lib. 2. c. 2.*

b *cap. vlt.*

*In respondendo quid securius.*

uocatione vniuersalis locutus est: concedit tamen eodem ipso loco, in quo eam astruit, vniuersale non Physicè, sed Logicè vniuocum esse: hoc est, non habere naturam verè vniuocam, sed quodammodo vniuocam, vt nos alibi vniuocationem Logicam interpretati sumus. Quin etiam inferiùs q. 15. planè docet, genera, quatenus genera sunt, habere inter se vnitatem analogicam, si sermo de generibus quoad ea, quę illis conueniunt ante operationem intellectus: concedit enim ante hanc eadem proportione, seu analogia se habere colorem ad albedinem, qua se habet animal ad hominem.

*cap. 8. huius lib. q. 4. sc. 4.*

*Dilutio quarundam obiectionum.*

## SECTIO III.

*1. obiectio.* SVNT tamen nonnulla, quæ aliquis contra obiiciat. Primùm si vniuersale ratione aliqua esset propriè genus generis & cæterorum quattuor: fore, vt daretur commune genus substantiarum omnium, quantitatum, qualitatum, & cæterorum quæ vel genera sunt, vel species, vel differentiæ, vel propria, vel accidentia (quandoquidem præter hæc nulla sunt genera aut species, & sic de cæteris) at nihil tale inueniri potest, nisi ens esset propriè genus omnium entium: quod omnes Peripatetici negant, non est igitur vniuersale propriè genus generis, & cæterorum quattuor.

*Secunda.* Deinde, si esset genus generis, fore vt aliquod genus contineretur sub specie sua: quod fieri nullo modo potest. Id autem sequi manifestum est, quia latius pateret genus, quàm vniuersale, siquidem ipsum vniuersale esset vnum quoddam ex generibus particularibus, quemadmodum animal, color, & cætera alia. Vnde sequeretur, ipsum quoque vniuersale esse sub se ipso: quandoquidem quicquid est sub inferiori aliquo, est etiam sub eius superiori. *Sect. 1.*

*Tertia.* Tertio, etsi vniuersale videatur vniuocum iis vniuersalibus quæ prædicantur essentialiter (eodem enim prorsus modo videntur respicere genera, species, & differentiæ vnius prædicamenti sua particularia, atque genera, species, & differentiæ aliorum prædicamentorum) tamen iis, quæ prædicantur accidentaliter, nō videtur dici posse, cùm alio modo quantitas respiciat particulares substantias subiectas, alio modo qualitas, & sic cætera prædicamenta, vt ex superiùs dictis facilè intelliges. Non igitur dicendum videtur, vniuersale esse genus omnium quattuor vulgatarum eius specierum, sed summum primarum triū tantùm.

*Quarta.* Postremo, si ex complicatione earum conditionum, quibus vniuersale eiúsque vulgatæ species definiri solent rectè colliguntur quinque species vniuersalis: haud vitiosè colligentur aliæ species interiectæ, vel etiam inferiores, vt paulò ante argumentabamur: plures enim complicationes fieri possunt, quarum aliæ latiùs patent, quā quædam ex quinque vulgatis speciebus, vt prædicari necessariò in quæstione Quid-est, prædicari accidentaliter in quæstione Quale est, quædam etiam minus latè patent: veluti prædicari contingēter de pluribus specie differentibus, prædicari contingenter de pluribus differentibus solo numero. Atqui ostensum est eo loco, ex complicationibus dictarum conditionum non posse colligi medias species inter vniuersale, & vulgatas species, quod nullum inter se ordinem seruare possint. Communis etiam vsus non fert, vt species vulgatæ in alias species diuidantur, cùm dici soleant infimæ species vniuersalium, non est igitur vniuersale genus generis, speciei, & cæterorum.



*Solutio primæ. Vniuersale esse denominatiuè genus summorum generum.*

Verum ad primum dicendum: quemadmodum substantiæ, quantitates, & cætera, quæ vniuersè dicuntur in quolibet prædicamento, non sunt quidditatiuè genera aut species, & (vt vno verbo dicam) vniuersalia: ita non necesse esse, vt inueniatur commune aliquod prædicatum, quod de eis, quatenus talia entia sunt, tanquam commune omnium genus prædicetur, sed quatenus sunt genera aut species & cætera: eiusmodi autem est vniuersale in commune. Substantia enim quatenus genus quoddam est, quidditatiue est vniuersalis: & homo similiter, quatenus est species quædam, & sic cætera, Quare non est necesse, vt recurratur ad ens tanquam ad genus omnium vniuersalium, siue quatenus illa sunt entia, siue quatenus vniuersalia. Nam de illis, vt sunt entia, nulla nobis quæstio hoc loco est: vt autem sunt vniuersalia, suum quoddam genus habent, quod est vniuersale in commune.

*Obiicitur contra solutionem.*

Sed obiiciat aliquis hunc in modum. Cùm vniuersale, quatenus relatiuum est, abstrahitur ab omnibus suis speciebus: necesse est, vt res etiam subiecta relationi, seu substrata (vt vulgus Dialecticorum loquitur) abstrahatur ab omnibus rebus substratis specialium relationum: alioqui cùm dicimus, vniuersale est genus quinque vulgatarum specierum, falsa esset propositio: esset enim substantiam, aut quantitatem, aut aliquam aliam certam naturam vniuersalem denominari genus generis, speciei, & cæterarum specierum, quod est omnino falsum & impossibile: est enim quælibet earum indiuiduum quoddam vniuersalis, nempe vnum numero genus, aut vna numero species, &c. Cùm igitur nulla res substrata abstrahi possit ab omnibus rebus substratis, nisi sit illis vniuoca (quicquid enim abstrahitur à pluribus, æq; illa respicit omnia, ac proinde æque ab illis participatur) perspicuum est, vniuersale non solum quoad relationem, sed etiam, quoad rem substratam esse vniuocum. Quòd si quoad relationem & rem substratam vniuocum est, ergo & quoad ipsam vniuersalitatem, quæ media est inter vtrumque, & fundamentum relationis.

*Diluitur obiectio. Non semper opus esse vt cum abstrahitur connotatiuum, res etiam connotata abstrahatur.*

Huic obiectioni occurrendum est, cùm aliquod connotatiuum (cuiusmodi est vniuersale & omnes eius vulgatæ species) abstrahitur à suis particularibus etsi sæpe etiam res substrata seu denominata verè ac simpliciter abstrahitur à particularibus rebus substratis, quo pacto cum abstrahitur risibile, simul etiam abstrahitur homo, tamen id non semper esse necessarium. Neque enim verè ac simpliciter abstrahimus substantiam aliquam, quæ sit verè species aut genus substantiæ, cùm abstrahimus album aut nigrum à particularibus albis aut nigris, quippe cùm nulla detur substantia generalis aut specialis, cui primo conueniat album esse aut nigram. Quod idem cernitur in cæteris prædicamentis

Universidad de Deusto
Biblioteca



mentis, ac multò clariùs in iis connotatiuis, quæ nullum subiectum denominare possunt, nisi singulare, vt in agente per se, & in patiente per se. Necesse est tamen vt cùm connotatiuum abstrahitur à suis particularibus, abstrahatur etiam res substrata, si non simpliciter, certè quodammodo, id est, quatenus subest formæ denominanti. Nam etsi cum albo in commune sumpto, & quasi seiuncto per intellectum ab omnibus albis particularibus non abstrahitur vnum aliquod subiectum, quod sit vnius rationis simpliciter, est illud tamen vnum, quatenus induit formam albedinis, quod est esse vnum non distinctè sed confusè. Quo etiam pacto libro superiori diximus, ens in commune esse vnum quid, & quodammodo abstrahi à particularibus entibus: cùm dicimus ens esse analogum vel Deo, & creaturis, vel rebus diuersorum prædicamentorum. Sic ergo res se habet in vniuersali, cùm abstrahitur à genere, specie, ac cæteris: non abstrahitur enim tunc verè ac simpliciter res substrata relationi, sed tamen quodammodo abstrahitur, quatenus relationem vniuersalitatis induit.

*Quatenus id verum sit.*

*Cap. 2. q. 2. sect. 4.*

*Soluitur 2. principale.*

Ad secundum dicendum, non contineri quidem genus vllum sub sua specie essentialiter, cùm species non pertineat ad constitutionem sui generis, at denominatiuè non esse incommodum: atque hoc pacto vniuersale contineri sub genere. Quamquam enim vniuersale non est essentialiter genus, denominatur tamen genus comparatione suarum specierum: quia accidit ei, quemadmodum & cæteris generibus, constituere suas species, quemadmodum animali constituere hominem & bestiam. Quod autem infertur, si vniuersale continetur sub genere, fore, vt contineatur sub seipso: incommodum quidem id est, si intelligatur de continentia essentiali, non item si intelligatur de accidentaria seu denominatiua. Potest enim genus aliquod latius patere se ipso, si species eius ita illud denominet, vt aliquid etiam aliud denominare possit. Et si enim ipsum, si absolutè loquamur, nõ latiùs patebit se ipso (semper enim genus quodlibet de pluribus dicitur, quàm quælibet eius species) tamen vt continebitur in specie denominante, latiùs pateat necesse est, quàm ipsum, vt denominabitur. Sic autem res habet in vniuersali, eiúsque prima specie, quam genus appellamus. Nam etsi vniuersale absolutè, ac simpliciter de pluribus dicitur, quàm genus: tamẽ, quia genus denominat non solùm ipsum vniuersale in commune sumptum, sed etiam alia plurima vniuersalia, vt animal in commune, & colorem in commune: ipsum quoque vniuersale, quatenus in genere continetur, seipsum denominat, séque ipso denominatiuè latiùs patet: non quidem seipso absolutè ac simpliciter, sed seipso vt communi suis speciebus.

*Vt possit aliquid sub se contineri & latius patere seipso.*

*Vniuersale vt seipsum denominet.*

*Soluitur 3.*

Ad tertium dicendum est, etsi propria & accidentia, quæ in diuersis prædicamentis ponuntur, alio & alio modo respiciunt sua subiecta, quatenus entia quædam sunt: tamen, quatenus proprium est accidentarium & necessarium prædicatum, accidens verò necessarium & contingens, eodem modo & propria omnia, cuiuscunque prædicamenti sint, respicere sua subiecta, & accidentia omnia similiter. Nam esse accidentarium prędicatum, nihil est aliud, quàm esse extra essentiam subiecti



iecti: necessarium verò & contingens hac ratione distinguuntur, quod prædicatum necessarium non potest non conuenire, contingens verò potest. At in his modis essendi, etiam si in diuersis Prædicamentis reperiantur, immò verò & extra prædicamenta, vt in prædicatis relatiuis non realibus, & negatiuis: verisimile est, easdem specie relationes rationis fundari posse.

Quocirca aduertendum hic est, nomine accidentarij prædicati, cum de vniuersalium distinctione agitur, non esse intelligenda sola accidentia realia, quæ in Prædicamentis ponuntur, sed quicquid omnino ita dici potest de re, vt ad eius essentiam non pertineat: eodémque modo nomine necessarij & contingentis, quicquid vel non potest non conuenire, vel potest: siue id reale sit, siue rationis, siue etiam negatiuum: quod inferius fusius explicabitur.

*Quid accidentarij prædicati nomine hoc loco accipiendum.*

*Quæst. 19.*

Ad vltimum dicendum, non esse parem rationem, vt ex aliis complicationibus colligamus alias species medias inter vniuersale & quinque vulgatas, cùm species certum ordinem habentes constituere non possint, vt suprà dictũ est. Num autẽ alias inferiores constituant, vt sub differentia, proprio, & accidente aliæ sint, quæ dicant de pluribus differentibus specie, aliæ de pluribus differentibus solo numero, etsi vtcumque anceps quæstio videatur: dicendum tamẽ est cum communi schola, inferiores species nullas constitui, sed quinque vulgatas esse infimas. Tum quia prædicari de pluribus differentibus specie, & differentibus solo numero, nõ ad prædicandi modum pertinet, sed ad discrimen eorum, de quibus fit prædicatio, cùm tamen distinctio specifica prædicabilium ex modo prædicandi vario sumẽda sit. Tum etiam quia genus & species dici possunt non hac de causa differre specie, sed quia genus prædicatur incompletè de iis, species autem completè, vt loquuntur grauissimi auctores, quos superius citauimus, quod iam ad prædicandi modum spectat.

*Vltimi argumẽti solutio.*

*Quæst. 11. sect. 1.*

Tum denique, quia si discrimen hoc prædicandi de differentibus specie aut solo numero, distingueret specie vniuersalia, eædem differentiæ specificæ diuiderent genera nõ subalternatim posita: quod merito negat Aristoteles, omnésque eius interpretes in Categoriarum libro. Nam eædem, quæ diuidunt vnuersale, quod prædicatur in Quid, ad constitutionem generis & speciei, diuiderent quoque differetiam, proprium, & accidens ad constitutionem sex aliarum specierum. Hæc enim quatuor, prædicabile in quid, differentia, proprium & accidens, quæ non sunt subalternatim posita, siue vnum sub alio, singulatim diuiduntur in ea, quæ de differentibus specie: & quæ de differentibus solo numero dicuntur. Quod si vniuersale dicatur immediatè diuidi in id, quod prædicatur de differentibus specie, & in id, quod de differentibus solo numero, ad constitutionem duorum quorundam immediatorum generum oportebit vtrumque eorum diuidere per alias easdem differentias, nempe eius quod prædicatur necessario, & eius quod prædicatur contingenter, & sic de cæteris. Nam in vtroque eorum reperiuntur, quæ prædicentur necessario & quæ contingenter: quæ essentialiter, & quæ accidentaliter: quæ in quæstione quid est, & quæ in

*Discrimen prædicãdi de differentibus specie & differẽtibus numero, non distinguit vniuersalia.*

*In ante prædicam. ca. 4.*

quæstione Quale est,quod est idem incommodum.

*Conclusio dictorum.* Patet igitur ex iis,quæ dicta sunt, quo pacto vniuersale vulgatarum quinque specierum genus dici possit, & quo pacto non possit, diuisionémque eius in illas immediatam esse,nec sub eis alias esse excogitandas,quod infimæ sint, & quæ in alias minimè diuidantur. Nunc quoniam de toto vniuersalium genere disputauimus,nonnulla priuatim de singulis speciebus adiiciamus.

## NVM ABSTRACTA SVBSANTIArum sint genera.

## QVÆSTIO XIII.

*Explanatio quæstionis.*

### SECTIO I.

AC de genere illud primùm expendamus. An quemadmodum abstracta accidentium,seu potius abstracta accidentia,vt quantitas,& qualitas sunt genera in suis quæq; prædicamentis posita:sic etiam substantiæ, quatenus abstractis nominibus significantur,vt animalitas,corporeitas,sint genera,quæ ad prædicamentum substantiæ pertineant.

*Duplex sensus quæstionis propositæ. Primus. Secundus.* Hoc vt melius intelligas, aduerte, duobus modis quæstionem hanc proponi posse. Vno, an abstracta substantiarum sint genera comparatione concretorum substantialium, vt animalitas respectu hominis & bruti animalis. Altero,an sint genera comparatione abstractorum minus latè patentium,vt animalitas respectu humanitatis, & vt sic dicam, brutalitatis,seu naturæ bruti animalis. Et licet non desint,qui nihil inter has quæstiones interesse credant,quod promiscuè abstracta de concretis & concreta de abstractis enuncient (dicunt enim,animal esse animalitatem, naturámve animalis, & vicissim naturam animalis esse animal,hominémque & brutum animal æquè esse animalitates, atque animalia) communis tamen Schola negat, abstracta esse genera concretorum in quouis ea prædicamento considerentur, vt animalitatem respectu hominis & bruti,& qualitatem respectu colorati & sonantis, quod abstracta de concretis, saltem in rebus materialibus non dicantur. Discrepant verò num abstracta communiora in prædicamento substantiæ sint genera abstractorum minus communium,vt animalitas humanitatis & naturæ brutorum. Nam de vulgatis vsurpatísque accidentium abstractis cuiusmodi sunt color,albedo,& nigredo,nemo dubitat,quin communiora sint genera minus communium.

*Abstracta nam esse genera concretorum.*

*Nega*



*Negatiuæ partis defensores.*

### SECTIO II.

*Sco. in 1. d. 2. q. 7. & d. 5. q. 1. & in Pred. libr. q. 15. Liche. in 1. d. 5. q. 1. Frã. de May. ibid. Anto. And. 3. Met. q. 2. Caie. de ente & ess. c. 4. ad mẽtem D. Tho. ibid.*

*Partis negatiuæ authores & argumenta.*

SCOTVS, Caietanus, & alij complures negant, abstracta substantiarum esse genera abstractorum minus latè patentium quod tribus potissimum rationibus confirmant.

*Primum.* Primum,quia significantur per modum partium, cùm tamen genus debeat significari per modum totius.

*Secundum.* Deinde, quia quemadmodum abstractum differentiæ non est differentia,sed differentiæ principium,vt rationalitas (quod Auicennæ dictum omnes approbant) sic abstractum generis,vt animalitas, non est genus,sed principium generis: parem enim volunt esse in vtroque rationem.

*Tertium.* Tertio,quia quæ abstracta sunt,non modo à subiectis aut suppositis, sed etiam ab inferioribus, ea, quatenus sic abstracta sunt denominari genera non possunt:genus enim prædicari debet de inferioribus, quæ autem ab inferioribus abstracta,quatenus ab eis abstracta sunt, de eisdem non dicuntur. At substantiarum abstracta non modo à subiectis, quæ nulla habent, abstracta sunt, & à suppositis etiam, quæ nulla connotant,aut implicitè significant: sed etiam ab inferioribus abstractis. Animalitas enim,verbi gratia,idem est,quod animalis natura ab inferioribus præcisa,& humanitas idem,quod à singulis hominibus præcisa natura hominis, quæ autem præcisa sunt ab aliquo, abstracta ab eo esse nemo dubitat.

*Duo abstractionum genera apud Scotum.* Quod vt melius intelligas, aduerte, Scotum duo facere abstractorum genera,alia enim vocat abstracta abstractione vltimata, alia non vltimata. Vltimata,quæ in alia abstractiora non resoluuntur, seu quæ nihil aliud includunt,aut concernunt, nisi quod per se & essentialiter in ipsis includitur,ea vero sunt,quæ non tantum à subiectis,aut suppositis abstracta sunt, sed etiam ab inferioribus abstractis, quod tum demum accidit,cum abstractum aliquod nec de subiecto vllo, nec de suppositio,nec de minus latè patente conceptu prædicatur:nihil enim abstractius reperiri potest,quàm quod hoc pacto abstractum est,vt inductione patet. Atque hac ratione ait ille,coloreitatem (vt vocat) & albedinitatem, hoc est, ipsam præcisam coloris communis naturam: & ipsam præcisam naturã communis albedinis, abstracta esse, quod nec de vllo subiecto aut suppositio, nec de aliquo, quod minus latè pateat, prædicari possint. Non vltimata vero abstractione ea abstracta esse dicit,quæ in alia abstractiora resolui possunt, seu quæ etsi à subiectis & suppositis abstracta sunt,tamen inferiora concernunt & de illis dicuntur,quo pacto color & albedo sunt abstracta. Nam & color in coloreitatem suo modo resoluitur, & albedo similiter in albedinitatem. Et quamquam neutrum dicitur de subiecto vllo aut suppositio, tamen vtrumque de suis inferioribus enunciari potest, dicimus enim, albedinem esse colorem & hanc albedinem esse albedinem.

*Abstracta vltimata.*

*Non vltimata.*

Quamquam vero in accidentibus vtrumque genus abstractorũ reperiri vult Scotus,tamen in substantiis sola abstracta vltimata abstractione

ctione cernuntur, quod ex illis alia abstractiora eiusdem naturæ fieri nequeant. Neque enim ex animalitate aliquid aliud abstractius efficias quod sit præcisa aliqua animalitatis natura: cùm naturæ præcisæ non sit alia præcisa natura, ne abeatur in infinitum in confingendis naturarum naturis. Quod idem ex eo cõfirmatur, quia si aliquid aliud abstractius reperiri posset, non quærerent Philosophi, num animalitas & humanitas idem sint, quod materia & forma, ex quibus constant: id enim prius quærendũesset de abstractiori illa natura, quæcúmque esset, quæ non ex aliis essentialibus principiis re ipsa componentibus, quàm ex materia & forma constare posset.

*Affirmatiuæ partis assertores.* SECTIO III.

*Partis affirmatiuæ Auctores & rationes.*

*Soto in Isagogem Porphyr. q. 3. super proœmiũ & alij.*

REcentiores tamen quidam Thomistarum, & alij eorum æquales affirmatiuam propositæ quæstionis partem astruunt his ferè argumentis.

*1. Ratio.*

Primum, quia animalitas, exempli causa, est commune quiddam, non singulare: quod autem commune est, inferiora aliqua habeat, necesse est, pro quibus accipi, & de quibus dici possit: at inferiora animalitatis non sunt subiecta aliqua, quibus illa inhæreat, aut supposita, per quæ existat, & de quibus dicatur, sed est humanitas, equinitas, & cæteræ naturæ specificæ, ac etiam indiuiduales, vt hæc humanitas, & hæc equinitas: dicitur ergo animalitas de humanitate & equinitate, neque aliter, quàm vt earum genus, vt patet persequenti omnes generis conditiones.

Deinde, quia humanitas & equinitas ita sunt diuersæ naturæ, vt non sint primo diuersæ: nulla enim maior ratio est, cur homo & equus vniuocè & quidditatiuè conueniant, quàm cur naturæ ipsæ hominis & equi, quas humanitatis & equinitatis nominibus significamus: at hæ, nisi in animalitate, & cæteris superioribus abstractis, nihil est, in quo vniuocè & quidditatiuè conueniant: est igitur animalitas genus humanæ naturæ & equinæ.

Tertio, quia in humanitate includitur animalitas & rationalitas, cùm extra humanitatem nec animalitas, nec rationalitas reperiantur: cùm igitur in ea non insint tanquam eius accidentia: non dubium est, quin modo aliquo essentialiter de illa prædicentur, aut concretis videlicet nominibus, aut abstractis. Siquidem & materia & forma prædicantur de homine, in cuius essentia includuntur, si non abstractis nominibus materiæ, & formæ, at concretis materiati & formati. Quare cùm animalitas non dicatur de humanitate nomine concreto animalis, non dubium est, quin dicatur abstracto animalitatis. Quemadmodum è contrariò rationalitas non dicitur de humanitate, abstracto ipso rationalitatis vocabulo, sed concreto rationalis, ita vt humanitas constituatur ex animalitate rationali, velut ex suo genere & sua differentia.

Postremo, quia non maior est ratio, cur humanitas sit Species quædam continens sub se hanc indiuiduam humanitatem & illam, quàm vt animalitas sit genus quoddam continens sub se Species humanitatis, &



tatis & equinitatis: at fide orthodoxa profitemur, Verbum diuinum assumpsisse humanitatem, non in specie ipsa tota, sed in atomo, seu indiuiduo: est igitur animalitas genus humanitatis & equinitatis, si vel piè tantum loqui volumus.

*Verbum diuinũ assumpsit humanitatẽ in atomo.*

*Vera quæstionis explicatio.* SECTIO IV.

*Conciliatio vtriusque opinionis.*

*Re vera abstracta communiora substantiarum esse genera.*

IN hac controuersia ita sententiam temperare possumus, vt vtrosque Auctores conciliemus, si tamen ipsi conciliari velint. Re enim vera, & nulla facta restrictione limmitationéve (quo pacto posteriores loquuntur) abstracta communiora substantiarum sunt genera minus communium abstractorum, quemadmodum & concreta concretorum, quod rectè probatum est: ita vt quemadmodum animal & rationale constituunt hominis speciem: ita animalitas cùm eadem rationalis differentia suo modo sumpta constituunt speciem humanitatis. Qua in re nihil est discriminis inter substantiarum abstracta & accidentium: certum est enim eisdem differentiis, quibus accidentium concreta genera contrahũtur ad specifica, contrahi eorum abstracta, nam disgregatiuum & congregatiuum aspectus, quæ dici solent differentiæ colorati, sunt etiam coloris: licet modus sit diuersus, vt paulò pòst patebit.

*Quæ tamen pacto accepta non sint genera.*

At si abstracta sumantur, quatenus præcisa sunt non modo à subiectis & suppositis, sed etiam ab inferioribus abstractis, ita vt verbum *quatenus* reduplicatiuè sumatur (qua ratione videntur loqui priores, quicquid eorum argumenta valeant) non sunt vtique abstracta communiora minus communium genera. Nam communia, quatenus præcisa sunt à particularibus, hoc est, cum ipsa præcisione simul & indifferentia ad omnia sua particularia, de nullo particulari suo dici possunt: quòd si dici non possunt, ergo nec quidditatiuè prædicari. Accedit, quòd nullum vniuersale prædicatur de suis particularibus, nisi quatenus identitatem aliquam cum illis habet: ergo abstracta communiora substantiarum, quatenus præcisa sunt à minus communibus, de eisdem non solùm vt genera, sed neque vt vlla ratione aliqua vniuersalia dici possunt.

*Obiectio.*

Quod si quis obiiciat, istò etiam modo, nec concreta quidem communiora posse denominari genera minus communium concretorum, quandoquidem quatenus præcisa sunt à minus communibus, de eisdem prædicari non possunt, sumpta particula *quatenus* reduplicatiuè, hoc modo occurrendum: Potiùs hoc de abstractis, quàm de concretis dici solere, quia abstracta ex ipso modo significandi suo aptiora sunt, vt summantur, quatenus præcisa sunt ab iis, à quibus abstrahuntur: vnde & dici solent significati per modum formarum, siue eorum, quibus aliqua sunt talia, cùm tamen concreta significentur per modum totorum quorumdam, id est, eorum, quæ ipsa sunt talia, seu habentia id, per quod sunt talia.

*Dilutio.*

*Altera obiectio.*

Vrgebit aliquis fortasse. Ergo abstracta accidentium æquè atque abstracta substãtiarum negari hoc pacto debuisse à Scoto, & eius

sectatoribus genera esse abstractorum minus communium: vt colorem esse genus albedinis & nigredinis. Sed respondendum, potuisse id quidem ab eisdem Auctoribus eodem modo, id est, cum eadem præcisionis reduplicatione negari: sed tamen id factum ab eis esse in solis abstractis substantiarum, quia crediderunt vulgata accidentium abstracta, de quibus nunc loquimur, in alia priora abstracta resolui posse, vt colorem in coloreitatem, lucem in luciditatem, albedinem in albedinitatem. Qua in re an approbanda sit eorum sententia, ex dicendis patebit.

*Solutio.*

*Responsio ad argumenta negatiuæ partis.* SECTIO V.

*Argumenta pro Scoti opinione solumtur.*

QVONIAM igitur si absolutè loquamur, negatiua quæstionis pars falsa est, ad primum propositum argumentum dicendum: abstracta substantiarum significari quidem per modum partium respectu suppositorum, & omnino respectu aliorum concretorum quorum sunt velut formæ, vt humanitatem respectu singulorum hominum, atque adeo hominis communis, & animalitatem respectu hominis & bruti animalis, atque etiam respectu animalis in commune sumpti, quo pacto D. Thomas intelligendus est, cùm negat abstracta substantiarum esse genera, vnde nec de suppositis nec de aliis substantiarum concretis prædicantur. At respectu minus communium abstractorum non significari per modum partium, sed totorum quorumdam potentialium continentium amplitudine communitatis suę minus communia, vt partes subiectas, de quibus verè prædicentur.

*Libr. de ente & essent. c. 3.*

*Ratio cur abstracta differentiarũ non sint differentiæ.*

Ad secundum dicendum, longè aliam esse rationem in abstractis differentiarum, vt sint differentiæ, atque in abstractis generum, vt sint genera. Nam genera & species, cùm prædicentur in quæstione Quid est, non necesse est, vt significentur nominibus concretis supponentibus aliquid, quod veluti subiectum sit, de quo ipsa essentialiter non dicantur. At differentiæ, cùm semper supponant genus aliquod, de quo ita dicantur, vt ad eius essentiam non pertineant: necessariò debent esse concreta, atque adeo denominatiua & connotatiua respectu illius. Qua de causa rectè dixit Auicenna, probéque à posterioribus receptum est: *Rationalitatem, vt nomine abstracto significatur, non esse differentiam: sed differentiæ principium:* sicque de cæteris differentiarum abstractis sentiendum. Aduerte autem hoc loco, differentiam eamdem diuidere concretum ad constitutionem concreti, & abstractum ad constitutionem abstracti: quo pacto idem rationale diuidit animal & animalitatem ad constitutionem hominis & humanitatis: & disgregatiuum visus diuidit coloratum & colorem ad constitutionem albi & albedinis: modo tamen diuerso consideratum. Nam rationale, vt constituit hominem, concernit suppositum, & cum animali, quod diuidit, prædicatur de homine, & disgregatiuum visus, vt constituit album, concernit subiectum, & potest concernere suppositum, & simul cum colorato, quod diuidit, prædicatur de albo. At rationale, vt constituit humanitatem, non concernit suppositum, nec cum animalitate quam

*Abstracta differentiarũ non tam esse differentias, quam principia differentiarum.*

*Eadem differẽtia diuidit concretũ & abstractũ.*

*Tract. 5. sua Meta. cap. 6.*



quam diuidit, prædicatur de homine, cùm verum non sit hominem esse animalitatem rationalem. Similitérque disgregatiuum visus, vt constituit albedinem: non concernit subiectum aut suppositum, nec cum colore, quem diuidit, prædicatur de albo. Neque enim dixeris, album esse colorem disgregatiuum visus, nisi album pro albedine sumatur, vt nonnunquam fit. Clariùs hic diuersus modus eiusdem differentiæ perspicitur in differentiis indiuidiuantibus substantiarum primarum, vt patet ex iis, quæ diximus ad caput octauum. Eadem enim differentia, quæ constituit hanc humanitatem cum humanitate communi, constituit hunc hominem cum homine communi: sed quatenus constituit hunc hominem, includit personalitatem, quam non includit quatenus constituit hanc humanitatem. Dixi *substantiarum primarum*, quia in differentiis indiuiduantibus accidentium non parua est dissimilitudo. Nam differentia indiuiduans, quæ cum albedine constituit hanc albedinem Socratis, non constituit hoc album, quatenus hoc album includit personalitatem subiecti albi, sed quatenus eam concernit & connotat.

*Quæst. 5. sect. 8. Vide etiam quæ ibi dicta sunt q. 6. & 7.*

*Eadem differẽtia indiuiduans alia atque alia ratione constituit & hanc humanitatẽ & hunc hominem.*

Tertium haud difficilè dissoluetur, si quis neget, abstracta substantiarum absolutè accepta, esse aut significari, vt abstracta & auulsa ab inferioribus abstractis: nihil enim commune, si absolutè loquamur, aut auulsum est, aut significatur, vt auulsum à suis inferioribus: sed potius, quatenus tale, vt de illis prædicari possit per modum identitatis. Quapropter si abstracta absolutè accipiantur, nihil obstat quominus communiora sint genera minus communium. Quod si sumantur, quatenus per intellectum suo modo auulsa sunt & præcisa à suis inferioribus, aut etiam, quatenus natura præcedunt contractionem ad illa, ita vt verbum *quatenus* reduplicatiuè sumatur, fatemur sane isto modo, ea quatenus talia sunt, siue cum tali auulsione præcisionéque sumpta, genera minus communium denominari non posse.

*Distinctio Scoti in abstracta vltimata, & non vltimata non est probãda.*

Quocirca distinctio illa abstractorum in ea, quæ vltimata abstractione abstracta sunt, & in ea, quæ non vltimata, non est probanda: omnis enim abstractio est vltimata æquè accidentium, atque substantiarum. Vt enim animalitas non resoluitur in aliquid abstractius, ita nec color, aut vllum aliud abstractum accidens. Nam coloreitas illa, quam Scotus fingit, albedinitas, & similia, voce quidem abstractiora fortasse dici possunt, significatione autem dici non possunt. Idem enim prorsus est color, atque natura, qua color est color: & albedo atque natura, qua albedo est albedo. Quemadmodum ille fatetur, idem omnino esse animalitatem, atque naturam, qua ipsa est animalitas, & humanitatem, atque naturam, qua ipsa est humanitas. Alia ratio est in concretis atque in naturis, formisve, quibus illa sunt talia, siue id in substantiis expendamus, siue in accidentibus. Neque enim idem sunt homo & humanitas, album & albedo: cùm homo concernat suppositum: album autem concernat & suppositum & subiectum: quorũ neutrum concernit siue humanitas siue albedo, quatenus abstractis nominibus significantur, etsi absolutè sumpta concernunt differentias suorum inferiorum, ipsaque sua inferiora. Ita patet qua ratione abstracta

*Comprehensio summa dictorum.*

substantiarum sint genera, & qua ratione non sint, & cur magis hæc dubitatio proponatur in substantiis, quàm in accidentibus, cùm re vera eadem sit vtrobique ratio. Quod idem prorsus dicendum est, si quæratur an abstracta substantiarum sint species. Nunc videamus an genus & species primo se inuicem respiciant.

## AN GENVS ET SPECIES PRIMO ad se inuicem referantur.

## QVAESTIO XIV.

*Argumenta pro parte negatiua.*

### SECTIO I.

*Partis negantis primum argumẽtum.*

NEGATIVA huius quæstionis pars non leuibus argumentis probari potest. Primum, quia genus, quatenus genus est, non solùm respicit speciem, sed etiam indiuiduum: genus enim definitur per ea, quæ differunt specie: hæc autem non sunt tantùm ipsæ species differentes, sed etiam indiuidua differentium specierum, non refertur igitur adæquatè genus ad speciem, sed ad aliquid commune speciei & indiuiduo. Quod si non adæquatè ad speciem, ergo nec primò: quod enim communius est, prius quoque natura esse nemo dubitat.

*Secundum.* Deinde, quia tum demum aliquid impediret, quominus primo ad aliquid commune speciei & indiuiduo referretur genus, si commune illud esset analogum: at analogia, si hac in re detur, nihil impedit, quia neque analogia entis quicquam obstat quominus Metaphysica scientia ad illud primo referatur: non est igitur cur genus illud non primò respiciat.

*Tertium.* Tertio, quia si quo modo genus & species sese primo respicerent, non alia ratione id accideret, nisi quia genus respiceret indiuiduum interuentu speciei, hoc est, eadem relatione, qua speciem respicit, posterius tamen natura, & pari ratione indiuiduum respiceret genus interuentu itidem speciei, nempe eadem relatione, quæ illam respicit, prius natura ad speciem, & posterius autem ad genus terminata: atqui indiuiduum non eadem relatione, qua respicit speciem, refertur ad genus, siquidem ad speciẽ refertur subiectione completa, ad genus autem incompleta: non ergo sese primo respiciunt genus & species, sed id, quod commune est speciei & indiuiduo, est primum generis correlatiuum.

*Partis affirmantis fundamenta.* Sed tamen affirmatiua pars non minus firmis videtur fundamentis innitì. Primum, quia omnium confessione genus & species sese inuicem definiunt: qua ratione Porphyrius ait, se coactum esse, vt alterum vicissim in alterius definitione poneret. Quod si correlatiua sunt, non dubium est quin primo & immediatè se inuicem respiciant.

*In Isagoge de specie.* Deinde, quia si genus non primo & immediatè respiceret speciem, id propterea accideret, quia vel ad aliquid commune speciei & indiuiduo, vel ad vtrumque primò & immediatè referretur: at neutrum dici



dici potest. Non primum, quia sequeretur, animal, quatenus genus quoddam est, primò & immediatè respicere cõmune aliquid suis speciebus & indiuiduis, quod nullum est sub animali. Non secũdum, quia necessariò concedendum esset, genus, qua ratione genus est, æquiuocũ esse, duásque relationes habere: vnam, qua respiceret speciem, alteram qua indiuidua: quot enim modis vnum oppositorum dicitur, tot alterum dicatur necesse est. Quod Aristotelis pronuntiatum ex primo Topicorum desumptum, & ab omnibus approbatum, in iis, quæ primò & immediatè, & non alterum per alterum opponuntur, verum esse dicitur, Quod si genus, qua ratione genus est æquiuocum esset: vtique nomen generis non vnam relationem, sed plures immediatè significaret, quo fieret, vt non quinque tantum, sed sex vniuersalium species haberemus, quod apud Aristotelem inauditum est. *cap. 15.*

*Tertium.* Postremo, quia si genus non primo respiceret speciem, & secundaria ratione, ac per speciem indiuiduum: idem dicendum esset de generali differentia, de proprio item, & accidenti generali. Aut igitur hęc respicerent primo aliquam partem subiectam speciebus & indiuiduis, de quibus dicuntur, communem, quam nullam omnino esse vel inductione patet: aut certè primo respicerent vtraque, species, inquã. & indiuidua, ac proinde æquiuoca quædã prædicata essent, quod nemo dixerit. Hæc ferè sunt, quæ dubiam faciunt quæstionem propositam.

*Refutatio duarum quorumdam opinionum.*

### SECTIO II.

EA verò faciliùs expedietur, si prius explanauerimus quid intersit inter primum & adæquatum correlatiuum: non enim idem sunt modis omnibus.

*Quid sit primum & immediatum correlatiuũ. Quid adæquatum.* Primum siue immediatum est, quod totum terminat habitudinem relatiui non interuentu alterius. Hoc pacto maius est correlatiuum minoris, & actus potentiæ habentis obiectum. Adæquatum verò est illud, præter quod nihil est aliud, quod terminet habitudinem relatiui: quo etiam pacto maius est correlatiuum minoris, cum nihil terminet habitudinem, siue relationem minoris, nisi maius: non tamen hoc pacto actus est correlatiuum potentiæ habentis obiectum, quia etiam obiectum terminat relationem potentiæ. Dico autem potentiæ habentis obiectum: quia si qua potentia non habeat obiectum, actúsque eius sit vniuocus, cuiusmodi esset actus materiæ (si materia solius actus substantialis, siue formæ substantialis capax esset) tum actus non tantum esset primum correlatiuum potentiæ, sed etiam adæquatum.

Hinc efficitur, vt non omne primum immediatúmque correlatiuum sit adæquatum, neque omne adæquatum sit primum. Nam actus potentiæ videndi est primum, sed non adæquatũ, cum obiectũ etiam terminet relationem ẽius potentiæ: contra verò actus materiæ, vt analogicè complectitur actum substantialem & accidentariũ, illius est adæquatum, sed non primum: quod non totum immediatè terminet habitudinem materiæ, sed actus substantialis immediatè, accidentarius

autem mediatè,& interuentu substantialis. Eodémque modo commune illud quod analogicè complectitur actum videndi & obiectum visus (quod communi nomine caret) est adæquatum correlatiuum facultatis videndi, sed tamen non primum, quia non totum immediatè terminat habitudinem potentiæ,vt ex dictis pater,sed obiectum mediante actu.

*Quatuor modos ad propositam quæstionẽ responderi posse. Tres hac in re opiniones.*

Cum ergo non eadem sit ratio primi, atque adæquati correlatiui: quatuor modis responderi potest ad quæstionem propositam. Vno, speciem esse & primum,& adæquatum correlatiuum generis. Altero, neque esse primum, neque adæquatum. Tertio, esse quidem primum, sed non adæquatum. Quarto, esse adæquatum, sed non primum. Atque cùm nemo sit, cui quarta responsio placeat, eáque ex tractatione priorum trium planè refutari possit: tres in hac quæstione opiniones supersunt, quæ suos Auctores habeant.

*Prima Louanienſium.*

Prima est Louanienſium, qui volunt, speciem non modo primum, sed etiam adæquatum generis correlatiuum esse: proinde res, quæ sunt genera, vt animal & plantam, non referri ad indiuidua relatione generis, sed alia quadam habitudine diuersa specie, ex qua habitudine constituitur quædam species innominata vniuersalis, quæ necessario addẽda est quinque vulgatis speciebus, vt diuisio vniuersalis adequata fit.

*Improbatur. Ex definitione vniuersalis. Ex diuisione eiusdem.*

Verum hæc opinio, qua ex parte asserit speciem esse adæquatum generis correlatiuum, facilè refellitur. Primum ex definitione generis, explicatur enim per habitudinem ad ea, quæ differunt specie: in his autem non solùm numerantur diuersæ species, sed etiam indiuidua diuersarum specierum eiusdem generis. Deinde ex diuisione vniuersalis, nam & Porphyrius, & Aristoteles, omnésque veteres Philosophi existimarunt, se adæquatè diuidere vniuersale in quinque vulgatas species, nec vllum vniuersale crediderunt prædicari in quæstione Quid est nisi genus & speciem. Postremò, quia non sunt ponenda plura, vbi pauciora sufficiunt: res autem, quæ dicuntur genera, possunt referri ad suas species, suáque indiuidua vna eadémque relatione: vt animal proximè quidem, siue immediatè ad hominem, remotè autem ac mediatè ad Socratem. Vnde & Porphyrius in Isagoge, quodlibet genus, vt genus est non solum ad species sub se contentas, sed etiam ad indiuidua referri docet.

*In Isagog. Porphyr.*

*Ex eo quod superflua sit additæ relatio.*

*Cap. de Genere.*

*2. Opinio.*

Alij, qui à Louanienſibus referuntur, oppositum omnino sentiunt. Dicunt enim, speciem neque esse adæquatum correlatiuum generis, nec verò primum seu immediatum, sed necessariò dandum esse aliquid commune vniuocum speciei & indiuiduo (quod vocant subiicibile in quæstione Quid est incompletè) ad quod non solum adæquatè, sed etiam primo referatur genus. Est enim commune speciei & indiuiduo, vt vtrumque hoc pacto subiiciatur generi, qua ratione correlatiua aliorum vniuersalium non subiiciuntur suis vniuersalibus.

*Refellitur.*

Sed neque huiusmodi sententia probanda est, qua ex parte negat, speciem esse primum & immediatum generis correlatiuum. Si quid enim aliud esset primum correlatiuum generis, non necesse esset definire genus per speciem, peccat enim, vt docet Aristoteles [a] in Topicis, qui

*a 6. lib. Topic. cap. 2.*



qui relatiuum non per primum & immediatum correlatiuum definit. Cùm ergo Porphyrius [b] cæteris id approbantibus dicat, se necessitate compulsum definiuisse genus per speciem (omnes enim cum id exponunt, rectè dictum esse iudicant) efficitur, vt nisi quis pugnare velit cum communi omnium sententia, negandum nullo modo sit, speciem esse primum generis correlatiuũ. Deinde, quia si detur subiicibile vniuocũ in quæstione Quid est commune speciei & indiuiduo, ad quod genus proxime referatur, pari ratione dandum erit prædicabile vniuocum in quæstione Quid est commune generi & speciei, ad quod proxime referatur indiuiduum, quod tamen nemo ponit concedit ve.

[b] *In Isagog. ca. de Specie.*

Postremo, quia genus refertur primo ad aliquid commune speciei & indiuiduo, cùm ponatur species infima vniuersalis, erit etiam commune illud species infima subiicibilis, nam si relatiuum est species infima, necesse est, vt primum eius correlatiuum sit species infima. Iam si species & indiuiduum conueniunt in quadam specie infima subiectionis respectu generis, erit sanè species compositum quiddam per accidens. Quæcumque enim conueniunt in specie aliqua infima, ea aut sunt, indiuidua illius speciei, aut composita quædam ex communi specie & differentiis per accidens: quo pacto cõueniunt in homine, cùm Socrates & Plato, tum etiam homo albus & homo niger, Quamquam vero hoc non inficiantur propositæ opinionis assertores, non minus tamen videtur constitui à Porphyrio & aliis grauibus Auctoribus species, quatenus species est, ens quoddam per se, quàm genus ipsum qua ratione est genus.

*Colligitur ex Arist. 1. Topic. capit. 13. Ex hac opinione sequi, speciem esse compositum per accidens.*

*Approbatio tertiæ opinionis.*

## SECTIO III.

*Auic. 1. p. logicæ dũ agit de specie. Ammo. Alb. Gaie. in Prædicabilibus & alij.*

TERTIA opinio, quæ grauium Auctorum est, à nobisque probatur, hac assertione continetur: Speciem esse primum generis correlatiuum, sed non adæquatum. Quę assertio in primis patet ex impugnatione primæ ac secundæ opinionis. Deinde probatur hoc argumẽto: Genus, vt genus, est aptum, vt sit in pluribus, aptitudo autem huiusmodi inclinat proximè in actum proximum, qui est esse in suis speciebus, remote autem in actum remotum essendi in indiuiduis suarum specierum, respicit ergo genus proxime suas species, remote autem earum indiuidua. Ex quo etiam fit consequens, vt species non sit adæquatum generis correlatiuum: sed primum & immediatum. Tertio, quia genus qua ratione genus est (vt iam diximus) respicit ea, quæ differunt specie, at species differunt primo, & per seipsas, indiuidua autem secundaria ratione, & per species, quarum sunt indiuidua, quamquam igitur species non est adæquatum generis correlatiuum, ea tamen sola est primum & immediatum.

*Assertio. Speciem esse primum, sed non adæquatum generis correlatiui.*

*Sect. præcedenti.*

At obiiciet aliquis hunc in modum. Vt genus refertur ad speciem & indi-

*Obiectio. 1.*

& indiuiduum,sic etiam species & indiuiduũ referuntur ad genus, aut igitur referuntur ad genus eadem numero relatione,aut diuersis numero. Non possunt autem referri eadem numero,quia eadem numero relatio non potest esse in diuersis numero extremis: ergo referuntur diuersis numero. Quod si diuersis numero: aut diuersis solo numero, aut etiam specie,at non referuntur diuersis specie, quia vnum specie relatiuum,quale est genus,non potest primò referri ad diuersa specie correlatiua,ergo differunt solo numero, & ex consequenti relatio speciei & indiuidui ad genus conueniunt in quadam communi specie,ad quam primo & immediatè terminatur relatio generis.

*Secunda.* Præterea subiici immediatè & mediatè non faciunt æquiuocationem,si quidem homo subiicitur immediatè facultati ridendi, Socrates autem mediatè,& interuentu hominis,cùm interim ambo vniuocè dicantur risus capaces: at species & indiuiduum hoc solo discrimine distinguuntur comparatione generis,quod species subiicitur generi immediatè,indiuiduum autem mediatè,& interuentu speciei : nihil ergo impedit hæc varia subiectionis ratio,quominus species & indiuiduum conueniant vniuocè in relatione subiectionis respectu generis : datur igitur commune aliquid vniuocum speciei & indiuiduo, quo primo terminetur relatio generis.

*Solutio primæ. Idẽ correlatiuum specie quo pacto ad diuersa specie referatur.* Hæ tamen obiectiones sic diluentur: Ad priorem dicendum est,speciem & indiuiduum referri ad genus diuersis specie relationibus : nec incommodum esse, vnum specie relatiuum referri ad duo correlatiua specie diuersa,modo ad vnum referatur proximè, ad alterum remotè: quo pacto potentia referatur ad actum & obiectum,& materia ad formam substantialem & accidentariam. Quocirca commune illud pronunciatum Dialecticorũ.Quot modis dicitur vnum oppositorum, totidem dicitur alterum,quo Aristoteles in 1.Topic.lib.vtitur, in iis tantum intelligendum est,quæ primo & immediatè opponuntur: alioqui colligeres,visum corporis esse duplicem, quia duplex est eius correlatiuum,actus videlicet & obiectum. Verè tamen colligimus, visum in commune duplicem esse,corporis nimirum,& animi: quia actus videndi duplex est,aliter qui organo corporis perficitur:alter,qui solius animi functione.

*Explicatur Arist. pronunciatum.* *cap.13.*

*Solutio secũdæ obiectionis.* Ad posteriorem dicendum: fieri posse, vt duobus subiectis vniuoce conueniat prædicatum aliquod, & tamen ipsa subiectionis ratio analogicè,& non vniuocè ab eisdem participetur.Album enim vniuoce dicitur de superficie papyri & papyro ipsa : & tamen superficies & papyrus non vniuocè participant rationem subiecti albedinis,sed analogicè, cum superficies subiiciatur proximè & per seipsam, vt subiectum quo, papyrus autem remotè & per superficiem, vt subiectum quod.Ita ergo suo modo res habet in speciebus & indiuiduis comparatione generis. Nam etsi vtrisque ex æquo conuenit natura generis, ipsa tamen analogicè participant communem subiectionis rationem, cum species proximè & per seipsas subiiciantur generi quidditatiua subiectione incompleta, indiuidua autem mediante specie, cui subiiciuntur subiectione quidditatiua completa. Nec refert, quod indiuidua etiam,

*Subiici prius & posterius, vt efficiat analogiam.*



dua etiam, quemadmodum species subiiciuntur generi subiectione quidditatiua incompleta : ea enim subiectio non fit per aliam habitudinem,quàm per eam,qua subiiciuntur speciei, quæ subiecto completa est: vnde non est eadem ratione in subiectione mediata speciei, atq; indiuidui. Species enim ita subiici potest quidditatiuè subiectione mediata,nempè remoto generi,vt numquam subiiciatur completè : at indiuiduum semper subiicitur completè, si non , vt habitudo terminatur ad genus: certè,vt terminatur ad speciem : quod magis ex solutione argumentorum patebit.

*Solutio eorum,quæ initio proposita sunt.*

## SECTIO III.

*Sect.8. ad 3. argumẽtum.* AD primum igitur pro negatiua parte propositum argumentum dicendum,non rectè in eo colligi primitatem,vt sic dicam, correlatiui ex adæquatione illius. Cùm dicitur id ,quod communius est, prius natura esse,de communiori tantùm vniuoco est verum. Lege quæ fusius diximus ad cap.primum libri superioris,quæstione 1.cùm quartæ opinionis argumenta dissolueremus : vbi luculentius rei huius rationem reddidimus. *Argumenta posita sect.1. soluuntur.*

Ad secundum dicito , cùm Philosophi concludunt , Metaphysicam primò referri ad ens,non id ea ratione intelligendum esse,quasi referatur ad aliquid prius natura,quàm sit Deus,aut quàm sit substantia : nisi prioritatem naturæ accipias quoad prædicationem, non quoad existẽtiam,vt ex eodem loco intelliges:sed sic accipiendum, vt sit sensus negatiuus,quasi dicant:Metaphysicam non priùs referri ad aliud , quàm ad ens:quod simul verum est cum eo quod affirmant , primò referri ad Deum , secundo loco ad substantiam creatam vniuocam & completam,& ita deinceps. *Metaphysicæ primo referri ad ens, quo pacto intelligendum.*

Ad tertium dices , etsi subiectio quidditatiua indiuidui extensione ad genus incompleta est,tamen natura sua esse completam , cùm æstimanda sit ex eo,cui indiuiduum proximè subiicitur , quod est species: accidit enim ei quodammodo , vt incompleta sit , quatenus ad genus extenditur.Quocirca si detur species aliqua prædicabilis,quæ nulli generi subiiciatur ( quod de puncto quidam existimant ) indiuidua illius ita subiicientur completè quidditatiua subiectione, vt nulli prædicato incompletè subiiciantur. Alia ratio est in subiectione speciei , cùm & natura sua , & cuiusli bet generis respectu incompleta sit,siue enim, ad proximum genus referatur , siue ad remotum,semper est incompleta, Nam si incompleta est respectu proximi,ex quo natura eius indicanda est , incompletior erit respectu remoti , quod minus habet de natura communi speciei.Quemadmodum & prædicatio generis,quia incompleta est respectu speciei proximæ,quod non totam eius naturam communem dicat,incompletior erit respectu speciei remotæ , cuius naturam communem minus declarat. Itaque refertur indiuiduum ad speciem & genus eadem relatione : proximè quidem ad speciem , cuius respectu subiectio natura sua completa est : remotè autem ad genus, cuius habitudine ei accidit,vt sit incompleta. *Subiectio indiuidui ad genus qua ratione completa & incompleta sit.*

*Argumenta partis affirmantis.*

Argumenta verò, quæ pro parte affirmatiua allata sunt, cùm veram conclusionem suadeant, non cogunt nos, vt ea dissoluamus. Sed tamen illud dicimus, quod assumptum est in secundo & tertio, & speciem magis virtutis habere, quàm veritatem contineat. Si enim genus aut differentiæ generales respicerent primò communia quædam speciebus & indiuiduis, quæ de vtrisque dicerentur essentiali prædicatione: tum demum foret, vt daretur aliquid sub animali, quod esset commune vniuocum homini & Socrati. At hoc non est necesse, cùm secundę opinionis auctores dicere possint, satis esse, si sit accidentarium prædicatum, nempe subiicibile in quæstione. Quid est incompletè: quod illi vniuocum esse volunt speciei, & indiuiduo, nos autem analogum esse ex eo ostendimus, quòd subiectio speciei est natura sua incompleta, indiuidui autem completa. Ita patet, speciem esse primum generis correlatiuum, tametsi non adæquatum. Nunc illud expendamus, quod disputari à plerisque solet, conseruetur ne genus aliquod perinde in vna specie, atque species pleræque vt Solis, vt Lunæ conseruari dicuntur singulis indiuiduis.

*Subiicibile in quid incomplete, cur sit analogum.*

## NVM GENVS PERINDE IN VNA SPECIE, atque species in vno indiuiduo conseruari possit.

### QVAESTIO XV.

*Multorum opinio.*

### SECTIO I.

*Affirmatiuæ partis Auctores.*

AEGIDIVS Romanus ad Isagogen Porphyrij, & plerique eo recentiores in eumdem librum asserunt, idem de conseruatione generis, quod de speciei conseruatione sentiendum: proinde si species conseruatur in vno indiuiduo posse quoque genus in vnica specie, sin genus non potest in vnica specie, neque species in vno dumtaxat indiuiduo: quorum sententia his argumentis confirmari potest.

*Argumenta pro eadem.*

*Primum.*

Primum, quia, vt genus & species subiecta sunt correlatiua, ac proinde simul natura, ita species prædicabilis & indiuiduum: ergo si existente quolibet indiuiduo existit eius species, & in eo conseruatur: qualibet etiam specie existente, existet illius genus, & in ea conseruabitur: sin genus non conseruatur, neque etiam species: hæc enim est conditio eorum, quæ simul natura sunt.

*Secundum.*

Deinde, quia vt genus refertur ad plures species subiectas, ita species prædicabilis ad plura indiuidua: hac enim ratione vtrumque vniuersale est: ergo si species prædicabilis non desinit esse species respectu indiuiduorum non existentium, cùm actu existit in vno solo, idque propter aptitudinem ad alia indiuidua, pari ratione nec genus desinet esse genus comparatione specierum non existentium, cùm in vna



vna sola existit, idque propter aptitudinem ad alias. Si verò quis dicat aptitudinem generis ad cæteras species non satis esse, vt illud in vnica esse, & in ea sola conseruari dicatur; non satis quoque erit, vt speciem existere conseruarique in vno tantùm indiuiduo fateamur, si illam ad cætera indiuidua aptitudinem habere dicamus.

*Tertium.*

Postremò, si nullo alio existente Sole, præter hunc, quem cernimus, hæc prædicatio, hic Sol est Sol, est prædicatio speciei de suo indiuiduo, pari ratione, si nullum aliud esset astrum, hæc prædicatio, Sol est astrum, esset prædicatio generis de sua specie. Quòd si hæc non est generis, neque illa est speciei: cur enim alterum fateamur, alterum negemus, nulla omnino videtur esse ratio.

*Quid grauiores Auctores sentiant.*

### SECTIO II.

*Pars opposita quibus auctoribus probetur.*

*Explicatio sententiæ.*

BOetius verò secunda editione in Porphyrium, Alber. Magnus in eundem, & D. Thomas in priorem lib. de Posteriori resolutione, & in primum Sententiarum ad distinctionem 19. alique graues Auctores sentiunt, aliam esse rationem in genere, aliam in specie: vt enim species existat, satis esse, si vnicum eius existat indiuiduum, at verò, vt existat genus necesse esse, vt plures species eius naturalium causarum vi existant, vel simul videlicet, vel certè successu aliquo temporis. Itaque dicunt, si ex omnibus animalibus solus homo in mundo esset, neque aliud animal naturali naturæ cursu posset existere: futurum quidem, vt ille esset animal: cæterum non ita, vt animal verè diceretur genus illius. At quamquam vnicus Sol, quem cernimus, in rerum natura cohæreat, neque alius naturæ viribus effici possit: verè tamen dici, & hunc Solem esse Solem: & Solem, qui de eo prædicatur, esse speciem quamdam, ad quam hic Sol pertineat.

*Boet. ad c. de Specie. Alb. Magn. tract. 4. cap. 6. D. Tho. 1. Posterior. Lect. 12. & 1. Sent. d. 19. q. 4. ar. 1. & alij. Scotus ca. de specie & alij. Vide etiam sco. super prædi. q. 18.*

*Vi probetur.*

Hoc autem ex eo probant, quia potestas generis ad plures species est potentia quædam naturalis naturæ genericæ: quæ potentia, cùm aliquando ad actum perduci debeat, ne frustra sit, necesse est, vt genus aliquando existat in pluribus speciebus. At verò potestas speciei ad plura indiuidua, non est, inquiunt, potentia naturalis naturæ specificæ, sed solùm aptitudo quædam, siue non repugnantia ex parte illius. Vnde cùm aptitudo non semper perducatur ad actum (vt patet in homine cæco, qui etsi priuatus est videndi facultate, aptus tamen ad videndum dicitur) non necesse est, speciem aliquando existere in pluribus indiuiduis, siue simul, siue successiuè. Potestatem verò generis ad plures species esse naturalem potentiam, & potestatem speciei ad plura indiuidua non potentiam naturalem, sed aptitudinem tantùm, siue non repugnantiam naturæ, ex eo probant, quia genus diuiditur in species per differentias, quæ naturali potentia in illo continentur: at species diuiditur in indiuidua per externa quædam: nempè per accidentia, vt ait Boetius [a], aut per diuisionem materiæ, vt Albertus [b]; & D. Thomas [c] volunt: sicque docent, aliter accipi potestatem, cùm dicimus, genus esse id, quod de pluribus specie differen-

a *In secunda editione in Isago. Porph. ad c. de specie.*
b *2. p. sum. tract. 1 q. 4. memb. 1. p. 2 & in prædic. loco citato.*
c *Opusc. 29. & de Ente & essent. c. 1. & 3 p. q. 17. art. 2. & in 4. Sent. d. 12. q. 1. art. 2 & aliis in locis.*

ribus prædicari potest: aliter cùm dicimus, speciem esse id, quod potest de pluribus differentibus solo numero prædicari.

*Confirmatio ex D. Thom. desumpta.*

Alia ratione (quæ tandem eodem redit) probat D. Thomas [a] eandem assertionem: *quia*, inquit, *genus diuiditur per contrarias differentias: si autem vnum contrariorum existit in rerum natura, necesse est, vt alterum quoque aliquando in rerum natura inueniatur*, vt docet Aristot. 2. lib. de Cœlo & mundo. [b] *Quod non alia de caussa dixit, nisi propter naturalem potentiam subiecti ad formas contrarias, quæ aliquando reducenda est ad actum, ne frustra esse concedatur. At species diuiditur in indiuidua per diuisionem materiæ accommodatæ ad naturam suam, quæ tota materia in vno indiuiduo contineri potest, vt in Sole.*

[a] *In 1. sent. d. 19. q. 4. ar. 2. & in 1. li. Poste. lec. 11.*

[b] *Cap. 3. tex. 18.*

*Loco citato.*

Alij, quos refert Aegidius, aliter probant non posse genus in vnica specie conseruari. Quia genus, inquiunt, nõ est quicquam præter ipsius species, vt docet Aristot. 7. huius operis libro, hoc est, quia genus non est vna aliqua natura communis multis speciebus, vt ipsi interpretantur, sed tam multæ, quàm sunt ipsæ eius species.

*Cap. 11. tex. 43.*

*Quid hac in re sentiendum.*

## SECTIO III.

*Prima assertio.*

QVid tamen hac in re sentiendum sit, tribus conclusionibus explicandum est. Prima conclusio. Si genus & species infima quoad res subtratas sumantur, quemadmodum species infima in vnico indiuiduo conseruari potest, ita & genus in vnica specie. Ratio huius rei perspicua est: quia, vt natura subtrata speciei infimæ includitur in quolibet indiuiduo eius speciei, ita natura subtrata generi in qualibet eius specie. Verùm hic sensus alienus est à proposita quæstione: quia nemo de hac re dubitat, qui naturam subtratam generi vniuocam suis speciebus esse agnoscit, quod omnes expresse citati Auctores faciunt.

*Ratio.*

*2. assertio.*

Secunda conclusio. Si genus & species accipiantur, quatenus vniuersalia sunt: quemadmodum genus non conseruatur in vnica specie, ita nec species infima in vnico indiuiduo. Ratio huius conclusionis est: quia genus & species infima, quatenus vniuersalia sunt, vel spectantur quoad relationes, quæ in eorum vniuersalitatibus fundãtur, vel quoad ipsas vniuersalitates, quæ sunt aptitudines essẽdi in pluribus, vel quoad totales actus huiusmodi aptitudinum, vt suprà diximus. At nullo ex his modis vel genus in vnica specie vel species in vnico indiuiduo conseruari potest. Non primo, quia relationes vniuersalium ad sua particularia in ipsis rerum vniuersalitatibus fundatæ, sunt relationes rationis; quæ vt in rebus particularibus existere non possunt, ita nec conseruari: de qua tamen conseruatione, & non de obiectiua, planè intelligitur quæstio proposita. Non secundo, quia neque aptitudo essendi in pluribus, vnitásve præcisionis, quæ illam comitatur ac sequitur, existunt in ipsis pluribus, vt ex iis, quæ superius disputata sunt perspicuum est, tantùm abest, vt in vno tantùm eorum existant. Nõ tertio, quia esse in vna tantùm parte subiecta, nõ est esse in pluribus, tantùm abest, vt idem sit quod

*Probatur.*

*Potissimum q. 4. sect. 4.*

*Quo sensu vera sit opinio recentiorum.*



esse in omnibus. Atque iuxta huius conclusionis sensum vera est recentiorum sententia, vt patet.

*1. assertio.*

Tertia conclusio. Si genus & species considerentur quoad totam perfectionem naturæ substratæ (quæ tota perfectio vniuersalitas quædam vtcumque appellari potest) species quidem infima cõseruari potest in vnico indiuiduo, genus autem in vnica specie non potest, modo perfectionis nomẽ accipias pro ea, quæ non per accidens, sed per se naturæ conuenit. Nam cùm natura cuiúsque generis perfectius sit, perfectiúsque operetur in vna specie, quàm in alia, vt inductione patet: species autem infima æquè perfectè sit, ac operari possit in omnibus suis indiuidus (si sermo sit de perfectione, quam indiuidua ex natura sua sibi vendicant, & non de aduentitia, quæ ex varia materiæ dispositione, aut aliunde prouenit) non dubium relinquitur, quin species infima, quoad totam perfectionem naturæ debitam, conseruari possit in vno duntaxat indiuiduo, genus autem non item in vnica specie. Atque in hoc sensu, quem non impropriũ dixeris, verisimile est, Boetium, & alios cum eo citatos Auctores intelligendos esse: quod responsio ad eorum argumenta, manifestum faciet.

*Species inmacurin vno indiuiduo cõseruari possit non autẽ genus in vnã specie.*

*Ad sensum tertiæ conclusionis veram esse veterum sententiam.*

## NVM INDIVIDVA EIVSDEM speciei infimæ natura sua sint æquè perfecta.

## QVAESTIO XIV.

*Opinio Caietani & aliorum.*

## SECTIO I.

INTERIM tamen huius tertiæ conclusionis gratia, quæ non minimam tangit difficultatem, disputanda est quæstio illa, Num indiuidua eiusdem speciei infimæ sint ex se ipsis æquè perfecta, præcisa videlicet omni perfectione, quæ ex varia materiæ dispositione, aut alia ratione illis accidit.

*Caietani & aliorum sententia negantem partem amplectentium.*

Caietanus a post Capreolum, & ante alios quosdam Thomistarum ad quæstionem 85. primæ partis D. Thomæ scribit, sub specie humanæ formæ dari formas indiuiduas alias aliis secundum substantiam perfectiores: additque, adeo perspicuum esse, sententiam hanc esse D. Thomæ, vt cœci sint, qui id non videant. Quod idem pari ratione de cæteris formis informantibus, ac proinde de omnibus indiuiduis compositis sentiendum videbitur iis, qui eius opinionem sequentur. Nam de formis per se subsistentibus perspicuum est, apud D. Thomam [b], eiúsque omnes sectatores non dari plures sub eadem infima specie.

*Ratio ex D. Thoma desumpta.*

Caietani ex D. Thoma desumpta ratio hæc est vnica: quia pro varia materiæ dispositione, variè perfecta forma introducitur, nõ accidentario tantùm discrimine, sed essentiali, siue intrinseco. Nam cum

[a] *Caiet. 1. q. q. 85. arti. 7. in 2. d. 32. q. 1. Ferrar. 1. con. Gent c. 2. Iauellus 8. Met. q. 6. Ad eandem sen. accedere videntur Mag. Sent. in 1. ad calcem d. 32. D. Bonauen. & alij.*

[b] *Lege D. Thom. 1. p. q. 50. ar. 4. & de Spiritualibus creaturis artic. 8. & capr. in 2. dl. 3. q. 1.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



forma commensuretur materiæ, si materia variè disposita sit, variè, inquit, perfecta sit forma ipsa secundum se necesse est.

*Aristotelis auctoritate fulcitur.*

Hanc rationem Aristotelis auctoritate fulcit Caietanus: quod 2. lib. [a] de Anima, *molles carne, bene aptos mente esse animaduertat.* Addunt alij Sacrarum litterarum [b] testimonium. *Puer,* inquit Sapiens: *eram ingeniosus & sortitus sum animam bonam:* quòd nimirum aliis meliorem perfectioré mvc acceperit.

a *Cap. 97. tex. 94.*

b *Sap. 8.*

*Articuláque Parisiesium.*

Vtuntur etiam nonnulli ad rem eamdē articulo quodam Parisiensium, in quo æqualitas animarum tamquam error damnatur, quod ex ea sequatur, animā Christi non esse in seipsa anima Iudæ proditoris nobiliorem. Et quāquam his argumentis non magno negotio responderi posset, sunt tamen alia nonnulla, quæ maiorem videntur vim habere.

*Refert Lychetus in 2. d. 3. q. 1. § si dicatur.*

*Primum. Argumenta pro hac parte firmiora. Secundum. Tertium.*

Vnum est, ex operationibus præstantioribus maiorem formarum præstantiam colligi: at formarum eiusdem speciei infimæ alias aliis perfectius operari, vt est luce clarius. Alterum, si indiuidua omnia eiusdem speciei infimæ sunt æqualis perfectionis secundum essentias particulares, ne diuina quidem virtute fieri posse, vt vnum sit alio secundum essentiam perfectius: quod absurdissimum videtur. Tertium, si omnia sunt æquè perfecta, differentias quoque eorum indiuiduantes æquè perfectas esse: at hoc impossibile videri. Nam si æquè perfectæ sunt, iam conueniunt vniuocè inter se: quæ enim æqualia sunt, siue æqualitate propria & secundum quantitatem, siue impropria secundum qualitatem accidentalem aut substantialem, in eo, in quo sunt æqualia, vniuocè conueniunt: at differentias indiuiduantes eiusdem speciei infimæ vniuocè conuenire, ex iis est, quæ dici non possunt. Si enim vniuocè conuenirent, idque secundum essentiam (de hac enim sola conuenientia quæstio esse potest) id sanè, in quo conuenirent per alias differentias in illas diuideretur: de quibus differentiis rursus eadem esset dubitatio, essēntne æqualis perfectionis essentialis, an non: & pari ratione de aliis atque aliis in infinitum: quod cum admittēdum non sit, continuò dicendum erat, esse omnes inter se inæqualis perfectionis secundum essentiam. Quartum, quæ sunt primò diuersa, nulla ratione æquè perfecta esse posse secundum essentiam: quæ enim primò diuersa sunt, in nulla eadem entitate, ac proinde in nulla eadem perfectione conueniunt: at neminem dubitare differentias indiuiduantes esse primò diuersas, si vel mediocrem earum cognitionem habeat. Quòd si non sunt æquè perfectæ, fieri non posse, vt æquè perfecta sint indiuidua, quæ ex illis constant. Postremò, cum differentiæ indiuiduantes sint simpliciter simplices, hoc est, nulla ratione compositæ ex communi aliquo & particulari conceptu obiectiuo, fore, vt si quis eas æquè perfectas esse contendat, concedat necessario esse se totis æquè perfectas. Quòd si se totis, ergo sunt vna & eadem numero perfectio, quemadmodum diuinæ personalitates: quod nefas est vel cogitare. Sequela autem ex eo constat, quia, si non conueniunt in communi aliqua perfectione, quæ in singulis distributa sit, & in aliquibus differūt, & tamen in aliqua conueniunt (alioqui non essent æquè perfectæ) in vna & eadem numero conuenient necesse est.

*Quartum.*

*Quintum.*

*Vera*



*Vera sententia.*

## SECTIO II.

*Pars affirmant, omnia indiuidua sui eadem specie esse æqualis perfectionis.*

VEra tamen sententia, quam tuentur Henricus [a] Gandauensis Durandus, Argentinas, & ex Thomistis, Paulus Soncinas, ac Dominicus de Soto, éstque D. [b] Augustini & aliorum Patrum, ac perspicuè Aristotelis (vt credere par sit fuisse reuera D. Thomæ, facit indiuidua omnia eiusdem speciei infimæ æquè perfecta secundum essentias eorum particulares, & secluſa omni accidentaria perfectione. Quæ sententia multis argumentis ostendi potest.

a *Henr. Gād. quodl 3. q. 5. Dur. in 2. d. 32. q. 3 Argent. in 2. d. 32. q. 1. ar. 2. Sonc. 8. Met. q. 26. Sot. in Predic. ca de substan. q. 2. a. 1 quintū. Machae. de Palatio in 2. d. 32. d. sput. vnica Zimara in Theorē. theor. 54.*

b *Locis inferius citandis.*

*Argumēta pro hac sententia. Primum.*

Primum, quia oppositæ sententię Auctores sentiunt, omnia eiusdem speciei indiuidua esse inæqualiter perfecta: ridiculum autem videtur asserere, duas albedines totidem graduum, duas item lineas, aut superficies eiusdem mensuræ, duo etiam oua eiusdem speciei æqualia inter se, & similium omnino qualitatum, esse inæqualiter perfecta.

2. Deinde, quia cùm perfectio rerum ex vi agendi, modóque operandi colligatur iisque vicissim respondeat, vt inductione patet, & ea etiam ratione constat, quia vnumquodque est propter operationem, vt Aristoteles c ait: sanè si indiuidua eiusdem speciei infimæ essent inæqualiter perfecta secundum particulares essentias, haberent vtique inæqualem vim ad agendum, diuersúmque modum operandi: at non habent. Nam omnes hirundines eadem naturali facultate niduli fabricandi præditæ sunt, & eodem modo illum extruunt: araneique æquè possunt telam conficere, & eamdem natura sua agendi rationem in eo conficiendo sequuntur: atque ita res habet in cæteris. Quod si quædam indiuidua destituta sunt viribus, quas habent alia eiusdem speciei, aut aliquo alio modo agunt, siue alia perfectius, alia minus perfectè, non id ad naturas eorum particulares, sed ad dispositiones accidentarias, defectúmque aut redundantiam materiæ perspicuè refertur: vt verum sit, quod Aristoteles ait: *si senex acciperet oculum iuuenis, videret vt iuuenis:* &, quod simile est, si claudus aut blæsus acciperet crura rectè ambulantis, aut rectè loquentis linguam, eodem modo, quo hi operaretur.

*Vnde indiuidua eiusdem speciei habeant disparem operandi perfectionem.*

1. *lib. de Anima. cap. 4. tex. 64.*

3. Tertiò, quia si alia indiuidua essent aliis eiusdem infimæ speciei secundum substantiam perfectiora, non semper Mundus æquè perfectus esset secundum substantiam: at hoc negant omnes Philosophi, qui perfectum esse Mundum, & optimè constitutum semper asserunt. Quibus fauent in sacris litteris sapientissimus Salomon, & vtriusque legis summus interpres Paulus: alter enim facta & facienda eiusdem conditionis esse pronunciat, cùm ait: *Quid est quod fuit? ipsum, quod futurum est. Quid est, quod factum est? ipsum, quod faciendum est, Nihil sub Sole nouum, nec valet quisquam dicere, ecce hoc recens est.* Alter verò id non de rebus, quoad earum figuram, hoc est, accidentia, sed quoad substantiam intelligendum esse declarat, cùm scribit, *Præterit enim figura huius mundi:* neque enim dixit præterire substantiam, ne quid vmquam substantialis perfectionis mundo deesse crederemus.

*Eccles. cap. 1.*

*1. Corinth. 7.*

4. Quartò, quia si omnia eiusdem infimæ speciei indiuidua essent inæqual-

inæqualis perfectionis secundum substantiam, nõ posset Deus duas res æquè perfectas facere, etiam secundum accidentia: quod absurdissimũ esse manifestum est. Consequentia ex eo patet, quia etiamsi quis contendat, duo oua æquè perfecta secundum albdinem aut facta esse, aut diuina virtute fieri posse, aut duos homines secundum scientiam aut charitatem? merito repugnabit alius, ac concluder, id fieri non posse, quia hæc albedo inæqualis est in perfectione cuilibet alij siue factæ, siue possibili: eodémque modo hæc scientia, & hæc charitas cuilibet eiusdem speciei qualitati.

*Effugium superiorum argumen. Refellitur.*

Quod siquis respondeat, non omnia indiuidua eiusdem infimæ speciei esse dissimilia in perfectione, sed aliqua posse esse similia, aliqua verò non posse, primùm quidẽ eius responsionis rationẽ reddere non poterit, cũ par sit ratio in omnibus: & *in perpetuis cuiusmodi est omnis diuisio in partes essentialiter subiectas, idem sit posse esse, ac esse*, vt Aristoteles tradit tertio Physicorum libro. Quo fit, vt dicendum sit, omnia esse inæqualiter perfecta secundum se, aut æqualiter. Deinde, repugnabit iis Auctoribus, quorum sententiam defendendam assumet: sentiunt enim, re vera nulla esse æqualiter perfecta, vt iam diximus.

*Cap. 4. Textu. 52.*

*Vt apud non nullos conclusio de hominibus confirmetur. Improbatur confirmatio. Albitrij libertas ant sit in omnibus æquè perfecta.*

*Quintum.*

Quinto, quia si omnia essent inæqualiter perfecta: cùm perfectiora ab imperfectoribus non gignantur, tanquam à caussis principalibus, semper agentia particularia generarent imperfectiora: ac hoc est contra illud commune Physicorum proloquium? Agentia semper sibi quàm similima effecta producere, modo nihil sit, quod impediat: veluti defectus, redundantiáve materiæ, aut contrarij agentis repugnantia.

*Nonnulli recentiores.*

Sunt qui in hominibus ex eo conclusionem confirment: quia si ex se essent inæqualiter perfecti, non esset in eis æqualis arbitrij libertas: quod impietatem redolet. Sed non rectè id colligitur, sumpta libertate arbitrij pro ea qua rationales creaturæ sunt liberæ à coactione. Hoc enim pacto non solùm impium esset dogma, eas facere inæquales, sed etiam contra ipsam liberatis naturam. Quod si arbitrij libertas sumatur pro ea, qua creaturæ rationis siue intelligentiæ capaces sunt liberæ à difficultate amplectendi vtramuis contradictionis partem propter intelligentiæ perfectionẽ, aut alia de caussa, recte quidem colligetur ex inæquali perfectione essentiali indiuiduorum inæqualitas eorum arbitrij libertatis. Verùm non magis esset impium ponere hoc pacto in hominibus inæqualem arbitrij libertatem, quàm est in

*Substãtiæ separatæ inæqualis perfectionis & libertatis sunt.*

substantiis separatis diuersarum specierum, in quibus Theologi concedunt inæqualem liberi arbitrij perfectionem cum inæquali perfectione intelligentiæ, quæ radix est libertatis. Ea tamen ratione id absurdum est, quia arguit in hominibus inæqualitatem conditionis humanæ secundum ipsam cuiúsque naturam, quam omnes Patres & in animis, & in corporibus negant, sumptis anima & corpore, quatenus omne accidentarium hominum inter se discrimen antecedunt.

*Lege D. Tho. 1. p. q. 59. ar. 3. ad tertium. & in 2. sen. d. 25. q vnica art. 4. Lib. 10. de Genesi ad literam. c. 17. Lege eudem lib. 73. quæst. quæst 40.*

*Hanc partem D. Augustino placuisse.*

Atque Augustinum, quem oppositæ sententiæ Auctores pro se afferunt, idem sensisse cùm ex aliis locis, tum verò ex commentariis super Genesim ad literam perspicuum est. Explicans illud Sapientis: *Et*



*Iustinus q. 106. Origen. libr. 3. c. 5. Ter. capit. de Naturalibus Iren. cap. 51. Basil. ho. 10. Chrysost. homil. 13. Theodor. capit. de homine. Hieron. in c. 4. Thren. & in Psalm. 81. Bernard. homil. 23. Greg. ca. 31. a Cap. 3. tex. 11. b D. Tho. in eum locũ lec. 8. Alens. ibidem, Alber. Mag. 3. Met. tract. 2. c. 6. & alij.*

tis. *Et sortitus sum animam bonam*, sic ait. *Vnde bonæ aut magis bonæ aut minus bonæ animæ, nisi vel moribus secundum liberum voluntatis arbitrium, vel differentia temperaturæ corporum?* Quo loco planè vides, nullam bonitatis perfectionisve inæqualitatem animarum, siue moralem, siue quamuis aliam agnosci ab Augustino secundum ipsam animarum substantiam, qua nimirum animæ prius natura, quàm corporibus infundantur, inter se differant.

*Exp atribus antiq verb.*

Idem porro senserunt Patres omnes & antiquiores Augustino & recentiores: Nam, vt alios præteream, Iustinus martyr, idémque Philosophus luculenter id docet in quæstionibus à Gentibus propositis. Origenes item 2. & 3. lib. περὶ ἀρχῶν. Cyprianus ad Demetrianum. Tertullianus in lib. de Anima. Irenæus lib. 2. aduersus Hæreses. Basilius in Hexaëm. Ambrosius in lib. de Abraham patriarcha. Chrysostomus in epistolam priorem ad Corinthios. Theodoretus in Epitome diuinorum decretorum. Hieronymus in Threnorum & Psalmorum libros. Bernardus in Cantica. Et Gregorius lib. 21. Moralium in Iob.

*Immo & Aristotelis.*

Ipsum quoque Aristotelem idem sensisse nemo non videbit, si vel ea perpendat, quæ ille in 3. huius *a* operis libr. scripta reliquit, vbi omnes *b* volunt eum ex propria sententia supposuisse hoc esse discrimen inter indiuidua eiusdem speciei infimæ, & species eiusdem generis, quòd in speciebus dátur ordo prioris & posterioris natura (hoc est, dignitatis & præstantiæ secundum substantiam, vt interpretantur) in indiuiduis autem non item, sed solùm (quod addunt) vel temporis vel loci, vel cuiusuis alterius accidentarij discriminis. Neque ex se fingunt eam interpretationem, sed ex proximè sequentibus verbis Philosophi desumunt. Sic enim ait. *Præterea vbi est prius & posterius, semper illud est prius, quod melius.* Ex quibus verbis ad rem, de qua agitur, accommodatis, illud perspicuè intelligitur, hoc discrimen tamquam certum & iudubitatium poni ab Aristotele, quod in speciebus eiusdem generis semper alia secundum se est melior, seu perfectior alia: at in indiuiduis eiusdem speciei infimæ omnia secundum se sunt æquè perfecta. Vnde omnes Peripatetici, præsertim verò Diuus Thomas, illam propositionem accipiunt, nec raro vsurpant: In speciebus quidem dari per se ordinem prioris & posterioris natura, perfectionéque, in indiuiduis autem non nisi per accidens. Lege Diuum Thomam in libello de Spiritualibus creaturis, articul. 8. & in quodlibet. 3. artic. 6. Sic enim ait in priori tractatu. *Manifestum est, quod in omnibus indiuiduis vnius speciei non est ordo, nisi secundum accidens: conueniunt enim in natura, & differunt secundum principia indiuiduantia, & diuersa accidentia, quæ per accidens se habent ad naturam speciei: quæ autem specie differunt: ordinem habent per se, & secundum essentialia principia: inuenitur enim in speciebus rerum: vnam abundare super aliam: sicut in speciebus numerorum.* In posteriori autem hoc modo. *In eadem specie non potest vnum esse prius altero propriè loquendo ordine naturæ, quia species prædicatur æqualiter de omnibus indiuiduis: in generibus autem non est sic: nam inter species vnius generis vna est naturaliter prior & perfectior altera.* Quæ adeo rem declarant, vt non temerè mihi quidem Dominicus de Soto videatur profi-

*In speciebus eiusdem generis semper alia est melior alia.*

*Testimonia D. Thomæ. Idem tradit Dur. in 1. di. q. 1. Fer. 2. cõ. Gent. c. 44.*

teri,se vnum ex iis esse, quos Caietanus cœcos appellandos censet, si non videant,apud D.Thomam indiuidua eiusdem speciei infimæ, etiam si sumantur secundum se,inæqualis perfectionis esse. Haud obscurius idem tradit Aristoteles 8.huius operis libro, cùm pronunciatum illud à Platone acceptum, & ab omnibus Peripateticis approbatum vsurpat. *Species generis eiusdem esse sicut numeros, quod aliæ alias perfectione superent.* Neque enim alia de caussa de solis speciebus locutus est, nisi quia idem de indiuiduis dici non posse existimauit.

*Alia ex Arist. confirmatio.*

*In prædic. 1. de substantia q 2. ad quintum. cap. 3. text. 10.*

Sed & ex illa ipsa quæstione,quam Philosophi ac Theologi tractant possintne virtute vlla dari plures species æquè perfectæ, illud intelligi potest,vbi non est controuersia de opinione huius vel illius Doctoris, in cuius verbis hic, aut ille iurandum sibi existimauit omnes hanc eandem sententiam supponere,cùm speciatim id quærant de speciebus diuersis: quia de indiuiduis vnius & eiusdem dicendum id esse non dubitant.

*Ex quæstione philosophica & Theologica.*

Quin etiam ex respectu diuidendi, definiendi, & demonstrandi ratione,in qua tota differendi perfectio posita est,idem planè colligitur. Nam apud Philosophos *a* infimæ species atomæ, siue indiuiduæ dicũtur, vt sæpe videre est apud Aristotelem, quod præcipua diuisionis ratio,qua superiora in inferiora diuiduntur, in eis consistat, neque vlterius descendendo Platonis iussu progrediatur. Vetuit enim Plato, *b* sub infimas species descendere non tam propter indiuiduorum infinitatem,quàm quia nulla sub eis perfectionis inæqualitas,dissimilitudóque cernatur,vt non sit cur Philosophus in pluribus indiuiduis percurrendis laborandum existimet. Hinc Boëtius priore editione in Porphyrium cap.de Specie.*Sed quoniam,* inquit,*species aliquorum est continens, & non specie differentes res continet, similes necesse est sibi contineat pluralitates.* Diuus quoque Damascenus post Boëtium in sua Dialectica. *Hæc,* inquit, *dicuntur substantiales & naturales differentiæ, & qualitates diuisiuæ superiorum,& constitutiuæ inferiorum, & specificæ specialissimarum specierum constituentes ipsas,& diuidentes naturam à natura: natura autem in specialissima specie ordinatur.* Et superius: *Homo*, inquit, *in omnes homines diuiditur, qui infiniti sunt numero, propterea autem diuisionem non rectè dici eam, quæ sit speciei in indiuidua,sed enumerationem.* Quod idem in aliis æquè Græcis ac Latinis facilè ostendi posset.

*Ex partibus subiectis modo differendi. Diuisionis ratio quousq; procedat.*

a *Sic Arist. 2. Poster. cap. 15. & 1. de Partib. anim. cap. 5. & hoc ipso lib. c. 10. text. 16. D. Tho. 10. Met. lectio 10. & 11. Porph. in Isagoge c. de specie. Ioan. Dam. in sua Logica ca. 2. & 3.*

b *Vt refert Porphyr. in Isagoge cap. de specie.*

Definitionis quoque ratio idem ostendit. Si enim indiuidua eiusdem speciei perfectione intrinseca essent inæqualia, tradendæ vtique essent de singulis peculiares definitiones, haberétque eorum quodque peculiare quod quid est:at omnes prohibent,definiri indiuidua, vt quæ habent vnum & idem quod quid. Hinc enim soluitur celebris illa quæstio. Sint ne idem,an diuersa id quod est, & ipsum eius, quod quid est. Nam cùm nomine eius, quod est, intelligenda sit indiuidua substantia,vt quæ sola per se in rerum natura cohæret: nomine autem ipsius, quod quid est,omnes Philosophi intelligant naturã specificam, quam solam definiri volunt, ex eo concludit Aristoteles, eiúsque indiuiduus comes in iis,quæ naturali lumini subsunt D. Thomas,in rebus quidem naturalibus non idem esse id, quod est, & ipsum eius

*Definitio. Celebris quæstio soluitur.*

*Arist. lib. 7. Met. c. 6 text. 20. D. Th. 1. p. q. 3. art. 3. & aliis in locis.*





eius quod quid est,quia ipsum quod quid est multorum indiuiduorum vnius & eiusdem speciei est vnum tantum, quia caret materia signata, ipsa autem, quæ sunt propter inclusionem materiæ signatæ, qua constant,sunt multa.Sed de cæteris, quæ in solutione huius quæstionis dicuntur, aliàs, illud nunc est ad rem, omnes in ea esse sententia, vt putent, solam speciem, si cum indiuiduis conferatur, habere peculiare quod quid est, eámque solam definitione explicari, vt concludamus, neminem esse,qui si remoto omni cuiuscumque Auctoris præiudicio rogetur, differant ne indiuidua eiusdem speciei infimæ essentiali perfectione inter se,non statim ex ipsa definiendi ratione respondeat non differre.

*Demonstrationis formæ idem ostendi.*

Denique ipsa demonstrandi ratio idem ostendit.Si enim intrinseca perfectione differrent,ergo & peculiaribus inter se proprietatibus.Ex qua re efficeretur, vt demonstrationes de indiuiduis non minus rectè, quàm de speciebus afferri possent:at non afferuntur, nisi per aliud,secundariáque ratione,vt omnes asserunt,& libro septimo patebit.

*Lege quæ dicta sunt hoc lib. cap. 6. q. 2. 3. 4. & 5.*

*Vltima confirmatio ab auctoritate.*

Astipulantur porrò huic sententiæ quicunque indiuiduorum sub eadem infima specie distinctionem vel ad diuersam existentiam vel ad accidentium variam collectionem, vel ad materiæ distinctionem referunt.Non enim credendum est, eos ad ista confugere, quasi negent internas differentias,quibus indiuidua sub species & constituuntur, & inter se distinguuntur, sed quia nullam internam perfectionis inæqualitatem in ipsis indiuiduis inuenire possunt.Potissimum verò ij,qui differentias specificas ex gradibus formarum, indiuiduantes vero ex diuisione materiæ desumendas volunt,huic opinioni fauent, adeo enim in hanc partem inclinant, vt nullam perfectionem formalem, indiuiduis propriam, & à perfectione speciei distinctam admittere videantur:tantùm abest,vt ea inæqualiter perfecta esse concedant.

*Solutio argumentorum aduersæ partis.*

## SECTIO III.

*Soluitur Caietani ratio.*

*Expositio D. Thom.*

QVare ad rationem,quam ex Diuo Thoma desumit Caietanus, dicendum est: esse quidem formam substantialem materiæ commensuratam: verùm non omnem varietatem dispositionis materiæ poscere variè perfectam formam secundum substantiam, sed eam tantum quæ postulat specificam formæ differentiam, posse tamen melius dispositam materiam intra terminos dispositionum ad eamdem speciem formam pertinentium caussam, aut occasionem esse,vt forma,quæ introducitur, perfectiores habeat potentias, aut in actus perfectiores prodeat. Quo pacto corpus humanum perfectius dispositum non solùm perfectiorum potentiarum sensitiuarum caussa est, sed etiam perfectiorum animæ intellectiuæ operationum occasio. Quo pacto intelligendus est D.Thomas,cùm ex perfectiori dispositione humani corporis maiorem humanæ formæ perfectionem colligit, non solùm quoad vires sensitiuas,sed etiam quoad intellectum.

1. p. q. 85. ar. 8. & in 1. d. 8. q. 5. art. 2. ad 9. & in 2. dist. 32. q. 2. art. 3.

*Quo pacto corpus humanum caussa sit perfectiorũ operationum animæ.*

Universidad de Deusto Biblioteca



*Retorquetur argumentum in Caietan.*

Retorqueri autem posset argumentatio in Caietanum, si eodem pacto colligeremus, ex duabus materiis æquè dispositis ad easdem specie formas, æquè perfectas esse introducendas, cùm tamen ipse omnes inæqualiter perfectas esse velit, nisi vereremur, ne absurdius negaret, fieri posse, vt detur in duabus materiis æquè perfecta dispositio. Verùm hoc saltem nobis pro argumento sit satis, nisi absurdiori hæc responsione absurdam sententiam defendi non posse.

Eodem modo respondendum est, cùm ad locum Aristotelis citatum, tum etiam ad verba Sapientis ex sacris litteris adducta, & (si placet) ad Parisiensium articulum, quicquid ille virium extra Sorbonam habeat.

*Solutio argumentorũ, quæ plus difficultatis cõtinẽt.*

Primum verò argumentum eorum, quæ addimus, hoc pacto dissoluendum. Formas substantiales eiusdem speciei æquè perfectè operari, semoto omni accidentario ipsarum discrimine, seu potius principia esse æque perfectarum operationum: quod autem perfectius operentur in vno indiuiduo, quàm in alio, ad variam materiæ dispositionem, causarúmque externam concursum referendum esse. Hinc Aristoteles, *ingeniosiores melancholicos a sæpe visos scriptum reliquit: Asiati eos b item Europæis astutiores esse, vicissimq; Europæos Asiaticis robustiores.* Quòd si de formis accidentalibus sit sermo: fatemur dari posse alias sub eadem specie aliis intrinsecus perfectiores, si sint ex genere earum, quæ magis & minus suscipiunt: idque rectè colligi ex varia perfectis operationibus, vt ex perfectiori calefaciendi ratione intensiorem calorem. Sed tamen addimus, eam perfectionem esse suo modo accidentariam, cùm eidem formæ numero sæpe accidat, vt modo sit intensior, modò remissior: at quæstio proposita illud inquirit, sint ne alia indiuidua aliis eiusdem speciei infimæ perfectiora, semoto omni eorum accidentario discrimine.

a In Probl. sect. 30. q. 1. b (7. Lib. Politico. c. 7.

*Formas accidentarias sub eadem specie inæqualis perfectionis intrinsecæ admitti debere.*

*Solutio. 2. Impossibile est, duo individua subeadẽ specie esse inæqualis perfectionis essentialis.*

Secundum vero nihil absurdi colligit, nam sublata omni accidentaria differentia, quouis modo illa ponatur: tam est impossibile, sub eadem specie infima in æqualitatẽ perfectionis inuenire, quàm res inter se simillimas esse dissimiles, & omnino æqualiter perfectas inæqualem habere perfectionem. Itaque vt ne diuina quidem virtute effici potest, vt duæ species eiusdem generis sint æquè perfectæ: ita neque vt duo indiuidua eiusdem speciei imfimæ inæqualem perfectionem habeant, modo in eis nihil accidentarij discriminis consideretur.

*Tertij. Differentiæ indiuiduæ cur non cõueniãt vniuocè.*

Tertium quoque nihil efficit: quia etsi differentiæ indiuiduantes, quibus eadem species infima diuiditur, æque perfectæ sunt, non inde tamen rectè conluditur, eas vniuocè conuenire. Immo verò dicimus nullam conuenientiam vniuocam in natura aliqua verè vniuersali efficere, vt res conuenientes æque perfectæ sint in seipsis, sed solũ, quatenus in illa natura conueniunt. Nulla enim natura vere communis & in vniuersalis continet totam perfectionem suorum particularium: quippe cùm particularia omnia aliquam perfectionem suis vniuersalibus addant, vt primæ substantiæ secũdis. In sola diuina natura, quæ non est verè vniuersalis, sed potius maxime singularis, illud est verum, quæ in ea essentialiter conueniunt, nempe ipsas diuinas personas, ratione illius

*Diuinæ naturæ singularis dignitas.*



lius æquè perfectas esse in seipsis, neque alia de caussa, nisi quia diuinæ personalitates nihil perfectionis addunt diuinæ naturæ, quæ in se totam perfectionem diuinam formaliter continet. Tantùm ergo abest, vt conuenientia vniuocà indiuiduorum eiusdem speciei infimæ colligatur ex perfectione, qua ipsa in seipsis dicuntur æquè perfecta, vt potius oppositum concludatur.

*Perfectiones cur æquales sint inter se perfectionis.*

Sed tamen, vt hæc melius intelligantur, animaduertendum est: æqualem perfectionem duarum rerum in seipsis, & non in aliqua tantùm vniuoca, & vere vniuersali natura, duobus modis posse contingere, vno ita, vt quicquid perfectionis reperitur in vna, idem prorsus reperiatur in altera, quam æqualitatem positiuam appellare possumus: altero ita, vt perfectio vnius nec formaliter, nec virtute, & eminenter excedat perfectionem alterius, etiamsi nihil perfectionis, quæ in vna sit, reperiatur in altera. Priori modo in solis diuinis suppositis inueniri potest æqualis perfectio, vt perspicuum est: Posteriori autem inuenitur in duabus quibuslibet qualitatibus æquè intensis, & in duabus quantitatibus æquè extensis, ac denique in duobus quibúsque indiuiduis cuiúsque speciei infimę, remota ab eis omni accidentaria differentia, potissimum verò in eorum differentiis indiuiduantibus, quod ita se habeant, vt non solùm nulla excedat aliam siue formali, siue virtuali, vt ita dicam, excessu, sed neque etiam vlla perfectio reperiatur in vna, quæ non reperiatur in alia. Secus accidit in qualitatibus inæqualiter intensis, aut in quantitatibus inæqualiter extensis, quarum aliæ alias excedunt formaliter, hoc est, diuisibili excessu, & in differentiis specificis, etiam eiusdem generis, quarum aliæ, si non formaliter, certe virtute, eminentérque alias perfectione superant. Id quod ex variis dissimilibúsque proprietatibus specierum: quas constituunt, planè colligitur: cùm non profluant ex sola natura generica, sed potissimum ex addita differentia specifica.

*Maior explicatio solutionis tradita.*

*Perfectio duarum rerum in seipsis duobus modis potest accidere.*

*In diuinis personis quicquid perfectionis reperitur in vna id reperitur in altera.*

*Obiectio.*

Quod si quis obiiciat, differentias quoque indiuiduantes eiusdem infimæ speciei inæqualiter videri perfectas esse, quia variæ ab eis oriri videantur proprietates actiuæ & passiuæ (quæ enim fiunt ab vno aut ex vno indiuiduo: non possunt eadem numero ab alio aut ex alio eiusdem speciei fieri, vt diximus ad caput secundum) hoc modo occurrendum est. Primum quidem, etsi proprietates eorum actiuæ & passiuæ diuersæ rationis essent, tamen omnes forent æqualiter perfectæ, quandoquidem æqualis perfectionis est generare hoc atque illud, & esse aut fieri materiam huius atque illius, si omnia, quæ generantur, sunt æquè perfecta.

*Solutio.*

Deinde quia proprietates eorum actiuæ ac passiuę, quantum ex ipsis est, idem omnino possunt: tametsi ex parte subiectorum eueniat, vt non omnes eamdem vim habeant. Quod enim Socrates nullum eumdem filium generare potest, quem potest Plato, non ex defectu facultatis generatiuæ Socratis prouenit, quæ æqualiter communicatur cum natura humana Socrati & Platoni, sed ex diuersitate suppositi generantis, quod est principale agens in generatione. Eodémque modo, quod ex semine Socratis non possit eadem proles effici, quæ ex semine

Platonis,non ex defectu potentiæ passiuæ seminis à Socrate decisi accidit,sed ex diuersitate subiecti eiusmodi potẽtiæ, quod est principale patiens. Vnde & diuina virtute quicquid ab vno aut ex vno fieri potest potest etiam ab alio aut ex alio fieri,vt eodem quoque loco diximus.

*Solutio 4. Quo pacto differentiæ indiuiduæ eiusdem primo diuersæ sint æque perfectæ. Quinti solutio.*

Ex his facilè intelligitur, quid ad quartum & quintum respondendum sit. Nam ad quartum,satis patet,concedendum, immo & asserendum esse,differentias indiuiduantes eiusdem speciei esse primo diuersas,ac proinde in nulla eadem perfectione conuenire,siue quæ numero sit eadem,siue quæ specie aut genere. Negamus tamen inde effici: non esse eas æqualiter perfectas, quippe cum etsi positiuè æqualis perfectionis non sunt,sint tamen negatiuè. *Quæst.13. sect.2.*

*Perfectio duplex,positiua & negatiua.*

Ad quintum verò & extremum, fatemur, differentias indiuiduantes esse simpliciter simplices:ac proinde se totis æquè perfectas,sed tamẽ negamus, inde effici, vt sint vna & eadem numero perfectio:ita enim sunt se totis æquè perfectæ, vt sint etiam se totis diuersæ, ac proinde primò diuersæ. Id quod propterea accidere potuit:quia sunt æquè perfectæ negatiuè,non positiuè, quo pacto si æquè perfectæ essent, tum demum rectè colligeret argumentum, esse vnam & eamdem numero perfectionem,vt colligitur in diuinis personalitatibus.

*Quo pacto respondendum sit ad argumenta D.Thomæ & aliorum quæ in superiori quæstione adducta sunt.* SECTIO V.

*Accommodatio doctrinæ traditæ ad superioris quæstionis difficultatem.*

EX his manifestius patet resolutio superioris quæstionis: si genus, inquam, & species infima sumantur quoad totam perfectionem, quam per se in suis inferioribus habere possunt:speciem quidem posse conseruari in vno indiuiduo, quia, vt omnia sunt æquè perfecta, & in seipsis spectata,& quoad ea,quæ ipsis per se conueniunt: ita æqualiter naturam speciei perficiunt:genus autem non posse conseruari in vnica specie, quia sicut omnes eiusdem generis species sunt per seipsas inæqualiter perfectæ:sic etiam inæqualem perfectionem sui generis naturæ afferunt.

*Solvuntur argumenta posita quæstione superiori, sect.2.*

Argumentum vero primum D. Thomæ in hoc eodem sensu accipi potest. Nam quod ille ait, potestatem generis ad omnes suas species esse potentiam quamdam naturalem, non ita intelligendum est, quasi velit esse qualitatem aliquam ad secundum genus qualitatis pertinentem,quæ ex natura substrata cuiusque generis per se oriatur, aut proprietatem aliam,quæ cum natura generica in speciebus multiplicetur: cùm falsum id sit manifestè,& fusè ex eius Doctoris principiis superiùs refutatum,sed ita,vt sentiat,eam potestatem, quam quidem conuenire diximus cuilibet naturæ genericæ, quatenus naturæ ordine præcedit contradictionem ad suas species, ea ratione posse dici naturalem potentiam,quatenus frustra esset, nisi aliquando perduceretur ad actum in omnibus speciebus, quod non accidit in potestate speciei ad omnia indiuidua,idque ea ratione, quia natura generis nec totam perfectionem essendi,nec totam facultatẽ operandi suæ naturæ debitam habet, nisi in omnibus suis speciebus, Quod secus accidit in specie infima respectu suorum indiuiduorum, æquè enim perfecta est, & operari potest

*Hoc eod.cap. q.4.sect.1. & 4.*



test in vno tantum,siue perenni existentia,vt Sol,siue in alio indiuiduo restituta,quod de Phœnice fingunt Poëtæ. *Obiectio*

*Non æquam fabulam narrant Plin.li. 10.Nat hist. c.2. & D. Amb.in mor te fratris de fide resurrectionis oratio 2.& alij graues auctores.*

Sunt tamen quæ contra hæc obiiciantur. Vnum est: si genus indiget omnium suarum specierum existentia, vt quoad totam perfectionem suæ naturæ debitam existat, igitur,vel nullum genus vnquam existere perfecte,vel Deum Op.Max.nullas species posse producere,quæ non aliquando futurum sit,vt existant, quorum illud cum perfectione vniuersi,hoc cum infinitate diuinæ potestatis pugnat.

*Secunda*

Alterum est esse plurimas species, quæ nec perfecte existere, nec perfecte operari possunt in vnico indiuiduo,eas nimirum omnes,quæ nisi per commistionem maris & fœminæ non propagantur. Generatiua enim earum Potentia in duobus minitum indiuiduis & conseruatur & exercetur, vnde fit, vt imperfectæ sint in rerum natura, si vnus tantum earum sexus existat. Cuius rei testimonium perhibet diuina historia Geneseos, quæ Plasmato vnico homine mare, narrat dixisse. Deum, *non esse bonum hominum esse solum*, quod videlicet nec naturaliter in totum futurum tempus permanere, nec multiplicari, vt alia prope infinita animantia propagatione posset.

*Diluitur prima obiectio. Perfectio generũ huius vniuersi cõstat licet Deus infinitas species potest producere.*

Sed prior obiectio facilè diluetur, si dicas, non esse nobis quæstionem hoc loco de conseruatione generis, quod totam eius perfectionem simpliciter, sed quoad eam quæ ad perfectionẽ huius vniuersi quatenus à Deo constitutum est, requiritur. Vnde etsi Deus infinitas species producere potest, quæ numquam futuræ sunt, non inde tamen efficitur, vt earum genera non perfectè conseruentur in iis speciebus, quæ ex caussis naturalibus pendent quatenus huius vniuersi perfectio requirit.

*Lege Galenũ 14. de vsu partium. & Arist.10.lib. huius operis c.8. tex. 25. Plin. c. 4. Fulgosius lib. 1. c. 6 Lege itẽ Sabellicũ in exemplis, lib.9.cap.8.*

*Secundo. De maris & fœminæ distinctione notanda considera tio.*

Posterior verò hac consideratione disoluitur. In mare & fœmina, si essentia ipsa substantiæ particularis spectetur, nullam esse sexus distinctionem potentiæve generatiuæ sed æquam esse vtique facultatem naturalem ad generandum per commistionem sexus. Cuius rei argumento est. posse marẽ in fœminã diuina virtute, & vicissim fœminam in marẽ non tantũ diuina virtute, sed per caussas etiam naturales transformari,non mutata particulari substantia indiuidui, identitatéq;eius numerali. Quod in fœminis non semel accidisse narrat Plinius lib.7. Naturalis historię, vbi puellas in pueros euasisse mutato sexu memoriæ prodidit. Sed & ex recẽtioribus historię scriptotibus narrat Fulgosius, sua ætate regnãte Neapoli Ferdinãdo primo, duas Ludouici Guarnæ filias Franciscam & Carolam post decimum quintum ætatis annum sexum mutasse, mutatóque habitu pro maribus habitas, Franciscum & Carolum deinceps nuncupatas fuisse.

*Naturã humanam in solo Adamo perfectè conseruatam*

Quocirca perfectè quidem conseruabatur natura humana in solo Adamo, si sola eius particularis essentia cum facultate generatiua essentiæ debita spectetur, at non perfectè, si vsus quoque eius facultatis habeatur ratio, cùm ad vsum non sit satis essentialis perfectio facultásque ipsi essentiæ debita, sed necessaria quoque accidentaria sexuum distinctio: quam perfectionem spectauit Deus, cum dixit, *non esse bonum hominem esse solum*: quemadmodum spectauit alios

*Gene.2.*

vtils

vius humanæ conditionis ac dignitatis, qui societatem plurimũ indiuiduorum requirunt.

Ita patet qua ratione intelligenda sit prior ratio D. Thomæ, quoad id, in quo tota argumenti vis posita est. Nam de eo, quod additur, speciem diuidi per externa quædam, quasi non prius natura diuidatur per internas differentias indiuiduantes, nec verum est nec ex mente seu D. Thomæ, seu aliorum Auctorum, qui citantur, vt patet ex iis, quæ ad caput 6. huius libri disputauimus. *q.2.3 4.5. & 6.*

*Genus per contrarias differentias quo pacto diuidi.*

Posterior D. Thomæ ratio hoc modo planè intelligitur genus omne diuidi per differentias contrarias, hoc est, quarum alia se habeat, vt habitus, alia vt priuatio (quod non semel tradit Aristoteles a) hoc est, quarum alia sit alia perfectior, vt ipse D. Thomas b exponit. At que inde verum est illud. Si vnum contrariorum in rerum natura est, alterum quoque aliquando esse, ne videlicet frustra sit subiectorum potentia naturalis ad omnem varietatem perfectionis, quam huius vniuersi perfectio postulat.

a *Arist. lib. 10. Me. c.6. text. 13. & 14. & c. 10 text. 22. & & 23. & c. 7 text. 15. & 16.*

*Soluitur argumentũ eorum qui ab Ægidio referuntur.*

Denique argumentum eorum, qui ab Ægidio referuntur, nec fideliter, sed trunncatè pronunciato Aristotelico vtitur, nec veram sententiam assumit, facit enim genus omne verè analogum, cũ nullam naturam generalem à specialibus abstrahi posse contendat, idque velit Aristotelem significasse, At Aristoteles non simplici pronuntiato, sed disiunctiuo vtitur. Ait enim: *aut genus non esse quicquam præter ea, quæ sunt velut eius species*: hoc est, distinctum aliquid à differentiis per quas diuiditur: *aut si est, ita se habere ad illas, vt materia se habet ad formas.* Argumentum autem assumit priorem disiunctionis partem, qua placet eis Auctoribus, omne genus esse verè analogum, cum tamen Aristoteles posteriorem amplectatur. Cur autem alibi c dixerit: *in genere latere æquiuocationes*, alio loco d explicauimus quod nunc repetere non est necesse.

c *7. Phy. c. 4. tex. 31. & lib. 10. Met c. 13. tex. 26.*

d *Ad c. 3. q. 4. sect. 4*

Aque hæc de genere & specie, nunc de differentia, qua genus ad speciem quasi descendit, nonnulla etiam consideremus.

## DENTVRNE DIFFERENTIÆ SIMPLICES QVAE CVM INFIMIS speciebus recurrant.

## QVÆSTIO XVII.

*Partis negatiuæ auctores & fundamenta.*

### SECTIO I

*Alber. Mag. Logic tra. 5. cap. 6. Burleus cap. de differẽtia apud Porph. Anic. Alpharab. Caie. ibi.*

*Occasio quæstionis.*

*Definitio differentiæ.*

HVius quæstionis, quæ apud Magnum Albertum, & alios quosdam disputatur, occasio fuit secunda illa definitio differentiæ quam in Isagoge tradit Porphyrius. *differentia est id quod prædicatur de differentibus specie in quæstione quale est*, adde (quod subaudiendum est) essentialiter. Nam cum plerisque durum videatur no



*Primum argumentum.*

tur non comprehendi in ea omnes differentias specificas, quatenus vniuersales sunt (nulla enim alia definitio traditur à Porphyrio, qua differentia, quatenus vniuersale quiddam est, explicetur) hanc differentiarum distinctionem excogitarunt, vt alias simplices dicerent, quę́que verè essent differentiæ: vt corporeum, animatum, sensitiuum, rationale, mortale, immortale: alias compositas, seu potius plurium differentiarũ complicationes, vt totum hoc rationale mortale, & hoc item rationale immortale. Qua distinctione posita dixerunt, omnes quidem differentias simplices in definitione illa comprehendi, quod nulla earum cum specie vlla infima reciprocetur: compositas autem, quæ cum speciebus infimis recurrunt, quemadmodum veræ differentiæ dici non possunt, sed verarum coniunctiones, ita meritò in ea definitione non explicari. Atque hoc vnum est eorum pro negatiua huius quæstionis parte argumentum.

*Eodem cap.*

Alterum desumunt ex ipsis apud Porphyrium differentiarum exemplis. Nulla enim simplex differentia ab eo affertur in constitutione hominis, quæ non eius sententia de pluribus rebus specie differentibus essentialiter dicatur, etiam rationale. 2.

*Cap. 14.*

Tertium ex Aristotele 2. lib. de Poster. resolutione, cum docet, ad infimam quamlibet speciem definiendam quærendas esse differentias, quarum quæque per se latius quidem pateat, quàm species, quæ definienda est: omnes autem simul iunctæ, cum ea recurrant. 3.

*Cap. 3.*

Quartum ex primo Topic. cum ait Arist. *differentiam, cùm generalis sit, vel quia generalis est* (hoc est, quia de pluribus speciebus, quemadmodum genus prædicatur) *ad genus esse reuocandam*: & cùm libro 6. scribit, de pluribus differentiam, quàm speciem prædicari. 4

*Cap. 3. & 4.*

Addi & illud potest ex primo libro de Partibus animalium, *incommodum esse concedere tot esse differentias vltimas, quot sunt ipsæ vltimæ species.* Id enim de differentiis simplicibus dictum esse nemo dubitauerit, cùm perspicuum sit, compositas, quæ reciprocantur cum speciebus vltimis, tot esse, quot sunt ipsæ vltimæ species. 5.

*Approbatio affirmatiuæ partis.*

### SECTIO II.

*Partis affirmantis argumenta. Primum.*

DAndas esse tamen differentias simplices, quæ cum speciebus infimis recurrant, hisce argumentis ostenditur. Primùm, quia cùm species subalternæ accessione simplicium differentiarum ad immediata genera constituantur, vt substantia corporea accessione corporei ad substantiam genus summum, & animal accessione sensitiui ad corpus animatum, seu substantiam corpoream viuentem, non est, cur id negetur infimis speciebus. Nam si propterea species infimæ constitui debẽt compositis differentiis quia ipsæ compositiores sunt, quàm subalternę (fortasse enim hoc aliquis dixerit) non desunt species subalternæ, quæ compositiores sint in sua serie coordinationéve prædicamentali, quàm infimæ in alia serie: compositior enim species est platanus aut pirus, quàm primùm mobile, aut quæuis alia species infima cœlestium cor-

*Dari species subalternas magis compositas in sua serie, quã infimas in alia.*

porum,vt mittamus ſpecies infimas ſubſtantiarum ſeparatarum iuxta veram de illis ſententiam.Quamquam nihil refert alioqui maior compoſitio ſpeciei,vt propterea cenſeatur eius differentia proximè conſtitutiua eſſe compoſita:ſatis enim eſt ad maiorem eius compoſitionem (vt loquamur de Metaphyſica compoſitione,de qua eſt ſermo) maior multitudo generum & differentiarum ſimplicium, quibus genera ad proximas ſpecies contrahantur.

*Secundum. Omnem ſpeciem habere gradum aliquem ſibi peculiarem.*

Deinde,quia omnis ſpecies habet gradum aliquem eſſentialem ſibi proprium & peculiarem,quo à cæteris tum generibus, tum ſpeciebus, tum etiam indiuiduis diſtinguitur,propter quem gradum habet peculiarem locum in prædicamentis,atque adeo in ſua peculiari ſerie prædicamentali:is autem gradus prouenire non poteſt,niſi à propria & peculiari differentia:ſeu potiùs nihil eſt aliud, quàm propria &peculiaris differentia,quæ ſimplex & indiuiſibilis formaliter eſſe debet. Vt enim quilibet numerus conſtituitur acceſſione vnitatis,quæ formaliter ſimplex eſt,& indiuiſibilis,ita quælibet ſpecies acceſſione ſimplicis alicuius indiuiſibiliſque differentiæ,vt tradit Ariſtoteles 8. huius operis libro,& omnes concedunt etiam aduerſę partis Auctores:non poteſt igitur eadem differentia eſſe proximè conſtitutiua diuerſarũ ſpecierum. Quo fit,vt danda ſit aliqua differentia ſimplex,quæ infimam quamque ſpeciem proximè conſtituat,quæque cum ea neceſsariò recurrat.

*cap. 5. textu 50.*

*Tertium. Omnium ſpeciem habere proprietatem quæ à cæteris diſtinguatur.*

Tertiò,quia quælibet ſpecies infima habet peculiarem aliquam proprietatem, per quam à cæteris à poſteriori, noſtráque cognitione diſtinguitur, ergo & peculiarem differentiam eſſentialem natura priorem,quàm illa conſequatur.

*Quartum. Hominis differentiã ſimplicem.*

Quartò,quia ſiqua eſſet ſpecies,quæ careret differentia eſſentiali ſibi ipſi peculiari,ea maximè eſſet homo, quod vltra naturam animalis duas habere videatur eſſentiales differentias: quarum vna eſt rationale,quod ei commune eſt cum Angelis,aut iis animalibus,quæ Platonis ſententia rationalia ſunt & immortalia, altera mortale, quod commune habet cum brutis animalibus. At rationale non conuenit Angelis, cùm rationalis vocabulum ſignificet gradum intellectiuum cum naturali diſcurſu cogitationiſque miniſterio,opinióque de animalibus,quę rationalia ſint & immortalia,vera non ſit:ſiquidem omne animal, immo & omne corpus animatũm mortale eſt,habet igitur homo peculiarem ſibi differentiam eſſentialem, nempè relatione: mortale autem non contrahit animal ad aliquam aut aliquas ſpecies, ſed eſt generalis differentia corruptibilitatis,non quatenus in commune ſumitur,& corpus corruptibile conſtituit,ſed quatenus intelligitur in iis, quæ vitæ & mortis ſunt capacia.

*Vt tradit D. Diony. Areo pag. c. 4. Cæleſt. Hierarc. & Alexan. Alen. 2. p. q. 12. articul. 1. membr. 2. & D. Tho. 3. p. q. 58. ar. 3. & in Diſputatis q. 8. ar. 15.*

*Rationale propria eſt hominis differentia.*

*Quintum.*

Quintò,quia ita ſe habet differentia ad ſuum genus,vt ſe habet forma ad ſuam materiam, quælibet autem forma ſpecifica proximè conſtituit aliquam ſpeciem rei naturalis, cum qua reciprocatur, vt inductione patet, igitur & quælibet differentia ſpeciei conſtitutiua conficit proximè aliquam ſpeciem,cum qua recurrit.Quò fit,vt quæ proximè infimam conſtituit,de ea ſola prædicari poſſit.

*Sextum.*

Poſtremò, quia, vt in naturalibus eadem ſpecies materiæ habet potentiam



potentiam ad diuerſas ſpecie formas, eadem verò forma non eſt in potentia diuerſarum ſpecie materierum, ita conſentaneum rationi eſt,vt etſi genus idem habet potentiam ad diuerſas ſpecie differẽtias, tamen eadem differentia non ſit in potentia diuerſorum ſpecie generum, hoc eſt, habentium diuerſas naturas & eſſentias, cuiuſmodi ſunt omnia, quorum alterum non eſt ſub altero collocatum.

*In Iſagog.* Hoc idem declarat Porphyrius in conferendis quinque prædicabilium generibus,cùm ait, *ſæpè differentiam in pluribus ſpeciebus conſpici*: & cum paulò pòſt ſubdit,*per ſæpè differentiam de pluribus ſpeciebus dici*: qui enim ſæpè aliquid euenire dicit, aliquando etiam aliter accidere admittit. Quam eamdem ſententiam Ariſtoteles innuit 7. libro huius operis,vt eodem loco patebit,planéque aſſerit in prædicamentis,cum ait: *diuerſorum generum,quorum alterum non eſt ſub altero collocatum,diuerſas eſſe ſpecie,hoc eſt,natura differentias*. Nam quod 6.libro Topicorum videtur admittere, genera, quæ ſubſunt eidem tertio generi, poſſe diuidi eiſdem differentiis,vt animal greſſibile & volucre differentia bipedis, topicè tantùm dictum eſt ad copiam argumentorum pro vtraque parte comparandam,cùm in prædicamentorum lib.in quo omnia dogmaticè tradit,nihil tale adiungat.

*Confirmatio ex Porphy.*

*Cap. 12.*

*Ex Ariſt.*

*Explicatur Ariſt. locus.*

Accedit omnium Scholaſticorum ſententia,quorum nonnulli,iíque grauiſſimi,nimij etiam videntur in hac re:adeo vt velint, differentiam & ſpeciem conſtitutam,non formaliter & ex natura rei, ſed ſola conſideratione diſtingui.

*Dilutio argumentorum partis oppoſitæ.*

## SECTIO III.

*Solutio Caie.* AD primum igitur negatiuæ partis argumentum reſpondet Caietanus de Alberti ſententia: in propoſita differentiæ definitione explicari non tantùm differentias generales,ſed etiam ſpeciales. Vult enim,id,quod formaliter definitur, eſſe differentiam, quatenus differentia eſt,hoc eſt,qua ratione diuidit genus, & conſtituit ſpeciem:hæc enim ſunt propria & præcipua differentiæ officia,quatenus differentia eſt.Tum ait,verba illa,*quod prædicatur de differentibus ſpecie*, ſic eſſe exponenda,*cui,quatenus differentia eſt,non repugnat prædicari de pluribus ſpecie differentibus*. Vnde cùm differentiis, quæ cum ſpeciebus infimis reciprocantur,quatenus ſunt differentiæ,non repugnet prædicari de pluribus ſpecie differentibus (alioqui nulla eſſet differentia,quę hoc modo prædicari poſſet) illud effici concludit,vt hæ quoque differentiæ in ea comprehendantur.

*In Iſagog ad ca. de Differentia.*

*Improbatur. Qua ratione deſiniatur differentia in illa definitione.*

Non eſt tamen ſententia hæc probanda. Primùm, quia differentia non definitur in ea definitione, quatenus diuidit genus aut conſtituit ſpeciem,ſed qua ratione eſt quoddam genus vniuerſalium:præcipuum enim eius Auctoris inſtitutum eſt,agere in eo libello de vniuerſalibus vt talia ſunt: cui inſtituto, ſi hac definitione non ſatisfit, nulla eſt alia, quæ id perſpicuè exequatur.

*Vt tradit Scotus ſuper prædicab. q. 27. de vniuerſalibus.*

Deinde, quia ſiue hac, ſiue illa conſideratione ſpectetur diffe-

rentia, non est credendum, eam definiri per ea, quæ ipsi non repugnant, sed per ea, quæ ipsa sibi per se vendicat. Nam si modus definiendi res per ea, quæ illis non repugnat, semel admittatur, sursum omnia deorsúmque misceantur, necesse est. Isto enim pacto dicet quis impune, definitiones tum generis, tum etiam hominis esse definitiones animalis, quatenus est animal, quoniam animali quatenus est animal, non repugnat prædicari de pluribus differentibus specie in quæstione Quid est, quæ est definitio generis: neque item esse corpus animatum, sensitiuum, rationis particeps, quæ est definitio hominis. Vnde cùm definitio generis cuiúsque de omnibus eius speciebus dici debet: fiet, vt definitio generis conueniat in hominem, & definitio hominis in bestias: quo quid potest dici absurdius.

*Definitiones per non repugnantias nihil valere.*

*Acuta Arist. sententia.*

Adde, si proposita sententia hac ratione absurda non esset, vel hoc vno argumento reiicienda foret, quòd saltem multò meliùs habuisset definitio detracta illa particula *differentibus specie*, si Porphyrius speciales etiam differentias complecti voluisset. Quocirca velut minus commoda lex sanctione melioris, vt præcipit Aristoteles abroganda esset. *6. Topic. c. 6. in fine.*

*Vera argum. solutio.*

Itaque vera solutio argumenti est, non definiri in ea definitione, nisi generales differentias, vt ipsa eius verba significant. Quod autem speciales prætermissæ sint, etsi non desunt, qui velint, caussam fuisse, quod speciales differentiæ sint cognitu difficiliores: non rectè tamen id dictum videtur: si quidem vt genera ipsa difficiliora sunt cognitu, quàm species (quod Aristoteles tradit primo libro huius operis, & secundo de Posteriori resolut.) ita generales, quàm speciales difficiliùs cognoscuntur. Potius ergo dicendum, aliis de caussis id factum fuisse. Vna, quia specialium differentiarum minor est vsus in definiendo, & omnino in disputando: multò enim sæpius de subalternis speciebus, quàm de infimis diserunt Philosophi, quòd infimæ vel ipsis sensibus ferme sint notæ. Altera, quia tales definitiones differentiarum attulit Porphyrius, quales apud veteres Philosophos reperit: inter quas verisimile est inuenisse eam, qua differentia de pluribus specie differentibus prædicari dicebatur: quacunque ratione ab ea speciales differentiæ excluderentur. Non sunt tamen speciales à Porphyrio omnino prætermissæ, cùm & in cæteris definitionibus æquè ac generales comprehendantur, & in collatione vniuersalium inter se, de eis peculiarem exceptionem insinuauerit, vt dictum est.

*Cur speciales differentias non sit Porphyr. complexus*

*Cap. 2. Cap. 14. & 15.*

*Binæ caussæ dantur.*

*Prima.*

*Secunda.*

Ad secundum dicendum, errore Porphyrij & rationale inter generales differentias numeratum, & mortale dictum esse differentiã, quæ hominem sub animali rationali ab immortali distinguat: voluisse tamen illum sub ea complicatione rationalis & mortalis significare differentiam quamdam simplicem, hominis propriam, quæ genus illud animalis rationalis ad hominem contraheret.

*Error Porph.*

Ad tertium & quintum dicito, Aristotelem iis locis, differentiarum nomine intellexisse accidentia, quibus vti solemus loco verarum differentiarum. Eiusmodi enim accidentia ferè latiùs patent, quàm species, quarum differentias quærimus, & ideo eorum complicationes pro veris differentiis specierum propriis vsurpamus.

Ad



Ad quartum, aut eodem modo respondendum est, aut certè dicendum, de solis quidem veris differentiis generalibus ibi loquutum Aristotelem: sed tamen id fecisse, quia specialium rarior est vsus, vti diximus.

## SINT NE DIFFERENTIÆ RATIONE aliqua genera aut species.

## QVÆSTIO XVIII.

*Argumenta, quibus videantur genera aut species.*

### SECTIO I.

*Explicatio quæstionis propositæ.*

ILLVD etiam de differentiis expendendum est, sint ne ipsæ vera genera aut species, non quidem respectu specierum, quas constituunt, aut generum, quæ diuidunt (satis enim patet non esse illas hoc modo genera aut species, sed differentias tantùm, specierum quidem constitutiuas, generum autem diuisiuas) verùm genera respectu differentiarum minus latè patentium, & species comparatione magis latè patentium. Quærat enim aliquis, num sensitiuum sit genus rationalis, & irrationalis & vicissim hæc species sensitiui, eodémque modo se habeant cæteræ huiusmodi differentiæ inter se collatæ. Quod enim latius patentes sint genera minus latè patentium, & hæ illarum species, his argumentis perspicuum videtur.

*Primum. Partis affirmantis argumenta.*

Primum, quia sensitiuum videtur esse vniuersale quiddam respectu rationalis & irrationalis, & prædicari de illis in quæstione Quid est, tanquam de differentibus specie: cùm non prædicetur in quæstione Quale est, nec tanquam de differentibus solo numero.

*Secundum.*

Deinde, quia cùm propria & accidentia non solùm habeant rationem propriorum & accidentium comparatione subiectorum, quibus accidunt, sed etiam alia respectu aliorum sint vera genera & species, nempè quæ latius patent genera minus latè patentium in suo quæque prædicamento, non est cur negandum sit differentiis essentialibus eiusdem prædicamenti, vt quæ latiùs patent, sint genera minus latè patentium, & hæ vicissim illarum species.

*Tertium.*

Tertio, quia, vt se habent animalitas ad humanitatem, ita sensitiuitas, vt sic dicam, ad rationalitatem: at animalitas est genus humanitatis, vt supra concessum est, ergo & sensitiuitas rationalitatis. Quare & sensitiuum est genus rationalis, eodémque modo cæteræ differentiæ latiùs patentes, earum, quæ minus latè patent.

*Quæst. 13. huius c. fc. 4.*

*Quartum.*

Postremò, quia etsi ratione aliqua ostendi possit, differentias latiùs patentes non esse genera minus latè patentium, & has vicissim non esse illarum species, hoc saltem videtur negari non posse, latè patentes

Universidad de Deusto
Biblioteca



tentes esse genera earum complicationum, quæ fiunt ex vtrisque vt sensitiuum esse genus sensitiui rationalis & sensitiui irrationalis, & vicissim has illius species. Etenim animal contrahitur per rationale & irrationale ad constitutionem animalis rationalis & animalis irrationalis, quæ sunt illius species: ita omnino videtur contrahi sensitiuum ad sensitiuum rationale, & sensitiuum irrationale, quæ eodem modo se habent ad sensitiuum, vt animal rationale, & animal irrationale ad animal. Ita videtur nulla ratione dubitandum, quin differentiæ sint ratione aliqua genera aut species.

*Non esse re vera genera aut species.*

## SECTIO II.

*conclusio bipartita.*

*Prior pars probatur.*

PArs tamen negatiua quæstionis probanda omnino est. Nam quòd latiùs patentes non sint genera minus latè patentium, his rationibus ostenditur.

*Prima ratio.*

Primum, quia non pertinent ad earum essentiam: si enim pertinerent, ea profectò, quæ latiùs patet, bis includeretur in specie constituta per minus latè patentem, vt sensitiuum in homine semel ratione animalis, in quo re vera includitur, & iterum ratione ipsius rationalis, de quo essentialiter prædicari fingitur, vt genus eius esse concedatur: at est absurdissimum bis includi differentiam aliquam in specie, vt est luce clarius.

2

Deinde, quia si sensitiuum esset genus rationalis & irrationalis, contraheretur ad illa per alias differentias, siquidem nullum genus contrahi potest ad suas species, nisi per differentias, quæ sint illæ quidem extra essentiam generis, compleant autem & absoluant essentias specierum: at si has concedimus, erit in eis eadem ratio, cur latiùs patentes earum sint genera minus latè patentium: quò fiet, vt rursus quærendæ sint aliæ, quibus illæ contrahantur ad suas species, & sic deinceps in infinitum. Cùm igitur hoc non sit admittendum, potius dicendum fuit à principio, nulla ratione differētiam esse genus aut speciem, rationaléque & irrationale non differre à se inuicem per alias differentias: sed esse primò diuersas, & simpliciter simplices: quod de nulla specie generis eiusdem dici posse manifestum est.

3

Tertio, quia etsi sensitiuum (vt in hac vna differentia rem expendamus) latiùs patet, quàm rationale per se, & irrationale per se, tamen non est re vera vniuersale respectu illorum, quia non prædicatur de illis prædicatione directa & naturali, sed inuersa & per accidens. Non enim sensitiuum est quasi forma rationalis & irrationalis, vt det illis per seipsum aliquod esse, sed potius hæc sunt quasi formæ illius, cùm illud determinent ad certam speciē animalis: non est igitur sensitiuum genus rationalis & irrationalis, nec vicissim hæc illius species.

*Secunda assertionis pars confirmatur.*

Quod verò nec latius patentes differentiæ sint genera earum complicationum, quæ ex ipsis & minus latè patentibus conficiuntur, multis etiam argumentis constat.

*Primo.*

Primum, quia ex solis differentiis huiusmodi non fit vnum ens per se, quale



se quale esse debet omne ens specificum. Res hæc facilè ostenditur in sensitiuo rationali & sensitiuo irrationali. Ex duobus enim actibus, quorum alterum non est per se forma alterius, nihil fit vnum per se, vt tradit Aristoteles 3. libro huius operis cap. 6. & lib. 7. cap. 13. omnésq; Philosophi asserunt: at sensitiuum non est forma rationalis & irrationalis, vt dictum est: hæc autem etsi modo aliquo sunt formæ illius, vt etiam est concessum, non sunt tamen per se illius formæ, sed per accidens: neque enim respiciunt vt materiam nisi animal, corpus animatū, & superiora genera, tametsi illud immediatè, hæc mediatè, ipsas verò differentias animalis, & superiorum generum constitutiuas non respiciunt, vt materiam siue proximam siue remotam, sed vt latius patentes formas, tametsi per accidens (ratione, inquam, ipsorum generum, quæ per illas constituuntur) dici quodammodo possint illarum formæ. Quocirca nemo eorum, qui formam corporeitatis cum forma misti in eadem materia esse volunt, admittunt, formam misti esse formam formæ corporeitatis, sed vtramque esse formam materię: formam quidem corporeitatis proximam, misti autem remotam, quod hæc non sit forma illius, nisi per accidens.

*Vnam differentiam non esse actum & formam alterius.*

*Secundo.*

Deinde, quia si sensitiuum rationale, & sensitiuum irrationale essent species sensitiui, essent vtique vniuersalia quædam comparatione particularium hominum & particularium animalium, cùm nulla sit ratio, cur respectu illorum non conueniat eis definitio vniuersalis, si sunt vera entia per se, & propriè dictam rationem definitionémve habent: at hoc fieri non posse, facilè ostendi potest. Aut enim essent genera, aut species prædicabiles, aut differentiæ, aut propria, aut verò accidentia respectu illorum iuxta vulgatam receptámque vniuersalium diuisionem: quæ tamen omnia falsa sunt & impossibilia. Nam quod sensitiuum rationale non sit proprium, aut accidens comparatione singulorum hominum, perspicuum est, cùm ad eorum essentiam pertineat. Quòd verò non sit genus, aut species prædicabilis, ex eo patet, quia non prædicatur de illis in quæstione Quid est. Si enim prædicaretur, cùm de quocumque aliquid dicitur in quæstione Quid est, de eodem dicatur in quæstione Quid est illius genus: profecto sensitiuum, quod ponitur genus sensitiui rationalis, prædicaretur in quæstione Quid est de singulis hominibus: quod falsum est, & fieri nullo modo potest, cùm prædicetur in quæstione Quale est. Quod denique nec sit differentia, tribus argumentis constat. Vno, quia nulla differentia constat genere & differentia, cum sit simpliciter simplex: at sensitiuum ponebatur genus, rationale autem differentia contrahens illud ad constitutionem sensitiui rationalis. Altero, quia omnis differentia est media inter genus aliquod, cuius est diuersiua, & aliquam eius immediatam speciem, cuius est constitutiua: sensitiuum autem rationale non est hoc pacto media differentia, neque enim est media inter viuens & animal: aut inter corpus animatum & animal. Nam quatenus includit sensitiuum, non diuidit animal ad constitutionem hominis: quatenus autem includit rationale, non diuidit corpus animatum ad constitutionem animalis. Vt enim

*Differentias cōpositas, ad tertium vniuersale non pertinere.*

nihil

nihil differentiæ includitur in genere, quod per eam diuiditur, ita tota ipsa includi debet in specie, quam constituit. Tertio, quia si rationale esset differentia per se diuisiua sensitiui, & constitutiua sensitiui rationalis tamquam speciei cuiusdam, eadem differentia esset per se diuisiua duorum generum non subalternatim positorum: quod fieri non potest, idqué negat Aristoteles in Prædicamentis. Nam neque animal est genus positum sub sensitiuo, nec sensitiuum sub animali, cùm ambò æquè latè pateant. *Arist. in Ante prædicam. cap. 4.*

*Obiicitur cõtra superiorẽ rationem.*

Obiiciat aliquis: Cùm genus vnum essentialitet inculditur in altero, etsi neutrum sub altero collocetur, nihil esse incommodi, si vtrumque eadem differentia per se diuidatur. Quo pacto etsi animal, & anima sensitiua non ita sunt affecta inter se, vt alterum sub altero ponatur, tamen, quia anima sensitiua includitur in essentia animalis, non dubium videtur, quin vtrumque eodem modo diuidatur per rationale & irrationale: vt enim dicimus, animalium aliud rationale est, aliud irrationale: ita quoque dicere possumus, animarum sensitiuarum aliam esse rationalem, aliam irrationalem.

*Soluitur obiectum*

Sed occurrendum est, quandocumque vnum genus non ponitur sub altero, etsi alterum alia ratione in essentia alterius includatur, numquam tamen fieri posse, vt vtrumque per se diuidatur eadem differentia: Eadem enim omnino ratio est in omnibus, ex analogia formarum naturalium & differentiarum desumpta. Vt enim vna forma sibi vendicat vnam materiam proximam, non plures diuersarum rationum: ita vna differentia vendicare sibi debet vnum genus proximum, non plura, & diuersarum naturarum. Neque allatum exemplum huic veritati repugnat. Nam etsi rationale, quod animal diuidit, & hominem constituit, originem habet à rationali: quo anima sensitiua diuiditur, & rationalis anima constituitur: non est tamen idem, sed illud includit, quemadmodum & homo includit animam rationalem. Cùm enim de quo dicitur differentia speciei constitutiua, dicatur & ipsa species: si rationale, quod animam humanam constituit, esset illa eadem differentia, quæ constituit hominem, & de illo dicitur, de eodem quoque homine diceretur anima ipsa rationalis, nempè pars Physica de toto composito: quod fieri nullo modo potest. Adde, quod rationale, quo constituitur anima rationis particeps, est vltimus gradus quidam entitatis solius formæ: quod autem constituit hominem est vltimus gradus entitatis totius compositi. Accedit, quòd rationale illud est idem re cum anima ipsa, non cum toto composito: hoc autẽ contrà, est idem re cum toto composito, non cum anima ipsa: siquidem omnis differentia est idem re cum specie, quam constituit, non cum eo, à quo species constituta re ipsa distinguitur. Ita patet, rationale non vniuocè dici de rationali, quod est differentia hominis constitutiua, & de eo, quo essentia rationalis animę completur. Sed vt homo & rationalis anima sunt species quędam generum diuersorum, quorum alterum sub altero non ponitur, nempe animalis & animæ sensitiuæ: ita rationale, quo vtrumque genus diuiditur, & vtraque species constituitur, diuersum esse. Quod idem dicendum est de eo irrationali, quod diuidit animal, & bestiam constituit, &

*Non idẽ esse rationale hominis & animæ.*

*Rationale nõ dicitur vniuocè de differentia hominis & animæ.*



constituit, & de eo, quo diuiditur anima sensitiua, & irrationalis anima constituitur. Quò fit, vt proposita obiectio nihil contra tertium argumentum conficiat.

*Conclusio prædictorum*

Patet igitur, differentia, latiùs patentes non esse genera, siue respectu differentiarum minus latè patentium, siue comparatione carũ complicationum, quæ ex latiùs patentibus & minus latè patentibus conficiuntur. Eodem modo dicendum est, differentias speciales, si cum indiuiduantibus conferantur, vt rationale cum iis, quibus Socrates & Plato sub homine constituuntur, & distinguuntur, non esse earum respectu species prædicabiles, sed nec respectu earum complicationum, quę ex specialibus differentiis & indiuiduantibus conficiuntur, est enim in his par omnino ratio, vt non sint species prædicabiles, atque in illis, vt non sint genera.

*Eadem doctrina ad differentias specificas accommodatur.*

*Solutio argumentorum partis aduersæ.*

## SECTIO III.

QVare ad primum aduersæ partis argumentum dicendum est, sensitiuum non habere rationem veri vniuersalis respectu rationalis, & irrationalis, cùm de illis non dicatur naturali directáque prædicatione, sed per accidens, vt ostensum est.

*Cur accidentia possint esse genera & species, non ita differentiæ*

Secundum hoc pacto dissolues. Nil mirum esse, si propria & accidentia, quę latiùs patent, possint esse genera minus latè patentium cùm possint habere differentias, quibus per se ad illa contrahantur, & quæ minus latè patent, non sint simpliciter simplicia, vt constitui non possint ex propriis generibus & differentiis: vtrumque autem deest differentiis, latiùs & minùs latè patentibus inter se collatis.

Ad tertium negare oportet, vt se habet animalitas ad humanitatem, ita se habere sensitiuitatem ad rationalitatem. Nam animalitas, nimirum rationalis: at sensitiuitas non includitur in rationalitate: nam rationalitas, cùm sit gradus simplex additus animali, non potest includere sensitiuitatem, quæ similiter est gradus simplex additus naturæ viuentis, siue animati corporis.

Vltimi solutio ex iis, quæ dicta sunt, in promptu est. Neque enim vt animal contrahitur ad constitutionem animalis rationalis, & animalis irrationalis per rationale & irrationale, sic sensitiuum ad constitutionem sensitiui rationalis & sensitiui irrationalis: illud enim contrahitur per se, hoc per accidens. Atque hæc de differentia disputasse sit satis. Demum illud de cæteris vniuersalium generibus, proprio, inquam, & accidente disquiramus, qua in re potissimum ea inter se distinguantur. Nam etsi in capite vltimo huius libri communi accidentis nomine de vtroque agitur: tamen, vt completa sit vniuersalium tractatio, commodius hoc loco & inter se, & cùm prioribus generibus conferentur.

# QVA MAXIME IN RE PROPRIA ET accidentia inter se distinguantur.

## QVÆSTIO XIX.

*Dubitandi rationes.*

### SECTIO I.

*Quanta sit inter proprium & accidens conuenientia.*

CVM nulla vniuersalium genera magis inter se conuenire videantur, quàm proprium & accidens: vtrumque enim est extra essentiam eius, de quo prædicatur, vtrumque dicitur in quæstione Quale est, vtrumque potest & de differentibus specie, & de differentibus solo numero prædicari, atque adeo vtrumque talis naturæ videtur esse, vt de vno solo dici possit (neque enim neganda omnino videntur propria & accidentia indiuidualia) nemo mirari debet, si de his potissimum quæramus, qua maximè in re distinguantur: præsertim, cùm omnia, quæ vni particularia dici solent, alteri non obscurè conuenire posse videantur, vt hisce argumentis facilè quis ostenderit.

*Aristot. 1. Top. c. 4. Porp. in Isagoge ca. 1. de proprio.*

*Quinque inter proprium & accidens discrimina.*

*Primum.*

2.

3.

4

5.

Quinque sunt fere discrimina, quæ inter propria & accidentia tradi solent. Primum est illud, quod ab Aristotele & Porphyrio in eo constituitur, quod omne proprium conuersim de re, cuius est proprium, accidens non conuersim de eo, cui accidit, dicatur. Alterum, quo ea inter ipsa discreuimus, cùm vniuersalium genera distingueremus: quod nimirum propria necessariò, accidentia contingenter de subiecto prædicentur. Tertium à recentioribus Peripateticis explicationis gratia adiungitur: quod proprium fluat ex principiis essentialibus eius subiecti, cuius est proprium, accidens aliunde proueniat. Quarti etiam & quinti discriminis meminit Porphyrius in conferendis quinque vniuersalium generibus. Sæpius enim ait, proprium non admittere gradus, vt magis & minus de subiecto dicatur: & tamen id accidentibus familiare esse. Itémque propria speciebus innasci, vnde fit, vt per species indiuiduis conueniant: contra verò accidentia primò inesse indiuiduis: vnde sequitur illa conuenire speciebus per indiuidua. At hæc discrimina non rectè tradi hoc pacto, non suaderi tantùm, sed & persuaderi videtur.

*cap. 7. & reliqui.*

*Nō rectè tradi eiusmodi discrimina suadetur.*

*Intellectum cū nullo subiecto reciprocari.*

Primum, quia complura sunt propria, quæ cum nullo subiecto recurrant. Nam cùm genera omnia eorum, quæ sunt propria alicuius subiecti, sint etiam illius propria (si enim essent accidentia quinti prædicabilis, ac proinde abesse possent, abesse quoque posset ea propria, quorum ipsa sunt genera, sicque non essent propria) sanè intellectiuum esse, quod est genus discursiui, quod hominis proprium dicimus, erit etiam hominis proprium: at intellectiuum cum nullo subiecto reciprocatur, neque enim recurrit cum homine, aut cum Angelo, neque item



*Neque quale.*

item cum communi aliquo genere, quod vtrumque complectatur, vt inductione patet. Idem ostenditur in quali, quod etiam ratione intellectus & aliarum proprietatum humanæ naturæ dicitur de homine, vt proprium quarti prædicabilis, neque enim reciprocatur cum genere vllo, nec cum genere quidem summo prædicamenti substantiæ, cum quo maximè reciprocari videri posset. Nam si quale reciprocaretur cum substantia genere summo, non vtique diceretur de Anima separata, quæ sub illo non continetur: quod falsum est.

Deinde, quia si necessitas & contingentia, quibus propria & accidentia apud Philosophos inter se distingui solent, sumantur pro necessitate & contingentia naturali, siue quæ à causis naturalibus prouenit: plurima accidentia inseparabilia, vt nigrum à coruo, & album, à cygno erunt in propriis numeranda, cùm naturales causas habeant, cur subiectis conueniant. Sin sumantur pro absoluta necessitate & contingentia, ita vt ea sola dicantur necessariò conuenire, quæ ne potestate quidem supernaturali possunt non conuenire, cætera autem omnia contingenter conueniant, non dubium est, quin plurima sint propria quæ ad genus accidentium pertineant: ea inquam omnia, quæ sunt veræ ac reales qualitates: veluti facultates intelligendi & ridendi, quas nemo, nisi infinitæ Dei potestatis impugnator, negauerit à propriis subiectis remoueri posse.

*An aliqua propria à principiis essentialibus subiectorum non oriātur.*

Tertiò, quia multa sunt propria, quæ ex principiis essentialibus subiectorum non oriuntur, cùm omnia summa genera propria quædam sibi vendicent, nec tamen principiis essentialibus constent, cum sint simpliciter simplicia. Quod idem dicendum videtur de omnibus differentiis, quas & ipsas propria quædam habere nemo iure negauerit: contráque multa accidentia, quæ ex huiusmodi principiis oriuntur, vt quæ inseparabilia sunt à tota aliqua specie aut genere, vt album esse à niue, & coloratum à misto corpore. Qui enim horum accidentium originem ad solam materiam referunt, non item ad formam, haud rectè sentire videntur: cùm materia sit eadem in omnibus rebus, quæ colore aliquo affectæ sunt: formæ autem earum quemadmodum & colores ipsi, variæ sint. Quod si accidentia hoc pacto inseparabilia oriri dicantur à varia dispositione accidentaria, quæ materiæ attribui solet, eadem difficultas redit, cur non potius varia ipsa dispositio materiæ variis formis, quàm vni indifferentíque materiæ, tamquam originali causæ tribuatur.

*Num propria omnia magis & minus non suscipiant. Accidentia verò suscipiant.*

Quartò, quia multa propria sunt, quæ magis & minus dicantur de propriis subiectis, vt extensum esse de subiecto materiali, & graue aut leue esse de his aut illis elementis: nam proprium esse subiecti materialis extensum esse, & elementorum quorumdam grauia esse, aliorum leuia, nullus negauerit Philosophus. Contráque plurima sunt accidentia, quæ magis & minus non suscipiant, vt æquale esse, rotundum, quadratum, & similia, quæ in quadam indiuisibili commensuratione, aut inuariabili terminorum dispositione consistunt.

Quinto, quia accidētia omnia, siue communia illa sint, siue propria, primò insunt indiuiduis, & per indiuidua speciebus, & generibus, vt

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Cap. de subst.* Aristoteles docet in prædicamentis, cum ait, *Omnia accidentia primò inesse primis substantiis.* Ita nihil supereſt, quo propria & accidentia quinti prædicabilis vero ac vniuersali discrimine distinguamus.

*Varia vsurpatio nominum proprij & accidentis.*

## SECTIO II.

HÆc, vt quo pacto habeant, plenius intelligatur, distinguenda sunt proprij & accidentis vocabula in varias significationes: neque enim vno, sed multis modis sumuntur.

*Albert. in Isagog.*

*Proprij duplex acceptio.*

Proprium aliter ex vi nominis dicitur, aliter ex peculiari quadam Philosophorum accommodatione in materia vniuersalium vsurpatur. Ex vi nominis illud omne, ac solum appellatur proprium, quod soli alicui conuenit. Hac enim ratione distinguimus proprium ab eo, quod commune est, quod proprium vni tantùm, siue vniuersali, siue singulari, commune autem pluribus conueniat: sic dicimus proprium esse hominis, ridere posse, Socratis autem, esse Sophronisci filium, commune verò homini cum bestia, sensibus vti posse. Hoc pacto item dicere solemus, res omnes, aut certè alicuius generis, quædam habere inter se communia, quædam verò quæque sibi propria & peculiaria: & Aristoteles in Topicis: *Nemo,* inquit, *proprium alicuius rei dicit, quòd alij conuenire potest.*

*Proprium ex vi nominis quid.*

*1. Topic. c. 4.*

*Diuisio proprij ex vi nominis.*

Proprium igitur hac ratione spectatum, aut est proprium simpliciter, hoc est, sine adiectione vlla diminuente, vt quæ dicta sunt, aut secundum quid, id est, comparatione alicuius, aut aliquorum tantùm: quo pacto dicimus, proprium hominis esse duos habere pedes, nempè, si cum terrenis animalibus, aut etiam cum aquaticis conferatur. Atque hoc genus vocat Aristoteles in Topicis propriũ ad aliquid, siue comparatione alicuius, illúdque his verbis explicat. *Proprium ad aliquid est, quod non ab omnibus aliis rebus separat.* Illud tamen aduertendum est, nihil dici proprium secundum quid, nisi vniuersè conueniat ei, cuius sic proprium dicitur, nempè omni, sed non soli: qua periphrasi declarat Porphyrius hoc genus proprij in accidentariis prædicatis. Quod enim nec soli rei conuenit, neque omni, seu vniuersè, vt homini marem esse aut album, id quo pacto dici potest hominis proprium, etiam comparatione non hominum, cum dentur plurimi homines, qui nec sexu sint mares, nec colore albi.

*Proprium ad aliquid apud Aristotelem.*

*5. Topi. ca. 5.*

*Diuisio proprij simpliciter.*

Iam proprium simpliciter aut est perfectè proprium, aut imperfectè. Perfectè proprium dicitur, in quod hæc omnia concurrunt, vt omni soli, ac semper conueniat, seu, quod reciprocatur cum eo, cuius est proprium: quo pacto est proprium hominis esse disciplinæ capacem. Deique inuidum esse non posse. Imperfectè autem, cui sola prima cõditio, aut sola tertia, aut vtraque deest, nempe quod soli & semper conuenit, sed non omni, vt animali esse bipes: aut soli & omni, sed non semper, vt homini in senectute canescere: aut soli quidem, sed neque omni, nec semper, vt homini Grammaticum esse. Defectus autem secundæ conditionis, si accidat, non faciet quartum genus imperfectè proprij, quia iam illud non erit proprium simpliciter, de quo loquimur, sed forsitan secundum quid.

Atque



*Cap. 1.* Atque proprium illud quòd nos perfectè proprium appellauimus, vocat Aristoteles initio quinti libri Topic. proprium per se: quod autem primum genus imperfectè propriorum fecimus, nominat ille proprium semper: quod verò nos secundo & tertio imperfectè propriorum generibus comprehendimus, vocat ille proprium aliquando: quod denique nos dicimus proprium secundũ quid, appellat idem proprium ad aliquid, vt dictum paulò antè est.

*Proprium per se apud Aristotelem.*

*Proprium semper.*

Porphyrius autem in Isagoge vocat perfectè proprium κυρίως hoc est, propriè, seu vt verti solet, verè proprium, quod idem quartum facit à se traditæ diuisionis membrum: primum autem & tertium genus imperfectè propriorum nostrorum complectitur ille primo membro suæ distributionis, in quo ponit omnia, quæ soli conueniunt, sed non omni: siue ea semper conueniant, siue non semper. Tum comprehensis omnibus propriis secundum quid, siue ad aliquid in secundo membro (quicquid Caietanus & alij quidam recentiores, minus considerate velint, dicentes, proprium secundum quid complecti primũ & secundum membrum Porphyrianum) tertium membrum facit illud ipsum, quod nos secundum genus imperfectè proprium diximus. Tametsi tria sunt, in quibus ab Aristotele diserepat. Vnum quod Aristoteles loquitur de propriis siue incomplexis, siue complexis, ille autem de solis incõplexis. Alterum, quod Aristoteles non excludit propria essentialia, ille autem de solis accidentariis diuisionem instituit, vt patet ex verbo *accidit*, quod ibi propriè vsurpat, sequutus Aristotelem in 1. Topi. c. 3. eo loco, quo proprium à genere ac termino, hoc est, definitione distinguit. Tertium quòd omnia propria refert ad speciem infimam, vt patet ex iis, quæ in conferendis inter se quinque prædicabilibus asserit, cùm Aristoteles vtrobique loquatur de omnibus propriis specierum siue infimarum, siue subalternarum, siue etiam summorum generum.

*Proprium ad aliquid.*

*Quibus apud Porphyr. nominibus exprimantur.*

*Tria, in quibus Porphyrius ab Aristotele discrepat.*

*Proprium quæ late acceptum in vtraque diuisione*

Ex his patet, proprium in vtraque & Aristotelis & Porphyrij quadrimembri diuisione ita latè acceptum fuisse, vt complectatur propria & simpliciter, & secundum quid. Quamquam verò Aristoteles distinctiùs explicauit proprium secundum quid, cùm illud alterius comparatione dumtaxat proprium appellauit, quod non fecit Porphyrius: & generalius accepit nomen proprij, quàm soliùs infimæ speciei comparatione: tamen, quia Porphyrius expeditiori diuisione vsus est, ea à nobis in comparatione propriorum inter se & propriorum cum accidentibus, potius quàm Aristotelica vsurpanda est, eo solo animaduerso, vt locoſpeciei infimæ, quam Porphyrius subiectum propriorum facit, intelligamus quodcumque etiam aliud vniuersale.

*De proprio quarto vniuersali explicatio.*

Atque hæc de proprio, quatenus ex vi nominis propriũ dicitur hoc est, quatenus soli alicui conuenit, & à communi distinguitur.

Quatenus verò proprij nomen, iuxta peculiarem Philosophorum vsurpationem in materia vniuersalium sumitur, id omne ac solum proprij nomine dicitur, quod, cùm vniuersale sit, nec genus est, nec species, nec differentia, neque accidens respectu eius, cuius comparatione est vniuersale. Quo pacto non iam necesse est, vt proprium ei soli conueniat, cuius respectu est vniuersale, immo necesse est, vt non ei so-

Universidad de Deusto
Biblioteca



li insint, cùm vniuersale, vt vniuersale est, non vnum tantùm, sed plura debeat respicere. Reuocantur autem ad hoc proprij genus propria analogorum, quæ & ipsa analoga sunt, vt passiones entis: quia etsi non sunt vnius rationis simpliciter, ac proinde in veris vniuersalibus non numerantur, sunt tamen illis non parum similia, ea præsertim, quæ analoga proportionis appellantur.

*Quæ ad eiusmodi propriũ reuocentur.*

*Accidẽs quot modis accipi soleat.*

Porrò accidens tribus modis accipi solet. Vno pro quauis re, quæ substantia non sit: namque omne ens, quod substantia non est, accidens vocatur, præsertim, si sit complectum, vt quantitas, qualitas, & alia quæ nouem posteriora prædicamenta directò conficiunt: quo pacto Aristoteles accipit vocabuluni accidentis 1. Physicorum lib. cum sic argumentatur. Si *animal & bipes non sunt proprie entia, id est, substantia: accidentia profectò erunt.* Nec refert quicquam in hac accidentis significatione, vtrum res accipiatur abstractè, vt quantitas & qualitas, an concretè, vt quantum & quale: vtroque enim modo quicquid non est substantia, vocatur accidens.

Altero pro quouis attributo accidentario, hoc est, non pertinente ad essentiam rei, de qua dicitur: quo pacto non dubium est, quin proprium etiam quarti prædicabilis, nomine accidentis comprehendatur. Hoc eodem modo vsus est Porphyrius accidendi verbo in explicandis omnibus quatuor propriorum generibus ita inquiens. *Id enim proprium dicitur, quod soli alicui speciei accidit, & cætera.* Atque hac significatione necesse est, vt accidens concretè accipiatur, quia nullum eius abstractum prædicatur de subiecto accidentaria prædicatione, præsertim formali, quæ simpliciter & absolutè nomine prædicationis intelligitur. Nihil autem refert, vtrum accidens hac significatione acceptum pertineat secundũ rem ad aliquod prædicamentũ accidentium, nec ne, cùm non solùm ea, quæ in his prædicamentis ponuntur, dicantur accidentaria prædicatione, sed entia quoq; rationis, negationes, atq; adeo ipsæ substantiæ, vt si dicat homo est albus, animal est prædicatum, Socrates est cæcus, poculum est auratum, ferrum est ignitum, & similia.

Tertiò pro attributo accidentario, quod nec pertinet ad essentiam rei, nec ab ea necessaria quasi emanatione profluit: qua significatione dicimus, candidum esse accidens hominis, non item disciplinæ capax: eo quod propensio ad capessendas disciplinas, etsi non includitur in essentia hominis, profluit tamen ab ea quodammodo necessaria consecutione, quod de candore dicere non possumus.

*Accidens etiam ex vi nominis aliter, aliter ex Philosophorũ vsurpatione dici.*

Illud porrò animaduertendum est, posse quidem accidentis vocabulum illo eodem modo distingui, quo proprium, vt aliter ex vi nominis, aliter iuxta peculiarem Philosophorum vsurpationem in materia vniuersalium spectatur. Nam ex ipsa impositione non habet accidens, vt sit vniuersale, cùm trimembris diuisio accidentis nunc proposita, qua vis huius nominis videtur explicari, æquè singularibus accidentibus, atque vniuersalibus accommodari possit. Philosophi autem cùm in distinguendis explicandisque speciebus vniuersalium accidentis nomen vsurpant, non aliter illud accipiũt, quàm vt vniuersale quiddam est, & multis commune.

Quo



*Quo pacto proprium & accidens, vt quædam vniuersalia sunt, definiantur.*

## SECTIO III.

*Quarti vniuersalis descriptio.*

PRoprium igitur, vt in speciebus vniuersalis numeratur, hoc pacto à Dialecticis definiri solet. Proprium est quod de pluribus in quæstione Quale est accidentaria & necessaria prędicatione dicitur. In qua definitione per primam particulam excluduntur ea, quæ non sunt vniuersalia, per secundam genus & species, per terriam differentia, per quartam accidens: quod ab eisdem, vt vniuersale est, sic definitur. Accidens est, quod dicitur de pluribus in quæstione Quale est, accidentaria & contingenti prædicatione. Sed num hæ definitiones in iis, quas Porphyrius de vtroque tradidit, contineantur, quæstio est.

*Quinti definitio.*

*Num hæ definitiones in iis quæ à Porph. sunt traditæ contineãtur.*

*Quorundam sententia.*

Sunt qui existiment, definitionem proprij quarti generis à Porphyrio traditam, eamdem esse cum ea, quæ nunc allata à nobis est de proprio, vt est quoddam vniuersale, aut saltem hanc ex illa facilè posse colligi, quod existimẽt: omne proprium, vt vniuersale est, reciprocari cum subiecto aliquo, sub quo omnia eius particularia subiecta contineantur: quo pacto risus capax reciprocatur cum homine, sub quo subiecta omnia risus capacia comprehenduntur.

*Refellitur.*

Re tamen vera non ita est, non solùm, quia definitio quarti generis Porphyriani sola propria specialia complectitur, vt dictum est (quanquam hoc vitium facile emendari posset) sed eo vel maximè quia multa sunt, quæ accidentaria & necessaria prædicatione dicantur de pluribus, quæ cum nullo subiecto reciprocentur: veluti aptum esse ad intelligendum, ad volandum, & similia, vt supra obiectum est: in quibus etiam numerari possunt huiusmodi attributa, gressibile esse bipes, capitatum, si pro quibusdam proprietatibus sumantur, non pro partibus materiæ, aut compositis quibusdam ex partiali materia, & certis quibusdam dispositionibus.

*Sect 1. huius quæstionis.*

*Vera dubitationis explicatio, quod attinet ad proprium.*

Potius ergo dicendum est, non esse quidem allatam à nobis proprij definitionem vllam ex iis, quas Porphyrius tradit: neque item ex sola quarta elici posse, sed ex quarta simul & secunda. Nam quicquid accidentaria & necessaria prædicatione dicitur, id omne aut reciprocatur cum subiecto aliquo communi omnibus subiectis particularibus, de quibus dicitur: qua ratione pertinet ad quartum genus Porphyrianum, emendata tamen eius definitione, vt generalia etiam propria cõplectatur, aut latius patet quolibet subiecto eorum, de quibus prædicatur: quo pacto pertinet ad secundum genus, quod omni conueniat, sed non soli.

*Eiusdem in accidente ex-positio.*

*Alexand. in Topic. Arist. & Auer. in Isagog. Porp.*

De accidente etiam facilè explicatur dubitatio. Etsi enim non desunt viri graues, qui primam definitionem à Porphyrio propositam, solis inseparabilibus accidentibus attribuant, secundam separabilibus, tertiam omnibus, quod in prima velit Porphyrius explicari accidentia, quæ sola cogitatione abesse à subiecto possunt, vt nigrum à coruo & Æthiope: in secunda ea, quæ re etiam ipsa, vt dormire à quouis animali: in tertia verò quicquid vniuersale est, nec tamen in quat-

tuor

tuor superioribus generibus numeratur: re tamen vera in qualibet earum omnia comprehenduntur,etiam ex sententia Porphyrij. Nã in prima illa: *Quod adest & abest sine subiecti corruptione* ( quæ ex verbis Hospitis Eleatæ apud Platonem in Sophista elicita videtur ) separabilia etiam contineri , planè indicat mox subsecuta in accidens separabile & inseparabile diuisio. Contineri autem in secunda inseparabilia , ex eo patet, quod posita diuisione accidentis , continuo additur secunda definitio de eodem , de quo prima tradita erat. Sic enim ait Porphyrius, *Definiunt etiam & hoc modo: Accidens est , quod contingit eidem inesse , & non inesse* : quæ definitio ex 1. Topic. desumpta est , in qua omne accidens, quod non conuenit per se , contingenter conuenire vult Arist. etiamsi re ipsa sit inseparabile,& semper conueniat,vt colliges ex fine cap.6.& initio 7.prioris libri de Poster.resolutione.

*Definitio accidentis ex Platone elicita.*

*Definitionib. accidentis quid explicetur.*

Dicendum igitur , definitionibus accidentis , si verba earum spectentur tantum , explicari quælibet accidentia ex vi nominis,comprehẽndique omnia tam vniuersalia , quàm singularia , vt est luce clarius. Si autem sumantur iuxta institutum eius loci, in quo pro genere rerum quæ tractantur,semper subaudiendũ est vniuersale , seu prædicabile de pluribus , sola accidentia vniuersalia , & vt vniuersalia quædam sunt, definir,omníunque earum esse eundem sensum:nisi quod in tertia proponenda parum fideliter vsus est Porphyrius verbo *semper*,quod non est apud Aristotelem. Neque enim Aristoteles scribit *semper autem inest subiecto* , vt Porphyrius , sed *inest autem re* , essétque falsum , quod ait Porphyrius , nisi sic vtcumque intelligi posset , semper autem est in subiecto,quamdiu de eo dicitur.

*Non omnia, quæ tribus propriorum primis generibus continentur,ad quintum vniuersale pertinere.*

Ex his patet , non esse verum , quod nonnulli aiunt: omnia , quæ in tribus prioribus generibus propriorum continentur , pertinere ad accidens quintum prædicabile , cùm secundum genus complectatur non solum contingentia prædicata , vt dormire ac ambulare respectu hominis,sed etiam necessaria,vt sensus capax, ac bipes respectu eiusdem.

*Verum discrimen inter proprium & accidens , & solutio argumentorum*

## SECTIO IIII.

*Ex rerũ definitionibus verum earũ discrimen sumendum.*

CVm ergo verum ac intimum discrimen rerum inter se ex earum definitionibus sumendum sit, non dubium est , quin proprium & accidens,vt vniuersalia quædam sunt,ea ratione potissimum distinguantur,quod propriũ necessariò, accidens contingenter conueniat : neque enim aliud magis internum discrimen inter ea inuenerunt Dialectici, quo ea definiendo distinguerent. Sed cùm duplex sit necessitas prædicati accidentarij , seu non pertinentis ad essentiam subiecti , vna , quæ dicitur ex ipsa essentia subiecti , quia nimirum prædicatum eius naturæ est , vt profluat ab essentia subiecti , aut essentialiter contineatur in eo , quod sic profluit: altera , quæ aliunde prouenit , necessitas proprij quarti prædicabilis est prior illa,non posterior : siquidem prior necessitas efficit , vt prædicatum accidentarium sit prædicatum per se ac naturale subiecto:

*Duplex necessitas prædicati extra essentiam.*



turale subiecto:posterior autem , vt sit per accidens & aduentitium: etiamsi per caussas naturales separari non possit, vt nigrum ab Æthiope , & cœcum ab eo , qui captus oculis natus est. Distinguunt enim Philosophi vniuersalia hunc etiam in modum,vt quædam per se conueniant,& hæc sunt,quæ vel ad essentiam pertinent , vt priora tria genera:vel ab ea naturaliter quasi profluunt , quæ quartum genus conficiunt:quædam vero per accidens,quæ omnia & sola ad quintum genus spectant.

*Soluũtur argumenta posita sect. 1.*

Quare ad primum argumentum initio propositum , satis patet dicendum esse,reciprocationem non esse differentiam,qua proprium,vt vniuersale est,distinguatur ab accidente , sed qua perfectè proprium, vt proprium est(quod diximus ex vi nominis ) distinguitur à communi,vt commune est:siquidem commune,vt tale est,cum non conueniat ei soli,cuius respectu est commune seu vniuersale , non potest cum eo reciprocari. Itaque intellectiuum,etsi nullius subiecti est perfectè proprium ex vi nominis spectatum,nihil tamen impedire, quo minus pertineat ad proprium quarti prædicabilis. Quod idem dicendum est de quali:nam etsi pertinet ad quartum prædicabile respectu hominis,non reciprocatur tamen cum genere vllo substantiæ:quorum vtrumque recte in obiiciendo probatum est.

*Intellectiuũ ad quartum vniuersale pertinere , licet cum nullæ naturæ reciprocetur.*

Ad secundum vero dicendum,necessitatem in discernendo proprio ab accidente sumendam esse pro quacumque necessitate , quæ ducatur ex ipsa rei natura:siue ea absoluta sit,siue supposito ordine vniuersi , vt à Deo est institutum:quicquid enim vtralibet ratione necessario conuenit subiecto,id,si ad eius essentiam nõ pertinet,quatenus ita conuenit,ad quartum prædicabile spectat , quicquid verò vtrolibet modo conuenit contingẽter,ad quintum pertinet.Qua de caussa diuersi quasi gradus propriorum inueniantur , necesse est , vt alia magis propria sint,alia minus.

*Quo pacto necessitas capiẽda sit in proprio discernendo.*

*Gradus diuersi proprio rum.*

Quæ enim absoluta neeessitate conueniunt, hoc est, tanta , vt nulla potestate , ne supernaturali quidem separari possint , ea sunt omnium maximè propria:vt propensiones illæ naturales , quas superius modos essendi potentiales omnino inseparabiles esse diximus:qualis est aptitudo illa ad ridendum,quam habet humana essentia prius naturæ ordine,quàm vlla ei vel quantitas vel qualitas insit:quæ eadem in Socrate relinqueretur , si ab eo accidentia omnia auferrentur. Ad eumdem gradum reuocantur accidentia ipsa realia propria: vt naturalis potentia ridendi respectu hominis,si sumantur non absolutè , sed quatenus propriis subiectis naturales sunt:nulla enim potestate fieri potest , vt naturales eisdem non sint,etiamsi potestate aliqua anteferri possint.

*Primus.*

In secundo gradu sunt accidentia ipsa propria , absolutè sumpta , si nulli subiecto contingenter conueniant : cuiusmodi sunt facultates ipsæ ridendi,sentiendi,intelligendi respectu hominis iuxta veriorem eorum sententiam qui hæc à suis subiectis,vt vera accidentia distinguunt. quamquam enim naturaliter à subiectis abesse non possunt,tamen possunt supernaturaliter.Nihil autem refert,si hæc propria,siue primi,siue secundi gradus,non habeant in subiecto caussam adæquatam : possunt

*Secundus gradus.*

*Non omnia propria requirere in subiecto caussã seu adæquatam.*

enim eam habere & non habere. Nam facultas ridendi habet causſam adæquatam in homine, adæquatam inquam, non tantùm ſibi, ſed etiam homini, nempe ipſa principia humanæ naturæ, ſiue definitionem obiectiuam hominis: facultas enim ſentiendi, etſi habet in homine causſam ſibi adæquatam, nempe principia naturæ animalis, quæ includũtur in natura humana, ea tamen causſa non eſt adæquata homini, ſed latius patet: facultas verò intelligendi non habet in homine causſam adequatam nec ſibi nec homini, cum nulla detur natura intellectiua communis homini & Angelo, quibus intellectus communis eſt, atque adeò vniuocè communis, ſi in genere ſumatur, quo pacto communitas quæritur, cùm de veris vniuerſalibus agitur.

*Tertius gradus.*

In tertio ac infimo gradu ſunt accidentia ipſa propria, abſolutè ſumpta, ſi ita neceſsariò dicantur de iis ſubiectis, quorum ſunt propria quarti Prædicabilis, vt aliis ſubiectis contingenter inſint: veluti nigredo collata cum coruo, & albedo cum cygno: calor item cum igne comparatus, & frigus cum aqua. Hæc enim etſi neceſſario conueniunt ſubiectis naturali neceſſitate ex ipſa ſubiecti natura ducta: adueniunt tamen pleriſque aliis rebus, & ſæpè ab eiſdem recedunt pleriſque aliis de causſis, & interdum contrariis: albeſcunt enim nonnunquam res inanimæ calore, interdum frigore: ægrotántque ſæpe homines eodem morbo contrariarum qualitatum cibis. Quò fi, vt in toto hoc proprio-

*In quod demonſtrationis genus cadant propria huiuſce gradus.*

rum genere non detur causſa, quæ ſit adæquata, vel prædicato vel ſubiecto. Vnde etiam illud prouenit, vt hæc non admittantur in demonſtrationibus, quæ procedunt ex causſis adæquatis, atque adeò non dicantur conuenire per ſe ratione ſui: etſi vniuerſaliter conueniant, ac de omni dicantur, vt Dialectici loquuntur. Alioqui dubium non eſt, quin per ſe conueniant & demonſtrari poſſint de iis ſubiectis quibus per ſe conueniunt, quippe cùm oriantur ex ipſis naturæ ſubiectæ principiis, quæ pro vera causſa in demonſtrando reddi poſſunt. Itaque non conueniunt per ſe, nec demonſtrari poſsunt illo, vt ſic dicam rigore logico quo Ariſt. ait, ea ſola dici per ſe, & in demonſtratione admitti, quæ vel definiunt ſubiectum, vel per illud definiuntur (ſubaudi vel per id, quod in eo includitur, cui adæquatè conueniunt) conueniunt tamen per ſe non ſpectata ipſorum natura, ſed natura eorum ſubiectorum quã conſequuntur, & de iis ſubiectis demonſtrari poſſunt nõ per definitionem ſui, ſed tantùm per definitionem ipſorum ſubiectorum.

*Obiectio.*

Quod ſi quis obiiciat Porphyrium afferentem in exemplum accidentium quinti Prædicabilis nigrum reſpectu corui, & album reſpectu niuis: reſponderi poteſt, hæc propoſita fuiſſe à Porphyrio in exempla quinti prædicabilis, non vt ſunt naturalia ſubiectis, quo pacto nulla ratione ſeparari poſſunt, nempe vt non ſint illis naturalia, ſed abſolutè, & ſpectata ſola ipſorum natura quo pacto non implicat contradictionem ea negari de ſubiectis quoad actualem ipſorum exiſtentiam.

*Solutio.*

*Soluitur tertium argum.*

Ex his paret ſolutio tertij argumenti, ſi illud animaduertatur, id quod dici ſolet: Propria quaſi oriri ex principiis naturæ ſubiectorum intelligendum eſſe de ſubiectis, quæ principiis conſtant, cuiuſmodi ſunt fermè ſubiecta, de quibus proprietates demonſtrantur: de generibus enim



bus enim ſummis, differentiiſque vix vnquam demonſtrationes conficiuntur. Itaque dicimus, nihil referre, ſi genera ſumma differentiæque omnes quæ ad ipſas rerum naturas pertinent, propria quædã habeant, quæ vel modi eſſendi ſint, vel negatiua quædam attributa, aut relatiua rationis: nec tamen à principiis quaſi ſubiectorum profluant, cùm rarò de ſubiectis demonſtrentur: vt de eis magnopere curandum ſit. Quod verò attinet ad accidentia inſeparabilia, fatemur planè ea in propriis quarti prædicabilis numeranda eſſe, ſi totam aliquam ſpeciem: aut genus, naturali ſequela concomitentur, & hac ipſa conſideratione ſpectentur non quatenus niſi repugnat: ea per aliquam potentiam vel naturalem vel ſupernaturalem quoad exiſtentiam ſeparari: quo pacto in accidentibus quinti prædicabilis numerari poſſunt ea potiſſimum, quę ſeiungi poſſunt potentia naturali: vt ab aqua frigidum eſſe: & ab igne, ſummo eſſe in loco, aut à terra, in infimo: nam & eſſe in his locis propria ſunt extremorum elementorum, vt eſt mediorum proprium, vel ſupremo eſſe proximum vel infimo. Quod ſi quis opponat, eſſe in huiuſmodi locis, nec abſoluta neceſſitate conuenire elementis, nec naturali, cùm & adeſſe & abeſſe poſſint, occurrendum eſt, ea quoque naturali neceſſitate conuenire dicenda eſſe, quę ſublatis impedimentis ſemper adſunt: elementa verò numquam exiſtere extra loca naturalia, niſi cùm ab eis remouentur, aut extra ea detinentur.

*De generibus ſummis & de differentiis vix vnquam demonſtrationes conſici.*

*Accidentia inſeparabilia quo pacto ad quartum vniuerſale pertineant.*

*Obiectio.*

*Soluitur.*

*Hæc ipſa ſec. Quæ propriæ non ſuſcipiãt magis ac minus.*

Quarti ſolutio ſumenda eſt ex diſtinctione proprij quarti prædicabilis in tres quaſi gradus tradita. Quod enim Porphyrius ait, propria non communicari magis & minus: de primo ac præcipuo propriorum gradu vniuersè intelligendum eſt: quod ſatis illi fuit ad tradendam aliquam proprij & accidentis differentiam: cùm neutri generi accidentis, ſeparabilis, inquam, vel inſeparabilis id vniuersè conueniat. Nam in vtroque reperiuntur plurima, quæ magis & minus dicantur de ſubiectis, vt inductione patet, etſi eorum quædam magis & minus non ſuſcipiant, vt obiectum erat.

Poſſe autem multa propria ſecundi ac tertij gradus magis ac minus admittere, ex eo patet, quia non ſolùm qualitates elementorum propriæ, ſi abſolutè ſumantur, intenſionem & remiſſionem patiuntur, ſed etiam plurimæ naturales potentiæ materiales, vt ſenſitiuæ ac motiuæ, quas deficere paulatim videmus in ſenibus, & in pleriſque penitus tolli. Sed & extenſum eſſe, quod proprium eſt ſubſtantiæ corporeæ, magis & minus accipit: non illo quidem modo, quo corpora additione nouæ materiæ quantitatiſque accreſcunt & detractione decreſcunt (neque enim id eſt extendi aut contrahi exiſtentem in eis quantitatem, ſed augeri aut minui acceſſione nouæ) verùm illo, quo eadem quantitas fit maior aut minor: cùm in rarefactione corporum maiorem locum occupat, in condenſatione minorem.

*Quantitas vt magis minuſque ſuſcipiat.*

Quoniam verò quinti argumenti difficultas tota in eo poſita eſt vt intelligatur, quæ nam ſint prima propriorum & accidentiũ quinti prædicabilis ſubiecta, quod non nihil longioris conſiderationis poſtulat, id ſeorſim explicemus. Hinc enim intelligemus, num propria primo inſint ſpeciebus, & ſecundaria ratione indiuiduis, contra vero accidentia

*Occaſio ſequentis quæſtionis.*

primò indiuiduis, & ſecundaria ratione ſpeciebus & generibus, vt docet Porphyrius: an potius vtraque primò inſint indiuiduis, & ſecundaria ratione ſpeciebus & generibus, vt tradit Ariſtoteles: an vero vterq; in alio & alio ſenſu rectè dicat.

## QVÆNAM SINT PROPRIORVM ET ACCIDENTIVM QVINTI PRAEdicabilis ſubiecta.

## QVÆSTIO XX.

*Quædam propriorum & accidentium diſtinctiones, & in quo ſenſu quæſtio tractanda ſit.*

### SECTIO I.

*Quædam accidentia cõmunicari.*

NON omnium propriorum & accidentium quinti prædicabilis eadem eſt ratio. Quædam enim ita conueniunt ſuperioribus, vt communicentur inferioribus, aut vice verſa ita inferioribus conueniunt: vt etiam de ſuperioribus dicantur: veluti ſenſitiuum eſſe, album eſſe nigrum, moueri, agere, & ſimilia (quæ res maiori explicatione non indiget.) Alia ita conueniunt ſuperioribus, vt inferioribus non communicentur, aut ita de inferioribus dicuntur, vt non dicantur de ſuperioribus, velut eſſe genus, ſpeciem, aut indiuiduum. Nam & hæc, proprietates quaſdam rerum eſſe, & per ſe entibus conuenire tradit Ariſtoteles libro ſuperiori ad finem capitis ſecundi, cum ait, *Genus, ſpeciem, & ſimilia rerum attributa effectiones per ſe entium, quatenus entia ſunt*: nósque eo loco verum eſſe diximus de iis, vt relationes quaſdam ſignificant, quæ rebus ab omni æternitate neceſſariò conueniunt, quatenus res ipſæ, earúmque omnium rationes diſtinctiſſimo conceptu intellectui diuino ex neceſſitate obiiciuntur: quamquam ſint accidentia contingentia, quatenus obiiciuntur intellectui humano, qui vniuerſalia à ſingularibus & abſtrahere, & non abſtrahere poteſt. Hæc tamen breuius ibi dicta, fuſius hoc loco explicanda ſunt.

*Alia minime.*

*Genus & ſpeciem, & ſimilia, affectiones eſſe neceſſarias quo pacto intelligendum.*

*Quæſt. 6. ſect. vlt.*

*Iſta non communicari inferioribus per ſuperiora neque è contrario.*

Iſta igitur ſic dici de ſuperioribus, vt non dicantur de inferioribus, aut contra dici de inferioribus, vt de ſuperioribus non dicantur, facilè intelligitur. Neque enim, quia animal eſt genus verè colligas, hominem eſſe genus: neque item, quia homo eſt ſpecies infima, continuò inferas animal eſſe infimam ſpeciem: nec denique, quia Socrates de vno ſolo dici poteſt, rectè concludas, aut hominem aut animal de vno ſolo dici poſſe.

*Probatur eſſe proprietates.*

Eſſe autem rerum ipſarum proprietates quaſdam ex eo conſtat, quia non contingenter, ſed neceſſario illis conueniunt: ídque non ex accidente, ſed ex ipſo earum ordine inter ſe, quo aliæ natura præcedunt,



dunt, aliæ ſequuntur. *Dixi eſſe proprietates quaſdam*, & non ſimpliciter proprietates, ſed veras proprietates: quia etſi ſequuntur naturarũ ipſarum ordinem, & quamdam earum inter ſe anticipationem aut conſecutionem, non tamen conſequuntur ipſas rerum naturas, alioqui cum ſuperioribus naturis ad inferiora deſcenderent, in quibus ſuperiorum naturæ continentur.

*Quo pacto ſumpta, dicta ſint eo loco eſſe proprietates.*

*Ad cap. 7. & 15.*

Quod vero ibi diximus, eſse iſta modo explicato proprietates rerum quatenus ſignificant relationes generum, ſpecierum, & ſimilium attributorum, quoad exiſtentiam ipſarum relationum intelligendum eſt, non quoad earum conuenientiam. Relationes enim rationis etſi rebus conuenire poſsunt ſine operatione intellectus, non poſsunt tamen ſuo modo exiſtere, niſi obiectiuè in intellectu, vt ex ſuperius dictis manifeſtum eſt. Cùm autem res omnes ex ſe habeant, vt ex neceſsitate diuino intellectui obiiciantur: non item humano, inde fit, vt relationes quæ diuinum conceptum rerum omninum conſequuntur, dici ſuo modo poſſint proprietates earum, quoad exiſtentiam: etſi eodem modo reſpectu intellectus humani nullo modo proprietates, ſed accidentia contingentia dicendæ ſint.

*Relationes quæ diuinum intellectum rerumomniũ conſequũtur earũ proprietates dici poſſunt.*

Animaduertendum eſt tamen, alias eſse proprietates huiuſmodi relationibus priores, & in quibus illæ fundentur, nempe ipſas aptitudines eſsendi in pluribus, aut in vno ſolo, & alias ſimiles, quas ſuperius modos quoſdam eſsendi eſse dicimus, atque has melius, quàm relationes, quæ illa conſequuntur, tales proprietates rerum appellare poſsumus, de iiſque præcipuè intelligendus eſt Ariſtoteles, cum ait eſse genus, ſpeciem, & ſimilia attributa: in affectionibus per ſe entium, quatenus entia ſunt, numeranda eſse.

*Proprietates relationibus hiſce priores quandã ſint.*

*Loco nunc citato.*

*Explicatio Ariſtotelis.*

Miſso igitur toto hoc poſteriori genere propriorum & accidentium, quæ præcisè rerum naturas conſequuntur, quatenus aliæ priores ſunt, aliæ poſteriores, aut eis alia ratione præcisè conueniunt, ſiue quoad exiſtentiam ſumantur, ſiue quoad conuenientiam, de ſolo priorum genere nobis eſt reliquus futurus ſermo. Nam quæ poſterioris generis ſunt, cùm habeant ſecundaria ſubiecta quibus cum natura primorum ſecundariis communicentur, non eſt quod hæc quæſtio de illis proponi ac diſputari debeat.

Sed cum prioris generis propria & accidentia partim negatiua ſint, partim poſitiua: & poſitiuorum partim rationis, partim realia: horum extremorum tantùm à nobis in hac quæſtione inueſtiganda ſunt prima ſubiecta: quod & hæc præcipuæ conſiderationis ſint, & de his videatur propriè intelligi illud Porphyrij: *Propria quidem ſpeciebus innaſci, accidentia vero primo ineſſe indiuiduis*: quemadmodum & illud planè intelligitur, quod Ariſt. ait: *accidentia omnia quæ ad nouem poſteriora prædicamenta ſpectant, primo ineſſe primis ſubſtantiis, & de eis primo dici.* Quibus ſanè dictis, quæ contraria videntur, conciliandis, ſoluendum eſt vltimum ſuperioris quæſtionis argumentum.

*De quibus propriis & accidentibus diſputandũ*

*Cap. de communitatibus. Cap. de Subſtantia.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Quæstionis explicatio & solutio argumenti: cuius caussa proposita est.*

## SECTIO II.

*Duplex subiectum reali accidentium, existentiæ vnum, alterũ conuenientiæ.*

QVo circa duplex subiectum realium propriorum: & accidentium quarti & quinti prædicabilis ponendum est: vnum existentiæ, alterum conuenientiæ. Existentiæ subiectum est id, in quo & per quod proprium, aut accidens existit: conuenientiæ verò, cui conuenit, & cuius ratione conuenit. Sic necesse est, vt prima subiecta tam proprior-um, quàm accidentium sint singularia, quod hæc primo existant, & in eis, ac per ea existant vniuersalia. Atque hoc modo verum est, quod tradit Aristoteles: *Omnia accidentia realia, siue propria illa sint, siue communia, primo inesse primis substantiis, & per eas inesse secundis*: quod sic intelligendum est, vt vel in sint totis, vel partibus earum, quod dixerim propter accidentia, quæ sunt in anima separata, quæ etsi prima subsstantia non est, tamen est suaptè natura illius pars præcipua. Quod autem Porphyrius docet, proprium speciei innasci, & (quod sequitur) per speciem ineſse indiuiduis, ad subiectum conuenientiæ referendum est, Nam quia propria sunt quasi naturales partus essentiarum communium: inde fit, vt primo illis conueniant, & earum ratione conueniunt indiuiduis. Quod contra euenit in accidentibus realibus quinti prędicabilis. Cùm enim hæc nullam naturam substantialem necessario sequantur (etiam indiuiduam) ac proinde conuenire non possint, nisi existant ipsa & subiecta, quibus conueniunt, non dubium est, quin quandocumque cõueniunt, primò conueniant indiuiduis, & per ea speciebus & generibus, sub quibus continentur.

*Solutio quinti argumenti positi quæstionis sup. sect. 1.*

*Cur propria natura communibus primò conueniant.*

*Accidentia vero quinti prædicabilis è contra.*

Itaque prima subiecta conuenientiæ propriorum realium sunt naturæ communes, existentiæ autem indiuidua, prima vero realium accidentium & existentiæ & conuenientiæ, sunt sola indiuidua, vnde patet solutio extremi argumenti superioris quæstionis.

*Sit ne primum subiectum cuiusque proprij vnicum.*

## SECTIO III.

*Vide Caiet. super D. Tho. de ente & essent. ca. vlt. §. Antequã terminemus, & scotum. q. 33. super vniuersalia.*

SEd quærat aliquis, num quemadmodum prima subiecta conuenientiæ cuiusq; accidentis vniuersalis sunt plura, ita cuiusq; proprij sit vnicum. Ad quam dubitationẽ non difficile ex dictis responderi potest. Nihil enim prohibet esse plura: etsi sæpe est vnicum. Nam si quemadmodum subiectum vendicat sibi per se proprietatem, ita proprietas sibi per se vindicet subiectum, non dubiũ erit, quin primum subiectum sit vnicũ: quo pacto se habet homo & risus capax, animal & sensus particeps, substantia corporea & extensum esse mole corporea, aut figuratum figura solida (ponimus enim, quod & credimus, nullã magnitudinem dari posse infinitam) eodémq; modo se haberent substantia genus summum & quale, si anima separata, quę sub eo genere non cõtinetur, non

*Conclusio probatur.*

*Nullam magnitudinem posse dari infinitam.*



non esset necessario & suaptè natura qualis. Si vero subiectum sibi per se vendicet proprietatem, ipsa autem proprietas non sibi per se vindicet subiectum: poterit primum subiectum esse vel vnicum vel multiplex: vnum, si proprium sibi vendicet per se, & conuertibiliter (quod dicitur per se primo) genus aliquod essentialiter inclusum in subiecto, quo pacto se habent homo & sensus particeps: multiplex, si proprium non sibi per se vendicet tale genus: quo pacto se habent homo vel anima humana & intellectiuum esse, sumptum in genere, simia & visiuum vel auditiuum esse, ignis & calidum, aqua & frigidum: Neque enim datur primum subiectum intellectiui in genere sumpti, quod omnibus intellectiuis subiectis particularibus vniuocè sit commune, quemadmodum & ipsum intellectiuum esse est omnibus vniuocè commune, tametsi datur vnum primum subiectum intellectiui non indigentis discursu, quod subiectum est substantia separata in genere sumpta. Neq; etiam datur primum subiectum visiui vel auditiui sub animali, quod vniuocè commune sit homini & simiæ, quibus visus & auditus vniuocè conuenit, etiam in specie fortassis. Nec denique datur primum subiectum calidi aut frigidi, quod igni & cæteris calidis, aut aquæ & cæteris frigidis sit vniuocè commune, vt constat. Nam quod quidam dicunt si calidum & frigidum pro naturaliter calido & frigido sumantur, calidi quidem primum subiectum esse ignem, frigidi verò aquam, apertè falsum est, cùm pleráque mista sint naturaliter calida, & pleráque item naturaliter frigida, etiam calore & frigore actuali, vt caro viuentis, & crystallus. Nec iuuat hoc id quod respondent, cætera naturaliter calida participatione ignis esse sic calida; & cætera naturaliter frigida participatione aquæ sic esse frigida, Satis enim est, si omnia sic calida sint vniuocè calida, & sic frigida sint vniuoce frigida, vt teneantur ipsi aut nobis assentiri, aut subiectum vnum vniuocè commune omnibus sic calidis, alterum sic frigidis quærere. Quod si dicere pergant, nec calidũ esse vniuoce commune igni, & cęteris naturaliter calidis, nec frigidum aquæ, & cæteris naturaliter frigidis, eo quod calidum dicatur per se de igne, de cæteris per participationem ignis, eodémque modo frigidum se habere ad aquam, & cætera frigida, nec rectè sentient, nec ad rem id omnino dicent. Nam quemadmodum ignis est per se calidus, & aquæ per se frigida, sic etiam alia complura dicuntur per se calida & per se frigida, ea videlicet, quæ ex naturis suis tantum calorem aut frigus sibi vendicant, vt simpliciter talia denominari possint, quomodocumque ipsa dicantur calida aut frigida per participationem ignis aut aquæ.

*Intellectus in genere sumpti non dari vnum commune subiectum*

*Neque visui vel auditiui.*

*Refellitur nõnullorum sententia.*

Nec mirum videri debet, quod vna & eadem qualitas pertinens ad quartum prædicabile immediatè dicatur de pluribus speciebus substantiæ, cum diuersæ species aliquam eamdem operationem naturaliter habere possint, quæ aliis eiusdem generis conuenire nequeat, ac proinde aliquam potentiam, quæ non sit cæteris speciebus eiusdem generis proximi communis.

*Vnũ aliquod proprium immediatè dici posse de pluribus substantiæ speciebus.*

Num

*Num omnia propria generum sint etiam genera, & propria specierum infimarum species infimæ.* SECTIO IV.

QVærat item aliquis, cuiusmodi sint propria quæ adæquatè naturas communes sequuntur: vtrúmne quæ sequuntur genericas, sint etiam genera, & quæ specificas, sint species quo pacto se habent sensus particeps ad animal, & disciplinæ capax ad hominem.

*Assertio respondens quæstioni.*

Ad hanc dubitationem dicendum est, varium id esse. Nam etsi plurima eorum, quæ sequuntur genera substantiarum, sint etiam genera, vt de sensus participe dictum est (de eo intellige, quod denominatiuè dicitur à potentia sentiendi) & omnia item, quæ sequuntur species infimas, videantur esse species infimæ, vt disciplinæ capax, tamen nihil repugnat, ea quæ sequuntur genera, esse species infimas, & quæ sequuntur species infimas, esse genera. Nam extensum esse mole corporea, etsi sequitur naturam substantiæ corporeæ, quæ genus est, tamen ipsum est species infima quanti. Et quamquam nulla nunc succurrit species infima substantiæ, quam adæquatè sequi videatur propriũ, quod non item sit infima species nisi forte quis dicat, hominem sequi genus quoddam intellectus innominatum, quod adæquatè in agentem & possibilem naturáque sua nudum diuidatur) nullam tamen contradictionem implicat, dari tale proprium alicuius earum, quod genus sit, modo in ea specie substantiæ, & in omnibus eius indiuiduis cernantur omnes species eius proprij, ne demus indiuidua eiusdem speciei infimæ differre inter se propriis specificis, ac proinde differre specie. Id autem exempli caussa, re vera accideret, si appetitus sensitiuus soli conueniret homini. Nã cùm is appetitus diuidatur specie in irascibilem & concupiscibilem, quorum vterque necessarius est animali (irascibilis enim vindex est concupiscibilis) vtique & genus ipsum & vtraque eius species esset in singulis hominibus, quemadmodum & sensus, qui soli animali conuenit secum habet, secumque affert ad omnes species & indiuidua animalis gustum & tactum, tametsi gustus etiam & tactus genera quædã sunt, quæ suas habent species.

*Esse extẽsum mole corporea quid sequatur, & cuius generis sit species infima.*

*Nõ implicat dari speciei infimæ propriũ aliquid, quod genus sit.*

*Gustum & tactum genera quædam esse.*

Ex his collige, nihil repugnare, quominus dentur propria generalia, quæ eadem sint species infimæ respectu suorum inferiorum, quale est extensum esse mole corporea, & similiter propria specialia, quæ eadem sint genera cum suis inferioribus collata: cuiusmodi esset appetitus sensitiuus, si cum homine reciprocaretur, & aliquo modo est figuratum figura solida, si referatur ad sola particularia corpora Prædicamenti quantitatis, quæ certũ est non differre specie, tametsi non quemadmodum omnes species appetitus sensitiui essent in omnibus indiuiduis speciei humanæ, ita omnes species figurati figura solida sunt in omnibus indiuiduis corporibus Prædicamenti quantitatis. Quod ideo euenit, quia etsi hoc genus figurati dicitur necessario de corpore, vt corpus est, quemadmodum appetitus sensitiuus de homine, vt homo est: tamen nulla species figurati dicitur necessario de corpore, vt est corpus, vel de vllo particulari corpore, quatenus ad prædicamentũ quantitatis spectat: quod dicere non possumus de speciebus appetitus sensitiui respectu & hominis in cõmune, & particulariũ hominum.

*Dari propria generalia, quæ sint species infimæ.*

*Et propria specialia quæ sint genera.*

Collige



Collige item, vnum & idem proprium posse esse generale: & modo aliquo speciale, si cum duobus subiectorum generibus cõferatur. Nam figurarum figura solida, si cum solis corporibus prædicamenti quantitatis conferatur, quorum naturam trinæ dimensionis immediatè sequitur, proprium est speciale quodammodo: cùm de nullis eiusmodi corporibus dicatur, vt specie differentibus: si verò conferatur cum substantiis corporeis, quibus ratione molis corporeæ dicitur, cùm earum plurimæ specie differant, nõ dubium est, quin earum respectu sit proprium generale, quo vtique nomine simpliciter appellandum est.

*Idem propriũ & generale, & quodammodo speciale*

*Num propria quarti prædicabilis possint sub se continere accidentia quinti prædicabilis.* SECTIO V.

QVærat etiam aliquis, qui fieri possit, vt figuratum figura solida sit proprium quarti prædicabilis respectu corporis, & tamen omnes species figurati sint accidentia quinti prædicabilis respectu particularium corporum: id quod etiam ex parte quæri potest de quali respectu substantiæ generis summi. Nam etsi illud necessario dicitur de substantia finita & completa, idque prouenit ex ipsa talis substantiæ natura) quatenus enim finita & completa est, qualitatem aliquam actiuam sibi vendicat in singularibus, vt sit ex se operatiua) tamen videmus, complures species qualis contingentes dici de speciebus substantię, atque adeo de iis eisdem, de quibus quale necessario prædicatur.

*Exponitur q.*

Sed huic quæstioni facilè respondetur, nimirum, videri non debere, si genus aliquod accidentalium prædicatorum in commune sumptum necessariò conueniat alicui subiecto non solùm communi, sed etiam singulari, idque prouenire ex natura talis subiecti, & tamen aliquæ species talis prædicati, aut etiã omnes contingenter illi conueniant. Simile enim quid accidit in materia corruptibilium, quæ etsi necessariò habent formam, idque prouenit ex ipsa natura materiæ, quæ sine forma naturaliter existere non potest, tamen quamlibet speciem formæ habet contingenter: non enim necesse est, vt subiectum habeat determinatam propensionem ad speciem, si habet determinatam ad illius genus, cùm proinde tali propensioni satisfacere natura possit per vnam speciem atque per aliam. Quod autem diximus de genere & speciebus illius, eodem modo accidit in specie, eiúsque indiuiduis. Nã etsi subiectum ex natura sua determinatè propensum sit ad certam speciem, æquè tamen ei natura satisfacit per vnum indiuiduum eius speciei, atque per aliud.

*Respondetur quæstioni.*

*Materiæ corruptibilium conditio.*

Vnde colligere, ne propria quidem primi & secundi gradus tanta necessitate conuenire subiectis, vt certum numero subiectum ex natura sua certum numero proprium sibi vẽdicet: verbi caussa, hunc hominem hanc numero potentiam siue ridendi, siue intelligendi, & hunc equum hanc numero hinniendi facultatem: aut sentiendi. Primus enim naturæ auctor est, qui speciem formæ, quæ introducitur in subiectum, ad formas indiuiduas determinat, naturalibúsque propensionibus subiectorum ad certam formæ speciem per ea indiuidua, quæ sibi placeat, satisfacere consueuit, cùm facultatem cuiusque particularis agentis excedat ex infinitate indiuiduarum formarum cuiusque speciei, vnam certam & determinatã, quam introducat, solet quasi diligere. Sic fit, vt quẽad-

*Certum numero subiectum non exposcere necessariò certam numero potentiam. Primus auctor vt species formarum determinet.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



modum forma siue substantialis siue accidentalis, quæ primò & quasi directo introducitur, est hæc numero, quia primum agens eam profiniuit ac determinauit, ita accidit in proprietatibus, quæ illas consequuntur. Nec tantùm in generatione id euenit, sed etiã toties eueniet, quoties sublata aut impedita proprietas remoto impedimẽto resultauerit. Semper enim illa numero proprietas succedet, & quasi fluet ex subiecto, quam idem naturæ auctor ab æterno ex tota specie delegit.

*Num accidenti quinti prædicabilis, vt conueniant subiectis, indigeant sua & subiectorum existentia.* SECTIO VI.

*In quo sit proposita q. difficultas.*

DEmum quærat aliquis, cur supra dixerimus, hoc inter alia discrimina differre inter se propria & accidentia quinti prædicabilis, quod propria conuenire possint suis subiectis, etsi nec ipsa, nec subiecta existant, accidentia autem quinti prædicabilis non conueniant nisi existant & ipsa & eorum subiecta. Nam etsi hoc diximus de realibus tantùm propriis & accidentibus, nihilominus eadem ratio videtur esse in omnibus: nempe, vt quemadmodum accidentia realia quinti prædicabilis non conueniunt, nisi & ipsa & eorum subiecta realiter existant, ita neque accidentia rationis eiusdem prædicabilis, nisi existãt in mente, siue obiectiuè. Et tamen hoc falsum videtur, cùm mortuũ esse, quod nemo reale accidens, sed rationis esse dixerit, non indigeat vlla existentia vel sui vel subiecti, de quo dicitur vt de eo verè dicatur, sed potius, quemadmodum ipsum reali existentiæ sui subiecti repugnat, ita obiectiuam existentiam vel sui, vel illius minimè requirat. Nam etsi nemo dicitur mortuus, nisi dum mente concipitur, vt tamen mortuus sit aliquis, non opus est eum mente concipi.

*Mortuũ esse cum sit accẽs an requirat vllam existentiam.*

*Soluitur q.*

Huic dubitationi respondendum est, eamdem quidẽesse rationem in accidentibus quinti prædicabilis, si entia rationis sint, vt indigeant existentia obiectiua, atque in iis, quæ sunt realia, vt indigeant reali. Cuius rei hæc est ratio, quia in necessariis enunciationum enunciabiliúmque connexionibus verbum *est* absoluitur (vt dici solet) ab omni temporis differentia, ac proinde ab omni actuali existentia, in contingentibus autem semper additum est ad certum aliquod tempus vel præsens, vel præterirum: vel futurum. Quo fit, vt in contingentibus, si vera est connexio prædicati cum subiecto, dubium non sit, quin vtrumque aut existat obiectiuè, aut extiterit, aut futurum sit vt existat pro ratione differentiæ temporis, quod verbo significatur. Sed tamen huic sententiæ nihil repugnat id, quod obiicitur de mortuo.

*Verbum Est in connexionibus necessariis absolus a tempore.*

*In contingentibus nõ ita.*

*Respondetur dubitationi de mortuo.*

*Mortuũ duobus modis sumi posse.*

Quod, vt facilius intelligatur, animaduertendum est, mortuum duobus modis sumi posse: vno, vt est participiũ præteriti tẽporis, quo pacto significat vitæ separationẽ exercitã in tẽpore præterito: seu vitæ nomẽ sumatur pro vita essentiali, qui est anima ipsa, seu pro vita accidentaria, quæ sunt operationes vitales, vt sentire, cupere, irasci, mouere se, & alia id genus: altero, vt est nomẽ, quo pacto significat aliquid vita priuatum.

Mortuum igitur, si priori modo sumatur, verè quidem dicetur & de toto composito ex corpore & anima, vt de Socrate mortuo, & de corpore solo. Nam & totus Socrates aliquando patiebatur vitæ accidentariæ separationem, cùm extremo spiritu laboranti paulatim deficiebant



ficiebant vitales separationes: & corpus illius tum simul patiebatur separationem non modo accidentariæ vitæ, sed etiam essentialis, cum anima sensim relinquebat alias atque alias partes remotiores ab iis, à quibus simul discessit, & has etiam dispositiuè relinquebat, cùm magis ac magis primo non esse animæ in corpore appropinquabat. Sed cùm enunciatio hæc, Socrates est mortuus, sit de præterito, non est necesse, vt subiectum nunc existat, etsi existere diuina potestate valeat, si nunc à mortuis excitetur: prædicatum autem existere non potest, cùm ad præteritum non detur potentia. Quamquam necesse est, vt vtrumque extiterit eo tempore, pro quo nunc verificatur propositio, atque adeo positiuè extiterit, quia separatio vtriusque vitæ, quæ fiebat dum Socrates animam agebat, actio quædam erat corruptiua subiecti, omniúmque eius vitalium operationum.

*Socrates est mortuus, esse enuntiationẽ de præterito.*

Si verò mortuum posteriori modo accipiatur, numquam verè illud dici potest de Socrate, nisi sumpto Socratis nomine per Synecdochen pro corpore Socratis exanimi. Qua figurata significatione vera fuit aliquando hæc enunciatio: Socrates est in hoc feretto mortuus, & nunc etiam vera hæc est: Socrates est in hoc tumulo mortuus, si in eo continentur ossa Socratis. Atque hoc pacto necesse est, vt & subiectum & prædicatum existant in rerum natura: subiectum quidem positiuè, prædicatum negatiuè, realiter tamen, hoc est, sine operatione intellectus. Nam priuationes reales, si contingentes sint, vtraque existentia indigent & positiua subiectorum, & negatiua sui. vt affirmatio earum de subiectis vera sit. In priori vsurpatione mortui, vera fuit in triduo mortis Christi Domini, & nunc est, hæc enunciatio: Christus est mortuus: in posteriori autem nunc falsa, & in solo triduo illo vera fuit, sumpto nunc Christi nomine pro Christi corpore, Verbóque diuino, vt in eo examine corpus subsistebat.

*Priuationes reales vt indigeant vtraque existẽtia, & positiua subiecti, & sui negatiua. Christus est mortuus in quo sensu vera, & quãdo*

AD argumentum igitur negandum est, mortuum esse, in accidentibus rationis esse numerandum. Nam vitæ separatio, cùm sit vera actio, est accidens reale: priuatio autem vitæ non est accidens rationis, sed realis carentia formæ, hoc est, sine operatione intellectus existens in corpore, seu materia priuata. Vnde fit, vt & sui subiecti existentia reali positiua indigeat, & sui etiam reali negatiua, id est, qua forma negata non existit in subiecto. Quod si quis obiiciat, etiam ipsum Socratem, qui nunc non est, posse dici priuatum vita, non quidem essentiali, quæ est altera pars Socratis, sed accidentaria, quæ sunt præteritæ eius vitales operationes: negandum id planè est: quia si subiectum dici posset priuatum reali accidente contingenti, quandoquidem illud non habet, nulla esset differentia inter prinationem & negationem: perindéque Socrates antequam nasceretur posset dici mortuus, atque postquam vitam finiuit. Vt igitur tunc non dicebatur operationibus vitalibus priuatus, quia tunc non existebat sine huiusmodi operationibus, ita & nunc, quia non sic existit, nec sanè alia ratione, nisi quia priuatio contingens supponit existẽtiam subiecti, quam non supponit contingens negatio. Atque hæc de omnibus quoque vniuersalium & prædicabilium generibus dicenda occurrerunt.

*In forma argumentum dissoluitur.*

*Obiectio.*

*Soluitur.*

## CAPITIS XXIX EXPLANATIO.

*Quot modis falsum dicatur. Res significatas, tribus modis dici falsas.*

FALSVM *vno modo dicitur.* Tradit quot modis falsum dicatur, ac primùm in rebus significatis: deinde in oratione: postremo in homine, qui oratione vtitur. Res significatæ tribus modis dicuntur falsæ, Vno, si componi non possunt, hoc est, si earum coniunctio non potest existere in rerum natura, vt diameter commensurabilis lateri quadrati: quæ dicũtur impossibilia, & quæ contradictionem implicant. Altero si non componuntur actu, id est, si eatum coniunctio non existit cum existere possit, quo pacto est falsum. Socratem sedere, cùm non sedet, aut esse beatum, cùm non est beatus. Differũt autem hi duo modi non parum: prior enim est eorum, quę semper sunt falsa, hoc est, quæ numquam possũt esse vera, posterior eorum, quæ interdum falsa sunt, hoc est, quę possunt esse vera: quam expositionem adhibeo propter multa falsa contingentia, quæ semper erũt falsa, & tamẽ nõ sunt impossibilia vt esse plures Soles. Deinde, etsi vtérq; modus significat nõentia (nã cũ omne ens sit verum, necesse est, vt omne falsum, qua ratione falsum est, aliquo modo sit non ens) prior tamẽ significat non entia omnino, posterior autem non existentia, quæ quidem modo aliquo non entia dici possunt. Tertio, si sint entia quidem, sed tamen natura sua apta, vt falsam sui imaginationem efficiant: siue illa videantur esse talia, qualia non sunt: vt Iris, quæ videtur colore affecta, cùm verum colorem non habeat: siue esse ea, quæ reuera non sunt, vt picturæ hominũ, aut eorum imagines in somniis obiectæ, quæ videntur homines, nec sunt homines.

*In quo differant hi duo modi.*

ΚΕΦ. ΚΘ'.

Text. 34. Ὁ α ψεῦδος λέγεται, ἄλλον μὲν τρόπον ὡς πρᾶγμα ψευδές. καὶ τοῦτο, τὸ μὲν ὅλως μὴ συγκεῖσθαι ἢ ἀδύνατον εἶναι, συγκεῖσθαι, ὥσπερ λέγεται τὸ τὴν διάμετρον εἶναι σύμμετρον: ἢ τὸ σὲ καθῆσθαι (τούτων γὰρ ψεῦδος τὸ μέν ἀεί, τὸ δὲ ποτέ: ὅτῳ γὰρ ἂν ὄντα ταῦτα) τὰ δὲ, ὅσα ὅτι μὲν ὄντα, πέφυκε μέντοι φαίνεσθαι, ἢ μὴ οἷά ἐστιν, ἢ ἃ μὴ ἔστιν: οἷον, ἡ σκιαγραφία, ἢ τὰ ἐνύπνια. ταῦτα γὰρ ἔστι μέντοι, ἀλλ' οὐκ ὢν ἐμποιεῖ τὸν φαντασίαν. πράγματα μὲν οὖν ψεῦδη ὅτως λέγεται: ἢ b ὅσῳ μὲν εἶναι αὐτὰ, ἢ c ὅσῳ τιν ἀπ' αὐτῶν φαντασίαν μὴ *ὄντος εἶναι. λόγος d δὲ ψευδής, ὁ τῶν μὴ ὄντων, ἧ ψευδής. διὸ πᾶς c λόγος ψευδής, ἑτέρου. ἢ ἕκαστόν ἐστιν ἀληθής: οἷον ὁ τῆ κύκλῳ ψευδὴς τριγώνου. ἑκάστῳ g δὲ λόγος, ἔστι μὲν ὡς εἷς, ὁ τῷ τί ἦν εἶναι: ἔστι δ' ὡς πολλοί ἐπεὶ ταυτόπως αὐτὸ, καὶ αὐτὸ πεπονθός: οἷον, Σωκράτης. καὶ Σωκράτης μάσικός, ὁ δὲ ψευδὴς λόγος, ὅδενός ἐστιν ἁπλῶς λόγος. διὸ h Ἀντισθένης ὤετο σύνθεσιν μηδεν᾽ ἀξιῶν λέγεσθαι, πλὴν ἴδιον οἰκείῳ λόγῳ ἑνὸς ἑκάστου: ἐξ ὧν συνέβαινε μὴ εἶναι ἀντιλέγειν, σχεδὸν δὲ μηδὲ ψεύδεσθαι. ἔστι δ' ἕκαστον λέγειν, ὃ μόνον *τῷ αὐτῷ λόγῳ, ἀλλὰ καὶ τῷ τῷ ἑτέρῳ, ψευδῶς μὲν καὶ παντελῶς: ἔστι δ' οὕτω ὡς καὶ ἀληθῶς, ὥσπερ τὰ ὀκτὼ διπλάσια τῷ ἡμιόλιον λόγῳ. τὰ μὲν οὖν ὅτῳ λέγεσθαι ψεῦδη. ἄνθρωπος

γρ. ὄντως.

γρ. τῳ αὐτῷ.

*Text. 34.*

*Omnia oratio falsa.* Supple quæ ratione aliqua sit vera.

*In quo est vera.* Oratio enim vera, vt vera est, semper est entis, falsa autem, vt falsa, non entis.

*Est autem cuiusque.* Ponit discrimen inter orationẽ falsam simpliciter, & applicatione falsam, docétque, eam, quæ sola applicatione falsa est, esse verã non solùm comparatione rei, quam significat, sed etiam respectu eius, cũ quo res significata est idẽ subiecto: quo pacto definitio Socratis est quodãmodo definitio Socratis musici. Nã etsi vnius rei vna tantũ definitio dicitur, id intelligendum est definitione, quam dicunt essentialem, & quæ per sola intrinseca essentiæ principia traditur: at oratio simpliciter falsa, cuiusmodi sunt attributa, quę constant ex partibus repugnantibus, vt animal inanimatum, & similia, nullius omnino rei oratio est, quia nihil significat, quod verè sit ens.

*Discrimen inter orationem falsam simpliciter & applicatione falsam.*

*Quo circæ magna.* Quia oratio simpliciter falsa, nullius rei oratio est, colligebat Antisthenes, omnem orationem quæ de aliquo diceretur, esse propriam illius. Ex qua deinde conclusione suam illam absurdam sententiam concludebat, neminẽ posse cuiquam contradicere, ac proinde nec mẽtiri propemodum. Nam si omnis oratio est propria eius de quo dicitur, non licebit dicere diuersas orationes de eadem re significata: quare cùm contradictio dari non possit nisi diuersa de eodem dicantur (nam qui idem de eodem dicunt, nequaquam sibi contradicunt) nemo cuiquam poterit contradicere. Cùm autem ij, qui mẽtiuntur, fermè id faciant, vt aliis cõtradicant, nemò fermè mẽtiri poterit. Sed quãta inscitia hęc dicat atque cõcludat Antisthenes, facilè perspicitur. Primũ enim, etsi oratio simpliciter falsa, siue in se repugnãs, nullius rei oratio est, vt homo rationis expers, oratio tamẽ vera de pluribus dici potest: primaria quidẽ ratione de vno, de eo, inquã, quod per se ac primò significat, secũdaria verò de iis, quæ ratione secũdaria, aut per accidẽs significat, vt definitio hominis de homine, & de Socrate, & de musico Socrate, & duplum de duobus, & iis, quæ rationẽ dualitatis participant, vt de quatuor, sex, octo, & numeris, rebúsque aliis paribus. Deinde, etsi nõ licet de eodem diuersa repugnantia dicere, licet tamẽ diuersa de eodẽ non repugnantia. Præterea, etsi

*Conclusio Antisthenis inepta.*

*Refellitur.*

*Frequentius dici mendacium non contradicendi.*

*Orationem duobus modis falsam.*

*b Aut quia ipsa non sunt.* Hoc refertur ad primum, & secundum genus rerum falsarum, quæ in eo conueniunt, quòd non sint actu.

*c Aut quia imaginatio* Hoc refertur ad tertium genus. Proinde verba illa *entis non est*, sic exponenda sunt. Non est talis entis, aut entis, quale est, aut quod ipsa res est. vt patet ex propositis exemplis.

*d Oratio autem falsa.* Duobus modis dicitur oratio falsa. Vno simpliciter, hoc est, secũdum se, quia significat id, quod nõ est, nempe rem primo aut secũdo modo falsam, vt quæ asserit diametrũ esse cõmensurabilẽ lateri quadrati, aut Socratem sedere, cùm nõ sedet. Altero cõparatione eius rei, cui nõ cõuenit. vt definitio circuli cõparatione triãguli. vtroque autẽ modo dicere possumus, orationẽ falsam versari in eo, quod nõ est, saltẽ qua tenus falsa est. Priori quidem, quia simpliciter res significata nõ est. posteriori autem, quia applicatur siue attribuitur



tribuitur rei quæ non est illa ipsa, quam significat.

## CAPVT XXIX.

*Text. 34.* FALSVM *a vno modo dicitur, vt res falsa. Atque hæc partim, quia non cõponitur, aut componi non potest: quo pacto dicimus: diametrum esse cõmensurabilem, aut te sedere (horum enim aliud semper est falsum, alterum interdum, cùm ista hoc pacto sint non entia) partim, quia, est ex eorũ genere, quæ cum entia sint, apta sunt tamen natura sua, vt videantur esse, aut non qualia sunt, aut quæ non sunt, veluti pictura et insomnia. Hæc enim etsi aliquid sunt: non sunt tamen ea, quorum imaginationem efficiunt. Res igitur hoc modo dicuntur falsæ, aut* b *quia ipsæ non sunt, aut quia imaginaeio quam efficiunt, entis non est. Oratio* d *autem falsa est ea, quæ versatur in iis, quæ non sunt, quæ ratione falsa est. Quo fit vt omnis* c *oratio falsa, alterius sit, quam eius, in quo est vera: quo pacto definitio circuli falsa est in triangulo. Est* g *autem cuiusque rei oratio modo quodam vna (ea nimirum quæ quid res sit explicat) modo autẽ alio plures. Namque idem sunt quodammodo res ipsa, & res aliquo affecta, veluti Socrates, & Socrates musicus. Falsa autem oratio, nullius simpliciter oratio est. Quocirca* h *magna inscitia tenebatur Antisthenes, cùm crederet nihil dici nisi propria oratinne, vnum de vno: vnde illud accidebat non licere contradicere, atque adeò mentiri propemodũ. At possumus vnũquodque iũ propria ipsius, tum etiã alterius oratione appellare: idq; tum falsa omnino enunciatione, tũ aliqua etiam ex parte vera: quo pacto octo, dualitatis ratione dupla dicũtur. Atq; hæc quidem hoc*

*Causſa, quã Cõtradicẽdi.* non licet diuerſa repugnantia de eodẽ verè dicere, licet tamẽ vnũ verè, alterum falsò. Adde, ad contradictionem non eſſe neceſſe, vt diuerſa de eodẽ dicãtur (tametſi ex diuerſorũ affirmatione ſæpè ſequatur contradictio) ſed vt idem de eodem affirmetur, & negetur. Poſtremò frequentius dicitur mendacium nõ contradicendi cauſſa, quàm contradicendi. Vno enim dumtaxat modo mẽtiri quis poteſt contradicendo veræ enunciationi propoſitæ, quia vni enunciationi vna tantùm contradicit: at infinitis, non contradicendo, ſed attribuendo diſparata prædicata, quæ non inſint. vt eſt luce clarius, Quod ad verba attinet, cùm audis *vide illud accidebat* ſubaudi *ex Antiſthenis ſententia*. Neque enim ea illatio Ariſtotelica eſt, vt quidam exiſtimant, ſed ex Antiſthene deſumpta.

*Dupliciter hominem dici fallacem.*

*i Homo verò falſus.* Dupliciter ait, hominem dici falſum, ſiue fallacẽ. Vno ſi procliuis ſit ad orationes falſas, eaſque ſtudioſè ſectetur, idque faciat non propter lucrum aut gloriã captandã, aut adulationis cauſſa, aut deniq; obaliquid aliud, ſed ob id ipſum, quia delectatur mendaciis. Qui enim alia de cauſſa mendacia ſectãtur, ab eo potius vitio, à quo impellitur ad mẽtiendũ, appellandi ſunt.

πῶς δὲ ψευδὴς, ὁ δυνάμενος, καὶ προαιρετικὸς τῶν τοιούτων λόγων μὴ δι' ἕτερόν τι ἀλλὰ δι' αὐτὸ: καὶ ὁ ἄλλοις ἐμποιητικὸς τῶν τοιούτων λόγων, ὥσπερ φαμὲν καὶ πράγματα ψευδῆ εἶναι, ὅσα ἐμποιεῖ φαντασίαν ψευδῆ. διὸ κ' ὁ ζῷ ἱππίας λόγος παρακρούεται, ὡς ὁ αὐτὸς ψευδὴς, καὶ ἀληθής. τὸν δυνάμενον γὰρ ψεύδεσθαι, λαμβάνει ψευδῆ: ὅτος δ' ὁ εἰδὼς, καὶ ὁ φρόνιμος, ἔτι, l τὸν ἑκόντα φαῦλον, βελτίω: τοῦτο δὲ ψεῦδος λαμβάνει διὰ δὲ ἐπαγωγῆς, ὁ γὰρ ἑκὼν χωλαίνων, τ ἄκοντος κρείττων, τὸ χωλαίνειν, τὸ μιμεῖσθαι λέγων, ἐπεὶ εἶγε χωλὸς ἑκὼν, χείρων ἴσως, ὥσπερ ὅπι τ ἤθους καὶ τοῦτο.

Nam qui propter lucrum mentiri ſolet, potius dicendus eſt cupidus, quã mendax: & ita res habet in cæteris. Loquitur enim Ariſtoteles nõ de actu, ſed de habitu, nec de quauis denominatione ſed de ea, quæ à fine ducitur. *Par eſt enim* (inquit ille in ſecundo libro de Anima) *à fine res denominare.* Altero modo dicitur homo falſus ſiue fallax, ſi ſit aliis auctor & cauſſa, vt aſſentiantur falſis orationibus, cuiuſmodi ſunt ſophiſtæ & hæretici. cap. 4. tex. 49.

*Argumẽtatio fallax Hippiæ Sophiſtæ.*

*k Hinc fit vt ratio illa.* Detegit ex priori ſignificatione hominis fallacis vitiũ argumentationis illius, qua Hippias Sophiſta apud Platonẽ concludit, eundẽ eſſe fallacem & veracẽ. Ideo enim abſurdam concluſionẽ colligit, quia ſumit tamquam

## CAPITIS XXX EXPLANATIO.

*Accidentis ſignificationes.*

ACCIDENS. *a Dicitur id.* Exponit vltimo loco quot-modis dicatur accidens, duáſque eius ſignificationes tradit: vnam, qua ſignificat attributa fortuita, ſeu quę raró enueniunt (quæ quidem eſt præcipua accidentis ſignificatio) alteram, qua ſignificat ea, quæ etſi per ſe conueniunt, non tamen ad eſſentiam pertinent.

ΚΕΦ. Α'.

Συμβεβηκὸς α δὲ λέγεται, ὃ ὑπάρχει μέν τινι, καὶ ἀληθὲς εἰπεῖν, ὃ μὲν τοι ὅτε δὲ ἀνάγκης, ὅτε ἐπὶ τὸ πολύ: οἷον, εἴ τις ὀρύττων φυτῷ βόθρον, εὗρε θησαυρόν. ἔστι οὖν συμβεβηκὸς τῷ ὀρύττοντι τὸν βόθρον, τὸ εὑρεῖν θησαυρόν: ὅτε μὲν γὰρ ἐξ ἀνάγκης τοῦτο ἐκ τούτου, ἢ μετὰ τοῦτο, οὐδ' ὡς ἐπὶ τὸ πολύ ἄν τις φυτεύσῃ, θησαυρὸν εὑρήσει. καὶ μουσικὸς γ' ἄντις εἶη λοιπὸς: ἀλλ' ἐπεὶ ὅτε δὲ ἀνάγκης, οὐδ' ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τοῦτο γίνεται, συμβεβηκὸς αὐτὸ λέγομεν. ὡς τ' ἐπεὶ b ἔστιν ὑπάρχον τινὶ, καὶ τινὶ, ἢ ἔνια

Tex. 35.

*b Quocirca cùm aliquid.* Declarat naturam accidentium prioris generis, docétque illa eſſe iis attributis, quæ ſunt determinata quidem, quoad tẽpus & locũ, indeterminata verò quoad cauſſam. Oppoſitæ cõditiones



quam veram propoſitionem, eum eſſe mendacem qui mentiri poteſt: cui propoſitioni cum adiũgit aliam veram nempe ſcientem & prudentem poſſe mentiri, atque adeo eum maximè id poſſe facere qui ſapiens eſt tandem concludit, eundem eſſe fallacem & veracem, quod nemini dubium ſit, quin prudens & ſapiens ſit verax. Vitium huius rationis in eo cernitur, quod à potentia fallendi non ab habitu & ſtudio appellet hominem fallacem.

*In quo peccet.* *Altera eiuſdem Hippiæ ratio.*

l *Eum etiam qui.* Ex eadem priori ſignificatione fallacis oſtẽdit, quid peccet ratio altera, qua Hippias eodẽ loco infert, meliorem, hoc eſt, minus malum eſſe eum, qui ſpõte peccat, quàm qui modo aliquo coactus. Peccat enim æquiuocatione claudicantis, dum ait præſtantiorem eſſe eum, qui ſpõte claudicat, quàm qui inuitus. Vt enim ſumptio hæc vera ſit, neceſſe eſt, vt in priori parte cõparationis accipiat claudicãtem pro eo, qui claudicantẽ imitatur: in poſteriori autẽ pro eo, qui verè claudus eſt. Nam ſi in vtraque accipit claudicantem pro eo, qui verè eſt claudus, apertè falſa eſſet ſumptio, quãdoquidem qui data opera ſe claudum faceret, deterior eſſet eo, qui id inuitus pateretur. Qua in re ſimilis eſſet claudus voluntarius volũtario mendaci: vt enim mendax voluntarius, & qui non aliã ob cauſſam mentitur, niſi quia mendaciis delectatur, peior eſt in moribus eo, qui quodammodo coactus id facit, ita qui ſe claudũ faceret, peior eſſet in naturalibus eo, qui vel è natura, vel ab alio claudus, vt qui & in pedibus, & in mente haberet vitiũ naturę repugnãs. Vtitur autẽ Ariſtoteles verbo *fortaſſe*, quia vitia volũtatis peruerſæ (etiã affectanti aliquid, quod contra naturam ſit) non admodum propriè dicũtur vitia naturæ.

*Mendax voluntarius peior coacto.*

*hoc modo dicuntur falſa. Homo* i *verò falſus is dicitur, qui ad huiuſmodi orationes procliuis eſt, eaſque data opera ſectatur, neque alia de cauſſa, ſed ob id ipſum: itémque qui alios talium orationum eſt effector: quo pacto & res eas falſas eſſe dicimus, quæ falſam imaginationem efficiunt. Hinc* k *fit, vt oratio illa, qua in Hippia concluditur eundem eſſe mendacem, & veracem fallax ſit. Sumit enim, eum eſſe mendacem, qui mentiri poteſt: at hic ſciens & prudens eſt. Eum* l *etiam qui ſponte malus eſt, meliorem eſſe ponit: quod falſum inductione accipit. Qui enim ſponte, inquit, claudicat, præſtantior eſt eo, qui inuitus id facit: quo loco claudicantem appellat eum, qui claudicantem imitatur. Nam ſi ſponte claudus eſſet, forſitan eſſet deterior, quod perinde in moribus accideret.*

dax voluntarius, & qui non aliã ob cauſſam mentitur, niſi quia mendaciis delectatur, peior eſt in moribus eo, qui quodammodo coactus id facit, ita qui ſe claudũ faceret, peior eſſet in naturalibus eo, qui vel è natura, vel ab alio claudus, vt qui & in pedibus, & in mente haberet vitiũ naturę repugnãs. Vtitur autẽ Ariſtoteles verbo *fortaſſe*, quia vitia volũtatis peruerſæ (etiã affectanti aliquid, quod contra naturam ſit) non admodum propriè dicũtur vitia naturæ.

ditiones cernuntur in natura accidentiũ poſterioris generis. Sunt enim indifferentia quoad locum & tempus, & habent cauſſam certam & determinatam, per quam ſuis ſubiectis conueniunt. Quo loco aduerte primũ, accidẽtia prioris generis diciaccidẽtia per accidẽs poſterioris autem accidentia per ſe. Deinde nõ omnia, quę per ſe conueniunt rei, vt hoc loco ſumuntur verba *per ſe*, conuenire neceſſariò, ſed ſatis eſſe, ſi cõueniãt ex propẽſione naturæ, aut intentione volũtatis eorũ ſubiectorũ, quibus conueniunt, etiãſi non numquã, aut æquè, aut etiã ſæpius impediantur. Dico autẽ *nonnumquam*, propter quædam naturalia attributa, quæ ratius impediuntur. quale eſt, hominẽ habere actu duos pedes. Addidit *aut æquè*, propter ea, quæ nõ magis in hanc partem, quàm in illam cadunt, cuiuſmodi ſunt euenta bellorum.

*Accidentia per accidens.*

*Accidentia per ſe quænã hoc loco.*

## CAPVT XXX.

Text. 35. ACcidens a *dicitur id, quod ineſt illud quidem alicui, & verè dicitur, non tamen aut neceſſariò, aut maiore ex parte: vt ſi quis plantæ ſcrobem fodiens, theſaurum inueniat, Itaque theſaurum inuenire accidens eſt effodienti ſcrobem: quia neque ex neceſſitate illud ex hoc, aut poſt hoc ſequitur: neque ſæpius euenit, vt quì plantat, theſaurum effendat. Fuerit etiam albus muſicus aliquis: verum, quia neceſſariò, nec maiore ex parte euenit, accidens illud appellamus. Quocirca cùm aliquid ineſt, et alicui, atque huiuſmodi non nulla*

Adiecit

ἐνια τύτων, ἢ πᾶ ἢ πῶς ἐ, ὅτι ἂν ὑπάρχῃ. Μ. ἀλλὰ μὴ διότι τοδί, ἢ νῦν, ἢ ἐνταυθα, συμβεβηκὸς ἔσται. ὅδε δὴ αἴτιον ὡρισμένον ὅδεν τῦ συμβεβηκότος, ἀλλὰ τὸ τυχόν, τῦτο δ' ἀόριστον. σωέβη τὸ εἰς Αἴγιναν ἐλθεῖν, εἰ μὴ διὰ τῦτο ἀφίκετο ὅπως ἐκεῖ ἔλθῃ, ἀλλ' ὑπὸ χειμῶνος ἐξωσθεὶς, ἢ ὑπὸ λῃστῶν ληφθείς. γέγονε μὲν δὴ, καὶ ἕνεκα τῦ συμβεβηκὸς, ἀλλ' ὐχ ἧ αὐτὸ ἀλλ' ἕτερον. ὁ γὰρ χειμὼν αἴτιος τῦ μὴ ὅπλῳ ἐλθεῖν· τῦτο δ' ἦν Αἴγινα. λέγεται δὲ καὶ ἄλλως συμβεβηκὸς· οἷον ὅσα ὑπάρχει καθ' αὑτὸ ἑκάστῳ, μὴ ὄντι τῇ οὐσίᾳ ὄντα, οἷον τῷ τριγώνῳ, τὸ δύο ὀρθὰς ἔχειν. καὶ ταῦτα μὲν ἐνδέχεται ἀΐδια εἶναι, ἐκείνων δὲ ὐδέν. λόγος δὲ τῦτο ἐν ἑτέροις.

nonnulla, alicubi etiam, & aliquando, quicquid inest quidē, sed nō hoc propter hoc, aut hoc tempore, aut hoc loco, accidens erit. Itaq; accidētis nulla est determinata caussa, sed fortuita, quæ indefinita est. Accidit, vt quis in Aeginā venerit, si non ea de caussa illuc appulit, vt illuc veniret, sed à tempestate pulsus, aut à prædonibus captus: ortum est igitur, atq; existit accidens, verùm non ratione sui, sed ratione alterius. Tempestas enim in caussa fuit, vt illuc appelleret, quo non nauigabat, hoc autē erat Aegina. Dicitur c & alio modo accidens: nempe omnia, quæ per se cuiquam insunt, nec sunt in substantia, quo pacto ineſt triangulo duos angulos habere rectos. Atq; hæc quidē sempiterna esse possunt, illorum autem nullum. Cuius rei ratio aliis locis traditur.

---

Adieci *aut etiam sæpius* propter quædā ardua & difficilia, quæ etsi sunt per se intenta, rarius tamen eueniunt, vt esse beatum, & valde potentem. Vnde colliges nō omnia accidētia, quæ raro cōueniunt subiectis, cōprehendi in priori genere accidentis, sed quæ conueniunt præter inclinationē naturæ, aut propositum voluntatis. Vnde patet, imperfectā futuram explicationē prioris modi accidētium, nisi adderetur, id quod dictum est de indeterminatione causſæ. Nā omne accidens, quod conuenit rei per certam causſam, in ea, quatenus talis est, existentem, dicitur de illa per se, etiamsi aliquādo impediri possit, quo pacto conueniunt rebus naturalibus non solùm proprietates, sed etiam alia pleraque.

*Accidens quod rei per certam causſam cōuenit, dici de illa per se.*

c *Dicitur alio modo.* Tradit posteriorem significationem accidentis, quæ ex dictis patet, ex quibus etiam est perspicuum, cur addat accidētia huius generis, posse esse sempiterna, nec dicat omnia esse sempiterna. Cur autē hæc possint esse sempiterna, illa verò minimè, ex aliis locis petendum esse ait. Quibus verbis lectorem reiicere videtur ad libros Physicorum, præsertim, ad secundum, vbi de casu & fortuna disputauerat, itémque ad libros Resolutorios, vbi ex contingentibus causſis nihil necessarium demonstrari ostenderat.

*Lib. 2. Physſ. cap. 4. & sequentibus. 1. Prior c.*

*FINIS LIBRI QVINTI.*

*DEO IESV CHRISTO AETERNI DEI AETERNO FILIO, LAVS ET GLORIA.*

*INDEX RERVM*

# QVAE IN PRIMO ET SECVNDO TOMO HVIVS OPERIS CONTINENTVR, IVXTA ordinem eorum quæ in Philoſophiæ curriculo vel diſputari ſolent, vel à Præceptoribus attingi.

*Verba quæ persæpe ad finem sententiæ sunt adiecta, initium Paragraphi sectionis quæ citatur, significant.*

## Ad Prologomena in Logicam.


ARTIVM in genere diuiſiones variæ. lib. 2. cap. 3. q 1 ſect 5

Vnde appellata ſit hæc ars dialectica & logica. lib. 2. q. 1 ſect. 2. Hinc patet.

Quæ ſit natura ac definitio dialecticæ. lib. 2. cap. 3. q. 1. ſect. 2

Num dialectica ſit ſcientia necne, fusè explicatur lib. 2. c. 3. q 1

Quod ſit obiectum dialecticæ, lib. 2. cap. 3. q. 1 ſect. 3. & ſequentib.

Diſcrimen inter ſubiecta dialecticæ, rhetoricæ, & grammaticæ. lib. 2. cap. 3. q. 1. ſect. v. Sed quærat aliquis.

Dialecticam rectè diſtingui in docentem, & vtentem lib 2. cap 3 q 1. ſect. 6

Docentem eſſe verè ſcientem. libr. 2. cap. 3. q. 1 ſect. 7

Dialecticam docentem & vtentem non eſſe duos habitus, ſed vnum atque eumdem. lib. 2. ca. 3. quæſt. 1. ſect. 6. Ex his primum patet.

Quidnam ſit proprius & peculiaris finis dialecticæ. lib. ſecundo, cap. 3. quæſtione 1. ſect. 2

Quod eius ſubiectum, lib. 2. cap. 3. q. 1. ſectio 3. & ſequentib.

Vtrum ex probabilibus de quacunque re propoſita diſſerere ad dialecticam pertineat, libro 2. cap. tertio, quæſtione prima, ſect. 5. Tota igitur.

Sitne dialectica practica, an contemplatiua ſcientia. libro ſecundo. ca. 3 q. 2. ſect. 1. & ſequentibus.

Vtrum ſit effectiua, an potius actiua. libro ſecundo, capite tertio, quæſtione ſecunda, ſectione quarta.

Rhetoricam & Grammaticam ſimpliciter eſſe effectiuas. quodam modo tamen dici poſſe actiuas. libro ſecundo, capite tertio, quæſtione ſecunda, ſectione quarta. illud autem.

Sitne Logica pars Philoſophiæ, an ſolùm inſtrumentum. lib. 2. cap. 3. q. 3. ſectio. 1. & ſequentibus

Quæ ſit Præſtantia & nobilitas dialecticæ, vtque à magnis Auctoribus celebretur. libro ſecundo, capite tertio, quæſtione 1. ſectione 7.

Sitne neceſſaria ad cæteras diſcipſinas capeſſendas, libro ſecundo, cap 3. q. 4. ſect. 1. & ſequentibus.

Quouſque progredi debeat dialectica exercitatio. libro ſecundo cap. tertio, quæſtione 4. ſect. 3. ad quartum.

Universidad de Deusto
Biblioteca




Ad Præfationem Porphyrianæ Isagoges.

CVr Porphyriana Isagoge absolutè nũcupata sit, exponitur lib. 5. cap. 7. q. 1. sect. 3. p. 324. Tertium. prædicamenta.
Necessarium quot modis dicatur, explicat Aristoteles, lib v. cap. 5. p. 240. & deinceps per totum
Quomodo respondendum sit ad quæstiones, quas Porphyrius prætermisit, lib. 5. c. 28. q. 9. pag. 694.
Cur Porphyrius in hisce quæstionibus generum tantum & specierum fecerit mentionem ibid. q 9. sect. 3. pag. 603. Quod si quis quærat.

De vniuersali in genere.

QVot modis apud Philosophos vniuersale dicatur, lib. v. cap. 28. q. 1. sect. 1. pag. 625
Vniuersalis definitiones ibidem explicantur.
Triplex consideratio rerum vniuersalium, lib. v. cap. 28. p. 2. q. 2, pag. 627
Vtrum res, an sola nomina sint vniuersalia, lib. v. c. 28. q. 2. pag. 628
Quæ vnitas conueniat naturæ in illo priori, quo contractionem antecedit, libro 4. cap. 2. q 5. sec. 4. pag 665. Esse vnum absolutè.
A qua vnitate res sint vniuersales. lib. v. ca. 28. q. 3. pag. 635
Formalem vnitatem multiplicari in particularibus, sicuti & naturam ipsam communem. lib. v. c. 28. q. 2 sect. 2 p. 630. conclusione 4
Triplex status, siue consideratio rerum, quæ vniuersales dicuntur. Eadem quæstione sect. 3. pag. 633. Deinde illud.
Quonam modo aptitudo essendi in pluribus faciat rem vniuersalem, lib. v. cap. 28. q. 4. pag. 645
Nullam naturam communem in suis particularibus habere aptitudinem, siue proximam siue remotã, vt sit in multis. Eadem q. sect. 4. pag. 651
Num res fiant vniuersales aliqua operatione intellectus, lib. v. cap. 18. quæstione v. pag. 664
An sola operatione intellectus res sint vniuersales. ibid q 6. pag 667
Naturas communes antequam abstrahantur esse vniuersales suapte natura. lib. v. c. 18. q. v. sect. 3. pag 663. Est igitur.
Quid & quotuplex sit abstractio, & cur potentiis appetentibus non dicamur abstrahere, ibidem sect. 1. pag. 658
Duobus modis abstrahi vniuersalia à singularibus. lib. 1. cap. 2. q. 2. sect. v. Vt autem conclusio.
Quis horum modorum sit certior & præstãtior. ibid. Differunt autem.
Num viribus sensitiuis vniuersalia abstrahantur, lib. v. cap 28. quæstio. 6. sectio. 2. pag. 569.
Quomodo concurrat phantasma ad productionem speciei intelligibilis, li. 1. cap. 2. q. 3. sect. 6. Quoniam intellectus.
Quomodo species ipsæ producantur. Ibid. sect. 8. At primæ.
Quonam pacto vtatur intellectus phantasia ad naturas vniuersales abstrahendas. lib. v. ca 28 q. 8. Per totum. 680.
Quorum obiectorum species ab intellectu agente abstrahantur, ibidem, sec. 4.
De concursu phantasmatum varia dubia explicantur, lib. v. c. 28. quæstio. 8. sec. v. pag 691.
Quanam ratione vniuersalia dicantur relatiua rationis comparatione suorum particularium, lib. v. ca. 28. quæstio. 10. fusè. pagina 699
Vt vniuersalia actu referantur, an opus sit conceptu comparatiuo, ibidem. sec. 1. & sequentibus.
Quid de existentia relationum rationis sentiendum sit, libro v. cap. 28. q. 10. sec. 3. Si verò.
Relationes rationis, etsi possunt absque actione intellectus conuenire, non tamen existere, lib. 4. cap 2. q. v. sec. 7. ad tertium dicendum
Num quæuis dependentia ab actu intellectus efficiat ens rationis. lib. 4. cap. 2. q 6. sec. 14. Quod vero.
Quid sit ens reale, quid rationis, quid prima ac secunda intentio. lib. v. cap 7. q. 6. sec. v. pag. 360
Non esse in secundis intentionibus numerandas relationes aptitudinales vniuersalium, lib. v c. 28. q. 10. sec. 4 pag. 704. Sed hæc obiectio
Plurimæ relationes rationis, & inter eas relatio generis & speciei, cõsequuntur operationem diuini intellectus. lib. 4. c. 2. q. 6. sec. 14. Ad posteriorem.
Relationes, quæ rebus conueniunt siue existentibus siue non existentibus, esse rationis, lib. 4. c. 2. quæstio 7. sec. 8. ad tertium.
Nonentia solum esse in intellectu: libro 4. cap. 2. E
Ens fictitium quid sit, lib. v. cap. 7. quæst. 6. sectio. v.







An diuisio vniuersalium in quinque pervulgatas species, sit adæquata, lib. v. cap. 28. q. 11. pag. 706
Variæ rationes colligendi numerum specierum vniuersalis, ibid. sect. 2. pag. 707
Sit ne vniuersale genus ad quinque vulgatas species, lib. 5. cap. 28. q. 12. pag 712. per totam.
Vniuersale, formaliter sumptum, esse vniuocum, ibid. sect. 2. in initio, pag. 914
Fundamentaliter acceptum, non esse vniuocum, lib. v. cap. 28. quæst. 12. pag 712. At cæteri.
Vniuersale esse denominatiue genus summorum generum. lib. 5. ca. 28. q. 12 sect. 3. pag. 916. Verum ad primum.
Vniuersale vnica tantum relatione refert ad particularia, lib. 5. cap. 15. q. v. sect. 1. pag 548. At prima.
Non semper esse opus, vt cum abstrahatur connotatiuum, etiam res connotata abstrahatur, lib. v. ca. 28. q. 12. sect. 3. pag. 716. Huic obiectioni.
Vniuersale, vt se denominet, & seipso latius pateat, lib. v. cap. 28. quæst. 12. sect. 3. ibid. Ad secundum dicendum.
Num homo sit vniuersale respectu verbi diuini & Dei, vt communis est tribus personis, lib. v. cap. 8. q. 7. sect. 6. pag. 447
Hominem respectu verbi diuini pertinere ad nouam quamdam speciem vniuersalis. ibid. sect. vlt. Denique dicendum.

Ad caput de Genere.

GEneris significationes quatuor explicantur, lib. 5. cap 28.
Genus & species quomodo inter se differant, ibid. quæst. 12. sect. 3. pag. 719. Ad vltimum.
An genus & species primo ad se inuicem referantur. lib. v. ca. 28. quæst. 14. pag. 726
Speciem esse primum, sed non adæquatum generis correlatiuum, ibidem, sect. 3 pag. 729
Subiicibile in quid incompletè cur sit analogum, ibid. sect. 4. pag. 73. Ad finem.
Num genus perinde in vna specie, ac species in vno indiuiduo conseruari possit, lib. v. cap. 28. q. 15
Omne genus differentias habeat, per quas contrahatur, necesse est, lib. 4. cap. 2. q. 1. sect. 4. Probatur conclusio.
Genus per contrarias differentias quo pacto dicatur diuidi, lib. 5. cap 28. q. 1. sec. 4. Ad finem.
Quæ sit in genere Analogia, lib. 2. q 1. sec 6. Vt autem.
Genus à suis speciebus ne diuina quidem virtute separari posse, lib. 2. c. 2. q. 1. sec. 8. Ad tertium.
Genus non posse dici in quid de suis differentiis, lib. 3. cap. 3. M.
Aliquando certi de specie sub qua res continetur, dubitamus de genere, lib. 4. ca 2. q. 2. sect. 11. Ad primum.

Ad caput de Specie.

SPecies subiicibilis est primum, sed non adæquatum generis correlatiuum, lib v. cap. 28. q. 34. sect. 3.
Speciem & indiuiduum referri ad genus diuersis specie relationibus, ibidem. Hæc autem.
Subiectio indiuidui ad genus, quo pacto completa sit & incompleta, ibid. sect. 4. Ad tertium dices.
Naturam communem nõ habere rationem speciei secundum quod est in vno tantum indiuiduo, lib. 5. cap. 28. q. 4. sect. 5. pag. 656. Alterum quod.
Indiuidua vaga an prædicentur eadem ratione, lib. v. cap. 28. q. 11. sect. 3. Quod vero attinet.
Descriptio indiuidui ex multis proprietatibus exponitur, lib. 5. cap. 2. q. 14. sect. 3. pag. 154
Accedit quod. Et rursus, lib. v. cap. 6. q. 1. sec. 4. in principio, pag. 276
Num indiuidua eiusdem speciei infimæ natura sua sint æquè perfecta, lib. v. cap. 28. q. 16.
In speciebus eiusdem generis semper alia est perfectio alia, ibid. sectio. 2. Ipsum quoque.
Quo pacto species in vno tantum indiuiduo perfectè conseruari possit, ibid. sect. 4. pag. 177. Quocirca perfectè.
Cur Plato sub speciebus infimas non esse descendendum præciperet, lib. v. cap. 6. q. 1. sect. 4. Ad tertium ibid.
Dari species subalternas magis compositas in sua serie, quam infimas in alia. lib. v. cap. 28. q. 17. sect. 2. in principio, pag. 747
Omnem speciem habere gradum aliquem entitatis sibi peculiarẽ, ibid pag. 748. Denique omnia.
Qua ratione species sit magis vna quàm genus, lib. 3. cap 3. P.
Quo pacto sit accipiendum id, quod tradit Porphyrius, plures homines in homine communi esse vnum hominem, lib. 4. c. 2. q. 5. sec. 7. Alter si ea.
Cur vnum relatiuum in alterius definitione ponendum dixerit Porphyrius, libro v. cap. 15. q. 4. sect. 7. Ad tertium. pag. 546

Universidad de Deusto
Biblioteca




## Ad caput de differentia.

Differentium quatuor genera explicantur, lib. 5. cap. 9. *Differentia vero.* & sequentibus.
Cur abstracta differentiarum non sint differentiæ, lib. 5. cap. 28. q. 13. sect. 2. Ad secundum, pag. 721
Sint ne differentiæ ratione aliqua genera & species, fusè, ibid. q. 18 pag. 751
Definitio secunda differentiæ à Porphyrio tradita exponitur, lib. 5. ca. 28. q. 17. sect. 1. & 3. Non est tamen, pag. 747. & 750
Differentias substantiales non semper reddi ad quæstionem. Quale est, lib. v. ca. 14. *Quale vno modo.*
Differentia est forma genitis, lib. 3. cap. 3 O.
Differentias indiuiduantes esse simplices entitates, & non posse vniuoce conuenire, lib. 5. cap. 6. quæst. 5. sect. 3. pag. 196
Differentia indiuiduans materiæ comparatur, ibid. sect. 4. pag 300
Cur indiuiduæ differentiæ non conueniant vniuoce, lib. 5. ca. 28. q. 16. sect. 3. Tertium quoque.
Dentur ne simplices differentiæ, quæ cum infimis speciebus recurrant, lib. v. cap. 28. q. 17. per totam pag. 747
Cur species differentes non definierit Porphyrius, ibid. sect. 3. Itaque vera, 750
Non eandem esse differentiam hominis & animæ humanæ, lib. v. cap. 28. q. 18. sect. 2. Sed occurrendum, 754

## Ad caput, de Proprio & accidente.

Proprium & commune ex vi nominis an inter se opponantur. lib. v. cap. 28. quæstio. 11. sect. 3. Denique tertium, pag. 710
Qua potissimum in re, propria & accidentia inter se distinguantur, lib. v. cap. 28. q. 19. per totam, pag. 756
Varia vsurpatio nominum proprij & accidentis, ibid. sect. 2. pag. 758
Diuisio proprij tradita ab Aristotele in Topicis, quo pacto differat à Porphyriana, ibid. Porphyrius autem
Quo pacto proprium & accidens, vt sunt vniuersalia, definiantur, lib. v. cap. 28. q. 19. sect. 3. pag. 761
Verum discrimen inter proprium & accidens, ibid. sect. 4. pag. 762
Accidens quo pacto denominet subiectum, cui inest, lib. v. cap. 15. quæst. 3. sect. 3. ad 5. pag. 578
Num omnia propria generum sint etiam genera: & propria specierum infimarum sint etiam species infimæ, lib. v. c. 28. q. 19. sect. 4. pag. 762
Num propria quarti prædicabilis possint sub se continere accidentia quinti prædicabilis, lib. v. ca. 28. q. 19. sect. v. pag. 769
Num accidẽtia quinti prædicabilis, vt conueniant subiectis, indigeant sua & subiectorum existentia, ibid. sect. 6
Nullam esse entitatem, cui non competat proprietas aliqua, lib. 4. cap. 2. q. 3. sect. 2. Quartum est.
Passiones inferiorum non constitui ex passionibus superiorum, lib. 4. ca. 2. q. 4. sect. 4. Ad secundam
Quid sufficiat vt aliqua attributa sint veræ passiones entium realium, lib. 4. cap. 2. q. 5. sect. 2. Illud etiam.
Numquam affectio seu proprietas est tantæ perfectionis, quantæ res ipsa, cuius est affectio, lib. 4. c. 2. q. v. sect. v Tertia pars.
Possint ne relationes rationis esse proprietates entium realium, lib. 4. cap. 2. q. 6. sect. 13 Cum autem.
Concipi à Deo esse rerum omnium proprietatem, ibid.
Quæ relatio possit esse rei proprietas, quæ non possit, lib. v. cap. 15. q. 2. sect. 3. Hæc opinio, pag 523
Accidens in sua ratione includere respectũ ad substantiam, lib. 4. cap. 2. q. 1. sect. 4. Præterea nulla.

## Ad caput de Communitatibus.

Quare, & quomodo communicentur potentiæ indiuiduis per naturas cõmunes: actus vero earum naturis communibus per indiuidua, lib. 1. cap 1. q. 5. sect. 4. Ad primum.
Cur propria naturis communibus primo conueniant: accidentia vero quinti prædicabilis non ita. lib. 5 ca. 28. q. 20 sect. 2.
Non posse admitti constitutionem veræ essentiæ ex entibus completis, lib. 1. ca. 7. q. 3 sect. 3. Deinde ostenditur.

*In Prædicamenta.*

## Ad caput primum de Aequiuocis, &c.

Aequiuocum nomẽ an re vera sit vnum nomen lib. 4. cap 4. O. & cap. 2. eiusdem libri q. 2. sect. 5. Sexta conclusio.
In defi
In definitionibus æquiuocorum & vniuocorum, rationis nomen quo sensu accipi debeat, lib. quarto, cap. 2. q. 2. sect. 5. Ex his obiter.
Duplex conceptus, formalis, & obiectiuus exponitur, lib. 4. cap. 2. q 1 sect. 1.
Nomine prædicationis vniuocæ solam essentialem intelligi apud Aristotelem lib. 5. cap. 28. quæst. 12. sect. 1. primum quidem, pag. 712.
Vniuocum essentiale & simplex, aut genus esse, aut speciem, aut differentiam, lib. 4. cap. 2. q. 1. sect. 4. Probatur conclusio.
Sola, nec tamen omnia vniuoca ideam habere dixit Plato, lib. 1. cap. 6, E.
Analogia in quo fundetur, atque vnde potissimum oriatur, lib. 4. cap. 1. q. 1. sect. 8. Ad primum.
Analogiam non officere conceptuũ simplicitati, libro 4. cap. 2. quæst. 2 sect. 6. Ad primum.
Vt in vniuocis duplex cernitur suppositio, ita & in analogis quodammodo lib. 4. ca. 2. q. 2. sect. 7. Ad secundum.
Quis modus æqualiter participandi efficiat aut non efficiat analogiam, lib. 4. cap. 2. q. 2. sect 8. Quadruplex.
Denominatiua non prædicari rationc propriè dicta lib. v. cap. 29. q. 12. sect. 1. Primum quidem. p. 714

## Ad cap. 2. de Complexis.

Num definitio eius, quod est in subiecto omnibus accidentibus ex æquo cõpetat, lib. 4. c. 2. q. 2 sect. 12. Ad decimum.

## Ad cap. quartum de Prædicamentis in genere.

Num pertineat ad Longicum agere de prædicamentis, an potius ad solum Metaphysicum, lib. 5. c. 7. q. 1. se. 1. p. 321 & sequentib.
Quid sit prædicamentum, ibid. sect 2.
Liber prædicamentorum Aristotelis an sit prima pars logicæ, ibidem sect. 3. Sed pugnat, pag. 325
Agat ne Aristoteles in prædicamẽtis de vocibus, an de rebus præcipue, lib. v. cap. 7. q. 1. sect. v. Ad tertium. pag 327
Sint ne prædicamenta decem tantum, lib. v. cap. 6 q. 2. per totam.
Qua ratione inter se prædicamenta distinguantur. lib. v. cap. 7. quæstio. 3. per totam pag. 330
Inter sex vltima Prædicamenta, & superiora quæ distinctio sufficiat. libr. v. cap it. 15. quæst. sect. v. Ad octauum 573
Num sola entia habeant per se locum in prædicamentis, libro quinto, cap. 7. quæst. 4. per totam.
An sola entia realia in prædicamentis per se ponantur, ibid q. 6. p. 515
Num sola vniuoca & incomplexa, ibidem quæstione. 8.
Quod genus infiniti à prædicamentis excludatur, lib. v. cap. 13. q. 6 sect. 8. Quartũ denique, p. 535
Possit ne idem natura sua completum esse, & incompletum, ib. sect. 2. Nec videntur pag. 518
Num cætera omnia reducantur ad ea, quæ per se in prædicamentis ponuntur, & quomodo. lib. v cap. 7. q. 8. p. 365
An Deus ponatur in prædicamentis, libr. v. cap. 8. q. 1. fusè disputatur, & cap. 15. q. 9. sect. vltima. ad finem, p. 553
Num differentiæ substantiarum pertineant per se ad aliquod prædicamentum, libr. v. cap. 8. q. 2. p. 561
Existentiam non poni per se in prædicamẽtis, lib. 4. cap. 2. q. 4. sect. secunda. Tertio quia si.
Genera summa accidentium vnam habere & entitatem, & existendi rationem, libr. v. capite 15. q. 2. sect. 7. Neganda est. pag. 519
Concretum & abstractum quatenus ad idẽ prædicamentum pertineant, libr. v. cap. 8. q. 7. sect. v. Postremo quia pag 446.

## Ad Cap. quintum, de Substantia.

Quæ sit propria ratio substantiæ, & quibus rebus simpliciter conueniat, lib. 1. cap 7. q. 3. sect. 6. Ad tertium.
Quot modis apud Aristotelem dicatur substantia, lib. v. cap 7 per totum.
Num Deus sit sub genere substantiæ, libr. v. cap. 8 q. 1
Num Angeli & corpora cœlestia in hoc prædicamento per se locum habeant. ibidem quæstione 4
Quid sit prima substantia, quid secunda, lib. v. cap. 8. q. sect. 1. pag 396
An Deus sit prima substantia. ibid.
Num idem sit suppositum, quod prima substantia, libro quinto, cap. octauo quæstio. v. sect. 12. pag 413
Diuisio substantiarum in primas & secundas exponitur. ibid. Ad primum
Discrimen notãdum inter concreta primarum substantiarum, & concreta accidentium, ibidem. Ad secundum & quæstione septima eiusdem cap. sect. tertia. Deinde quia. 438
Christus Dominus an sit prima substantia

Universidad de Deusto
Biblioteca



prædicamentalis,libr. quarto capite 8. q. 7.per totam.
Cur primæ substantiæ omnibus aliis, quæ in prædicamentis locum habent, subiiciantur lib.1.ca.1.quæ.v. sectione tertia, Secunda assertio.
Substantias significare quale quid, quomodo intelligendum, libr.quinto,cap.28.q. 2.sect.2.Non ideo.pag.631
Cur species dicantur magis substãtię,quàm genera,lib.1.cap.2.quæst.secunda,sect.4. Præterea quæ sunt.
Id,quod Aristoteles docet, ex eo quod res est aut non est,propositionem esse veram aut falsam,exponitur, libr. v.capit. 1.q.1. sec.vlti.Ad priorem.
Substantia,ablata quãtitate, quo pacto maneret in loco,lib.v.cap.15.q.9 sect.6.pag. 555.Ad argumentum.
Vtrum à substantia ex vi propriæ eius naturæ emaneret quantitas, si diuina virtute remoueretur.ibid.Sed obiiciat.
Attributum substantiæ de contrariis suscipiendis explicatur,libr.v.cap.8.q.3.sect.3. pag.386
Ad quartum:& q.4.eiusdem capitis, sect.2. Dicendum igitur,pag.390
Cur substantia omnis sit in loco,lib. v. cap. 15.q.9.sect.v.Denique illud,p.591
Vtrum nuda materia recipere possit actionem,lib v.ca.2.q.4.sect.2. Sunt quidem, pag.68

## Ad cap. 6.de Quantitate.

DE quantitate disputat Arist.lib.5.c.13. Quid sit quantitas,& quo pacto distribuenda,ibidem.
Quid sit multitudo,quid magnitudo, linea, superficies,& corpus,lib.v.ca.13.pag.482
Quantitatem esse primum accidens substantiæ corporeæ,libr.2.cap.3.q.v.sect.v.Pro qua.Et libr.4.cap.2.quæst.4.sectione 4. Si verum.
Quænam sit prima ac formalis ratio quantitatis,lib.v.cap.13.q.1.pag.483
Quo pacto quantitas distinguatur à substãtia & cæteris rebus quantis,lib.v.cap.13. quæst.2.pag.492
Quid sit vnitas numeralis,libr. v.cap.13.q.3. pag.500
Vnitates,ex quibus numerus coalescit, non differre specie insinuat Aristoteles,libr.1. cap 7.A.P.& B.C
Vtrum numerus sit vera species quantitatis fusè disputatur,lib.v.cap.13.quæs. quarta per totam.
Numerum non nisi ab intellectu sortiri specificam vnitatem videtur sentire Aristoteles,lib.1.cap.7.A.Y
An dentur plura indiuidua numeri sub eadem specie actu existentia,lib.v.capit.13. q.4.sect 2.Quinta ratio.p.506
Opinio de lineis & superficiebus quod sint negationes quædam,impugnatur, libr.v. ca.13.q.6.sect.2.Quattuor sunt.p.616
Opinio ponentium indiuisibilia in mediis magnitudinibus,& ab eis realiter distincta,impugnatur.libr.v.capit.13.q.6.sect.2. Burlæus in Physicis.p.617
Opinio Greg.Arim. de indiuisibilibus impugnatur.lib.v.cap.13.q.6.sect.3.p. 619
Opinio D.Thom.Scoti,& veterum Peripat. de indiuisibilibus,lib.v.cap.13.q.6.sect.3. Denique D.Thomas,pa.621
Lineæ & superficies an sint entitates reales, lib.v.ca.13.q.6.sect.4.pag.622. Sit igitur prima:& tota sectione seq.
Lineam & superficiem esse reipsa distinctas inter se & à corpore,lib.v.cap.13. q. 6.sect.4.Tertia conclusio,p.523.
Qua ratione idem corpus pluribus superficiebus terminari possit,libr.v.capit.13. q. 6.sect.4.p.623.Tertia pars,& sec.v. Quocirca,627
Dici posse lineas esse in media superficie, & puncte in media linea eminenter & virtute,libr.v.ca.13.q.6.sec.v. Dici quoque, pag.628
Lineam &superficiem non esse entitates incompletas,lib.v.cap.13.q.6.sect. 8. Ex his facile,pag.636
Quodnam sit subiectum indiuisibiliũ cuiusque magnitudinis,lib.v.ca.13.quæ.6.sect. 8.Ad alterum,pag.636
An locus sit vera species quantitatis,lib.v. ca 13.q.7 pag.641
Sit ne motus vera quantitatis species, ibid. q.9.p.646
Num tempus in quantitatis specie referẽdum sit,ibid.q.10.pag.460
Vtrum omnes durationes rerum ad quantitatis prædicamentum pertineant, libr. v. ca.13 q 12.sect.v.pag.478
Sit ne quantitatis maximè proprium dici æquale & inæquale,ibi.q.13 p.480
An pondus inter quantitatis species numerandum sit,libr.v.ca. 13.q.12.sect.4.p.675
Quantitas,si diuina virtute à substantia separetur, an iterum vi naturæ ab eadem emanabit.li.v.c.15.quæ.9. sect.6.Sed obiiciat pag 694

## Ad cap.7.de Relatione.

DE relatis disputat Aristoteles, libr.v. cap.15 pag.502
Rationes fundandi diuersarum relationum explicat



explicat.ibid.à textu.Ac prima quidem
Potentias,quatenus tales,nõ referri ad subiecta, sed ab obiecta, lib. 5.ca.15. Non est autem
Num dentur relationes reales,lib.5.ca.15.q. 1.pag 508
Esse relationes in quo consistat, lib.4. ca. 2. q.7.sect 7 Quod vero.
Definitio relationis realis traditur,lib.5.ca. 15.q.6.sect.2.ad initium. pag.655
Diuisio eiusdem ibidem.Solet autem.
Vnde relatio suum esse habeat, vt quidam solicite inquirunt,lib.5.cap.15.q. 2.sec.7. pag 629
Quid sit relatio,quid relatiuum, quid correlatiuum,extremum, fundamentum, ratio fundandi,ac terminus, lib. 5. cap. 15. q.1. sect.3.pag.510.
Definitio relatorum secundum esse,&secundum dici,ac transcendentium. ibid. sect. 4 pag.512
Relata realia,& rationis describuntur,lib.5. cap.15.q.1.sect. v ad initium,pag.513
Relata mutua, & non mutua quænam sint. ibidem,in secunda parte sectionis.
Quænam relata ad prædicamentum Ad aliquid per se pertineant, lib. v.cap. 15.q.1. sec.6
Definitio relatorum ab Aristotele in Prædicamẽtis tradita ad finem capitis de Relatione,exponitur,lib.v.cap.15.q.1.sect.6. Quod si hoc minus,pag 514
Documenta ad internoscendas relationes reales à relationibus rationis,lib.v. ca.15. q.1.sect.7.pag.515
Mirabilis natura relationũ expenditur,ibid. sec.8.Ad secundum. 518
Diuersarum relationum fundamenta explicantur,lib.v. cap.15.q 1.sect. 8. pa.518. Ad tertium.
Quo pacto relatio realis distinguatur à fundamento,lib.v.cap 15 q.2.per totam, 520.
Distingui relationem realem à suo fundamento distinctione formali veriorem esse sententiam probatur.lib v. cap 15 q.2. sec.v.Nobis tamen,pag.627
Sint ne relationes perfectiones aliquæ rerũ, lib.4.cap.2.q.7.sec.7. Quod vero. Et lib. v.cap.15.q 3.per totam pag 630
Num relationes terminis absolutis, an respectiuis terminentur, lib.v.cap. 15. q. 4. per totam,pag.634
Quo pacto vnum relatiuum per alterum definiatur,lib.v.cap.15.q. 4.sec.7. Ad tertium,p.646
Etiam relata singularia esse simul natura, lib. v.cap.15.q.v. sect.1. Secunda quoque, pag.649
Quæ relatio possit esse proprietas rei, quæ non possit,lib.v.cap. 15.q. secunda, sec.3. Hæc opinio,pag.623
Num idem relatiuum ad plures terminos vna numero relatione referatur, lib.v.ca. 15.q.v.per totam,pag.648
Num filius diuersis specie relationibus vtrumque parentem respiciat,lib.v. cap.15. 4 v.sec.3 Quærat aliquis.pag.652
Quænam relata per se primo referantur, li. v.cap.15.q.6.sect.4.Sed quærat pa 658
Relationes in esse concepto, & in esse exercito quænam sint, lib.v.c.15.q.6.sectione v.Quia tamen,pag 660
Relationes dominij & seruitutis nõ semper esse reales,lib.v.cap.15. quæ.1. sect. 8. Ad quintum,pag 519
Detur ne in prædicamento relationes genus summum,lib.v.cap.15.q 6. per totam, pag.653
Vtrum relata vniuersalia in definitione Aristotelica comprehendantur,lib. v.cap.15. q.6.sect.6.At dices.pag.661
Relatio in commune quo pacto de omnibus relationibus subiectis vniuocè prædicetur,lib.v.cap.15.q. 6. sect.6.pag. 662. Ad tertium.
Discrimen inter relationem creatam & increatam,lib.v.cap.15.q.2. sect 3.pag. 622. Ad tertium.
Quid ex vltima relatorum proprietate pro explicatione definitionis relatorum colligatur, lib. v.cap. 15. quæst. 6. At dices, pag.662

## Ad cap.8.de Qualitate.

QVot modis dicatur qualitas lib. v. cap. 14.in quo de qualitate disputat Aristoteles.
Definitio habitus,&dispositionis,ibidem in explicatione vltimi textus, Maximè autem.
An rectè ab Aristotele in prædicamentis qualitas sit distributa,ibidem. Quæstione prima,pag.490
Duplex ratio colligendi species qualitatis, altera ex D. Thoma, ex Scoto altera desumpta,ibidem,sec.3.& 4. pagina,492. & 493
Sanitas & pulchritudo an sint qualitates simplices,eadem sectione quarta. Possunt tamen.
Passiones animæ, quatenus ad tertiam qualitatis speciem pertineant, lib. v.cap. 14. quæstione 1. sectione 4. Secundum dissoluetur,pag.495
Species intelligibiles Angelorũ esse in prima specie qualitatis ibid. ad finem sect. quartæ,pag.495
Num eadẽ res possit alia, atque alia ratione ad

ad diuersas qualitatis species pertinere, ibidem. sect. 5. Hoc autem pag. 496.
Vtrum habitus, & dispositio, aliæque membrorum cõplicationes specie differant. lib. 5. cap. 14. q. 2. pag. 466.
Habitum & dispositionem esse vnam speciem, quo sensu dixerit Atistoteles, ibid. sect. 2. Sed hæc. pag. 498.
Omnem habitum esse dispositionem, non tamen è contrario, quo pacto intelligendum sit lib. quinto, capite decimoquato, q. 2 sect. 2. Ad. q. pag. 499.
Quid sit habitus, & quid eius nomine apud Arist. significetur variis in locis. ibidem. Hoc pacto sumitur.
Errorem non esse habitum presse sumptum. ibidem. Ad tertium negandum est. p. 499.
In tribus aliis complicationibus qualitatũ non dari specificam distinctionem. lib. 5. cap. 14. q. 1. sect. 5. pag. 496.
Lucem Solis esse patibilem qualitatem, Lunæ esse passionem. ibidem. Nõ ita tamen.
Habitus, figuræ, & non sunt modi intrinseci substantiæ. lib. 4. cap. 2. q. 4. sect. 4. Tertia conclusio.
Quãdo qualitates possint denominiare subiectum lib. 4. cap. 6. Q.

## De sex vltimis Prædicamentis.

QVo pacto sex vltima prædicamenta à superioribus distinguantur. lib. 5. cap. 15. q. 7. per totam pag. 56.
Esse formas extrinsecus denominãtes, ibidem sect. 3. pag. 666.
Quæ distinctio inter hæc sex vltima prædicamenta, & quatuor superiora sufficiat. lib. 5 cap. 15. quæ. 7. sec. 5. Ad octauum. pag. 673.

## Ad caput nouum de actione & passione

ACtiones immanentes non propriè dici actiones, sed operationes, lib. 2. ca. 1. q. 1. sec. 3 His positis.
Conceptus obiectiuus actionis & passionis est vnus re, non tamen vnus simpliciter, lib. 4. capite secundo, quæstione secunda, sec. 5. Sexta conclusio.
Actio & passio nec sunt duæ res, nec duo entia, quo pacto intelligendum, lib. 4. cap. 2. q. 5. sect. 2. potest tamen.
Actionem non esse in agente, lib. 5. cap. 15. q. 1. sec. 7. Tertium documentum. p. 516.
Passiones vt incipiant esse. lib. 5. cap. 15. q. 1 sec. 8. In initio. pag. 518.
Num actio trãsiens sit in agente: disputatur. lib. 5. cap. 15. q. 8. Per totam. pag. 674
Actionem esse nobiliorem sua potentia, in quibus, & quomodo intelligendum, lib. 5. cap. 1. q. 8. sec. 3. Nihil etiam.
Actionem creandi esse in creaturis, quo pacto accipiendum. ibi. Demum vbicũque.
Quomodo passio sit in patiente, lib. 5. cap. 15. q. 7. sec. 5. Ad secundum, pag. 669.

## De prædicamento vbi.

AN prædicamentum vbi rebus omnibus attribuatur, lib. 5. cap. 15. q. 9. per totam. p. 683.
Quædam de ratione existendi in loco, ibi. sec. 2. p. 684.
Quid sit esse in loco circumscriptiuè, quid definitiuè ibid
Cur substantiæ omnes sint in loco, ibidem. sect. 5. Denique illud. p. 693.
Substantia, sublata quantitate quo pacto maneret in loco, ibid. sec. 6. Ad argum. pag. 692.

## De prædicamento Quando.

NVm prædicamentum Quando rebus omnibus conueniat, lib. 5. cap. 15. q. 10. Per totam. pag. 696
Rerum durationes ab earum existentiis distingui, lib. 4. c. 2. quæstione 4. sectio. 3. Alij denique.
Qua ratione differat tempus ab æuo & æternitate, lib. 5. cap. 13. q. 12. pag. 466
Vera ac germana diuisio durationis in cõmune, ibi. sec. 1. Ad finem. p. 461.
Num esse substantiarum incorruptibilium mensuretur æuo, an potius tempore, ibi. sec. 3. pag. 477.
Accidentia rerum spiritualium qua duratione mensurẽtur. lib. 5. cap. 13. q. 12. sec. 4. Si quis autem, p 676
Durationes supernaturales exponuntur, ib. Atque hæc. pag. 677
Rerum creatarum durationes qua ratione spectatæ ad hoc prædicamentum pertineant, lib. 5. cap. 15. q. 10 sec. 2. sed quærat. pag. 695.

## Ad caput 10. de Oppositis

OPpositorum quatuor genera explicãtur, lib. 5. cap. 10. Per totum.
Quomodo contraria ad vnum reuocentur, lib. 4. cap. 2 T.
Eiusdem facultatis esse cognoscere opposita, ibid. AA

Vnum



Vnum contrarium esse quodammodo alterius priuationem. lib. 4. c. 6. S.
Cur iudicia contraria nulla ratione simul esse possint, quicquid de aliis contrariis sentiendum sit. 4. c. 3. P.
In sententia Aristot. nulla duo contraria in gradibus intensis simul esse posse ibid.
Qua ratione ex contrariis in eodem subiecto inferantur contradictoria. li 4 c. 6. Q
Priuationes ratione sui non suscipiunt magis & minus, sed ratione rerum, quarum sunt priuationes. lib. 4. c. 2. q. 5. sect. 3. Ad quartum.
Priuationes non censentur purè nihil. lib. 4. c. 2. q. 5. sect. 7. ad tertium.
Septem rationibus probat Aristot. contradictoria non habere medium. lib. 4. c. 8. B.

## *In librum priorem de Interpretatione.*

## Ad Cap. primum de Signis.

QVomodo significatio conceptus à significatione nominis differat, lib. 2. c. 1. q. 2. sect. 4. Quarto quia.
Quid sit veritas. lib. 4. c. 2. q. 6. sect. 2. præterea veritas.
Exponitur peruulgata definitio veritatis. lib. 4. c. 2. q. 6. sec. 8
Non omem veritatem in compositione, & diuisione consistere. sed in simplici etiam apprehensione reperiri. ibidem sec. 4. Secunda conclusio.
Veritati simplici nullam opponi falsitatem, lib. 4. c. 2. q. 6 sec. 5. ad tertium.
In veritate significanda, quomodo & conueniant, & differant voces simplices, & enunciationes, lib. 4. cap. 2. q. 6. sec. 5. ad quartum.
Nomina quo pacto sint imposita ad res significandas. lib. 4. c Exponit quid.
Refertur Cratyli sententia dicentis, res non esse vocibus significandas, sed digito demonstrandas. lib. 4. c. 5. Hinc manasse.

## Ad Cap. secundum de Nomine.

AN res purius nominibus significentur, quàm nostris conceptibus apprehendi soleant, libro secundo. cap 1. q. 2. sect. 4. Sunt qui.
Qua ratione dicatur ab Aristotele, nomen significare hoc esse, aut non esse. lib. 4. c. 4. Ex definita.
Adiectiua seu denominatiua nomina, quid formaliter significent, lib. 4. c. 2. q. 7. sec. 5 prima conclusio.

## Ad Cap. tertium, de Verbo.

VErba præteriti temporis sæpè omnem temporis differentiam significare. lib. 1. cap. 1. N
Participium semper tempus adsignificat. lib. 4. c. 2. q. 3. sect. 2. alterum est.

## Ad Cap. quartum de Oratione.

QVa ratione enunciatio verum vel falsum significet. lib. 4. c. 2. q. 6. sec. 5. ad quartum.
Num propositio verificetur ratione formalis significati sui subiecti, an ratione suppositi, lib. 5. cap. 8. q. 7 sec. 3 Quod si quis. pag. 439
Enunciatio potest esse vera res, & falsum signum, lib. 4. c. 2. q. 6. sec. 12. Dicendum est igitur.
Quo pacto affirmationes negationibus sint priores. lib. 4. c. 3. q. 1. sec. 4. ad secundum.
Veritatem cuiusuis enunciationis negatiuę fundari in veritate cuiusuis affirmatiuæ, lib. 4. c. 2. q. 6. sec. 13. ad tertium.
Orationem in se falsam duplicem esse, lib. 5. q. 7. sec. 2. ad quartum.

## Ad Cap. quintum de subiectis & prædicatis.

VNiuersale aptum est vt de pluribus prædicetur, latè exponit, lib. 5. ca. 28. q. 1. sec. 1. pag 625.

## Ad Cap. sextum & septimum de oppositione enunciationis.

ANalogum per proportionem propriam potest esse subiectum contradictionis. lib. 4. c. 2. sec. 11. ad septimum.
Disputat Aristoteles contra admittentes duas contradicentes simul veras, lib. 4. ca. 4. aggreditur refutationem.
Non posse esse simul veras, nec simul falsas probat Arist. li. 4. c. 8. Quoniã aduersarij.

## Ad Cap. octauum de futuris contingentibus.

IN contradicentibus de futuro contingenti non est pars altera determinatè siue disiunctiuè accepta, vera vel falsa, sed altera disiunctim lib. 4. c. 7. Tria superiora.
Quo pacto verum sit res ab æterno esse veras lib.

ras.lib.4 c.2.q.6.sec.10. postremo res.
Quàm sit absurdum dicere, nihil fuisse in rerum natura vel futurum esse, nisi prius de eo haberetur opinio.lib.4.cap.6. Iam euertit.

*In librum posteriorem de Interpretatione.*

EX infinita reduplicatiua sequitur Vniuersalis in vniuocis, non tamen in analogis.lib.4.c.1.q.1.sect. 8. ad primum.
Quid negatio enunciationis præfixa efficiat lib.4.c.4.probat posteriorem.
Socratem mortuum non esse hominem,quomodo sit verum.li.5.c.v.q.1.sect. vltima. ad finem.pag.237

## Ad priorem librum prioris resolutionis.

QVam sit vtilis analyticorum tractatio. lib.4.c.7.O.

### Ad Caput primum.

CÆteras argumentationum formas à syllogismo vim accipere.lib.2.c.3.q.1.sect.4.magnus Albertus.
Quænam analoga possint esse medij termini in syllogismis.lib.4.cap.2.q.2. sect.11. ad septimum.

### Ad Caput secundum.

HÆc est accidentalis prædicatio,homo est homo albus.lib. 4.c.1.q.7.sect 9. Denique ad rationem.
Hæc propositio, homo albus est homo, an bene conuertatur, & quomodo,lib.5.c.8. q.7.sect. 2. Ad secundum pag.433.
Item hæc alia,Christus est per se homo,ibi. Adde non esse.

*In priorem librum de posteriori resolutione.*

### Ad caput primum.

PRænotio an res sit, num semper præcedat prænotionem quid sit.lib. 5. cap. 5.q.1.sect.5.in initio.pag 254.
Notitia per inuentionem comparata gratior nobis est ea, quam à docente accipimus.lib.1.c.1.q.3.sect. 3. Ad quartum.
Cognitionem abstractiuam indigere examine intuitiuæ, lib.1. cap.1.q.4.sect.3. Tertia ratio.
Vere docet qui causas tradit lib.1.c.2.E.
Qua ratione cognitio duorũ primorum principiorum antecedat omnem demonstrationem.lib.1.c.2.q.2.sect.8 ad tertium.
Nõ fuisse hominum animis rerum omnium inditam scientiam probat Arist.lib.1. cap. 7.B.Z
Quanta sit vis consuetudinis in scientiis addiscendis.lib.2 c.3.A
Quæ necesse sit afferre ad demonstrationem. lib.3.c.2.R
Impugnat Aristoteles eos, qui ex mutabilitate rerum colligebant, nullius rei scientiam haberi,li.4.c.5.Y
Dilemma Menonis de scientia acquirenda diluitur,lib.1.cap.1.q.4. sect. 2. posteriori verò.

### Ad caput secundum

ESsentias, vt essentiæ sunt, demonstrari non posse.li.2.q.1.sect.2.sunt qui.
Quæ dicantur ab Aristotele priora natura & notiora,& quæ nobis,lib.1.c.2.q.2.sec. v.hæc porro
Cur rarius causæ externæ ad demonstrationes assumantur,li.1.cap.7.quæst. 1. sect.6. ad primum
Per demonstrationem tantum propter quid acquiri scientiarum perfectionem, libro 2.c.1 N
Explicatur illud Aristotelis: propter quod vnum quodque tale,& illud magis, libro 2.cap.1.O
Scientiam esse de iis, quæ aliter se habere non possunt.libro 2.cap.3.quæst.1 sect.8. Ad quintum.
Per naturam analogicam demonstrari aliquid potest.lib.4.c.2.q.2.sect 11. ad 6.
Demõstrationem haberi posse per rationem essendi.licet non sit causa propria, lib.4.

### Ad caput tertium.

QVa ratione debeat intelligi, ad assensum principiorum satis esse terminos percipere.lib.1.cap.1.q.4.sect.3. Neminem
Vera ac propria causa habitus principiorũ quænam sit,ibidem.ad quartum.
Cur communissima principia sint notissima, lib.1.c.2.q.2.sect.8.ad tertium.
Explicatur illud,Ecquis ab ostio aberret,li. 2.c.1.C
Reprehendit Aristoteles Philosophos, qui prima



principia demõstrare conati sunt, lib.4.cap.3.D.
Item eos,qui omnium rerum scientiam dari credebant,lib.4.cap.4.E.

### Ad caput quartum.

OMnem enunciationem vniuersalem esse per se,lib 5.cap.9. in explicatione textus *Quæritur hæc.*
Num omnis propositio per se, sit vera cum reduplicatione subiecti, lib 5. cap 8.q.7. sec.6.Sed contra,pag.448
Christus est homo,an sit propositio de prædicato per se primo modo,lib.5.ca.8.q.7. sec.2.Adde non esse etiam, pag.433
Homo albus est animal, an sit per se, ibid. Sunt igitur.

### Ad caput quintum.

QVæ per se conueniunt superioribus, necesse est conueniant inferioribus, lib.5.ca.28.q.5.sec.1.Contra verò, pa.659

### Ad caput sextum.

SCientiam non nisi de perpetuis esse,quo pacto accipiendum, lib.2. cap. 1. q.1. sec.4.Ad primum.

### Ad caput septimum.

VTtrum ea,quæ sunt simpliciter necessaria causam habeant, talè disputatur,lib.5.cap.5.q.2.per totam, pag.257
Vtrum connexiones necessariæ in rebus creaturis dentur, lib.5. cap.5. q.2. sect.2. pag.246.& sequentibus.
Demonstrationes propter quid, nihil aliud demonstrare propriè, quàm connexiones per se,lib 5 cap.5.q.2. sect.2. Ad tertium,pag 260
Scientiam per se versari circa vniuersalia, per accidens circa singularia, experientia è contrario, lib.1.cap.2. q.3.sect.8. Ad tertium.
Singularia cadere sub scientiam per sua vniuersalia,lib 3.cap 6.I.
Scientias de singularibus vagis disserere, li. 1.cap.2.q.1.sect.3.Ad quintum.
Quæ artes dicantur propriè circa singularia versari, lib.1.cap.2. q.3.sect.2. Eadem conclusio.

### Ad caput octauum.

QVo pacto duo principia communissima omnem demonstrationem ingrediantur,lib.1.cap.2.quæst.2. sect.8.Ad tertium.
Vtrum illorum sit præstantius, lib.5. cap.2. q.1 sect.2.Dicendum est igitur.
Qua vnitate dicat Arist. esse vnum,id quod est vniuersale, lib.5.ca.28.quæst.3.sect.3. pag 237
Primum vero Et q.5.sect.1.His accedunt.

### Ad caput decimum.

SCientia subalternans propriè scientia est,non ita subalternata, lib.1 3.cap.2. A.A
Aliquando subiectum scientiæ subalternãtis potest esse ens per accidens, dummodo aliquo modo sit vnum ens, lib. 4.ca.1. q.1.sect.3.Ad primum.
Quæ scientiæ sint subalternatæ ratione finis, lib.4.cap.1.quæst.2.sect.2.Ac ratione quidem.
Quæ ratione principiorum, ibid. Ratione principiorum.
Quæ ratione subiecti, ibid. Ratione subiecti.
Quæ sit in quouis genere propriæ subalternatio, lib.4.cap.1.quæst.2.sect.2. Illud tamen.

*In librum primum Topicorum.*

### Ad cap.3.& 4.

CVr Aristoteles in tradendis prædicatis Dialecticis non meminerit perspicuè speciei infimæ,lib 1.cap.7.B.T.
Cur tria tantum fuerint prædicata Dialectica, lib.quinto, cap.28. quæst.11.sect.3. pag.709
Quas differentias nomine generis sit complexus,lib.3.cap.3.N.
Proprium conuersim dicitur de re,cuius est proprium,lib.5 ca.28.p. 19. sect.1.Quinque sunt,pag.756
Nemo dicit proprium alicuius rei,quod alteri conuenire potest, ibid.sect. 2. Proprium aliter,pag.758

### Ad caput sextum.

EIusdem & diuersi varia genera,lib 5.c.9. Per totum.
Identitatem fundari in vnitate, ibid. in explicatione textus. *Alia autem per se.*
Identitatem eiusdem ad se, esse relationem rationis,ibid.textu. *Aut cum quis vno.*

Ad caput septimum.

OMnia prædicata Dialectica in prædicamentis reperiri, lib.5. cap.7. q.2. sect.4.in principio,pag.336.

Ad caput nonum.

Diuisio problematis quo pacto intelligenda sit lib.2. cap.3. q.2.sect.1. Ex iis patet.

Ad caput decimumtertium.

QVot modis dicitur vnum oppositorũ, tot dicitur & alterum. lib 5 cap. 28. quæst.14. sect.3. Hæ tamen obiectiones: pag. 730

*In librum secundum Topicorum.*

Ad caput secundum.

IN vsu nominum sequendam communem consuetudinem, in iudicio autem de rebus auscultandos Sapientes, lib.5.c.28. q.12.sect.2.Quod si sermo, pag.715.

Ad caput tertium.

SI propositum in proposito, & oppositum in opposito exponitur, lib.5. cap.2. q. 17.sect.3. Tertius locus,pag.179

*In librum quintum Topicorum.*

Ad caput primum.

PRoprium per se quodnam sit apud Aristotelem, lib.5.c.28.q.19.sect.2.Atque proprium. pag.759.

Ad caput quintum.

PRoprium ad aliquid quodnam sit apud Philosophum, lib.5.cap.28. q.19.sect. 2.Proprium igitur.pag.758

*In librum sextum Topicorum.*

Ad caput tertium.

CVr Aristoteles rectè lineæ definitionẽ reprehendat,lib.5.c.13.q.1.sect.1.Sed quicquid,pag.486

*In librum primum Elenchorum.*

Ad caput primum.

QVibus de rebus, & quem ob finem Sophista disputet, lib.4. cap.2. N. N.

Quare pro rebus nomina in disputationem afferamus, lib.5. cap.28. q.2.sect.2. Quibus addenda,pag.632

*In primum librum Physicorum.*

Ad Prologomena.

QVæ sit germana Philosophiæ significatio,varieque illius explicationes, lib.2.cap.3.q.3.sect.2.Quæ si propria.

An Philosophia naturalis antecedat ordine doctrinæ reliquas scientias, lib.2. cap.3. q.5.sect.1.& sequentibus.

Quis ordo seruari debeat in Philosophiæ partibus addiscendis, ibid. sect.5. Ex iis. Libri Physicorum cur dicti sint auscultatorij,in procemio primi libri cap.2.

Philosophiæ nominis ratio & naturæ in eodem procemio cap.4.

Ens mobile quo pacto dicatur subiectum naturalis Philosophiæ, lib.5.cap.q.1.sect. 3.Ad finem.

Ad Philosophiam naturalẽ pertinere causas omnes considerare, vt tamen cum motu sunt coniunctæ, lib.1.cap 7.q.1.sec. 2.Ad tertium.

Ad caput primum.

ELementi nomine & definitione, materiam & formam comprehendi, lib.5. cap.3.q.2.

Ens mobile qua ratione dicendum sit propensum ad motum, lib.5.cap.4.q.2.sec.7. Licet quoque pag.218

Cur pueri omnes fœminas primum matres appellent,&c. lib.1.cap.2.q.3.sect.7. Huic obiectioni.

Ad perfectam cuiusque rei cognitionem quæ causarum cognitio requiratur, lib. 4.cap.2.q.1.sec 7.

Nullum artificem, Metaphysico excepto, omnino distinctam cognitionem habere rerum,de quibus agit,lib.1.cap.2.q.1.sect. 3.Ad primum.

Perfectissimam cognitionem demonstratiuam etiam causas externas requirere, lib.1.cap.7.q.1.sec.6.Ad primum.

Connexiones essentiales non habent causam efficientem quomodo intelligẽdum, lib.4. cap.2. q.4.sec 6. Ad quintum. De hac re generalius disputatur,lib.5.cap.5. quæst.2.

Sintne maximè vniuersalia cognitu difficillima,lib.1.cap.2.q.2.Latè disputatur.

An sin





gularia facilius à nobis, quàm vniuersalia intelligantur.ibidem quæst. 3.

Singulare esse primo cognitum ab intellectu nostro.ibidem.sect.8. Atque hæc.

Ad caput secundum.

PArmenides & Melissus,omnia eiusdem naturæ esse dicentes,de quibus intelligendi,lib.5.ca.6.q.7.sect. 2. Itaque nisi. pag.313.

Album & musicum esse vnum subiecto, ratione autem diuersa exponitur, libr.5.ca. 6.quæst. 7. sect. 3. Admonendum tamen. pag.314.

Quo pacto quantitas distinguatur à re quãta,lib. 5.cap.13.q.2.pag.492.& seq.

Probabilius est hominem esse quid distinctum à partibus Physicis vnitis, lib.4.ca. 2.q.5.seq.6.Huic obiectioni,& sect.7.Sed hæc sententia.

Ad caput quintum.

VAria dubia circa principia rerum naturalium,& doctrinam Arist.hoc capite explicantur,lib.5.cap.1.q.2.seq.3.

Ad caput septimum.

DE principiis late Aristoteles.libr.5.c.1. Quot modis dicatur principium,& generalis principiorum definitio.ibidem.

Quæ sit communis ratio principiorum disputatur,lib.5.cap.1.q.1.pag.8.

Quomodo intelligenda sit principiorum definitio in lib.Phys.tradita.ibidem.quæ. 2. pag.13.

Corporum cœlestium principia ea definitione comprehendi.lib.5.c.1.q.2. ibidem.

Vtrum omne principium sit prius eo cuius est principium.ibidem.q.3

Num recte Aristoteles principiorum genera tradiderit,lib.5.c.1.q.4.pag.29.

Num principium sit analogum.ibidem.q 5. pag.34

Num principium latius pateat, quàm causa,lib.5 cap.1.q.7.pag 37.& lib.1.c.7.q.1. sect.5. Ad primum.

Philosophorum variæ sententiæ de rerum naturalium principiis,libr.1.capi 3.& sequentibus,itémque ad c.7.eius libri, q.2. sect.1 & sequentibus.

Num sint plura principia rerum diuersarum numero,an vnum tantum numero,libr.3. c.4.Q.

Sintne principia vniuersalia, an singularia. lib.3.cap.6.H

Ad caput octauum.

QVicquid aduenit enti in actu siue supposito aduenire accidentaliter,quomodo intelligendum,lib.5.c.8.q.7.sect.6 Quod si quis.pag.447.

Ad caput nonum.

QVa ratione verum sit à materia appetiformam,lib.1.cap.1. q.1.sect. 3. Ex hac.

Cur veteres Philosophi solam materiam caussam esse dixerint,lib.1.c.3.D.

Materiam habere proprium esse actuale existentiæ,lib 1.ca.7.q.1.sect.6. Ad primum & lib.4.c.2.q.4.sect.4. Prima pars.

Materia prima qua ratione facile, qua difficile cognoscatur: quibus item argumentis probetur dandam esse,libr.1. ca.7.q.2. sect. 1.

Dicta Platonis de materia,libr. 1.cap.7.q.2. sec.5.Sunt qui.

Quid Philosophi intelligant nomine puræ potentiæ,lib. 1.cap.7.quæst.3. sect.7. Ad primum.

Impugnatur Scoti opinio de actu entitatiuo ibidem.Nec,vero.

Probatur ex Arist. & Platonis sententia,materiam primam esse puram potentiam, lib.1.cap.7.q.3.sect.8. Aristotelem.

Multorum, quæ à Philosophis de materia dici solent caussæ exponitur.ibid.sect.9.

Num materiæ potentia comprehendi cognitione nostra possit, lib.2.c.2.q.1.sect. 5 Supereſt igitur.

Materia qua ratione dicatur bona & perfecta,lib.4 c.1.q.7.sect.6 Quod attinet.

Materia prima quodammodo censetur omnia,lib.4.c.4.11.

Quantitas sequitur materiam primam, lib. 5.capite 4. quæst 3. sect 2. præterea aut. pag. 225.

Num forma accidentalis attingat productionem substantiæ,lib. 5. cap 2.q.6 q 73. & seq.

Num accidens sit principale productiuum accidentis.ibidem sect.6.pag.82.& seq.

Nullam formam detrimentum capere ex coniunctione cum propria materia.lib 1. cap.1.q.4.sect 2.postremo si.

Dari potentiam passiuam naturalem ad eas formas, quas actiua naturalis non nisi adiuta ab agente superiore potest inducere,lib.1.c.1.q.2.sec.3, Ex his.

Quod sit munus formæ substantialis, libr 1. cap.7.q.1.seq.6. Ad primum.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Qua occasione vsurpati cœpit ea locutio, qua formæ de potẽtia materiæ educi dicuntur, lib.5.c.2.q.4.sec.1.Hæc loquendi. pag.65
Qua in re posita sit eius quæstionis difficultas. ibidem. & tota huius rei.
Quidnam sit educere formam de potentia materiæ. ibidem. Ex hoc quasi. pag.66.
Omnes velle, eductionem formarum de potentia materiæ esse omnino naturalem, lib. 1.cap.2.q.7.sect.2.Ergo aliter.p. 67.
Quot modis subiecta habeant potentiam naturalem ad formas. lib.5.ca.2.q. 4.sect. 2 Quocirca diligenter p.68
Formæ cœlorum an de potentia materiæ eductæ. lib.5.c.2.q.4.sect. 1. Primum quia & sequentibus, pag.66.& sect.2. Excluditur etiam,& sequentibus.par.68
Supernaturalia dona an educantur de potentia subiectorum, libr.5.c.2.q.4.sec.2. Hac igitur ratione.pag.67
Quæ formæ dici possint educi de potentia subiectorum, lib.5.cap.2 q.4.sect.2.Quocirca diligenter.pag.68
Omnes formas substantiales educi de potentia materiæ per transmutationem. lib. 5.c.2.q.4.sect.2.Ex his licet pag 68
Qua ratione formæ substãtiales educi possint de potentia materiæ, sine transmutatione, li.v.c.2.q.4.sect.2 Fateor tamen.69
An ignis agere possit in nudam omnino materiam, lib.5.c.2.q.4, sect.2. Sunt qui idẽ. pag 69
Num formæ artificiales educantur de potẽtia materiæ, lib.v.c.2.q.4.sect.3.pag. 69
Num motus violenti. ibidem
Num relationes. ibidem
Qua ratione dixerit Arist. priuationem esse idem re cum materia, lib.4.ca.2.q.v. sect. v Huic obiectioni pag.71
Priuationem distingui specie à materia, lib. v. capite sexto, q.7.sect.3. Admonendum quoque.pag.314
Esse vnum numero cum materia. ibidem.

*Ad librum secundum Physicorum.*

Ad caput primum.

DE natura disputat Arist. lib.v c.4 Quodnam sit primum, ac præcipuum naturæ significatum. ibid.q.1. pag.197. & sequentib.
Naturam apud Metaphysicum primum dici de essentia: apud Philosophum primo de forma, lib.v.c.4.q.1.sec 3.pag.200
Vtrum rectè ab Aristot. in Physicis natura definiatur, ibidem.p 202.& seq.
Num motus omnis sit naturalis materię primæ, lib.v.c.4.q.2.sect.pag.214.
Duobus modis fieri aliquid præter ordinem naturæ, libro 1.capite 1. q. 2. sect. 3. ad primum.

Ad caput secundum.

PLato posuit res mathematicas separatas medias inter ideas, & res sensibiles, lib.1.c.6.I
Astrologiæ, mediæque scientiæ materiam sensibilem considerant. lib.1.c.7.A.A
Sententia & impugnatio eorum, qui corpus partiuntur in corpus Physicum & Metaphysicum, li.2.c.3.q.v.sect.3.Ad secundũ.

Ad caput tertium.

DE caussis agit Aristoteles, lib.v. ca.2 Quo pacto caussarum genera generalissime accipi possint, libr.v.c.2.q.11.sec. 4.pag.130
Ad quattuor sint caussarum genera, libr.1.c. 7. q.1.per totam.
Quid sit caussa, & qua ratione à Philosophis pertractetur, ibidem sect.3
Exemplar an sit vera & propria caussa, & in quo genere ponendum, libr.1. cap.7.q.1. sect.5.Ad tertium.
De caussis per se & per accidens, itémque de essentialiter & accidentaliter subordinatis, lib.2.c.2.q.2.sect.2
Num ad eamdem scientiam pertineat caussas omnes percipere lib.3.cap.2.Q
Quænam sit ratio caussandi materiæ, libr.v. c.2.q.1.pag.52. & sequentib.
Quę sit ratio caussãdi formę, q.2.p.57.&seq
Num materia & forma à se inuicem dependeant, q.3.pag.59.& seq.
Quid sibi velit Aristoteles cum dixit, formam esse totam rei quidditatem, lib.1.cã. 7.q.1.sect.6.Nec verò.
Dicta Platonis de forma, lib.1.c.7.q. 2. sect. v.Sunt qui dicant.
Probatur dandam esse formam substantialem, lib.1.c.7 q:3.sect.2.& seq.
Variæ nuncupationes formæ explicantur, lib.1.c.7.q.3. sect.9.
Quæ sit ratio caussandi efficientis, lib.v.c.2. q.v pag.69
Distinctio caussæ efficientis in diuersas species, lib.1.c.7.q.1.sect.v.Quod siquis.
A sola caussa efficiente dici effectum, idcóque à veteribus hanc tantum nomine caussæ appellatam, lib.1.cap.7.q.1.sect.6. Ad tertium.
Quæ sit ratio caussandi finalis caussæ, lib.v. cap.2.q.10.

Qua



Qua ratione veteres inuestigare cœperint caussam finalem, lib.1 c.3 Z.
Plato solum finem, caussam censet, libro 1. cap.4.K.
Finis in quas species diuidatur. lib. 1. ca.7.q. 1.sect.5.Quod siquis.
Finis impossibilis qua ratione appeti possit, lib.1.c.1.q.2 sect.3. Ad quartum.
Finis etsi vt bonum respiciat appetitum, attamen vt finis nõ niti ad media refertur, lib.1.c.1.q.2.sect.2.Secundo probatur.
Num omnes caussæ secundæ cuiusque generis Deo sint essentialiter subordinatæ, lib.5.ca.2.q.12.fusè disputatur. pag.132.& sequentib.
Deus quo pacto supplere possit cuiuscumque caussæ, etiam materialis, caussalitatem, ibidem.sect 3.& seq.pag. 136
Nũ Deus sit prima caussa in omnibus caussarum generibus, lib.5.cap. 2.q. 11.sect. 4. pag.131
Num caussæ secundæ aliquid efficiant, lib. 5.cap.2.q.7.pag.86.& seq.
Num caussalitates sint entia absoluta distincta à caussis & effectis, ibid.q. 13. per totam, pag.146.& seq.

*In librum tertium Physicorum.*

Ad caput primum.

QVa ratione motus cõsideratio ad Physicum, qua ad Metaphysicũ spectet, lib.2.c.3.q.5.sect.3.Ad sextum.
Cur Arist. de motu egerit post naturæ explicationem, lib.5 ca.7.q 1.sect. vltim. ad finem.
Motum, vt motus est, non esse ens completum, lib.5.c.7 q.7.sect.2. Ens completum &c. pag. 163
Quot modis spectari possit motus, lib.5.cap. 13.q.7.sect.2.pag 540 & seq.
Motum esse de genere continuorum, quo sensu dixerit Arist. ibid.sect.3.Sed contra. pag.643
Definitio motus tradita ab Aristotele, fusè exponitur, lib.3.c.7.q.9.pag. 606. & seq.
Quid per motum localem propriè acquiratur, lib.5.c.13.q.7.sect.5.Ad quintũ p. 699
Vtrum motus localis sit ipsum mobile prout existit in alia, atque alia parte spacij, libro 5.c.15.q 7.sect.5. Dicet fortasse. pag. 670
Duplex terminus motus ibid. Tertio quia.
Motus localis in vacuo an sit realis, lib. 5.c. 15.q.7 sect. 5.Ad sextum.pag.670
Num res omnes semper ac necessario sint in loco, lib.5 c.15.q.9. sect 3. Sed quærat. pag.686

Ad caput secundum.

CVr motus generatim sumptus, difficile cognoscatur definitiua cognitione, li. 3.ca.13.q 9.sect.4.in principio.p.454.

Ad caput tertium.

NOn omnem actum esse in eo, cuius est, lib.5.ca.15.q.8 sect.3.Ad vlti.p.678

Ad caput quartum, & sequentia de infinito.

QVot modis sumatur infiniti nomen, lib.2.c.2.q.2.sect.1.Iufiniti nomen.
Infinitum extensiuè quid sit, & cur dicatur ab Aristot. habere rationem partis, lib. 2. c.2.q.2 sect 3.Postremo probatur.
Finitum vel infinitum esse proprium quantitatis, lib.5.c.13.q.1.sect. 1. Sed quicquid, pag.486
Numerum fieri ex diuisione quantitatis, ibidem, q.4.sec.1. De hoc numero, pag.503. 504
Nullum infinitum dari posse, lib.2.ca.2. q.1. sec.3 Secunda conclusio.
Possint ne rerum species viribus naturæ in infinitum multiplicari, lib. 2.c.2.q.2.sec. v.Sed vt.
An repugnet ab vna forma diuina virtute informari infinitas materias, si detur, lib. v.cap. 2.q.4.sec.6.pag. 137
Si darentur infinita corpora, an ex parte loci contineri omnia simul possent, ibidem. Argumentatio vero.
Dari duo quædam spatia infinita, quo pacto intelligendum, lib.5. cap.v.q 1.sec. 1. Sed contra, pag.244
Infinitum non propriè dici totum, lib. v.c.2. 26. in explicatione textus. *Præterea cum quantitas.*
Num eiusdem rei possint dari infinitæ caussæ, lib.2.c.2 q.1.
Num infinitum finito tẽpore cognosci possit. lib.2.c.2.q.2 Et lib.v.cap 13 q.6.sec.6. Hac difficultate, & sequentib.
Angelus ab æterno productus, an recordatur omnium, quæ cognouisset, ibidem. sec 3 At obiicies.
Infinitas quantitatis non arguit perfectionem infinitam, lib.5.c 13.q 6. sec.8. Quartum denique.pag 636
Generentur ne infinitæ superficies externæ in continua aggeneratione, lib.5.ca. 13.q. 6.sec.7.Hac difficultate.pag 635
Cognitio rerum infinitarum in diuina essentia qualis futura, lib 2 cap.2. q. 1. sect.4. Quocirca.

Cur

Cur nequeat Angelus per instantia horæ partes infinitas columnę cognoscere. ibidem. sect. 5. ad quartum.
Vtrum in speculo infinitæ imagines finito tempore videantur. lib. 2. ca 2. q 1. sect. Ad vltimum. & lib. 5. c. 13. quæst. 6. sect. 7. pag 635

*In librum quartum Physicorum.*

Ad caput quartum.

QVid Aristoteles de natura loci senserit. lib 5. cap 13. q. 7. pag. 637
Quid sit formale in loco Aristotelico, lib. 5. c. 15 q. 9. sect. 2. ad finem pag. 685
Locum Aristotelicum non esse quantitatis speciem. lib. 5 c 13 q 7 sect. 2. pag. 640
Vera, & irrefragabilis sententia de loco ad motum localem per se requisito, lib. 5. c. 13 q. 9. sect 4 Quare cum. pag. 455
Quæ superficies sit locus. lib. 5. cap. 13. q. 7. sect. 4. Ad quartum pag. 456
Motus in vacuo an sit eiusdem rationis cum eo, qui fit in pleno. ibidem. Ad sextum.

Ad caput quintum.

LOcus vt capiat locatum: an eadem virtute capiat vnum corpus & multa, etiam si infinita dentur, lib. 5. c. 4. q. 4. sect. 6. Argumentatio vero par. 237
Primum mobile ex Aristotelis sententia quo pacto sit in loco, lib. 5. ca. 13. q. 9. sect. 4. Quare cum. pag. 455

Ad caput sextum.

SI plura corpora in eodem loco esse possunt, etiam infinita posse, exponitur, lib. 5. c. 10. q. 1. sect. 2. in fine. pag. 464

Ad caput 11. de tempore.

CVr tempus definiatur numerus motus, lib. 5. c. 13. q. 10. sect. 3 p. 462
Sitne idem numero tempus quo res omnes temporariæ mensurantur. ibidem. q. 11. pag. 462. 463
Definitio temporis exponitur. ibidem. sect. 2. Colligimus. pag. 464
Qua ratione tempus differat ab æuo, & æternitate, lib. 5. c. 13. q. 12. pag. 465.
Prius & posterius in motu, sumi ex priori & posteriori in magnitudine, exponitur. lib. 5. c. 1. q. 4. sect. 3. Si quis obiiciat. p. 34.
Motus vnde habeat vt sit continuus, li. 5. c. 4. q. 3. sect. vltima ad finem. pag. 227

Ad caput duodecimum.

CVr dicat Aristoteles tempus magis esse caussam generationis, quàm corruptionis lib. 5. cap. 13. q. 12. sec. 3. Scotus existimat pag 671.
Tempus non solum motus, sed etiam quietis mensuram esse. ibidem & sec. 4. eiusdem quęstionis. Ad locum Aristotelis. pag. 675

*In librum quintum.*

Ad caput primum, & 2.

IPsam momentaneam formę introductionem non esse actionem, sed actionis terminum, lib. 1. c. 1. q. 5. sec. 3. Sed contra.
Vnde colligat Aristoteles ad tria tantum Prędicamenta esse per se motum, lib. 5. c. 13. q. 8. sec. 3. Tertio quia. pag. 543
Cur ad relationem, actionem, passionem, & quando non sit per se motus. ibidem. q. 9. sect. 4 Hinc autem. pag. 456
An rectè probauerit Aristoteles ab substantiam, & relationem non esse per se motum. ibidem. sec. 5. Late disputatur. p. 458

Ad caput quartum.

MOtus diuersos specie non posse continuari. lib. 5. c. 4. q. 3. sec. 2. conclusione 1. pag. 223
Quę specie differunt non posse continuari, quo pacto intelligendum, ibidem conclusione 2. pag. 224

*In librum sextum Physicorum.*

Ad caput primum.

PVnctum non esse principium formale lineę. lib. 1. c. 7. B. D.
Puncta in medio lineę, lineámque in medio superficiei non esse actu, sed potentia, li. 1. c. 7. B. G. & B. H. & lib. 2. c. 2. q. 2. sec. 3. His positis. & lib. 5. c. 13. q. 6. sec. 4. Secunda conclusio. pag. 523
Vnde proueneritvt apud Physicos indiuisibilia in mediis magnitudinibus esse dicátur, lib. 5. cap. 13. q. 6. sec. 5. Pro solutione primi. pag. 526
Quot modis eiusmodi indiuisibilia ad actũ perduci possint. ibidem. Ad secundum.
Puncta non esse veras entitates. lib. 5. c. 13. q. 6. sec. 4. Tertia pars. pag. 524

Quan



Quantum interfit inter terminos qualitatũ intensibilium, & magnitudinem ibidem.
Lineas & superficies esse entitates reales, libro v. c. 13. q. 6 sectio. 4. Sic igitur prima, pag. 522. & tota. l. 5
Esse re ipsa distinctas & inter se, & à corpore, ibid sect. 4 Tertia conclusio. pag 523
Omne corpus habere vnam tantum superficiem physicè. ibidem. Secunda pars & sec. v. Quocirca. pag. 527
Quo pacto globus & cylindrus tangant planum. lib. v. ca. 13. q. sec. v. Quare ad secundum. pag. 528
Dici posse lineas esse in media superficie, & puncta in media linea eminenter, & virtute, li v. c. 13. q sec. v. Dici quoque. p. 528
Quonam sit subiectum indiuisibilium cuiusuis magnitudinis, ibid. sect. 8. ad alterum. pag. 537

Ad Caput quartum.

QVa ratione Diogenes soluerit rationẽ Zenonis ostendentis, nullum motũ localem esse posse. lib. v c. 1. q. 4. sectio 3. Tertia ratio.
Indiuisibile non posse per se moueri, lib. 4. c. 13. q 2 sect. 3. ad quartum

Ad caput sextum.

QVod generatur, nondum est. exponitur lib. v. c. 4 q. 2. sect. 4. ad hanc dubitationem. pag. 209

Ad caput decimum.

INdiuisibilia neque per generationem incipiunt, nec per corruptionem desinũt. lib. 3. cap. v. M

*In librum septimum Physicorum.*

Ad caput primum.

AGentia essentialiter subordinata non mouent nisi mota, exponitur, lib. v. c. 2. q 9. sect 2 Quo loco. pag. 107

Ad caput tertium.

QValitates sensibiles pro qualitatibus tertiæ speciei quo sensu accipiat Arist. lib. v. c. 14. q. 1. sect. 4. Quod autem. pag. 494
Definitio habitus hoc capite tradita, exponitur, ibid. sect. 2. Hoc pacto. pag. 492

Ad caput quartum.

IN generibus latere æquiuocationes quo modo intelligendum. lib. v. cap. 8. q. 4. sect. 4. Postremo quia. pag. 305
In re analogica fieri potest comparatio. lib. 4. c. 2. q. 2. sect. 9. ad nonum

*In librum octauum Physicorum.*

Ad caput primum & 2.

AN solus Deus sit res simpliciter necessaria, lib. v. cap. v. q. 1 per totam pag. 244. & seq.
Senserit ne melius de mundi origine Plato, quàm Arist. in proœmio primi lib. c. v.
Generationes rerum non potuisse esse ab æterno, lib. 2. q. 1. sec. v. ad primum.

Ad caput sextum.

QValitates motiuæ grauium & leuium an sit potentiæ actiuæ ipsorum. lib. v. c. 2 in explicatione textus, *Potentia dicitur*. p. 276
A quo reducatur aqua calida ad pristinum frigus, lib. 1. c. 7. q. 3. sect v potius ergo.
Grauia & leuia non à seipsis moueri, sed à generantibus. lib. v. cap. 4. sect. 7. Demum tertiæ, p. 216

Ad caput septimum.

CVr dicat Arist. per motum localem nullam formam absolutam inhærentem acquiri. lib. v. c. 13. q. 9. sect. 4. ad tertium. pag. 454

*In primum librum de Cœlo.*

Ad caput primum.

MVndum apud Aristotelem esse speciem infimam, lib. v. c. 28. q. 1. sectio. 1. ad finem. pag. 626
Pythagoricos ex perfectione numeri denarij colligere dari decem corpora simplicia. lib. 1. c. v. C

Ad caput secundum.

QVid Arist. senserit de propensione cœlorum ad motum, & qua de caussa, lib. v. cap. 4. q. 2. sectio. v. Quod verò attinet pag 212
Quo pacto cœlum affectum sit suapte natura ad motum & quietem, ibi sect 6. p. 215
Vnius corporis simplicis vnum esse motum simplicem, quo pacto accipiendum, lib. v. cap. 4 q. 2. sect 7. pag. 214
De motu cœlorum eadem sectione.
Formas cœlorum non esse principia actiua, sed passiua motu localis. iqi. p. 219

Ad caput tertium.

MAteriam cœli distingui specie à materia rerum sublunarium, lib. v. cap. 8. q. 4. sec 2. Dicendum igitur. pag. 390
Materia horum inferiorum nõ habere propensionem ad formas cœlestes, lib 1. cap. 1. q 2. sec. 3 ad primum.
Vnde colligamus cœlum nõ esse alterabile, lib. 1. c. 7. q. 2. sec. 4. Atque laudabilis

Orbes cœlestes non esse actus, sed ex materia formáque constare, lib.1. cap.7. q.3. sect.7. Tertio quia.
Non dubitare Aristotelem in cœlo esse materiam, lib 2.cap.3.E
Plato censuit celestes orbes esse corruptibiles, lib.3 .cap.4.F.
Sint ne formæ cœlorum creaturæ, an potius potentia materiæ eductæ, lib .v. cap. 2. q.4. sect.1. Primum quia, & sequentibus, pag.67. & sect.2. Excluditur etiam, & seq. pagina. 68.
Ne diuina quidem virtute fieri posse vt forma cœli informet materiam sublunarem aut sublumaris forma cœlestem materiã, lib.v.cap. 4. q. 4. sect.2.pag.68.
Cœli an geniti sint, lib.v.cap.2. q.4. sect.2. Excluditur etiam, & sequentibus, pag 68.

Ad caput quartum.

DEus & natura nihil faciunt frustra, exponitur, libr.v. cap.4. q.1. sectio.2. pag.198

Ad caput nonum.

FIeri non posse vt sint plures cœli, exponitur, lib v.cap.6.quæst.v.sectio.4.ad quartum pag. 302

*In secundum librum de Cœlo.*

Ad caput tertium.

SI vnum contrariorum existit, necesse esse vt alterum quoque aliquando existat, exponitur, lib.v.c.28.q.15.sect.2. alia ratione.
Vnumquodque est propter suam operationem, exponitur lib.1.cap.2. q.1.sectio.6. Quarta conclusio.

Ad caput sextum.

APpetitum grauium & leuium ad sua loca naturalia, non esse qualitatem superadditam grauitati & leuitati lib.1.c.1. q.2.sect.3.Patet etiam.

Ad caput octauum.

QVa ratione probet Aristoteles, astra non moueri motu progressiuo. libr. 1.c.1.q.7.sect.2. Tertio ea.

*In librum tertium de Cœlo.*

Ad Caput primum.

COeli cur apud Arist. dicanrur elementa, lib.v.c.3.in expositione primi textus pag.184

Ad caput tertium.

NIhil referre ad rationem elementi sit ne actu in eo, cuius est elementum, potentia tantum, lib.v. cap. 3. in explicatione textus. *Eadem ferè*. pag.85

*In librum primum de Generatione.*

Ad caput primum & sequentia.

GEneratio vnius est corruptio alterius, explicatur lib.v.cap. 2.q. 14. sect. v. Ad 4.pag.160.
Cadauer sitne semper eiusdem speciei, ibid. ad quintum.
Cur generatio & corruptio inter continuas mutationes numerentur, lib.v.cap.13.q.9. sectio.1 pag.547
Generatio & corruptio quomodo temporariæ esse possint, & inter positiuos terminos fieri. ibidem. Quod si quis. pag.548
Generationem non esse formę introductionem, sed actionem præcedentem terminatam ad cõiunctionem formæ geniti cum materia corrupti. lib. 1. cap.1. q.4.sect.3. Sed contra.
Momentaneam formæ introductionem in eo quod generatur per se recipi. lib.1 c.1. q.v.sect.4.Ad primum verò eorum.
Cur deterioris formæ introductio appellari potius soleat corruptio, quàm generatio. lib.2.c.2.q.1.sect.6.Si quis.

Ad caput quintum.

VTrum in rarefactione acquiratur noua quantitas, lib.v.cap.13.q.1. sect.4. secundum.p.491

Ad caput sextum.

NVm in eodem composito dentur plures formæ substantiales, lib.2 cap.2. q.1.sec.8.Denique vti, & lib.v.cap.4.q 4. sec.1.& 6.pag.229
Num diuina virtute possit eadẽ numero forma simul diuersas materias informare, ibid sec.3.pag.230
Cur abscisso capite viuentis perfecti noua semper forma resultet, libr.v.cap. 4.q.4. sect.6.p.237

Ad caput septimum.

QValitates virtuales mixtorũ non agere in propria subiecta, lib.1 ca.7.q.3. sect.v.Sed neque.

Ad caput decimum.

IN mixtione non seruati species eorum: quæ miscentur, lib.1.c.7.A.P.
Vnde proueniat permixtio contrariarũ quotitatum in mixto, lib.1.ca.v.q.3. sectio.4 Tertio loco.





*In librum secundum de Generatione.*

Ad caput primum.

NVm vulgata elementa contineantur in definitione elementi tradita ab Aristotele, lib.5.cap.3.q.1.pag.186

Ad caput tertium.

CVr ab Aristotele elementa dicãtur prima corpora, lib.5. cap.3.q.1. sect.2. pag.187
Qualitates primæ quo sensu dicantur differentiæ primæ elementorum, lib.1.cap.7. q.3.sec.6.Ad primum.
Vtrum contraria in eadem re simul esse possint, lib.5.cap.4.q.4.sect.5.pag.233.& lib. 4.cap.3.P.& lib.4.cap.6. Q.& R.

Ad caput decimum.

IDem, inquantum idem, semper facit idem exponitur, lib.5. cap.2. q.17. sect.3. in principio, pag.179

*In librum primum de Anima.*

Ad caput primum.

VNde colligendum, vnam scientiam esse alia certiorem, lib.1.cap.2.D.
Vniuersale aut nihil esse, aut posterius esse, lib.5. cap.28.q.5.sec.1.in fine:& sect.4.ad finem, pag.660

Ad caput quartum.

SI senex acciperet oculum iuuenis, videret vt iuuenis, lib.v.ca.28.q.16.sect.2. Primum quia.

*In librum secundum de Anima.*

Ad caput primum.

DIuisio substantiæ ab Aristot. hoc capite facta exponitur, lib.5.ca.8.q.3.sec.3. Ad secundum, pag.386.& q.6.sect.vltima. Respondetur, Arist.pag.429

Ad caput secundum.

DEfinitio animæ secunda explicatur, lib.v.cap.4.q.2.sect.4. Sumenda est igitur.
Animam rationalem esse immortalem, atq; à corpore separatam existere, lib.1.ca.7. q.3.sec.5.Confirmat autem.
Non posse vlla ratione dici in anima rationali duplicem esse gradum essentię, lib.2. cap.1.q.2 sec.6.Ad tertium.
Num anima rationalis possit in hac vita quidditatiue cognosci, lib.2. cap.1. q.2. sec.6.Caietanus.
Cur Aristoteles formã appellet hoc aliquid lib.v.cap.6.q.4.sec.4.Postremo, pag.292
Vtrum vna anima sit essentialiter perfectior alia, lib.v.ca.28.quæst.16

Ad caput tertium.

NVm animæ potentiæ ab eadem re ipsa distinguantur, & an ab ea possint diuelli per Dei potentiam, lib.5. cap 5. q.1. sect.5.pag.254
Potentiæ quo pacto emanent à suis subiectis. lib.1.ca 1.q.5.sect.4.Ad primum.
Cur maior sit potentiarum, quàm habituum vis. lib.1.cap.2 q.1 sect.3. Ad vltimum.
Quo pacto intelligendum sit. Id magis sub potentiam cadere, quod magis participat rationem obiecti, lib.1. cap.2.q.1.sect.7. Ad secundum.
Non omnia, quæ à potentia quouis modo attinguntur, continentur sub obiecto talis potentiæ, lib. 4. cap.2. q 3. sect. 3. Ad primum secundæ.
Quomodo intelligendum sit illud, vt se habet potentia ad obiectum, ita scientia ad subiectum, lib.1. cap.2. quæst.1.sect.3. Ad secundum.

Ad caput quartum.

POtentias, quatenus tales, non referri ad subiecta, sed ad obiecta, lib.5. cap 15 Non est autem, pag.507
Quomodo potentiæ distinguãtur per actus & obiecta, lib.5. cap.28. q.7. sect.4. Postremum denique, pag.679
Qua ratione dicantur obiecta mensurare habitus & potentias, lib.v. cap.15. q.4. sec.6. Quod vero, pag.545

Ad caput quintum.

IN quos vsus natura animalibus sensus contulerit, lib. 1.cap.1.C.
Tres gradus sensitiuæ cognitionis in brutis explicantur, ibid.H.
Nullus in se reflectitur sensus, lib.1.cap.2. q.3.sect.2.Præterea nullus.
Sensus ob vehementem applicationem ad obiectum, res alias commodissimè obiectas non percipit, lib.1.ca.2.q 3.sect.8. Ac primæ.
Differant ne specie eiusdem obiecti species sensibiles. ibid. Huic obiectioni.
Sensibus indigemus etiam ob vniuersalium cognitionẽ, li.1.c.2.q.3.sec.9. Ad quintũ.
Possit ne sensus errare circa proprium sensibile, lib.4.cap.5.II.
Sensus quomodo sentire se sentiunt, dum à rebus sensibilibus mouẽtur, li.4.c.5.OO.

Ad caput septimum.

SEnsus videdi & audiendi cur specie differant lib.v.ca.28.q.7.sect.4 Præterea facultas,pag 679
Solum aspectum percipere rem ad intellectus modum,lib.1. cap.1.q.3.sect.2. Quod autem.Huius sensus præstantia,ibi.
Non videri in speculo imaginem, sed rem ipsam, lib.2.cap.2. q.2.sect.5. Dicendum igitur.

Ad caput octauum.

IN aëre non solum dari sonum intentionalem, sed etiam realem, lib.v.cap.10. q.1.sect.3.Nunc autem,pag.464
An graue & acutum in sonis specie differant, & an plures soni eiusdem speciei dentur simul in eadem aëris parte, Sed quis,ibid.
Cur cæci surdis sapientiores euadant,lib.1. cap.1.q 3.sect.3.Ad quartum.
Apibus inesse auditum,lib.1.cap.1.H.

Ad caput nonum.

MOlles carne, apti sunt mente, exponitur,lib.5.ca.28.q.16. sect.1. Hanc rationem.

Ad caput vndecimum.

HOminis tactum omnium esse optimũ, lib.1.cap.1.H.
Cur amissio tactus molestior nobis sit amissione cæterorum sensuum,lib.1.cap.1.q.3. sect.3.Ad primum.

Ad caput duodecimum.

SEnsus externi obiecta materialia quodammodo sine materia percipiunt, lib.5.cap.28. q.6.sect.1. Abstrahere nihil, pag.667

*In librum tertium de Anima.*

Ad caput primum.

A sensibus externis non fieri vniuersale tamen de his intelligi illud, Nihil esse in intellectu, quin prius sit in sensu, lib.5 ca.28.q.6.sect.2.in initio,pag.669

Ad caput tertium.

DE numero sensuum internorum disputatur fusè, lib.v.cap.28.q.7. sect.2.& seq pag.673
In quot partes cerebrum sit diuisum, & qui spiritus ab ipso sensu communicentur. ibid.sect.2. Auerrois opinio.
Quam vim habeat ratio, qua Philosophus probat dandum esse sensum communem. lib.1.cap.2.q.3.sect 2.Septimo.
Sensus communis sedes, officium,& nominis causa, lib.28. cap.6. q.6, sect.2. Alterum genus,pag.669
Phantasiæ sedes, officium, & vires, ibidem. Tertium genus.
Aestimatiuæ explicatio, lib.5. cap. 28. q.6. sect.2.Quartum deinde,pag.670
Memoriæ sensitiuæ & reminiscentiæ sedes, munus,facultates.ib.Quintũ genus,p.671.
Vera sensuum internorum distinctio, lib.5. cap.28.q.7.sect.4.pag.675
Posse vnam potentiam rectè se habere ad vnam speciem operationum, & non ad aliam,ibi Dicimus primum.
Phantasiæ operatio quo pacto à sensu fieri dicatur,lib.5.cap. 28. q. 7.sect.4. Quartum diluendum,pag.677
Solam phantasiam proximè intellectui ministrare li.5.c.28 q.7.sec.4.in fine,pa.678
Phantasiæ munera & diuersa nomina, ibid. sect.5.ad finem,680
Quonam pacto vtatur intellectus ministerio phantasiæ ad vniuersales naturas abstrahendas,ibi.q.8 pag 680.& seq.
Phantasmata hominis an specie differant à phantasmatis belluarum,lib.5.cap.28.q.8. sect.3 Potius dicendum,p g 6 6

Ad caput 4.& 5.de intellectu.

ENs est materiale obiectum intellectus, lib.4.c.2.q.2.sect.11. Ad quintum.
Qua ratione intellectus suum obiectum appetat lib.1.c.1.q.1.sec.3.Impropriè dictus.
Diuersitas operandi intellectus,& voluntatis, lib 1.cap 1.q.5 sect.3.Siquis.
Vtrum verum sit obiectum intellectus,li.4. cap.2 q.6 sec.14. Ad id denique.
An dentur in intellectu species rerum singularium lib.1. cap.2. q.3.sect.4. Et lib.5. cap.28.q.8.sec.3.pag.686
Cur singularia dicantur cognosci reflexè, vniuersalia directe, ibid.sec.5.At dicunt, pag 693
Vnde collegerit Arist. necessitatem ponendi intellectum agentem, lib.1. cap. 2. q.3. sec.9.Sextum argumentum.
Vtrum intellectus agens illustret phantasmata,& quomodo id præstet, lib.5. cap. 28.q.8.sec.2.& seq pag 682
Cur non sit necesse ponere sensum agẽtem, ibid sec 3.Sed argumentum pag.686
Vtrum intellectus agens omnium vniuersalium species abstrahat.ibid.sec 4.pa.689
Vtrum vnius indiuidui species sufficiat ad abstrahendum vniuersale, lib.5.cap.28.q. 8.sect.1.in principio,pag 681
Phantasiam ad cognitionem rerum vniuersalium per accidens concurrere, lib.1.ca. 2.q.3.sec.6. Quod vero.


In




In quo genere caussæ concurrunt phantasmata cum intellectu. ibidem. At cum. & lib.v.c.28.q.8.sec.v. Ad sextum dubium. pag.693
An possit intellectus agens abstrahere à cõcretis abstracta: & vtrum phantasia idem possit,lib.v.ca.28.q.8. sec.4. Superuacanea fuerit.pag.591
Circa phantasmatũ concursum pertractantur varia dubia.ibid sec.v. pag.592
Similitudo luminis exterui quomodo explicet impressionem speciei, intelligibilis in intellectu.lib.v.cap.28.q.8.sec.2. Alij, quibus pag.682
Colores sine lumine esse potentia tantum visibiles,quo pacto intelligendum,lib.v. c.2.q 9.sect.v pag.112
Lumen ad visionem necessarium esse ex parte solus medij.ibidem.
Non esse probabile,species internorum sensuum omnes differre specie,lib. v.c.10.q. 1.sec.4.Ad ea,quæ.pag.471
Conceptus, qui simul in intellectu dantur, non semper specie distingui.ibidem.

Ad caput octauum.

NEque enim ipse lapis inanima inest, sed species lapidis exponitur, lib.v. c.7 q.6.sec 2.in initio.pag.357

*In librum 1.Metaphysicorum.*

*NOn annotatur in hos libros ea, quæ in propriis locis habentur, sed tantum pauca, quæ alibi attinguntur, aut fusius explicantur.*

Ad caput primum.

NVm idem sit suppositum quod natura, lib.v c 8.q.v.sec.1.pag.398
Quid sit suppositum, quidque addat supra naturam.ibidem.q.3.& seq. pag 384
Ars medica nõ quærit quid profuit Calliæ, li.v.c.28 q.2.sec. 2.Sed Nominales p.630
Singularia agere aliquid per se,aut pati,vniuersale vero per accidens,lib.v.c 28.q.v. sec.4.Ad posteriora.pag.665

Ad caput secundum.

GEnera difficiliora esse cognitu, quàm species,lib.v.c.28.q 17.sect.3.Itaque vera.p.750

Ad caput septimum.

DE quibus generibus & speciebus loquatur Aristoteles,cum disputat contra Platonem,lib. v.c.28.q.9.sect.1.p 694

*In librum 2.Metaphysicorum.*

Ad caput primum.

PErtinere ad Metaphysicum caussarum omnium aliqualem cognitionẽ, quatenus pertinent.lib.1.c. 2. q.1. sect.1. & 2.
Metaphysica quid cæteris scientiis tribuat, libro 1. ca.2.q 1.sect.1.Præterea subiecta.

Ad caput secundum.

POssint ne infinita finito tempore distinctè cognosci,li.v.ca.13.q 6.sect.6 Hac difficultate,& sequentibus.pag.532

*In librum tertium Metaphysicorum.*

Ad caput secundum.

QVantitates, de quibus agunt Mathematici nõ esse à rebus abstractas, li. v.ca.13.q.4.sect.1.De hoc numero pag. 503

Ad caput tertium.

CAussam,cur ens sit analogum,esse quia per se dicitur de differentis,lib.v.ca. 7.q.2.sec.v.in principio.p. 339

*In librum quartum.*

Ad caput secundum.

CVr priuationes ab Aristotele inter entis significata numerentur,lib.v.c.7. q.v.sec.2.Reiiciuntur deinde.p 350
Genus esse,& speciem per se conuenire rebus exponitur,lib.v.c.28.q.5.sect.4. Locus vero.pag.666
Caussæ analogiæ entis.lib.v.c.7.q.2. sect.v. pag.339

*In librum quintum.*

Ad caput primum.

IN quo sensu principium non latius pateat,quàm caussa,lib.4.c 2.K

Ad caput secundum.

DE caussis multa ad caput septimum primi libri.

Ad caput sextum.

ESse vnius, alicuius numeri principium esse,exponitur,lib.v.ca.13.q.1.sect.3. Ad finem.pag.490

Ad caput octauum.

AD quem pertineat agere de substantia. lib.3.c.2.Y

Substantiam genus summum per eumdem gradum esse talem substantiam,& omnino ens.lib.4.ca.2.q.2.sect 7. Ad tertium.
Per eumdem gradum conuenire creaturas cum Deo in ente , & ab ipso differre, ibidem.
De differentiis vltimis & non vltimis, li.4. cap.2.q.3.sect.1.& 2

Ad caput decimumquartum.

DIfferentiam substãtiæ esse præcipuum qualitatis significatum,exponitur, l. v.c.8.q.2.sect.3

Ad caput 15.

AN relationes creatæ dicant perfectionem,lib.4. cap.2.q.7.sect. 7. Quod vero.
Relationes,quæ rebus competunt,siue existant,siue non existant,esse rationis , lib. 4.c.2.q.7.sect.8.Ad tertium.
Relatio mensurati an sit realis,ibidem. q.6. sect.12.Ad tertiam,
Platonem non posuisse ideam relationis,li. 1.cap.6.f

Ad caput 29.

ORatio in se falsa duplex traditur,lib.v. cap.8. quæst.7.sect. 2. Ad quartum. pag.434

*In librum sextum Metaphysicorum.*

Ad caput primum.

SCientias speculatiuas esse gratia sui , lib.1.cap.2.m
Ad scientias speculatiuas non solum spectat agnoscere veritates complexas,sed etiam simplices.lib.2.cap.1.S
Actus intellectus, partim sunt speculatiui, partim practici,lib.2.cap.3.q. 2. sectio. 1. Hæc tamen.
Nomine praxeos non solum comprehendi actiones volũtatis, sed etiam intellectus, lib.2.c.3.q.2.sec.3
Non semper practicam scientiã per seipsam attingere finem suum , quemadmodum contemplantem,ibidem. Tertio contemplatiuam.

*In libro septimum.*

Ad caput sextum.

QVid intersit inter suppositum & naturam fuse.li.v.c.8.q.v.sec.3. pag. 399

Ad caput octauum.

QVid significet illud Arist. Tota autem forma in hisce carnibus atque ossibus,lib.v.cap.6.q.v.sect. vlt. Ad alterum locum.p.301
Cur dicat Aristoteles, formam geniti esse diuersam à forma generantis propter materiam,ibid.sec.4.Cur autem Arist.

Ad caput decimum.

SIngulare autem ex vltima materia, exponitur.lib.5.cap.6.q.5.sect.4.Ad tertium.idem pag.301

Ad caput.13.

ARgumentum Aristotelis contra Platonem explicatur,lib.5.c.18.q.4.sect.4. Prima sit pag.651
Ex duobus entibus in actu non fit vnũ ens per se,lib.5 c.8.q.6.sect.vlt. ad fin p. 429
Ea, quæ sunt actu duo , nunquam sunt actu vnum.lib.v.cap.13.q.4.sect.2. Quinta ratio.pag.306
Vniuersale est id,quod aptũ est vt in pluribus insit,lib.v.cap.28.q.1.sec. 1. pag. 625
Genera & species substantiarum non esse substantias,quomodo intelligendum.ib. q.2 sect.3.Ad tertium.p.633

Ad caput 14.

CVr Aristoteles contra Platonem disputet,lib.v.c.28.q.2. Quibus addenda. pag.632
Quid inter Aristotelem & Platonem cõueniat circa existentiam generum,& specierum sensibilium,lib.5.c.28.q.9. sect.1. At vero.p.696

*In librum octauum.*

Ad caput sextum.

CVr ex partibus quidditatis fiat vnum per se,lib.v.ca.13.q.4.sec.1. At dices pag.503
Genera summa esse primo diuersa quomodo intelligendum,lib.4.ca.2.q.2.sect. 10. Ad tertium,& lib.v.c.7.q.3.sec.3. Ad secundum.pag.345

*In librum nonum.*

QVot modis dici possit naturalis actus humanæ voluntatis,lib.1.cap.1.q. 1. sect.v.Hinc colliges.
Voluntatis actus circa quæ obiecta sint liberi.ibidem.sec.4. Omnino liber.

Ad caput octauum.

ACtum & potentiã esse in eodem genere,explicatur,lib.v.c.28.q. 4. sect.2. Secundum quia.p.647

Ad caput primum.

*In librum decimum.*

VNum,vt vnum est, indiuisibile esse, li. 7.cap.13.q.3.sect.2 in fine. pag. 502
Multitudinem esse numeri genus. ibidem.



Ad caput sextum.

GEnus omne diuidi per contrarias differentias,lib.5.c.28.q.16.sect. vltim. ad finem.

Ad caput nonum.

NVmerum esse multa vna.lib.5.ca.13.q. 4.sect.1.Secunda ratio.pag. 503
Minus perfectionis requiri in re , vt ab ea oriatur potentia,quàm actus,lib.1.c.1.q.5. sect.4. Ad primum.
Qua ratione actus sit prior potentia, libr.3. cap.6.G

Ad caput vltimum.

COrruptibile & incorruptibile differũt genere.latè exponitur,lib.v.ca.8. q. 4 per varias sectiones p.395

*In librum duodecimum.*

DE substantiis separatis agere, quo pacto ad Metaphysicum pertineat,lib. 2.c.3 q.5.sect.3.Ad quintum.
Sintne aliæ substantiæ præter sensibiles, disputat Arist.lib.3.c.2.CC.

*In libros Ethicorum.*

ACtus voluntatis quo pacto sub moralem scientiam cadant,lib.2.ca.3.q.1. sect.Esse autem.
Etichem primus Socrates inuexit,libr.1.capite sexto C.
Felicitas huius vitæ an in sola Dei cognitione cõsistat.lib.1.c.1.q.1 sect.6.Postremo.
Homines qui naturali felicitate fruerentur, si fide carerent,nihil amplius expetituros lib.1.c.1.q.2.sect.3.Ad quartum.
Felicitas quot modis consideretur,lib.1.c.7. q.2.sect.1.Materiæ primæ.
Quæ perfecta hominis opera felicitatem humanam contineant,lib.1.c.1.q. 2. sect. 3.Ad tertium,& seq.
Bonum quo pacto definiatur,lib.4.c.2.q.7. sect. v.Secunda pars.
Quo pacto accipiendum sit appetibile in definitione boni. ibid.sect. 7. Secundum argumentum.
Relationes rationis an ab hominibus expetantur.ibid. Ad priorem.
Locus ex c.7.lib.1.de Habituum generatione exponitur, libr.1.c.1.q.4.sect.3.Ad secundum.
Alicui in hac vita,licet raro,concedi à Deo humanam felicitatem,li.1.c.1.q.2. sect.3. Illud vnum.

---

## Index quarumdam rerum Theologicarum,quæ in vtroque tomo huius operis continentur iuxta ordinem eorum , quæ à Theologis disputari solent ad summam Theologicam Diui Thomæ.

*In primam partem. Ad quæstionem primam.*

De sacra doctrina.

QVA ratione Theologia differat à Metaphysica ex parte principiorum subiecti,ac finis,libr.4.cap.1. q.1.sect.5. Ad quartum.
Confirmationes,quæ ex Philosophia ad res Theologicas assumuntur, an ad sacram doctrinam pertineant,lib.2.c.3. q.1. sect. 6.In hac igitur.
Theologia cur propria principia non nisi per reuelationem habere possit,libr.4.c.1. q.1.sect.5.Ad quartum.

*Ad quæstionem secundam.*

De Deo an sit.

FOrmari à nobis de Deo purum simplicémque conceptum,lib.2.capit.1.q.2. sect.4.Sexto qui.
Non tamen quidditatiuum ac distinctum. ibidem.Ex his collige.
Ens non esse prius natura Deo, licet prius à nobis concipi possit,lib.4.c.1.q.1.sect.8. Quod siquis.
Quæ prædicata ad diuinam essentiam spectent,lib.2.c.1.q.2.sect.3.Hæc tamen.
Qua ratione omnes gradus entis in Deo sint, & quomodo rebus creatis per participationem dicantur conuenire,lib. 4. c. 2.q.1.sect.7 Posterior ratio.
Quo pacto creaturarum attributa Deo competant, semota omni imperfectione,libr. 4.c.2.q.2.sect.11. Ad tertium.

*Ad quæstionem tertiam.*

De Dei simplicitate.

EXistentiam Dei esse ipsam Dei quidditatem & essentiam,lib.4.cap.2. q 3. sect.2.

sect.2 His ita explicatis.
De distinctione existentiæ ab essentia in rebus creatis, lib.4.cap.2.q.4.

*Ad quæstionem quartam.*

De perfectione Dei.

PErfectiones simpliciter à nobis concipiuntur, posse dici numero infinitas in Deo lib.2 c.1.q.2.sect.3. Quod igitur.
Rerum omnium perfectiones quo pacto in Deo sint l.4.c.2.q.1.sec.7.Posterior ratio.
Perfectiones simpliciter in Deo esse formaliter, lib.1.c 1.q.1.sect.4.Partim verò.
Actiones diuinæ cur non sint formæ ac perfectiones Dei, lib.5.cap.15.q.4.sect.6. Tertium sic pag.544.

*Ad quæstionem quintam.*

De bono in commune.

DE bono fusè disputatur, lib.4. c 2.q.7. per totam.

*Ad quæstionem sextam.*

De bonitate diuina.

DEus quo sensu dicatur bonus per essentiam, lib.4.c.2.q.7 sect.8.Ad posteriorem.
Bonitatem diuinam transcendentem consistere in conuenientia, quia Deus sibi ipsi est conuenientissimus, séque ipso dignissimus, lib.4.ca.2.q.7.sect.6.Sed cum vna.

*Ad quæstionem septimam.*

De infinitate Dei.

DE infinito vide quæ indicata sunt supra ad tertium Physicorum in ca.4. & sequent.

*Ad quæstionem octauam.*

De existentia Dei in rebus.

DEum esse in rebus creatis participatiue, lib.4.c.2.q.2.sect.11. Ad secundũ.
Num immediata Dei præsentia in rebus omnibus rectè colligatur ex immediata eius operatione, disputatur, lib.5.c.2.q.9. sect.4.Ex his perspicuum pag.111.
Vtrum Deus immediatè attingat omnia secundarum causarum effecta, lib.3.cap.2. q.9.per totam pag 103 & seq.
Num omnes causæ secundæ, cuiuscunque generis sint, Deo essentialiter subordinẽtur, li.5.c.2.q 12. per totam. pa.131.& seq.
Causas infra Deum aliquid agere, & in effecta sua propriè influere, lib.5.ca.2. q.7. per totam.
Deum non definiri loco, lib.5. cap.15. q.5 sect.2.Deinde duobus.pag.584
Deum esse in infinito spatio extra cœlum. ibid.Postremo non negabimus, & sect.4. eiusdem quæstionis. Iam Deus.
Deus est circulus, cuius centrum vbique, circumferentia nusquam, exponitur, li.5. c.15 q.9.sect.4.circa finem.pag.589
Ratio, cur Deus sit vbique, ibid.sect.5. Illud porro.
Deum esse vbique, etiam extra hunc mundum quibus sacræ Scripturæ ac Patrum testimoniis comprobetur, lib.5.c.15.q.9. sect.4.Iam Deus pag.587
Creata omnia esse in Deo vt spongiam in immenso mari, quàm rectè dixerit D. Augustinus, lib.5.cap.15.q.9.sect.4. Ad finem.pag.589
Etsi Deus non ageret per intellectum & voluntatem, tamen creaturæ ad eum referrentur, lib.5.ca.15.q.4.sect.3.Ac omnem. pag.537

*Ad quæstionem nonam!*

De immutabilitate Dei.

DEum non mutari, etsi de nouo agere incipit, li.5.c.2.q.18.sect.3 Ad finem. pag 182
Res creatas à Deo per actionem conseruari, lib.5.ca.2.q 15.sect.3.Ad finem.pag.138

*Ad quæstionem decimam.*

De æternitate Dei.

QVa ratione differat tempus ab æuo & æternitate, lib.5.ca.13.q.12. pag.132. & seq.
Vera ac germana diuisio purationis in cõmuni, ibid.sect.2.Ad finem.
Num esse substantiarum incorruptibilium mensuretur æuo, an potius tempore, ibid. sect.3
Accidentia rerum spiritualium, qua duratione mensurentur, lib.3.c.13.q 12.sect.4. Si quis autem. pag.138
Durationes supernaturales traduntur, ibid. Atque hæc.

*Ad quæstionem vndecimam.*

De vnitate Dei.

DE vno latè disputatur, lib.4.cap.2.q 5. per totam: & lib.5.cap.13.q.3. per totam.pag.430.& seq.

*Ad quæstionem duodecimam.*

De visione Dei.

VTrum homo naturaliter appetat intuitiuam Dei cognitionem, lib.1.ca.1.q. 2.per totam.

Qua



Qua ratione diuina essentia cum intellectu Beati concurrat ad visionem beatificam, lib.1.cap.2.q.3.sect.6.Postremo si.
Deum à Beatis quidditatiuè cognosci, non tamen cõprehendi, libr.2.ca.1. q. 2.sect.1. Illud tamen, & sect. 4. Dictum est.
Actum amoris, quo Beati diligunt Deũ, esse omnino necessarium, lib.1.cap.1. q.1.sect. 4.omnino necessarius.

*Ad quæstionem decimamtertiam.*

De diuinis nominibus.

QVid Dei nomina immediatè significet disputatur, l 2.c.1.q.2.sect.4 Sed est.
Cur Deus illud sibi nomen vt proprium vẽdicarit *Ego sum qui sum*, lib.4. cap.2.quæ.3. sec.2.His ita
Discrimina inter nomina concreta in diuinis & in rebus creatis, li.4.ca.2.q.4.sect.1. Huic argumento.
Multa nomina non modo negatiua, sed etiã priuatiua dici de Deo, lib.4 ca.2.q.v.sect. 3.Verum siue
Nullam dari in Deo relationem realem ad creaturas, lib.v.cap.15.q.1.sec.7.Quintum documentum, pag.517
Deus cur dicatur realiter Dominus cũ relatio dominij, quam habet, sit rationis, li.v. cap.15.q.4.sect.v.Nec se protegat, p.541

*Ad quæstionem decimam quartam.*

De scientia Dei.

DIuinus intellectus ob suã perfectionẽ res alias immediatè nõ percipit: si tamen perciperet, infinita posset cognoscere, l.2.c.2.q.2.sect.3. Secunda conclusio.
Deus, dum omnes enunciationes falsas apprehendit, non fallitur, li.4.ca.2.q.6.sect. 6.Nec vero.
Exponitur D. August cum dicit, Deum suæ sempiternæ sapientiæ causam esse sempiternam, li.1.cap.7.q.1.sect.3. Licet igitur.

*Ad quæstionem decimam quintam.*

De ideis.

IDeæ diuinæ an præcedant scientiam diuinam, li. v.cap.v.q.1.sect.4.Quare ad primum, pag.153
Rerum naturas, vt eminenter in Deo continentur, esse rerum ideas, lib 1.cap.7.A.L
Rationes, quibus Aristot. Platonicas ideas impugnat, nihil ideis diuinis officere. ibi.
Res creatæ diuinam artem imitantur, lib. 2. ca.7.q.1.sect.v. Ad tertium.
Quæ sit ratio ideæ, quæ exemplaris. ibid. Crediderim tamen.
Diuinum conceptum non ex æquo à rebus omnibus participari, lib.4.cap.2.q.1.sect. v.At obiicit Herueus.
Solas rationes formales, quæ existũt in mẽte diuina, esse proprias ac primas mensuras rerum omnium, li.4.cap.2.q.6.sect.10. Quarta conclusio.
Quomodo res ad Deũ, vt ad causam exemplarem referantur, lib. 4. cap. 2. q. 6. sect. 12. Ad tertiam.
In diuino intellectu esse plures rationes formales & obiectiuas, non tamẽ plura principia cognoscendi, aut plures artes, lib.4. cap.2.q.6 sect.12.Ad sextum.
Creaturas non esse entia vera nisi per ordinem ad distinctas rationes, in quibus ars diuina intuetur agenda, ibi. Ad septimũ.
Ideas diuinas non esse re vera rationes obiectiuas, sed formales ibid. Quod siquis.
Cur diuino Verbo ideæ approprientur, li.4. cap.2.q.6.sect.12.Quod siquis.

*Ad quæstionem decimam sextam.*

De Veritate.

QVa ratione Deus dicatur à Patribus prima veritas, lib.4, ca.2.q.6.sect. 2. Quod siquis,
Quomodo detur perfecta cõformitas inter diuinum intellectum, & Deum. ibid. sec. 7.Tertia conclusio.
Quomodo intelligendum sit, omnia dici vera à prima veritate, lib. 4.cap.2.§.Accedit in huius.
Quæ sit veritas diuini intellectus, lib.4.cap. 2.q.6.sec.12 Ad quartum.
De vero latè disputatur tota quæst.6. citata.

*Ad quæstionem decimam septimam.*

De falsitate.

NVm possit esse in rerum natura aliquod ens falsum, lib. 4.ca.2.quæ.6.sect.13. Ad 2.
Verum & falsum magis propriè de intellectu quàm de re intellecta dici, ibid.sec.9. His positis.
An in sensu sit falsitas, lib.4.cap.3 q.1 sec.4. Ad sextum, & cap.5.GG.& MM

*Ad quæstionem decimamnonam.*

De voluntate Dei.

AN præter diuinã voluntatem sit in Deo ponenda potentia executiua, libr.v. cap.

cap.15.quæst.8.sec.4.pag.574
Rectus practicus diuinæ voluntatis sit ne vnus an multiplex. ibidem. Verum non rectè.

*Ad quæst. vigesimam secundam.*
De prouidentia Dei.

QVo pacto Deus immediatè agat in rebus omnibus,libr.v.capit.2.q.8. per totam,pag.93
Res omnes creatas diuinæ prouidentiæ ita esse subiectas, vt tamen ipsæ aliquid efficiant.ibidem.q.7.& q.12

*Ad quæstionem vigesimam tertiam.*
De prædestinatione.

CVr multi nũc homines sunt prædestinati, qui Adamo non peccante prædestinati non fuissent.libr.v.cap.2.q. 14. sec.vlti.in fine,pag.160

*Ad quæstionem vigesimamquintam.*
De diuina potentia.

VTrum à Deo suppleri possit causalitas cuiuscumque causæ,libr.v.capi.2.q. 11.sec.3.pag.129
Vtrum per Dei potentiam possit eadem forma simul plures materias informare, lib. v.cap.4.q.4.per totam,pag.203. & seq.
Vtrum idem homo diuina virtute simul esse possit in diuersis locis,ibidem,sect.4.&5. pag 209. & 211
An eadem numero forma per Dei potẽtiam possit esse simul in materiis specie diuersis,lib.v.cap.4.q.4.sec. v. Sed quærat aliquis,pag. 236
Detur ne in Deo potentia executiua, quæ ratione à diuina voluntate distinguatur, lib.v.cap.15.q.8.sect.4.pag.579

*Ad quæstionem vigesimam octauam.*
De relationibus diuinis.

NVlla est in Deo relatio realis communis tribus personis,libr.4.cap.2.q.6. sect.2.Præterea veritas.
Relationes diuinæ dicunt formaliter perfectionẽ,lib.4.cap.2.q.7.sec.7.Quod vero.
Relatio quo pacto distinguatur à fundamẽto ex sententia D.Tho.lib.v.cap. 15.q.2. sect.3.pag.522
Discrimen inter relationem creatam, & increatam,ibidem.Ad tertium.

*Ad quæstionem vigesimam nonam.*
De personis diuinis.

QVid sit persona,lib.v.cap.8.q.v. sect.3. Rectè autem,pag.400
Quid hypostasis,& subsistentia,ibid,sect. 4. pag.402
De numero subsistentiarum in diuinis,ibid. sect.5.& seq.pag.405
Quid interfit inter subsistentiam, & existẽtiam,lib.v.cap.8.q.v.sec.9.pag.411
Num diuinarum personarum triplex sit existentia, quemadmodum & subsistentia ibid.sect.10.pag.413

*Ad quæst. trigesimam.*
De pluralitate personarum in diuinis.

QVot sint genera distinctionum,fusè disputatur,lib.v.cap.6.q.6.pag. 356
Distinctio diuinarum personarum inter se, itémque relationum quibus diuinæ personæ constituuntur,ibid.exponitur.sc.2. sec.3.pag.357
Quo modo attributa diuina & inter se, & à personis:itémque essentia diuina à personis distinguatur,lib.v.cap.6.q.6.sect.3. Atque hunc,pag. 310. vide etiam pro eadem re,lib.4.cap.2.q.5.sect.4 Siquis.
In diuinis an sint concedendæ tres primæ substantiæ,lib.v.cap.2.q.v.sect. 1. Posterior hoc modo,pag.397

*Ad quæstionem 33.*
De iis,quæ pertinent ad personam Patris.

QVo pacto à Theologis principium definiatur,lib.v.capi. 1.q.1 sec.3.ad finem,pag.11
Principij rationem ab Arist.traditam,etiam in diuinas personas conuenire,ibidem,q. 4.sect.3.Ad quartum, pag.33
Vna persona in diuinis an dici possit causa alterius,lib.v.c.1.q.7.sec.1.itaque dicendum,pag.41
Vtrum principium prius dicatur de Deo respectu diuinarum personarum, quã creaturarum,lib.v.cap.1.q.6.pag.37

*Ad quæstionem 35.*
De personis in comparatione ad essentiam.

SVbstantiua non multiplicari nisi multiplicata forma,exponitur,lib.v. cap.8. q.7.sect.4.Ad tertium,pag. 442

*Ad quæstionem 42.*
De æqualitate & similitudine personarum diuinarum.

AEqualitas & similitudo in diuinis personis,est relatio rationis,li.4.c.2.q.7 sect.



sect.9.Denique ad rationem
Illud Athanasij,qualis Pater,talis Filius,&c. exponitur,ibid sec.7.Nec obiicias.
Vtrum persona producens sit prior origine, quàm persona producta,lib.1.ca.5.q.3. fusè disputatur.p.14

*Ad quæstionem 45.*
De creatione.

AN aliquid in re supponat creatio, li.4. cap.2.q.4.sec.5 Ad tertium.
An productio diuinarum Personarum sit exemplar,& habeat causalitatem in productione creaturarum,lib.3.ca.1.q.6.sec. 2.Fateor D.Thomam.p. 43.
Num res creata creare possit, saltem vt instrumentum.lib.5.c.2.q.8.p.93

*Ad quæstionem 52.*
De loco Angelorum.

VTrum Angeli semperac necessario sint in loco,lib.v.cap.15.q.9.sect.3. & sequentibus.pag.586
Substantiæ separatæ per quid sint in loco, ibid.sec.5.pag.590
Dari maximum locum & existentiæ,& operationis substantiarum separatarum, lib. v.c.15.q.9.sec.v.Illud porro.p.591
Num angelus possit simul esse in tanto spatio in quanto operari potest, ibidem.
Cur veteres Theologi dicant substantias separatas esse in loco per actionẽ, aut passionem,ibid.sec.6.pag.592
Per quid cognoscamus substãtias separatas alicubi esse,ibidem.Aut denique.
Num possit Deus creare substantiam spiritualem sine vllo ordine ad locum,lib.v.c. 13.q.2.sec.3.in fine p. 500

*Ad quæstionem 58.*
De cognitione angelorum.

DAri in substantiis separatis species intelligibiles eo nobiliores,quo naturas magis communes repræsentant, lib.1. ca.2.q.3 sect.6.Ad secundum.
Nullum angelum habere specie quã vnum tantum indiuiduum repræsentetur. ibid. Ad quartum.
Species Angelorum non accipi à rebus, sed infundi à Deo,lib.2.ca 1.q.2. sectio.v.Ad sextum.
Qua ratione, species Angelorum comprehendi possit,lib.2.cap.2.q.2. sectio.5. Ad tertium.
An species intelligibiles substantiarum separatarum intendantur,lib.1.ca.2.q.3. sc. 8.Atque hæc.

*Ad quæstionem 59.*
De voluntate Angelorum.

VTrũ liberi arbitrij perfectio sit æqualis in Angelis,lib.v.ca.18.q.16.sect.2. Sunt qui.

*Ad quæstionem 66.*
De ordine creationis.

INitio sacrorum librorum aquarum nomine non intelligi materiam primam,lib. 1.ca.7.q.2.sec.2.Non desunt.
An materia prima vllã ex se habeat existentiam,lib.5.ca.2.q.3.sect. 1. pag.58. & seq.
Deum non posse subire vicem materiæ primæ quo pacto sit intelligendum, ibidem. sec.2.pag. 59

*Ad quæstionem 86.*
De modo & ordine intelligendi.

EX perfectiore dispositione humani corporis,an possit colligi maior animæ rationalis perfectio,lib 5.ca.28.q. 16
Vtrum vna anima sit essentialiter perfectior alia.ibidem.

*Ad quæstionem 105.*
De mutatione creaturarum à Deo.

VTrum Deus immediatè concurrat ad omnem actionem agentis creati,lib. v.ca.2.q 9.pag.103
Causas infra Deum aliquid efficere,ibidem q.7.p.86

*In primam secundæ Diui Thomæ,*
*Ad quæstionem 1.*

IN quo posita sit ratio causandi finis,li.2. ca.2.q.10.sect.4.& lib.5.cap.1.q. 10. pa. 118.& sequentibus.
Finem esse primum in intentione quo pacto sit intelligendum,lib.v.cap.2.q.11.sect.4. pag.130
Quomodo sublata ratione finis tolleretur ratio boni,lib 2.ca.2. Q
Cur essentia æternæ fælicitatis, simpliciter in sola intuitiua Dei visione consistat, li. 1.ca.1.q 1 sec 6.Postremo quia.
In quo posita sit huius vitæ fœlicitas,lib.1. cap.1 quæstio.2.sec.3.Ad tertium, & sequentibus.

*Id tertiam partem D. Thomæ.*
*Ad Quæstionem secundam.*

QVid sit suppositum late exponitur, lib. 5.cap.8.q.5.sec.3.pag.399
Non idē esse suppositum & primam substantiam nisi in creaturis, ibid.sec. 12
Quod sit illud quod suppositum addit supra naturam, ibid.q.6.per totam.p.417.& seq.
Subsistentia an sit de ratione constitutiua suppositorum, lib.v.cap.8.q.v. sect.4. Atque hæc.pag.403
Naturam communem non habere rationem speciei secundum quod est in vno indiuiduo, quo sensu D. Tho. asserat, exponitur lib.v.ca.28.q.4.sec.v. Alterum quod.pag. 656
An Christus dominus dici debeat persona composita, lib.v. cap.8.q.7.sec.3. Quarto quia, pag.139
In Christo non esse commune speciem accipere, vt dicit Damascenus explicatur, lib.v.c.9.q.7.sec.v.in fine.p.447

*Ad quæstionem tertiam.*

VTrum hic Deus sit suppositum incomplete, lib.5.ca.8.q.v.sec. 3. Non est tamen.pag.402
Sitne Christus dominus prima substantia Prædicamentalis, lib.v.ca.8. q. 7. Per totam.pag.430
Opinio Scoti dicentis, hanc propositionem, Christus est homo, esse contingentem, refellitur, lib.v.c 8.q.7.sec. 2. Verum hæc sententia, pag.432
Nominalium quorumdam de eadem re opinio refutatur, ibid.sec. 3. Hæc tamen opinio.pag.438
Illud D. Athanasij Sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, &c. exponitur, lib.v. ca.8.q.7.sec.4. Ad quartum.p.443
*Pater maior me est*, explicatur. ibid. Sed neque illud.
Nomen Christi, aut nomen Iesu quid significent, & pro quo sumantur, lib.v.cap.8.q. 7.sec.5.in initio.p 446
Quid dicendū sit in propositionibus, in quibus homo Prædicatur de Deo pure accepto, ibid.sect.6. Per totam.p.447.448
Quicquid aduenit hypostasi post esse completum, aduenire accidentaliter, quo modo sit accipiendum, lib.v.c.8.q.7.sectio.6. quod si quis.pag.448
Vtrum homo respectu verbi diuini sit vniuersale, ibid. sect. 6.& q. 6. eiusdem libri sec.5. Ad hoc argumentum.pag. 426
Si plures Personæ diuinæ eandem numero naturam humanam assumerent, an essent vnus homo. lib. v. c.8.q.7.sec.4. Ad tertium.p.442

*Ad quæstionem quartam.*

DEus hominē assumpsit, cur locutio sit, non vsurpanda lib.v.c.8.q.7.sect. 4. Ad vltimum, pag.444

*Ad quæstionem 16.*

DAri idionatum communicationē propter incarnationis mysterium, l. 5.c. 8.q.7.sec.3. Quarto, quia.p.439.& 440

*Ad quæstionem 32.*

NVm filius diuersis relationibus, vtrumque parentem respiciat, li.v.ca.1.v.q. v.sec.2. Quærat aliquis.p. 550

*Ad quæstionem 35.*

RElationem dominij in Deo esse rationis, l.v.c.1 .q.1.s. .Ad finem.p.129

*Ad quæstionem 50.*

HÆc propositio Christus est homo, in triduo mortis an fuerit vera, lib v. c.v.q.1.sec.vltima in fine.p.237.& c.8.q. 7.sec.2.Ad primum.p 433

*Ad quæstionem 75.*

QVot modis sumi possit transubstantiatio, quæ fit in Eucharistiæ sacramēto, li.5.c.15.q 7.sec.v. Nec vero.p.569
Quis sit eius terminus, ibidem.
Vtrum idem corpus diuina virtute simul esse possit in pluribus locis, lib v.c.4.q 4. sec.4.& v.p.232.& rursus.c.15.q 9.sect.2. Deinde p 584

*Ad quæstionem 77.*

ACcidentia posse diuina virtute conseruari extra omnem substantiā, & quātitatem, li v.c.13.q.1.sec.4. verum ad primum p.491
Accidentia sacrosanctæ Eucharistiæ cuius substantiæ virtute sint generatiua substantiæ, lib.5 cap.2.q.6.sectio.4. Tertium. pag.79
Eadem accidentia more substantię existere, lib.1.c.1.q.v.sec.4.Ad primum.
Intellectum creatum non posse naturaliter cognoscere absentiam Panis in hostia consecrata, lib.4.ca.2.q.2.sect. 11. Ad secundum.

*FINIS.*

# INDEX RERVM PRAECIPVARVM QVAE IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

*In quo Numerus paginam significat: P, principium: M, medium: F, finem.*

## Abstracta.

ABstracta non dici de concretis tan quam genera & species. pag. 355.f
Abstracta à concretis sola ratione distingui. 666.f
Abstrahere quid sit, & de triplici abstractione. 666.f
Abstractio vniuersalium an sit in pueris & amentibus. 693.m
Abstracta substantiarum quo pacto accepta, sint genera, quo verò modo non sint. pag. 723.
Abstracta substantiarum significantur per modum partis respectu suppositorum ac omnium concretorum, non autem respectu minus abstractorum. 724
Abstracta differentiarum cur non sint differentiæ, vt abstracta generum sunt genera. ibid.m

## Accidens.

Accidentia non conseruant esse à priori, sed à posteriori. 62.p
Accidentia an attingant productionem substantiæ fuse disputatur. 74.75
Accidentia propria virute attingere productionem substantiæ, sententia quorumdam fuit, quæ refellitur. 74 75.76.
Accidens non potest esse ignobilius in ratione entis substantia, & nobilius in ratione productiui. 75.m
Accidentia nec virtute propria, nec formarum substantialium attingere productionem substantiæ, sententia quorumdam fuit, quæ refellitur. 76.77
Accidentia non virtute propria, sed virtute formarum substantialium producere substantiam. ibidem
Explicantur nonnulla loca Arist. quibus probari videtur, accidentia virtute propria attingere productionem substantiæ. 79.m
Quo pacto verum sit, accidentia virtute substantiæ producere substantiam. ibidem
Accidens quomodo sit principale productiuum accidentalis formæ, & quomodo pendeat à substantia in agendo 83.84.85
Essentialis subordinatio accidentis ad substantiam in agendo, aliquando est propria, aliquando impropria 84
Accidens singulare dicit ordinem ad eam numero substantiam, à qua est naturaliter producibile. 85
Ponentes accidentia absoluta pro causalitatibus ipsarum causarum, multiplicant entia sine vlla necessitate. 148.m
Accidentia diuersa successiua non possunt esse per se continuata, sed per accidens, si sint diuersa specie. 222.f
Accidentia permanentia, si sint diuersa specie, per accidens possunt esse continuata: non autem si solo numero. 223.p
Accidentia non possunt esse principium indiuiduationis. 275.276
Accidens absolutum non potest esse genus vniuocum commune omnibus accidentibus. pag. 340.p.m
Accidentia aliqua ponuntur in prædicamentis, quæ non prædicantur de primis substantiis. pag. 344.f.345.p
Accidentia ponuntur in prædicamentis, vt nominibus abstractis significatur. 365.m
Plura accidentia eiusdem speciei, quo pacto sint in eodem subiecto, fuse disputatur. 459.& seq.
Expositiones variæ ad finem capitis decimi huius libri, vbi Aristoteles dixisse videtur, plura accidentia eiusdem speciei, non posse inesse eidem subiecto, quæ tamen omnes reiiciuntur. ibidem
Accidentia posse diuina virtuter poni in subiecto alteri accidenti debito. 464
Accidentia plura eiusdem speciei non possunt dari in eodem subiecto, si sint naturaliter acquisita per motum, aut mutationem motui coniunctam. 465.p
Accidentia quæ intenduntur non possunt esse plura solo numero diuersa in eodē subiecto, cum in qualitatem intensiorem coalescunt. ibidem m
Quænam accidentia eiusdem speciei in eodem

Universidad de Deusto Biblioteca

subiecto, ne diuina quidem potentia simul esse possint.
Repugnat magis duo accidentia numero solum distincta reperiri adæquatè in eodem subiecto, quàm duo corpora esse adæquatè in eodem loco. 469.p
Accidens potest à Deo conseruari, non solùm extra omnem substantiam, sed etiam quantitatem. 491.m
Accidentia corruptibilia mensurari tempore. pag. 476.p
Accidentia intensionis & remissionis capacia substantiarum spiritualium, quo tempore mensurentur. ibid.m
Porphyrius quo pacto intelligendus sit, cum dixit in Isagoge, accidentia omnia reddi ad quæstionem Quale est. 486.m
Accidens vt possit esse idem re cum substantia. pag. 524.m
Accidens quo pacto debeat denominare subiectum cui inest. 578
Accidentia quæ constituunt quintũ genus prædicabilium, quo pacto abstrahi possunt. 668
Accidentia quomodo possint esse genera & species. 755.f
Accidens quot modis accipi soleat. 759
Accidentis definitio ex Platone elicita. 763
Accidentis definitionibus, quidnam explicari potest. ibidem
Accidentia inseparabilia, quo pacto ad quartum vniuersale pertineant. 765.p
Accidentium realium subiectum duplex. 768.p
Accidentis significationes, quænam sint. 775. & 776

## Actiones.

Actio est generalis caussandi ratio caussæ efficientis, & quid actionis nomine intelligendum sit. 70.p
Actiones tam transeuntes quàm immanentes sunt verè effecta. ibidem
Actiones corruptiuæ, quibus res generantur indicant accidentia esse instrumenta formarum substantialium. 78.m
Non datur duplex actio in generatione rei: altera quæ sit motus, altera verò quæ sit mutatio. ibidem
Actio, qua se aqua ad frigus reducit, tribuenda est generanti. 81.m
Confutatur sententia eorum, qui volunt eas tantum actiones quibus aliquid fit, dici media ad finem, & non res quæ per actionem fiunt. 120.m
An actiones quibus aliquid intenditur & eligitur, sint dicenda propriè media, & quomodo. ibidem
Actio supernaturalis quando possit dici miraculosa, & quando non. 89.f
Dari actiones quæ vt productiuæ sunt, accidentia sint absoluta, & tamen nõ supponant subiectum, implicat contradictionem. 146.m
Actio & passio non sunt distincta entia. 345.m
Actionis vniformiter difformis ratio in quo posita sit. 530.p
Actio vniformiter difformis datur, etiam si in media sphæra actiuitatis agentium non sint actu indiuisibilia. ibid.m
Actiones diuinæ cur non sint formæ ac perfectiones Dei. 544.m
Actiones rerum creatarum, quo pacto formæ & perfectiones sint ipsorum agentium, non sic autem actiones sint perfectiones ipsius Dei. ibidem.
Actionem trasseuntem esse in agente, qui Actores senserint, & quibus argumentis probetur. 573.&574
Actionem transeuntem non esse in agente probatur. 576.p
D. Thom. non sentit actionem esse in agente: nonnullaque eius loca hac in re explicantur. 577.579
Agentia creata perficiuntur non solum formis internis, sed etiam externis. 577.m
Actio & passio non sunt formæ oppositæ. ibidem.f
Actionem esse nobiliorem potentia, in quibus sit intelligendum. 578.f
Actionem creandi esse in Deo non in creaturis, quo pacto sit accipiendum. 579.p
Actum esse priorem potentia, vt dixit Arist. l. 5. Metaph. quomodo intelligendum sit. 196.p
Adiectiua omnia multiplicantur multiplicato supposito. 443.p
Æqualia & inæqualia non sunt ea propriè, quæ sunt quanta quantitate molis, sed quæ propriè dicta quantitate extensa sunt. 482.m
Æqualitas & inæqualitas, quæ quantitati, vt attributum conueniunt, comprehendunt etiam æqualitatem, & inæqualitatem mente conceptas. 483.m
Æqualitas inter diuinas personas non est relatio realis. 516.m
Æstimatiua potentia quid sit, & eius officium, & in quo differant æstimatiua Bruti, & Hominis. 670.f
Ætatis ratio quibus conueniat. 573.m

## Æternitas Aeuiterna & Aeuum.

Æternitas non pertinet ad prædicamentum quantitatis. 478.p
Æternitatis & æui nomine quid significare soleamus. 597.f
Auiterna qua ratione admittant successionem præteriti & futuri. 468.p.& m
Aeui



Æuiterna quoad operationes suas non vniuersæ mensurantur æuo, quidque de singulis operationibus dicendum sit. ibid.& 469
Æuum non est duratio successiua rei permanentis. 466.m.467.p
Æuum non pertinet ad prædicamentum quantitatis. 478

## Agens & agere.

Agentia naturalia an possint agere in nudam materiam. 69.p
Agere aliquid, & agere in aliquid, similésque dicendi formulæ, non arguunt diuersam caussandi rationem in agente. 72.f
Agere ex nihilo & agere ex aliquo, vt materiali caussa, sunt omnino diuersa. 73.p
Agentia omnia proxima esse simul cum patientibus negauit Scotus, sed refellitur. 77
Qua de caussa decepti sunt recentiores, qui dixerunt probabile esse, res creatas verè non agere. 90.m
Magis elucet diuina potentia, quod rebus creatis tribuerit vim agendi, quàm si non tribuisset. 92.p
Explicantur nonnulla sacræ Scripturæ loca, quæ videntur indicare, res alias à Deo non verè agere. ibid.m
An res corporeæ vim habeant agendi. ibid.f
Exponitur locus D. Augustini, quo probari potest res solas corporeas agere. 92.f
An creatura possit creare. 93.m
Agens aliquando indiget maiore ac perfectiore virtute, non solum ob resistentiam patientis, sed aliis etiam de caussis. 96.m
Exponitur pronunciatum illud Aristot. Agentia essentialiter subordinata non nisi mora agere. 108.p
Agens principale non necessario pendet ab instrumento in operando, non tamen è contrario. ibid.m
Non minus est incommodum caussas secundas independenter agere à prima caussa, quàm independenter esse. ibid.f
Nullum agens creatum, est determinatũ ad certum numero effectum, sed à Deo determinatur. 109
Quæ agentia dicantur agere immediatione suppositi. ibid.m
Agere immediatione virtutis potest esse duobus modis. 111.m
Quo genere immediationis virtutis agentia essentialiter subordinata agant cum infimo agente. 112.p
Non omnia, quæ agunt immediatione virtutis, sunt immediatè præsentia suis effectis. ibid.
Agentia libera quo pacto à prima caussa moueantur. 134.f
Agens liberum quo pacto Deo vt fini subordinetur, cum sibi id proponit, quod est impossibile. 144.m
Agens naturale diuersis actionibus agit in diuersas numero materias. 230.f
Agens quatuor modis potest esse caussa per accidens contrariorum effectuum. 529.m
Amor amicitiæ & amor concupiscentiæ, ad quos fines accommodari debeant. 118.m
Analogia quot modis sumi potest. 272
In analogis potest dari perfectio aliqua indifferens, non sic in vniuocis. 376.m
Angeli nequeunt producere sibi simile. 98.f
Angeli licet sint in loco per potentiam agendi, non tamen sequitur vbique esse. 593.m
Animam esse caussam motus vitalis in triplici genere. 208.f
Animæ definitio secundo lib. tradita quo pacto sit intelligenda. 210.f
Eadem anima in diuersis hominibus quo pacto possit simul tristari & lætari, vel non possit. pag. 235.m
De Mundi anima, quam Plato posuit, quid sit sentiendum. 238.m
Apprehensio simplex est duplex, habitualis, & actualis. 669.p

## Aptitudo.

Aptitudo essendi in pluribus, quæ rebus vniuersalibus conuenit, non est potentia aliqua naturalis. 646.f
Aptitudo essendi in pluribus, quæ rebus vniuersalibus conuenit, est negatio repugnantiæ essendi in pluribus secundum probabilem aliquorum opinionem. ibid.& seq.
Actus essendi in pluribus, quæ vniuersalibus conuenit, non est actus inhærentiæ, nec naturæ in supposito, nec actus existentiæ actualis. 645
Actus essendi in pluribus rerum vniuersalium proprius, est actus is, quo totum est in partibus per modum identitatis. ibid.
Actum & potentia esse in eodem genere, quo pacto sit intelligendum. 647.m
Aptitudo essendi in pluribus secundum eos, qui dicunt esse negationem non repugnantiæ essendi in multis, quid neget. ibid.& seq.
Aptitudo essendi in pluribus est modus quidam potentialis, secundum probabiliorem sententiam. 648.m.& seq.
Aptitudo ad agendum non est negatio, sed propensio ad agendum, & quod propensio plus sit quàm non repugnantia. 649.p
Aptitudo essendi, in pluribus an sit duplex. pag. 650.& 651

Universidad de Deusto
Biblioteca



Aptitudinem essendi in pluribus siue proximam siue remotam, nulla natura communis in suis particularibus habet. 650.& sequent.
Aptitudo remota essendi in pluribus, quam aliqui dicunt esse in natura communi facta singulari, vt omnino inutilis magis impugnatur. pag; 652.& seq.
Aptitudo ad essendum in pluribus, in quo differat ab ipso actu essendi. 657.p
Aptitudo essendi in pluribus quam vnitatem supponat. ibid.
Aptitudo essendi in pluribus quo pacto genus dici queat. 715.f
Aqua quomodo se reducat ad frigus,& licet per motum non tamen dici potest passionem fieri à subiecto per veram actionem. 81.p.&
Architas non rectè collegit denarium numerum prædicamentorum. 333.p.& m

## Aristoteles.

Aristoteles naturæ ordinem sequutus est in huius operis tractatione. 4.p
Arist.de quo principij genere locutus est, cum dixit principium esse magni momenti ad cognoscendum quæ dici debent. 7.p
Explicantur textus. 42. & 43. primi libri Physic. vbi Aristo. obscurè valdè loquutus est, nec à quoquam satis explicatus. 22.& seq.
Cur Aristo.ea quæ dixerat de causarum generibus secundo Physi. transtulerit in 2.cap.huius libri. 44
Aristoteles cur non meminerit generis causæ materialis vt sustentantis,& ac generis causæ formalis,vt perficientis. 139
Aristoteles explicatur, cum dixit, ea quæ differunt specie non posse continuari lib.7. Physicorum. 224.m
Explicatur id, quod dictum est ab Aristotele in libro Poster.non posse sciri quid res sit,quàm prius sciatur an sit. 253.f
Explicatur quod dixit Aristot. ex eo quod res est, aut non est, oratio dicitur vera vel falsa. pag. 256
Explicatur quod dixit Aristoteles in secundo libro, de Interpretatione, Socrates mortuus non est homo. ibid.
Aristoteles cur de natura prius quàm de motu disputauerit. 350.p
Aristoteles qua de causa Platonem reprehenderit, qui hominem communem natura sua incorruptibilem fecerit. 341.p
Explicatur Aristotelis pronunciatum. In generibus latere æquiuocationes. 395.f
Aristoteles cum dixit, orationem falsam de nullo vero subiecto dici posse, quo modo sit intelligendus: simúlque declaratur quo sensu verum si quod aliqui dicunt, nullum verum prædicatum dici de falsa oratione.434.p.& m.
Aristoteles quo pacto dixerit esse indiuisibilia in media quantitate. 525.m
Aristoteles cur non doceat,ad situm & habitum esse per se motum. 457.m
Artefactorum nomine formaliter significari formam & subiectum. 353.f
Artefacta non ponuntur per se in prædicamentis,sed ratione partium,& quo pacto. 354.f
Attributa diuina quomodo inter se distinguantur,à diuinis personis. 310.m
In diuinis attributis datur aliquo modo ordo & distinctio & quomodo. 26.m
Auctoris proœmium in quo explicatur cõnexio huius libri cum præcedentibus, eiúsque ordo & vtilitas. 1.2.3
Auicenna sensit creaturam posse creare principaliter 94.p verum refellitur.111.& seq.

S. Basilius sequutus est eandem principiorum diuisionem in Hexemeron, quam Aristoteles hoc libro. 32
S.Basilius definiuit quid sit Hypostasis. 403
Boëtij sententia de substantia & relatione. 373
Beati dicuntur per se perfecti finis consecutione.pag. 512.m
Explicatio eius sententiæ: Bonum est, id quod omnia appetunt. 15.f

## Cælum.

Cælum an habuerit causam efficientem secundum Aristotelem. 125.m
Conseruare partes Physicas cæli, est illas continenter creare. 137.m
Cæli motus respectu intelligentiæ motricis, se habet veluti instrumentum, quod non minus est determinatum ad motum, quàm ad quietem.pag. 214.p
Cælum si secundum se spectetur, non minus est propensum ad motum,quàm ad quietem, neque ad vnam circularis motus rationẽ, quàm ad aliam. 213.m.f
Aristo.sententia de motu cæli explicatur. 212
Aristoteles cur sibi persuaserit, Cælum non esse propensum nisi ad motum circularem,simúlqi referuntur rationes aliorum Peripateticorum. 212.m.213.m
Cæli si non essent propensi ad quietem, violenta esset quies de facto cælo empyreo, & post iudicium cæteris orbibus. 213.m
Cælorum non fore violentam quietem non rectè probatur ex eo, quod omnis creatura ad nutum Deo obediat. 213.f
Cælum esse propensum ad motum circularem, quo quo sensu potest defendi. 214.m
Vnius corporis simplicis vnicum esse motum,vt dixit Arist.quomodo sit intelligendum. ibid.f
Materia cœli cur habeat propensionem ad vnam formã & quod ex hoc non possit colligi conuenire etiam cælo vnum motum. 215.m
Cælum moueri semper ex vna parte eodémque modo vnde proueniat. ibidem
Cælo magis quies,quàm motus cõuenit,& quid significet propriè otiosum esse. ibid.f
Cæli motus quisnam sit finis. 216.m
Cæli post iudicium quibus hominum vsibus inseruient. 216.m
Cæli si alia ratione mouerentur quàm nunc, essent tamen eiusdem simplicis naturæ, qua nunc constant. ibidem
Cæli in quo magis Deo assimilentur. ibidem
Cælo definitio naturæ quomodo conueniat iuxta sententiam asserentium, cælestes orbes esse indifferentes tam ad motum quàm ad quietem. 216.f.217.p
Cæli motus naturalis est ratione principij passiui,non autem actiui. 217.m
Intelligentia cæli motrix, quo pacto sit naturale principium ipsius motus. 217.f
Ignis ab orbe lunæ cur non dicatur volui naturaliter. ibidem
Caietanus cur se correxit prima secundæ in assignanda ratione causalitatis finis. 123.m
Calor extra subiectum productus calefaceret, & cuinam formæ substantiali esset subordinatus. 85.m
Color in materia densa & rara quomodo se habeat. 162.m
Calor æstiuus quare frigus intendat puteorum, pag. 179.f
Calor & frigus cur ab Arist.in lib. Prædicament. enumerata sint inter primas species qualitatis. 495.m
Caput D.Dionysij abscissum potuit viuere, quẽadmodum & corpus. 231.m

## Causa.

Causæ omnes quæ naturali effectione efficiẽtes sunt,principia dici possunt,& quomodo. 6.f
Vterque parens vim habet effectiuam in prole. ibidem
Causa prima, vt dicatur prima, tres effectus ad minimum habere debet. 8.f
Causæ finales,efficientes & exemplares nõ comprehenduntur in definitione Principij ex primo libro Physic.sumpta. 15.f
Causa & principium, quo pacto inter se differant. 41.m
Causam & principium non reciprocari in creaturis. 42.p
Causæ nomen sæpe vsurpatur ab Aristotele populariter. ibid.
Causa formalis quid sit. 45.p
Cur Arist.describendo causam formalẽ, meminerit exemplaris,simúlque reiicitur expositio quædam nonnullorum Interpretum. ibid.m
Cur exemplar apud veteres interdum appelletur ars. ibidem
Causa efficiẽs quid sit, & cur in eius definitione positum sit nomen mutationis & quietis. 46.p
Quot genera efficientium ponat Aristotel. ibidem.f
Causa finalis quid sit, & quomodo sit finis & principium. ibidem
Cur Aristo. vbi tradidit quattuor genera causarum in hunc modum subiungat, *Causæ igitur tot ferè modis*, variæ Doctorum sententiæ. 47.p
Multæ sunt interdum eiusdem rei causæ non solum per accidens sed etiam per se. ibidem
Causæ sibi inuicem causæ esse possunt. ibid.m
Idem contrariorum potest esse causa. 48.p
Ad quattuor causarum genera referuntur omnia:cur modos apertissimos appellarit Aristoteles prædicta genera. ibidem
Quæ causarum genera in particulari reducantur ad quattuor præcipua causarum genera. pag. 49
De modis causarum accidentariis, earúmque diuisionibus. 49.50
Quomodo sit intelligendum diuisio causarum quoad modos,in priorem & posteriorem. 50
Quid sit causa per accidens apud Aristot. déque illius generibus. ibidem
Cur Aristoteles dixerit hominem esse causam per accidens respectu statuæ. 50
An sit verum quod dicit Aristoteles 2.capite huius libri.semper genera causarum,esse causas per accidens. ibidem
Duo loca ex Physicis antea corrupta in pristinam verborum formam restituuntur. 51
Omnes causarum modi ad duodecim capita reuocantur. 52.m
Qua ratione tractetur de causis hoc libro. 52.
Conseruare non solùm tribuitur causæ efficienti,sed etiam formali,materiali,ac finali, idque tum in rebus naturalibus, tum etiam in moralibus. 63.m
Cur causalitas materiæ & formæ non sint positæ in eo quod materia causet esse formæ actuale,& forma materiç, cùm tamen esse actuale præcedat saltem natura causalitatem suæ causæ. 64.m
Quotuplex sit causa efficiens. 69.f
Quid sit causa efficiens moralis. ibid.f
Declaratio definitionis causæ efficientis tradita hoc libro. 70.p
Omnia efficientia ad vnum principale reuocantur

Universidad de Deusto
Biblioteca



tur. ibid.
An sit vna communis omnium efficientium causandi ratio. 71.m
Esse subordinatum substantiæ in agendo non est solius accidentis, nec arguit esse causam instrumentariam. 82.p
Quod sit discrimen inter causam principalem & instrumentalem, cum vtraque possit recipere virtutem ab aliqua causa superiori. 83.m
Explicatur quod dixit D. Tho. causas vniuocas non esse quodammodo causas, sed instrumenta causarum superiorum. 99.m
Quomodo causa instrumentalis dicatur instrumentaliter agere, vtque agentia creata dicantur instrumenta primæ causæ. 107
Causa finalis etiam non existens causat. 125.p
Causam non causare actu, nisi cum actu est, quomodo intelligendum. ibidem
Causæ efficientes an sint essentialiter subordinatæ Deo. 131.132
Causæ materiales, formales, & finales an sint Deo essentialiter subordinatæ. ibidem
Causas solum efficientes, & finales, Deo essentialiter subordinari in agendo, an sit verum. 132.f
Causæ omnes creatæ, sunt Deo essentialiter subordinatæ. ibidem & seq.
Nihil dat esse quomodocunque sine concursu eius causæ, cui primo conuenit dare esse. 133.p
Causalitas materiæ atque formæ, non obstat, quominus Deus concurrat cum omnibus causis, si rectè intelligatur. ibid.m
Causam primam adiuuare secundam causam super operationem suam, vt habetur libro de Causis, quo pacto possit intelligi. 135.m
In omnibus causis etiam materialibus, & formalibus reperiuntur effecta, quæ Deus supplere potest sine vlla imperfectione. ibid.f
Causalitas vnius generis non potest suppleri à causalitate, alterius generis, nec ab ipso Deo. pag. 136.m
In omnibus causarum generibus datur potentia & actus. 138.p.m
Causæ omnes superiores non pendent ab inferioribus in causando, etiam si sint eseniialiter subordinatæ. 143.p
In generattone non datur causalitas quæ sit accidens absolutum ac distinctum. 146.p
Ratio efficiendi causæ efficientis etiamsi esset accidens absolutum, non tamen ita de cæteris causalitatibus censendum esset. 147.f
Causalitates materiæ & formæ non sunt accidentia absoluta, nec esse possunt. ibidem & 148.p
Concursus causæ finalis, eo modo debet existere, quo ipse finis existit cum actu causat. 151.p
Relatio causæ ad effectum in quo fundetur. ibidem.m
Posse dari plures causas eiusdem effectus, quomodo possit intelligi, & in quo sensu disputari soleat. 152.p
Ex multis causis indeterminatis simúlque aggregatis non potest confici causa certa & determinata singularis effectus. 155.f
Quę sit vera causa, cur hic numero effectus producatur. 156
Causa, cur non possit indifferenter produci idem numero effectus à pluribus agentibus eiusdem ordinis, est determinatum esse ipsius effectus numero. 156.f.157.p
Causa secunda qua ratione possit producere effectum alterius causæ diuina potentia. 118.p
In quibus causis non detur infinitio. 159.m
In generatione muris à sole, an & quomodo concurrat alia causia particularis. 160.m
Eiusdem effectus, an possint esse plures causæ coniunctim fusè disputatur. 163.& seq.
Causę quomodo sibi sint inuicem causæ, & quomodo non sint, copiosè tractatur. 170. vsque ad 135
Explicatur quid sibi velit illud axioma, Quicquid est prius priore, est prius posteriore: & illud Quicquid est causa causæ, est causa causati. pag. 165.f
Causæ, quæ ex se mutuo dependent, vna potest demonstrari per alteram, nec datur circulus demonstrationis. 176.p
Causæ & effectus variis modis considerantur. Aristoteléśq; hac in re explicatur. 180.181.182
Aristoteles cur in fine cap. 2. huius libr. non meminerit de modis quibus, causæ sunt priores aut posteriores, vel simul natura. 183.f
Causam formalem non esse separatam ab effectu formali, quo pacto intelligendum sit. 577.f

## Christus.

Christi humanitas non potest creare instrumentaliter. 102.f
Christi humanitas perfecta est, & vniuocè conuenit cum cæteris. 426.p.& m
Christi nomen, & nomen Iesus quid significent, & qua ratione inter se distinguantur. 446
Christum non esse creaturam, sed creatorem. pag. 415.p
Christum poni in specie hominis, quia nihil diuinitatis formaliter includat, repugnat Theologiæ, Philosophiæ: ac sanctorum Patrum decretis. 438.& seq.
Hæc propositio, Christus non est homo, in triduo mortis fuit vera. 436.f.437.p
Connexio contingens naturæ humanæ cum diuina non tollit necessitatem huius prædicationis, Christus est homo. 432.f
Christus, vt hic homo, an ponatur sub specie hominis. 430.& seq.





Christus, quatenus hic homo si esset connotatiuum quippiam Verbi diuini, tolleretur idiomatum communicatio. 440.p
Item persona Christi non esset composita ex natura humana & diuina in vnitatem suppositi ibidem. 111.f
Christus, vt hic homo, vere ponitur in prædicamento substantiæ. 446.447
Christus est homo, quo pacto sit propositio ęternæ veritatis. 432.p
Christum non fuisse hominem in triduo mortis, quo pacto intelligendum sit. 433.m
Christus est homo, qua ratione possit conuerti in aliam propositionem, homo est Christus. pag. ibid.m.& f
Christus dominus in Eucharistia, quam habeat extensionem. 492.p
Christus quomodo existat in sacramento Eucharistiæ. 500.p
Christus dominus quo modo post suam resurrectionem in varia loca se contulerit. 560.m
Christus dominus qua ratione in Eucharistia se transtulerit in os quorumdam Sanctorum, atque Sanctarum. ibid.
Colores posse in eadem superficie continuari. pag. 227.f
Coloris definitio tradita ab Arist. lib. de Sensu & sensibili quo pacto intelligenda sit. 495.m
Communia an priora sint propriis. 40
Compositum substantiale, vt subiacet formis accidentalibus, dicendum est materia secunda: & qua ratione. 60.f
Quomodo sit dicendum, compositum substantiale posse esse subiectum formæ substantialis. pag. ibid.
Totum substantiale compositum nõ potest subijci perfectori formæ. ibidem.
Omnis compositio terminatur ad aliquid vnum. pag. 441.m
Similitudo animæ & corporis in compositione hominis, quo pacto à Patribus vsurpetur ad mysterium Incarnationis declarãdum 443.m
Conceptum formalem dari, qui vniuocè dicatur de multis differentibus specie, & tamen ei non respondeat natura aliqua vniuoca in rebus, omnino implicat. 395.396
Concreta quomodo distinguantur ab abstractis, pag. 309.f
Concreta accidentium nomina, præcipuè significare formam accidentariam, non autem subiectum contra Auicennam. 352
Concreta accidentium per se ponuntur in Prædicamentis. 354.m
Concreta ab abstractis quomodo distinguantur. 414.m

## Concursus Diuinus.

Concursus Dei cum creaturis in agendo quibus ex rebus colligitur. 106.& 107
Concursus diuinus non est necessarius, vt secunda agentia sint in actu primo completa, 113.p
Concursus diuinus non est necessarius vt moueat creata agentia ad agendum. 114.p
Vnde desumitur ratio potissima necessitatis diuini concursus. 114.m
Ægidij sententia ac D. Thomæ de necessitate diuini concursus cum creaturis in agendo, explicatur, & defenditur contra Durandum. pag. 114.& seq.
Concursus Dei cum creatura quo pacto cum sit ipse Deus, non sit æternus, nec infinitus. 150.f
Asserere, diuinum concursum cum agentibus naturalibus esse indifferentem ad omnia effecta, etiam secundum numerum, periculosum est. 155.m

Vide etiam in dictione Deus.

## Connexiones rerum.

Connexiones rerum an sint simpliciter necessariæ. 245.& seq.
Connexiones rerum omnes, quæ pertinent ad primum & secundum modum dicendi per se, sunt simpliciter necessariæ. 247.& seq.
Connexiones rerum si essent necessariæ simpliciter in sensu conditionali, vel in sensu modali composito, euerteretur omnis rerum cognitio absoluta. 248.p
Ex D. Augustino confirmatur dari aliquas rerum connexiones simpliciter necessarias. ib.m
Connexiones rerum quo pacto sint simpliciter necessariæ. 249.f.& seq.
Connexiones rerum, nihil aliud sunt, quàm negationes quædam diuersitatis subiectorum à prædicatis. 250.p
Connexionum rerum, duo sunt genera, & quid nam simpliciter sit necessarium. ibid.
Ex necessitate ac existentia cõnexionis rerum ab æterno colligitur, res virtute contineri in aliqua causa efficiente contra Caiet. 251.& seq.
Connexiones rerum non habent causam propriam: plurimæ impropriè habere possunt: non sunt creatæ nec increatæ: nec rerum proprietates. 258.& seq.
Connotatiuum cum abstrahitur nõ semper opus est vt connotata eodem modo abstrahantur. 717.f
Consequentia à negatiua finita, ad affirmatiuam infinitam quo pacto valeat. 658.m

## Contraria.

Contrariarum quædam sunt positiuè opposita, quædam primitiuè. 59. Item quædam per se

se sunt contraria, quædam per accidens ibid.
Non sunt eadem regulariter primo contraria, & prima contraria. 18.m
Quodnam contrariorum fiat per se ex suo contrario. ibidem. f
An rectè dictum sit ab Arist. in 1. Phys. nempe prima contraria non fieri ex aliis, nec ex sese. 19
Contrarij nomẽ quomodo accipiendum sit, cum quæritur, an idem possit esse caussa contrariorum. 179. f
Contrariorum in eodem subiecto duo sunt genera. 390. f
Contrariorum quot sint species. 457 m
Conuenientia inter proprium & accidẽs. 494. m

## Corpus.

Corpora cælestia reijciuntur à definitione principij tradita in 1. lib. Physicorum. 14. m
Explicatur Aristot. cũ dixit, duo corpora nõ posse contineri in eodem loco, quia alia infinita capere posset. 239. p
Infinita corpora esse simul in eodem loco nõ repugnat ex parte loci neque ex parte corporum diuina virtute. ibid m
Nullum corpus est ad se conuersiuum nisi obiectu alterius. 92. m
Vnde profectus sit error veterum, asserentium corpora omnia ex inani & pleno constare. ib.
Idem corpus numero, siue pro composito substantiali sumatur, siue pro ipsa magnitudine, non repugnat contineri diuina virtute in pluribus locis circumscriptiuè. 233. f
Idem corpus numero in diuersis locis positum non moueretur ad diuersas qualitates contrarias simul. ibid. m
Idem corpus veniens ac iens se impediet in medio itinere ab ingressu. 224. m
Idem corpus in diuersis locis positum non videbit, nec audiet omnia distinctè, quæ fient, vel dicentur iisdem in locis. ibid. f
Corpus, vt dicit trinam dimensionem, quid sit formaliter.
Corpus humanum quomodo sit caussa perfectiorum operationum animæ. 740. m

## Correlatiua.

Correlatiua esse simul natura quomodo intelligendum sit. 535. m
Aristoteles explicatur, cum dixit in Prædicam. Correlatiua tertij generis non esse simul natura, & quo pacto huiusmodi correlatiua sint simul. ibidem
Aristoteles cum dixit in 5. Metaph. & in Prædicam. scientiam, intellectum, & sensum, esse correlatiua tertij generis, quo pacto intelligendus sit. 721. f
Correlatiua seinuicem definire, quomodo intelligendum sit. 547. m
Correlatiuorum transcendentium, alterum esse prius natura altero. 546. f
Correlatiuum quid sit, & quo modo differat à relatiuo. 150. f
Correlatiuum primum & adæquatũ quid sit, eorúmque discrimen fuse disputatur. 727. 728
Correlatiuum idem specie, quomodo ad diuersa specie referatur. 730. m
Corruptibile & incorruptibile cur differre genere dicantur. 390. m

## Creatura.

Non repugnat ad creationem alicuius rei concurrere aliquid præter Deum, modo non concurrat in genere caussæ efficientis. 272. m
Aliquid potest esse creatum, pendere in suo esse ab aliquo. ibid. & 67
An creaturæ aliquid agant. 87
Contra negantes rerum creatarum actiuitatem non rationibus sed verberibus & sensu agendum esse putauit Arist.
Totum, quod fit à creatura, fit etiam à Deo, nec tamen superuacaneus est creaturæ concursus ibidem. f
Multi ex antiquis Philosophis negarunt res alias infra Deum agere, licet aliqui eorum facile exponantur. 87. f. 90
Creaturam non posse creare instrumẽtaliter probatur multis argumentis. 97
Solis luminis exemplo male aliqui probant, creaturam posse aliquo modo creare. 102
Creatura quæ haberet quocunque modo virtutem creandi, posset etiam seipsam creare, ex grauissimis Patribus contra Arrium disputantibus probatur. 97. 98. 99
Si creatura crearet, nulla esset actio ita Dei propria, quin creaturæ communicari posset. 166. m
Cur Philosophi ac Theologi dixerunt, creationem esse productionem qua per se primo producitur ens vt ens est, & quomodo sit intelligenda huiusmodi propositio. 78
Creaturæ immateriales cur non possunt facere alias sibi similes, materiales verò possunt. pag. 101. p
Creatio non est actio distincta à creatura. 145. f
Creaturam ad nutum Deo obedire quo pacto sit intelligendum. 214. p
Durationes rerum creatarum, qua ratione ad prædicamentum Quando pertinere possint. pag. 598

Vide etiam in dictione Agentia.





Dæmonia cur inter substantias sensibiles referantur ab Aristotele. 370. m
D. Damasceni locus explicatur, vbi dixit Quod non est assumptibile, non est curabile. 426. p

## Definitio.

Definitiones quæ plurali numero ponuntur, si vitio carent, possunt etiam tradi numero singulari & quomodo. 17. p
Duo sunt genera definitionũ quæ in plurali numero tradũtur, & quodnam ex illis tradi possit numero singulari. 17. m
Definitio indiuidui ex Porphyrio, quæ impugnatur. 156
Definitiones vulgares lineæ, superficiei, ac magnitudinis non sunt propriæ: & quo modo intelligendæ. 534
Definitio animæ secundo libro tradita, quo pacto sit intelligenda. 210. f
Explicatur id quod dici solet, nec diuina quidem virtute fieri posse, quin definito conueniat propria definitio. 237. m
Definitiones non ponuntur in prædicamentis, & cur dixerit Aristoteles esse petendas à prædicamentis. 368. m
Definitio substantiæ in communi, substantiæ completæ, & substantiæ generis summi, quo pacto sit intelligenda. 379, m
Definitio rei impossibilis & possibilis. 480
Definitio lineæ superficiei & corporis. 483
Definitio non semper traditur per ea, quæ sunt priora. 547. p
Definitio naturæ non rectè impugnatur exemplo cœli empyrei. 573. m
Definitio essentialis cur terminus aliquando dicatur. 604. m
Definitio non est numeranda inter prædicata, & cur in Topicis numeretur inter prædicata dialectica. 709. m
Definitio differentiæ ex Porphyrio. 745. p
Demonstrationes propter quid, quarum rerum, & quomodo generent scientiam. 260. p
Demonstrationes primæ vnum tantum medium habere possunt. 285. f

## Deus.

Quomodo sit intelligendũ, quod dicunt Theologi, Deum supplere non posse vicem naturæ ac formæ in caussando. 60. f
Item quod dici solet, Effecta materiæ ac formæ non posse præstari à Deo sine materia & forma. ibidem
Deum immediatè concurrere ad omnem creaturæ operationem, colligitur ex multis Scripturæ locis, Patrúmque testimoniis. Durandúsque aliter sentiens improbatur. 105. 106
Deum agere cum agentibus creatis mouendo illa ad agendum, opinio quorumdam fuit, quæ refellitur. 109
Ex immediatione virtutis non colligitur Dei præsentia in rebus, sed ex immediata actione suppositi. 112. f
Explicatur locus Dionysij ex 4. c. Diuinorum nominum, vbi dixit Deum vniformiter agere veluti Solem, diuersitatem autem affectorum esse à caussis secundis. 115. f 116. f
Arist. existimauit Deum non agere immediatè immeditatione suppositi, qui explicatur. pag. 117. p
Lactantij dictum, cum negauit Deum esse creaturarum adiutorem in agendo, quomodo possit ab errore defendi. ibidem m
Philonis sententia, dum dixit, Deum nihil mouere, quo modo sit explicanda. ibidem.
Dei est vna potentia actiua in ratione entitatis, sed diuersa in ratione potentiæ, siue quoad modos potentiales. 138
Explicatur locus D. Tho. ex prima parte, vnde probari posset, Deum non posse supplere vicem caussæ secundæ nisi in genere caussæ efficientis. 139
Deus est prima caussa in omnibus caussarum generibus. 140. m
Deum non esse primam caussam nisi in triplici genere caussarum, qua ratione sit intelligendum. ibidem.
Deo inesse omnes caussandi rationes etiam materiæ ac formæ, sublatis tamen imperfectionibus, colligitur ex D. Dionysio lib. de Diuinis nominibus per aliquot capita. 140. 141
Deus immediatè concurrit immediatione virtutis cum omnibus caussis essentialiter subordinatis ad vltimum effectum. 142. p
Deum & naturam nihil frustra agere, quo pacto sit intelligendum. 200
Ideæ diuinæ non præcedunt ratione scientiam Dei practicam. 253. p
Deus si non haberet vim productiuam creaturarum, nec esset earum exemplar. ibidem
Deum poni in prædicamentis, qui Auctores senserint.
Deum non poni per se in prædicamentis, qui Auctores senserint. 378. p
Deum poni per se in prædicamento, repugnat necessitati diuinæ naturæ. 376. m
Deum poni in prædicamento, repugnat ex ipsa prædicamenti substantiæ ratione: probatur etiam argumentis nonnullis. 376. & seq. Item non poni, confirmatur multis Patrum testimoniis. 378. m
D. Thomas retractauit in prima parte, quod dixit in quæstionibus de potẽtia Dei, nempe ipsum

Deum reductitiè poni in Prædicam. 378. m
Explicantur nonnulla Aristotelis loca ex 10. & 12. libro Metaphysicorum, ac ex primo Ethic. ex quibus probari posset, Deum poni in prædic. 380.m
Explicantur loca quædam D. August. Boetij, ac D. Damasce. ex quibus videtur colligi Deum poni in prædicamentis. 381.p
Deum assumpsisse hominem quo pacto sit intelligendum. 444.f.445.p
Deum posse conseruare duas albedines, sublata ab eis mutua relatione, nullo modo potest intelligi. 523.f
D. Thomas exponitur, cùm dixit, Deum dici realiter dominum ex reali subiectione creaturæ ad ipsum, & Christum realiter filium ex reali relatione maternitatis Beatæ Virginis 541.m
Patres quomodo intelligendi, cum dixerunt, Deum ante mundum conditum nullibi fuisse nisi in seipso. 589. m
Deum non definiri loco. 584.m
Deum fuisse & esse in infinitis spatiis extra cælum, probatur multis Patrum testimoniis. pag. 587. & seq.
Deum in nullo esse prædicamento, quo modo intelligendum sit. 595.f
Refertur Mercurij Trismegisti testimonium, ad probandum Deum esse vbi non operatur. 589. m
Deus, intelligentiæ, & accidentia excluduntur à definitione principij in 1. Physicor. tradita. 25. p
Deus in Eucharistia supplet quidem vim sustentatiuam subiecti, sed non actiuitatem certæ numero personæ, à qua accidentia pendent in operando, contra Durandum. 86 m
Deus dare potuit creaturis vim agendi, nec in ipsis est vlla repugnantia. 89.m
Deus quomodo agat immediatè in omnibus rebus. 90.m
Deus si produceret accidentia aliqua extra subiectum, suppleret causalitatem materiæ, contra nonnullorum sententiam. 102.p
Deus si produceret qualitatem aliquam supernaturalem sine subiecto, miraculum esset. 63. f
Deus in agendo non pendet à creatura, vt aliqui volunt. 108. m
Deus & creatura respectu operationis non sunt duæ causæ partiales, sed totales. ibidem
Deus si tantum mouendo ageret, nec immediatè concurreret, nec cum omnibus diceretur agere. 110.p
Deus concurrit cum creatura eadem numero actione, nec huic concursui repugnat quod creaturæ actio sit totalis. ibid.f
Deus quomodo dicatur agere plurima mediantibus secundis causis. 112.f
Deus non trahitur à fine, quo pacto intelligendum. 124.p
Deus per quid formam sustineat, & materiam contineat, cum supplet materiæ ac formæ causalitatem. 135.m
Deus quicquid supplet, potest supplere in alio genere præter genus causæ efficientis. 237. & seq.
Deus quæ non possit. 138.f
Deus quo pacto nomine causæ materialis appellandus sit. itémque nomine causæ formalis. pag. 143.f.144 p
Deus quomodo concurrat ad actionem peccatis in genere causæ finalis. 144.f
Deus nõ est causa sui, vt vltimus finis, sed actionis externæ. 175. m
Deus non reducitur ad prædic. substantiæ. 368
Deus ponitur in prædicamentis participatiuè. pag. 369.m
Omnia præter Deum reuocantur ad aliqua prædicamenta, quæ per se non ponuntur in prædicamentis. ibidem
Deus si in prædicamentis poneretur, necessariò esset in eo danda compositio, contra Nominales. 372.p.m
Item repugnat diuinæ perfectioni multis ex capitibus. 374. & seq.
Deus non est concretũ specificum, nec hic Deus suppositum incompletè, contra Caiet. 402.p
Deus potest venire in compositionem vnius per se subsistentis ac personæ. 442.m
Deus potest vti vno subiecto vt duobus ad conseruandum duas albedines distincta inter se solo numero, & quo pacto. 470
Deus cur futura contingentia cognoscat, non autem Angelus. 469.m
Deus quo pacto supplere possit per se ipsum effectum. 427.m
Deus vt possit dici esse in loco infinito. 585.m
Deus dicitur simpliciter perfectus virtute. 602.p

## Differentia, & Discrimen.

Differentiæ indiuiduantes quo pacto sint simplices entitates. 246.m
Differentiæ indiuiduantes sunt primo diuersæ. ibidem.
Caietanus aliquando concessit, aliquando vero negauit differentias indiuiduantes, ciúsque in hac re sententia explicatur. ibid.& 248
Explicatur locus Arist. ex secundo Physico. quo nituntur aliqui euertere differentias indiuiduantes. 296.m
Differentia indiuiduans, quæ facit esse hunc hominé, facit hoc animal, hoc viuens, &c. 297.m
In composito naturali dantur tres tantummodo differentiæ indiuiduales. ibidem
Partes eius rei, cuius substantia per diuisionem non corrumpitur, non accipiunt nouas differentias indiuiduãtes per diuisionem, nec vllas amittunt per coniunctionem. 298.p
Philosophi in quonam controuersi erant, cum quærebant, an compositum indiuiduaretur per materiam, an per formam. ibid.f
Explicantur nonnulla Arist. loca, in quibus omnino negasse videntur differentias indiuiduantes, & simul reiiciuntur expositiones quædam Scoti. 300.& seq.
Differentiæ substantiarum non ponuntur per se in prædicamento qualitatis ex Aristotelis sententia. 382.f.383.p
Differentiæ non ponuntur directè in prædicamento substantiæ. 382
Differentias substantiæ esse medias inter substantias & qualitates, quo pacto sit verum. 383
Differentiæ substantiarum reductitiè ponuntur in prædicamento substantiæ. ibid.
Explicantur aliqua loca Arist. ex quibus probari posse videretur, differentias substantiæ pertinere ad prædicamentum qualitatis. 384.p
Differentia sexus vnde proueniat. 391.p
Differentia indiuiduans primæ substantiæ duobus modis considerari potest, & qua ratione in rebus creatis det incommunicabilitatem. 416
Differentium quot sint genera. 455.456
Differentia indiuiduans diuersa ratione constituit hanc humanitatem, & hunc hominem. 721.p
Differentiæ indiuiduæ cui non conueniant vniuocè. 740.m
Differentiam hominis esse simplicem. 748
Differentias essentiales non semper aptè reddi ad quæstionem Quale est. 486.f
Differentiæ indiuiduæ cum sint primo diuersæ, quomodo sint æquè perfectæ. 742
Differentiæ definitio ex Porphyrio.
Differentias simplices recurrentes cum infimis speciebus dari, probatur multis rationibus. pag. 746.& seq.
Differentias non esse genera aut species, quibus argumentis probetur. 752.& seq.
Differre realiter quid sit. 305.306
Num quicquid differt realiter ab aliquo, possit ab eo remanente separari. 532.m
Discrimen inter differentias specificas & indiuiduas ex Caietano. 299.p
Discrimen inter differentias entitatiuas & suppositum. 415.p
Discrimen inter terminos qualitatis, & corporis. 532.f
Discrimen inter terminum motus, & terminum corporis. 533.p
Discrimen inter formas absolutas, & respectiuas. pag. 537.p
Dispositio quid propriè significet, & quotuplex sit. 606.f.& 607



## Distinctio.

In quantitate continua datur ordo & distinctio realis. 27.f
Multiplex potest assignari distinctio, quam ordo supponit. ibid.
Qualis distinctio, talis ordo, & non vbicumque detur distinctio, datur & ordo. 27.f
Distinctio numeralis an ad materiam, an verò ad formam referenda sit quoad denominationem, & cur materia dicta sit differentia indiuiduans. 300
Diuisio in distinctionem realem, ex natura rei, & rationis præ cæteris probatur. 304.p
Distinctio realis quid sit, & vnde proueniat, pag. 304.m
Distinctionis, quæ ex alietate suppositi prouenit, tres quasi gradus constituuntur. 306.m
Distinctio ex natura rei quid sit: & quot sint eius genera. 306.f
Distinctionis formalis duo sunt genera, & quæ. pag. 307.p
Distinctio modalis & formalis quid sit, & quæ hoc modo distinguantur. 307.f
Distinctio potentialis quid sit. 309
Distinctio rationis quid sit, & quotuplex. 309. & seq.
Distinctionum rationis genera quibus nominibus congruè appellare possimus. 310.m
Diuisio distinctionis in realem & rationis, quomodo accipi & intelligi debeat. 311.& seq.
Veteres Philosophi, qui duo tantum genera distinctionum posuerunt, realis & rationis, quo pacto sint intelligendi. 313
Distinctio rationis quàm latè sumatur interdum apud Aristotelem. 314.p
Distinctio non entium ab entibus ad quod genus sit reuocanda. ibid.
Distincta formaliter, habent distinctas existentias. 514.m
Diuersa specie quænam sint. 458.p
Ex quacumque diuisione nascitur aliquo modo multitudo. 315.p
Diuersorum quot sint genera. 454.f
Durationes supernaturales quæ sint, quídque de illis sentiendum sit. 577.m

## Effectus & efficiens.

EFfectus idem non potest habere plures causas totales ac eiusdem generis. 40
Effecta tot modis, quot causæ diuiduntur. 51
Effectus quo magis est vniuersalis, eo causam requirit vniuersaliorem. 103.m
Idem effectus quomodo sit totus à prima, & totus

tus à secunda caussa. 114.m
Explicatur locus, ex Arist. ex 2. Physi. cum dixit, effectus particulares esse reducendos ad caussas particulares effectus vniuersales ad caussas vniuersales. 117.p
Vnum effectum posse habere plures caussas eiusdem ordinis totales duobus modis potest intelligi. 152.m
Effectus vnius agentis, an possit diuisim produci ab alio agente totali eiusdem ordinis. ibid. & 153.p
Idem numero effectus non potest produci diuisim à pluribus agentibus totalibus eiusdem ordinis. 154
Idem effectus potest corrumpi indifferenter à pluribus, non autem generari. 159.f
Effectus idem specie quando producitur à caussis diuersis specie. 160.m
Eumdem effectum numero non posse prouenire ab hoc vel illo agente numero, de quibus sit intelligendum. 161.p
Efficiens si per aliquod accidens efficeret tamquam per suam caussalitatem, Deo aduenire aliquod accidens absolutum: de quo malè audit Caietanus. 149.m
Efficiens naturale, quo pacto nõ potest esse caussa contrariorum. 178.m
Efficiens liberum potest esse caussa contrariorum secundum idem efficiendi principium, & supposito eodem fine proximo. 178
Efficientis caussalitas, non est accidens absolutum. 145.m
Eiusdem & diuersi varia genera. 452
Eiusdem per se quot modi accipiantur. 454

## Elementa.

Elementa non comprehenduntur in definitione primi libri Physic. 14.m
Elementa non manent actu in mixto. 53.p
Elementum quid sit, & quæ reiiciantur ab eius definitione. 183.f
Aristoteles cur corpora cœlestia elementa vocauerit. Item cur aqua, terra, &c. elementa dicantur. 184
Priuatio cur apud Aristotelem elementum appelletur. ibid.
Aristoteles cur in definitione elementi addiderit, [ac indiuisibili specie in aliam speciem.] ibid. f
Litteræ sunt elementa vocum, quæ articulatæ dicuntur, & quo pacto illis conueniat definitio elementi. ibid.
Aristot. cur locos communes, ex quibus argumenta petuntur, elementa vocauerit. 185.f
Tractare de elementis qua de caussa non sit alienum à Metaphysico. ibid.
Aristot tacitè definiuit prope finem cap. 3. huius libri, elementa esse summa quædam genera magis, quàm differentias. 186.d
An vulgata elementa comprehendantur in definitione elementi tradita. cap. 3. huius libri, & quomodo. ibid. & seq.
Elementi quo pacto dari possit elementum. 188.m
Elementum debere esse indiuisibile secundum speciem, qua ratione sit intelligendum ibid.f
Particula (ex quo) in definitione elementi quo pacto debeat intelligi, vt etiam comprehendantur formæ substantiales. 190.f
Nomen aliquando imponitur ei rei prius, cui minus conuenit. ibid.
Veteres Philosophi cur elementi nomen pro quatuor vulgatis acceperint. ibid.f
Elementorum primaria propensio ad quid tendat, ad quid item secundaria. 211.f. & 212.p
Enuntiationes verbis adiectiuis constantes, vt se habent ad prædicamenta. 318.f

## Ens, Esse, & Essentia.

Explicatur locus Aristot. ex 4. lib. Metaphy. vbi habetur, ens & vnum mutuo se sequi, vt principium & caussam. 42.p.m
Omnia entia naturalia dicerentur genita, quæ in prima creatione fuerunt facta, si eorum formæ eductæ fuissent de potẽtia materiæ. 65.p
Entis creatio quomodo accipienda sit, vt ens est. 98.m
Ens mobile in communi, siue vt est adæquatum subiectum Philosophiæ naturalis qua ratione dicendum sit aptum ad motum. 218.p
Aristoteles qua ratione crediderit complura entia creata, esse simpliciter necessaria. 144.m
Entia realia non possunt perfectè considerari nisi per ordinem ad Deum vt ad primam eorum caussarum efficientem. 252.f
Quærere num entia sempiterna habuerint caussam, est diuersum ab eo num entia simpliciter necessaria habeant caussam. 257.f
Ens quot modis diuidatur. 316.p
Aristoteles quo pacto accipiat ens per se capite septimo huius libri, dum tradit entis diuisiones. ibid.
Ens per accidens quot modis dicatur. ibid.m
Quomodo sumatur ab Aristotele capite septimo huius libri. 316.f
Aristoteles cur capite septimo huius libri entia per accidens in enuntiationibus tradiderit. 317.f
Ens per se quot modis dicatur. ibdem
Aristoteles cur de vero egerit hoc libro post diuisionem entis realis. 319.p
Aristot. cum vocat verum, ens, & nõ ens, falsum qua ratione sit intelligendus, vbi & nonnulla alia loca explicantur. 320
Diuisio entis in ens actu, & ens potentia. ibid.
Ens absolutũ nõ põt elle genus vniuocũ. 340.p
Ens completum quid sit, & quotuplex. ibidem & 633.m
Ens completum genus esse non posse probatur. pag. 340 p
Entia realia per se ponuntur in prædicamentis. pag. 348.m
Entia per se, & non entia per accidens ponuntur in prædicamentis ex sententia Aristotelis, atque ex ipsa communi prædicamentorum ratione. 351.m
Entia sola realia habent per se locum in prædicamentis. 356
Ens rationis non est solum id quod consequitur rem, vt obiicitur intellectui. 359
Fusa disputatio quomodo se habeant ens reale & ens rationis in prædicamentts. 356. & seq.
Ens reale quid sit. 360
Ens rationis quo pacto distinguendum. ibidem.
Ens fictum quid sit. ibidem
Entia sola finita comprehenduntur in prædicamentis, & quid per nomen entis finiti intelligatur. 362.363
Entia completa ponuntur per se in prædicamentis, etiam de sententia Arist. 364
Nonentia, entia per accidens, & entia rationis quo pacto reuocentur ad prædicam. 369
Non omnis entitas est in potentia obedientiali respectu diuinæ personæ ad assumptionem. pag. 421.f
Ens mobile vt dicatur subiectum philosophiæ naturalis. 463.m
Entitas nulla accidentalis (nisi sit absoluta) indiget ex suo genere actione attingente proprium subiectum. p.528.m
Entia per accidens non simpliciter dici vniuersalia. 616 m
Ens & vnum esse mera nomina dixit Alexander Aphrodiseus: quæ sententia explicatur. 634
Esse reale, quo finis caussat, quo pacto sit accipiendum. 151.p
Non idem esse accipere esse, quod pati. 337.p
Esse alicubi quot modis accipiatur. 584
Esse ex aliquo quot modis dicatur. 614. & seq.
Esse extensum mole corporea quid sequatur, & cuius generis sit species infima. 770.m
Diuina essentia in intellectu Beati se habet per modum formæ intelligibilis, nec tamen actuat ipsam potentiam. 135 p
Essentia ex materia & forma resultans, cur non sit natura vt definitur lib. 2. Physic. 122.m
Essentia diuina quo pacto à diuinis personis distinguatur. 311.p
In diuinis nullo pacto licet asserere tres esse essentias relatiuas, vt dicimus tres esse substantias. 398.m
Essentia diuina licet non existat, neque operetur seiuncta à personis diuinis, tamen non pendet ab iis in essendo & operando. 411 p
Diuinam essentiam non esse rem vniuersalem. pag. 670.p
Exemplar quando sit necessarium in agente. 38.f

## Existentia.

Existentia in loco variatur numero pro diuersitate mobilium, etiamsi diuina potentia ponantur duo corpora in eodem loco. 16.p
Existentia subiecti ad veritatem propositionis non est necessaria. 248.m
Existentia rerum creatarum in quo genere modorum comprehendatur. 308.f
Existentia realis ac positiua, duplex est. 360.m
Existentia quid sit, & quo pacto rebus creatis & Deo conueniat. 411.f
Existentia rerum corruptibilium non abstrahit à motu impropriè dicto. 674.f
Existentiam esse actum essentiæ, subsistentiam verò suppositi, quo pacto intelligendum sit. pag. 411.f
Existentia rerum in nullo per se prædicamento ponitur. 349

FÆminas, mutato sexu, in mares euasisse commemorant Plinius & Fulgosus. 742.f

Filius vna tantum relatione refertur ad patrem & matrem. 555 p

## Finis.

Finis & efficiens non sunt principia generationis essentialia. 9.f
Finis semper importat præeminentiam aliquam bonitatis respectu alicuius. 38.f
Plures fines essentialiter subordinati possunt cõcurrere ad eamdem numero actionem, vt plura agentia essentialiter subordinata. 110.f
Quotuplex sit finis. 117.f
Finis Cuius, & finis Cui quid significent, eorúmque discrimen. ibidem
An finis Cuius sit finis simpliciter. pag. 118
Refertur opinio Okami existimantis, finem Cui esse dicendum simpliciter finem. 118.m
Finis Cuius & finis Cui sunt enumerandi inter genera finium simpliciter. ibid.f
Sententia Henrici asserentis, finem Cuius esse instrumentum finis Cui, non videtur vera. 119.p
Finis Cuius & finis Cui, aliquando sunt minus præstantes, quàm sint effectus. ibidem
Explicatur locus Aristotelis ex 2. Physic. vbi dixit nos esse quodammodo, & non simpliciter, finem omnium, quæ arte fiunt. ibidem
Media quomodo ad finem reuocentur ibidem f
Nomine eorum, quæ fiunt alicuius finis gratia,

Universidad de Deusto
Biblioteca



quæ intelligi debeant. ibidem
In intentionibus finium non datur progressus in infinitum. 111.p
Amor finis non est intentio eiusdem finis. ib.m
Quies in fine obtento quomodo sit effectus finis. ibidem.f
Causalitas finis non est tribuere medijs bonitatem & amabilitatem, contra Heruеum. 122.p
Causalitas finis non est esse causam, vt media adhibeantur propter ipsum. ibidem
In fine non sunt ponendæ duæ causalitates, contra complures ex recentioribus. ibidem.m
Mouere agentem ad aliquid efficiendum non est causalitas, quæ cuicunque fini conueniat, sed tantum creato. 123.f
Finem mouere agentem ad efficiendum, quid sit. 123
Causalitas finis est esse id, cuius gratia cætera sunt vel fiunt, & quo pacto id sit intelligendum. 124.& seq.
An sit verum quod aliqui dicunt, finem Cuius non existere cum actu causat, finem autem Cui semper existere cum causat. 125.m
Finis an moueat secundum esse intentionale, an vero secundum esse reale. fusè disputatur. 127. & sequent.
Finem formaliter causare secundum esse intentionale, numquam voluit D. Thomas, eiusque sententia hac in re explicatur. 129.f
Finem esse priorem in intentione & vltimum in executione, quo sensu dictum sit à Philosophis. 130.f
Non est incommodum dari duos fines vltimos eiusdem actionis, quando agens secundum non subordinatur primo in expetendo. 144
Finem esse causam efficientis quoad causalitatem, quo pacto sit intelligendum: quo dicendi modo aliqui graues Auctores vsi sunt. 172
Finem esse causam causarum, quomodo sit intelligendum. 175.m
Finis est causa efficientis, vel quoad motionem, vel quoad actionem. 175
Finis quo pacto sit simul cum suo effectu. 183.f
Finis est causa contrariorum. 177.m
Finis operantis, & finis operis, diuersi esse possunt. 601.m

## Forma.

Forma rei ad quodnam principij genus reducatur. 7.p
Forma substantialis, quæ introducitur, est per se principium generationis & quomodo. 15.p
Cur forma dicta sit ab Aristotele ratio quidditatis. 45.f
Datur discrimen inter formas, & formas, etiam si omnes in eo sint pares vt pendeant à subiecto quoad informationem. 55.f
Duplex est forma, exemplaris, & informans. 57.p
Plato solam exemplarem formam, formam appellabat. ibidem
Forma informans, alia est substantialis, alia accidentalis, & quæ ad substantialem reduci debeant. ibidem.f
Explicata ratione causandi formæ substantialis, facile dicuntur ad cætera formarum genera propriæ causalitates. ibidem.f
Causalitas formæ non est esse partem actualem compositi. 58.p
In forma non sunt ponendæ duæ generales ac primæ causandi rationes. ibidem
In quo consistat formalis ratio causalitatis formæ. ibidem.m
Formæ substantiales differunt ab accidentalibus in ratione causandi. ibidem.& 59.
In formis accidentalibus idem omnino est actuare materiam & constituere compositum, non sic in formis substantialibus, ibidem
Quattuor sunt genera formarum informãtium. pag. 61.m
Accidentalis forma in suo esse & operari pendet à forma substantiali. 62.p
Partim esset miraculum, partim vero non, formam separabilem produci sine materia. 62.p
Formæ accidentales, siue naturales sint, siue supernaturales, pendent à priori in fieri & conseruari à subiecto. 64.m
Forma illa loquendi, formam videlicet educi de potentia materiæ, vnde desumpta sit, & qua de causa: & quid boni eius cognitio adferat. pag. 65.f
Formæ cælorum & eorum omnium, quæ initio mundi producta sunt, fuerunt creatæ. 66.m
Educi formam de potentia materiæ, quid sit, fusè tractatur. 66.67.67
Discrimen inter eductionem formæ & donorum supernaturalium infusidnem. 68.f
Discrimen inter eductionem formæ de potentia materiæ, & formarum cælestium corporum, atque elementorum productionem. 68.m
Quomodo formæ cæli ac elementorum educi potuissent de potentia materiæ per transmutationem. ibidem.f
Educi de potentia materiæ per transmutationem, solis formis substantialibus potest conuenire. ibidem
Qua ratione possit forma substantialis in instanti introduci. 69.p
Forma non materia est agendi principium, sed non omnis forma. 74.75
Ex eo quod res naturales generantur per motum, colligitur, formas substantiales non agere immediatè, sed mediatè per accidentia. 80

Formam



Formam substantialem duo sibi vendicare 79.f
Forma, vel pars formæ non fit ex subiecto tamquam ex parte sua, & tamen non dicitur creari. 90.p
Omnis forma certa, à certo efficiente dependet. 259.m
Forma, quatenus forma, nõ potest esse causa cõtrariorum. 177.m
Forma etiam, si per suam præsentiam aut absentiam causa sit vitæ vel interitus, non dicitur tamen causa contrariorum. 179.f
Forma substantialis, an comprehendatur in definitione elementi. 189.f
Aristotelis locus explicatur ex 2. Methap. vbi videtur velle, formam nõ esse elemẽtum. 193.p
Forma metaphysica, an comprehendatur in definitione elementi. 191.m
Forma quo pacto sit principium generationis. 220.
Explicatio illius pronunciati [quod generatur nondum est] vbi & declaratur, qua ratione forma sit principium generationis eius rei, in qua est. ibid.
Formas elementorum cæterorumque grauiũ ac leuium effectiua principia esse motuum, quo pacto sit intelligendum. 219
An ea quæ differunt forma quacumque, continuata esse possint, vt videtur velle Arist. ca. 4. huius libri. 222. & seq.
Ex diuersis formis siue specie siue numero, necessario prouenit numeralis distinctio in materia. 225.f
In partibus integrantibus totius dissimilaris, non dantur diuersa formæ substantiales. 241.m
Ea quæ continuata non sunt, non possunt habere eadem formam naturaliter. 238
Forma eadẽ numero, diuersas numero materias informare potest diuina virtute, & quomodo. pag. 231
Forma quæ inesset in diuersis materiis, non necessario efficeret idem corpus numero in pluribus locis contineri, sumpto corpore pro ipsa magnitudine. 234
Forma equi, atque adeo cæterorum tam viuentium quàm inanimatorum, si informet diuersas numero materias, non desinet simpliciter corrupto vno composito. 235.p
Plures formæ humanæ si essent simul in eadem materia, vnum suppositum non prædicaretur de alio. 235.236
Forma eadem numero non potest informare diuersas materias specie. 236
Forma potest coniungi cum materia sibi inepta per diuinam potentiam, sed non informabit vt fiat compositum. ibid.
Abscisso capite perfecto viuenti, fit noua generatio formarum in capite & reliquo corpore, & qua de causa. 237.m
Formam vnam numero infinitas materias informare, non repugnat diuina virtute. 238.f
Cur ab Aristotele inter significata substantiæ numeretur forma substantialis. 386.m
Forma & Figura differunt inter se solum accidentaliter. 501.f
Forma distincta realiter ab eo, in quo recipitur, numquã acquiritur, sine noua actione quæ introducatur, nisi proprietas esset. 523.m
Formæ perfectorum animalium sunt indiuisibiles. 593.p
Formæ eiusdem speciei cur perfectius operentur in vno indiuiduo quàm in alio. 740.p
Formas accidẽtarias sub eadem specie inæqualis perfectionis, intrinsecè admitti debere. ibid.

GEnesij visio magis probatur quàm Bessarionis super verba quædam cap. 15. huius lib. 496.p

## Genus & Generatio.

Genera summa, & differentiæ omnes, indiuiduales etiam, comprehensa sunt in cõmuni principiorum definitione, & qua de causa. 34
Cur Arist. mentionem fecerit inter genera priorum, de prioribus ordine nominatim, cum id videatur superuacaneum. 24.f
Genera summa, & differentiæ specificæ, comprehenduntur in definitione elementi, quæ vsitatius dicuntur principia, quàm elementa. 191.
Genera subalterna non sunt comprehensa in definitione elementi. ibid.f
Quæ dicantur nasci ex sententia Arist. 193.f
Genera summa esse duo tantum, scilicet substantiam & accidens, argumentatur aliqui. 332
Genera summa sex vltimorum prædicamentorum vt se habeant. 346.f
Genera summa quo modo dicantur primo diuersa ab Aristotele. 345
Generum naturæ ac differentiarum distinguuntur inter se præcisa omni operatione intellectus. 347.f
Genus substantiæ, quod facit prædicamentum, quale sit ex sui natura. 392.393
Genus subiectum apud Aristotelem: nomine generis vsurpari. 390.p
Genera cur ex materia, differentia verò ex forma sumi dicantur. 392
Genera summa accidentium habent vnam entitatem, & existendi rationem. 530.m
Dari genus summum abstractum in prædicamento Relationis. 554.f
Genus summum prædicamenti Relationis abstractum est relatio realis. 555.p
Genus aliquod summum & concretum in prædicamento Relationis datur quod refertur re-

ductitiè

ductitiè ad ipsum prædicamentum relationis. pag. 555
Genus summum & coneretum relationis quot modis fingi possit referri. 556.d
Partium genera quot reperiantur. 616
Genus quot modis vsurpetur. 622
Genus primum vniuersale qua ratione definiatur ab Arist. 623
Multitudo quæ propriè dicatut genus. 624.p
Genere diuersa quæ propriè dicantur apud Philosophos. ibid. m
Aristoteles quo pacto intelligendus sit, cum facit Rempub. genus multarum specierum, & Mundum speciem infimam 626.f.627.f
Genera & species non esse substantias, quo in sensu dixerit Aristoteles. 633
Genus aliquod qua ratione possit latius patere seipso. 718
Aliam esse rationem in genere, aliam in specie, qui Auctores senserint, & quomodo. 733.p
Genus vt vniuersale non conseruatur in vnica specie, nec species infima in vnico indiuiduo. pag. 734.m
Genus per contrarias differentias quo pacto dicatur diuidi. 741.m
De generibus summis & de differentiis vix vmquam demonstrationes confici. 765
Genus & speciem & similia, affectiones esse necessarias, quomodo sit intelligendum. 766.f
Veteres illi, qui res sua sponte, ac omnino fortuito generari credebant, quomodo generationis naturam conciperent.
Generatio quomodo dicitur vniuoca & æquiuoca. 81
Explicatio eius propositionis: Generatio vnius, est corruptio alterius. 154.f
Generari semper cadauer idem specie, quacunque ratione homo intereat, an sit verum. pagina 160.p
Generans & id quod generatur, non sunt simul tempore simultate immediationis, sed alia ratione. 183
Generans & genitum in prima generatione aliquo pacto se debent tangere, & cur in viuentibus dicatur vnum quantitate. 194
Generari quomodo propriè accipiatur. 546
Generatio & corruptio non sunt propriè motus respectu rerum, quæ generantur, & corrumpuntur. 546.547
Generatio & corruptio qua ratione inter motus numerentur. 546.f. & 548
Generatio & corruptio accidentium, fit semper inter certos terminos. 549.550
Generationem momentaneam, quomodo aliquando negetur esse mutationem. 458
Gradus metaphysici quo pacto sint iidem cum toto. 674.p
Graue & acutum in sonis, specie non differunt. pag. 567
Aristotel. cur hoc libro enumerauerit inter quantitatis affectiones, grauitatem & leuitatem. 485
Grauitas maior vel minor duabus de caussis potest accidere. ibid.
In grauibus & leuibus maior propensio est ad quietem, in viuentibus autem ad motum. 217
Gustum & tactum genera quædam esse. 770

## Habitus.

Aristoteles cur dixit, habitum esse medium inter eum, qui habet vestem, & vestem, quæ habetur. 338.p
Habitus omnes & dispositiones quo pacto ad motum referantur. ibid.
Definitio habitus & dispositionis 489.490
Habitum specie differre à dispositione, videtur magis consonum Aristoteli, & veritati 497
Habitus, & dispositio cur vna species qualitatis dicantur ab Aristotele. 448.f
Distinctio, qua habitus & dispositiones apud quosdam diuiduntur, in habitus & dispositiones secundum essentiam, & secũdum modum, quo pacto intelligenda sit. ibidem
Aristoteles explicatur cum dixit libro Prædicamentorum, omnem habitum esse dispositionem, non tamen è contra. 499.p
Habitus & dispositio vario modo accipiuntur apud Aristotelem. ibid.
Habitus & dispositionis differentiæ essentiales sunt nobis ignotæ, indicantur autem per esse natura sua facile vel difficile dimouibiles. 499.500
Error non est immediatè sub genere habitus, sed dispositionis. 500.m
Habitus quid, & quotuplex sit. 607. & seq.
Habitus cur potius aliquando definiatur dispositio, qua bene vel male afficitur subiectum, & non quia res afficitur, detractis illis verbis (male vel bene) 609
Habere quot modis vsurpetur. 612

## Homo.

Homo est de essentia Christi, sicuti & Deus. pag. 432.m
Hic homo diuerso modo est effectus formalis huius humanitatis, ac homo communis humanitatis communis. 443.m
Hic homo, ostenso Christo, vt sit relatiuus. 444
Homo, an sit vniuersale respectu diuini Verbi, atque etiam Dei. 450
Homo vtest vniuersale quid respectu Verbi diuini non



nì non vllum ex quinque vniuersalibus, sed nouam quandam speciem constituit. 452
Homo, & eius genera, itémque differentiæ quo pacto prædicentur de Verbo diuino. 452
Hominem dupliciter dici fallacem. 772
Hypostasis siue subsistentia quid sit. 402.f
Hypostasis propria significatio apud quos primum vsurpata sit: & cur nonnulli Patres aliquando negarint tres esse hypostases in diuinis. 404.p.& m
Hypostasis & subsistentia, licet idem sint, apud Scholasticos, tamen diuersus est earum vsus 405.m

IDem an possit esse caussa contrariorum, non solùm in efficientibus sed in cæteris caussarum generibus. 176.& 177
Arist. quid voluerit cum dixit, Idem in quantum idem semper facit idem. 178.f
Aristot. quo pacto sit intelligendus, cùm vsus est exemplo gubernatoris nauis ad ostendendum, idem posse esse causam contrariorum. 174.p
Idiomatum communicatio propter incarnationis mysterium. 439.f. 440.p
In ignis generatione è silice, triplex mutationis acceptio ostenditur. 459.p
Imaginationis definitio exponitur. 624.f
Impotentia quid sit, & quotuplex. 429
Impotentia quæ dicantur, & quæ impossibilia, quæue Possibilia. 450
Indifferentiæ duplex distinctio apud Scoti sectatores impugnatur. 661

## Indiuiduum, & Indiuisibile.

Indiuiduum quo pacto possit generare quodlibet indiuiduum, & qua ratione vis generandi secundum speciem conueniat cuilibet indiuiduo. 156
Determinatio indiuidui vagi potest prouenire à caussis secundis. 116.p
Pronunciatum illud Dialectieum: nempe [De quo negatur, species aut proprietas, negantur omnia indiuidua, quæ sub specie continentur] defenditur & explicatur contra nonnullos. 247.p.& m
Indiuidua ratione sui propriè non definiuntur. 271.p
Indiuidua cur non dicantur differre specie, sinternis differentiis constituuntur. 276.f
Differentiam indiuidualem esse principium indiuiduationis, & Arist. & D. Thom. senserunt in rebus tantum materialibus 294.m
Duo indiuidua esse positiuè similia in omnibus, quæ pertinent ad eorum esse, nulla potestate fieri potest. 299
Indiuiduum consideratur in prædicamentis sub particulari ratione indiuidui, & qua de caussa. pag. 367.f
An plura indiuidua numeri sub eadem specie dari simul queant. 506.507
Indiuidua vaga non debent numerari inter vniuersalia. 711.p.& m
Indiuidua omnia sub eadem specie esse æqualis perfectionis, probatur multis argumentis, pag. 934.& seq.
Indiuidua duo sub eadem specie esse inæqualis perfectionis essentialis, est impossibile 940.m
Indiuisibilia esse in media quantitate continua vnde nam manarit. 526.p
Indiuiduationis principium Vide in littera p.
Indiuisibilia, quæ in mediis magnitudinibus potentia sunt, triplici modo reduci possunt ad actum. 526.f.527.m
Peripatetici, cum dicunt, indiuisibilia esse in sensibilibus, quo pacto intelligendi sint. 594
Indiuisibilia quot modis existant in corporibus sensibilibus. ibidem
Quo pacto nihil indiuisibile sit alterabile. pag. 530.m
Subiecta indiuisibilium quæ. 536.537
Indiuisibilia in motu & tempore quo pacto dentur. 461.m
Infinitum & finitum extensione, esse proprietatem quantitatis, quo pacto intelligendum sit. 376.m
Infinitum quomodo cognoscatur tam ab intellectu diuino quàm ab intellectu creato. 536
Infinitum non dicitur propriè totum. 619.f
Influxus caussæ efficientis qui. 73

## Instrumenta.

Quædam instrumenta respectu propriæ affectionis dici possunt principalia principia actiua, quædam verò nequaquam. 83.m
Sententia quædam Caiet. ad definiendum quid sit instrumentum, improbatur. 83.f
Instrumenta aut virtute propria, aut virtute principalis agentis agunt, si vt instrumenta assumuntur. 96.f
Exponitur locus D. Thom. in quo dixit, Omne instrumentum agere debere dispositiuè ad actionem principalis agentis. ibidem
Repugnat aliqua instrumenta esse propter finem & numquam esse facta propter finem. 125.p

## Intellectus.

Intellectum & voluntatem re ipsa ab anima distingui, & ab ea diuina virtute posse separari. pag. 254.m
Intellectum non posse conceptu vniuoco analoga concipere. 396.m
Intellectus vnus propriè, cur colligatur ex ob-

iecto intelligibili, non autem vnus sensus specie ex obiecto sensibili. 679.m
Intellectus vtitur phantasia ad primam specie rum intelligibilium generationem. 681
Intellectus agens repræsentat res vniuersales per species intelligibles primo impressas. 682 p
Intellectus agens non potest phantasma illustrare, vt aliqui fingunt, productione alicuius qualitatis. 683. p. & seq.
Intellectus possibilis potest abstrahere naturas communes secundum vniuersaliores rationes. 689.m
Intellectus agens potest abstrahere species naturarum communium tam generalium, quàm specialium. 690.p
Intellectus agens cur sit necessarius non autem sensus agens. 688.p.f
Aliquid esse in intellectu, quot modis accipi possit. 694.f
Prima intentio quid sit: & an quælibet prima intentio conuertatur cum ente reali. 408.f
Secunda intentio quid sit, & an semper debeat esse ens rationis. 361.f
Isagoge Porphyriana cur sic absolutè sit nuncupata, non Dialecticæ aut alterius partis Philosophiæ. 324.f

## Linea.

Linea recta & curua, quæ claudunt portionem circuli, vna sunt numero linea. 226.f
Lineæ definitio, superficiei, & corporis. 487 p
Linea non est pura negatio, contra Durandum. pag. 617.p
Linea non est corpus ipsum vt connotat negationem latitudinis, contra Gregorium Arimin. 520.p.m
Linea an sit actu in extremitate corporis. 521.f
Lineam esse modum quemdam essendi purum, quoniam negatio vlterioris extensionis sequatur, quo pacto defendi possit. 522.p
Lineam esse realem entitatem verámque speciemquantitatis, pro indubitato ponendum est. ibidem.f
Linea & superficies sunt re ipsa distincta & inter se, & ab ipsa mole corporea. 523. m 532. m. & seq.
Linea est potentia logica in superficie in ordine ad diuisionem realem: idémque de puncto dicendum. 527.p
Linea quid sit formaliter. 533.f.&.534
Linea quo modo à superficie separari possit. pag. 576.f

Locus, qui ab Aristot. verus locus constituitur, non est vera species quantitatis. 540.f & 541
Locus per se requisitus ad motum localem. quisnam sit. 455.f
Locus propter quid, dicitur tantus vel tantus. pag. 480.f
Esse in loco circumscriptiuè & definitiuè quid propriè significet. 584.595.f
Logica non est necessaria ad singularum scientiarum cognitionem capessendam. 324
Logica si de prædicamentis non tractaret, non bene dirigeret operationes intellectus. 326.m & seq.
Logicam agere de prædicamentis, quatenus prædicabilia & subiicibilia sunt. 325.f
Lumen non est necessarium ad hoc, vt color per se ipsum moueat, sed ex parte medij, & quare nunc color illuminatus agit. 113. p
Explicantur nonnulla Aristotelis loca, in quibus videtur velle, ante concursum luminis colores esse potentia visibiles. ibidem.m
Fusa disputatio de duobus corporibus luminosis. 193.&sequen.
Duo illuminantia non possunt producere duo lumina in eadem parte subiecti. 466. & 70.
Illuminatio quid commune habeat cum aliis alterationibus, quid peculiare. 531
Lux Solis, qualitas patibilis. 501.p

Magnetis mira natura. 178.p
Magnitudo quid sit. 481
Magnitudinem nullam posse dari infinitam secundum Auctorem. 768.f

## Materia.

Materia, forma & priuatio sunt principia generationis essentialia, eáque sola. 9.f
Materias & formas speciales non reiici à definitione principij primi lib. Physicorum probatur, contra quosdam Græcos secus sentientes. 15.f
Cur Aristoteles in tractatione causarum egit primum de materia. 44.p
Quo modo Aristoteles definierit materiam, & quo modo sit intelligenda. 44.m.& 52. m
Quænam reiiciantur à definitione materiæ tradita secundo capite huius libri. 44.m
Reiicitur expositio Alexandri & Simplicij super definitione materiæ tum hoc libro, tum 2 Physic tradita. 44.f
Materia cœli, & materia secunda possent comprehendi in definitione materiæ allata 2 cap. huius lib. sed non ita propriè. 45.& 50
Quomodo sit intelligendus Aristotel. cum dixit in definitione materiæ [Horúmque genera.] 51.q
Quotuplex sit materia. 51.p





Nomine materiæ secundæ quid interdum intelligendum. 52.f.& seq.
Diuisio materiæ ex qua, in qua, circa quam, materiarum officia distinguit. 53.p
Omnia, ad quæ materiæ nomen extenditur reuocantur ad materiam primam, & quænam sint illa. 52
An ratio causandi materiæ, sit esse partem potentialem compositi. 53
An sint ponendæ in materia duæ rationes causandi, vt aliqui volunt. 54.p.m
Impugnatur sententia asserentium in materia duas esse causalitates, vnam respectu compositi, alteram respectu formarum, quæ æducuntur de ipsius potentia. 54.m
In quo constat vera ratio causandi materiæ. ibid.
Ratio causandi materiæ, prius respicienda est respectu formæ, quàm respectu compositi. 55
Vna & eadem causalitate materia substentat forma, & constituit compositum: sed prius natura respicit formam tum compositum. 56.f
Principalis effectus materiæ quemadmodum & efficiétis est compositum, proximus autem est ipsa informatio. ibid.
Materia propriè potest dici causa informationis, etiam si informatio non propriè fiat. ibid.
Materia & forma ex se inuicem pendent in esse aptitudinali. 59.m
Qui sensus sit illius quæstionis, An materia pendeat in suo esse à forma, & è contra. ibid.f
Refertur duplex sententia de esse existenti materiæ. ibidem
Omnis materia naturaliter pendet à forma in suo esse actuali, & in fieri, & in conseruari, & vnde colligitur. 61
Discrimen inter materiam rerum corruptibilium, & materiam incorruptibilium. 62
Cur miraculosum esset, materiam existere sine forma. ibid.
Non est absurdum vnam & eamdem materiam pendere in conseruari à pluribus formis. ibid.
Diuersa est ratio formarum ac materiæ in ratione dependentiæ ob formas separabiles & inseparabiles. ibid.
Non repugnat formis separabilibus conseruari naturaliter sine materia. ibid.f
Materia quomodo causet esse actuale formæ. 65
Materia habet potentiam naturalem ad formas artificiales, & ad motus violentos. 70.p
Relationes non dicuntur propriè educi de potentia materiæ. ibid.
Non minus pendet materia, forma, & finis particularis in causando à Deo, quàm efficiens. pag. 89.p

Materia, forma & partes integrantes substantiarum reductitie ponuntur in prædicamento substantiæ. 385.m
Materia, si formam sustineret, solum eam recipiendo adhuc materia esset Deo essentialiter subordinata. 134.m
Materiam sustinere formam, non est eamdem recipere, quemadmodum aliud est, formam actuare materiam, aliud eam continere in suo esse. ibid.f
Materia qua ratione [illegible] da sit prima in genere causarum, etiam si [illegible] subordinetur. 143.p
Materia & forma non vnirentur inter se immediatè, si daretur accidens absolutum, quod esset earum causalitas. 147.f
Nulla materia est indifferens ad formam educibilem ex alia materia. 159.f
Plures materiæ, formæ, ac fines, qua de causa non possint concurrere ad eumdem numero effectum nec coniunctim nec diuisim. 169.f
Materia est causa contrariorum. 177.f
Materia comprehenditur in definitione elementi de qua hoc libro cap. 3. 189 p
Materia cæli differt specie à materia infer. ibi.m
Materia & forma cur non dicantur natura in ea significatione, qua conuenit essentiæ, cum sint principia ipsius essentiæ. 201.p
Materia, ex veriori sententia, prius natura recipit formam substantialem, quàm recipiat quantitatem. 219.f
Materia hæc numero non habet potentiam naturalem ad eam numero formam, quam respicit alia materia. 230
Materia vna numero potest subesse pluribus formis humanis, diuina virtute. 235.m
Materia signata non est materia cum quantitate, nec materia cum potentia ad certam quantitatem. 287.288.289
Materia signata quid sit secundum veriorem sententiam. 288.289
Aristoteles cur definierit per materiam ea, quæ sunt vnum numero. 290.f.& 307.m
Materiam signatam esse principium indiuiduationi, qua ratione defendi possit ad mentem Aristot. ac D. Thomæ. 291
Materia hæc, similiter & hæc forma qua ratione dici possunt principia distinctionis indiuiduorum sub eadem specie. 302.f
Materia ac differentia indiuidua in quo conueniant & in quo discrepent. 294.f
Materiam cæli ac rerum corruptibilium esse differentem vnde Aristoteles cæterique Philosophi collegerint. 390.f
Mareria & forma non sunt compositum, sed ipsum constituunt. 505.m
Materia prima cur duplicem habeat aptitudinem, proximã, & remotam, vt subsit variis formis,

mis, non sic autem natura communis facta singularis. 655.f
Materiæ corruptibilium conditio. 771.m
Mathematicæ magnitudines, si ita existerent, vt ab ipsis Mathematicis considerantur, non essent inter se contiguæ. 226.p
Quo pacto nulla Mathematica indiuisibilia existant in rebus sensibilibus. [illegible]
Mathematica, atque vniuersalia esse [illegible]ensibilibus, quo modo æquè abs[illegible]m sit. ibid.
Media quomodo, & [illegible]ectu cuius dicenda sint fines. 47.p
Mem[illegible]ensitiua, & reminiscentia quid sit & eius officium. 671.m
Memoria hon est facienda potentia distincta ab imaginatione & phantasia, vt Galenus voluit. pag. 675
Mendax voluntarius peior coacto. 777.p
Mensura duplex est. 486.p
Mensuram esse cæterorum, non potest conuenire quantitati infinitæ. 486.f
Mentis nomine quid significauerit Arist. cap. 1. prope finem. 7.f
Metaphysicus cur de natura tractet. 192.m
Metaphysicam primo referri ad ens, quo pacto intelligendum. 321
Metaphysica sola, & Dialectica versantur in toto genere entis. 326.f
Metaphysica non potest rectè tradere principia, intelligendum absque prædicamentorum tractatione. 326.f
Metaphysica qua ratione de rebus prædicamentorum agat. 328.p
Mobile primum quo pacto loco contineri, ac localiter moueri dici possit, etiam secundum Aristotelem. 455
Modi essendi puri qua ratione possint dicere perfectionem. 533.p
Modus accidentis, per quem varia prædicamentorum genera constituuntur, quo pacto sumendus sit. 344.f.& seq.
Modus essendi substantiæ expenditur. 343.p
Modus essendi substantiæ vno modo potest esse prior ipsa substantia, alio modo posterior. pag. 347.m
Modi essendi, qui formaliter non sunt entia, reiiciuntur à prædicamentis. 350.m
Modorum essendi tria sunt genera. Et quomodo diuidantur. 308.m
Monstra non esse entia fictitia, neque extra prædicamenta. 350.p
Mors qua ratione dicatur finis. 601.f
Dictũ Euripidis, quo dixit de vita functo: Mortem illum consecutum, propter quam genitus esset, quo sensu possit intelligi. 602
Mortuum esse, cum sit accidens, an requirat vllam existentiam. 773.& 477
Moses quomodo apparuisse dicatur in monte Thabor. 581.p

## Motus.

Motum & terminum esse idem re, quomodo sit intelligendum. 82.m
Declaratur demonstratio Arist. ex 4. Physic. qua probauit non posse fieri motum in vacuo. pag. 96
Particula, Et, cum dicitur, (Motus & quietis) sumenda est partim disiunctim, partim copulatim. 210.m
Propensio ad certum motum sequitur naturaliter ipsam formam. 214.m
Motus localis propriè dictus, siue voluntarius sit, siue violentus, semper est naturalis ex parte principij passiui. 219.220
Nomine passi quid intelligendum, cum dicitur in definitione motus violenti (esse à principio extrinseco nullam vim conferente passo) 220.p
Motus localis cur non dicatur naturalis ex parte principij passiui, sicut & cæteri motus violenti. 221.p
Motus violentus non est dicendus simpliciter naturalis, etiamsi conueniat principio passiuo. 221.m
Diuisionem motus in simpliciter naturalem & simpliciter violentum habere locum in solis motibus localibus, vt aliqui dicunt, quo sensu sit verum. 221.f
Aristot. cur 1. lib. de Generatione dixit, omnes mutationes ad formam inhærentem esse naturales. 222.p
Motus tribus modis continuari potest. 226.227
Motus & tempus cur dicantur quanta per accidens. 214.f
Num existentia in loco, potius quàm locus ipse per motum acquiratur. 241.p
Motum non esse veram speciem quantitatis. pag. 241.242
Motus quatuor modis considerari potest. 242.m
Motum esse analogum, & esse quid imperfectum & incompletum. 343
Motus, vt motus, non ponitur per se in aliquo prædicamento, sed ad prædicamenta terminorum reducitur. 343.344
Motus non potest poni in prædicamento quantitatis. 243.f
Aristot. locus explicatur ex 3. Physic. vbi dicitur, motum esse de genere continuorum: vnde videtur etiam species quantitatis. 544
Motus est successiuus in secundo modo dicendi per se. 610.f





Motus, vt est continuus, facit speciem quantitatis continuæ à cæteris distinctam. 544.m
Motus continuitas in quo distinguatur à continuitate temporis. ibidem.f
Motus, vt motus est, diuersam habet rationem ab ea, qua continuus est. 545.p
Motus continuitas est inseparabilis proprietas ipsius motus. ibidem
Motus, quatenus continuus, est ens completum. pag. ibidem.m
Locus Arist. explicatur in libro Prædicament. vbi motus enumeratur inter ea, ea quæ sunt quanta per accidens. 545.f.& seq.
Aristoteles exponitur, cum dixit hoc libro, Motum esse quantum per accidens, etiam vt continuum. ibid.
Moueri & mutari quid propriè significet. ibidem.f
Mutatio momentanea non necessario fit inter duos terminos positiuos. 547.f
Motus necessario debet fieri inter duos positiuos terminos. ibidem
Motus definitio tradita ab Aristot. 3. Physic. quomodo sic intelligenda. 548.p
Mutationem quamdam duobus modis posse accipi. ibidem
Motus definitione, quænam generationes & corruptiones sint comprehensæ. 550.p
Actus nomine in definitione motus non potest intelligi operatio naturæ. 550.f
Actus nomine in definitione motus intelligendus est is actus, qui præcedit primum & secundum. 551.p & m
Motus definitio ab Alexandro tradita impugnatur. 551.f.552
Nomine entis in potentia quid sit intelligendum in definitione motus, & cur addatur geminatio illa, prout in potentia. 552
Motus definitio tradita ab Arist. 3. Physic. an sit bona. 553
Motus quomodo sit cognitu facilis vel difficilis. pag. 454.p
Decretio, remissio, & corruptio fortassis non sunt comprehensa in definitione Motus ab Arist. tradita in 3 lib Physic. ibid.m
Decretio, remissio, & corruptio quo modo sunt comprehensa in definitione motus. ibidem. f
Arist. explicatur cum dixit, per motum localem nullam formam acquiri. ibidem
Motus non requirit locum integrum, sed eam tantum partem supra quam, vel iuxta quam fit motus. 455.p
Arist. cur definierit localem motum per superficiem externam: & vnde oriatur loci immobilitas. ibidem.f
Motus, vt est acquisitio quædam continua, quibus formis conueniat. 456.m
Motus propriè non est ad relationem, actionem, passionem, & Quando. ibid.f.& seq.
Motus propriè datus ad prædicamentum Situs & Habere ibidem
Motum non esse ad relationem, nec ad substantiam, an rectè probauerit Arist. 5. Physicor. libro. 452.458
Mutatio tripliciter accipi potest. 458.& seq.
Motus Solis in Zodiaco vt possit aut protrahi, aut contrahi. 465.p
Motum esse in mobili, qua ratione sit accipiendum. 569.m.f
Motus in vacuo non est eiusdem speciei cum eo, qui fit in pleno. 570.m
Motus, per quid distinguatur apud Philosophos. pag. 571.m
Terminus motus duplex est. ibidem.f
Motus in vacuo quomodo realis esset. 571.f
Multa quot modis dicantur. 234.p
Multitudo quid sit. 483
Multitudinem transcendentem prædicari de numero probatur. 566
Mundus hic per se dicitur perfectus quantitate. pag. 692
Mutilum quid propriè dicatur. 612.622

## Natura.

NAturam aliquando esse, insitam potentia, aliquando actu, vt dixit Arist. ad finem huius capitis, quomodo sit intelligendum. 144.p
Natura, quinque modis dicitur, & quid in singulis modis significet. 193
Arist explicatur cum dixit 7. Physic. Generationem non dici naturam ratione eius naturæ, à qua proficiscitur. cuius contrarium videtur dicere cap. 4 huius libri. 197.f
In qua naturæ acceptione dicatur, tota rerum vniuersitas, vel solus mundus sensibilis, vel solus mundus sublunaris natura. 199
Naturæ nomen numquam sumitur apud Aristotelem pro solo Deo, sed pro aggregatione causarum naturaliter agentium. ibid.f
Naturam & Deum nihil frustra agere, quo pacto sit intelligendum. 200.p
Natura & elementum in quo differant. ibid.f
Arist. cur dixit, naturam dici primo de forma. 202
Natura dicit ordinem ad operationem, ac proinde contrario modo se habet in suis significatis atque elementum. 202.m
Natura an rectè definita sit ab Aristotele lib. 2. Physicorum: & quid in hac definitione comprehensum, aut ab ea reiectum sit explicatur. pag. 204.& seq.& 210.211.
Naturam definiri in ordine ad motum & quietem qua ratione sit intelligendum. 206.
Aristoteles quomodo intelligendus sit, cum [illegible]

Physic. distinguit naturalia ab artificialibus penes sola principia effectiua. 207.f
Natura quale sit principium. 207. Non est principium passiuum contra Scot. 208
Natura potest esse principium passiuum actiuum, formale, & finale. 208.m
Explicatio verborum [Principium & causa] quæ loco generis ponuntur in definitione naturæ lib.2.Physic. 207.p.& seq.
Naturæ definitio aptius Latinè redditur, quàm fuerit reddita ab Argyropilo. 209.f
Nomine causæ & principij quid Aristoteles intelligat in definitione naturæ. 207.p
Naturæ communes non sunt ex se indiuiduæ contra Nominales. 234.p
In definitione naturæ quo pacto sit accipiendus motus. 209.p
Quietis nomine quid sit intelligendum in definitione naturæ. ibidem & seq.
Generatio momentanea quietis nomine comprehenditur in definitione naturæ. ibidem
Aristoteles explicatur, cum dixit, materiam & priuationem esse vnam numero, vel ens & vnum habere eamdem naturam. 314.f
Diuinæ naturæ simplicitas. 379.f
Natura, vt distinguitur, à suppposito, quid sit apud Theologos. 399
Natura & substantia in quo conueniant, & in quo differant. ibidem
Natura personabilis non potest existere sine vlla personalitate, etiam per Dei potentiam. pag. 427
Natura humana si à Verbo dimitteretur, quomodo supponitaretur, vbi Caietanus contra Scotum. 426 f
Idem numero naturaliter redire non posse, quomodo sit accipiendum. 427.p
Natura humana & diuina in Christo quo pacto concurrant ad faciendum vnum per se. 442.
Explicatio verborum, quæ vltimo loco ponuntur in definitione naturæ. [In quo primo per se.&c.] 210. f
Nullam naturam creatam assumi posse ad subsistentiam creatam diuina virtute, probabilius videtur. 450.f
Explicatur triplex illa consideratio naturæ communis, vel absolutè, vel vt contracta est, vel vt à contrahentibus abstracta. 639. & seq.
Natura communis quomodo abstrahatur à suis contrahentibus differentiis. 640
Natura communis dum consideratur, vt contracta est, cur dicatur status existentiæ realis, ibidem.m
Naturæ communi absolutè consideratæ nullum prædicatum contingens, nullam proprietatem conuenire, quo pacto intelligendum sit. ibidem.f
Explicantur D. Thom. & Auicenna, cum dixerunt, naturæ communi absolutè consideratæ, nullam vnitatem secundum se conuenire. pag. 647
Naturis communibus absolutè consideratis, duplex vnitas conuenit. 642.p
Natura humana in quolibet homine est determinata ad illum tantum. 651.m
Natura humana non habet rationem speciei secundum quod est in vno indiuiduo. 655
Scotus explicatur cum dixit in 2.dist. 3. q. 1. naturas communes habere in suis particularibus indifferentiam ad omnia ea particularia, vbi & variæ confutantur expositiones. 660. f & sequent.
Naturæ communes extra intellectum, sunt ex se vniuersales, & quomodo pendeat ab intellectu. 664 f.665.p
Naturæ communes fiunt actu intelligibiles in ipso intellectu possibili, non autè in phantasmate per quandam illustrationem. 682
Naturæ communes non sunt actu intelligibiles ante speciem earum generationem, contra Caiet. pag. 688.p
Explicantur nonnulla D.Thom.loca, ex quibus videtur colligi naturas communes esse actu intelligibiles, antequam species producantur in intellectu possibili. ibidem. & seq.
Naturæ diuinæ singularis dignitas. 740

## Necessarium.

Necessarium quot modis dicatur, & quid singuli significent, ac inter se differant. 240.& seq.
Primum ac precipuum necessarium aliter & aliter se habere non posse, vt dixit Aristoteles, quo pacto intelligendum sit. 245.p
Diuisio qua necessaria diuiduntur ca.5. huius libri in ea, quæ habent causam, & in ea, quæ non habent, quo pacto sit intelligenda, & in quo deceptus sit Aristoteles. 258.f
Necessitas demonstrationum ad quem necessarij modum reuocetur. 243.f

Negationes non sunt formaliter tales per operationem intellectus. 360.p
Negationes cur non in entibus rationis numerentur. 361.m

## Nomen.

Nomen Iesus & nomen Christi quid significent & qua ratione inter se distinguantur. 446
Nominalium sectæ antiquitas. 629.p
Nomina sola, non autem res esse vniuersalia, multis rationibus ostenditur quàm sit absurdum. 630.& seq





Nominales, cum dicunt scientiam tantum haberi de nominibus communibus, quo pacto sint intelligendi in eorum sententia. 631
Nomina quo pacto vniuersalia dici possint. ib.m.f
Nomina communia non prædicantur propriè de rebus in enuntiatione. 632.f

## Numerus.

Numerus ac scientiæ totales non sunt per se entia, nec locum habẽt in prædicamentis, & cur à Philosophis numerentur inter species quantitatis & qualitatis.
Numerus quo pacto dici possit extensio. 489
Numerum non esse ens reale. 504
Numerus duplex est, transcendens, & prædicamentalis, qui propriè numerus dicitur. ibid.
Numerus prædicamentalis an sit vera species quantitatis. ibid.& seq.
Numerus est multa simpliciter. 505.m
An plura indiuidua numeri sub eadem specie dari simul queant. 506.f
Numetus prędicamentalis qua ratione possit dici vnum ens per se. 509.f
Numero non propriè conueniunt proprietates quantitatis. 510.p
Numerus non ideo est ens reale, quia de eo tractet Arithmetica: vel quia sensu externo percipiatur. 510.f.511.p
Numeri extensio quid sit. 512
Aristoteles cur non excluserit numerum à speciebus quantitatis: cum multis in locis contrarium sensisse videatur. ibid.
Numeri compositi & simplices qui sint apud Mathematicos. 487.p
Aristoteles quid per numerum aliquoties quantum siue planũ, ac superficialem, quidue per numerum aliquoties quantum aliquoties, siue solidum, intelligat 488.m
Numeros non esse propriè actiuos aut passiuos. 505 m
Superiora & inferiora qua ratione numerum efficere possint. 698.p

Obiecta, qua ratione dicta sint ab Aristotele mensurare habitus & potentias. 545.m
Omnipotentia complectitur propriè solam potentiam productiuam alicuius essentiæ, eiusque oppositam destructiuam. 40
Opposita quomodo inuicem possunt esse principia. 12.13
Ex duobus incompossibilibus opposita colligi. pag. 100.p
Oppositorum quot sint genera. 456.p
Orationem non esse veram speciem quantitatis. 514.515
Orbes excẽtrici, & epicicli locũ vere mutant. ib.
Orbes cælestes concentrici quomodo moueantur localiter. 436.p

Partes integrantes totius homogenei an distinguantur ratione nec ne. 310.311
Primi parentes possunt dici geniti, sed non nati. 15.m
Item quando dicendi essent creati. ibid.
Explicatio verborum Pauli ad Eph.3 *Ex quo omnis paternitas in cælo, &c.* 38.m
Exponitur locus ille, *Pater maior me est.* 444.m
Patres dicentes, proprium esse Dei, vt nõ habeat successiuam durationem, quomodo sint intelligendi. 467.468
Passio propria non efficitur subiecto, sed ab agente à quo subiectum efficitur. 80.m
Passio qua ratione dicitur extrinsecè denominare substantiam, quæ patitur: vbi reiicitur modus explicandi nonnullorum. 335.f
Passiones animæ non pertinent per se ad tertiam speciem qualitatis. 493.f
Passionem esse in patiente quomodo sit intelligendum. 569
Passio quot modis accipiatur. 609

Perfectio transcendens quomodo dicatur de relationibus. 531.f
Perfectio formalis quænam dicenda sit absolutè perfectio. 532.m
Perfectionis formalis nomine cur superiori libro naturalis & moralis tantum comprehensæ sint. 532.f
Perfectum quot modis dicatur. 600.& seq.
Perfectio generis vniuersi constat, etiam si Deus infinitas species posset producere. 743.m
Perpetuis & immobilibus accidere non potest violentum. 245.p

## Personæ Diuinæ.

Persona vna diuina potest dici prima respectu alterius, & quomodo. 12.f
Vna persona diuina an prior altera dici possit. pag. 20
Referuntur nonnullæ sententiæ de prioritate personarum diuinarum. 22
Persona producens est prior à parte rei, non solum prioritate originis, sed etiã naturali enumerationis ordine, est etiam prior nostro modo intelligendi, & quomodo. 23.24
Duplex potest esse genus priorum ordine, tum in personis diuinis, tum in rebus humanis. 24.25
Cur D. Thomas non posuerit in diuinis prioritatem originis. ibid.
Non est cõcedendum, vnam personam diuinam

esse simpliciter & absolutè priorè altera. 25.m
Ordo naturalis enumerationis in diuinis, vocatur à S. Thoma ordo originis. 26.p
Conuenit Deo prius ratio principij respectu diuinarum personarum, & quomodo. 38.m
Diuinarum processionum non datur neque finis neque exemplar. ibid.f
Esse productiuum diuinæ personæ quomodo dicat perfectionem. 39.p
Producere creaturam, nullam perfectionem dicit, quæ ad diuinam essentiam pertineat. ibid.
Quomodo sit intelligendum id quod dicunt D. Thom. & plerique alij Theologi, productionem diuinarum personarum esse exemplar & habere causalitatem in productione creaturarum. 40
Si in Deo non esset personarum distinctio, deesset in Mundo perfecta omnino productio. ib.
Quod sit verum, personalia in diuinis non impedire communia, sed tamen principium productiuum prius dici de Deo respectu diuinarum personarum. 40.m
Causa nonnunquam apud Græcos dicitur de diuina persona producente, respectu productæ. 42.m
An diuus Augustinus aliquando vsus sit nomine causæ quemadmodum Græci, agendo de diuinis personis. ididem f.
Auctoris nomen aliquando vsurpatum est à Latinis Patribus pro principio productiuo & spirante in diuinis. ibid.
Personarum diuinarum distinctio. 307.f
Personalitas reducitur ad compositum tamquam eius terminum. 429
Personalitas nõ facit compositionem, simulque explicatur locus Arist. ib. 7 Met. vbi dixit: Ex duobus actibus non fit vnum per se. 429
Tres diuinæ personæ si eamdem numero naturam assumerent, resultaret vnus homo. 442.m
Explicatur locus D. Thom. ex 3. p. in quo dixit si plures personæ diuinæ eamdem naturam humanam assumerent, esset vnus homo, non tamen vnus simpliciter. 443.p
Persona vt definiri soleat: & quo pacto supposito conuenire possit. 400

## Phantasia & Phantasmata.

Phantasia quomodo componat & diuidat singularia. 670
Phantasia quid sit, & eius officium. ibid.
Phantasia non est distincta potentia ab imaginatione. 673.m
Phantasiã distingui à sensu communi probatur contra Galenum. 674
Explicatur locus Arist. ex 3. lib. de Anima, ex quo videtur posse colligi, phãtasiam non distingui à sensu communi. 674
Phantasia, æstimatiua, & memoria, est vna eademque potentia. 676
Phantasia sola proximè intellectui ministrat. pagin. 679.p
Phantasiam æstimatiuã, & memoriam quo pacto tres potentias dicere possumus p. 679.680
Phantasma agit secundum vltimum potentiæ. & quo modo repræsentet res vniuersales. pagin. 684
Phantasma non gignit speciem, nisi vt stat sub actu phantasiæ. 605.p
Phantasmatum illustratio quo pacto ad verum sensum explicari potest, & quo modo præcedat productionem specierum intelligibilium. pag. 687 & seq.
Explicatur D. Thom. cum dixit, Phantasmata prius illustrari, quàm cooperentur intellectui agenti ad productionem specierum intelligibilium. 687.p
Phantasmata hominis quo pacto differant speçie à phantasmatis belluarum. ibidem
Phantasma quando primum illustretur actione intellectus. ibid.m
Phantasma an detur substãtiæ, ac cæterorum materialium entium, & quid de facto sentiendum sit. 690.f
Phantasma vnum intensum & expressum sufficit ad eliciendã speciem intelligibilem, alicuius rei. 692.f
Phantasma vagum sufficit ad speciei intelligibilis generationem. ibid & seq.
Phantasmata concurrunt in genere causæ efficientis. 694.p
Philo sensit, res creatas esse verè efficientes. pag. 90.p.& m
Plura, quæ propriè dicantur. 315.m
Pondus non est vera species quantitatis. 348.f
Possibilitas in creaturis nõ est mera negatio, sed modus quidam. 648

## Potentia.

Potentia productiua propriissime dicitur de potentia productiua diuinarum personarum. pagin. 39.m
Cur Arist. in hoc libro definierit potentiam actiuã per respectum ad aliud: & quod de ipsius definitione non sit multum curandum in materia de productione diuinarũ personarum. ib.
Quot modis dicatur potentia naturalis alicuius subiecti respectu formæ: & quæ potentia dicatur simpliciter naturalis. 68.p.& m
Potentiæ in rebus naturalibus actiuæ sunt qualitates accidentales, & cur tam multæ potentiæ siue qualitates actiuæ sint in vnaquaque re. 79. & seq.
Potentia generandi, quæ terminetur adæquatè ad hominem generabilem, non datur in homine. 100.m
Quibus rebus fuerit ab antiquis Philosophis impositum nomen potentiæ. 138.p
Discrimen inter potentiam actiuam & passiuam potentiam ad finalizandum & informandum. pag, 138.f
Potentia actiua quomodo in Deo distinguatur, & in quot potentias à nobis diuidatur. ibidem. f
Potentia passiua reducitur ad prædicamentum, vbi ponitur actus eius primarius. 288.f
Potentia executiua immaterialis datur in anima nostra, quæ extra corpus operatiua erit, atque etiam, cum corpori glorioso coniuncta fuerit: otiosa tamen est in hac mortali vita. pag. 581.p.& m
Potentiarum quot sint genera, & de quibus loquatur Aristoteles. 537.p
Potentia passiua quomodo ab *Aristotele* definiatur. 477.f
Potens quot modis dicatur. pag 438.p. & f
Quæ pati possunt, qua ratione potentia dici possint. 478.m
Quid sit potentia logica. 481
Potentia, vt potentia, refertur ad obiectum, non autem ad subiectum. 507.p
Obiectum potentiæ videndi est aliquid commune luci & colori. 507.m
Potentia & impotentia quomodo sumantur in prædicamento qualitatis. 500.f
Potentia & impotentia non differunt specie, sed accidentaliter. 500.& 501
Potentia agendi & patiendi vt sint fundamenta relationum agentis & patientis. 544.m
Potentiæ sensitiuæ internæ, vt moueant exequutiuas. 575.m
Potentia executiua vbi distinguenda sit à voluntate. 319.p
Potentia executiua in Deo non est ratione distincta ab intellectu & diuina voluntate: vt nihil sit aliud, quàm ipsa diuina volitio practica. 52.p
Potentiæ apprehensiuæ cur abstrahant abstractione præcisionis, non sic autem potentiæ appetitiuæ. 668.p
Potentiarum apprehensiuarum quot sint genera. 669.p.& m
Potentiæ apprehensiuæ sensitiuæ semper apprehendunt res distantes cum aliqua differentia contrahente. 671.1
Potentias distingui ex obiectis, obiecta autem ex actibus, quomodo sit intelligendum. pag. 678.m
Potentiæ nomen duobus modis accipi potest. pag. 680.p
Potentia sensitiua non potest seiungere abstracta à concretis. 692.m
Prædestinati multi nunc sunt, qui non fuissent, si status innocentiæ permansisset, & qua de causa. 162.p

## Prædicamenta.

Prædicamenta esse impermista. 376.p
Prædicamenta sunt figuræ prædicationis. 318.p
Aristoteles cur non meminerit prædicamentorum Situs & Habitus, tradendo numerum prædicamentorum: vbi reiicitur expositio Auicennæ. 318.m
Prædicamenti nominis origo ac notatio. 323
Prædicamentum quo modo sumatur ab Aristotele, & qua ratione definiri possit. 424
Prædicamentorum tractatio siue perfecta siue imperfecta, ad solum Metaphysicum non spectat. 325.p
Prædicamentorum liber est pars Logicæ. ibidem
Prædicamentorum tractatio spectat & ad Metaphysicum, & ad Logicum, diuersa tamen ratione. 325.m
Prædicamenta tribus modis considerari possunt, & in qualibet consideratione ad quam scientiam pertineant. 325.m.& f
In Prædicamentorum libro agitur tam de rebus, quàm de verbis, sed Logica præcipuè ad voces intendit. 328.f
Dialecticus nec latius nec pressius agit de prædicamentis in sua propria consideratione, quàm Metaphysicus in sua. 329.f
Disputatio fusa de numero Prædicamentorum. 330. & 331
Qui Auctores ex veteribus senserint, prædicamenta non esse plura, nec pauciora, quàm decem. 333
Quæ sit optima ratio colligendi denarium numerum prædicamentorum. 334
Aristoteles cur dixerit posse reperiri in prædicamentis omnia prædicata dialectica. 336
Prædicamentum causæ formalis & finalis cur non detur. 336.m.& f
Prædicamenta peculiaria cur in causis, quatenus causæ sunt, constitui possunt, non sic autem in effectis, quatenus effecta sunt. pag. 337.m
Prædicamenta Vbi, & Quando, quomodo constituantur. 337.f
Prædicamenta duo cur non fiant ex veste & ex homine: item ex situ, loco, & tempore. 338.p & m.
Prædicamentum Habendi quo pacto constituatur, & vnde habuerit originem. 339.p
Prædicamentum Situs non distinguitur re vera

à cæteris prædicam. sed tantum populari quadam consideratione. 341.m
Prædicamenta non distinguuntur inter se necessariò realiter. 344.p
Prædicamenta distingui inter se formaliter non est necesse. ibidem
Prædicamenta distinguuntur per modos essendi & prædicandi de primis substantiis, sed prius natura per modos essendi. 344.m
Prædicamentales conditiones ad quatuor prima prædicamenta propriè pertinent. 346.m
Sola prima quattuor prædicamenta esse propriè prædicamenta, secundum nonnullos. ibid.
Prædicamenta sex vltima non sunt verè prædicamenta. 346.m.& f
Prædicamentorum distinctio per varios essendi modos, nullo modo pendet ab operatione intellectus. 348.p
Prædicamentum Quando, an contineat solas rerum existentias. 349.p.& m
Impossibilia reiiciuntur à prædicamentis. 350.p
Negationes omnes siue puræ illæ sint, siue priuatiuæ, reiiciuntur à prædicamentis. ibid.
Varietas opinionum quoad Angelos & corpora cœlestia an ponantur in prædic. 387.m
Prædicari de pluribus vt de subiectis, quid sit propriè. 396.f
Aristoteles cur in tractatione Prædicamentorum semper vsus sit numero multitudinis. 562.m
Prædicamenta sex vltima non distinguuntur à superioribus, quia sint genera absoluta cum respectibus. 564.p.& m
Ammonius explicatur, cum dixit, sex vltima prædicamenta esse quasdam præcedentium prædicamentorum complicationes. 564.m
Prædicamenta sex vltima sunt formæ extrinsecus denominantes. 566.f & seq.
Prædicamenta sex vltima quo modo sint accidentia. 569.p
Prædicamenta sex vltima, quomodo inter se distinguantur contra nonnullos. 566.567
Et quæ distinctio inter ea sufficiat. 573 p
Prædicamenta sex vltima non confici ex entitatibus quibusdam intrinsecis, colligitur ex argumentorum solutione. 569.m
Prædicamentum Vbi, rebus omnibus attribui potest. 586.p
Prædicamentum Quando, conficitur ex solo tempore. 588.m.& f
Discrimen inter ea quæ ponuntur in prædicamento Vbi, & prædicamentum Quando. pag. 599 p
Externè mensurare cur dicatur conditio necessaria eorum, quæ sex vltima prædicamenta conficiunt. 599.p
Aristoteles explicatur, cùm ternarium tantum prædicatorum numerum tradidit libr. 1. Top. 709.f

## Principia.

Principium septem modis dicitur, qui omnes ad quinque reduci possunt: & cur modos minus principales ad vnum præcipuum Aristot. non reuocauerit. 4.& 7.m
Principia motus & temporis, reuocantur ad principium primo modo sumptum. 4.f
Principium magnitudinis non est simpliciter notissimum, & quomodo ex motu variari possit. pag. 4.f.& 5.p
Principium primo & secundo modo quid sit. pag. 4.& 5.m
Dictum illud Platonici Athenensis: Rectum principium numquam satis laudatum, de quo principio intelligatur. 5.f
Discrimen inter principium magnitudinis & principium motus ac temporis. 5.p
Confutatur sententia quorumdam malè interpretantium nomen illud etéra in definitione principij primi modi positum. 5.m
In disciplinis maximè habenda est ratio inchoandi, vnde illæ optimè percipiantur 5.f
Cur in Mathematicis scientiis eadem sint principia rerum & disciplinæ, non autem in Philosophia siue naturali, siue diuina. ibid.
Commodum principium reducitur ad principium secundo modo. ibidem
Principium tertio, quarto, quinto, & sexto modo quid sit. 6
Quod membrum in animali primum viuat, variæ Doctorum sententiæ. 6.p
Quæ pars in genere partium integrantium & essentialium principium dici possit, & quomodo. ibidem
Artes architectonicæ principia dici possunt & quomodo, & an verè moueant. 6.f
Potentatus, principatus, ac Reges, quomodo principia dici possunt. ibidem
Principium septimo modo quid sit, iuxta Trismegisti sententiam. 7.q
Principij tractatio ad Metaphysicum pertinet, & quibus de causis. 8.m
Principium, quatenus principium, necessariò non est post aliud. 8.f
Principium aliquo modo referri debet ad aliquod principiatum. 8.f
Posito principio non est necesse consequi principiatum. ibidem
Principia in potentia comprehenduntur in definitione principij tradita ab Aristot. lib. Poetices. ibidem
Cur principiorum generi conueniat definitio tradita ab Aristotel. libr. Poetices. cap. 7. 8. f & 8.m
Principij definitio, ab Aristotele tradita quinto libro de Generatione animalium, capite septimo declaratur. 8.m
Nulla res dicitur propriè prima respectu alterius tantum, sed prior. 9.p
Principij definitio tradita ab Aristotele in libro Poëtices cap. 7. fusè declaratur. 8. m. & quomodo exactè sit intelligenda. 8 f
Principij definitio ab Aristot. tradita Physico. libro cap. 5. copiosè & fusè declaratur. 9.& 14. & sequent.
Principij definitio tradita cap. 1. huius libri, fusè declaratur ac præ cæteris probatur pag. 9. & sequent.
Particulæ Vnde, & Aliquid, positæ in definitione tradita primo capite huius libri quàm latè sumantur. 10.p.& m
Principia in potentia non comprehenduntur in definitione principij, quæ habetur primo capite huius libri. 10.p
Ordo ad aliquid cuius sit principiũ, est de completa principij ratione. 10.p
Variæ rationes ad ostendendum rectè ab Aristo. dictum esse in definitione principi, Aut est aut fit, aut cognoscitur. 10
Tria sunt rerum genera, quæ principium habere possunt. 10.m
Tria sunt potissimum principiorum genera, essendi, effectionis, & cognitionis, & quomodo inter se distinguantur. 10
Non omnibus causis, quæ principia ipsæ quoque appellantur, conuenire videtur definitio tradita primo capite huius libri. 10.f
Principia appetitionis & operationis non videntur comprehensa in supradicta definitione. ibid.
Principium, quod datur in diuinis personis, non videtur comprehensum sub dicta definitione. pag. 13.p
Principia essendi, sunt etiam operandi, saltem prima. 11.f
Principia proxima operandi, quomodo comprehensa in definitione principij. ibid.
Principia appetitionis passiuæ sunt eadem cum principiis cognitionis. 12.p
Causæ omnes dici possunt principia, ac proinde prima quædam, non tamen necesse est omnes causas esse primas. 12.m
Explicatio eius quod dicitur, principium est primum quid vnde aliquid, &c. ibid.
Principio in diuinis, conuenit definitio principij, quæ traditur in 1. cap. huius lib. ibid.
Principia cognitionis non dicuntur absolutè principia, sed cum additione. 13.p
Primum negatiuè sumptum, latius patet, quàm principium. 13.m
Principium esse primum, non est proprietas, quæ cum principio conuertatur. ibid.
Principium quomodo definierint Theologi, eiúsque explicatio definitionis. 11 m.& 13.f
Quàm rectè Aristo. definierit principium initio huius libri, explicatur. 13.f
Nonens potest esse principium. 13.f
Reiicitur sententia existimantium sola principia rerum generabilium & corruptibilium esse tradita in definitione principij primi libri Physi. pag. 16.p
Magis comprehenduntur in definitione principij primi libri Physi. principia constitutionis quàm generationis. 16.f
Priuatio non videtur posse dici principium à quo, & quomodo principium sit. 17.m.f
Quid per nomen primorum intelligat Aristot. dum probat prima contraria esse principia in primo Physi. 20.f
Principia, ex quibus res cognoscuntur, non videntur posse dici priora saltem omnia. 21. p
Nullum principium esse prius, eo cuius est principium, quo pacto probari possit. 22.p
Primum negatiuè potest esse primum positiuè, & omne quod supponitur ab aliquo, est prius illo. 22.m
Principium debet esse prius eo, cuius est principium. 22.m.& seq.
Ex prioritate naturæ colligitur semper inæqualitas, non autem ex prioritate originis. pag. 25.p
Aliud est supponi ab aliquo, aliud ab eo pendere, idque declaratur in principiis ipsis. pag. 25. m.& f
Omne principium, supponi ab eo, cuius est principium, quo sensu potest esse falsum. 25.f
Refertur sententia eorum, qui negant vbicumq; datur ordo, dari prioritatem. 26.p
Expositio verborum Ioannis, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*, multorum Patrum. 34
Exponitur locus D. Thomæ ex prima parte, ex quo probari videtur dari ordinem sine prioritate & posterioritate. 27.p
Inter ordinata semper datur prius & posterius. pag. 27.m
Declarantur verba Athanasij in Symbolo, Nihil prius aut posterius, &c. 28.m
Principia cognitionis, quibus multa à posteriori cognoscuntur, non sunt posteriora eo, cuius sunt principium. 28.f
Quot modis potest dici principium, & principiatum. 28.f
Principium producens latius patet, quàm principium efficiens. 30.p
Referuntur variæ opiniones eorum, qui volebant, principia debere esse æterna. 30.m.& f
Quodnam fuerit Aristo. institutum, in tradenda in primo capite huius libri principiorum distinctione. 30.f
Quibus rationibus probetur rectè ab Arist. fuisse posita

posita initio huius libri septem principiorum genera. 3.p.& f
Ratione ordinis non potest rectè colligi principiorum distinctio in principio huius libri posita, vt aliqui volunt. 32.p
Principium motus reuocatur ad principium, vnde motus incipit. 32.f
Item principium temporis, quod est instans. ibid.
In primo & secundo modo principiorum, designatur principium magnitudinis, ac reiicitur expositio D. Thom. contra sentientis. ibid.
Exponitur locus Arist. ex 4. Physic. ex quo probari possit, prius & posterius in motu sumi ex priori & posteriori in magnitudine. 33.p
Principium producens comprehenditur in definitione communi principiorum tradita hoc lib 1 capite. 33.f
Item principium creans, & vtrumque principiū, diuinarum personarum. 34.p
Cur Aristoteles vocauerit lib. 2. de Generatione, qualitates elementorum principia, & ad quod nam genus principiorum reuocari possint. ibid.
Ineptum principium non censetur principium. 33.f
Explicatio illius prouerbij, principium esse dimidium rei faciendæ. ibid.
Principium formale, finale, & exemplare reducitur ad principium cognitionis. ibid.
Quomodo solus Deus dicendus esset principium. pag. 34.m
Explicatur locus Aristot. ex primo Physic. vbi habetur, principia oportere semper manere. ibid.
Principij relatio in quibusdam est realis, in quibusdam rationis. 35.p
Principium, quocumque modo sit analogum, semper prius dicitur de Deo. 35.m
Principium in diuinis est analogum. ibid.
Principium est analogum proportione. 36.m
Vnum genus principij non pendet ab alio in ratione principiandi. 36.f
Principium non posse dici vniuersè analogum. ibid.
Principium quo pacto potest dici analogum attributione: conciliantúrque in hac sententia Auerroes & Albertus contra Iandunum. 37.p & m
An sit verum quod dixit Auerroes in hoc capite: Principium dici primum de principio finali. 37.m
Principium perfectius dicitur de eo, vnde res perfectiori modo procedit. 38.m
Quomodo sit accipiendum pronunciatum illud, Primum in vnoquoque genere esse causam cæterorum. 40
Quisnam sit ordo constituendus in principiis productiuis. 39.f
Productio æquiuoca, & vniuoca sunt inter se perfectiores. 39.f
Non omne principium est ens, omnis autem vera causa est ens. 41.p
Principium & causa quomodo, inter se differūt. ibid.
Non rectè dicitur à nonnullis, inter principium & id, cuius est principium, dari ordinem, & tamen non semper vnum esse prius natura altero. 42.p
Explicatur locus Arist. in fine primi capitis huius libri, vbi habetur tot modis dici causam, quot, principium, & simul reiicitur quorumdam expositio. 43.p.& m
Cur sit negandum, principium & principiatum esse correlatiua, & de quo dicendum sit principium correlatiuum. 43.f
Principia & causæ quomodo differant ab elemento & natura. 200.m
Priora & posteriora & quot modis dicantur. pag. 472.p & m
Primum quot modis sumatur. 472.f
Principium agendi vel patiendi facit substantias corporeas existere in loco definitiuo generali quadam ratione, non tamen circumscriptiuè. pag. 594.p
Principium motus & actionis, an terminus dicendum sit. 604

## Principium indiuiduationis.

Indiuiduationis nomine quid sit intelligendum: cum disputatur hoc libro de principio indiuiduationis. 275 f.276.p
Auctores, qui videntur velle principium indiuiduationis fieri per accidentia, quo pacto intelligendi. 278.p
Indiuiduationis principium non est existentia. 315. neque agens contra Henricū. 278.& 279
Principia indiuiduationis sunt facta, nō proinde natura sua indifferentia. 279.m
Caietanus retractauit eam sententiam de principio indiuiduationis, quam sequutus fuerat in libello de Ente & essentia. 289.p
Item qua ratione dicatur apud Arist. ac D. Tho. materiam signatam esse principium indiuiduationis. 289.f
Indiuiduatio cur non per qualitates, sed per dimensiones quantitatis tradatur à D. Thom. atque adeo ab Aristotele. 290.p
In principio indiuiduationis perquirendo, quas conditiones spectare debeamus. 293.p
Principium indiuiduationis est positiua quędam differentia, & primo incommunicabilis. pag. 293.p.& m
Differentiam indiuidualem esse principium indiuiduationis, Arist. & D. Thom. senserunt in rebus tantum materialibus. 294.m
Differentiæ indiuiduantes inter se conueniunt analogicè. 296.p
Principia indiuiduantia non supponunt naturas singulares, contra Caietanum. 297.p.& 297.m
De iudiuiduis singularibus quo pacto possit agere Philosophus. 378.p

Priuatio quotuplex sit. 611
Priuationes reales. quo modo indigeant vtraque existentia, & positiua subiecti, & sui negatiua. pag. 773.m
Productio passiua, seu emanatio, quæ cernitur, tam creatione quàm in generatione, non est accidens absolutum, sed modus essendi inchoatiuus. 148.p
Productio & conseruatio in quibusdam sunt æque faciles vel difficiles, in quibusdam vero non. pag. 161.f
Produci quid sit propriè. 446.f
Propositiones in quibus fiunt huiusmodi prædicationes, Homo albus est animal, &c. an sint contingentes vel necessariæ. 435.436.& 437
Propositiones, in quibus homo prædicatur de Deo, quomodo sunt intelligendæ. 448.& seq
Propositionem per se, veram esse cum reduplicatione subiecti, & quo sensu accipiendum sit. 450.p

## Proprium & Proprietas.

Proprietates, quæ à subiecto distinguuntur, re ipsa possunt separari, vt res quædam sunt non tamen vt proprietates sunt, contra Nominales. 254.m.255.256
Proprietates, quæ non distinguuntur re ipsa à subiectis, per vllam potentiam separari non possunt à subiectis. 254.p
Propria & accidentia naturæ assumptæ, ad vulgatam speciem accidentis pertinent. 450. 451
Proprium quo pacto sit species vniuersalis. 710.p
Propria aliqua an à principiis essentialibus subiectorum non oriantur. 756
Proprium ex vi nominis quid sit. 757.f
Proprium quomodo variè ab Aristotele distinguatur. 758
Proprium quibus nominibus apud Porphyrium exprimatur. 758.f.&759
Proprij definitio ex Porphyrio refellitur. 961.m
Propriorum gradus diuersi. 763.m
Propria omnia non requirunt in subiecto causam sui adæquatam. 764.p
Quæ propria non suscipiunt magis & minus. pag. 765.m
Proprietates rerum quasdam esse probatur. 767
Pulchritudo non pertinet ad prædicamentum qualitatis. 494.f

## Qualitas & Quantitas.

Qualitates medias non esse per se oppositas. pag. 366
Qualitates graduales non omnes existere in subiecto habente partes. 465.f
Qualitates motiuæ grauium & leuium, an sint definitæ in initio cap. 12. 477.m
Qualitas quot modis dicatur. 486.p
Arist. explicatur, cum dixit hoc libro cap. 14. differentias essentiales esse qualitates, quia reduntur ad quæstionem Quale est. ibidem
Qualitas essentialis cuius dicatur esse qualitas. pag. 487
Qualitatis genera omnia ad duo præcipuè reuocantur. 488.f.& 489
Qualitatis diuisio libro Prædicament. tradita, non est generis in modos quosdam accidentarios speciebus qualitatis. 492.m
Arist. cur species qualitatis modos appellauerit. 492.f
Qualitatis diuisio tradita libro Prædicam. est generis in species, nec in ea aliquid deest aut supereſt. ibidem
Qualitas quàm aptè diuisa sit in suas species ab Arist. ratione D. Thom. ostenditur: quæ & fusius declaratur. 493.p
Qualitatem rectè ab Aristotele diuisam fuisse in suas species alia ratione ostenditur. 494.p
Rationes, quibus probatur qualitatis species rectè esse traditas, inter se conferuntur, & vtra melior sit examinatur. 496.p.& 496.m
Qualitas patibilis non differt à passione specie, sed accidentaliter. 501.f.& 502.p
Qualitas quo pacto sit fundamentum similitudinis & dissimilitudinis. 544.545
Quantitas in corporibus quam actionem impediat, quam vero non. 93.m
Non potest assignari terminus communis in partibus quantitatis, quo duæ substantiæ inter se diuersæ continuarentur. 225.p
Quantitatem sequi materiam, qualitatem verò formam, quo pacto à Philosophis vsurpetur. pag. 335.p
Quantitas quid sit. 483.p
Aristoteles cur de quantitate agit post prædicamentum substantiæ. ibidem
Quantitatis formalis ratio non est esse mensuram. 486.487
Quanta per se & quanta per accidens, & quot ob causas dicantur. 484
Quantitatis natura non consistit in eo, quod sit diuisibilis in partes eiusdem rationis. 487.488
Quantitatis ratio formalis est, esse ens extensum. 489.m.& f

Quantitatem esse diuisibilem, pertinet ad secundum modum dicendi per se. 490.p
Quantitatem esse extensam, pertinet ad primum modum dicendi per se. ibidem
Quantitas quo pacto contrahatur & extendatur. 491.f
Quantitatem esse per se sensibilem. 494.f
Quantitatis duplex est extensio: & quænam illarum possit separari à quantitate. 492.f & 401 f
Quantitas & realiter & formaliter distinguitur à pluribus rebus quantis contra Nominales. pag. 403.m
Quælibet res si esset sua quantitas, necessario plures magnitudines trinæ dimensionis essent in eodem loco. 401.f
Quantitatem distingui realiter à suo subiecto, conuincitur ex mysterio Eucharistiæ. 495. & 496
Quantitatis quomodo sit maximè propriũ æquale, & inæquale dici. 481.f
Quantitas diuina virtute sublata, non potest iterum emanare ex vi naturæ vt cæteræ proprietates. 594.m
Quantitas quo magis & minus suscipiat. 765.f
Quies in fine est consummatio actionis eiusdem finis. 123.p

RAtiones caussandi quomodo sint entia absoluta. 144
Rationes caussandi non sunt relationes. 149.p
Rationes caussandi sunt ipsæ res actu concurrentes ad effecta. 149.f
Ratio fundandi relationem quid sit. 511.f

## Relatio Relatiua & Relatum.

Relationes creatas dari reales in Philosophia, in dubitatum ponitur. 509 f
Relatio realis non est actu nisi inter duo extrema realia, re omnino distincta, & verè existentia. 515
Relatio realis non potest esse, nisi eius fundamentum sit reale, & re distinctum à fundamento relationis ex altera parte respondentis. 516.p
Relatio identitatis genericæ & specificæ materialiter sumptæ non est realis. 517.m
Relatio identitatis contingentis est realis. 517.f
Relatio Dei ad creaturam, nulla realis esse potest. ibidem
Relatio, vt sit realis, quid requirat. 516.f
Relatio totius ad singulas partes, vel ad omne partes simul non est realis, & quando relatio partium inter se dicenda sit realis. 519.m
Relatio dominij & seruitutis non semper, & in quibus sit realis. 519.f
Relatio realis, an & quomodo distinguatur à suo fundamento. 520.p
Relatio realis non potest esse rei proprietas. 523.f
D. Thomas an senserit relationem creatam realiter differre à suo fundamento. 523.p. & seq.
Relationum realium non rectè traditur ea distinctio, qua diuiduntur in reales respectus, & reales denominationes relatiuas desumptas ex variis rebus. 525.m.& f
Relatio realis quid sit & quotuplex. 555.f
Relationum rationis varia genera colliguntur. pag. 515.& seq.
Relationes, quæ æquè conueniunt rebus cum actu non existunt atque cum actu existunt, non sunt reales sed rationis. 516.f
Relationes rationis non est necesse, vt existant ad terminandum relationes reales, dummodo conueniant actu rebus, ad quas opposita referuntur. 538.f.539.p
Explicatur Scotus in 1.sent.d.15 cum dixit, relationes rationis non esse in memoria. 705.p
Relationes rationis, licet rebus conuenire possint sine operatione intellectus, non possunt tamen suo modo existere, nisi obiectiuè in intellectu. 767.p
Relatiua rationis quæ sunt tertij generis, non possunt habere realitatem à relationibus realibus correlatiuorum. 537.& 538
Relatio in diuinis, vt dicatur dare esse absolutum. 410.p
Extremum in relationibus quid sit, & vnde dictum. 511.p
Fundamentum relationis quid sit, & quod in omnibus prædicam. inueniatur. 511.p.& m
Terminus relationis quid sit. 511.f
Relatiua secundum dici, quot modis dicantur. pag. 512.p
Relatio & relatiuum quid sit. 510.m
Relationis nomen, vsu Philosophorum, significat eam habitudinem vnius ad alterum, secundum quam fit comparatio. 518.m
Relationes vt incipiant esse, & discrimen quoad hoc inter passiones & relationes. ibidem
Relationis agentium fundamentum, est forma substantialis. 518.f
Relationum mirabilis natura. 518.m
Relationem distingui à suo fundamento non nisi per intellectum, nullo modo potest defendi, vt Philosophiæ ac Theologiæ contrarium. 512
Aristoteles cæterique Philosophi quomodo sint intelligendi, cum negant aduenire semper relationem mutato subiecto, cui aduenit. 522.n
Relatio omnis creata non distinguitur re ipsa à suo fundamento. 523.m.& 524.p
Relationem perire manente fundamento, non arguit distinctionem realem. 526.p
Relatio non distinguitur à fundamento modali distinctione. 527.& seq.





Relatio distinguitur à fundamento formaliter. pag. 527.& seq.
Relationis entitas non habet duo esse, alterum. esse In, alterum vero esse Ad. 530.p
Relationes esse perfectiones rerum, quibus insunt, non recte probatur ex eo quod sint entia. 530.m
Relationes prædicamentales nullam dicere perfectionem, non recte probatur argumento ducto à relationibus diuinis, nec ex eo quod dicant esse aliud. 531.p.& m
Relationes prædicamentales quo pacto non sint perfectiones formales, & quo sensu dicunt perfectionem aliquam. 531.f
Relationes licet dicant perfectiones, non tamen infinitæ perfectiones concedendæ sunt in re aliqua. 533.m.& f
Relatiua omnia non terminantur terminis absolutis. 534.535
Relatio scientiæ vt percipiatur, quid sit satis. p. 536.f
Relationes tertij generis terminantur terminis respectiuis, etiam cum altera tantum ex parte sit realis. 538 f
Relationes temporales creaturarum ad Deum & Dei ad creaturas, cur in tertio relatiuorum genere ponantur. 545.546
Relationes plures dari in eodem subiecto solo numero differentes, quo modo accipiendũ sit. exponitúrque hac in re D. Thomas. 552.m
Filius vna tantum relatione refertur ad patrem & matrem. 513.p
Relatio, & relatum quo modo dicantur vniuoce de inferioribus. 563
Relationum quæ vniuersalibus, vt vniuersalia sunt conueniunt, duo sunt genera, aptitudinalium, & actualium. 702.m
Relationes aptitudinales perpetuo conueniunt vniuersalibus. ibid.
Relationes actuales essendi in pluribus, quæ perpetuo conueniant vniuersalibus, quæ verò non. 703.p
Relationes actuales prædicandi quando conueniant vniuersalibus. ibid.
Relationes quæ vniuersalibus conueniunt, non nisi obiectiuè existere possunt. ibid.
Relationes vniuersalium propriæ duobus modis possunt obiectiuè existere, formaliter & fundamentaliter. 703.p.704.p
Conciliantur variæ Doctorum sententiæ de relationibus vniuersalium propriis. 703.704
Relationes aptitudinales vniuersalium nõ sunt enumerandæ simpliciter inter secundas intentiones. 705.m
Relatiuorum genera duo alia traduntur. 508. 509.p
Relatiua transcendentia realia, rationis, mutua, & secundum esse, quæ sint apud Philosophos. 513.514
Relatiua omnia tertij generis terminari ad sua correlatiua formaliter sumpta. 536.p
Relatiuum definiri per alterum relatiuum, quo pacto sit rectè intelligendum. 546.m
Relatiuum non semper pluribus relationibus refertur quandocunque plura respicit. 546.f. 549.p
Relatiuum potest habere plures relationes siue eiusdem speciei, siue diuersæ, & quo modo ibid.
Relatiua quædam, qua ratione suscipiant magis & minus. 151.m
Relatiua simul esse natura qua ratione sit intelligendum. 705.p
Relata secundi & tertij generis quæ sint. pag. 506.507.p
Explicatur discrimen ab Aristotele positum inter relata. 540.& seq.
Relatum commune ad quid referri potest, & ad quid non, fusè disputatur. 559.& seq.
Relatorum per accidens duo sunt genera. 508.p
Relati nomen duobus modi accipi potest. 560.p
Relatum commune, actu, an potentia referatur. pag. 560.p.m
Relatum commune refertur ad omnes terminos inferiorum relatorum quæ proximè referuntur. 561.m
Relatum commune pertinet ad essentiam sui termini. ibidem.
Relata communia qua ratione comprehendi possint in definitione relatorum. ibid.

## Res.

Res non dicitur propriè fieri ex exemplaribus, efficientibus, aut finalibus principiis. 9.f
Improprie aliquando dicitur, rem fieri ex efficiente. 42.m
Magis proprie dicendum est, rem cõstare ex sua forma intrinseca, quàm fieri ex illa. ibidem.
Res naturales essent per accidens actiuæ, si formæ substantiarum nõ essent productiuæ aliarum substantiarum. 76.f
Res in eo instanti, in quo producitur, agere potest. 81.f
Eadem actione, qua ponitur subiectum, ponitur & eius passio. ibidem.
Res omnes creatæ aliquid agunt, absurdáque aliter asserentium enumerantur. 88.89
Res solas incorporeas agere, opinio quorũdam fuit, quæ refellitur, simúlque ostenditur esse absurdissimam. 92 & 93
Rem esse naturaliter efficientem huius vel illius effectus, non est profectum ex mera Dei voluntate. 90.f
Res vt concurrunt ad suos effectus non plus habent

bent entitatis, quã si absolutè sumantur. 150.f
Mutationes rerum naturalium, etiam si omnes dicerentur naturales respectu materiæ, ipsa tamen materia non esset dicẽda primo natura. 202.m
Res naturales distinguuntur ab artificialibus non solum per formam, sed etiam per materiam. 105.p
Res naturales debere dici tales per indifferentiam ad motum & quietem, qua ratione intelligendum. 21[illegible]
Nulla res caussatur ab ideis diuinis secundũ esse reale: contra Henr. de Gandauo. 249.m
Puræ negationes possunt suo modo existere ab æterno, non sic autem priuationes. 250.f
Res omnes non esse ex se indiuiduas. 280. & seq.
Res omnes, si essent ex se indiuiduæ, nulla esset natura communis. 281.282
Rem esse per se singularem, quid propriè significet, opinióque Durandi impugnatur 282.f
Res diuersorum prædicament. conuenire in eadem entitate, quo pacto intelligendum sit. 346.f
Res fiunt extensæ per solam molẽ corpoream. pag. 594
Res & non nomina esse vniuersalia sensit Plato, eiúsque sententia explicatur. 630.m
Rerum, quasdam esse singulares per se, quasdam vero per accidens. 633
Auctores, qui dicunt, res tantum operatione intellectus fieri vniuersales, quomodo exponendi sint. 664.m
Res significatas tribus modis dici falsas. 774. & 775
Verum discrimen rerum, ex earum definitionibus sumendum est. 762
Resolutio duplex est, realis & rationalis. 192.p

Sacramenta nouæ legis vt agant. 91.f
Sacramenta cur Deo cooperentur ad productionem accidentium supernaturalium. p. 101.p
Sacramenta nequeunt cõcurrere ad productionem gratiæ extra subiectum. 102.m
Maius est, aliquid ex nihilo facere, quàm transubstantiatio in Sacramento. ibid.
Sanitas non pertinet ad prædicamentum qualitatis. 491.p
Scotus notatur, quod implicitè id concesserit quod negauit. 164.f

## Sensus.

Sensum in actu esse sensibilia omnia, quo pacto intelligendum sit. 463.p
Sensu nihil percipitur absente obiecto. 669.f
Sensus communis cur ita dicatur, & eius officium. 670.p
Sensus interni possunt intellectui proxime ministrare, licet vnus eorum proximus ministrer constitui debeat. 672
Sensus internos quattuor esse, perperã colligitur ex quatuor cerebri ventriculis. 682.f
Sensus internos esse quattuor, non rectè colligitur exeo quod aliqui facilius, vel difficilius recipiunt. 675.p.& m
Sensus interni sunt duo tantum, sensus communis, & phantasia. 675.676
Sensus communis distinguitur loco & officio à phantasia. 676.m & 677
Sensus internos esse tres, quomodo non rectè colligatur ex triplici specie phrenitidis: neque ex eo quod aliqui plus valeant imaginatione, aut iudicio, &c. 677.f & 678.p
Explicatur locus Arist. ex libello de Memoria, & reminiscentia, ex quo videtur posse colligi, vnum tantum esse sensum internum. 677.f
Sensus communis quo modo distinguatur specie à sensibus externis 678.f
Nihil efficit immediatio præsentiæ cuiuslibet sensus ad immediationem ministerij. 679.f

Socratis lepida responsio refertur. 90.p
Soni omnes sunt eiusdem speciei, nec propriè intenduntur & remittuntur. 467.p

## Spatium.

Dantur duo spatia infinita, non fictitia, & simpliciter necessaria. 245.f
Spatium trinæ dimẽsionis fusum dari, ac esse speciem quantitatis continuæ permanentis, quo pacto veteres Philosophi probant. 537.f & 538.p
Aristoteles cur spatium illud, quod veteres Philosophi locum esse asserebant, probauerit in libro Prædicamentorum. 538.m
Opiniones duæ de spatio & loco. 538.p
Spatium non esse verum ens. 538
Spatium non esse speciem quantitatis. ibidem.
Philoponi sententia reiicitur, qui fecit spatium, quod locum existimat, quantitatem immaterialem. 539
Spatium imaginarium extra cælum, & quod à corporibus occupatur quid sit, & vbinam sit. pag. 539.f.& 540.

## Species.

Species & indiuidua comprehenduntur sub definitione principij primi libri Physicorum. pag. 14 & 15
Species alicuius obiecti visibilis nõ potest à Deo cõseruari annihilato priori obiecto, & de nouo, alio simillimo producto, oculus tamẽ non distin



distingueret prius obiectum à posteriori. 161. f. & 162.p
Species omnes an possint dici vnum cum suo genere siue proximo, siue remoto, & quo modo. 265.p
Plato cur prohibuerit descensus sub speciem infimas. 277.p
Speciem esse totum respectu indiuidui, quo pacto intelligendum est. 277.f. & 278.p
Species cur similes numeris esse dicantur. 362 m
Aristoteles quomodo intelligendus sit, cum dixit ad finem cap. 10. Quæcumque in eodem subiecto differentiam habent, etiam specie differre. 470.m
Species internorum sensuum omnes differre specie, non est probabile. 471.f
Species intelligibiles Angelis concreatæ, sunt in prima specie qualitatis. 495.f
Species intelligibiles quo pacto naturas communes repræsentent. 587.m
Formarum species quo pacto sint à primo auctore determinatæ. 717.f
Speciem esse primum, sed non adæquatum correlatiuum generis. 726.
Sphæra tangit in puncto ad actum redacto per designationem: vel in puncto eminenter existente in magnitudine. 527.f.528.p
Sphæra, si per planum moueatur, falsum est non moueri nisi per puncta. 529.p. & 530.p

## Subiectum.

Subiectum secundum suum esse substantiale, saltem natura, præcedit esse accidentis. 63.m
Nullum subiectum pendet in suo esse à sua forma accidentali tamquam à caussa simpliciter. ibidem
Subiectum scientiæ subalternantis non est opus vt sit eius per se compositum. 511.f
Subiectum colorum & saporum quid sit. 624.f
Subiectio indiuidui ad genus qua ratione completa & incompleta sit. 731
Subiicibile in quid incompletè, cur sit analogum. 731.m
Subiectum certum numero, non exposcit necessario certam numero potentiam. 771.f

## Subsistentia.

Subsistere quinque modis vsurpari: & quo pacto. pag. 403.p
Subsistentia essentialis vnica an sit in Deo, & tres personales. 495.f. & 496.p
Subsistentia si pro suppositi subsistere accipiatur, tres sunt in Deo Subsistentiæ personales, nulla essentialis. 405.p
Subsistentia, si pro ipsa ratione subsistendi in diuinis sumatur, vnica est essentialis subsistentia, & personales tres secundum veriorem ac communem opinionem. 408.m.& seq.
Subsistere personale, vt virtute distinguitur à diuina essentia, nullam perfectionem adiungit. 410.f
Subsistere duobus modis potest accipi. 411.f
Subsistentia quomodo differat ab existentia. pag. 412.p
D. Thomæ varia loca conciliantur, in quibus variè locutus videtur de subsistentia. 425

## Substantia.

Substantiæ nomine quid significauerit Aristoteles cap. primo, prope finem. 7.f
Substantiæ separatæ non mouentur motu passiuo vllo, cui conueniat definitio naturæ. 211.m
In substantiis separatis tot sunt indiuidua, quot species ex mente Aristotelis ac D. Thom. pag. 285.p. 286.p
Substantiæ primæ quo pacto ponantur in prædicamentis. 338.p
Substantia, vt constituit primum prædicamentum, non est quid analogum. 338.f
Substantia & accidens non sunt opposita contradictoriè. 340.f
Substantiæ ponuntur in prædicamentis, vt significantur nominibus concretis. 352.m
Substantia quattuor modis dicitur, & primo modo quid sit, & quæ ad illam reuocentur. 370 m. & 371 p. & 396.p
Substantia secundo modo quid sit. 371.p & 396 p
Substantia tertio modo quid significet, & quænam fuerint principia corporum sensibilium apud Platonem & Pythagoram. ibidem
Substantia quarto modo quid significet, & quæ ad illam reuocentur ex sententia Aristotelis. ibid.
Substantia analogicè dicitur de Deo & creaturis. pag. 379.m
Explicatur locus Aristot. ex 2. de Anim. cap. 1. ex quo probari posset, materiam & formam per se ad prædicamentum substantiæ pertinere. 386.m
Aristoteles, cùm dixit, partes substantiç esse substantias in Prædicamentis, quo pacto intelligendus. 386.f
Explicatur locus Aristotelis ex libro Prædicamentorum: ex quo aliqui colligunt, partes integrantes substantiæ poni per se in Prædicamentis. 387.p
Substantiæ Prædicamentum est commune corporeis, & incorporeis, corruptibilibus & incorruptibilibus substantiis: siue Metaphysicè, siue Physicè, siue Logicè consideretur. pag. 388.& 389.p
Corruptibile & incorruptibile differre genere, vt habetur decimo lib. Metaphysic. quo pacto sit intelligendum, nec probatur ex eo, solam substantiam corruptibilem facere prædica-

mentum ſubſtantiæ. 589.f
Subſtantiam eſſe ſuſceptiuam contrariorum, quo pacto ſit intelligendum. 391.m
Subſtantias corporis expertes finitas, ſubſtare omnes accidentibus. 391.m
Singulariter ſubſtantiæ creatæ in abſtracto ſumptæ, cur non ſint primæ ſubſtantiæ, & cur non pertineant per ſe primo ad prædicamentum ſubſtantiæ. 413.f
Subſtantia vnde dicta: quæ & quatuor modis accipitur. 396.p.& f
Subſtantiæ primæ definitio explicatur, ſimulque an Deo conueniat, & quo pacto. 396.m
In diuinis tres eſſe primas ſubſtantias, quo pacto concedi poſſit. 396.m
Subſtantiarum ſecundarum definitio explicatur, quæ Deo minimè conuenit. 398
Subſtantiam completam eſſe non eſt idem atque eſſe incommunicabilem. 400.f
Subſtantia cur definiatur ens per ſe exiſtens. pag. 421. p
Prima ſubſtantia creata quid addat naturæ ſingulari abſtractæ. 414.p
Quicquid aduenit ſubſtantiæ in eſſe completo, accidentaliter aduenire, quo pacto intelligendum ſit. 448. f
Subſtantiæ proprium eſſe ſuſcipere contraria, quo pacto intelligendum ſit. 499.m
Subſtantia corporea prius natura, quàm ſit quanta habet actu partes integrantes, & quomodo. pag. 407.p.m.& f
Subſtantia conſeruata ſine quantitate, quo modo manſura eſſet in loco: vbi & quidam dicendi modi reiiciuntur. 498.f.& 499.f
Subſtantia quæ ſuapte natura eſt capax loci naturalis, non poteſt à Deo conſeruari extra omnem locum. 500.p
Subſtantia duobus modis dicitur fieri per ſe. pag. 449.m
Subſtantia quomodo dicatur fieri per accidens. ibidem
Philoſophi cur dixerint vnam ſubſtantiam non fieri ex alia niſi per accidens. ibidem
Subſtantiæ nihil eſſe contrarium, quo pacto ſit intelligendum. 458.p
Eſſe ſubſtantiarum corruptibilium menſuratur tempore continuo ac vulgato. 672.p.m ſeq.
Subſtantias ſeparatas numquam eſſe in loco, niſi per operationem, non videtur rationi conſentaneum. 587. & ſeq.
Subſtantiæ ſeparatæ non ſunt ita per ſe in loco, vt certum ſpatium naturaliter vendicent ſibi. pag. 589. m
Subſtantias ſeparatas eſſe in loco formaliter ratione exiſtentiæ, non eſt dicendum. 590 p & m
Subſtantiæ ſeparatæ ſunt in loco per ſeipſas, quatenus actiuæ ſunt in loco. 59 .p.& m
Subſtantiæ ſeparatæ ſunt in loco ſemper ac neceſſario. 571.f
Subſtantias ſeparatas non eſſe in loco niſi per operationem tranſeuntem, tribus modis exponi poteſt. 592.f
Subſtantias ſeparatas non eſſe tempori ſubiectas quo ſenſu negetur. 599.m
Subſtantiua non multiplicari, niſi multiplicata forma, quo pacto intelligendum ſit. 443.p
Succeſſiuum per ſe quid ſit. 574.p

## Superficies.

Superficies non eſt mera negatio contra Durandum. 517
Superficies in medio corpore, lineas in media ſuperficie, ac punctain media linea dari, implicat contra nonnullos. 517.p.& 529 p,& ſeq.
Superficies non eſt corpus ipſum, vt connotat negationem profunditatis, contra Gregorium Ariminenſem. 520.p.& ſeq.
Superficies an ſit actu in extremitate corporis, pag. 522.p
Superficiem eſſe modum quemdam eſſendi purum, quem negatio vlterioris extenſionis ſequatur, quo modo poſſit defendi. ibidem
Superficiem eſſe realem entitatem verámque ſpeciem quantitatis, pro indubitato ponendum eſt. 522.f
Superficies phyſico more accepta, eſt actu in corpore tamquam eius extremitas, linea verò & punctus, non ſunt in corpore vllo niſi mathematico more ſpectata. 522.f. 524.f. & 526.f.535.& ſeq.
Superficies ſola quæ in medio corpore potentia eſt, naturaliter reduci poteſt ad actum reali diuiſione. 526.m
Superficies corporum, & ſi Phyſicè conſiderentur, vna eſt tantum in quolibet corpore: ſi verò mathematicè plures. 527.p.& m
Superficies magis diſtinguitur à corpore, quàm figura à ſuperficie. 533.p
Superficies quid ſit formaliter. 533.p.& m
Superficies infinitæ quomodo ſucceſſiuè reſpondeant infinitis inſtantibus aggenerationis. v. g. ignis continuæ. 535.f
Superficies quo pacto à corpore ſeparari poſſit. pag. 536.f
Superficies, & locus Ariſtotelicus, quo modo diſtinguantur. 541.m
Superficies, quæ eſt locus, qualis eſſe debeat. 569.f

## Suppoſitum.

Suppoſita duo humana, quando de ſe inuicem prædicari poſſent. 236 p.& m
Ariſtoteles quid ſenſerit de natura & ſuppoſito tam in Deo. quàm in rebus creatis. 398.f





Suppoſitum & natura non ſunt omnino idem ſecundum fidem. 398.f.& 399.p
Suppoſitum quo pacto definiatur à Theologis. 400.p
Suppoſitum quomodo ſit incommunicabile, & communicabile. 400.p
Suppoſiti alia definitio, & prioris definitionis approbatio. 400.m
Suppoſita quid vltra primas ſubſtantias amplius ſibi vendicent. 401.b
Suppoſiti traduntur duæ aliæ definitiones. ibid.
Si in diuinis eſſet vnum ſuppoſitum, non diſtingueretur à natura. 411.p
Suppoſitum & prima ſubſtantia in creaturis ſunt idem, non ſic autem in diuinis, & vnde tale diſcrimen ortum ſit. 413.p.& 415
Suppoſitum non diſtinguitur à natura ſingulari vt concretum & abſtractum. 417.m
Suppoſitum nihil aliud addere naturæ ſingulari, quàm duas negationes, nullo modo probandum, contra Scotum. 418.& ſeq.
Suppoſitum in rebus creatis, etiam ſecundũ potentiam obedientialem, eſſe incommunicabile. 420.p
Suppoſitum non addit naturæ ſingulari ſubſiſtentiam per modum connotantis, contra Capreolum. 420.f
D. Thomas exiſtimauit ſubiectum exiſtentiæ ſubſtantialis creatæ eſſe ſuppoſitum. 421.m
Suppoſitum non addit naturæ ſingulari aliquod poſitiuum diſtinctum realiter contra Caieta. 422 & ſeq.
Suppoſitum addit naturæ ſingulari modũ quemdam entitatiuum. 423 & ſeq.
Diuiſo ligno reſultant entitates abſoluentes ſuppoſitum, & quodnam ſit diſcrimen quoad hoc inter differentias indiuiduantes, & huiſmodi complementa. 429.p
Suppoſiti diuini infinitas non obſtat quominus Chriſtus ponatur in prædic. ſubſtantiæ. 446.f

TActus deſignatiuus quis nam ſit. 529.p

## Tempus.

Tempus cur non dicatur ens imperfectũ quemadmodum motus, cum numquam totum acquiſitum ſit. 543.p
Tempus, duobus modis conſiderari poteſt. 460.f.&
Tempus vt dicit durationem motus abſolutè acceptum eſt vera ſpecies quantitatis. 460.f &.461.p
Ariſt. cum dixit omnem motum fieri in tempore, de quo tempore intelligendus ſit. 461.p
Tempus, quatenus ſignificat annum, menſem, &c. non eſt vera ſpecies quantitatis. 461.m
Ariſt. lib. 4. Phyſic. de qua temporis ſpecie potiſſimum loquutus ſit. 461.f
Tempus eſſe numerum motus ſecundum prius & posterius de quo tempore intelligendum ſit: & quomodo ſit prædicta definitio accipienda. ibid.
Tempus quatenus dicit certam menſuram, cur numerus appelletur. 462.p
Tempus, vt dicit menſem, annum, &c. formaliter pendet ab animo. ibid.
Ariſtoteles cur hoc libro appellet tempus quantum per accidens. ibid.f
Tempus an ſit vnum numero in rebus quæ menſurantur tempore. 462.f
Tempus quomodo poſſit dici vnum numerum in rebus quæ menſurantur tempore ſecundum multorum probabilem opinionẽ. 463.p.& m
Tempus qua ratione poſſit eſſe numero multiplex in rerum natura. 463.m
Tempus vniuerſale, quo cætera menſurantur, duplex eſt, reale, & imaginarium. 464.m
Tempus reale pendet in ſuo eſſe completo à tẽpore imaginario, & quomodo. 464.f.464.p
Tempus reale cum ſit vnum, multipliciter à nobis diuiditur. 465.p
Tempus diſtingui ab æuo, qui habet finem, & è contra, æuum autem ab æternitate, quia habet principium, non per ſe ſed per accidens euenit. 469.f.470.p
Tempus, æuum, & æternitas quomodo ſecundum veriorem ſententiam diſtinguantur inter ſe. 471.p
Tempore quæ menſurari dicantur. 472.p.m.& f
Tempus cur dicatur magis cauſſa corruptionum, quàm generationum. 472.p
Tempus indoctiſſimum potius, quàm ſapientiſſimum appellandum eſt. 472.m
Eſſe ſubſtantiarum corruptibilium an æuo menſurari poſſit. 473.m
Ariſtoteles quid per motum & quietem intellexerit, cum dixit quarto Phyſic. tempus eſſe menſuram eius quod mouetur, &c. 475.p
Explicatur locus D. Thom. in opuſculo de tempore, vbi dixit, mobile non menſurari tempore quoad ſuum eſſe ſubſtantiale. 475.p.& m
Tempore imaginario quomodo menſurari poſſint tempora diſcreta particularia. 577.p
Tempus continuum eſt vera ſpecies quantitatis. 478.p
Inſtans permanens non eſt ſpecies quantitatis. pag. 478.m
Tempus diſcretum non per ſe ponitur in vllo prædicamento. 479.p
Tempus diſcretum ſi conſtat inſtantibus reducitur ad prædicamentum Quando, ſi vero temporibus continuis, tum, ad quantitatem, tum ad quando. 479.p & m
Tempus an, & quomodo diſtinguatur à motu. pag. 479.f.& 480.p
Terminum à quo eſſe contrarium termino ad quem, quomodo intelligatur. 17.f

Termini totales non sunt per se contrarij. 1.p
Terminus quot modis dicatur. 602.f & seq.
Terminus latius patet, quàm principium. 665.p
Thargelia quid significent. 615.f
Transubstantiatio duobus modis cõsiderari potest, & quis sit eius terminus. 572.m

## Totum.

Totum Physicum distinguitur à suis partibus. 58.m
Totum vnica relatione respicit omnes partes. pag. 553.p
Totum quot modis dicatur. 617.m.& seq.
Totum quid requirat ad sui intrinsecam rationem. 617.f
Totum vniuersale & coniunctum quid sit. 618.p
Totum quantum quot modis diuidatur. 619.f & 620
Ratio totius magis conuenit naturalibus, quàm artificiosis. 619.f
Totum quando dicatur omne, vel totum. 620.m
Trismegisti sententia de rerum creatarum actiuitate. 91

VErba quædam cur addita sint in textu Græco ad initium cap. 4. cum antea non extarent. 192.p
Verbum, vt verbum, numquam potest subiici. 317.m
Verba quædam in textu Græco ad initium cap. 14. huius libri, cur in Latina versione prætermissa sint. 486.f
Verba hæc (secundum quod) quot modis vsurpentur. 605.p & m
Verba hæc (secundum se) quot modis accipiantur. 605.f.& 606.p
Veritas conditionalis propositionis vbi fundetur. 247.f
Virga partim viridis, partim sicca, non habet partes continuas. 226.m
Virtus producendi aliquid ex nihilo, siue sit principalis, siue instrumentalis, suapte natura terminatur ad creabile, quatenus creabile est. 99.f
Quælibet duæ virtutes finitæ proportionem habent inter se. 100.p
Viuentia quæ per semen generant non generare sibi similia, sed à Deo produci sentit Scotus. 79.p. sed refellitur. 80.p
Viuentia, quæ ex ouis aut fructuum seminibus nascuntur, cur dicentur augeri, cum ea, ex quibus producuntur, incrementum accipiunt: & an sit idem in his viuentibus, nasci, ac primum incrementum accipere. 190.f.191.p

## Vniuersale.

Vniuersale vnica tantum relatione refertur ad particularia. 549.p
Vniuersale aliquando ita latè sumitur, vt etiam analoga complectatur. 626.p
Vniuersale propriè sumptum sola vniuoca complectitur. ibid.
Vniuersalis propriè sumpti definitiones. 626. m.8
Vniuersale propriè sumptum tribus modis considerari potest, & quæ sit eius germana consideratio. 619.m
Platonis & Arist. sententia de Vniuersali. 619.f
Vniuersale, quatenus dicit relationem vniuersalis ad particulare, supponit duo: vnitatem rei, & aptitudinem, vt insit multis. 620.p
Vniuersale qua ratione dicendum sit vnũ. 639.p
Vniuersale esse quoddam totum. 645.f
Prædicari de pluribus, vt de vniuersalibus dicitur, quid propriè significat. 646.p
Identitas rerum vniuersalium cum suis particularibus quæ sit. ibid.m
Vniuersalia habere suam vniuersalitatem actu existentem sine operatione intellectus falsò aliqui Scoto tribuunt. 660.m.& 662.f
Naturæ communes extra intellectum sunt ex se vniuersales, & quomodo pendeant ab intellectu. 664 f.& 665.p
Vniuersale, quod est obiectum intellectus, quomodo præcedat actũ ipsius intellectus. 666.p
Aristot. explicantur nonnulla loca, ex quibus colligi posse videtur, vniuersalia nulla pendere ab intellectu. 666 p.& m
Vniuersalia non abstrahuntur à suis particularibus abstractione reali. 668.p
Vniuersalia non abstrahuntur à suis particularibus abstractione negationis vera, si sint ex quatuor prioribus vniuersalium generibus. ibid. m
Vniuersalia abstrahuntur à particularibus abstractione præcisionis per simplicem apprehensionem. 668
Vniuersalia non possunt abstrahi à singularibus per quinque sensus externos, qui & potentiæ apprehensiuæ dicuntur. 669.m
Vniuersale fit sola operatione intellectus. 671.m
Vniuersalia qua ratione existant in rerum natura. 699.p
Vniuersalia corporum per se existentium non carent materia. 696.f
Vniuersalia rerum sensibilium cum sint corpora, quo pacto non sint separata à singularibus. 698
Vniuersalis species in quinque diuidi adæquatè, quomodo intelligatur, & vnde huiusmodi numerus colligatur. 707.m.& f
Vniuersalium numerus non rectè colligitur ex diuisione eorum, quæ prædicantur completè, & quæ incompletè. 709.p
Vniuersale, vt relatiuum est, formaliter vniuocum dicendum est. 714.m
Vniuersale, fundamentaliter acceptum, non est vniuocum. 715 p
Vniuersale simpliciter non potest esse verum genus



nus ad illas quinque vulgatas species. 715.f
Vniuersale quomodo seipsum denominet. 718.f
Accidentarij prædicati nomine, quid intelligendum sit in materia de Vniuersalibus. 719. p
Vniuersalis quinque vulgatæ species sunt infimæ, nec discrimen prædicandi de pluribus differentibus specie & differentibus numero vniuersalia distinguit. 719.m.& f
Vniuoca & incomplexa quo pacto ponantur in prædicamentis. 366.& 367
Vniuocatio & incomplexio est necessaria, vt aliquid per se ponatur in prædicamentis. 366.m
Vniuocatio, quæ in prædicamentis requiritur, qualis esse debeat. 367 m
Vniuocum semper contrahi vel per se, vel per differentias constitutiuas suorum particularium, non est necesse. 643.m.& 644

## Vnitas & Vnum.

Vnitas, quæ est principium numeri, ad principium materiale reuocatur. 34 p
Vnitas numerica agentis, materiæ, ac temporis non sufficit ad hoc, vt effectus sit determinate hoc indiuiduum, contra aliquos ita sentientes. 155 p
Vnitas numerica actionis non est causa adæquata, cur producatur hic numero effectus. 156 p
Vnione Verbi diuini cum natura humana non est factum, vt resultaret noua aliqua prima substantia, neque noua persona: & quidnam resultauerit. 441.f
Vnio, si facta esset primo in natura diuina resultasset hic homo, &c. 442.p
Vnio qualitatum, quæ intenduntur & remittuntur, vnde causetur. 465 f. & 469 m
Vnitas transcendens quid sit. 500.f
Vnitas numeralis duplex est, & in quo differant & conueniant. 500.f.& 501.p.& m
Vnitas, quæ est principium numeri prædicamentalis, an sit quid positiuum. 502.p
Explicatur D. Tho. cum dixit, vnum numerale addere aliquid positiuum supra res. 502. f.& 503.p
Vnitas numeralis quid sit, & in quo differat à transcendentali. 503.p
Inter vnitates prædicamentorum non datur ordo extra intellectum. 504.m
Vnitas in qualitate & quantitate quo modo sit fundamentum similitudinis & æqualitatis. 505.m
Vnitas rerum vniuersalium non est simpliciter numeralis, nec pure, formalis. 635.f
Vnitas rerum vniuersalium qualis esse debeat. pag. 636.p & m
Vnitas rerum vniuersalium propria dicitur vnitas præcisionis, & ad numeralem vnitatem reuocanda est. 637.p.& m
Vnitas formalis cur potius expressa sit in definitione vniuersalis, quã vnitas præcisionis 627.f
Vnitas formalis non per se ipsa, sed per vnitatem præcisionis adiunctam conuenit rebus vniuersalibus, vt naturę ordine sui contractionem ac multiplicationem antecedunt. 643.p.& m
Vnitas præcisionis neque in primo, neque in secundo modo per se conuenit naturis communibus. 665
Vnio & actio in causis indistantibus non differunt. 685.f
Vnum fieri ex alio præcedente, duobus modis contingit. 20.f.& 21.p
Vnum cõtrarium fit ex alio, & qua ratione. 21.p
Aristoteles cur vnum dixerit translatiuè vocari elementum, cum tamen si respectu numeri considereretur, non ita sit. 186.f
Vna numero quæ dicantur propria, & vnde sumatur principalis ratio vnitatis numericæ. 229.p
Explicatur Aristoteles, cum dixit ca. 4. huius libri, quædam posse esse, quæ quantitate, non qualitate sint vnum. 226.p.& m
Aristoteles cur prius vnum distinguat hoc ipso libro, quàm ens. 260.m
Vnius duplex est genus. 260.f
Vnius per accidens duo sunt præcipua genera ex mente Aristotelis, quamuis tertium addi possit. 261 p & 252.f
Vnum per se multis modis dicitur 262.m.& seq.
Vnum quid sit in 1.2.3.4.& quinto modo. ibid.
Quæ sint vnum re & ratione: vbi & reiicitur expositio Alensis. 266.m.& 267 p
Vnius per se genera omnia reuocantur ad vnum. quæve ad hoc genus reducantur secundario. pag. 267 p.& m
Vnius proprietas est, esse principium numeri, & quo pacto intelligendum sit. 268.m
Vnum esse principium cognoscibilium, quo pacto intelligendum. 269.m
Vnius per se alia diuisio: vbi reiicitur Alberti expositio. 270.m
Vnum esse indiuisum, quot modis dicatur, & quod in explicandis istis modis Aristoteles mancus non fuerit. 270.p.& f
Vnum numero, specie, genere, & analogia quæ sint apud Aristotelem. 270.& seq.
Vnum reuocari ad aliud, quid sit. 369.p.& 375
Vnũ per se quo modo possit fieri ex duob. 504.f
Vnum frequenter vsurpatur pro primo. 498.f

FINIS.

LAVS DEO.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de
Biblioteca